XXIV
5

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
G
17
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI GASSENDI
DINIENSIS ECCLESIÆ PRÆPOSITI,
Et in Academia Pariſienſi Matheſeos
REGII PROFESSORIS
EPISTOLÆ,
QUIBUS ACCESSERUNT
CLARISSIMORUM QUORUMDAM
AD IPSUM
EPISTOLÆ, ET RESPONSA.
In quibus Humaniorum, Philoſophicarum, & Mathematicarum Rerum complura luculenter admodum enucleantur, atque explicantur.

Tomus Sextus.
CUM INDICIBUS NECESSARIIS.



FLORENTIÆ

TYPIS REGIÆ CELSITUDINIS
Apud JOANNEM CAJETANUM TARTINI, & SANCTEM FRANCHI.
Cum Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLARUM
ARGUMENTA,
Quæ ſic ordinavimus, ne ſeriei vis fieret epiſtolarum, quæ variis inſcriptionibus ſatis, ſuperque variantur.

A

ALLATIO. Quod ſe ad illius amicitiam Naudæus, & Gaffarellus aggregarint, gratulatur. *Pag.* 51.

ALVERNIO. Simeonis Muiſii operum editionem procuret, hortatur. 263.

B

BARDIO. Illius *de gravium naturali motu* commendat librum, gratesque refert, quod & agere prior litteris occeperit. *Pag.* 88.

De Liceti libro *de centro, & circumferentia*, de altero *de Terra unica centro motus ſingularum Cæli particularum*, deque altero *de regulari motu, minimaque parallaxi Cometarum*, aliquid, &c. 90.

Ad operum editionem ejus accelerandam excitat, & Liceti librum *de Lunæ luce* ad Valesium Principem in ſe recipit mittendum. 150.

BEECKMAN. Epicuri placita cum eo communicare pollicetur. 23.

BERNEGGERO. Schickardi luget obitum, & quamvis Poëtam ſeſe nec eſſe, nec ſalutari voluerit, carmina tamen aliquot, quæ mœrens effuderit Diodato extimulante, mittit. 75.

BERNERIO. De Pecqueti experimentis chylo, & ſanguini novum iter aperientibus, itemque variis aliis inanis hydrargiri ope peractis. 284.

BOCHARTO SARRONIO. Nucibus relictis rerum bonarum ſtudia feliciter cepta, ut abſolvat addit animos 142.

BOCKLERO. Illius ſibi amicitiam ab Equite Scaligero junctam lætabundus amplexatur. 297.

BORIENÆO. Antiſtitem ſuum Dinienſem compedibus ni aureis in partem ſuam (pro Cleri ſcilicet Agentia Gallicani) non iturum, monet. 85.

Sui ergo jacturam quandam, quod fuerit paſſus, dolet vehementer. 86.

BORNIO. Carteſii Phyſicam examinare renuit, quod pacatum diſſidium ultro renovare, & in librum, qui ſe ſpeciatim non attineat, inquirere foret inurbanum. 180.

De epiſtolarum ſuarum *de motu impreſſo a motore translato* editione, aliquid. 188.

Revensbergii Phyſicam faciat publicam deprecatur. 226.

BULLIALDO. Veneris, ac Mercurii obſervationem communicat. 52.

Itemque Solaris Eclipſeos anni 1652.

cujus & Hevelium participem fieri exoptat. 282.

C

CÆSIO. Quod Coſmographici operis eruditionem faceret monitus obſervationes de Marte pluſculas Gratianopolitano-Vizilianas ab induſtrio Elziario peractas communicat adjungendas. *Pag.* 45.
CAMPANELLÆ. Obſervationis ſuæ de Mercurio in Sole viſo excuſum mittit exemplat. 43.
Epicuri peccata purgaturum ſe dicit. 48.
Galilæi gratiam cum Patre Scheinerio teconciliet oret. 51.
Illius ad oras Maſſilienſeis appulſum gratulatur, & ad Peireskii fores accedat avet. 67.
CAPELLANO. Varia Solis humilis, ac ſublimis apparentem circa magnitudinem experimenta exponit. 90.
CARAMUELI. Quod illius cenſuram de novem Stellis circa Jovem viſis acceperit, & gratias agit, & ſeſe lubenter aſſentire reſpondet, dummodo Errones illi quinque Jovis Sydus ſemper circumſtent. Selenographiam ceptam (de cujus commodis in Peireskii vita dixit) abſolvat hortatur, & de variis nominibus inditis Lunæ maculis aliquid. 169.
Theologorum quorundam Pariſienſium de Summi Pontificis in Concilio poteſtate ſententiam rogatus aperit. 171.
Quam diſſertatiunculam an receperit, certiorem fieri exoptat. 183.
Illum Moguntinæ Sedis Suffraganeum gratulatur, atque lunaris Eclipſeos anni 1645. obſervationis facit participem. 199.
CARTESIO. Metaphyſicæ ab eo conſcriptæ judicium ſuum, Merſenno, aliiſque poſtulantibus amicis amice mittit. 95.
CASSINO. Martis, Jovis, & Saturni excogitatas obſervationes communicat varias. 293.
CASTANEO. Illum laudat, quod ex barbarie, ac cautes inter αὐτοδίδακτος, & canere ſibi, Muſiſque ſit contentus, illud adiciens: *tentanda via eſt, quo te quoque poſſis, &c.* 297.
CAZRÆO. Varia circa proportionem, qua gravia decidentia accelerentur experimenta exponendo, ad illius objectiones reſpondet, tum 142. tum 198. tum 202.
CHRISTINÆ *Reginæ*. A Burdelotio illius primario Medico monitus, ad eam venerabundus ſcribit, cujus & animi doteis extollit, & pacem populis quæſitam, & Martis ſtudiis ſuſcepta a magno Patente feliciter bella peracta. 284.
Quod reſpondere dignata fuerit, iiſque bonitatis plenis characteribus perſolvit grates, ac iterum illius a Naudæo, & Burdelotio deſcriptas virtutes miratur, & laudat. 288.
Quod ſponte diadema demiſerit, ſexum, ætatemque ſuſpicit raro eorum exemplo, qui coronas, ſceptra, imperia ſponte depoſuerint. 296.
Quod reſcribere non fuerit dedignata, gratias, quas poteſt ſummas refert, ſeque in ea non tam purpuram, diademaque ſpectaſſe, quam generoſam indolem, ſummamque virtutem, qua curare illam ſuadet non minus eos, qui rem accipiunt præpoſtere, quam qui ad ſplendorem eximiæ virtutis caligant, ut nocturnæ aves ad Meridianum Solem. 297.
CLARAMONTIO. Se illius ad amicitiam Naudæo quod adſcripſerit gratulatur. 66.
CONSTANTINO. Illius amicitiæ conſtantiam miratur, grateſque pendens de divortiis Auctorum ſedandis aliquid. 51.
Iterum de litteratorum contentionibus, &c. 61.

D

DECORMIO BERECULIO. Extrema Regis Chriſtianiſſimi XIII. verba refert, Principe Valeſio enarrante. *Pag.* 143.
DIODATO. Eclipſeos lunaris obſervationem totalis anni 1635. variis in locis peractam, cum Hortenſio communicandam mittit. 76.

E

EDOARDO *Baroni Herberto*. Illius de veritate librum examinat, amiciterque ſuum illi judicium impertit. *Pag.* 62.

F

FABRO. Tractatus illius Philoſophiæ quoſdam commendat, quotum editionem, ceterorumque Commentario-

Digitized by Google

riorum fieri curet hortatur. *Pag.* 148.

FABRO PYBRACIO. Illum Proto-Præſidem in Aquis-Sextienſi Senatu exoptat, quodque Caduceatorem Provinciæ talem Jupiter inviderit dolet vehementer, operum Charronii præfationem commendat Auctores nominantis, quorum ipſe opera profecerit, de luſtratione in Italiam, Germaniamque ſuſcipienda claros ibi Viros videndi ergo monet. 1.

FIENO. De generatione, & animatione hominis ſententiam aperit ſuam. 15.

Judicii de Parheliis, ſeu Solibus IV. Romæ viſis anno 1629. exemplar donat ſui. 36.

G

GAFFARELLO. Pellecto illius *de Fine Mundi* libello, quid de extremo illo die opinetur, ſcribit, ipſumque cum Merſennuo reconciliare nititur precibus adhibitis. 11.

GALILEO. Illius libello de Sydereo Nuncio, deque maculis Solis tribus Epiſtolis perlectis, ac regia indole a Diodato perſpectâ, Eclipſeos Solis obſervationem anni 1621. cum obſervandi methodo cum eo ſuam communicat, in reciprocumque ſinceri affectus poſtulat in Snellii gratiam Florentini pedis magnitudinem. 4.

Communicat & obſervationem aliam Eclipſeos Lunæ anni 1628. ex qua differentia Meridianorum Lutetiæ, Aquarum-Sextiarum, & Maſſiliæ facile eruitur. 9.

Sicuti & aliam Eclipſeos Solis anni 1630. atque de ſperanda verſus Orientem cum Marchiavillæo profeſſione. 31.

Mercurii a ſe in Sole viſi mittit obſervationis exemplar. 38.

Dialogos illius commendat. 48.

Æquo ferat animo, quid ſanctiſſima Sedes definierit, hortatur, &c. 59.

Suam illum inviſendi voluntatem declarat, Epicuri Philoſophiam prius ederetur ut legat, & ſe Lunam per Mellanum depingi curare mandat. 81.

Illum ſe Diodato monente, oculorum altero eſſe orbatum, conſolatur Paradoxum adiiciens, *Quod aperto licet oculo utroque, altero tamen ſolum videamus viſione, quam diſtinctam vocant.* Extremum Peireskii morbum renunciat. 83.

GALTERIO. Morinum veteris amicitiæ nuncium remiſiſſe edito adverſum ſe libro, ad quem reſpondet, certiorem facit. 148.

GEVARTIO. Locum Ciceronis ad Atticum de Pattone, & Parietinis in Melite ex libro Epiſtolarum quinto, ut ſentit explicat. 36.

De Vendelini Eclipſigraphia inquirit, & publicas faciat Annotationes in Antoninum ſuas ſollicitat, quaſdam a Menagio collectas promittens. 164.

GODELLO *Epiſcopo.* Maturioris reſponſionis cauſam in occupationes remittit, & Vitam Peireskii brevi ſperandam facit. 96.

GOLIO. Elenchum MS. Librorum ex Oriente ab eo advectorum, pleriſque nobilibus Viris expetentibus, habere exoptat. 23.

Ipſumque Catalogum juris publici fieri a Vitreo monet; rogatque, ut & gratum habeat, & Apollonii Conica jamdiu deſiderata, Ariſtotelis pariter hiſtoriam Animalium ſtudioſis non deneget. 25.

De Scholis Pariſienſibus, ſtudiiſque ſuis certiorem facit, & ſi quas inter MS. illos Arabicos Cœleſtes habeat obſervationes impertiri haud grave ducat exoptat. 28.

Eclipſeos Solis anni 1630. ſuam communicat obſervationem, & Riiulandici pedis longitudinem ab eo requirit. 34.

Obſervationis ſuæ de Mercurio in Sole viſo excuſum mittit exemplar. 41.

GROTIO. Obſervationis ſuæ de Mercurio in Sole viſo excuſum impertit exemplum. 42.

H

HEREEBROORDO. De Caramuelis cenſuræ de novem Jovialibus Stellis. *pag.* 166.

Deque Epiſtolarum de motu impreſſo a motore translato ſuarum editione aliquid. 188.

HEINSIO. Illius de Aſini laude librum commendat, & Suidæ locum de Epicuri nativitate explanat. 22.

HELMONTIO. De Ceerographia, ſeu an homini naturale ſit carnibus veſci, an non potius leguminibus philoſophatur. 17.

HEVELIO. Satellitum Jovis inter ſe diſtantiam ſcribit, rogatque ceptam abſolvat Selenographiam, Lunæ icones, obſervationeſque Eclipſeon pluſculas

ſculas

ſculas impertiens. 162.
Quem in Selenographia ordinem ſervet, inque Teleſcopiorum fabrica requirit. 182.
Philolaicæ Bulialdi Aſtronomiæ exemplum in alterius Ephemeridum Eichſtadii, titulo miſſi donat compenſationem. 200.
Obſervationes Eclipſeon anni 1646. communicat, Eclipſeos ſicut etiam lunaris anni 1647. 219. 236.
Summas refert grates pro Selenographiæ illius exemplo recepto 247.
Scire avet quæcumque de Vita, & moribus Tychonis Brahei, ſimulque Kepleri norit, quæ-ve cœleſtia obſervarit. 254.
Bernerium ſuum Dantiſci egregie receptum, Regium etiam ab eo Oratorem demiratur, verba grates quibus digne rependat non habens. Salvere Eichſtadium jubet, & Tychonis Brahei Vitam ſperandam facit. 287.
Ejuſdem exemplaria Vitæ duo mittit; unum ſibi, Eichſtadio alterum. 295.
An exemplaria illa acceperit ſcire optat, obſervationem interim Eclipſeon anni 1654. impertit. 296.
HOLSTENIO. Gratias refert pro communicato exemplari Baſileenſi decimi libri Laërtii, cui Aldobrandinus marginales notas MS. appoſuerat. 45.
Geographiæ Agathemeris penes Meziriacum extantis certiorem facit. 49.
HORTENSIO. Illius Diſſertationem ad ſuam de viſo in Sole Mercurio obſervationem commendat, grateſque, quod & ſibi dicare ſuſtinuerit rependit ſummas. Lansbergianæ demonſtrationis dimenſionem circa Luminarium correctionem a Valletæ Priore Galterio factam communicat. 56.
Obſervationes aliquot ad Schickardum deſtinatas promittit, & ne Bartholinum, ac Tychonem impetat, obteſtatur. 60.
Obſervationem Eclipſeos anni 1635. impertitur, & Schickardi nunciat obitum. 74.
Obſervationes circa Luminarium diametros mittit. 81.
Cujuſmodi Solis, ac Lunæ capiat diametros, cujuſque Morinus certiorem reddit. 82.

K

KEPLERO. Obſervationem Solis Eclipſeos anni 1630. communicat ſuam. *Pag.* 31.
KIRCHERO. Diſceſſum cum Luillerio ſuum in Italiam deſtinatum prædicit. Eclipſeos Solis anno 1633. communicans obſervationem. 52.
Similiter Magneticæ acus variationis. 87.

L

LICETO. Solis humilis, ac ſublimis experimenta magnitudinis apparentis quædam impertitur. *pag.* 88.

M

Du MAY. Peireskianæ vitæ exemplum, quod & benevole acceperit, eulogiiſque inſuper aggravarit grato tribuit animo. *pag.* 112.
Litteras expetitas commendatitias mittit. 117.
de la MARE. Illi Peireskianæ vitæ donat exemplum. 103.
Quod de Guiione nihil norit reſpondet digeſta, quia nondum Chartaceorum Peireskii monimentorum congeries erat. 108.
Illius de Guiione librum commendat, & quod nil de Lepanthino prælio habeat, dolet. 112.
Illius, & de Burgundico bello librum extollit. 119.
Litteras Cazræo ſuas reddi procuret orat. 142.
Robertum ſuum Draguinianenſem Decanum intime commendat. *ibid.*
Quid de Popeonano, & Aretino reſciat ſcribit. 280.
MATROPTO. Sphæram illius probat. & quid ſit ejus ad perfectionem addendum indicat. 226.
MERSENNO. Rogatus ſententiam aperit ſuper quæſtione Mathematica a Poiſſonio propoſita ſuam. 70.
MONERIO. Eum hortatur Philoſophiæ Fabrianæ procuret editionem. 214.
MORINO. Quod illius de longitudinibus inventum non approbet, Epiſtolam non abſolvit, quia judicium interponendo placere non ſenſit. 66.
MORISOTO. Illius Faſtorū Ovidii complementum extollit, & ſuſpicit. 272.
Alcidio MUNERIO. Ab eo Luillerii amiciſſimi in Hetruria tunc ægrotantis

ris ſanitatem ardenter petit. 275.

MYRÆO. Diſceſſus inopinati, ipſoque inſalutato cauſam ſignificat, & hiſtoricum opus ceptum perficiat hortatur. 21.

De Solibus quatuor Romæ viſis 1629. judicium mittit ſuum, deque Profectione Orientem verſus monet. 36.

N

NAUDÆO. Studiorum ſuorum dat rationem. *Pag.* 40.

Obſervationis ſuæ Mercurii in Sole viſi mittit exemplum, & Epicuri effigiem ex ſtatua Romæ aſſervata delineatam exoptat. 41.

Pro Parheliorum Romæ viſorum exemplari, & Epicuri effigie miſſis gratias refert, illumque monet ſe moliri Philoſophi illius Vitam, & Canonicam. 43.

Quid moliatur iterum monet. 49.

Itemque de ſocietate cum Præſide Memmio, aut Luillerio ineunda. 51.

Librorum in Merſennum Fluddi examinis rationes deducit. 64.

Varia apparentem circa magnitudinem Solis humilis, ac ſublimis experimenta enarrat. 82.

De novem Stellis circa Jovem Coloniæ viſis judicium ſuum aperit. 142.

NEURÆO. Teleſcopium remittit. 149.

De ſpectro lucido a Principe Valeſio, Heroinave conjuge viſo quid ſentiat ſcribit, ſimilia & Aſcanio, & Tyberio, &c. 153.

Illius Phocæ deſcriptionem commendat, dignam reputans, quæ in piſcium hiſtoriam inſeratur, de Arnaudo Romam petente rationem operis de frequenti communione dicturo. 161.

Obſervationem lunaris Eclipſeos anni 1645. communicat. 197.

Naudæi mortem plorat, cujus epiſtolæ reſiduum poſtmodum recuperatum habetur in Appendice. 292.

P

PAYENO. Variationis magneticæ acus certiorem facit. *Pag.* 89.

Obſervationem lunaris Eclipſeos anni 1641. impertitur. 104.

Se Avenionenſis Academiæ Theologum, & Doctorem dicit. 199.

PEIRESKIO. Lunaris Eclipſeos anni 1635. totalis obſervationem deſcribit. 80.

PETITO. Peireſkianæ Vitæ donat exemplum. 104.

POISSONIO. Problematis diſcuſſionem amiciter ſuſcepiſſe declarat. 73.

PRATEO. De poto cholydocho venis lacteis, ſanguinis circulatione aliquid. 181.

PUTEANO. Pellecto illius de Epicuro Eulogio, Viri vitam colligere dicit, & obſervationem lunaris Eclipſeos anni 1628. deſcribit. 10.

Seque obiter ſcriptorum quidpiam de Olympiadibus, necnon Parheliis Romæ viſis recipit, Fieno ſalutem referens. 14.

Super quibuſdam locis Epicurum ſpectantibus judicium requirit. 23.

Parheliorum mittit exemplar. 35.

PUTEANO *Bibliothecario Regio*. Varia circa motum impreſſum a motore diſſerit experimenta. 89.

a PUTEO. Benevole accepta illius in Peireſkii vita mentionem grates recipit. 126.

R

RENERIO. Judicium de Parheliis Romæ viſis 1629. illi ſuum dedicat. *pag.* 21.

Quid de inſtitutione bonis in artibus adoleſcentum ſciat aperit. 26.

Analyſeos rationem ab eo inventam commendat, non probans tamen. 33.

Fuererium, Carteſiumve in gratiam redigat orat. 37.

REVENSBERGIO. Obſervationem ſolaris Eclipſeos anni 1645. communicat. 227.

RIVETO. Schutmanam Virginem laudibus effert, & de Carteſii Phyſica aliquid. 193.

S

SCALESIO. Indefeſſo pede virtutum tramiti inſiſtat hortatur majorū exemplo, Ciceronem, & Plutarchum commendans. *pag.* 283.

SCHEINERIO. Judicium de Parheliis Romanis ſuum mittit, rogatque pauca illius de opere de maculis ſolaribus. 38.

Ejus & Pantographicen commendat, opuſque de maculis ardenter exoptat, Petavii rationarii temporum editionem indicans, atque ſuæ Mercurii in Sole viſi obſervationis exemplum donat. 42.

Animi

Animi maxima cum voluptate illius de maculis ſolaribus opus pellegiſſe ſcribit, illarum quanquam motus miretur variationem. Patheliorum in hiſtoria Mathæi Paris relatorum mentionem facit. 49.
Obſervationem ſolaris Eclipſeos anni 1633. communicat, & de *Roſa Urſina* aliquid. 50.
SCHICKARDO. Pluſculas cum eo cœleſtes communicat obſeruationes, utpote occultationem Stellæ a Luna viſam anno 1627. illum de variatione magnetica, librisque a Golio ab Oriente advectis MS. monens. 30.
Altitudinem Poli obſervatam Gratianopoli in ipſo Solſtitio. 31.
Occultationem Stellæ Sagittarii a Luna, Kepleri mortem nuncians. 39.
Mercurium in Sole viſum Venere inviſa, maculas Solares. 40.
Illius reſponſum ſuam ad obſervationem de Mercurio in Sole viſo commendat, gratias referens. 53.
Varias, repetitasque Mercurii elongationes communicat, latitudinem inſuper Avenionenſem. 59.
Quarumdam obſervationum dubitationes exponit, illius de Bacchanalibus Judæorum librum efferens. 62.
Illi deſtinat quæ cœlitus obſervarit anno 1634. & 1635. cum peſte illum e vivis abiiſſe accipit. 67.
SCHURMANÆ. Virginis illius animi extollit doteis, & ſcriptionem eruditam, & linguas callentis. 177.
Quod præter inſtitutum reſpondere dignata fuerit, grates rependit. 193.
SEGUERIO *Franciæ Cancellario*. Epicuri Philoſophiæ offert exemplum, ſcopas quaſdam fore diſſolutas declarans. 264.
SNELLIO. Eratoſthenem illius laudat, & in ſuſcepti Geographici gratiam operis altitudinem, latitudinemque polarem variorum mittit locorum, & Freteo Mousfortio chalybæum Aſtronomicum quadrantem confici curet exorat. 2.
Variorumque locorum indicat pedum, ulnarum, menſurarum differentiam, necnon longitudinem, atque latitudinem Civitatum compluriuм, Cometæ 1618. & Eclipſeon anni 1620. & 1621. obſervationem. 6.
SORBERIO. Amicitiam illius commendat, Præ̨ꝛeo inſtantias ſuas ad Carteſii Metaphyſicam non renuit. 137.
Inſtantias illaſmet edendas mittit. 144.
Curcellæi amorem magnifacit. 155.
De natura temporis rogatus diſſerit. 159.
Deque inani, ſeu vacuo in rerum natura poſſibili. 166.
Hobbæi librum de Cive gallicum reddat hortatur. 223.
Diſſertatiunculam ſuam de venis lacteis, circulatione ſanguinis, reſpiratione, & pulſu animalium gallicam editionem amice conqueritur. 250.
Ne Syntagmatis Epicuri notis abſque neceſſariis peccata viri indicantibus repurgata editionem ſuſtineat gallicam enixe rogat. 292.
Quod ſanctam Romanam Eccleſiam Matrem tandem agnoverit, & gratulatur, & gaudet de ſalute, quod agatur, pro cujus commutatione non tota cum auro ſuo Terra ſatis eſt, & defleт Valeſii Principis mortem inculpatos illius mores attendens. 294.
Illi commendatitias mittit litteras, illius de Pecqueti experimentis gratam habens epiſtolam. 297.
SUARESIO *Antiſtiti*. Quod Sorberium Deo, & Eccleſiæ quæſierit gratatur, grates referens. 295.

T

TENNEVRIO. Illius de acceleratione gravium decidentium commendat diſputationem. *pag.* 233.
Et alteram diſputationis partem publicam faciat hortatur. 238.
Illius de glorioſa Regum ſtirpe hiſtoricum opus ſe recepiſſe ſcribit. 278.
TONDUTO SANLEGERIO Longitudinem Pariſios inter, Avenionem, Diniam, & Aquas Sextias ex obſervationibus oſtendit. 58.
Obſervationem lunaris Eclipſeos anni 1634. communicat. 61.

V

VALESIO *Principi*. Illum de Cleri Gallicani Comitiis, deque Præſulibus, qui ſuas in partes tranſierint, quive adverſari, potiuſquam illi ſuffragari (ad agentiam puta Cleri) voluerint quædam monet. *pag.* 84.
Tanti in ſe Principis amorem demirans, illiusve litteras ſibi legenti ſubit Caroli IX. Francorum Regis optimi ad Ronſardum carmine ſcribentis Avi recordatio, itemque Epicuri ad Idomeneum

neum ſcribentis. Baillium, ac Derodonem commendat. 68.

Quod ad Graſſenſem Epiſcopum ſui in gratiam reſcripſerit, gratitudinis exceſſum prædicat, non verò Antiſtitem ſuum quietis impatientem. 87.

Deque Antiſtitibus partes ſuas tutantibus, turbantibusve, ac ſuo Ebrodunenſi Hugone Antagoniſta quædam prædicit, Carteſii ſimulque Metaphyſicam ſeſe examinaturum. 91.

De experimentis unà Maſſiliæ factis circa proportionem, qua gravia decidentia accelerantur; Aſtrologorum nugamentis æſtivos circa algores, hybernos, & æſtus, atque humanos eventus; natura rerum, & veritate, necnon de virtute vera philoſophatur. Studia cepta colat hortatur, genium ejus, ingeniumque laudans. Peireskii vitæ donat exemplar. Lotharingium Ducem prædicat, & extollit. Schickardi virtutem, quod in Tubingenſi obſidione fuerit reveritus, illius familiam militibus immunem faciens, intactamque jubens. 96.

Se Epicuri Apologiam meditari ſcribit, capita ejus præcipua ſi non unis litteris, ſaltem pluribus illi ſe miſſurum. 104.

Epicuri Vitæ capita ſcribere aggreditur, a Viri morte, ac moribus, & occaſione infamiæ quaſita. 105.

Exponit conſequenter ſpuriam Epicuro Religionem, gulam, ingratitudinem erga Præceptores, & ceteros Philoſophos maledicentiam, objecta; quod Monæci Principem Regis in partes deduxerit gratulatur. Paginam ut repleat cantanda, quæ amicus extorſerat in Natali Chriſti carmina mittit. 108.

Epicuro Venerem objectam ex Gregorio Nazianzeno, aliiſque purgat, itemque liberalium diſciplinarum odium etiam objectum. Doctrinam Viri exorditur ab ipſa ad Meneceum exhortatione verſibus illis Lucretii: *Suave mari magno, &c.* Philoſophiæ definitionem exponens. Paulum du May commendat. 112.

Philoſophiæ originem monſtrat, eos, qui ad Philoſophiam naſcantur, quive olim præter Græcos fuere philoſophati. 117.

Itemque varias Philoſophorum Sectas, Philoſophiæ partitionem, & Canonicam, ſeu Dialecticam, ſpeciatim Veterum. 119.

Atque ſyllogiſmos Stoicorum, cauſam cur Epicurus Dialecticam repudiarit ab Auguſtino, & aliis, cur Canones acceperit veritatis dijudicandæ; cur Stoici inventionem prætermiſerint. Qui ſint Scepticorum Epoches. Qui veritatis Criteria ponant, qui tollant. Quæ ipſamet Criteria, quive eorum Canones, Phyſicam doctrinam a definitione occipiens. 126.

Cujus methodum, ac ordinem aperit, deinde rerum naturam, inane, vacuum, & atomos. 138.

Illius in Provinciam reditum gratulatur. Exemplum mittit epiſtolæ de novem Stellis circa Jovem viſis ſuæ. 144.

De Provincialium moribus aliquid. 148.

Puero nobili Balnea Dinienſia recuperandæ ſanitati exoptat, ſomniumque ſuum narrat. 149.

Miſſorum quorundam librorum Galliæ primoribus offerendorum rationem reddit. 150.

De Provincialium moribus iterum aliquid, deque Groboſio, Eremove Camaldulenſium paternæ pietatis monimento. 151.

Illius ad Monecum gratulatur acceſſum, cujus arcis recordari jubet verſibus illis Virgilii: *Quantas acies, &c.* Valaveſium commendat, & Dinienſium Balneorum meminerit orat. 152.

Sententiam de lucido ſpectro Neuræo ſuam aperuiſſe reſpondet. 155.

Quid de Genio Bruti, & Socratis Dæmonio ſentiat enarrans. 156.

Lautaretium Medicum virium dictorum Balneorum experientia longa haud gnarum commendat. 159.

Quod tranquillitatem in Provincia ſtabilire ſtudeat, gratulatur, & litteras petit commendatitias. 161.

De anni tempeſtatibus. 163.

Ac Provincialium barbatie, & beata ſolitudine reſpondet. 165.

Exemplar ſuæ ad Carteſii Metaphyſicam diſquiſitionis mittit, & Guebriani mortem dicit. 167.

Rerum novarum facit participem hac, & ſequentibus, quando exoptare mandarit. Gravelinganæ obſidionis, &c. 170.

Exercitatiunculam illius prædicat, recordaturque Malherbii Henrici Engoliſmenſium ducis Propatrui, & Ronſardi Caroli IX. Regis Avi animi doteis enarrantium. Pueri nobilis conſolatur obitum; familias etiam prole beatiſſimas nunc evanidas exponens, quas inter Capetana illa quidem glorioſiſſima, cujus eſt ſurculus. 173.

Turnonii Comitis Conſobrini mortem conſolatur, & Conſobrinum alterum, Enguenium Ducem in armis potentem facit. 177.

Neutæum ſtudiorum ἀκροατὴν fidum experiatur gaudet, & ad amicorum mortem leviter ferendam hortatur. 180.

De Provincialibus Comitiis. 184.

Britanniæ Reginæ Pariſios acceſſu, ejusque Marito Rege incarcerato, & moribus Provincialium ſeditioſis aliquid. 186.

Vendelinum Maſſilienſibus dicandam Diatribam optare monet, rogatque illius urbis primores audiat. 189.

De Odaneutii carcere, viciſſitudine rerum, ac natura boni. 191.

Itemque rebus aliis novis. 194.

Lunari Eclipſi anni 1645. de Celſiſſimo Longavilla Duce Munſterum pro pace legato, & Capellano a ſecretis delecto. 195.

Rerum novarum participem reddit, & Magnates magnis luminaribus comparat; homines verò e vulgo Stellarum turbæ. 196.

Petitum Mathematicum commendat. 199.

De rebus novis. 200.

Quod illuſtrem Campinium, & fidum Acharen, & laborum ſocium experiatur gaudet. Illyricum Juvenem, qui ſclavonicum idioma calleat miſſurum promittit. Se profeſſionem Matheſeos regiam Cardinali Lugdunenſi, ceteris inſuper amicis compellentibus, ſe ultro accepiſſe narrat. Eclipſeos Solaris anni 1645. obſervationem communicat, & humiles caſas ſuas Dinienſes inviſere, quod ſuſtinuerit, bonaque Præpoſituræ, & amicorum Conſulibus urbis commendare grates ſummas agit. 202.

De Pſeudo prophetia, Nuptiis Reginæ Poloniæ, & Oratione inaugurali in Regio Pariſienſi Collegio a ſe babita. 211.

Exemplum mittit, cum Mellani manu effigie, & Capellani Ode in Enguenii laudem, atque alterius anni 1645. Eclipſeos obſervatione. 214.

De Hugone ſuo Antagoniſta in jus vocato, & lectionibus in Regio Collegio ceptis. 219.

Iconum mittit faſciculum, & Ugevinium juvenem Sclavonicum. De fortunæ inconſtantia, & Anglorum Rege ſpoliato Regno aliquid. 223.

Eleemoſynarium expetitum mittit. 224.

Mardikum captum, Enguenium læſum narrat. 227.

Dunkerkam captam, occupatum Portum-longum, Infantis Hiſpaniæ mortem. 230.

Res novas. 232.

Rerum viciſſitudinem, obſervationem Eclipſeos Lunæ anno 1647. 236.

Nuptias Electoris Brandenburgici, Condæi Principis obitum, cujus & cauſa illum conſolatur. 233.

Contyæi Principis in ſe affectum pro Romollarum Prioratu Bullam concedentis declarat, rogatque meritas illi rependat grates; beneficiolum quanquam non habuerit. 237.

Beneficioli jacturam ſe non plorare reſpondet, illud reponens: *Dei benignitatem exoſculor, non tam precor det vitam, det opes, quam animum parare æquum pergat; ſatis multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum*. Invaletudinem Campinii dolet. Valetudine firmata, ſuum in Provinciam reditum ſpondet. Inſtitutionis Aſtronomicæ mittit exemplum. Joſephi Galterii Valletæ Prioris luget obitum. 238.

Animarum recordationem commendat mortuorum. 249.

Et Guiſium Ducem in Neapolitana urbe extemplo potentem, inſtitutionem Semeſtris Curiæ Aquenſis demirans. 250.

Iperam captam, victoriam ab Enguenio Duce reportatam, Bruxellam Regium Conſiliarium incarceratum, necnon illius cauſa Pariſienſium turbulentam confuſionem, Merſenni Patris obitum enarrat, ſeque brevi Pariſiis diſceſſurum. 254.

Se Lugdunum appuliſſe, ſeque rectà Aquas-Sextias petiturum, quanquam & Cardinalis Archiepiſcopus Lugdunenſis, & Neuræus ſuave id non habeant. Taraſcone lecticam ſe haud tenuere ſcribit, qua Aquas-Sextias adveniet. Spinoſæ Conſulis mortem nunciat, & Neuræum commendat. 262.

Diniæ ſe febre corripi ſcribit. 264.

Se fore incolumem reſcribit. Cantorciolum natale commendat. Pauperes ne militibus obtuantur exorat, Provincialium turbulentam exponens confuſionem. Muſæoli concreditæ clavis Poteriæ ſuo indigeſta ut digerat, & Catalogum texat, reddit rationem, eorum etiam, quæ Tolonenſes in libertatem Conſobrinorum Principum egere. 265.

Se Muſæoli clavim Belmontio reliquiſſe monet. Catalogum mittit, reditum præſtolatur. 273.

De Provincialibus non ut ſe jactant metuendis, cum non leones erga lepores, ſed lepores potius erga leones ſint, & de Rege a Tutore libero aliquid. 276.

Se febri corripi nunciat, ejusque litteras ab Aquenſibus jus contra gentium interceptas, viſasque fuiſſe. 278.

Varii opus de conſtantia in adverſis commendat, & Lipſii de conſtantia alterum opus indicat. Luillerii Piſis in Hetruria plorat occubitum. 280.

Pariſios brevi ſe petiturum dicit. 282.

De rebus in Provincia novis. 283.

Longas Regis manus non miratur, nec leviter caſum ferat illum hortatur, ejus conſcientiam palleſcere culpa nulla valentem ſciens, contra verò cuſtodiæ illud Horatii dicturum poſſe: *Pone me nigris ubi nulla campis, &c.* 286.

Libertatem tamen gratulatur, & quod caput eſt ipſum bene valentem. 288.

Condæi Principis a Rege receſſum plorat, tanquam Patriæ hoſtem. De Solis ad nos acceſſu Aſtrologorum hariolationes ipſius ex Syderis natura ridet. Capellanum laudat. Se brevi Pariſios iturum dicit. 290.

VALLISIO. Solaris Eclipſeos anni 1654. obſervationem ob communicatam grates rependit, & in compenſationis partem, ſuam Solis, ac Lunæ mittit. 312.

VENDELINO. Obſervationem Eclipſeos Solaris anni 1621. & Parheliorum Romanorum delineationem communicat. 14.

Meridianam Solis altitudinem Maſſilienſem ipſo in Solſtitio captam. 80.

De ea iterum ſcribit. 144.

Lunares obſervandi methodum Eclipſes aliis cum obſervatis. 146.

Obſervationem Lunaris Eclipſeos anni 1643. de illius opuſculo, de Eclipſibus inquirit, & obſervationes differentes demiratur. 151.

Quadrilateri Pleiadum occultationem viſam communicat, ſeriem inſuper Dinienſium quorumdam Antiſtitum. 168.

Librum de Eclipſibus vulget exorat. 185.

De diametro Lunæ, & Phaſibus, deque illius Diatriba Maſſilienſibus dicanda. Valeſio Principi nunciata aliquid 190.

Obſervationem Eclipſeos Lunę anni 1645. communicat, ejuſdem errores in cyphris indicat. 195. 196.

Statuam Pytheæ Maſſiliæ repertam, necnon Eclipſeon anni 1646. obſervationes. 217.

Erycii Puteani obitum, quem & plorat. 229.

Illius libellum de pluvia purpurea Bruxellenſi commendat. 231.

Se Typographo publicum facere eundem gallicum, ut paucorum votis amicorum faceret ſatis non renuit 233.

Anni 1647. Lunaris Eclipſeos obſervationem mittit. 235.

Joſephi Galterii mortem renunciat, & Eclipſeos Lunæ obſervationem, ac Hevelii opus de Selenographia evulgari. 248.

Et Pariſios tandem ſeſe reducem. 391.

UGEVINIO. Amicitiam indeclinatam fore ſcribit. 210.

Seque Valeſio Principi commendaſſe, quod exoptet. 224.

Romæ ſtudiis vacantem gratulatur, ac ejus litteras ad Valeſium Principem, & Neuræum miſſurum ſe Pariſios ſpondet. 275.

WORMIO. Frommii plorat obitum, quæ de Keplero norit reſcribat petit, nec non Orationem Janſenii in Tychonis Brahei mortem vitæ ejus adjungatur. 292

Tychonis Brahei vitæ exemplaria mittit, ut & Retzio Tychonis agnato, Regi etiam ſi velit offerat. 295.

VOSSIO. Capita ſpecialia Epicuri Philoſophiæ ſe eum eo lubenter communicaturum reſpondet. 22.

EPISTOLARUM AD AUCTOREM

In Appendice contentarum

ELENCHUS.

B

BALDI. pag. 411.
BARDII. 404. 406. 408. 410. 420. 424. 481.
BERNEGGERI. 402.
BOCHARTI SARONII. 418.
BOCKLERI. 490.
BORNII. 442. 443. 450. 460. 461.
BOURDELOT. 302.
BULLIALDI. 378.

C

CAMPANELLÆ. pag. 376. 377.
CAPELLÆ. 482.
CARAMUELIS. 429. 432. 442. 448. 450.
CASSINI. 488.
CASTANEI. 485. 490. 495. 496.
CAZRÆI. 413.
CHRISTINÆ *Reyne de Suede*. 301.
CLARAMONTII. 394.
CONSTANTINI. 375. 378. 382. 387. 402.

D

DESCALES. pag. 485. 486.

E

EICHSTADII. pag. 481.

F

FABRI PYBRACII. pag. 361.
FROMMII. 479. 482.

G

GAFFARELLI. pag. 490. 499.
GAUTIERII. 421.
GEVARTII. 369.
GODELLI *Epiſcopi*. 465.
GOLII. 364. 365.
GROTII. 375.
GRUTERI. 391.

H

HEEREBOORDI. pag. 428. 444.
HEVELII. 427. 433. 447. 452. 465. 467. 468. 472. 481. 482. 489. 495.
HOBBES. 483.
HORTENSII. 377. 386. 390. 392. 396. 398. 399.

K

KIRCHERII. pag. 382. 393. 403. 412.

L

LANSII. pag. 389. 400.
LICETI. 404.
LINNEMANI. 436.

M

de la MARE. pag. 406. 408. 409. 411. 413. 417. 485.
MARESII PALUDANI. 483.
MARIDATI. 493.
du MAY. 405. 409. 412. 413.
MEIBOMII. 499.
MERSENNI. 396. 397.
MORISOTI. 483. 484.

N

NAUDÆI. pag. 303. 366. 371. 373. 383. 391.
NEURÆI. 425. 430. 448.

O

OUGEVIGNII. pag. 451. 455. 461. 463. 464. 484.

P

PATINI. pag. 497.
PAYENI. 406. 409. 443. 450. 451.
PETITI. 405.
du PIQUET. 302.
POISSONII. 398.
PORTNERI. 497.

A. PRA-

A. Pratæi. 442.
F. Pratæi. 493.
E. Puteani. 363.

R

Ravensbergii *pag.* 460.
Reeltzii. 498.
Reneri. 365. 369.
Riveti. 446.

S

Scheinerii. *pag.* 370. 376. 377. 382.
Schickardi. 388. 400.
A. M. Schurman. 446.
Snelli. 361. 363.
Sorberii. 413. 418. 421. 426. 431. 461. 469. 486. 488. 489.
Suaresii *Epiſcopi.* 489.

T

Tennevrii. *pag.* 465. 466. 467. 470. 484.
Tonduti San-Legerii. 385. 386. 389.

V

Valesii Principis, *complures a pag.* 305. *ad* 359.
Vallis. 493. 499.
Vendelini. 394. 418. 421. 423. 444. 455. 461. 462. 468. 470. 473. 474.
Vormii. 469. 479.

Digitized by Google

ELENCHUS
Locorum editionis Lugdunenſis, quæ in hac emendata ſunt.

EDIT. LUGDUNI.				EDIT. FLORENTIÆ.			
			In Argumentis Epiſtolarum.				
			gratator	gratulatur	*pag.* ix		
			facerec	facere	xi		
Ibid.			haud	ut	*Ibid.*		
Pag	*c.*	*v.*			*Pag.*	*c.*	*v.*
27	1	25	Τιμοκράτην	Τιμοκράτην	24	1	58
		51	Epicure	Epicoro		2	14
42	2	50	παραχέυσαν	παρεχέυσαν	37	1	25
55	2	50	niſi ſico, bſervatio	niſi ſit, obſervatio	49	1	51
	2	49	Maiias	Majas	50	1	4
57	2	25	negligentium	negligentiam	51	1	25
	2	60	caſu	caſa		2	51
58	1	33	perægre	peregre	52	1	20
62	1	63	inluſtris	illuſtris	55	2	65
65	1	47	exiſtimen	exiſtimem	56	2	26
81	2	65	anno DC.XXIV.	anno M.DC.XXXV.	72	1	*ult.*
84	1	30	pefunctus	perfunctus	75	1	1
88	2	42	caliganem	caliginem	79	1	1
90	1	8	perctam	peractam	80	1	11
		12	ὁ μακαρίνης	ὁ μακαρίτης			14
92	2	44	ſcipelloque	ſcalpelloque	82	1	25
94	1	44	Pireshii	Peireshii	85	2	48
	2	42	corruſcanteis	coruſcanteis	84	1	38
97	1	3	αἴκαζε	εἴκαζε	86	1	29
	2	12	aggreſtis	agreſtis		2	52
		25	operæ prerium	operæ pretium			45
98	1	54	ἡμεράν	ἡμέρα	87	2	1
		antep	ἐπι	ἐπὶ			5
115	2	44	uunciare	nunciare	102	2	42
120	1	19	ſectatoreſqoe	ſectatoreſque	106	2	28
123	2	8	ſolesr	ſoleat	109	2	3
128	2	59	ſalice	ſalve	114	1	11
130	1	55	σαφήνειαν	σαφήνεια	115	1	52
	2	48	hedomadas	hebdomadas		2	59
131	1	19	impræſētiarum	in præſētiarum	116	1	24
	2	38	eloboraudum	elaborandum		2	33
136	2	5	aut	ut	120	2	59
142	1	9	τῦ αληθως	τῦ ἀληθῦ	125	2	48
156	1	27	παρ ημιν	παρ' ἡμῖν	138	1	42
	2	62	per exi exiguā	per exiguam		2	*pen*
171	2	15	remotione	remotiore	152	1	4
174	1	18	bracchio	brachio	154	2	52
182	2	58	ſalanegrophiā	ſelenographiam	162	2	49
199	1	14	eaprimet	exprimeret	177	1	18
205	1	5	ſcap.llo	ſcalpello	182	2	50
	1	39	Campellam	Campanellam		2	65
207	1	59	in accipiti	in ancipiti	184	2	53
215	2	54	è Terra	e Terra	192	2	14
225	1	50	ille	illi	199	1	*antep*
218	2	11	Oxoniro	Oxonio	204	1	47
235	1	24	hæie	heic	208	1	61
234	2	53	Pariis	Pariſiis	209	2	*pen*
241	2	37	temperate	temperare	246	2	26 27
276	2	9	queſcumque	qooſcumque	247	1	62
279	1	5	ipſe	ipſa	249	2	27
280	2	22	DC.XLVII.	M.DC.LXII.	251	1	26
282	1	12	ſartum tecum	ſartum tectum	252	1	64
	2	2	DC.XLVIII.	M.DC.XLVIII.		2	47
284	1	21	quæ piam	quæpiam	254	1	59

EDIT. LUGDUNI.				EDIT. FLORENTIÆ.			
Pag.	*c.*	*v.*			*Pag.*	*c.*	*v.*
302	2	60	liberate	libertate	271	1	19 20
315	1	13	Princpum	Principum	282	1	12
322	2	44	ur	ut	289	1	44
324	2	26	caritate	charitate	290	2	15
325	1	58	Acherunte	Acheronte	291	2	28
326	1	2	fit	ſit	292	1	39
		55	nolirentur	molirentur	292	2	29
341	2	57	quæri	queri	308	2	46
356	2	40	paret	patet	324	1	47
358	2	35	cquitationi	equitationi	326	2	10
367	2	10	venatiune	veneratione	335	2	33
369	1	54	amiſſimus	amiſimus	337	2	26
381	1	55	ſalſa	ſalſa	349	2	43
384	1	17	mumenti	moventi	352	2	48
		57	ceſſabuut	ceſſabunt	353	1	34
385	2	25	neſci	neſcio	354	2	14
387	2	17	tauet	tenet	356	2	9
388	1	28	ſaſcibus	facibus	357	1	18
389	2	*ult.*	expugnata	expugnatum	358	2	51
390	1	15	obſidioneeingūt	obſidione cingūt	359	1	8
393	1	22	longitudini	longitudinis	56	2	*pen*
394	2	1	præterea illud Φιλον τε ὐδενα κτήσεσται, neglecta Caſauboni, ingenioſe & verè in Φίλον τε ὐδένα κτησεσαι, neglecta Caſauboni opinione. Ingenioſe, & verè in Φιλον τ̃ δῆνα commutati	præterea illud Φιλ ν τε ὐδενα κτήσεσται, neglecta Caſauboni opinione, ingenioſe, & verè in Φιλον τὸν δῆνα commutaſti	564	1	45
396	2	19	per periſti	peperiſti	366	1	27
		50	qnidem	quidem		1	55
398	1	58	ſuaniſſime	ſuaviſſime	367	2	53
		65	accerrimum	acerrimum			38
		65	ille	illi			40
	2	5	ſofficiunt	ſufficiuot			47
		57	ſiccarios	ſicarios	368	1	24
	2	55	Aguuſti	Auguſti	350	1	*pen*
400	2	7	oportunitate	opportunitate	369	2	20
		25	hnmaniſſimis	humaniſſimis			53
		24	quod quidem minus	quod quidem muous	369	2	53
402	1	51	divinxiſti	devinxiſti	371	1	23
404	1	17	omues	omnes	372	2	47
	2	58	præcedete	præcedere	375	2	10
405	2	28	Rhetoririces	Rhetorices	374	1	52 33
		35	proprius	propius		1	59
406	1	17	Biblipolis	Bibliopolis		2	15
	2	18	qua	quas	375	1	9
	2	48	ſpercbam	ſperabam			36
407	2	22	Catbedas	Cathedras	376	1	7
408	2	55	Societare	Societatis	377	1	52
409	2	26	diſertatione	diſſertatione		2	59
411	1	51	vacuerit	vacaverit	378	1	56
413	2	13	horlogium	horologium	381	1	15
414	1	2	exactiones	exactores		2	63

noxiam

EDIT. LUGDUNI. Pag.	c.	v.		EDIT. FLORENTIÆ.	Pag.	c.	v.
414	2	18	noxiam	noxam	382	2	17
		28	re	te			27
415	2	52	fœnum	fœnum	383	2	36
416	1	58	ſuccereſcente	ſuccreſcente	384	1	31
	2	20	anpecti	amplecti			60
417	1	57	ſtudiſſimus	ſtudioſiſſimus	385	1	15
	2	8	acuratas	accuratas			33
		49	metui tuæque	me tui, tuæque		2	7
418	2	37	illatis	illotis	386	1	53
		62	obſetuaris	obſervaris		2	6
420	2	30	invante	juvante	388	1	31
421	2	1	uigem	urgent		2	63
424	2	17	ſetio	ſerio	391	8	40
425	1	42	deſtinam	deſiſtam	392	1	56
426	2	19	impiat	incipiat	393	2	27
		ult	agrtur	agitur			ult.
428	1	68	lapidæum	lapideum	395	1	62
419	1	19	afficiat	afficiar	396	1	12
		55	miſi	mihi			46
	2	16	1735	1635.		2	4
430	1	17	metu	motu	397	1	5
	2	21	ventua	ventus		2	7
435	1	55	Philoſopi	Philoſophi	402	1	38
436	1	2	tardiari	tardiari		2	44
		30	opoitunior	opportunior	403	1	6
		39	annis	anni			15
		44	promptitudine	promptitudini			19
437	1	41	multaque	multaque		2	64
438	2	36	librobiorum	librorum	405	1	33
439	1	13	amiciæ	amicitiæ		2	4
		ult	hic	hic			49
	2	31	de	do	406	1	23
440	1	12	huncce	hunce			60
443	2	52 53	tanpere	tantopere	409	2	pen
		60	ingenui	ingenii	410	1	6
447	1	13 16	menziotionem	mentionem	412	2	32
		16	fuir	fuit			33
	2	26	literiam	litterariam	413	1	38
		31	audat	addat			42
448	2	37	deſcendo	deſcendendo	414	1	49
449	2	38	procere	procedere	415	1	33
452	2	46	abnuit	abnui	417	2	pen
455	1	ult	impertite	impertire	420	1	32
457	1	24	cæum	ceterum	421	2	1
		63	exhibeberet	exhiberet			37
460	2	57	interventetit	intervenerit	424	2	37
461	2	ult	anhenis	ahenis	425	2	31
Ibid.			uai	ubi	Ibid.		
463	1	12	ignoſcet	ignoſcat	428	2	7
		ult	mutuas	metuas			54
	2	4	prelo	prælo			59
466	1	8	faltear	fatear	429	1	47
		16	Phiſophia	Philoſophia			60
		23	accutiſſimis	acutiſſimis			65
		54	ſcriptizo	ſcriptito		2	23
467	1	25	condemnatus	condemnatas	430	1	39
	2	34	peſpicacium	perſpicacium		2	29
469	2	16	effectu	affectu	432	1	33
471	1	8	ſi	ſi	433	1	62
	2	14	alterum	alteram		2	61
474	1	38	ſubruffo	ſubrufo	436	2	5
	2	8	ruffua	rufus			11
		14	ceterũ cum Luna eſſet adhuc aliquos gradus eſſet ſupra Horizontem	ceterũ cum Luna eſſet adhuc aliquot gradus ſupra Horizontem			18
		34	Aquilæ	Aquila			36
475	2	pen	faculeis	facultatis	438	1	11

EDIT. LUGDUNI. Pag.	c.	v.		EDIT. FLORENTIÆ.	Pag.	c.	v.
476	1	12	uon	non			23
		pen	n hie	nihil		2	4
	2	17	merito	merito			21
477	1	33	pſilbum	plumbum	439	1	38
478	2	40 41	cohærem	cohærent	440	2	37
		51	viderl	videri	440	2	47
480	1	39	cereberrimo	celeberrimo	442	1	27
481	1	11	iem	jam	443	2	21
		12	Per ſiis	Pariſiis			22
		22	exaquar	exequar			38
483	1	8	præciſſime	præciſſime	444	2	21
484	1	49	propriores	propiores.	445	2	47
		pen	nominem	neminem			64
485	1	34	Videris præterea tibi præterea tibi perſuadere	Videris præterea tibi perſuadere	447	2	20
485	2	15	ſelonographicæ	ſelenographicæ	447	1	2 3
		16 17	quoium	quorum			3
488	2	27	inezementa	incrementa	449	2	37 38
494	1	39	exclumatur	exclamatur	456	1	36
498	1	15	ſemidiametras	ſemidiametros	459	2	57
		17	nimimum	minimum			59
	1	pen.	appendize	appendice	460	1	28
	2	1	ad ad F. Licetũ	ad F. Licetum			30
499	1	51	per præmium	par præmium	461	1	9
500	2	5	attitudine	altitudine	462	1	17
502	1	55	æteinun	æternum	463	2	39
503	2	33 34	exeratas	exaratas	464	2	56
504	1	ult	neſſario	neceſſario	465	2	19
507	1	41	obſerziones	obſervationes	468	1	28
510	1	2	Parienſis	Pariſienſis	470	2	34
511	1	49	Viros	Viros	471	2	67
	2	31	æſlinum	æſtivum	472	1	46
512	1	30	preiio	pretio		2	44
		37	loquatis	loquaris			50
	2	12	confirmatum	confirmatum	473	1	24
		54	relquiat	reliquias		2	30 31
514	1	ult.	foio	folio	475	1	antep
516	2	1	minuſculum	munuſculum	467	1	66
519	1	21	ſeb	ſed	480	1	4
	2	42	rranſmiſſurus	tranſmiſſurus		2	16
		48	oblectatiouem	oblectationem			20 21
520	1	51	Philoſophio	Philoſopho	481	1	16
	2	17	vale terum	vale iterum			43
		39	amplimo	ampliſsimo	481	2	18
522	1	41	reinm	rerum	483	1	17
		44	porcſt	poteſt			20
523	2	pen.	zihi	tibi	484	2	25
524	1	32	clapſu	clapſa			ult.
525	2	36	menlem	mentem	486	1	42
530	1	2	omnta	omnia	490	1	6
		2	aga	agat			6
531	1	33	aliquam	aliquem	491	1	22
	2	38	reſituuum	reſtitutus		2	7
532	2	3	rrea	tres	492	1	35
		6	uninerſa	univerſa			38
		16	maltis	multis			47
532	2	48	ut ot ita dican	ut ita dicam	492	2	5
533	2	39	cantori	candori	493	1	48
535	1	5	prnpriæ	propriæ	494	1	ult.
	2	10	cperem	ſperem		2	67
538	1	61	Vir clariſsimis	Vir clariſsimus	497	1	ult.
539	2	34	magnetiudinis	magnitudinis	498	2	29
540	2	27	quæ	quos	499	2	24

PETRI

PETRI GASSENDI EPISTOLÆ,

In unum redactæ corpus operâ Antonii Poteriæ Sameraci, ejus Amanuenſis.

Viro illuſtri Henrico Fabro Pybracio, Tarabellio, Regi a Conſiliis, & libellorum ſupplicum Magiſtro,

PETRUS GASSENDUS S.

REDDITÆ ſunt mihi tuæ litteræ, Illuſtriſſime Faber, cum ego te Provinciæ noſtræ maluiſſem redditum. Certe enim litteras tuas maxima ſum animi cum alacritate complexus. Deû verò immortalem! quænam illa animi mei futura erat ecſtaſis, ſi te ipſum complecti licuiſſet? Verum ſic fata tulere; neque tam tibi pro injuria, quam nullam pati Sapiens poteſt, expoſtulandum acrius fuit, quam dolendum vehementius nobis, quod te nobis caduceatorem Jupiter inviderit. Tanto certe extitiſſe videtur jactura gravior, quanto, quæ fuerat plurium in te exoptando conſenſio, fuit deinceps in te tantis votis detractato conſternatio. Ego, ut ingenue fatear, polliceri mihi videbar Imperatoris Marci ſæculum, feliceme que fore ſperabam hanc Provinciam, cujus Præſes philoſopharetur; ex quo verò Muſis noſtris ſuus Apollo ſubductus eſt, ipſa nobis propemodum, niſi fuiſſet paulo animoſior, Philoſophia excidiſſet. Erexi nempe animum, imitatus conſtantiam tuam, puderéque me imbecillitatis meæ cepit, ſi te, cujus intererat, tonitrua rauca calcante, ego ſub nimbis deprimerer. Egregie ſane, ac prout animum tuum ſublimem decebat, compoſitus es, qui adeo laudabilem ataraxiam retinuiſti; mihi verò parcendum fuit, tanquam affectanti, nondum aſſequuto imperturbatam illam ſapientis animi magnitudinem. Quanquam enim ſic me ſemper, ut videbatur, haberem, poſt diſceſſum tuum, cæcum prorſus eſſe fortunæ imperium, & in hac præſertim tanta caligine rerum, illud eſſe magis timendum, quod ſperandum minus eſt; nondum tamen animo eram ita pyrrhoneo, quin affectus in alteram partem aſſenſum prope inflecteret. Hæc ſcilicet una mihi ἐμπειρία deerat, quominus poſſem æmulus Sexti Empyrici videri. Hinc ſtudebam quidem antea; in dies verò magis nunc ſtudeo vivere omnino in diem, neque unquam agere mecum obſignatis tabulis. Quid expediat committo Divis; quod ſupereſt, genium meum perpetuo ſequor non invitus. Verebar antea id, quod evenit; nec poſtquam evenit, evincere potui, quin memetipſe commoverim. Nunc parum abeſt, quin me pigeat votorum meorum, quoties mente repeto mecum, & vota tuorum meis fuiſſe contraria, & propter hunc rerum ſtatum, quod meritis tuis debebatur, glorioſum fuiſſe non aſſequi; & forſan te majora manere feliciore ſæculo; & quod caput eſt, fuiſſe forte ſatius exoptare tibi tranquillum illum ſeceſſum, quem Avus quondam tuus illuſtriſſimus extrema jam ætate delegit, & ſapientiſſimus Parens tuus ita ardenter expetiit. Abſit ergo amplius ſollicite quæram, quem tibi, quem mihi Dii dederint finem. Expendant ipſi quid nobis conveniat, rebusque noſtris utile ſit; fortaſſis enim pro jucundis optatiſſima quæque concedent. Sed hæc hactenus. Quod dignatus fueris mei meminiſſe, amoriſque in me tui tantis viarum intervallis ſymbolum illud tranſmittere [Chriſtianos Charronii, quos me nondum vidiſſe ſciebas, tractatus intelligo] dici profecto non poteſt, quo in pretio habuerim; ſed nimirum ea eſt humanitas tua, is ſingularis in litteras, litterarumque cultores amor. Ceterum opuſcula illa avide ſatis devoravi; neque enim male divinaſti placere mihi Auctoris illius genium, & ingenium. Quanquam, ut quod ſentio, libere apud te profitear, cum omnia valde placeant, nihil tamen

Digitized by Google

æque arridet, ac ipſa ſapientia, quam ille eſt in præfatione teſtatus, ſtudiis ſuis impoſuiſſe coronidem. Pulchre porrò me admonet Auctorem hunc mecum in ſolitudinem ducam; eſt enim Philoſophia paucis contenta judicibus, multitudinemque conſulto devitat. Charronio verò quis ſanior judex? ſi præſertim aſſederint illi, quorum ipſe operâ profecit, Montanus, Lipſius, Seneca, Plutarchus, M. Tullius. Hos ſane, & paucos alios ipſi comites adhibeo; paucos inquam, nam tales auctores apparent mihi admodum rari in tam vaſto gurgite. His ubi nonnunquam ſubſtituo Lucretium, Horatium, Juvenalem; ubi Lucianum, aut Eraſmum; Deum immortalem! quam meræ me chimeræ delectant! quam ſuave duco, ventis luctantibus æquora, magnos aliorum labores ſpectare ex littore! quam contemplor, ac rideo perſonatam hiſtrioniam, quam univerſus exercet Mundus! quam providere mihi videor aucupia, quæ ſubindicas! neque enim ita ſum hiſtoriæ præſertim gallicæ ignarus, quin fata præſentiam, in quæ vergunt omnia. Nihil eſt neceſſe illa explicare; nullo heic opus Heleno; ſed Dii fortaſſis meliora. Scribis iſtheic Philoſophos, & Mathematicos eſſe, quibus magis curæ ſint Sol, & Luna Chymicorum, quam Aſtrologorum, quique defectus alios non obſervent, ac timeant, quam qui contingunt in marſupiis. Proh Deûm, atque hominum fidem! Siccine ſunt curvæ animæ in terras, inanesque rerum cœleſtium? Sperabam fore quicum communicarem, & a quo viciſſim nonnullas obſervationes acciperem. Lunares aliquot eclipſeis accurate obſervatas, illam præſertim, cui tu obſervandæ coram adeſſe dignatus es, perſcribere decreveram, atque ſimul præmonere futuri Majo ſequenti Solaris deliquii. Illud enim, ſi Cœlum faveat, ſtudioſe obſervare mihi in animo eſt, cum præſertim in hoc horizonte Sol non ſit deinceps paſſurus eclipſim per novennium integrum. Verum cum me hac in parte mea feſellerit ſpes, ſequar non invitus conſilium tuum. Philoſophabor nimirum cum iis, qui meliore ſæculo vixerunt, & quorum mentibus eſt aurum infuſum, non auri cupiditas. Sed & interea jucundiſſima Joſephi Galterii, Valetæ Domini, ac Prioris familiaritate fruor, quem priſcis illis Philoſophis, atque Mathematicis haud ſane inferiorem putem. Utinamque adeſſet mihi Platonis ingenium, ita me Deus adjuvet, ut præterea Socratis genium in illo agnoſco. Meminiſſe te opinor, quiſnam ille ſit; is a me ſuo nomine petiit te ſalutari, & illius igitur, & meo te ſaluto nomine. Bene, immo optime vale, mi Faber, meque eo, quo me ſoles proſequi amore, amare proſequere. Datum Aquis-Sextiis VI. Idus Aprileis, anno ſalutis, M. DC. XXI.

POST-SCRIPTUM.

QUonam fato contigiſſe dicam, Faber Illuſtriſſime, ut litteræ iſtæ, quas quo vides tempore ſcriptas, perferendas ad te dederam, poſt menſem potuerint in meas recidere manus? Qui ſcilicet eas deferebat Gratianopoli, rediit aliquot dies ibi commoratus. Parum certe abſuit, ipſis mihi redditis, quin fortunam ceperim meam incuſare, quod videri tibi poſſem immemor officii, obſervantiæque debitæ; quaſi jucundam recordationem nominis tui pleno affectu parum gratus non colerem. Ipſas ubi aperui, ac lacrymis pæne obortis [quis credat!] perlegi, volui nihil immutando iſtam dumtaxat excuſationem, ut appendicem ſubjungere; quam ut ſane ingenua eſt, ita ingenue accipies. Ceterum ſolarem eclipſim, cujus mentionem faciebam Cœlo bene propitio, licuit accurate prorſus obſervare beneficio perſpicillorum, quibus vidiſti aliàs a nobis notari Solis maculas. Contigit nobis illius initium die Maii 21. horâ mat. 7. min. 6. ſec. 30. finis, hora 9. min 31. ſec. 30. ac medium proinde, hora 8. m. 19. digiti ecliptici maximæ obſcurationis fuere 9. cum min. 23. Hæc ad te ſcribo, quoniam te cœleſtium rerum novi eſſe cupidum. Studioſius porrò ſingula, quæ obſervavi ſubnotarem, ſi quis iſtheic ex profeſſo ſtudia iſta coleret. Audieris opinor, quemadmodum Patres Societ. Jeſu hanc in urbem admiſſi ſint. Quo tempore iſta ſcribo, Viri Conſules de forma contractus deliberant. Ego ne anno ſequente curſum abſoluturus ſim, quem media tantum ex parte confeci, nondum plene ſcio. Ut ut ſit futurum, prius, quam me in Eccleſiam, monteiſque meos recipiam, in votis habeo viſere univerſam Italiam.; utinamque Germania ſic foret pacata tunc temporis, ut magnos, qui in illa ſunt, Viros poſſem quoque inviſere. Si interea litteras poſſem ad Keplerum dare, quod aliàs [ſi rite recordor] facile pollicebare per Imperatoris Nuncium, perlubenter id facerem. Vereor tamen, ne hoc incommodo foret, quare non auſim prorſus tibi moleſtus eſſe hac in re. Ceterum Paradoxa mea redigo hoc anno in quandam conſonantiam, Logica plurima Phyſicis prætexo, Ethica, atque Metaphyſica ſubjungam, ſi toto, quo cepi curriculo, colligere juvet pulverem philoſophicum. Non diſſimulo amplius errores, contradictiones, tautologias, & quæ extra rem, dicta ſcatent apud Ariſtotelem. Communeis jam opiniones audentius convello. Temere ne, an veritatis affectu id faciam, judicabis ipſe aliquando. Jubebo uni ex meis Auditoribus dictata exſcribere, quæ deinde communicem tecum. Te videlicet nugis meis delectari commemini. Sed eheu! quorſum hæc omnia, aut quænam jam iſta eſt appendix. Vale, Faber nobiliſſime, atque ſapientiſſime, vale iterum, ac iterum vale. Aquis-Sextiis XV. Id. Jun.

Celebri Viro Willebrordo Snellio, eximio Mathematico in Academia Leydenſi,

PETRUS GASSENDUS S.

MIrabere, Snelli, ut opinor, cum videris te hac Epiſtola interpellari ab homine, qui tibi ſit facie, nomineque incognitus. Non hæreo tamen, quin pro tua ſingulari humanitate æqui, bonique conſulas, quod ego bonis artibus, litteriſque initiatus, tam inſignem illarum myſten, quantus ipſe es, hoc obſervantiæ teſtimonio proſequi affectaverim. Scito enim ex quo tempore eruditus ille tuus, ac elaboratus Eratoſthenes in meas primum incidit manus, tanto me tui amore, ac deſiderio exarſiſſe, ut nihil in votis habuerim potius, quam vel te inviſere, vel certe hunc tibi meum affectum ſignificare. Etenim cum tacito quodam naturæ faſtidio umbraticos iſtos eruditos, quibus civitates ſcaturiunt, magnifacere non poſſim, quod veritatem, & ſcientiam rerum venentur dumtaxat ex libris, res ipſas prorſus negligant; dici profecto aliunde non poteſt, quanta veneratione ſimul,

ac be-

Digitized by Google

ac benevolentia paucos illos apud me complectar, qui pedem interdum ducentes ex Muſæolis, ipſam naturæ majeſtatem aperta facie contemplantur. Eam ob rem, cum tu ad aſſiduam librorum evolutionem, ex qua, ut Stagirites ille, Anagnoſtes dici promereris, accedere volueris exquiſitas rerum cœleſtium, terrenarumque obſervationes, quas ipſemet admiranda quadam ſolertia peregeris; profectò mirum videri non debet, ſi ego te propterea ſuſpiciens, tantam de te opinionem, tantumque ſimul erga te ſtudium, amoremque conceperim. Ceterum quis ego ſim, aut obinam gentium degam, declarandum tibi potius duxi ex libelli titulo, cujus ad te exemplar tranſmitto, quam ex moleſta periphraſi. Quanquam enim munuſculum hoc per hæc intervalla viarum exhibeo, non ut in ipſo characteres legas, ſed ut affectum in te meum, ac obſervantiam inſpicias; deligendum tamen hoc, & offerendum cenſui, quod exinde lubens perviſurus eſſes accuratam unius loci, non omnino incelebris [quod mihi domicilium eſt] ſub Cœlo deſignationem. Siquidem ex ſtrenuo labore, ac nunquam ſatis laudato ſtudio, quo exactiſſime conſtituendæ Geographiæ navas operam, conjectari facile licet, quam accipias volens accurate obſervatas locorum latitudines, ac ipſas etiam, ſi fieri poſſit, longitudinum differentias. Vidi in hac civitate veſtratem Petrum Bertium, qui de re geographica ob ſuos illos immenſos labores optime quidem in dies meretur; attamen verò, qui defectu exactarum obſervationum, tot admiſſos in Geographiam lapſus minime valeat corrigere. Communicavi ergo cum ipſo obſervatam illam a me Diniæ latitudinem, altitudinemque polarem 44. grad. 6. min. ſimulque, & Aquarum Sextiarum 43. grad. 33. min. & Gratianopoleos 45. grad. 15. min. ut ex locis hujuſmodi ad parallelos debitos reductis, circumſtantia quoque ad veriorem ſub Cœlo ſitum redigeret. Hæc mihi porrò non omnino fortuito exciderunt; quippe tibi etiam inſinuanda cenſui, quod certo certius habuerim, non poſſe tibi quidpiam ejuſmodi eſſe injucundum. Tametſi verò, tam illam Aquenſem, quam Gratianopolitanam latitudinem ipſe præſens obſervavi; nolim tamen gloriam hanc duobus amicis meis invidere, quorum alter Joſephus Galterius Aquis-Sextiis; alter Jacobus Valeſius Gratianopoli mecum obſervavit. Quod memoro, ut illi Aquenſem, huic Gratianopolitanam attribuas, Dinienſemque ſolam, ut a me ſolo obſervatam, mihi reſerves, ſi quando forte dignabere Elenchum tuum his locis augere. Sunt quidem penes me plures obſervationes multigenæ; at quibus opus non eſt in præſentiarum te onerare. Si rem gratam me tibi facturum aliquando cognovero, ſcito fore ut de omnibus tecum agam non invitus. Permiſi nunc ſolum iſta properanti irrepere calamo, ne vacuis prorſus manibus acceſſum ad te affectarem.

Supereſt, ut in poſterum amicitiæ jure tecum utar; ac proinde, ut tu mihi quidpiam abs te poſtulandi licentiam non abnuas. Sane quidem erit, quod mirere, me adeo eſſe perfricta fronte, ut in ipſo ſtatim amicitiæ tuæ, quam ineo, limine, ſtudium tuum, ac operam minime verear deſiderare. Enim-verò non ambigo, quin is ſit candor animi tui, ut exinde potius intelligas, quam meus ſit ingenuus amor. Certe is ſum, qui initio ſtatim me totum amicis devoveam, nihil omnino recuſaturus, quodcumque illi exegerint; quamobrem etiam ipſos in me affectu haud abſimili propendere facile confido. Ac tu quidem vel ex eo colligere putes, quam ego agam ſimpliciter, quod tuam ecce benevolentiam conciliare mihi ſtudeam, non ex officio, quod tibi præſtem, ſed ex eo, quod velim mihi præſtari abs te. Quodnam verò tandem iſtud eſt? Noſſe te primum deſidero, Snelli, me cum appuliſſem in hanc civitatem, exiſtimaviſſe fore ut cœleſtium obſervatores non paucos heic aſſequerer. Verumtamen ſpe lactatus inani, brevì deprehendi, proh dolor! Sidera heic alia, quam Chymicorum nulla obſervari. Cumque bene multi forent immorientes Aſtrologi, comperi tamen neminem, qui aſtris ipſis invigilaret. Ita rariſſimi apparent in tam vaſto gurgite, qui philoſophandum cenſeant ἐξ ἀυτοψίας potius, quam ex præſcriptis philoſophantium. Conatus ergo erigere, addereque animos quibuſdam hominum noſtrorum, ut animas cœleſtium inaneis, depreſſoſque in terram vultus ad ſidera tollerent, unum inveni ex tot millibus, qui ſit ſeſe ad id muneris egregie paſſus animari. Is eſt Petrus Fretrus Monsfortius illuſtris primi Præſidis in Delphinali Senatu filius, & in magno Regis conſilio conſiliarius benemeritus, qui præter doteis ceteras eximias, Matheſeos per quam ſtudioſus eſt. Cum ipſi ergo nihil aliud deeſſet ad obſervandum cœleſtia, quorum amore capiebatur, quam exquiſitum aliquod, ſatiſque amplum organon [minutiora enim, quæ habebat demonſtrationi quidem idonea, at exactæ operationi inutilia eſſe facile pervidit] cumque aliunde in hac civitate non adeſſent artifices, qui accurata illa præciſione, quam noſti eſſe neceſſariam, poſſent illud conficere, auctor ipſi fui, ut & quadrantem chalybeum, cujus radius eſſet duorum ſaltem pedum pariſienſium, præter omnia ſibi compararet; & curaret eundem in Batavia elaborari, ac perfici. Nihil cunctatus eſt, ſed conceſſuro ad dominum ſuum Regis Chriſtianiſſimi apud veſtros Ordines illuſtriſſimos Nuncium Secretario Carolo Botardo, juveni induſtrio, atque erudito; ſtatim conficiendi hujus inſtrumenti curam, ac ſtudium demandavit. Cum petiiſſet porrò ex me deſcriptionem totius quadrantis, cui artifex ſeſe conformaret; ſubiit illico in mentem, tale fere tibi adeſſe, qualem animo voluerem. Et ohe! inquam, ſi Snellius noſter dignaretur vocare ad ſe artificem peritiſſimum, cui totius inſtrumenti formam, rationemque præſcriberet, quam hoc foret tutius!

Quod igitur, uno verbo, rogaris, hoc eſt, ut prædictæ laterum quadrantis longitudini addatur ex tuo præſcripto latitudo, & craſſities, ſimulque arcui capacitas tanta, quanta per lineas tranſverſaleis ſingulis minutis capiendis ſufficiat. Deinde etiam forma alhidadæ, pinnacidiorum, ac cylindrulorum alterius in centro ad magnas, alterius in latere ad exileis diſtantias capiendas, & ſic quidem ut omnia ſummovere liceat [dum nihil obſit] ex quadrantis facie, cum altitudinibus capiendis plumbo uti vacaverit. Poſtremo ipſa quoque forma genu fulcri, ſeu pedeſtrali; ad hoc ut quadrans facile obtineat motum, ac ſitum quemlibet. Quæ quidem omnia exiſtimo, artificem facile vel ex ſola tui inſpectione intellecturum. Non dubito verò, quin tantiſper vacet applicare huc animum; ſic te bonis hiſce artibus promovendis deditum conjicio. Et profecto, ſi vacaverit, devinxeris tibi omnino prædictum Monsfortium, hominem ſane optime merentem, quidquid in ipſo ſpectaveris; frueris

quoque ipſe aliqoandu fructibus, quos ille ex tua cura percipiet; ſiquidem quidquid obſervaverit, tibi acceptum referet, tecumque ſimul communicabit. Ego etiam me tibi permoltum ex hoc capite debere fatebor, ſi importune recum agenti morem aliquem geſſeris. Utinam verò obſequium exigeres ipſe ex me aliquod; ita me Deus adjuvet, ut me ad nutum experireris. Reditum apparo in patriam, quò me negotia revocant. Tu ſi quidpiam bona mea forte ex me fortaſſis deſideres, committere jam dicto Butardu Secretario poteris, qui mihi per eundem Monsfortium ſtudioſe id ſignificabit. Bene interea vale, Snelli, meque tui ſtudioſiſſimum, ac obſervantiſſimom ama. Pariſiis xv. Kal. Mart. ſtylo Greg. & anno vulg. M. DC. XXV.

Viro incomparabili Galilæo Galilæi, Magni Hetruriæ Ducis eximio Mathematico.

PETRUS GASSENDUS, S.

QUod ego te hac epiſtola jam tandem conveniam [humaniſſime Galilæe] cauſa tum recens, tum antiqua eſt. Mihi certe nihil eſt antiquius, quam colere ſummam ſapientiam, ac eruditionem tuam. Ex quo enim tempore tuus ille cœleſtium interpres tam incognita generi humano patefecit myſteria, dici non poteſt, quo tacitu cultu memet tibi devoverim. At verò cum mihi nuper cariſſimus tibi, mihique Deodatus candorem illum expoſuiſſet, quu eum amicis agere ſoles, diſpeream, niſi ad ineundam tecom non levem amicitiam illico inflammatus ſum. Et ſi enim tibi abs me, tum ætate, tum doctrina, tum aliis multis nominibus inferiore nihil aliud, quam obſervantiam ſingularem polliceri liceat; abs te verò nihil aliud, quam ingenitam erga bonus, ſtudioſosque propenſionem exigere; facile tamen mihi perſuaſi, fore ut mihi non poſtremum amicitiæ tuæ concederes gradum, cum me obſervantiſſimum tuæ virtutis eſſe agnoſceres. Stupebis quidem, & merito, cum hominem incognitum tantâ fiduciâ ſe adorientem conſiderare ceperis; at hîc appello nativam illam animi tui ſinceritatem; appello Uraniæ amorem, qui te deduxit, & fama natum ſuper Æthera reddidit; appello Deodati noſtri, qui fuit ingenuæ meæ ſimplicitatis ſpectator, teſtimonium; appello tandem Superos omneis, ſi ita fari liceat, ad fidem tibi ingerendam, qua admirari deſinas. Voluit quidem amicus is noſter provinciam hanc ſibi demandatam, ut & tibi ſignificaret, undenam ego, aut quis eſſem; & eum hac epiſtula tranſmitteret tibi editi a me libelli exemplum, quod eſſet mei erga te affectus quaſi pignus, & ſymbolum; at cum neceſſe habuerim tali amico morem gerere, ſenſi tamen ſingularem tuam humanitatem fuiſſe aliunde conſilium meum æqui, bonique conſulturam; & donariolum, quod attinet, ita volui acciperes, ut eum indignum ego judicarim, quod in tuas incideret maous, illc tamen impenſo ſtudio curaveri: incidere.

Nunc, cum iſta primum ſcribenti viderentur ſufficere, attamen, quod mihi videor, non jam cum recente amico, ſed cum antiquu agere; agam ecce liberalius, eruqoe paulo diffuſior, quam ſi diffidens amicitiæ tuæ timidiuſcule ſcriberem. In primis ergo, mi Galilæe, velim ſic tibi perſuaſum habeas, me tanta cum animi voluptate amplexari Copernicæam illam tuam in Aſtronomia ſententiam, ut exinde videar mei probe juris factus, cum ſoluta, & libera mens vagatur per immenſa ſpatia, effractis nempe vulgaris Mundi, ſyſtematiſque repagulis. Utinam verò hactenos frui tuo illo recens inſtituto Mundi ſyſtemate licuiſſet? Quam adjutus enim, promotusque fuiſſem in conceptis illis a me de Mundo opinionibus? Somniaſſe quippe me aliquid circa boc argumentum pervidebis facile, ſi digneris forte legere, quod tribus dumtaxat verbis in præfatione libelli ad te miſſi polliceor me quarto libro tractaturum. Quamobrem etiam intelliges, quam ardenti deſiderem ſtudiu, quid tu hac in parte ſentias quamprimum accipere; cum tu cœleſtium arcanorum ſis ſagaciſſimus ſcrutatur, particepsqoe conſultiſſimus. Cur porrò fœtum, quem jam parturiebas, cum nuntium præmitteres, huc uſque non emiſeris, etſi aſſequar ſorte conjecturâ, nondum tamen plene didici. Huc ſaltem fortaſſis profiteri liceat, magnam factum iri rei litterariæ, cordatisque diviniſſimarum ſcientiarum ſtudioſis injuriam, ſi tantum opus ſuppreſſeris. Certe niſi obſtiterit legitimum impedimentum, oratum te, atque utinam exoratum eſſe noveris, ot rem adeo deſideratam bonis amplius non invideas. Quud ſi vel certu conſiliu tuo, vel fatis ita ferentibus, ſic te continere debeas, ot ne quidem etiam cum amicis inſtitutum tuum per litteras communices, abſit e me, ut ſperem, poſtulemve conſcius illios fieri. Sic me tamen habeo, ac in gradu adeo eminenti benevolentiam tuam colloco, ut ſi vel vacet, vel liceat, quidpiam ſis mihi ſignificaturus, ubi me inardeſcere hoc deſideriu reſcieris.

Perlegi præter Nuntium tuum, treis illas de maculis Solis ad Welſeum epiſtolas, quas prufecto, quam ſint dignæ acomine, & judiciu tuo, non eſt, quod multis explicem. Sufficiat ſubſcribere me ratiocinationi tuæ circa macularum materiam, geneſim, figuram, locum, motum, diſſipationem, & ſi quæ alia ejuſcemodi accidentia macularum ſunt. Doleo verò e noſtra Gallia, & ſpecialis etiam meæ profeſſionis deinceps prodiiſſe, qui adeo infeliciter de iiſdem ſit ratiocinatus. Nun hæreo, quin ipſios liber ad te uſque pervenerit; ego dignum uberiore refutatione nunquam judicavi, quam, quæ præmiſſa in tuis illis continentur epiſtolis. Profecto, cum illa tua de maculis Philoſophia teſtem tot accidentium [quibus probe ſatisfacere alia ratione non licet] experientiam habeat; quid potius illi Planetarum perpetuitati obiici poſſit, quam quud ne ipſe quidem auctor obſervare potuerit, vel unius reditum [qui menſtrua tamen circiter revolutione fieri debebat] ex tanta multitudine? Ceterum librum, qui a te de Cometis ſcriptus perhibetur, nondum eſt datum conſpicere; at quu ardore videre peroptem, dictu mihi facile non eſt. Cum ſuſceperim enim defendendum Cometas eſſe corpora perpetua, ejuſmodique opinioni phænomena umnia Cometarum ſpeciali quadam, ac propria ratione accommodem, conjector, ſolertiam tuam poſſe mihi ad hoc plurima ſuggerere argumenta; neque enim dubito, quin pru ea, qua cepiſti philoſophari libertate, quamplurima protuleris, vel io quæ ego genio quodam felici inciderim, vel certe ex quibus non parum conjecturæ meæ poſſint promoveri. Obſervatiunum a me factarum circa Cometam, qui ſub finem anni 1618.

afful-

affulgere Telluri cepit, nihil feci publici juris; contentus, ſi ex iis poſſim circa defectum parallaxeos, itemque circa directionem caudæ in Solis oppoſitum cum quadam, eaque variabili deflexione philoſophari. Eadem ratione, & de obſervatis ſolaribus maculis emittere nihil in animo eſt, niſi quod juxta principia tua conducere videbitur ad impugnandum Ariſtoteliſmum, adhortandumque homines ad aliquam veriſimiliorem, glanioremque Philoſophiam. Quandoquidem verò in memoriam obſervationum incidi, communicabo ecce unam, quam, ut equidem coniicio, non injucunde accipies. Ea eſt eclipſeos ſolaris, quæ poſtrema nobis Europæis contigit, anno nempe 1621. æra, & ſtylo, qui vobis, nobisque eſt uſui. Illam enim Aquis-Sextiis obſervavi admodum exacte, nihilque ambigo, quin tu pro tuo cœleſtium amore [dum Cœlum vobis fuerit ſerenum] exactiſſime obſervaveris. Ego eadem methodo, qua & maculas obſervavi [niſi quod circa maculas meridianum tempus expecto, ut aliunde noto meridiani cum eclipticæ angulo, verum in diſco ☉ ſitum macularum accipiam] radios Solis itaque per teleſcopium trajectos in occluſam cameram excipiebam inferius chartaceo albo bene complanato, deſcriptoque in eo circulo, in quem radii cogerentur; cum adeſſet interim prope teleſcopium, qui motaret, ac contra vitiorum Soli ſemper opponeret. Diameter circuli, quæ erat unius pedis pariſienſis, ſic diviſa fuerat in duodenas parteis, ut ſexagenas etiam ſingularum per diviſiones, minutiores liceret adhuc colligere. Sed & circumferentiam in 360. hoc eſt hinc inde in 180. diviſeram parteis, initio facto, qua parte digiti primi erat initium; tum ut in magna occultatione liceret ſemper uſurpata hinc inde æquali limborum obſcurationis diſtantia cogere radios in circulum, & tumorem umbræ maximum in diametrum reiicere; tum ut exinde haberi poſſet diametrorum luminaris utriuſque inter ſe proportio. Cum Tychonicæ porrò tabulæ exhiberent nobis initium eclipſeos circa horam matut. 7. obſervaturus præſto adfui ab hora circiter ſexta. Aderat porrò extra cameram excellens Mathematicus Joſephus Galterius [is ſcilicet, ad quem primi libri Exercitationum mearum præfationem dirigo] qui ſtatim atque appareret, ac deſineret obſcurationis veſtigium, Solis altitudinem, quam ſedulo ſectabatur, ictu parieti impacto, ceu ligno dato, acciperet. Contigit igitur eclipſeos initium Sole elevato 25. grad. 30. min. finis verò elevato 51. grad. 57. min. hoc eſt, eclipſis ☉ cepit horâ 7. min. 5. ſec. 28. Deſiit horâ 9. 31. min. 52. ſec. numerando a media nocte, quæ præceſſit meridiem prædictæ diei 21. Digiti verò ecliptici maximæ obſcurationis exſtiterunt 9. grad. 23. min. tuncque deficiebant utrinque ex circumferentia grad. 77. min. 30. unde elicere eſt, æqualeis apparuiſſe luminarium diametros.

Jam ſi iſtheic obſervata eclipſis hæc fuerit, habebimus ſaltem parallaxeos ☾ pro varietate latitudinis locorum differentiam. Et cum latitudo Aquenſis obſervata ſit 43. grad. 33. min. ex diſcrimine iſtius cum veſtra, ac differentia parallaxeos, colligemus, quæ fuerit tunc Lunæ a terris diſtantia. Horâ etiam nos proxime [ſubductis nempe rationibus] certiores efficiet differentiæ longitudinis Florentiam inter, & Aquas Sextias. Certiores ſane efficeremur, ſi iſtheic fortaſſis foret obſervata lunaris illa eclipſis, quæ contigit menſe Junio anni 1620. aut alia, quæ menſe Novembri anni 1621. Sciremus & differentiam Florentiam inter, & Diniam, ſi alia rurſus menſis Aprilis anni 1623. Florentiam verò inter, & Pariſios; ſi nupera illa hujus anni, quæ contigit menſe Martio; ſiquidem has omneis ego obſervavi, conſignatasque habeo. Tu ſi eaſdem, aut alias forte obſervatas communicare non gravabere, reponam ego, tibique gratias habebo ſane quam-plurimas. Rogo te, quam maximo poſſum animi conatu, ut ſaltem velis communicare cum Willebrordo Snellio, cujus ignota tibi non eſt in reſtituenda Geographia ſagacitas, & ſollicitudo. Perſcripturus ſum ad illum [quod voluit] proximis his diebus non pauca, quæ habeo hujus generis, unà cum exacta aquenſis, genevenſis, lugdunenſis, aliorumque pedum longitudine. Certus verò propemodum ſum, ut cum etiam pedis florentini deſiderarit magnitudinem, imploraverit induſtriam, & humanitatem tuam, ſeu fecerit, ſeu non fecerit; non pœnitebit me egiſſe apud te illius patronum. Ita novi utrumque veſtrum bonarum artium promovendarum perquam ſtudioſum exiſtere. Certe ſi in regula lignea, aut alia ratione tranſmittere Leydam ad ipſum digneris delineatum pedem, qualem apud vos aſſervari publice, & intereſt, & dubium non eſt, cautionem me do, te in homine non ingrato beneficium collaturum. Ego quid hic adiciam præter verecundiam nihil habeo, quanquam etiam erubeſco ruborem meum profiteri apud hominem candidiſſimum; tu quidquid id eſt, boni conſule; agam in poſterum uti voles. Interea me, quo non eſt tui obſervantior, Vir optime, ama, & de ingenuis artibus mereri nunquam deſine. Dabam Gratianopoli Diniam meam brevi conceſſurus, XIII. grad. Kal. Auguſt. anno M. DC. XXV. Vale.

Percelebri Viro Willebrordo Snellio, eximio inclytæ Leydenſis Academiæ Mathematico,

PETRUS GASSENDUS, S.

REdditæ ſunt mihi tuæ litteræ [ſuaviſſime Snelli] quibus, teſtor Superos, nihil unquam mihi obtigiſſe jucundius. In primis quippe non poſſum mihi ſummopere non gratulari, quod tu tantus Vir tanto erga me amore propendeas. Iis enim Epiſtola tua interſperſa eſt a capite, quod ajunt, ad calcem benevolentiæ veſtigiis, ut facile cognoverim intelligentiſſimum Virum eſſe, etiam amantiſſimum. Deinde verò ſingularem tuam agnovi humanitatem, & ex ſincero illo affectu, quo me ſuadente nobili Monsfortio commodaſti operam, & ex ſumma illa manſuetudine, qua libellum meum non amice ſolum accepiſti, ſed & immerentem etiam excepiſti cum elogio. Ad hæc & admiratione non exprimenda ſuſpexi, quod quæ tam pauca tranſmiſeram circa meas obſervationes, ipſe cum tanto fœnore remittere dignatus ſis. Sed fecunda nimirum terra nunquam reddit ſine uſura, quod accipit; magisque futurum fuiſſe mirandum par eſt, ſi ex immenſo eruditionis, doctrinæque oceano rivulus iſte non dimanaſſet. Poſtremo tamen, quod ſperaveris, me tibi quaſdam operas efflagitanti obſecuturum, dici non poteſt quanta me, quamque diuturna voluptate cumulaveris, tametſi enim quidquid poſſum vix ullius momenti eſt; eum placere tamen id video Viris, tam benemerentibus, incredibile

pror-

prorſus eſt quanta me ſtatim urgeri ad opus alacritate perſentiſcam.

Cum ergo Pariſiis redeuntem negotia me in hac civitate [nolentem ſane] detinuiſſent, accepi tuas litteras ante duos menſeis, ipſisque quam maxima potui ſatisfeci diligentia. Ac primum quidem quod ſpectat ad deſideratam pedum noſtratium longitudinem, ſcripſi illico ad amicos meos, qui, quod non ſtatim votis meis reſpondere potuerint, excuſationem paratam facient, cur ego tibi tam ſero reſpondeam. Quanquam neque quidquid optabam, datum eſt adhuc aſſequi; litteris enim Toloſam, & ad alias civitates datis, etiam ex Italia ſatisfactum huc uſque non eſt, ob exortos, puto, bellicos tumultus in illis regionibus. Quotquot tamen hactenus potui ex vicinia conquirere pedes, mitto jam ecce cum his litteris in regula lignea exaratos. Jam enim tandem in Provinciam, Diniamque meam diſceſſurus, differre amplius nolui, ne propter nimiam aliorum pedum expectationem (fortaſſis fruſtraneam) videretur humanitas tua oblivioni tradita. Conſtitueram equidem typos omneis ad me tranſmiſſos, faſciculo facto, ad te mittere; at propter hæc tamen intervalla tanta, commodius exiſtimavi transferre omneis in hanc regulam, ratus ut mihi, quod ad præciſam conformitatem attineret, ſatis, ſuperque fideres. Adjeci verò etiam noſtratium ulnarum quadranteis, quod rem quoque eſſe argumenti tui, tum ex Eratoſthene, tum ex litteris tuis intellexerim.

Primo igitur accipies pedem lugdunenſem, & gratianopolitanum, qui uterque a me collatus, idem prorſus inventus eſt. Et gratianopolitanum quod ſpectat, accepi ipſe præſens cum noſtro Valeſiu ex longitudine orgyiæ, ſeu toiſæ, quæ inſculpta jam diu perdurat in exteriore pariete ad majorem portam ipſius domus Epiſcopalis. Lugdunenſis deſumptus eſt ex virga ferrea, quæ Lugduni in domo publica, ſeu, ut loquuntur, urbis aſſervatur. Curavit autem cum illic eſſet accipi ſtudio cujuſdam Autelini Mathematicarum ſtudioſi, Vir eximius Petrus Richardus, Senatus hujuſce Provinciæ ſupremi Conſiliarius, & amicus meus ſingularis, qui etiam huc rediens ipſum attulit. Quia verò & Lugduni ferrea, & hic Gratianopoli inſculpta parieti ulna eſt reperta, idcirco utriuſque quadrantem expreſſum ſimul invenies. Mercatores hujus civitatis gratianopolitanam eandem eſſe cum pariſienſi aſſerunt; cumque lugdunenſis paulo brevior ſit, æſtimant vulgo hanc differentiam una quinquageſima; quod etſi prorſus non quadret ad prototypos, excuſarique valeat aliis nominibus; nihilominus tacendum non cenſui. Quod genevenſem attinet tum pedem, tum ulnæ quadrantem, tranſmiſit utcunque ad me Vir pereruditus, mihique cariſſimus Ælias Diodatus, aſſerens ulnæ prototypum [cujus materiam tamen non expreſſit] omni memoria ſuperiorem eſſe, at toiſæ, cujus unam duodecimam, ſeu ſemipedem ſolum delineavi, proſtare publice ab anno 1544.

Habebis porrò & pedem regium, ſive pariſienſem, qualis Lugduni eſt ferreus inventus, cum menſuris ceteris. Fortaſſis quidem illum jam habes ex ferreo, qui extare duplex Pariſiis dicitur, attamen verò & hunc etiam communicare volui; tum ut ſuppleret defectum, ſi fortaſſis adhuc non recuperaſſes Pariſiis; tum ut ſi haberes, quid inter utrumque intereſſet deſpiceres; tum denique, ut quoquo modo examinares, num quem determinas partibus 1055. qualium rhijulandicus ſit 1000. probe prorſus ſe habeat. Ego certe cum apud Valeſium reperiſſem regulam tranſmiſſam ex Hollandia, in cujus una facie eſſet rhijulandicus pes in 12. digitos diviſus, & in alia diviſus in 10. ita ut ex hac parte eſſet una circiter uncia longior, quam ex altera, idque cum ſuperſcripta cenſura, quod longior foret juſtior; accepi tamen breviorem, quod magis eſſet conformis ſchemati ſemi-pedis in Eratoſthene tuo exſtantis, adjectione alterutra facta, quæ ad calcem præſcribitur, & cum regio pede comparavi. Viſus ſum verò deprehendere, illam Buteonis longitudinem non indigere tanta adjectione, quantam videtis exigere. Ut ut ſit, tranſtuli & illam rhijulandici pedis longitudinem, tum ut experiare quid totum hoc ſit, tum ut reſcribas quantum a vera longitudo hæc differat, ut & nobis aliquid certius experiri aliquando liceat.

Poſtremo videbis, quæ ſit longitudo noſtri pedis aquenſis, & provincialis (qui etiam Avenioni, & toti Linguedocio uſui eſſe dicitur, quantum quidem fide mercatores aſſeruerunt) quanquam vulgo nobis *pannus*, palmusve, non autem pes dicitur. Eſt autem una octava pars *cannæ* (qua ut orgyia utimur) ac proinde quadrans ſemi-cannæ, quæ nobis quaſi ulna eſt; neque enim alias habemus, aut alio modo indigitamus, ac dividimus menſuras ædificiorum, agrorum, pannorum, ceterorumque hujuſmodi. Aſſervatur porrò Aquis Sextiis in publica, ſeu urbis domo ſemi-canna ferrea, ex qua quadrantem deſumpſit, miſitque ad me Joſephus ille Galterius, cujus mentio eſt a me facta ſuperioribus litteris; uſus præſentia, & exploratione Joannis Lombardi Viri induſtrii, cenſorisque illic regii publicorum ædificiorum. Omittere hic non debeo, eundem Lombardum communicaſſe mecum experimentum a ſe factum ſoliditatis cubicæ unius ejuſmodi palmi. Scripſit ergo, ſe expertum fuiſſe palmum cubicum continere potus, ſeu *quarterones* noſtrates ita nimirum nominitamus, quas *pintas* alii dicerent liquidorum communeis menſuras 12. $\frac{1}{4}$ quemlibet verò quarteronem pendere aquæ communis, quam puteanam fuiſſe conjector, libras 3. uncias 4. $\frac{5}{7}$ vini verò libras 3. uncias 4. $\frac{1}{4}$ ut proinde pannus aquæ cubicus pendat libras 40. uncias 7. $\frac{1}{4}$ vini autem libras 40. præciſe. At olei, cujus tamen quarterones non expreſſit, libras 36. uncias 52. Omiſſis vino, ac oleo, periculum in aqua faciamus; cum ipſe quoque experimentum in puteali aqua feceris, ut diſpiciamus, num latus cubicum, ſive panni longitudo ſit ea proportione, qua par eſt, ad uſque veſtrum rhijulandicum pedem.

Principio verò, quia ponderum ratio eſt examinanda, reductioque ponderis illius facienda ad hollandicum, ſuppono, aureum hiſpanicum, ſive *piſtoletum ſimplum*, qui pendit grana francica 63. pendere per te hollandica grana 71. *piſtoletos* etiam uſurpo, quod quamvis ſint etiam elocabiles apud nos, ubi ſolum pependerint grana 62. deprehenduntur tamen communiter eſſe juſti ponderis, immo interdum granorum 63. $\frac{1}{2}$. Certe non ita pridem appendi *piſtoletos* duplos, quos eſſe granorum 127. comperi. Deinde comprobatum eſt etiam a prædicto Galterio 300. *piſtoletos* ſimplos, qui pendere debent grana francica 18900. pendere noſtrates, ſeu provincialeis uncias præciſe 42. unde elicere eſt, unciam noſtratem componi ex 450. granis francicis, libramque communem, quæ componitur ex unciis 16.

valete

valere grana item francica 7200. Quapropter & prædictum pondus palmi aquæ cubici librarum 40. unciarum 7. $\frac{1}{4}$ continebit francica grana 151467. Quibus poſitis, cùm francica grana ex jam dictis ſint ad hollandica ut 63. ad 71. idcirco facta converſione, prædictus palmus aquæ cubicus pendet grana hollandica 170701. quorum radix cubica eſt 55. $\frac{48}{100}$. At verò, per te rhijnlandicus pes cubicus putealis aquæ eſt librarum 63. unciarum 7. $\frac{2}{11}$ quæ [ſexdecim per te unciis in unam libram, & 640. granis in unam unciam computatis] ſunt grana hollandica 649716. cujus quidem numeri cubica radix eſt 86. $\frac{48}{100}$. Quocirca cum ſint hæ radices ut ponderum ſic ſolidatum; perſpicuum eſt, pedem rhijnlandicum inde prodire ad aquenſem palmum ea proportione, qua ſunt 8661. ad 5546. ſeu ut 1000. ad 640. Ceterum, quantum conjectari licet, alia longe proportio eſt. Multa ſunt quidem, quæ fallere experientem potuerint, etſi ille viſus eſt ſemper artifex ſolers, & ſedulus; utcunque ſit tamen, & quamvis id nihil negotium promoveat, amoru tamen veritatis latere te nolui.

Nunc, ut ad pauca illa mea obſervata redeam, gaudeo maximopere, quod grata tibi extiterint. Etſi verò non intelligo qua ratione ex datis heic latitudinibus duorum, aut trium dumtaxat locorum, colligas ipſe, Ptolemæum duobus, aut amplius gradibus in deſignanda latitudine africanæ oræ aberraſſe; pervideo tamen ſolertiam, qua exinde etiam longitudines quorundam Europæ locorum, emendare adniteris. Dignum ſane tua induſtria ſtudium; quandiu enim ſolæ habebuntur cum latitudinibus vulgares diſtantiæ, non poterit quidpiam hoc invento tuo ad habendas longitudinum differentias eſſe conducentius; ſed & dignum eſt ſubtilitate, acumineque ingenii tui, quod illis in tuo tiphis excogitatis theorematibus tantum feceris operæ in Geographia compendium. Gratias certe habeo plurimas, quod præcipuum, exemplo ex meis obſervationibus petitu, tranſtuleris in epiſtolam. Quæ porrò lætitia te cepit, cum deprehendiſti Leydam, & Aquas-Sextias vix differre ſecundum longitudinem $\frac{2}{5}$ unius gradus, me mirum etiam in modum affecit. Quod autem deſideras, ut Dinia noſtra non ſit ſexqui-gradu orientalior Aquis-Sextiis, ſcito vix orientaliorem $\frac{2}{3}$ gradus repetiri tua ſectanti veſtigia. Cum enim latitudo aquenſis ſit 43. grad. 33. min. dinienſis 44. grad. 6. min. diſtantia itineraria 16. leucarum, ſeu milliarium provincialium, quæ ego 20. horariis metior [cum & tu quas ſimileis leucas numeramus 12. Aquis-Sextiis, Avenionem uſque, emetiaris milliaribus horariis 15.] ac proinde, deducto triente, fiant milliaria fere 14. quæ converſa in quindecimana exhibeant 11. Et aliunde differentia latitudinum ſit minutorum 33. quibus reſpondeant 8. $\frac{1}{4}$ milliaria itidem quindecimana, ex quibus eruatur arcus paralleli aquenſis utrinque meridiano interceptus, milliarium rurſus quindecimanorum 7. $\frac{1}{3}$ perſpicuũ fiet, ſi fecerimus ut 100000. ad 554408. quadruplum ſecantis dimidii latitudinum additarum 43. grad. 49. min. $\frac{1}{2}$. ita 7. $\frac{1}{3}$ ad aliud, fore ut ſolum prodeant min. 41. pro differentia longitudinis Diniam inter, & Aquas-Sextias, quibus ſi addantur 13. min. quæ Aquas inter, & Leydam ſunt, non erit Dinia, quam Leyda 54. min. orientalior.

Tuum jam eſt perſcribere, quid facto ſit opus, ut ex differentiola hac emolumentum aliquod in rem litterariam cedat; ſiquidem enecas me, quandiu communicare differs, quæ animo concepta habes, veritus, ne ego heic nolim neceſſariis tuo inſtituto devorare moleſtias. Sumptus faciendos aliquos ſcribis; at fortaſſis ii non erunt, quibus non poſſim ſufficere. Res quidem mihi domi anguſta, nec Mecœnates heic habemus, qui bona ſtudia promoveant; at mihi tamen amici ſunt, quorum certe benevolentiæ fidere debeo quamplurimum. Conjectabar, velle te fortaſſis, conſcendere me editiores aliquos monteis [planitiebus enim deſtituimur] ad poſitionum angulos capiendos, & ſerie quidem aliqua; ſu hoc, an aliud ſit conſilium tuum, accipiam volentiſſimus; quanquam vereor, ne non commodum mihi ullum ſit inſtrumentum. Nam quæ obſervationibus faciendis idonea ſint, non habeo niſi lignea; & cum minoribus non fidam, adſunt tria, quæ ſua mole obſtant, quod portatilia præſertim non ſint; ea ſunt quadrans, & octans, cujus utriuſque radius eſt 5. pedum pariſienſium, & radius aſtronomicus, cujus longitudo eſt pedum 7. ſimilium; niſi fortaſſis radius portatilior poſſet in uſum cedere. Utcunque ſit, noſſe melius potes, quid mihi neceſſarium ſit. Quapropter te oro, ut cures, tale inſtrumentum iſtheic mihi confici, quale duxeris fore opportunum. Cum elaborabitur, ſignificare mihi pretium per litteras poteris; ego verò ſtatim dabo operam, ut vel Lugduno noſtro, vel etiam Pariſiis illud tibi conſignetur. De ratione, qua organum tranſmitti ad me uſque poſſit, poſtmodum cogitabimus.

Sequitur, ut quia obſervata, ſi quæ alia penes me ſint, quæ Geographiam præſertim attineant, accipere deſideras, communicem ecce aliqua longitudini deſervientia; etſi verò ea perpuſillum videantur conducere, niſi etiam in aliis locis obſervationes ſimiles iiſdem temporibus ſint factæ; attamen & exiſtimo factas iſtheic aliquas, & aliunde tu is es, qui ex omnibus proficias.

Primum igitur heic non memoro eclipſin illam lunarem obſervatam Diniæ, quam deſcripſi breviter in ſecunda ſtatim pagina mearum Exercitationum; ſiquidem illam pervidiſti jam. Alia obſervatio Diniæ facta eſt conjunctionis Lunæ cum Ariſta. Viſæ ſunt enim in eadem longitudine anno 1623. menſe Julio, die 5. ſtylo Greg. [quem etiam intelligas velim in ſequentibus] hora 10. min. 26. cum ipſa videlicet ſpica exiſteret adhuc alta grad. 10. min. 46. Tranſivit porrò ☾ non nihil plus, quam διχότομος, Ariſtæ ad Boream, diſtantibus limbis tanto intervallo [aut inſenſibiliter minore] quantum apparebat tunc inter mediam caudæ Helices, & Equitem, ſeu ſtellulam illam ipſi inſidentem. Subductis rationibus poteſt hæc obſervatio lunari defectui obſervato propemodum æquiparari.

Ecce verò duas eclipſeis lunareis obſervatas Aquis-Sextiis; prior totalis viſa eſt anno 1620. die Junii 14. Contigit autem illius initium hora 11. min. 16. cum nempe ſpica ♍ eſſet alta poſt meridianum 16. grad. 58 min. Totalis verò obſcuratio cepit hora 12. 16. min. $\frac{1}{2}$ cum in eadem Cœli parte Arcturus foret adhuc elevatus 35. grad. 34. min. Cetera nubes impedierunt. Poſterior anno 1621. die Novembris 28. partialis hæc fuit, contigitque illius initium hora 13. 54. exiſtente nempe elevato in Occidente Aldebaram 52. 10. finis verò hora 15. min. 52. exiſtentibus ſcilicet in eadem parte elevatis, Aldebaram quidem 32. grad. 30. min. Bedalgeuſe verò 39. grad. 50. min.

Juvat

Jovat & heic attexere obſervationem aclipſeos ſolaris habitam Aquis-Sextiis, quando & exactiſſima fuit, & utilis eſſe poteſt inſtituto tuo, obi rationes ſubduxeris. Contigit ergo anno 1621. die 20. Maii, apparuitque illius initium hora 19. min. 51. ſec. 28. hoc eſt ☉ elevato in regione orientali 25. grad. 30. min. finis hora 21. min 31. ſec. 12. exiſtente nimirum ☉ in eadem regione alto 51. grad. 17. min. maximæ verò obſcurationis digiti ecliptici fuerunt 9 23. min. Superfluum aſlet adiicere qua ratione, ut exacta foret, obſervatio peracta ſit. Totum perſcripſi ad Galilæum, quem litteris nuper exoravi, ut ipſa ad ſe florentini pedis longitudinem mitteret, mentione facta macularum Solis, quas eodem pæne artificio obſervare ſolitus ſum.

Sed & ecce duas obſervationes hoc anno factas Pariſiis. Prior fuit conjunctionis ♀ cum ☾, pro qua etiam rationes ſubducendæ ſunt, ut inſtituto deſerviat. Contigit ergo hæc nuper menſe Februario, die 9. hora 5. min. 30. ex horologio Samaritanæ, quod ad *novum pontem* eſt; parum autem horologiom hoc deſtitit a vero [ut proximis deinde horis comprobatum a me eſt ex fixis.] Exiſtimo, ſi a vobis viſa, atque obſervata fuit, Venerem a Luna occultatam apparuiſſe, eum heic Gratianopoli ☾ ſex circiter min. a ♀ tranſierit; at mihi Pariſiis viſa ſit ſimpliciter contingere, radereqoe ♀ extremo ſoo cornu auſtrali abſque eo, quod aliquid contexerit, ſed videlicet nudo viſu; tum enim teleſcopio, caſo iter faciens, ac per *novum pontem*, ubi me hoc ſpectaculum remoratum eſt, deſtituebar. Non memoro heic Tabularum, Ephemeridumque fallaciam. Exempli enim gratia Francoſurti ad Odaram, ubi proculdobio ♀ viſa fuit contegi a ☾, colligirur ex Origano, deboiſſe limbos horum Planetarum duodecim, aut amplius minutis diſſidere inter ſe, ut temporis interea differentia reticeatur.

Poſterior fuit exiguæ illius eclipſeos lunaris, quæ contigit etiam nuper die 23. Martii. Reſpectabam ego ☾ etiam per teleſcopium; at clarus Vir Midorgius unus ex generalibus Franciæ Theſaurariis, ſectabatur ſedulo aliquam ſixarum quadrante chalibeo, cujus radius eſſet pedalis, etſi nubes ſæpius interrumperent. Viſum eſt argo contingere eclipſeos initium horâ 12. min. 54. cum altus adhuc nempe eſſet in Occidente regulus 36 grad. 20. min, finis hora 13. min. 37. cum eſſet jam Borea lanx in Oriente alta 31. 30. Neque mirere ỽ totalem durationem breviorem inde colligi, qoam habcatur ex Tabulis, aut Ephemeridibus etiam ex Tychone deductis, pluſquam horâ integra; nam & quantitas eclipſeos fuit etiam minor, quam præſcribatur ex Tabulis, ſiquidem nunquam acceſſir ad uſque ſeſqui-digitum. Idem fera in poſteriore Sexti-Aqoenſi deprehenditur, quæ eadem partialis fuit. Quorſum nam verò hæc differentia; loci alterius aſt diſquirere.

Doleo plurimum, quod obſervaturo in hac Civitate utramque duarum totalium, quæ ſuperiore anno contigerunt, utramque nubes inviderinr. Ceterum verò ad confirmandam hujus urbis latitudinem, exploravi nuper cum Valeſio meridianam Solis altitudinem die Junii 21. cujus com meridie ſolſtitium coincidit. Stylo uſi ſumus 7. aut paulo minus orgyiarum, altitudine puta ſacti in tecto perampli ſphæriſterii foraminuli. Ac ne immorer in cautionibus, quas ad habendam præciſionem adhibuimos, deducendis; qualium partium ſtylus ſoit 64690. talium ombra recta 25410. Unda prodiir angulus altitudinis limbi ſuperioris ☉ 68. grad. 33. min. 20. ſec. ex quo ſubducta ſemi-diametro ☉ 14. grad. 50. min. reſtat pro viſa altitudine centri ☉ 68. grad. 18. min. 30. ſec. huic vero uno minuto parallaxeos addito, ſit altitudo ☉ correcta 68. grad. 19. mio. 30 ſec. Jam ſi exinde ſubduxerimus maximam ☉ declinationem 23. grad. 31. min. 30. ſec. reſtabit altitudo Æqoatoris 44. grad. 48. min. o. ſec. quare & habebitur altitudo poli 45. grad. 12. min. uno dumtaxat minuto differeus ab ea, quam tecum communicavi ſuperioribus litteris; verumtamen de his hactenus.

Supereſt, ut poſt expeditas obſervationes hujus generis, aliam ultro communicem, futuram tibi non injucundam. Memini, dolare te in tuo illo erudito libro *de Cometa anni* 1618. quod non ſatis diligens, & curioſus in obſervanda Cometæ cauda fueris. Unicam enim, ſi tire recordor, obſervationem factam habes circa initia apparitionis, ex qua elicis interſectionem eclipticæ cum circulo per Cometæ caput, caudæque axem traducto, fuiſſe in conſequentia promotiorem ☉ pluſquam ſigno integro. Aſſeris verò conjecturaliter diebus conſequentibus prædictum nodum receſſiſſe verſus ☉ in antecedentia. Ego, qui illo primum tempore ſpectaculo tam pulchro allectos, periculum obſervandi ſeci. Cometæ loca ſolum venabar ex ſixarum aliquot ab illo diſtantiis. Procedenti tempore curioſitas uberior me cepit; ita ut ad parallaxim, ſi quam Cometa panderet, applicarem animum; quanquam hoc nihil ad rem præſentem. Cepi igitur etiam caudæ ductum obſervare, non quotidie quidem, ſed cum certa puncta cauda iſta pervaderet. Duas, treisve obſervationes tibi indicabo, ut axinde adjuvari poſſis, ſi forte adhuc aliquid in hac materia mediteris.

Prædicto igitur anno 1618. menſe Decembri die 19. hora 17. min. 20. Aquis-Sextiis, fuſa eſt cauda per primum equum, ſeu ultimam caudæ Helices. Diſtabat verò tunc Comera ab Ariadne 21. grad. 47. min. ab Arcturo 16. grad. 9. min. Unde ipſius longitudo colligitur fuiſſe 1. grad. 16. min. ♎ latitudo 53. grad. 58. min. boreali. Conceptus ergo circulus per Cometam, & primum aquom eclipticam ſacuit in 11. grad. 1. min. ♐ ☉. Porrò eodem tempore in 28. grad. 20. min. ♐ verſabatur; ſectio illa igitur tranſierat jam Solem, receſſeratqoe ab illo in antecedenria grad. 7. min. 18.

Die 21. ſequente hora 17. min. 10. caoda ſparſa eſt per ſecundum equum. Diſtabat Cometa tunc a lucida cynoſuræ, quæ eſt ſecundæ magnitudinis, 15. grad. 13. min. ab humero Helices, qui & Dubhe 28. grad. 12. min. unde prodiit ejus longitudo grad. 16. min. 28. ♍ cum latitudine boreali 56. grad 50. min. Quamobrem ductus per Cometam, & ſecundum equum circulus eclipticam ſecuit in 21. grad. 54. min ♐. Et quia ☉ tunc occupabat o. grad. 23. min. ♑ idcirco interſectio fuit quidem remota a ☉ in antecedentia 8. grad. 29. min. rediit tamen, promutaque eſt hoc biduo in conſequentia min. 52.

Tertia obſervatio eſt diei 24. hora 17. etſi non omnino exacta, quod ductum caudæ attinet. Traductus quidem per caudam, & Cometam circulus relinquabat Dubhe auſtraliorem ſaria ſcoſibiliter; at quantum præciſe id eſſet, æſtimare poſtmodum non licuit, niſi ex pictura, & ſchemate, quod ſuperſtitit. Ex hoc ergo conjectatus

ſum

ſum, id fuiſſe in circulo etiam latitudinis, onum gradum circiter. Hoc ſoppoſito, quia tunc diſtitit Cometa ab ultima caudæ 5. grad. 13. min. a media caudæ 4. grad. 49. min. fuitque proinde ejus longitudo 17. grad. 34. min. ♍ latitudo 59. grad. 10. min. boreali. Ideo conceptus circulus per Cometam, & 50. grad. 40. min. in circulo latitudinis Dubhe [cum ipſa Dubhe ſit tantum lata 49. grad. 40. min.] is interſecuit eclipticam in 23 grad. 31. min. ♐. Quocirca, & cum tunc ☉ in 3. grad. 27. min. ♑ degeret, ſectio ab illo diſtitit antecedenter 9. grad. 56. min. promota tamen hoc triduo in conſequentia 1. grad. 37. min.

Ego pro mea quadam ſpeciali de Cometis Philoſophia gaudebam, conjecturas meas non infeliciter cedere, quod attineret variationem hujus deflexionis a ☉ oppoſito. Quanquam enim certus omninò non eram, quod diſcrimen illud diei 24. eſſet prorſus 9. grad. 56. min. at quia directio caudæ non tranſiente ſopra Dubhe minus, quam dimidio gradus, idcirco cum vel dimidio huic gradui reſpondeant 8. grad. 40. min. quibus adhoc exceduntur 8 grad. 29. min. differentia diei 21. ideo a ſententia dimoveri non potui. Ceterum verò confirmatus, & gaviſus magnopere ſum, cum obſervationem illam tuam accepi, ex qua deprehenderim, ejuſmodi interſectionem promotam fuiſſe dietim in antecedentia, quouſque præterito ☉ illum rurſus, etſi progreſſu tardiore conſequeretur. Utinam verò & hoc mihi citius licuiſſet advertere. Quidquid ſit, hanc lætitiam meam ſignificandam tibi cenſui, potius, quam Phyſica commenta, quibus excuſare contendo ejuſmodi phœnomena. Nugæ ſunt, & res eſt prolixior, quam ut cogi poſſit in præſentem epiſtolam; ut taceam me iſti argomento locum deſtinaſſe in Exercitationibus.

Jam itaque tempus eſt, ut finem ſcribendi faciam, exoremque tuam humanitatem, ut totum hoc, quidquid eſt, boni, apud te conſulatur. Tu ſi quidpiam reſcribere aliquando volueris, litteras ſemper dare poteris ad prædictam Monsfortium. Haſce ego noſtro Valeſio ex Pedemontio brevi redituro diſcedens relicturus ſum, quoniam & ipſe eſt ad te litteras ſimul traditurus. Bene, immo optime vale, doctiſſime, ac optima Snalli, Gaſſendumque tuum amare perge, qui eminentia tuæ virtutis eſt obſervantiſſimus. Dabam Gratianopoli poſtridie Idus Auguſti, anno M.DC.XXV.

Viro incomparabili Galilæo Galilæi, qui eſt Magni Hetruriæ Ducis eximius Mathematicus,

PETRUS GASSENDUS S.

EN longiſſimi ſane temporis, ſuaviſſime Galilæe, ſenus perexiguum. At malui tamen verſibus paucis, extemporaneam nactus occaſionem, finem facere diuturno ſilentio, quam continua procraſtinatione ad onciſcendam otioſam quandam ſcribendi opportunitatem, nihil tandem perſcribere. Commodum certe adfui in hac Civitate, cum Senator plane nobilis Nicolaus Fabricius Peireskii Dominus omnigenæ Vir litteraturæ, ac artibus bonis promovendis impenſiſſime deditus, aliquot Romam litteras daret. Rogatus quippe, nam & Romæ noſſet, qui curam ſuſcipere vellet tranſmittendi ad te ſchedulam; exultavit, ut qui eminentem virtutem tuam merito miretur, & recepit ultro in ſe hanc provinciam; ac pergerem tantum, ſi quid vellem ſcribere, auctor extitit. Hoc ipſum ergo eſt, quod facio; ac cetera quidem, quæ concepta habeo in aliud tempus differens, duo tantum ſunt, quæ te ſcire velim. Unum eſt, longum eſſe tempus, ex quo ubinam ſit gentium, aut quid agat noſter Diodatus, reſcire non potui. Quamprimum quidem ex Italia rediit, tranſmiſit ad me libros illos, quibus tu me beare voluiſti [ita me Deus adjuvet, ut munus ejuſmodi tuum ſum exoſculatus, meque gratiis tibi exſolvendis ſenſi eſſe imparem] at quas ex te litteras erat mihi conſignaturus, neſcio quo miſerando fato, expectare adhuc contingat. Hæc ſane fuit præcipua cauſa, cur tandiu & reſcribere, & grates pro tuis illis libris rependere diſtulerim. Praſtolabar videlicet, cum forſan ex me, bona mea ſorte, officii quidpiam exigeres, ut ſimul tibi, & meam ſententiam circa libros tuos aperirem, & circa omnia [quæ mea eſt in te obſervantie] obſequendo ſatisfacerem. Alterum, cum & heic nuper tempore defectus lunaris ob negotia quædam diverſarer, defectum illum a me ſimul, & Joſepho illo Galterio, cujus tibi mentionem feci prioribus litteris, fuiſſe ſedulo obſervatum. Scilicet exiſtimo, cum Cœlum tibi fuerit noſtro hoc ſæculo, ex voto Hipparchi, in hæreditatem datum, lætaturum te, cum acceperis præſto eſſe, qui tuis ſub auſpiciis velint ipſum excolere. Accipe ergo paucis, quæ fuerit noſtra eclipſeos obſervatio, cujus tanto alacrius tibi copiam facio, quanto ad manum etiam eſt pergrata quoque tibi futura, quæ ab amicis aliquot noſtris eſt facta Pariſiis. Ad noſtram quod attinet, dicenda multa jam haberem circa varietatem colorum, qui in Luna obſervati ſunt; itemque circa umbellam illam, quæ & limbi Lunæ temerationem initio præceſſit, & ejuſdem reſtitutionem ad finem ſubſequuta eſt, ceteraque hujuſmodi, quibus probe explicandis, ſola tua illa Philoſophia poteſt eſſe par. Verum ſufficiet nunc temporis deſignare momenta illa, quæ deduximus ex fixis in quatuor præcipuis eclipſeos cardinibus; inde nempe efficietur, ut ſi forte aliquod illorum obſervatum fuerit Venetiis, Romæ, &, quod non dubito, Florentiæ, aut alio loco celebri, cujus tibi facile fuerit habere notitiam, liceat nobis tandem præcipuarum ſaltem quarundam Europæ noſtræ urbium differentiæ longitudinalis habere certitudinem. Quid tamen moror? Initium eclipſeos nobis contigit hoc ſalutis anno 1628. ſecundum æram Dionyſianam, ac ſtylo quidem Gregoriano, die Jan. 20. hora a meridie 7. m. 49. Scilicet fuit tunc Canis major, ſeu ſtella, Sirius, dicta, alta ad Ortum, in tangente quadrati circiter quadrupedalis, partibus 3870. hoc eſt, 21. grad. 9. min. Supponitur autem hæc ſtella habuiſſe aſcenſionis rectæ grad. 97. min. 15. declinationis verò auſtrinæ grad. 16. min. 12. & Sol fuiſſe in 0. grad. 25. min. ♒ cum aſcenſione recta 302. grad. 38. min. exiſtente nobis alionde poli altitudine grad. 43. min. 33. Totalis obſcuratio, ſeu ejus principium hora 8. min. 48. quia ſcilicet fuit tunc cor Hydræ altum ad ortum partibus tangentis 2525. hoc eſt, 14. grad. 10. min. exiſtente aſcenſione recta hujus ſtellæ 137. grad. 25. min. & declinatione auſtrina 7. 5. cum promotione aſcenſionis rectæ ☉ duorum circiter minutorum. Recuperatio primi luminis hora 10. min.

min. 25. exiſtente nempe eadem ſtella [corde Hydræ] alta ad ortum partibus 5440. ſeu 28. grad. 33. min. ac ☉ interim promoto ſecundum aſcenſionem rectam min. 3. aut 4. finis denique hora 11. min. 54. quia nempe fuit tunc ad occaſum altus ſiniſter Orionis pes partibus 5010. ſeu 26. grad. 37. min. cujus aſcenſio recta eſt 74. grad. 12. min. & declinatio auſtrina 8. grad. 40. min. Ac fuit ☉ amplius promotus 2. min. circiter. Jam verò perſcriptum unde Pariſiis eſt, eclipſim cepiſſe, cum eſſet alta Canicula 28. grad. 3. min. 20. ſec. & totalem obſcurationem, cum eadem ſtella eſſet alta 36 grad. 20. min. De initio recuperationis nihil habitum eſt; circa finem ſcriptum eſt, illum contigiſſe circiter, cum Arcturus eſſet elevatus 9. grad. 30. min. Attamen ſupponendo altitudinem polarem pariſinam 48. grad. 45. min. & aſcenſionem rectam Caniculæ 109. grad. 58. m. cum declinatione boreali 6. grad. 8. min. Arcturi verò aſcenſionem rectam 209. grad. 42. min. cum declinatione boreali 21. gr. 10. m. ratiocinati exinde ſumus, contigiſſe Pariſiis eclipſeos initium hora 7. grad. 35. min. principium totalis obſcurationis hora 8. min. 34. finem hora 12. min. 7. Refractionum porrò cauſa, minuta ſex detraximus altitudini Arcturi, atque ex collatione quidem obſervationum iſtarum cum noſtris, & cum duæ priores ex iſtis potiores, certioreſque ſint [poſtremam enim illud *circiter*, ſuſpectam, & incertam facit, quanquam in ipſa quoque non eſt paralangia multis aberratum] hoc ſaltem habemus jam Pariſienſis, & Aquenſis [qui idem prope eſt cum Maſſilienſi nonnihil occidentaliori] meridianorum differentiam eſſe grad. 3. $\frac{1}{2}$ cum differentia temporaria ſit min 14. Mirum certe videri poteſt, quod priores illæ duæ obſervationes ad minutum conſentiant. Et noſtrarum quidem earundem obſervationum collatio cum Origani Ephemeride inducit quandam circa durationem eclipſeos differentiam; nobis quippe tota eclipſis 5. min. extitit contractior; totalis verò obſcuratio 5. min. productior, quam præſcribat ſupputata ex Tychone Ephemeris. Adde & alternis differentiam temporaneam eſſe 33. & 38. min. Verum & hoc ipſum noſſe foret operæ pretium, an eadem eclipſeos momenta, quæ præſcripta ſunt in Ephemeri, fuerint Francofurti obſervata; & hoc poſito, explorandum, an penumbra illa, & quaſi nubecula præcedens, & ſubſequens in eclipſim veniat computanda; quantumvis illam teleſcopium a perfecta diſci lunaris illuſtratione ſubmoveat. At ecce jam prope excedo magnitudinem epiſtolæ juſtam [ita præter expectationem, inſtitutumque expatiatus ſum] & vereor, ne illuſtris Senator cauſari poſſit hanc prolixitatem, cum jam præſertim ſemel miſerit, cui hæc perſcripta crederentur. Aliàs igitur, & plura de his, & de ſtudiis meis interruptis [utinam verò optato otio mihi frui tandem concedatur] ſermonem longiorem inſtituam. Vale interea, Vir optime, proque candore ingenito, devotum plane tibi Virum ama. Si mihi quidpiam reſcribere fortaſſis volueris, litteras illis committas licet, per quos nobilis Senator curaturus eſt, ut ad te iſtæ perveniant. Iterum vale. Dabam Aquis-Sextiis, VI. Non. Mart. anno M.DC.XXVIII.

Celebri Viro Erycio Puteano,

PETRUS GASSENDUS S.

Diſcedebam Aquis-Sextiis, humaniſſime Puteane, cum Senator nobilis Nicolaus Fabricius Peireskii Toparcha tantillum remoratus eſt; donec libelli ad te tranſmiſſi capita ſumma percurrerem. Subſtiti lubens, & quæ mea eſt in te obſervantia, teſtatum tibi volui verſibus hiſce, quos ipſi conſigno, quam id jucunde acceperim, Vera loquor, ex quo tempore tuum illud de Epicuro, cum evulgata ipſius effigie pellegi eulogium, neſcio quo tacito affectu occeperim te, & ſuſpicere, & amare. Scilicet ego tanto Viro paravi Apologiam, deſtinato ipſius doctrinæ volumine integro, quod Paradoxicarum Exercitationum adverſus Ariſtoteleos volumini, cujus ideam, primumque librum feci jam juris publici, attexatur. Quod rei præſentis eſt, delectatus ſummopere ſum, & te quoque in illuſtranda materia adeo nobili operam quandam collocaſſe. Quippe res adhuc luce indiget, ac nonniſi a Viris eximiis, litterarumque humaniorum, & Matheſeos callentiſſimis, ultimam manum expectare poteſt. Illud verò præ ceteris avidiſſime arripui, quod præter communem ſententiam de celebratis Olympicis ludis ſub finem Æſtatis ſciſſime colligis. Utinam & de plenilunio quidpiam ſimile proferretur. Etſi enim plerique omnes in eo conſentiant, reſque veroſimillima ſit; nihil tamen adhuc obſervare licuit, quod perpetuo Luna plena celebratos conficiat. Negotium certe mihi ſemper fecit locus ille apud Lucianum de exorta Luna ſub finem certaminum, longo poſt mediam noctem intervallo (quo ſcilicet ipſe Lucianus ſtadia XX. pervadere, expectareque deinceps debuit, donec prodiret Peregrinus) tunc enim duabus, vel tribus horis ante noctem dimidiam exoriri debuerat Luna, ſi initio certaminum extitiſſet πανσέληνος. Quamvis quippe Lucianus ſcribat, diſtuliſſe Peregrinum ſuum illud incendium; commode tamen hæc procraſtinatio non poteſt intelligi, niſi ad finem uſque ludorum. Cum ille enim mori deſtinaſſet in Conventu adeo celebri, non poterat amplius uno die poſt peractos ludos expectare, ne diſcedentibus omnibus in nullius, vel paucorum exureretur oculis. Atque hæc quidem heic attingo, ut addam tibi ſtimulos ad hoc quoque caput illuſtrandum; cum res tua ſagacitate, induſtriaque digniſſima ſit. Ceterum, cum non vacet jam claro Viro Wendelino tuo quidpiam ſcribere, comitatus enim me plurimum urget, hoc tamen a te exigere auſim, ut meo nomine ſalutem accipiat. Non poteſt ille mei vultus, nec nominis meminiſſe; at ego probe memini, me cum puer eſſem, vidiſſe illum Diniæ, ubi nunc Canonicum Eccleſiaſtem ago; deincepſque quantus is Vir ſit, indicavit ſæpiſſime inſignis amicus meus Joſephus Galterius per-raræ Vir eruditionis, quicum olim Wendelinus ipſe vixit familiariter; ut taceam, non poſſe vos in colendo noſtro Fabricio certare, quin ego tertius me ingeram; cum & ego quoque culmen virtutis ipſius cominus ſuſpiciam, & quod dicere liceat, inter duos litigantes, quaſi tertius gaudeam. Perſcripturus ſum poſtmodum ipſi Wendelino Aſtrologica nonnulla, quæ habeo præ manibus, quando illum ſtudiis hiſce impenſe deditum accipio. Interea verò ecce auctor eſt nobilis Fabricius, ut nuperæ eclipſeos lunaris obſervationem heic inſeram, quam ille

ille abs te accipere poſſit. Menſe itaque Januariu praxime elapſo die xx. [ſtylo uuvu] obſervavi eclipſeos initium in hac civitate hura 7. min. 49. cum foret nempe Sirius altus ad Orientem grad. 1 t. miu. 9. principium tutalis obſcurationis hura 8. min. 48. cum foret ſcilicet cor Hydræ altum ad ortum grad. 14. min. 10. reſtitutionem primam luminis hura tu. min. 25. elevata uempe eadem ſtella grad. 28. miu. 33. finem denique hora st. miu. 24. puta, cum pes ſiuiſter Orionis eſſet altus ad occaſum 26. gr. 37. m. Obſervationis circumſtautias, & quæ exinde deduci poſſent huc congerere non aſt operæ-pretium, ne uimium peccem iu patientiam, & humanitatem tuam. Saue euim, quem tu me Virum, dic bona fide, exiſtimabis, qui vix manum e tabula tollere poſſe videar, quamvis curſim, & in procinctu calamum arripuerim; quid putas nempe facturus eſſem, ſi & cum utio, & ex oblata occaſione ſcriberem. Utcumque tu exiſtimes, ego nihil aliud tot hiſce verbis teſtatum tibi volui, quam ſumme propenſam in te vuluntatem. Quocirca & hunc finem facio, quod tuæ mihi benevolentiæ cupiam eſſe principium. Bene ergo, mi Eryci, vale. Dabam Aquis-Sextiis sx Kalend. April. anno æræ noſtræ vulgaris M. DC. XXVIII.

PETRUS GASSENDUS

GAFFARELLO SUO S.

Quem libellum egregium ad me dediſti [mi Gaffarelle] is mihi fuit jucundiſſimus. Qui ſcilicet lubens accepturus eram, & propter genus argumenti, & propter Auctoris judicium, nun putui profecto illum non complecti ſuaviſſime, cum & illuſtratum vidi tuis operis, & obſignatum ſymbulu amicitiæ nuſtræ obſervavi. Ne tibi porrò inteſtata fieret animi mei gratitudu, rem ecce ſtatim ſignificare per litteras vului, ut ſtimulus ſimul adderem ad pergeudum, quo cepiſti pede in ingenuis hiſce ſtudiis. Etſi enim Rabbinicum ſtudium, neſcio quid illiberale in ipſa fronte præferat; cum tibi tamen in hoc genere delectum eſſe pervideo, ut generoſu auimo Sparta hæc poſſit eſſe ornamentu. Quod certe ſpectat ad hunc Auctorem, cujus tu interpretem, & illuſtraturem egiſti, is mihi videtur non parum a ceterorum Rabbinorum deſciviſſe ingenio. Quippe tantum abeſt, ut aliorum ſuperſtitiunibus irretiatur; quin potius perplexas eorundem, & pluſquam Gordias intricationes non tam diſſolvit, quam diſcutit. Quare & ſubſcribo deſideriu tuo, cum vicem doles ceterorum hujus Auctoris operum, & facile ceteros, quotquot uuvi Rabbinorum, ſi unum Moſcheh excipias, cum unico iſto commutarim. Minime ſane dubium videtur, quin Vir haud alioquin Chriſtianus, mentem certe ſuam Philoſuphiâ excoluerit; uam & hæc quoque abunde poteſt dedocere deliria, quibus adeo proclive eſt ſuperſtitiuſæ genti præpediri. Quæſo te enim quam ingenue ſentit circa quæſtionem propoſitam de יום יהוה, ſeu tempore interitus Mundi? notum ſuppouit ex ipſa lege, Mundum tandem aliquando eſſe finem habiturum; at quanta nam rationis luce conjecturas illas caliginoſas diſcutit, quibus ducuntur ceteri, ut huic fini tempus præſcribant, ratumque ipſum habeant? digna hæc Viro Chriſtiano ſenteutia; quippe de hac die (inquit Chriſtus) nemo ſcit; digna & Viru Philoſupho. Etſi enim Philoſophia minime nos certos reddat, Mundus-ne æternum duraturus ſit; facile tamen ſuadere videtur, non eſſe timendum, ne ruina tanta impendeat. Neque verò heic inſinuo illos Ariſtutelis cachinnus, quibus tantum caſum metuenteis humu profanus excipit; ut neque illas ſatis impias aliquorum adhortationes, qui ſecuros nos eſſe jubent de extremo illo die videndu, qui cum jam jam immiuere ante mille annos prædicaretur a Patribus, ecce tamen jam tam procul receſſit, neque eſt dubium, quin ſit paratus longe ulterius recedere. Illud potius innuere contendo, ut temere faciunt, quotquot ex Chriſtianis conjecturas curiuſe venantur ad cognoſceudum illum diem, quem Dominus, & Chriſtus ejus nos latere voluerit; ita peccare in Philoſophiam, non modu quotquot certo ſtatuunt, diſſolutum nunquam iri Muudum; ſed quotquot etiam hanc diſſolutionem pro furibus eſſe certo autumant. Quanquam enim, quod ad prioram illam partem attinet, maxima eſſe videatur ſecundum rationem naturalem perſuaſiu, quod neque Mundus unquam ceperit, neque ſit olim unquam deſiturus; attamen ea eſſe videtur rationis imbecillitas, ut cum Mundus non poſſit tuto corruptibilis pronunciari, cenſeri tamen incunctanter incorruptibilis nun debeat. Non habeant quippe Stoicorum, Epicureorumque ſcholæ demonſtrationes ſatis firmas, quibus ipſam Mundi ruinam ſtabiliant, certosque nos faciant,

> —— *Omnia paullatim tabeſcere, & ire*
> *Ad ſcopulum, ſpatio ætatis defeſſa vetuſto;*

quænam verò tamen illæ etiam ſunt, quibus iſti ſuam illam Mundu æternitatem adſtruunt? Vix ſane quidpiam gravius ab ipſis proferri comperies, quam, quod eadem ſit jam Mundi facies, quæ Patribus noſtris eſt viſa, quæ item Avis, quæ Pro-Avis; ut proinde & nati natorum, & quotquot ab illis naſcentur, viſuri eandem æternum ſint. Cedu verò quænam hæc eſt, qua nos miſelli homunculi avehi geſtimus audacia, uti ex aliquot perſpectis hominum ætatibus decerpamus æternitatem? Ecce enim non condono ſolum 5. aut 6. annorum millia, quæ juxta ſacros Codices a condito Orbe deducuntur. Concedu etiam illa circiter 50000. ex principiu uſque Philoſophiæ, ut eſt apud Laërtium. Largior & illa 400000. ex nata uſque Aſtrologia, quorum Cicero, & Diodorus meminerunt. Ecquid tamen totum hoc eſt, ſi cum debita tantu animali, quantus Mundus eſt, duratione comparetur? an non æque facile Cornici illa Hemerobia, quæ apud Pontum eſſe dicuntur, divinaret immortalitatem? Quaſi verò adamanti, auru, rebusque conſimilibus, quæ ſuperant hominum memoriam, aſſerenda corruptio ſit; ipſi Mundu cum ſæcula pro conditione tantæ molis multiplicaverimus, propriam quandam exſolutionem ominari non liceat? Nolim porrò exiſtimes, improbare me propterea, quod Rabbinus noſter habet circa Mundi ſenium; hæc nimirum alia, qua dicebam iu Philoſophiam peccari, pars eſt. Sane verò longe abſum, ut illa admittam ſenectutis argumenta, quæcunque ipſe reiicit; neque enim exiſtimo, hebetudinem oculi, tremorem manus, momentaneum ſudorem, aliaque ſimilia magis eſſe argumenta ſenectutis in homine, quam ſint in Mundu eclipſes, terræ-motus, diluvia, & quæ ſunt alia ejuſmodi. Hoc tamen vulo, ut tacito pede, & non intellecta irrepit ſenectus in nos; cum illam ingruentem Acari in nobis exiſtens (ſi illi mentem concedas) nun

poſſit deprehendere; ita Mondum quoque ipſum feneſcere poſſe, nobis, qui aliqua ipſius debiliſſima pars ſumus, minime agnoſcentibus. Rabbinus autem hoc (ut opinor) pernegaturus non foerit, qui mihi videtur ſolum illorum temeritatem velle coarguere, qui levibus adeo conjectutis rem adeo gravem definiunt. Eadem certe levi interpretatione exceperim, quem in eo lapſum quiſpiam ſcrupuloſiur forte animadverteret, ubi de ævo primorum Parentum. Neque enim tam negat, illos diututniores nobis extitiſſe, quam probationis ipſius debilitatem arguit. Cum nimirum, qua proportione humana ætas decreverat ab Adamo uſque ad Davidem, eadem quoque non decreverit a Davide uſque ad nos, qui limites etiam Davidi præfixos plerumque prætergredimur, poëtica ſane, & declamatoria argumenta iſta ſunt, ut & illa ejuſdem farinæ: *Ætas Parentum pejor avis*, *&c.* quæ ætate qualibet fieri Seneca etiam ipſe obſervavit, adjecitque: *Hæc ipſa eſſe hominum vitia, non temporum*. Hinc cum ſolet in eandem ſententiam illud Poëtæ obilci:

Et genus hoc vivo jam decreſcebat Homero
Terra malos homines, nunc educat, atque puſillos.

Ut ſcilicet oſtendatur, Mundum vergete ad interitum, poſſet quiſpiam excipere, veterem querelam ſemper innovari, ratione alia nulla præſtituta, quam quod rationis perverſitate laudamus ſemper Veteres cum deſpectu præſentium; &, ſi quidpiam nobis incommodum eſt, exaggeramus ea opiniona, quod quælibet præterita ætas autea præ noſtra fuerit. Profecto, ſi quidpiam in Mundo decreſcit, Immutaturque præ ſenio, illud in paucorum adeo ſæcolorum obſervationem non cadit. Quod enim ſpectat ad haſce nonnullas annotum Chiliadas, videtur Mundus in eadem ſempet variatione perſeverare; adeo ut illud etiam veriſſime uſurpari poſſit:

Non alium videre Patres, alium-ve Nepotes
Aſpicient; ———

Quia ſcilicet quantumcunqoe varietas magna obſervetur in particularibus mutationum circumſtantiis; in genere tamen eadem ſemper ſunt, quæ in ſæculis diverſis contingunt. Quo ſane ſenſu expoſuerim illud: *Novi, quod omne, quod faciet Deus ipſum erit* לעולם. Illud, quod Elcha noſter attingit de terræ, ac maris viciſſitudinibus, longiorem ſane ſæculorum exigetet ſeriem, ſi ad decantatam uſque Ariſtoteli commutationem extenderetur. Verumtamen, ut nihil eò uſque durationem Mundi protendere cogit, ita id, quod obiicitur levioris momenti eſt, quam ut laborioſe ſolvatur. Prætereo, quod habet de aquis terrâ emiuentiotibus, benigne etiam interpretandum. Etſi enim mihi unquam perſuadere potui, quin vertices montium, & eorum præcipue, qui in mediis attolluntur Inſulis [quidnam verò etiam continentes ſunt, quam aliquæ, ſeu Inſulæ, ſeu pen-inſulæ majores] longius diſtent a centro telluris, quam circumſtantis, allabentiſque maris ſuperficies; non videtur tamen Rabbinus tam hoc inficiari, quam arguere, etſi aquæ ſuperiores terrâ ſopponantur, non ſufficere tamen illas generali diluvio, cum Deos alias ad hoc negotium olim uſurpaverit. Illud levius de terræ totius motu impoſſibili. Ut enim taceam, quæſtionem non eſſe de mobilitate telluris juxta mentem ſcholæ Samiæ; experientia nulla eſt, quæ totius terræ molem probet aliquando concuſſam. Etſi ut poteſt totus homo contremiſcere, impoſſibile non ſit, quin tota quoque terra contremiſcat, atteſtante præſertim Scripturâ, ipſam a ſuis uſqoe columnis adeo tremefieri. Notus tibi Jobi locus eſt ארץ ממקומה ועמודיה יתפלצון המרגיז. Addu ſolum, illum locum de perpetoa ſtatione telluris והארץ לעלם עמדת, non videri prorſus oſurpandum, ut Rabbinus Elcha accipit; neque enim intelligitur de perpetua terræ in ſuo loco conſiſtentia, ſeu hæc opponatur Copernicez tranſlationi; ſeu generali terræ-motui, quem ipſe Elcha ſenſom ſtatuit; ſed de perpetua conſervatione ſubſtantiæ, ſeu materiæ, quæ ſcilicet nunquam generatur, nec corrumpitur; & nec creſcit unquam mole, nec decreſcit; quantomcunque varias mutationes ſubiens, innumeras prope-modum formas quotidie induat, & exuat. Hoc eſt enim, quod Eeeleſiaſtes antecedentibus verbis de *generatione vadente*, *venienteque* ſubindicat. Jam illud etiam pari ratione, qua ſuperiora interpretandum, quod Solem, ceteraque Aſtra natura ſua, nec calida, nec frigida eſſe Philoſophiam docere inſinuat. Nimirum ipſi ſatis fuit hanc viſam Ariſtoteli, Peripateticiſque ipſius ſententiam; quamvis, quæ oppoſita eſt, & experientia, & ratione videatur probabilior. Argumentum enim ipſius videtur, quæ Aſtra non minitarentur interitum Mondo, exiſtentia licet calida, & ignea; non habere quorlum id moliantur; cum, non ignobilibus Philoſophis atteſtantibus, non ſine ex ſe fervida magis exiſtimanda, quam calida. De Sole certe id ſpoponderim, cujus tamen igneis maxime ſentimus. Ille enim non eſt Mundo ad interitum; ſed potius, ut cor homini, ad incolumitatem conceſſus. Addiderim eum idem Sol eaſdem terræ parteis quotannis inviſat, & deſertas faciat; cum annis item ſingulis apogeom petat, perigeumque repetat; eum denique ſuam continuo, licet inſenſibiliter [præter variationem latitudinis] eccentricitatem variet [quod ille Cœlum inclinari dicit] exinde tamen nou ipſam Mundi demolitionem exiſtere, ſed rerum potius ſummam ſic nuvari Excurſus enim, & recurſus illi neceſſarii ſunt ad inducendam illam variationem, ex qua Mundi perfectio eſt. Quod ille porrò obiter dicit de inſtrumentorum fallacia in cœleſtibus obſervandis, non omnino abnuerim; id nempe ſolum teſtari poſſunt, qui ſortiti ſunt Cœli ſuſpiciendi venerabiliorem curam, ut Triſmegiſtus loqoitur. Quanquam nihil gloriæ propterea decedit illis Cœli Interpretibus, quod organa ſatis idonea cœleſtibos obſervandis, hypotheſibusque ſuis ſtabiliendis nacti non fuerint; eum non idcirco aſſe deſierint argumenti repertores, quo Deos, Hominesque vicerunt, ſi mihi cum Plinio ita loqui liceat; ſed hæc alterius loci ſunt. Supereſt itaque hoc onum, quod attingam circa eclipſeis, admirari ſcilicet me, quorſum Rabbinus præter naturaleis ſimul, & generaleis eclipſeis in Sole ſupponat; cum nulla alia præter eam, quæ patiente Chtiſto contigit, ejuſmodi fuiſſe memoretur; & ipſe minime Chriſtianus non videatur illam probaturus; idque præſertim cum nullus Ethnicorum, quotquot illorum temporum conſcripſerunt hiſtorias, illius meminerit, ſoluſque Phlegon ille Trallianus, citatus Euſebio, ad Tiberii principatum eclipſim quandam retulerit, quam-ne in plenilunio quidem, atteſtante Origene, aſſeruerit contigiſſe. Verum & ex huc capite, & ex eo, quod ipſe obſervaſti circa Divini Meſſiæ adventum, facile intellexero, non fuiſſe illi animum a ſacra, & Chriſtiana noſtra religione penitus averſum. Quod iſto porrò loco notas Scaligeri lapſum de eclipſi לקוי appellata, quod in ipſa Luna credatur

datur a veneficiis percuti, adiiciens, Lunam deficientem percuſſam potius appellari, quod tum menteis hominum terrore percutiat; tibi ſane quam multum aſſentior. Siquidem vulgus hominum patientem Lunam conſpiciens ſtupet, ſigeſcit, & aliquid tis perſimile habet, qui dicontur icti fulmine. At fortaſſis tamen Scaliger non omnino caruit conjectura, cum præſertim vox hæc a Rabbinis uſurpata primum videatur, quo tempore verſabantur apud eas Genteis, quibus ejuſmodi perſuaſio erat familiariſſima. Illæ enim, ut notum eſt, peluis, & tintinnabula pulſantes, credebant, ſe tum poſſe Lunæ laboranti ſuccurrere, cum ſtrepitu illo veneficia, quibus liveſceret, arcerent. Hac certe de cauſa videtur Temeſæa fuiſſe appellata, quod quadam quaſi percuſſione temerata deprehenderetur, & Medea venefica tum illam ſic vocat, tum illam plagam ſuis veneficiis infligi, quaſi obiiciet:

Te quoque Luna traho; quamvis Temeſæa labores
Æra tuos minuant; currus quoque carmine noſtro
Pallent; & pallet noſtris Aurora venenis.

Utcumque ſit, potuit quoque circa has præſtigias appellari eclipſis percuſſio, quod luminaria cœleſtia ſolita luce deſtituta perinde livida appareant, ac illi, qui ictus, plagaſque vehementiores excipiunt. Quanquam neque Rabbini deſunt, qui ex illa notatione in Scripturis ſacris radice eclipſim appellant קדרות uti Aben-Eſra in Exod. 23. & al. ſcribendo in Exodum, & alias non ſemel. En tamen quonam abripior? quaſi verò cavere non debeam, ne ſus [quod ajunt] Minervam doceat, aut quaſi gratulatoriam ob acceptum librum ſcripturus epiſtolam, velle videar alium ipſe librum illo majorem conſcribere? verum quid tu heic facias? cum & ego ea ſim indole, ut quantum poſſum, quidquid accipio, niſi cum uſura non reddam; & exiſtimaverim, non poſſe me olim tibi uberiores gratias agere, quam illam brevi exercitatione perluſtrando materiem; quæ videretur cariſſima, gratiſſimaque ſibi extitiſſe. An non boni id conſules, qui intelliges facile, nihil in me fuiſſe amicitia noſtra, & profeſſione dignius? Etſi neque capita omnia percurrere viſum eſt [quam fuiſſet enim hoc importunum?] neque pauca hæc, quæ decerpta vides, attingere in animo fuiſſet, niſi facile perſenſiſſem, poſſe me, ſi hoc agerem, expectationi tuæ reſpondere. Et verò tamen quomodo feres, ſi præterea jam interpellare te auſim, quorſum hebraicum textum e regione tuæ interpretationis minime collocaveris? Quod tibi fuerit conſilium, neſcio, neque is ſum, qui penitius quidpiam velim introſpicere; patiere tamen libere dicam, eſſe me in ea opinione, ut ſi appoſuiſſes Rabbini contextum, facturus fuiſſes Viris ſtudioſis rem gratiſſimam, & tibi ſane non indecoram. Hoc autem dico, ut ſi quando forte hunc libellum prælo iterum commiſeris, theſaurum nobis illum non invideas, qui alioquin cariſſimus eſt, & fortaſſis, niſi tua ſuccurras induſtria, naufragium quoddam altum paſſurus; ac non invideas etiam tibi gloriam, quæ ex germanæ interpretationis, conformitatiſque cum textu collatione profectura eſt. Verum tu hanc quoque meam libertatem æquo accipies animo; neque enim tibi hiſce verbis tam admonitionem expono, quam votum. Reſtat jam, ut pauca ſubjungam circa ea, quæ mihi voluiſti de Patre Merſenno innoteſcere. Illud verò [vel genio tuo bono annuente] primum profitebor, eſſe, quod Virum illum ſuſpiciam, & amem certe quam-plurimum. Et meretur enim inter Viros noſtri ſæculi eruditiſſimos numerari; & me ab ipſo præterea ſic amari ſentio, ut non poſſim ipſi, ſi velim, non eſſe devotiſſimus. Neque verò licet inter vos aliqua ſit oborta diſſenſio, aut tu propterea is es, qui perruptam velis meam tecum neceſſitudinem; aut ego is, qui propterea debeam facere cum ipſo divortium. Tu enim majore candore, ego majore conſtantia ſum, quam ut tale quidpiam, aut tu ſomnies, aut ego aggrediar. Generoſior certe tibi animus incumbit, quam ut frangaris delicato illo popularium hominum affectu, qui amicis nuncium remittunt, niſi in eos, quos ipſi oderunt, ſe gerant infeſtiſſime; & me jampridem Philoſophia docuit, immota fronte contueri hanc rerum inconſtantiam, ac levi aliqua de cauſa non diſcedere ab eo, quod mihi non ſine delectu maturiore propoſuerim. Id unum mihi dumtaxat dolendum, quod ut inter ſaxum, & ſacrum, hinc inde non niſi injucunda videam; neque ea ſim felicitate, ut qui junguntur in me tertio, jungantur ipſi inter ſe. Quodnam meum putas proinde votum, niſi ut querelas reciprocas, repetitaſque audire dediſcam, & vos eo nexu benevolentiæ revinctos accipiam, quo homines, quo litteratos, quo Sacerdotes, quo Chriſtianos deceat. Ac video ſane, te eò propendere, ut per te non ſtet, quin omnia deinceps pacatiſſime peragantur. Quam hoc laudo! ſed amico Viro hoc ſatis non eſt; exopto enim, vos quoque in gratiam perfectiſſimam redire. Ecce & hac ipſa de re ſcribere ad illum in animo habeo, neque me ſic ſpero fore infelicem, ut obteſtatus nihil conſequar. Et quod ad te attinet, majus quidpiam mihi de amicitia noſtra ſpondeo, quam ut rem mihi adeo gratam neges. Equidem non memoro heic, qua in re tu illum, in qua te ille offenderit. Abſis enim præter voluntatem, abſit præter meum inſtitutum Camarinam hanc moveam. Hoc ſolum velim, ut præ oculis [& neque grave id habeas] extitiſſe temet priorem, qui induciis non ſteteris; ac proinde ducas illa tua generoſa dignum indole, qua haſtâ damnum factum fuerit, id, quod intereſt, per eandem præſtari. Cedo autem, quam glorioſum tibi fuerit, ſi Merſennus, ut ille olim dicturus tibi illud videatur, ne tu Vir longe optimus es, qui reſarciendæ benevolentiæ tale initium feceris? Hinc valde probo, quod te dicis ſcripſiſſe in Germaniam, ut Amama adverſus illum calamum ſuum acuat [quanquam is ille, opinor, non eſt, qui quempiam multum pertimeſcat] ita ſcilicet imitaris exemplum Chriſti Domini; ſed cum hac via jam inſtiteris, noſti non eſſe retro reſpectandum. Quod de Fluddo adiicis, neſcio an noris, navaſſe me quandam Reverendo Patri adverſus illum operam. Menſis jam eſt, ex quo ad ipſum meam cenſuram miſi duorum illorum operum, quæ Nundinis Autumnalibus adverſus ejus Commentaria accepiſſe potes Fluddum emiſiſſe. Hoc autem egi, non tam, quod ille mea egeret induſtria, quam ut me comprobarem natum ad amici obſequium. Addis ad calcem aliquid de emittendis illis meis in Epicuri Philoſophiam elucubrationibus. Id habeo ſane gratiſſimum, quando & mea ſibi ſtudia innotuerunt; neque vereor, ut quos liber tuus lectores æquos nanciſcetur, mihi propterea ſuccenſeant ob quæſitam illam Epicuro apud vulgus infamiam. Facillime enim noſſe poterunt, quod Seneca habet, Epicurum ſancta, & recta præcipere; ejuſque Sectam male quidem, ſed immerito audire, quod ſola voluptatis una fronti præfixa, & prave

accepta,

Digitized by Google

accepta, fecerit locum fabulæ. Emiſiſſem porrò jampridem commentationes illas meas, ſi aut datum fuiſſet diutius alicubi interquieſcere, aut ſchedas meas in ſcriniis ſemper apud Patriam non reliquiſſem. Noſti enim quot jam annis ſtudia mea ſint variis negotiis, & peregrinationibus interrupta. At dabit Deus his quoque finem, cum id quidem ipſi viſum fuerit; tumque votis, & amicorum, & meis ſatisfaciam, ac præmiſſis, quæ ſuperſunt, Anti-Ariſtoteleis exercitationibus, Epicureas, de quibus ſcribis, continenter ſubiiciam. Vale interea, mi Gaffarelle, & quo jampridem cepiſti affectu, me perpetuo proſequere. Dabam Aquis-Grani in itinere, poſtridie Non. Martii, anno ſalutis æræ vulgaris M. DC. XXIX.

Gottifredo Wendelino Viro eximio,

PETRUS GASSENDUS S.

HÆrebis, non hæreo, ſuaviſſime Wendeline, cujus, aut unde epiſtola. Quidni? hæc enim ego ſcribo nomine tibi ignotus, & vultu. Scribo, cum tam procul a meis, tam prope a tuis abſim laribus. Ne mirere tamen; is ſum, qui tuam eruditionem merito ſuſpiciens, te ſpectaturus huc acceſſeram. O mea ſors! tu inde abſuiſti; cumque non abſis jam maximum, ecce tamen hoc tempore maximum Chaos interjectum. Plena ſunt omnia milite, vel confuſione potius militari; plena omnia periculis. Teſtem affectus videndi tui citare poſſum tui vere amantem, Erycium illum Puteanum dico; illum, quo artes, ac litteræ bonæ nullum majus ornamentum, aut ſeculo noſtro nactæ ſunt, aut conſequente ævo nanciſcentur. Ipſe eſt, qui accinctum me ad te conquirendum, pro ſua illa rara humanitate prohibuit. Prohibuit, quoniam diſſuaſit, præclare ſentiens non expedire, quidquid ſine diſcrimine aperto non liceat. Quid facerem? diſcederem longius, te inſalutato, etiam per epiſtolam? Non feci, non tuli. Hiſce itaque paucis verſibus, quam poſſum, ſalutem jam dico; dicturus coram, ſi Deus adſpiret. Speraram tecum communicare commentationes aliquot meas argumenti Aſtronomici; ſed vel ſperandum amplius, vel res litteris demum peragenda. Symbolum heic tibi interea reſigno meæ in te obſervantiæ; ſelectas, inquam, duas obſervationes, quas ſat ſcio, jucunde accipies. Una eſt eclipſeos ſolaris peracta Aquis-Sextiis, cujus loci latitudo eſt 43.grad. 33. min. ante annos octo, eodem die, immo eadem hora anniverſaria, qua jam refero. Scilicet anno æræ vulgaris 1621. die Maii 21. ſtylo Gregoriano. Idque mane deficere cepit Sol hora 7. min. 5. ſec. 28. Deſiit hora 8. min. 58. ſec. 20. cum creviſſet obſcuratio ad digitos uſque 9. min. 23. Altera eclipſeos lunaris, quam peregi item Aquis-Sextiis, ſuperiori anno 1628. Contigit illius initium die Januarii 20. a meridie hora 7. min. 49. Totalis obſcuratio hora 8. min. 48. recuperatio luminis hora 10. min. 25. finis hora 11. min. 24. Adhibitum porrò ad utranque accuratum ſtudium. Jurare auſim, vix ullam unquam ſolari factam exactiorem. De lunari idem dicendum; quantum per penumbram illam initialem, finalemque licuit. Prioris momenta habita ex Sole. Cum ego enim Solis radios optico tubo trajectos circulo albo exciperem, aderat loco commodo prior ille Valletæ Galterius, quem noſti, ut Solis altitudines ad ſcrupuloſa tempora indaganda venaretur. Poſterioris habita ex fixis; hiſce enim noctu collucentibus, cautioneque adhibita horologium nullum tutius. Nihil neceſſe accenſere, perſcribereque ſingula. Cum præſertim, ſi quidpiam forte his rebus indigueris, communicare paratus ſim, & plura, & ampliora longe. Contendo jam Antuerpiam, rediturus poſtea Bruxellas, ut exinde ſi per bella liceat, repetam luſtrationem ceptam ſuperioris Germaniæ. Tu ſi fortaſſis aliquid officii, bona mea ſorte, a me exigas, litteras dare poteris Pariſios ad Puteanos fratres, Viros illos ingenuos, quibus demandata nobiliſſimæ Bibliothecæ Thuanæ cura. Ii nempe tranſmitti curant, ubicunque Gentium ſim, quidquid, ſeu ex Provincia, ſeu aliunde mihi conſignatum habent. Hac certe via etiam nudius-quartus accepi a nobili illo Senatore Petriſcio, quicum de te ſæpe colloquuti ſumus, declinationem Parheliorum, ſive Solis quintuplicis Romæ nuper viſi die Martii 20. Illius exemplar attexam huic epiſtulæ [lubens enim, opinor, videbis] ni forte diſceſſum comitatus urgeat, exſcriptionemque impediat. Deeſſe puto aliquid; ſed effigiabo qua par erit fide; piaculum enim propter conjecturas addere quidpiam obſervatis, aut detrahere. Heic præſertim, cum hæc forma ſit, quam ad amicum illum noſtrum Illuſtriſſimus Cardinalis Barberinus miſit. Tu bene vale, mi Wendeline, & quæ ſtudia colis, excole perpetuum. Reſcivi illa, cum ex editis elucubrationibus, tum ex habitis cum bono, & docto Petavio colloquiis, tum nunc ex Puteano, Muſarum delicio inexhauſto. Digna ſunt tuo ingenio, digna ſæculo erudito. Incumbe ſolum, & me ama. Iterum vale. Lovanii XII. Kal. Jun. anno ſalutis, æræ vulgaris M. DC. XXIX.

Viro incomparabili Erycio Puteano,

PETRUS GASSENDUS S.

LItteras ecce, mi Puteane, mihi traditas, tibi conſignandas. Hoc curo; ſed vide interea compenſationem ut exigam. Attexo enim litteras, quas Fieno noſtro cures conſignari. Si licentiam miraris meam, comitatem ego tuam ſpecto. Ago familiariter, ago confidenter; immo ago præterea, quod ſtupeas. Videlicet heic non conſiſto; amplius audeo; contendo plus ultra. Pecco; & ò me lepidum! non efflagito veniam; humanitatem tuam accuſo. Quidni! hæc, ut eximia eſt, libertatem peccandi inſpirat. Quæris quid hoc ſit? cum Fieno ſcribam, hoc ipſi mando, ut ſi quidpiam reſcripturus ſit, litteris ipſis te oneret, quas tu ad me tranſmitti procures. En meam audaciam! ſed te reſpice. Aut non debuiſti me ſic amare, aut ferre jam amicum debes, amantem quidem, ſed non moderatum. Vidiſti porrò quid Wendelino, ſi quid mea egeret induſtria, indicaverim. Significavi, ut litteras deſtinaret Pariſios ad utrumque, aut alterum ex illis fratribus Puteanis [vulgo *du Puy*] qui Thuani illius Præſidis illuſtris, & lares colunt, & libros curant. Hoc moneo, ut hac quoque via communicemus poſtmodum. Mihi certe nihil carius unquam, nihil jucundius eſſe poterit, quam ut hanc noſtram amicitiam colam. Gandavum nunc, oramque illam ulte-

ulteriorem viſurus diſcedo; hunc ſi appellam iterum [contingent autem, ſi quidem contingat, tertio, aut quarto ab Idibus die] requiram ex tuo Chiffletio, qui valeas. Utinam bene, immo optime. Scripturus fueram aliquid circa Olympiadas, ac circa etiam Parhelia illa Romæ nuper obſervata, quorum tibi ſchema eſt a me oſtenſum; ſunt enim loca Paterculi, Plinii, Suetonii, Dionis, aliorum, quæ collata negotium faceſſant. At aliud jam tempus expectandum eſt. Interdictu agendum cum Fieno. Poſtquam enim has heri accepi ad te litteras, cum ad ipſum, prius, quam ad te ſcribere cepiſſem, neſcio, quæ calami luxuries abduxerit me, deſtinatumque, & debitum tibi abſumpſerit tempus; ſed penſabitur aliàs. Vale, Puteane optime, ac me porrò amare perge. Dabam Bruxellæ in ipſo diſceſſu, VII. Idus Jun. anno æræ vulgaris M.DC.XXIX.

Percelebri, & eximio Viro D. Thomæ Fieno, in inclyta Lovanienſi Academia Profeſſori Medico Primario,

PETRUS GASSENDUS S.

QUam grato, mi Fiene, quamque ubere commeatu me diſcedentem inſtruxeris, haud explicare facile poſſum. Ecce enim docti libri lectio non viarum modo lenivit moleſtias; ſed epulas quoque jucundiſſimas in diverſorio ipſo apparavit. Vix convixi certe ſodalibus meis, vix interquievi, donec totus mihi liber devoratus eſt; non committendo interea, uti vel mica aliqua excideret inguſtata; ita nimirum cupide in librum invaſi; ita avide quæcunque in illo conſcripta arripui. Et optaras tu, ut legerem ſemel? Scilicet optaras, ut ignis arderet, vel lapis ſponte decideret. Qui illam enim philoſophandi libertatem tantopere amo; haud herebam illum mihi abs te librum traditum, in quo amica veritas, in quo Plato amicus placeret. Deum verò immortalem! quam non inanis me lactavit ſpes! quam multa paſſim agnovi veſtigia generoſi animi! quam ſæpe quaſi ſubſilii, propter ingenuam indolem, qua te veritate, qua Philoſophia dignum judicaſti! jam enim veri inquirendi libertas prope adempta eſt; vixque e multis millibus reperire vel unum licet, qui non ex opinionibus præjudicatis philoſophetur. Proh pudor! non audere ſe, qui ſeſe Philoſophos jactant, reputare homines, timereque, ne ſi bacillo auctoritatis non innitantur, nutent, labaſcant, corruant? quaſi verò errorem proinde a veritate diſcernere poſſint, qui palato alieno ſapiunt; aut quaſi verum aliquid proferre unquam valeant, ex quibus citius impetres, ut dormienti leoni barbam vellant, quam ut abſtruſum aliquid per ſe, ac ſerio perſcrutentur. Quin etiam aſſueti, ut noctuæ nocturnis ſuis igniculis, nihil vereri magis videntur, quam ne Sol exortus pellat tenebras; ſicque gaudent ſuis illis, quaſi latebris, ut non ferant ſe educi in auras, quò liberiore, quò illuſtriore, quò humaniore cœlo fruantur.

Veruntamen ne retexam longius querelam iſtam veterem, accedendum potius, propiusque ad tuam illam Apologiam, pro qua elogium ſane texerem, ſi hedera, quod ajunt, egeret. Tu ſcilicet eum Athletam agis, quicum non debeat contendere, niſi, qui velit dejici e gradu. Tu ſic ad pugnam te comparas, ut tibi ſemper victoria concolor alis ſe comitem præbeat. Quanquam certe nactus heic es Antagoniſtam egregium; illum tu tamen ſic excipis, ut conſiſtere nullibi patiaris. Mille formas induat; hercules ſibi non deeſt ars, qua omnibus ſuperior evadas. Singula quid proſequar? cum ille præſtet quidquid pro communi præſtari poteſt ſententia; tu pro tua ſic dimicas, ut cauſam ubique obtineas. Quidni! cum tibi non induſtria deſit, non argumenti præſtantia; illum ut artificium juvat; ſic gratia cauſæ deſtituat. Hinc cum laudarem illius conatum; ob ſucceſſum tamen tibi gratulor, exiſtimoque, bona tua ſorte, exortum fuiſſe adverſarium, in quem tam ſtrenue, ac feliciter vireis tuas experireris. Commendandus ille inter cetera, quod id curare maxime videatur, ut religioſa Philoſophia ſit; tu mihi vel eo nomine commendandus maxime videris, quod philoſophicam materiam pertractes philoſophice; id tamen curans interea, ut ſua religioni majeſtas ſervetur. Ac ſane quidem ubi religio præſcripſit nobis aliquid; temeritas, immo furor eſt, in oppoſitum quidpiam muſſitare; ceterum autem, ubi aliquid definitum expreſſe non eſt, ſed obeſt ſcrupuloſorum quorundam opinio, qui neſcio quas conſequutiones pro ſuo derivant arbitrio; quid, amabo, neceſſe eſt Philoſophiam totam exturbare? An-non ſcaturigo hæc eſt, ex qua tot abſurda commenta in Philoſophiam defluxerunt, ut quæ vulgo jam circumfertur, non veritatis ſtudium, ſed anilium deliramentorum tyrocinium appareat? verum & iſtud ad querelam ſpectat.

Quod itaque ad Apologiæ argumentum attinet, digna ſane materies, quæ noſtra interdum ingenia exerceat. Quid præclarius enim, aut jucundius nobis, quam noſtram noſſe originem; diſquirereque ex quibus initiis, per quæ incrementa robur acceperimus? Etſi enim nobis, qui Chriſtiani ſumus, conſtitutum ſemel eſſe debet, animam, qua ratiocinamur, non eſſe ex traduce, ſed a Deo ter-maximo creari, nobisque infundi; adhuc tamen plurima reſtant, quorum inveſtigatio pulcherrima ſit, ac illud inter cetera, de quo vos inter lis agitur, quonam ſcilicet tempore anima incipiat fetum animare. Res abſtruſa, fateor, & ex qua fortaſſe vix unquam, quæ noſtra caligo eſt, illibatam veritatem expiſcari liceat; ſed veri tamen ſimilitudo, quam venari utcunque licet, conditionis ejus eſt, ut voluptate maxima diſquiſitionis laborem compenſet. Tu, ſi fatearis, quod res eſt, quanta-nam mentis oblectatione delinitus es, cum ſuperatis moleſtiis opinionis illius vulgaris, acceſſiſti ad illam tuam, quæ viſa ſit tot paraſangis eſſe veriſimilior? Hoc nempe eſt, quod Cicero dicit, animam compleri voluptate humaniſſima, quando occurrit aliquid, quod veriſimile videatur. Ita adhuc loquor, mi Fiene, neque tu ipſe, qui candor eſt tuus, potes id ægre accipere. Quanquam enim ſententia tua eſt receptâ illâ longe probabilior; non tamen adhuc jurare auſis id, quod ipſe opinaris, eſſe veritatem ipſiſſimam. Modeſtia ſane tua major eſt, ſat novi tuum genium, quam ut credas, tam facile eſſe verum invenire, ac eſt falſum convincere. Ingenue potius cum Socrate, veritatem Diis, Deorumque filiis relinquens, ſufficere arbitraris, cum ſimilitudinem veri aſſequutus fueris; neque verò quidquam gloriæ propterea decedit invento pulcherrimo; nam & hoc ipſum maximum eſt, cujus ſi bene nos novimus, imbecilla noſtra natura eſt capax; & laboris heroici eſt inde

raeſ-

receſſiſſe, quò ſe arrores congerunt; eò proceſſiſſe, ubi rara veri ſimilitudo affulgeat. Hinc ſatis profectò perquam eleganter, cum diem tertium circiter animationis aſſignans; a momenti tamen ipſius deſignatione abſtines. Ut te enim propius collimaſſe marito ſubolfacis, ita præclare ſubindicas ſupereſſe adhuc ſcrupulum, cujus exemptio videatur opus humana omni ſolertia majus.

Patiere-ne por. ò, dulciſſime Fiene, ut & ego quidpiam attexam ex meis inſomniis? Refero certe ad ſelicitatem, quod eodem pæne tecum argumento contigerit mihi a communi opinione recedere. Etſi enim in eo diſſidebam, quod animatum ſemen arbitrarer; conſentiebam tamen in eo, quod abſurde trigeſimus, aliusve dies expectaretur, quo embryo perfecte formatus animam reciperet. Probabilius enim longe videbatur, uno, eodemque tenore fieri organorum elaborationem ab ipſo uſque principio; neque adeſſe ullum momentum in tota ſerie conſequente, quo ſic parata eſſent omnia, ut momento antecedenti apparatus ſufficiens non eſſet. Quippe ſi die vigeſima nona quidpiam adhuc ad organi perſectionem deſideraretur, exiſtimabam etiam defuturum aliquid, & die trigeſima, & quadrageſima, & centeſima, immo, & a nativitate, & ad ætatem uſque adultam. Quemadmodum ſi idonea fuiſſet trigeſima die conformatiu, ſuiſſe quoque rebar vigeſima nona, & vigeſima, & decima, & quinta, & prima. Scilicet ſerie non interrupta, a rudiſſimis uſque rudimentis ad extremam uſque perſectionem progreſſus fieri videbatur; &, ſi tempus expectandum ſuret, quo rationalis anima elaboratis propriis organis induceretur in corpus, expectandos autumabam non menſeis, ſed annos; neque enim certe trigeſima die affabrefacta, & ad actionem comparata ejus organa. Mea itaque ſententia erat, quo momentu ſemina Parentum excepta, ſeſeque cumplexa, & commixta in utero eſſent, adeſſe Deum, qui animam crearet, maſſulæque illi ſemineæ [cum jam ſcilicet anima Parentum in ea deſiiſſet] infunderet. Ut vero tunc prope ad tuam accedebam ſententiam; ita jam tibi do prorſus manum, ſi complexio, commixtiuque illa duos, vel tres dies forte exigat, ad hoc ut maſſula reſideat, omniaque ſe pacifice habeant, prius, quam poſſit anima inexiſtens ſuum illud opus aggredi. Quod ſi fortaſſis non videatur tantum ad hoc temporis exigi, neque ſeriatio adeo diuturna in materia ſeminea neceſſaria judicetur; non hæreu, quin tu ſis etiam ex illo tuo triduo quidpiam ademptùrus, & [ſi e re eſſe videatur] ad primum uſque momentum venias. Certe ubicunque hæreatur, in hac interſpedine, rationes tuæ ſemper militant, eademque ſemper patet ad factas objectiones reſponſio. Adiicerem heic aliquid, niſi quæ tua ſolertia eſt, ipſe omnia præoccupaſſes. Quid enim poſſit deſiderari ad illa, quæ habes, ſeu de generali notione inſtrumenti [quod ego majoris cujuſdam claritatis gratiâ ſuleo dicere, vel adnatum, vel adſumptum] ſeu de inſtinctu ſacultatis, animæve conformatricis [qui ſane prorſus a noſtro vulgari ratiocinio diſtinguitur] ſeu de impreſſis ſemini ab initio ſimulacris [quu locu prorſus improbanda non videtur Paracelſi mens] ſeu de non neceſſaria ad exiſtentiam animæ corporis organizatione [cui opinioni præluxerat, quæ mali fuit præcipua radix, definitio Ariſtotelis] ſeu de aliis quibuſcunque.

Præſtat itaque ſubiicere alias ingenii mei commentationes, dum hanc tractarem materiam. In ſcopulos impegi varios, néque enim profiteri pudet; verum ut ardor veritatis erat, quo tum ſentiebam me abripi; ita jam adhuc memorare juvat, maxime verò apud te, qui & ipſe es veritatis tantopere amans. Primum itaque ſuſpicabar vivere fetum animâ maternâ, quandiu eſſet in utero. Ut enim arbos fructui immaturo non alimentum ſuppeditat modo per adnatum pediculum, ſed per ipſum quoque tranſmittit animæ ſuæ particulam, qua fructus formetur, nutriatur, adoleſcat, perfectus evadat; ſic videbatur mater per placentam utero ſuo aggeneratam, perque vaſa umbilicalia ex utero naſcentia non alimentum transfundere modo, verum animam quoque ſuam ſic producere, ut fetus ipſa informatus elaboraretur, vegetaretur, perfectionemque acquireret. Et ut fructus animulam illam ſibi paulatim quaſi propriam facit, eandemque ſecum devehit, ubi maturus jam effectus divellitur ſponte ab arbore ſua ex abductione pediculi; ita videbatur fetus animulam ſuam ſibi paulatim vendicare, matureſcensque illam abducere, dum abruptâ ex utero placentâ ita proſiliret, ut res per ſe ſuas agere quaſi inciperet. Concipiebam porrò animam hanc fetus compoſitam ab initio ex delatis per ſemina patris, matriſque animulis, adeo ut illa huic insereretur, ut ſurculi anima ſolet trunci arboris animæ; ſic nimirum ut, velut ex trunco tota eſt deinceps vita arboris; ita ex matre tota deinceps pendeat ſetus vegetatio. Imaginabar, animulam hanc ſimile aliquid habere cum filio-ſamilias, qui ante emancipationem familiæ paternæ eſt pars; poſtquam emancipatus eſt, conſiſtit per ſe, ac familiam ſacit. Argumentabar, ſi poteſt palmes ſubter terram ductus, vitique ſuæ adhæreſcens, agere radices, vitemque per ſe ſic formare, ut paulo poſt vite matrice amplius non indigeat; cur fetus matri ſuæ adhærens, & corpore, & anima, non ſic poſſet concipi in utero, quaſi plantatus, ut poſt debitam formationem a matre veluti reſectus, poſſet per ſeſe exiſtere? Addo jam aliud ſomnium. Allubeſcebat concipere fetum propriam quandam, atque diſtinctam poſſidentem animam. At verò illam opinabar ex anima adhuc Parentum deciduam, cum ipſo nempe ſemine. Quippe ut granum ex planta deciſum ſervare animam videtur; neque enim mortuum videtur, aut eſt, niſi vel igne torreatur, vel alio caſu efflet animam, quæ quamprimum terræ gremio debite ſovetur, vires ſuas explicat [torpenteis prius deſectu materiæ, debitique conceptaculi] ac ſormare aggreditur plantam illi ſimilem, cujus pars ſuit, aut in qua reſedit; ſic videbatur ſemen Parentis generationis actu excretum devehere ſecum animæ particulam, quæ excepta in utero ſic elaboraret congeneam, aggeſtamque materiam, ut exinde ſormaretur vivens illi ſimile, cujus pars ipſa aliqua ſuiſſet. Quod ſi adhuc anima illa dicenda ſoret ἐντελέχεια corporis organici; videbar mihi eam in ſemine agnoſcere partium heterogeneitatem, quæ cum adultæ animæ minime ſufficeret, ſatis tamen eſſe poſſe ſubnaſcenti intelligeretur. Quantumvis enim diverſitas illa dignoſci ſenſu non valeat; ratio id tamen intelligit ex varietate illa partium, quæ ſe exinde paulatim prodit. Cenſebam porrò, animam advenire jam edoctam, quam deinceps aggreditur organorum elaborationem ex generantis corpore. Omnes enim animæ partes, quæ ſunt in quolibet vivente, videbantur eſſe ejuſdem rationis; adeo ut quidquid ceteræ præſtarent, præſtare poſſet quælibet

libet

Digitized by Google

libet tanquam ideam continens omnium. Juvabat me exemplum rami reſecti ex ſalice, arboreve ſimili [quanto verò magis ſemen, cujus præcipua animæ cura?] poſtquam enim hic ramus eſt ſatus, agnoſcimus, animam ipſius non modo fuiſſe eruditam, cum pars eſſet in ſalice, fundere ramos, & folia; ſed fundere quoque radices, quod alterius partis animæ videbatur proprium munus eſſe. Ex hoc colligebam, animulam inexiſtentem generantis ſemini per ſe idem poſſe, quod totam reſiduam; deciſamque devehere ſecum illarum omnium partium ideam, quas cum reliqua informabat. Unde & aſſuetam nutritioni, & conſervationi, ſeu continuæ corporis generantis conformationi, pergere opus quaſi inceptum in ſemineo corpuſculo; agere idem, quod antea agebat; verumtamen debiliter primum, pro ſuo modulo, ac teneritudine, proque nova, ac demandata agendi ratione a ceteris partibus. Deinceps autem quaſi paulatim ſe colligendo, roborando, opuſque magis idoneum, ſeu materiam præparatiorem nanciſcendo, longe animoſius.

Enimverò quandoquidem in neutra harum opinionum conſiſtendum mihi erat, quod juxta utramvis filii anima portio fieret animæ Parentum; cum Fides tamen ſacra doceret, rationalem animam, ut immaterialem, ita individuam eſſe, ac a ſolo Deo ex nihilo producibilem; idcirco ulterius diſquirendum fuit, num diſtinctione adhibita alterutrius probabilitas cum ſacra Fide poſſet conciliari. Porrò illud ſtatim occurrit, quod nonnulli etiam Catholici defenderunt, videlicet, animam humanam ex duplici parte compoſitam eſſe. Una nempe immateriali, ac intellectiva; alia corporea, & ſenſitiva; ſenſitivam autem ut diſpoſitionem in corpore perexigi ad alliciendam intellectivam, detinendamque ceu vinculis. Quamobrem inde efficiebatur, ut ſolam partem ſenſitivam concederem derivari a Parentibus, ratione utravis jam expoſita [hæc ſcilicet, quod animabus ceterorum animalium analoga eſſet, ſufficere videbatur ad delineationem animalis corporis] ceterum autem profitebar, rationalem partem adhuc ſupereſſe, quæ crearetur a Deo, infundereturque in corpus, ſtatim, atque deciſione facta, ſeu ſetus, ſeu ſeminis, rationalis anima Parentis, ſeu ſetum, ſeu ſemen informare deſineret, ſolaque portio animæ ſenſitivæ ſupereſſet. Acceſſit modus paulo diverſus conciliationis hujus faciendæ ex antiquis Philoſophis. Iſti ſiquidem animam, quam nos vocamus ſenſitivam, cum adnexa vegetativa per totum corpus ſic fuſam volebant, ut conciperent ejus quaſi florem, ſeu animæ quaſi animam in ſolo corde, aut cerebro conſtitutam ſedem habentem. Hæc verò erat illis mens, animus, intellectus, ratio, *τὸ ἡγεμονικὸν, pars princeps*, unoque verbo, celebrata illa divinæ auræ particula. Quocirca & ipſe videbar aſſerere poſſe filii animam per totum nempe corpus diffuſam, deciduam eſſe a Parentibus; adeſſe verò in ipſius, ſeu corde, ſeu cerebro, non jam florem materiæ, ſed divinam illam energiam, a Deo creatam, corpori infuſam, & animæ agglutinatam, qua parte hæreret, ſeu cordi, ſeu cerebro, idque tum demum cum expediret. Utcumque foret, videbar mihi peroptime explicare poſſe duplicem illam animæ portionem ſuperiorem, & inferiorem noſtris agnitam Theologis. Deinde etiam declarare cauſam, quare hominis generatio vere dici poſſit productio viventis a principio vivente conjuncto in ſimilitudinem naturæ. Quare filius dicatur pars, & imago patris, neque minus debeat Parentibus ſuis, quam debeat ſuis brutum animal. Quare cum homo una ſui parte ſuperſtes ſit, Angeloque factus paulo minor; alterâ tamen ſimilem ſortiatur jumento ortum, & interitum, ceteraque ſimilia, quæ ſi urgeantur ſerio, non ſic facile expedientur ex vulgari ſententia.

Sed finem facio, mi Fiene; quouſque enim digrederer, ſi recenſere ſingula vellem, quæ circa iſtud argumentum excogitata aliàs, diſputataque a me ſunt, additis etiam ſolutionibus ad bene multa, quæ obiiciebantur. Hæc attigiſſe ſatis ſit, prout occurrerunt, ſeu redierunt potius in mentem, ut præter gratum animum reponerem etiam aliquid in muneris compenſationem. Etſi enim ſomnia rependo, cum tu omnia tam ſerio; ſic me tamen habeo, fore ut boni conſulas quidquid nugarum heic loci reperies. Alii certe neque iſta, neque hoc modo ſcriberem; tibi, cui notum quanti ſit ipſum ingenue philoſophari, ingenuum hoc meæ Philoſophiæ credere volui ſpecimen. Quare, qua dedi, ea mente accipies. Cum hac tempeſtate, nomine permulti, re perpauci Philoſophi ſunt; alloquor te, ut unum ex iis, qui ſunt majoris, & melioris notæ. Si quidpiam ſorte deſideretur, minime ignoras mores temporum; &, ut poſſis, cetera, affectum certe non deſiderabis. Memor ſum illorum complexuum, quibus non ſemel me devinxiſti; memor affectus, quo mei amans, me redamantem eſſe voluiſti; memor muneris, quo me obſtrinxiſti; memor denique virtutis illius, qua præſentia famam ſogente, mihi perſpicue innotuiſti. His itaque nominibus ſum affectiſſimus tibi, & obſervantiſſimus. Tu me, ut cepiſti, ſic amare perge; quod me attinet, ego te amare, colereque nunquam deſinam. Salvere opto, ſi per te liceat, & Theologum doctum Fromondum, & Profeſſorem juris Andream, & collegam tuum Caſtellanum, Academiæ lumina. Epiſtolam hanc tibi conſignabit Vir ille clarus Erycius Puteanus; tu ſi quid opus obſequio meo habeas, litteris ipſi ad me creditis ſignificate e re tua erit. Diſcedo cras mane Gandavum, adque oram maritimam decimo, ut ſpero, rediturus die. Seu referam pedem, ſeu aliò contendam, ubicumque Gentium fuero, ſcito tui memoriam circumgeſtatum perpetuum iri. Vale. Bruxellæ poſtridie Non. Junii, anno ſalutis M DC.XXIX.

Viro clariſſimo, & Philoſopho, ac Medico expertiſſimo Joanni Baptiſtæ Helmontio amico ſuo ſingulari,

PETRUS GASSENDUS S.

ACcepi, & legi in itinere, præclare, at ſuavis Helmonti, quam ad me nuper ſcripſiſti Exercitatiunculam. Etſi verò ſpes ſupereſt videndi iterum tui, quia fieri tamen poterit, ut mutato conſilio ex Hollandia in Galliam traiiciam, Flandriamque tuam prætercam, idcirco nactus occaſionem reſcribendi ad te ex hac urbe, argumentum illud epiſtolæ tuæ retractare non diſtuli. Cum me itaque degente Bruxellæ varii inter nos conſererentur ſermones, illud quoque poſtremis diebus ante meum diſceſſum agitatum eſt, naturalis ne homini *Creophagia* videretur. Ego, ut mihi proclive eſt, vel ſolius

animi gratiâ ire in ſententiam vulgari ſenſui repugnantem, eam, quæ negaret, partem aſſumpſi; tenuiſti tu oppoſitam viam, ſicque mutuis, oppoſitisque contendentes rationibus, jucundiſſimas exegimus horas. Tu jam litem rurſum intentas, quaſi rem gratam mihi facturus; ego verò facile ſentio incumbere mihi, ut aliquid etiam regeram, quò rem quoque tibi gratam faciam. Quidquid porrò præſtare poſſim, tanto ero ſemper inferior, quanto tu ſemper ille fueris, qui prior provocaveris ad tam liberale certaminis genus. Regium ſane, & in quo vinci præclarius putem, quam vincere; quippe in veri diſceptatione non qui veritatem alii commonſtrat aliquid adipiſcitur, ſed cui demunſtratur ille lucrum facit. Cauſa hæc eſt, cur ego arenam generis hujus nunquam recuſem; ſcilicet ratus, nihil eſſe, cujus jacturam facere poſſim; eſſe verò emolumentum, quod pergrande liceat conſequi. Quare & gratiam tibi debeo multam, quod præter mutua colloquia de eſu carnium habita, occaſionem præbueris aliquid ſcriptitandi. Haud ignotus verò tibi meus genius. Etſi enim videri poſſum interdum quidpiam aſſerere; nihil tamen unquam ſtabilio, quod exiſtimem, velim ve excedere fineis probabilitatis. Sto adverſus Creophagiam, quaſi nobis non naturalem; nimirum conjecturas habeo, quæ me propendere in hanc opinionem faciant. At huic tamen opinioni non ſic hæreo, ut noſtri vulgo Dogmatici faciunt. Hæreo imbecillo aſſenſu, quod conjecturæ ſolummodo ſint. Quamobrem tibi perfacile erit ad tuas me pellicere parteis, dum, non dico demunſtrationes, verum conjecturas dumtaxat illuſtriores habueris. Ac delegiſti quidem illam, quæ videbatur præcipua ex meis, ut obſcuriorem faceres. Patere verò, mi Helmonti, opinari me vel ex eo lucem ipſi acceſſiſſe, quod tu ſic illam diſcuſſeris. Rationes tuæ præclaræ ſunt, evincereque videntur, opinionem meam demonſtratam minime eſſe; at neque ego demonſtratam puto; ſcio quid ſubſit hæſitationis; voluerim ſolum, contrariam oſtendi vero-ſimilitudine majore.

Itaque ego argumentabar, non videri nos a natura comparatos ad animalium carneis comedendas ex conformatione dentium; ſiquidem animalibus [de terreſtribus loquebar] quæ ad eſum carnis natura inſtruxit, conceſſos eſſe denteis longos, turbinatos, acutos, diſſitos, inæqualeis; cujus generis ſunt leones, tygrides, lupi, canes, feles, cetera. Quæ verò natura creavit, ut herbis dumtaxat, fructibusve veſcerentur, iis adeſſe dentes breves, latos, obtuſos, contiguos, æqua ſerie diſpoſitos; cujuſmodi ſunt equi, boves, oves, capræ, cervi, alia. Porrò autem, homines ſortitos eſſe a natura conſurmationem dentium non inſtar animalium, quæ ſunt prioris generis, ſed inſtar eorum, quæ poſterioris; quocirca probabile eſſe, cum homines ſint e terreſtrium animalium catalogo, voluiſſe naturam, uti in delectu ciborum ſequerentur non priora illa, videlicet carnivora; ſed hæc poſteriora, quæ ſimplicibus terræ donis contenta paſcuntur. Jam tu ſic inſtas: *Cum homo ſit immediate creatus a manu Dei, cum prædeſtinatione capeſſendæ æternitatis, flaccescunt idcirca omnes conjecturæ petitæ ex natura, aut conformatione ejus, ut inde de prædeſtinato judicetur in functionibus naturalibus.* Ego, ut dicam, quod e re ſit, fateor hominem deſtinatum a ſuo Conditore ad æternam beatitudinem; neque, quod ſpectat ad myſterium deſtinationis illius, petere quidpiam contendo ex conformatione corporea. Donum videlicet divinum, ſuperque naturale eſt; ac poteſt Deus Abrahæ filios, ſeu prædeſtinatos excitare ex lapidibus [quanquam etiam non abs re forte ex erecto ipſius vultu aliqui ratiocinantur juſtum hominem contueri Cœlum, tanquam ſedem æternitatis, cujus futurus ſit particeps] attamen verò non adeo ſum ſolers, ut pervideam, quare non liceat ex conformatione partium corporis humani conjecturas deſumere ad functiones mere naturaleis, qualis eſt comeſtio. Deus certe naturæ Auctor in eo maxime declaravit immenſam quandam ſapientiam, quod res omneis finibus ſuis ſic accommodaverit, ut neque fruſtra quidquam factum ſit, neque nobis homuncionibus tutius unquam argumentari in rebus phyſicis liceat, quam dum, arguimus cauſam finalem. Longe proinde facceſſat illa Empedoclis, Epicuri, aliorumque opinio, ſcilicet, membra animalium non eſſe facta propter uſum; ſed membris ita caſu factis, & coaleſcentibus, ipſorum uſum accommodatione, experientiaque varia adinventum. Profecto enim ipſa inſpectio, conſiderationque attenta ſingulorum organorum id opinari non patitur. Ex quo fit, ut cum in Galeno poſſint eſſe, quæ reprehendamus; non poſſim tamen non exclamare terque, quaterque aureos illos libros, quos *de uſu partium* edidit. Ita nimirum illi habent, unde ſecretæ cujuſdam virtutis, providique Numinis monſtratâ exiſtentiâ, cujusque vel ἀθεοτάτῳ, poſſint conſcientiam percellere. Cum itaque vel Numinis dono in ipſo quoque homine dentes ſint partes naturales, hoc eſt, quales ejus natura popoſcit, aut quales ſponte natura producit: cur non exinde ratiocinemur ad conditionem materiæ, cui præparandæ ad nutritionem, vitam, conſiſtentiam, dentes deſtinati a natura ſunt? Ubi certe agens, organum, formam, vim, actionem, modum, materiam, finem ſecundum naturam videmus; cur non in ipſis mutuo collatis argumenta deſumere ex natura licitum ſit.

Niſi te ſatis cognoſcerem, dicerem reſponderi poſſe, æternitatem heic intelligi non qualem ſperamus in Cœlis futuram, cum e vivis exceſſerimus; ſed qualis poteſt parari per cibos, quibus atterendis dentes inſtituti ſunt. Etſi enim fieri videmus, ut ex uſu vulgarium ciborum vix homines poſſint propagare vitam ad ſæculum uſque, aut aliquid amplius; nihilominus certum eſſe, paratam fuiſſe arborem in Paradiſo terreſtri, ex cujus eſu homo potuiſſet immortalis evadere; & aliunde in hac naturæ corruptione probabile fieri, parari poſſe elixir, cujus uſu homo poſſit, niſi æternum tempus vivere, tot certe ſæcula durare, ut duratio homini poſſit videri quædam æternitas. Verum non ſat firmum præſidium, quod ad rem ſpectat, de qua agitur. Ut cetera enim omittam, probe meminiſti, quod attinet ad arborem vitæ, oppoſuiſſe me in ſtatu illo innocentiæ feliciſſimo juſſum fuiſſe hominem comedere non piſceis, aut oveis; ſed ex fructibus quibuſcumque [excepto ſolo ſcientifico] ac potiſſimum ex illo vitali. Quare & jam arguere poſſum ex primæva, & labe carente naturæ noſtræ inſtitutione deſtinatos fuiſſe denteis ad uſum non carnium, ſed fructuum; attingis tu hoc poſtmodum in exercitatiuncula, dicisque: *Etſi nulla data eſſet homini licentia carnium; non ſufficere tamen licentiam comedendi de lignis ad inferendam prohibitionem uſus carnium.* Ego ut non prorſus inficior, quin potuiſſet homo uſurpare carneia [neque enim contendere volo] ita ex planu

Scri-

Digitized by Google

Scripturæ ſenſu videor mihi ſatis intelligere futurum fuiſſe ut homo prorſus a carnibus abſtineret. Suadeor maxime, tum quod Deus videretur cibos maxime iduneos, delicioſoſque, & delegiſſe, & indicaſſe, quodque proinde carnei illi futuri eſſent ſuperflui; tum quod in tanta innocentia ægre tuliſſet homo proculdubio dolores ſævos, mortemque inferre innocuis animalibus, fauciare manus, &c. Et adiicis quidem: *Potuiſſe abſtinere hominem ad promerendum gloriæ gradum, ſeu manſionem ſuperiorem*. Utcunque ſit tamen, nulla in hoc ſtatu, ut ſimplicium fructuum, ita carnium mentiu. Quid, quod etiam poſt primam labem, cum homines adhuc tam multa ſuperarent ſæcula, carnium uſum nullum audimus; ſed tum demum ille eſt inductus, cum jam curruptis hominum viis Deus illum, ut permulta alia, uh duritiem cordis cunceſſit? Nihil neceſſe eſt adiiciam circa elixir, lapidemve Philoſophorum. Qualiſcumque enim præſumatur beata illa ſubſtantia, & ut poſſibilem ipſius præparationem ultru concedam; ita ſemper deſcribitur, ut ipſius uſurpatiu lunge diſtet a comeſtione, ſeu attritione carnium, de qua jam quæſtio eſt inſtituta.

Supereſt ergo aliquid dicam ad rationem, quam ſubiicis: *Homo*, inquis, *ex ſui natura microcoſmica particeps omnium naturarum, & ſpecierum eſt, habet idcirca quatuor denteis inciſivos, & latos; octo caninos, tanquam carnivora bruta, & viginti molareis, tanquam ruminantia; ideoque edit piſceis, ut piſcis, carneis item, legumina, olera, grana, inſecta, oleum, mel, radices, fructus, rorem, vinum, &c. nam ſi omnium in ſe naturas complectitur, eorum quoque victu expleri poſſe conducebat. Denique carnivora non ſolum carnem vorare debebant; ſed carnem venari, captam necare, & deinceps lacerare debebant; idcirco alios denteis habuerunt. Homo verò cum venationem, non dentibus, non gryphis, non unguibus, ſed organis artificioſis inſtituere deberet, denteis anteriores habuit latos, & inciſorios; carnivora verò acutos, ut ſi prædam venando captam, & duro intectam corio necarent, quod non inciſoriis dentibus ſcindendo apti eſſent, pungendo, ac perforando ſaltem peragerent punctatis dentibus. Quod aves rapinantes roſtro docent, quæ circumcirca non dentibus acuminatis, ſed inciſoriis labris ad lacerationem prædæ, ſufficient ipſis, atque illorum ideo vicem ſupplente, præditæ eſſent*. Concludis: *Homini idcirco carne veſci per naturam licitum erat*, ſed prius a corio, & pilis mundata, & impedimentis libera: *Atque huic ſatisfaciunt miniſterio ſui dentes*. Hæc ſunt, vel omnia, vel præcipua, quæ ad hanc rem affers, de quibus ut pauca dicere aggrediar, ne mirere, mi Helmonti, ſi ex eo ducam exordium, quod in veri diſquiſitione circa ea, quæ ad hominem ſpectant, ſuſpecta mihi ſemper fuerit ipſa hominis φιλαυτία. Profecto enim tacitu conſenſu in eu cunſpiramus omnes, ut noſtram naturam extullamus; idque vulgu facimus tantu ſupercilio, ut ſi quis affectum exuens animum ſerio adverterit, pudore ſtatim ſuffundatur. Ne digrediar; quid magis vulgare, quam hominem eſſe microcoſmum, ſeu magni Mundi epitomen? attende tamen, qua iniquitate id tanquam proprium nobis vendicemus. Magnum heic Mundum accipio, qui deſcribi vulgo ſulet, compages ex cœlis, elementis, mixtiſque corporibus. Angelicam enim naturam, ut ſupra mundanam prætereo, concedoque hominibus, ut animæ intelligentis, & immortalis gratia, ſimileis ſe Angelis faciant, vel cum Pſalte Regio modeſtius, paulu minores Angelis. Ceterum autem, cum agendum fuerit de Mundu iſtu corporeo, ac viſibili, quidnam habemus, unde poſſimus ſupra cetera tantopere ſuperbire? Non loquor de flammis illis, immenſis, perpetuiſque ſyderibus [quanquam, quod Solem attinet, cum ille ſit cauſa umnium, quæ generantur in terris, ac modo proinde quodam eminenti, omnium in ſe formas, ſeminaque contineat; neſciu quid non præ nobis mereatur] de ipſis loquur animalibus, quæ tametſi terrigena, nobiſque cungenea, tanto ſulemus habere deſpectui. Minimum conſidera; illud ex eiſdem conſtat, paſciturque elementis, eodem Cœlo fruitur, &, ſi Deo placet, decem etiam Categorias continet, quam laudem aliàs a celebri Viro memini magna contentione tributam eſſe homini, dum pro ſuggeſtu concionaretur. An ne ſatis cogitamus, non eſſe in nobis carneis, uſſa, venas, arterias, nervos, fibras, membranas, humores, viſcera, & alia, quæ non liceat obſervitare, vel in Simiis, qui tales effecti ſunt, ut diſſimiles poſſint homini, ſimileſque videri; uti, & homines ipſi inter ſe? Ego, ut Xenocrati plane non aſſentiur, ita puto non ſine ſale fuiſſe ab eo dictum, fore ut ſi equi Deos pingerent, equinâ formâ illos exhiberent. Scilicet cuique animanti forma ſui generis pulcherrima eſt; unde, ut equu non credendum præferenti ſeſe animalibus ceteris; ita nun video quorſum credi homini de ſe prædicanti debeat; niſi quod ipſe aliis ubiicit, in ſe ab illis retorqueri velit. Et tueatur ſeſe Scripturâ; agnoſcere tamen bona fide debet id, quod exinde in animantia mutuatur dominium, poſt peccati labem ademptum, vel ita reſtrictum, ut in pauca ſulum, eaque innoxia tyrannide dominetur; cetera vel experiatur immanſueta penitus, vel dolis, techniſque dumtaxat nun ſua illa regia auctoritate ſibi ſubmittat.

Sed accedamus propius ad rem. Ecce, cum tibi conceſſero, hominem ex ſui natura microcoſmica naturarum umnium participem eſſe; undenam tamen ſequitur, eum denteis habere, quibus ſubſtantiam omnium deterat? Cœleſtem certe excipere, ac terreſtrem etiam multiplicem licet. Ad animalia, ut video, ac plantas appellabis potiſſimum. At quam multa, quæſo, obſervare licet in iſtis etiam generibus, quorum victu hominem expleri tamen abeſt, ut conducat, quin valde potius pernicioſum ſit; ut nihil verò de dentibus dicam, tum inciſivis, tum molaribus, qui pro me maxime faciunt; quæro ſulum de caninis illis; poteſne nullum animal ex minime carnivuris ſimileis denteis poſſidere? Non omnia certe bidentia ſunt; & quibus contingit, ut propter herbas dentibus inciſuriis carpendas, fructibus etiam ſulidis veſcantur, illa indiguiſſe videntur hoc carnivurorum dentium genere. Ad fructus autem, nun ad carneis diſcerpendas comparatus eſſe, ex eo intelligere eſt, quod iis ſint lunge diſſimiles, qui animalium ſunt carnivurorum. Quare & dictos caninus puto, non quod ſint prorſus ſimiles iis, quibus canes præditi ſunt; ſed quod ut in rictu, ſeu labiorum diductione canes oſtentant, quos habent denteis in maxillarum deflexionibus; ita in riſu, ſeu diductione oris, homo denteis illos retegat, molareis inter, & inciſivos. Sane verò cum ob membranas, tendines, fibras, viſciditatem, aliaque ſimilis, carneis tenaciores ſint, quam ut facile lacerentur; eam ub rem denteis carnivororum

 debue-

Google

debuerunt eſſe turbinati, rari, ac prælongi; ut commode inſigerentur, attractioneque fruſta avellerent; contra autem fructus fragiliores ſunt, latioreque paulò apertione nullo negotio abeunt in fruſta; qua de cauſa niſi ſufficiant dentes inciſorii, ſuccedunt illi canini dicti, qui in extremo nonnihil acuti, ut inſigantur paulò altius, ſtatim tamen verſus radices latiores evadunt, cohærentque cum inter ſe, tum cum aliis ſimul, ut continentem imprimant plagam. Hinc vices commuta; priores dentes longi, & rari, fructibus infixi, corradent ſolum, ac veluti foſſas in fructibus excavabunt; poſteriores brevitate, cohæſioneque impediti non ſatis alte penetrabunt in carneis, ut poſſint fruſta revellere. Quo etiam loco notabile eſt, carnivororum denteis non coire, ſed pectinatim ſolum implecti, ut roborentur ad convulſionem, avulſionemque carnium; at ceterorum denteis occurrenteis tanto imbecilliores fieri, quanto id poſſunt ſola inter ſe ſui compreſſione tentare. Si pergas porrò imaginari, cum ceterorum animalium cibi ſint diverſi, atque idcirco animalia ſortita ſint dentes diverſorum generum, debere hominem proinde, quod utatur omnium cibis, omnia ſortiri dentium genera. Reſpice dumtaxat ad piſceis [neque enim ad elephantum, aprorum, aliorumve denteis exertos remitto] ii prope omnes ſortiti ſunt denteis pectinatim coëuntes, & uti loquuntur, ſerratos, cujuſmodi conformationem haud reperias in homine, adeo ut cum fabiciis: *Hominem ut piſcem comedere piſceis*, non facile obtineas id illum propter ſimilem dentium conformationem præſtare.

Addis. *Hominem comedere carneis, legumina, olera, & alia*; de ceteris reticeo. Quod ſpectat ad carneis, verum quidem eſt, hominem paſci carnibus; at quam multa, quæſo, agit homo, quæ ſunt ipſi contra, vel præter naturam? ea illi morum perverſitas contagione veluti quadam jam inuſta eſt, ut ipſius indoles in alienam prope naturam abiiſſe videatur. Hinc tota illa Philoſophiæ, virtutiſque cura in eo eſt, ut revocare hominem ad naturæ tramitem poſſit. *Comedit carneis*; at ſi hic cibus videtur illi ſecundum naturam, quamobrem ipſo non utitur, ut a natura præparatur? ſed primum nempe carneis crudas dentibus ſuis carpere, commandereque exhorreſcit; unde & illas apparat igni, ut cruditatem exuant. At ſi hæc fuiſſet naturæ intentio, ut homo carneis comederet coctas, Coquos profectò inſtituiſſet, ſive ipſa potius coxiſſet, uti ſolet coquere fructus, qui citra ignem ſuaviſſimi ſunt. Natura certe in neceſſariis, ut vulgo jactant, non deficit; quid autem magis neceſſarium, quam uſum ciborum voluptatis plenum facere, ut eſt in uſu Veneris factum, quò quemadmodum heic genus, ita illic ſpecies conſervationem ſui procuret? Neque quis dicat, naturam hoc loco artificio corrigi, ſiquidem, ut præteream, hoc eſſe naturam erroris coarguere; cogita quam fuiſſet in feras, quam in nos natura benignior? Intelligo proinde, feræ artificio non indigent, quo cibos naturaleis condiant, futurum fuiſſe ut neque nos condimentis indigeremus, ſi cibi illi nobis perinde connaturales extitiſſent. Deinde, quod ne præparatis quidem igni carnibus denteis noſtri utendo ſint ſatis, argumento eſſe videtur cultorum inventio. Quia ſcilicet denteis a natura ad præſcindendas carneis factos non habuimus; idcirco ad hæc organa nonnaturalia recurrendum fuit, quibus id opus exſequeremur. Quaſi verò nos in tam neceſſariis poſſit natura deſtituiſſe? Hic præſto quidem reſponſionem video: *Rationem puta homini conceſſam, quæ defectus ejuſmodi ſuppleat*. Sed hoc eſt naturam ſemper accuſare, ut noſtram tueamur luxuriem. Ita fit etiam circa veſteis, ita fit circa alia. Quia ſcilicet mollities noſtra, ut hoc exempli causâ attingam, impotens nobis corium ad injurias aëris fecit; querimur primum naturam egiſſe novercam, quod nos robuſto ſatis corio non intexerit; ac deinde noſmet commendamus, quod ipſi naturæ defectui ſolerter providerimus. Ingrati, qui adulterantes quidquid naturæ eſt optimum, vitia ipſi inurere, quam in nobis agnoſcere, tam impenſo ſtudio affectamus! Redeo, & quod ipſa ſubdis: *De conceſſis a natura armis ceteris animantibus*, in meam accipio ſententiam; quippe cum iiſdem homini negatis, tuearis, vicem illorum ſuppleri artificioſis organis, effici inde videtur, ut quantum feris naturale eſt inſectari, corripere, uſurpare carneis; tantum idem videatur eſſe non naturale homini, prodireque ſolummodo ex ſuperfluo ſtudio, ac nimia quadam affectatione: *Non eſt homo dentibus, non unguibus uncis armatus, venaticarum ferarum inſtar?* Quid clarius, quam non eſſe igitur ad venandum; ac longe minus ad veſcendum carnibus inſtructum? Mentionem facis *volucrum rapacium*; at cogita etiam diſcrimen iſtas inter, & manſuetiores. Ex ſola enim roſtri forma [ut ſuperioris ventriculi officium præteream] facile erit colligere, quam provide, quam ſine defectu natura omneis creaverit. Uno verbo, præclare videmus a Cicerone admoneri, hominem eſſe ad alia, quam ad capeſſendas, jugulandaſque belluas deſtinatum. Si pergas: *Illam quoque induſtriam naturalem dici poſſe, qua talia organa parantur*; ecce eadem prorſus induſtriâ homines arma factitant, quibus ſeſe mutuo conficiant. An id natura inſtigante faciunt? Uſus ne adeo noxius dici poteſt naturalis? facultas a natura eſt; at ex vitio noſtro eſt, quod illa perverſe utamur.

Verum, inquies: *Negari non poteſt, quin carneis arte præparatæ corpus nutriant, & roborent vireis, ſintque in deliciis; quidnam verò aliud hoc arguit, quam cibos eſſe naturaleis*. Attende tamen dum narro hiſtoriam, de qua indubia mihi fide conſtat. Cum ante annos circiter viginti navis cujuſdam Bel-regardi Melitenſis Equitis Ægeum mare perluſtraret, ubi fixa fuit anchora ad Inſulam quandam ex Cycladibus, milites inde advexerunt ovem cum tenello agniculo; matrem victus gratiâ cum jugulaſſent, fetui ipſi ſic pepercerunt, ut ex cibis familiaribus pane, carne, piſce, caſeo, & ſimilibus veſci ipſum docuerint. Nono deinde circiter menſe appulit navis Melitem. Agnus jam grandior eductus eſt, frondibuſque, & herbis permiſſus. Mirum autem! frondeis, herbaſque averſatus eſt, manuſque, quibus ſoliti cibi porrigerentur, requiſivit. Prætereo, cum occiſus fuiſſet, carnem ipſius inſipidam, ingratique guſtus extitiſſe. Hoc ſolum noto, ſi qui cibi ſine controverſia fuere agno non naturales, ipſum ſic nutrierint, promoverint, delectaverint; quare non ſimilia in nobis præſtari poſſint a cibis minime naturalibus? Videre licet quid in bidente aſſuetudo potuerit; quid mirum ſi & nobis quoque dum innutrimur carnibus, carneis tandem ſic placeant? dixi quid actum ſit in ove; noſti ſimilia dici de equis, ut iis, quibus impius ille pabula fecit homines. Similia in bobus experiri licet; ſimilia quoque

in ce-

in ceteris. An verò, quia iſtis animalibus con-ſuetudo facit carnium uſum, & jucondum, & utilem, dicemus, uſum carnium eſſe illis ſecundum naturam? Niſi dicamus, qoare aſſeremus uſum ſimilem ex naturæ inſtituto potius, quam ex aſſuetudine fieri nobis conducentem? Maxime verò, cum Parentes noſtri ab initio tantopere caveant, ne fructibus, herbis, frugibus veſcamur; curareque quam maxime ſoleant, ut victitemus potius carnibus. Quo ex loco emergit mibi manifeſtum argumentum explicantis ſeſe naturæ circa infanteis, ac pueros. Quæ enim natura in ipſis purior adhuc eſt, neque contrario habitu violenter adhuc depravata, efficit, ut ex omnibus ciborum generibus deligant, ac diligant fructus; & vix ullum quidem reperire liceat, qui non perdici pomum præferat. Quid, putas, verò contingeret; ſi cum paulatim infans ablactatur, maturis quibuſdam, atque delicatis fructibus ſenſim aſſueſceret.

Hinc, quia ſentio mihi poſſe obiici: *Cur non igitur ipſe plane a carnibus abſtineam; frugibusque ſolum, & frugibus veſcar;* excuſare me poſſe videor ex inducta conſuetudine. Natura quippe in jam adultis ita videtur immutata, ut adventitius ille habitus ſine aliquo detrimento minime poſſe tolli videatur. Quanquam, fateor, ſi ſapuero, & uſum carnium ſenſim deſerens, ad ipſa almæ telloris dona memet ſenſim deflexero, non hærere me, quin & conſtantiore ſanitate fruar, & vireis quoque ingenii vegetiores experiar. Sane enim ſeges morborum, mentiſque caligo eſſe oborta ex eo maxime videtur, quod caro cibus corpulentior, & ut ita dicam nimis ſubſtantialis, prægravet ſtomachum, corpori toti oneroſior ſit, ſubſtantiam creet nimis craſſam, & obtuſiores ſpiritus; uno verbo, ſubtegmen ſit, quod naturæ ſtaminibus non feliciter intexatur. Nihil moror proinde, quod dicitur vulgo: *Gigni carneis ex carnibus* ob converſionem præparatiorem. Ut taceam enim, converſionem carnium non videri promptiorem, quam fructuum (nam & carnes quoque debent in ſtomacho, hepate, aut venis extremè reſolvi; adeo ut in carnem converti, quam in os, quam in aliam partem facilius non debeant;) profecto id ubi conceſſerimus, obruetur inde calor nativus ex nimio, nimiſque veloci affluxu ſubſtituendæ ſubſtantiæ; ex quo forte fieri contingit, ut natura nimis preſſa affligetur, ut obeſitatem creet, ut appetitum excutiat. Quanquam quid de difficultate converſionis fructuum, herbarumve conqueramur, quam in cervis, quam in equis haud difficiliorem videmus eſſe, quam ſit in nobis carnium. Illi nempe cibi laxiores, ut commode replent ſtomachi capacitatem, ita opportune concoquuntur, exſolvunturque in chylum, qui nutriendo ſufficiat; cum caro ipſa, cibus compactior, ſi ſtomachum quidem repleat, vireis ejus ſuffocet; niſi repleat, vel hiantem nimis, vel labaſcentem experiatur. Et opinio quidem vulgi quoque eſt: *Fore ut ſi herbis dumtaxat veſcamur, ſubſtantia ſatis ſolida generari minime poſſit.* Sed nimirum iſti non conſiderant, quam generoſa, ac robuſta caro generetur inde in equis, & tauris, quam celer inde, quamque diuturnus evadat cervus, &c. Quod ad me ſpectat, facile mihi perſuaderi patiar, ſi hominum quiſpiam in ſilvis ferarum inſtar educatus degeret, fore ut vix cervis curſu cederet; ut non minime agilis, quam ſimia in ſcandendis arboribus foret; ut cetera ejuſmodi munia obire poſſet feliciſſime. Quod hæc præſtare jam nemo poſſit, cauſam eſſe inſtitutionem, qua educamur, qua faſciamur, qua ſub umbra, & otio torpentes emollimur, ac hebeſcimus.

Quonam tamen abripior? Siſto gradum, mi Helmonti, & ne digrediar ab argumento ex dentibus ſumpto, quod tu unicum oppugnaſti, quodque ego ſolum propugnare volui, orationis ſtylum abrumpo. De ceteris aliàs dicendum; immo verò, & de hoc quoque, niſi tu forte ipſum extenuans, ſilentium mihi feceris. Familiam tuam totam ſaluto, apprecorque ipſi optima. Si cum Dordraci fuero repetam Caletum, quamprimum illuc appulero, appulſum tibi meum ſignificabo; ſin contendam forte Antuerpiam, Bruxellæ tibi brevi adero, neque tibi amplius reſcribam, donec te coram ſalutare, quod valde opto, licuerit. Sat jam temporis in Hollandia fui; & cum videro adhuc Ultrajectum, Caſtriſque illis Buſcoduceæ obſidionis interfuero, vix aliquid ſupererit, quod me remorari heic poſſit. Brevi itaque, aut in Flandriam, aut in Galliam paro reditum. Vale interea optime Helmonti, vale, & me tui obſervantem, quod jam facis perpetuum ama. Dabam Amſtelrodami Ultrajectum cum diſcederem, VI. Eidus Julii, anno ſalutis M. DC. XXIX.

PETRUS GASSENDUS

HENRICO RENERIO S.

JAm Ultrajecto, mi Reneri, in hanc urbem redieram, cum redditæ mihi tuæ litteræ ſunt, quibus me ſerio admones, ut prius, quam diſcedam longius, & nobilis Medici a Waſſenaer votis, & promiſſis meis ſimul ſatisfaciam, &c. Leydæ cepta, Hagæ abſoluta in ipſo diſceſſu. Pridie Eidus Julias, anno M DC. XXIX.
Hæc habetur ſub titulo Parhelia, ſive Soles quatuor ſpurii, qui circa verum apparuerunt Romæ, die 20. menſis Martii, anno 1629.

Et Reverendo, & Claro Viro Auberto Myræo, Antuerpienſis Eccleſiæ Decano meritiſſimo,

PETRUS GASSENDUS S.

SUppudebat jam, humaniſſime, doctiſſimeque Myræe, quod Bruxella te per litteras inſalutato diſcederem. Etſi enim ſtatueram, quam primum Pariſios acceſſiſſem ad te ſcribere, cauſamque hujus meæ illuc deflexionis ſignificare; videbar id tamen debuiſſe, quoniam poteram, præſtare maturius, ut tu poſſes maturius jubere, ſi quidpiam forte votis ibi tuis opella mea conduceret. Ecce verò commodum occurrit in hac civitate, qui diſcedens Antuerpiam deſiderio faceret modum. Videlicet perlectis hiſce, quos ipſi credo verſibus cognoſces, me Lutetiam prius divertiſſe, quam in Germaniam concederem, ut carum ibi ſocium, dum ſuas res agit, expectarem. Aderimus ibi, quantum ex ipſius conjectari litteris poſſum, duobus circiter menſibus. Integrum tibi proinde erit proſpicere ſi quidpiam interea obſequio meo indigeas. Noſti ipſe quam me devinctam, quam plane tuum dimiſeris.

Digitized by Google

miſeris. At verò ego nondum potui perſpectum tibi facere, quam animum geram non ingratum. Iis cerne, quaſi pignoribus tuam mihi benevolentiam conſignatam eſſe voluiſti, ut ego me imparem longe reponendo ſentiam. Sed enitar tamen, quantum in me erit, ut nunquam pœniteat te prompto illo animo officii quidquam in me collocaſſe. Deſit occaſio, deſit facultas, qua teſtatam meam in te voluntatem faciam; at nunquam tamen deſiderabis, ſeu affectum promptiſſimum, ſeu recordationem perpetuam tui. Si igitur quidpiam fortaſſis, bona mea ſorte, a me exigas, deſtinare litteras potes ad Puteanos illos ingenuos, ad quos etiam perſcribere Gevartius noſter interdum ſolet. Ceterum verò Gevartium, ipſum ocellum Muſarum, bonarumque artium circulum, quando te volente id faciam, terque, quaterque ſalutatum volo. Conſolatoriam ipſi ſcriberem, niſi te haberet; immo & niſi haberet ſeipſum. Is enim eſt, qui e ſuo penu depromere poſſit ſingularia illa omnia Stoicorum axiomata, fortunæ telis opponenda. Hac ratione nobis Antoninum ſuum non prius exhibuerit, quam ipſe ſibi uſurparit. Felicem illum, qui ad ingenuam, generoſamque indolem tam liberale adhibuerit ſtudium? De tuis donationibus, quarum lectionem jam abſolvi, hoc eſt, quod vere dicere liceat, claritatem tibi nunquam defuturam, per quem tot illuſtres familiæ tantam lucem acceperint. Perge ſolum bene mereri de Principibus optimis, qui priſca illa pietate, ac fide ſunt de Poſteris meriti tam bene. Perge verò etiam revelare quidquid credula ſuperſtitio invexit in hiſtoriam; Scriptoris enim ingenui, cordatique eſt, fabellas omneis ſeponere, quantumcunque illas neſcio quæ præſumpta, ſeu auctoritas, ſeu utilitas, fixas, ratas feciſſe videatur. Profecto niſi ſint raræ quædam, nobileſque animæ, quæ pro veritate contendant, actum prorſus de ipſa eſt; ecce jam enim nimis multi ſunt, qui fucum illi certatim, vel faciant, vel foveant. Chiffletium laudatum, eximiumque Virum nomine tuo ſalutavi, & quem libellum mihi conſignaras, quam-primum ipſi reddidi. Grato in te animo eſt, ſuiſque illis heroicis ſtudiis ſemper detinetur. Ægrius paulò habuerat; at cum vale dixi, jam melius valebat. Vale tu bene, optime Myræe. Scribebam raptim Montibus Hannoniæ in itinere, Kal. Auguſti, anno æræ noſtræ vulgaris M.DC.XXIX.

Claro Viro, & amico ſincero, Gerardo Joanni Voſſio, eloquentiæ, & Chronologiæ in inclyta Leydenſi Academia Profeſſori,

PETRUS GASSENDUS S.

PUdet profecto, ſuaviſſime Voſſi, tantum jam mihi tempus elapſum ſine datis ullis ad te litteris. Quanquam enim, & tui memoriam nunquam depono ex animo, & te eam de me opinionem habere facile confido; ego tamen officio deſim, niſi hanc grati animi teſtationem quaſi rependam. Tu ſuſpiceris haud injuria, non tueri me in amicitia conſtantiam, qui videar illam jam tamdio oblivioni tradidiſſe. Cum nunc igitur aliud mihi ſcribendi ad te argumentum minime ſuppeteret, ſufficere arbitratus ſum, hoc ſignificare, quod jam demum ſcriberem, & ſtudioſioris in poſterum diligentiæ obſtringerem fidem. Ex iis porrò, quas Bruxella diſcedens ad doctum illum, vereque humanum Rivetum dedi, litteris, accepiſti ut opinor, diverti ſſe me in hanc urbem, priuſquam cœptam illam Germaniæ luſtrationem abſolverem. Hoc jam addo, me hinc proxima hyeme tota non diſceſſurum; ut ſi tibi fortaſſis opus induſtria mea fuerit, id indicare facile poſſis. Utinam verò experiare, quam tua me humanitas in officia pronum fecerit! Ita me Deus adjuvet, ut nolim quidpiam deſiderari. Spero proxima occaſione mittere ad te Elenchum præcipuorum capitum Philoſophiæ Epicureæ; erepta eſt enim ex incendio peſtis, quæ dire in noſtra Provincia, ac mea præſertim Urbe, graſſatur; erit brevi præ manibus. Juvabis tu, ſi quidpiam mihi incompertum habueris, auctorque eris quid agendum ſit, cum undique urgear ad illius editionem. Scilicet tuam benevolentiam, judiciumque hiſce in rebus maximi facio, & merito. Vale interea, clariſſime Vir, vale dehariſſimum caput. Totam illam tuam familiam placidiſſimam ſic ſaluto, ut treis ingenuos adoleſcenteis Franciſcum, Matthæum, Dionyſium, perfectas jam virtutis tuæ eminentis imagines, ſalvere velim quam-plurimum. Salutem etiam dico clariſſimis Viris Heurnio tuo vicino, collegæque ejus Vorſtio. Iterum vale. Pariſiis, poſtridie Eidus Septembris, anno æræ vulgaris M.DC.XXIX.

Viro præclaro Danieli Heinſio Bibliothecario Publico, & Profeſſori Politices in Academia inclyta ad Leydam,

PETRUS GASSENDUS S.

ERubeſcerem, clariſſime Vir, meas ad te litteras tam ſero venire, niſi duplici de cauſa verecundiam abiicerem. Una eſt eximia illa tua humanitas, quæ uti immerentem me in amicitiam vocatum, ac non ſine pignore benevolentiæ dimiſſum voluit, ita facile condonabit quidquid demum peccaverim. Altera eſt curta mea ſupellex, ex qua quidquid, ſeu offerri, ſeu præſtari tibi poteſt, levis adeo momenti eſt, ut collocari haud immerito Stoica inter ἀδιάφορα debeat. Ceterum pellegi, quam mihi abs te eunti, *Aſini* laudem dederas; lepidiſſimum ſane, ac eruditiſſimum opus, & quod mihi plerumque fuit Cyanei inſtar ſcopuli. Ridebis; at tempora mihi non raro manu tentata ſunt, ut experirer, auriculæ-ne adeo inſignes refectæ forent. Cum me enim longe infra laudes huic animali tributas, haberem; hærebam num ego fortaſſis celebri Poëtæ interrogationi exceptionem facerem. Vide quid non ſuada tua ſerio agens extorqueat, cum ecce jocando tantam fidem faciat? Nunc, cum rem mihi facere adeo jucundam cœperis, ne mirere ſi deinceps ad aliquid amplius poſcendum alliciar. Cum ego rogando exceſſero modum, tu annuendi modum facito; neque enim ſic moroſus ſum, ut ex amicis quidpiam exigam præter ſummam alacritatem. Niſi moleſtum igitur erit, optarim velis perſcribere, quid de illis Suidæ conſarcinatoribus ſentias. Illi-ne puta aliquid de ſuo Auctoris textui adjecerint, & ſi quidpiam adjectum ſit, qua id norma deprehendi valeat. Id enim mihi ſi probe conſtaret, ſcrupulis multis

exime-

eximeret, qui mihi ſane negotium faceſſunt. Tu verò, qui nullum inſignem Auctorem intactum relinquis, juvare potes, vel nullus alius. Reponam ego interea locum, quem hunc Auctorem percurrenti reſtituere contigit. Ille eſt circa Epicurum, quem apud Suidam legimus natum Olympiade ſeptuageſima nona; cum natum nihilominus centeſima nona conſtet. Videlicet, cum hic numerus exprimeretur litteris ρ θ, obliteratâ ſemel τῷ ρ cauda, ut remaneret o, effectum eſt, ut etiam Interpres tempora non conſiderans, priorem ſubſtituerit, quem litteræ ο θ, deſignarent. Salutat te Vir ſingularis, & amicus meus inſignis Franciſcus Luillerius, qui eruditionem tuam jampridem ſuſpiciens, amari quoque abs te vult, habetque paratum exemplum Lexici Hebraico-Rabbinici in hac urbe recens impreſſi, quod occaſione ad te proxima in amicitiæ arrham mittat. Vale, Vir præclariſſime, ac de bonis litteris, artibusque æternùm merere. Pariſiis poſtridie Eidus Septembris, anno ſalutis M.DC.XXIX.

Viro inſigni Jacobo Golio in alma Academia Leydenſi, & linguarum Orientalium, & Matheſeos Profeſſori,

PETRUS GASSENDUS S.

NOn ex Germania, ut vides, mi Goli, ſed ex Gallia ad te primum ſcribo, quod, ut Vir clarus Riverus noſter ſignificare jam antea potuit, divertendum huc fuerit. Undecumque tamen ſcribam, is ſum, qui me ut tibi devinctum, ita ad quodlibet obſequium velim paratum noveris. Quamprimum acceſſi ad hanc civitatem, Viri, & boni, & docti permulti avidiſſime exceperunt, quod de Arabicis illis a te ex Oriente advectis exemplaribus retuli. Unus fuit præ ceteris doctiſſimus Hardyæus, qui moræ impatiens, dum ego ex aliqua ægritudine convaleſco, ſcripſit ad te Elenchum ipſorum dignareris tranſmittere. Exiſtimare ſcilicet debes poſſideri abs te theſaurum, quem tota natio litteratorum merito tibi invideat. Ego ſi eadem erga te interpellatione jam utar, haud ægre, opinor, accipies, qui & ultro pollicitus es Elenchi illius mihi copiam facere, & me eo habes amicitiæ loco, ut non hæream, quin laborem hunc ſis mei cauſa devoraturus. Equidem, ſi haſce litteras accipiens, miſeris jam forte ad Hardyæum, quod abs te petiit, nolim ego eandem bis tibi creari moleſtiam; abunde enim ſufficeret, ſi illius manu videre poſſem, & excipere. Optarim ſolum, niſi te preces illius ſatis permoverint, rogatui meo illud concedas, ut quæ verbo-tenus jam diſſeminavi, ſcripto etiam tuo confirmare liceat. Noſſe potes, me ea in re nihil præter ſolam nominis tui celebritatem procurare, quod curavi ſemper, quantum in me erit, ut innoteſcat quam-plurimis. Theſaurum habes; at nihil tibi propterea ex illo decedet; emergent ſolum plurimi, iique honeſtiſſimi proci, qui te idcirco ambiant, & ſtimulos ad gloriam tuam promovendam adiiciant. Equidem quidquid eximium in libris illis tuis continetur, evulgandum a te ipſo cenſeo. Neque eſt enim, qui hanc laudem, aut poſſit generoſius, aut debeat juſtius conſequi; patere tamen, ut cognoſcant quotquot ſunt rerum bonarum curioſi, quam multa ex te, tuaque induſtria expectare liceat. Niſi tam multa volumina ſigillatim deſignanda forent, peterem breve argumentum ſingulorum adiiceres; cum id non auſim, efficies ſaltem, ut fas ſit per titulos argumenta ipſa conjectari. Unus eſt ex amicis noſtris, qui deſignari præcipue velit nondum viſos nobis ex Apollonii Conicis. Eſt & alius, qui nondum viſos Ariſtotelis codices. Ego, ut non memini, indicaſſe te quidpiam, cum hac de re colloqueremur, circa libros Epicuri; ita ſcire perlubenter velim, num inter tot volumina occurrerit tibi liber, aut fragmentum ex ipſius operibus. Siquidem Viri Philoſophiam habebo præ manibus brevi. Pergratum verò faceres, ſi prius, quam in lucem edatur, fortaſſis enim id brevi fiet, novi quidpiam impertireris. Vale, mi Goli, & me ama. Pariſiis poſtridie Eidus Septembris, anno ſalutis M. DC. XXIX.

Doctiſſimo Viro Iſaaco Beeckman, Dodrechtenſis Collegii Rectori,

PETRUS GASSENDUS S.

CUm nihil habeam, quod ad te ſcribam, Beeckmane candidiſſime, hoc ipſum eſt, quod ſcribere placet. Tu, ſi me forte aliquid velis, hanc in urbem reſcribito; adero nempe heic hyeme tota. Habebo brevi præ manibus meum Epicurum; cum placita Viri retexam, agere aggrediar tecum de aliquibus. Nihil interea te onero; cum Merſennus noſter oneret plus æquo. Si Gorkomium aliquid mandes, velim illi ſalutem dicas meo nomine, & Rectori illi honeſtiſſimo, & Balthazari noſtro admirando. Quod te attinet, ſcito me digne ſentire de tuo ingenio, deque candore eximio. Scito, te mihi in pectore, inque medullis ipſis hærere. Scito me ad quodvis obſequium eſſe paratiſſimum; bene vale, & bonas arteis promovere nunquam deſine. Pariſiis poſtridie Eidus Septemb. anno M. DC. XXIX.

Viro, & claro, & vere docto Erycio Puteano, apud Lovanienſeis, & Arcis Præfecto, & Academiæ Profeſſori,

PETRUS GASSENDUS S.

NOn ſcripſi ad te, mi Puteane, ex quo tempore Bruxella diſcedens circa Nonas Junias, litteras ſimul ad Fienum dedi. Vagatus perpetuo deinceps, pedem tandem hac in urbe fixi in menſeis certe aliquot. Id innuo, ut noris ubi Gentium degam, ne, ſi quid opus mea opella ſit, fat facile ea uti non poſſis. Contuli, quam dederas mihi Rutgerſii epiſtolam cum illo Laërtii textu circa Phyſica Epicuri ex editione Giſanii; ſane verò conjecturæ illæ cùm Rutgerſii, tum Scaligeri non inanes ſunt; non in ea tamen loca ſunt, quorum præcipua me angit cura. Quam vellem tuas accipere! neque enim hæreo, quin loca multa reſtitueris, & nodos illos ſolveris, qui mihi pæne Gordii habentur. Cum ipſe certe viſus fueris reſignare mihi hanc provinciam, animosque adjeceris ad ceptum opus abſolvendum, haud ægre potes communicare, ſi quidpiam forte in adverſariis conſignatum habeas. Quo elogio, teque, & tua excipere in animo ſit, nihil attinet

dicere.

Digitized by Google

dicere. Utinam demum intelligas, quam animo ſim oon ingtato. Niſi fortaſſis alind habeas, aut non vacet qoid amplius præſtare, hoc ſaltem velim ſignifices, quomodo locum intelligas, ex quo deſumptum illud toom, *σπουδαίως ζῆν ἄριστον*. Siquidem vulgaris lectio [ot & Interpretes accipiunt] habet, Epicurum in epiſtolis, non ſolitum ut ceteros, *τὸ χαίρειν* perſcribere; ſed *εὐπράττειν, καὶ σπουδαίως ζῆν ἄριστον*. At ſcribebat-ne Epicurus utrumque ſimul, in eadem nempe epiſtola, *εὐπράττειν, καὶ σπουδαίως ζῆν ἄριστον*; noſquam opinor; qoanta hæc enim fuiſſet alioquin *ἀφραδία*. Alterum igitur, at quando ſcribebat *εὐπράττειν*, qoid-nam agebat non a Platone ſactitatum, & ceteris? Haud igitur debuit Laërtius propter *τὸ εὐπράττειν* anthithesim facere? Cenſuerim ergo vinculum, *καὶ*, præmittendum ipſi, *εὐπράττειν*, ut ſcilicet intelligamos utrique illi voci vulgari, *χαίρειν, καὶ εὐπράττειν*, Epicurum ſubſtituiſſe ſalutarem vocem, *σπουδαίως ζῆν ἄριστον*. Quod verò quiſpiam obiicere poſſet, *τὸ χαίρειν*, præmiſſum illis epiſtolis, quæ a Laërtio referuotur; exiſtimare par eſt, ipſum irrepſiſſe ex docticula quorundam librariorum criſi. Ego quidem ſic ſentio. Tu qui non potes locum iſtum non expendiſſe graviter, eeſcribe quæſo, quid tibi videatur. Sed velim quoque judicium feras de mea conjectura circa locum illum in deſcriptione Sapientis, tertiæ præmiſſa epiſtulæ. Legimus ibi ſcilicet, Sapientem, juxta Epicurum, *φίλον τε οὐδένα κτήσεσθαι*. Et nutat quidem Caſaubonus, ſuſpicatum ſe primum fuiſſe lectionem hujuſmodi falſam, tum quod, *πολυφιλία*, fuerit propria Epicureorum laus; tum quod ſcribatur paulò poſt, *μέγιστον ἐστιν καὶ τῆς φιλίας κτῆσις*. Attamen ſe poſtea ex nona Senecæ epiſtola didiciſſe, nihil eſſe mutandum. Ego ut iſtud Caſauboni non demiror judicium, Epicuro enim fuit ſatis iniquus; ita non video quorſum ex illa Senecæ epiſtula confirmari potius in ſententia non debuerit; Epicurus quippe ibi legitur eos reprehendiſſe, qui ſapientem ſe ſeipſo contentum eſſe dicerent, ot amicis non indigeret, cum Epicurus ſcilicet indigere defenderet. Certe ſequitur etiam poſtea in Laërtio, *τὴν φιλίαν*, ex dictamine Epicuri, *διὰ τὰς χρείας δεῖν μέντοι προκατάρχεσθαι*, ratione etiam reddita, *καὶ γὰρ τὴν γῆν*, inquit, *σπείρομεν*. Verum ſat conſtat, Epicurum, & quæſiiſſe, & coluiſſe amicitias conſtantiſſime. Itaque mendum prædicto loco ſubeſſe nihil ambigo. Exiſtimarim proinde, *ἀντὶ τοῦ τε οὐδένα* legendum eſſe *τὸν δεῖνα*; ita nimirum omnia cohærent, & perexigua immutatio fit. Scriberem & de aliis locis; verum jam nimis te onero. Quanquam temperare mihi non poſſum, quin te adhuc rogem, quomodo putes exceptum iri, ſi ex loco, qui Epicuri teſtamentum conſequitur, expunxero illas voces, *Ἀθηναῖον, καὶ Τιμοκράτην, καὶ Σάνδην*; cum Metrodorus enim fuerit Lampſacenus, quæ reſtant optime cohærent; hæc ſi relinquuntur, omnia diſſonant. Metrodorus non fuit Athenienſis, quæ tribuuntor Sandi, Metrodori ſunt; & quamvis Caſaubonus putet, *τὸν Ἀθηναῖον*, eſſe poſſe nomen viri proprium; altum eſt tamen ubique aliàs, tam de Athenæo, quam de Sande ſilentium; cum heic tamen Laërtius recenſeat, *ἐλλογίμους μαθητὰς*. Quod Timocratem attinet, ille obiter poſtea memoratur. Hinc notandum, hiſce detractis, continuo deſcribi Metrodorum, Polyænum, Hermachum, *ἐλλογίμους μαθητὰς*, quos eoſdem ipſe Seneca, non verò illos intermixtos, magnos Viros prodiiſſe ab Epicuro aſſerit. Vides, quæ me argumenta moveant, ut voces illas é gradu deiiciam. Quomodo autem irrepſerint, cauſam ſuſpicor, qood cum fortaſſis in margine librarius quiſpiam adnotaſſet ea, quæ in textu memorantur, citari ab Athenæo [ut is ſæpius mentionem facit] & a Timocrate [qui etiam paulò poſt citatur] & a Sande [neſcio quo, forte Suida, aut alio] hæc deinceps verba aliorum librariorum oſcitantiâ in textum ipſum fuiſſe inſerta. Tu ſi nugis meis cenſuram adhibere dignabere, pergratum facies, ſi quamprimum per otium tibi licebit reſcribas mihi quid ſentias; ſiquidem brevi retexam meas de Epicuro commentationes; ac ubi tuum hiſce de rebus judicium habuero, mira pergam alacritate. Vale interea, optime Puteane, & ſi quidpiam Wendelino mandes, ſalutem quoque ex me dicito. Sed & ſalvere jubeo noſtrum Fienum, ad quem etiam occaſione proxima reſcripturus ſum. Saluteat te Rigaltius Vir ſingularis, tuique amans, & qui-cum de te ſermones ſæpe conſerimus. Iterum vale. Pariſiis poſtridie Eidus Septembris, anno M.DC.XXXX.

E I D E M.

QUanta me litteræ tuæ voluptate perfuderint, mi Puteane, Vir ſuaviſſime, ſentire magis, quam dicere promptum. Is tuus eſt candor, ea humanitas, ot facile exemplum tui, quam in teipſo non agnoſcas. Elegantiam, eruditionem, virtutes alias non memoro. Ita mihi apud alios commendanda ſunt; tecum de toa erga me benevolentia maxime agendum. Eam certe tantam experior, ut expectationem æque, ac merita mea longe ſuperet; ſed te nimirum attendere debeo, qui agis nihil perfunctorie. Repere neſcis vel in minimis; quid mirum, ſi in immerentem ſit tuus amor adeo inſignis. Quod me attinet, mihi gratulor, quod ad tantum Viri tanti amicitiam acceſſerim. Quod ad te ſpectat, vicem dolerem, niſi noſſem virtutem tuam mercedem habere profuſionem ſui; niſi mea me conſcientia de affectu ſaltem rependendo faceret ſecurum. Laudare Epicurum pergis; & hoc ipſum in maximis collocatum officiis duco. Eo enim loco Virum habeo, ut mea prope intereſſe quidquid de illo dicitur, putem. Lacerari paſſim ſolet Vir innocentiſſimus. Quidni exoriatur ſemper aliquis, qui veritatis, quam rumoris popularis amantior, auſit ſapere ſopra vulgus. Sane, cum ex libris a te evulgatis admiratus primum fuiſſem Ingenium, & candorem tuum (ſentire enim de magno Viro videbaris magnifice) poſtquam tamen ſum coram alloquutus; poſtquam iſta jam rurſum accipio; diſpercam, niſi obſtupeſco. Utinam perfeciſſes ipſe, quod in tanti Philoſophi gratiam animo deſtinaveras. Quam id egiſſes elaborate? Quam fuiſſet tibi, tametſi paucis contenta judicibus, obſtricta Philoſophia. Id mihi certe præ ceteris jucundiſſimum extitiſſet; onere enim me ſublevaſſes, quod etſi non ſine conſilio ſuſceptum, creſcente tamen in dies mole, majus experior viribus. Quid tum porrò, diffidam-ne, ac te præſertim conſilium probante; evitar, ut putero, & otcunqoe me moles obruat, non inutile tamen forte erit collegiſſe rudera, queis alius addat concinnitatem. Scio non poſſe ex tantis ruinis excitari ſtatim ædificium elegans; at videre ſæpe licet humilia tuguriola Palatiis Regum occaſionem fieri. Non ego id quidem mihi de mea polliceor, ſeu fortuna, ſeu induſtria;

ſtria; hoc novi, deeſſe plerumque, qui in magnis rebus fundamenta jaciant; non deeſſe, qui progreſſus curent. Ac in præſenti quidem negotio non idem videtur ſperandum, quod in rebus applauſum ſtatim apud multitudinem naneiſcentibus; fortaſſis tamen non deerunt generoſa ingenia, quibus hoc meum propoſitum placeat. Quanquam verò pauciſſimi probent, modo tui ſimiles ſint, factum erit ſatis abunde. Tu; ut judicare poſſis, quid hoc totum futurum ſit, deſcribere cogito Elenchum ſingulorum capitum, ut operis ſimul, & ſeriem, & argumentum videas. Ut ad tuam redeam epiſtolam, mire probo, quod tu innuis de hac ætate Chryſippea. Quid facias tamen? ea eſt ingeniorum conditio, ut præire pauciſſima poſſint, ſequi numeroſiſſima. Ne Leænæ quidem ætas unumquodque ſeculum eſt; ut vel leonem unicum inter ingenia parturiat. Illud proinde ego etiam doleo, tot præclara monimenta, quæ ille, *ἡγεμονικώτατος*, Poſteris ſuis reliquerat, tanta injuria intercidiſſe. Quam enim dives eſſe vena debuit! ex qua effuſa, tot deinceps magni Viri dicta ſunt! Non ille certe pluvias torrentis inſtar aquas colligebat; exundabat potius vivo, ac perenni gurgite. Et mirum tamen, inexhauſta ſcaturigo fuerit; derivata inde flumine, alte condita, late ignorari. Sectatores tu accuſas; ego non prorſus abnuo. Fuere enim ſemper ſpurii, quos germani Epicurei Sophiſtas appellaverunt. At præcipuam mali cauſam reiicio in Stoicos; quippe a naſcentibus Sectis illis ſeſe infenſiſſime adverſus ipſum compoſuerunt; Zeno, Cleanthes, Chryſippus ſtravere viam ſucceſſoribus; iſti ne degeneres forent, non erubuerunt ſupponere libros, quibus ille infamaretur. Qui fuere præ ceteris, & graves, & ſancti, e re eſſe putaverunt, non quid verum eſſet expendere, ſed juxta evulgata a majoribus Epicurum inſectari. De locis illis Laërtianis, quod tu meum ſeorſum amplectaris tam humaniter, jucunde ſane accipio; niſi te tamen ſatis noſſem, niſi unam tibi eſſe cordi veritatem perſpectum haberem, illudi mihi ſuſpicarer. Neque enim ſic ego unquam meas probo commentationes, ut de ingenio non valde diffidam. Exemplum vis imbecillitatis; neſcio an, *δευτέραν φροντίδα*, an, *μετάνοιαν*, appellare debeam. Quod ad primum certe illum locum attinet, mea mihi deinceps interpretatio diſplicuit. Cum locus ita habeat, *καὶ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ἀντὶ τοῦ χαίρειν, εὐπράττειν. καὶ σπουδαίως ζῆν ἄριστον*, exiſtimaram, *τὸ καὶ*, tranſponendum, & præmittendum, *τῷ εὐπράττειν*, quaſi nimirum vice duarum vocum, quibus ceteri uterentur, Epicurus reponeret illas, *σπουδαίως ζῆν ἄριστον*. Re attentius conſiderata, ſubdubitavi, an non potius mendam lateret in voce illa, *ἀντὶ τοῦ*. Siquidem cum alias verbum huic phraſi neceſſarium deſit, ſi pro *ἀντὶ τοῦ*, reponeremus, *ἐτίθη*, vel etiam, *προετίθη*, ut facile potuit harum vocum commutatio fieri, ſenſus non male cohæreret. Certe vel locus Lucianicus, quem ipſe tu indicaſti, tametſi non convincat præmiſſum fuiſſe ab Epicuro, *τὸ χαίρειν*, in epiſtolis; innuere tamen id ſatis videtur. Urget, quod epiſtolis illis apud Laërtium exſtantibus, *τὸ χαίρειν*, habetur præfixum, durum quippe nimis videtur; quam ego culpam conjectabar, conferre in librarios. Accedit, quod Cicero quoque *in ſecundo de finibus* recitaturus illam Epicuri moribundi epiſtolam, præmittit hanc Epigraphen, *Epicurus Hermacho S.* Veriſimile ergo puto ſenſum eſſe, quod Epicurus nunc, *τὸ χαίρειν*, nunc, *τὸ εὐπράττειν*, nunc, *σπουδαίως ζῆν ἄριστον*, epiſtolis ſuis præpoſuerit. Quanquam & Laërtius oblitus fuerit quartam illam vocem, *ὑγιαίνειν*, videlicet, qua Lucianus, te obſervante, notat Epicurum in paucis uſum epiſtolis. Næ ego tamen ineptus ſum, qui te his nugis detineo! Sed tecum ago, ut cum Parente. Fortaſſis etiam pergratum erit, quod hanc cramben repetierim; quippe & denuo judicium feres. Reſtat, quas nequeo perſolvere, ſaltem indicem gratias, ob communicatum notarum Junianarum *αὐτόγραφον*, illas jam, ut ceteras, quas idem ad te miſerat Rutgerſius, cum Laërtiano textu contuli. At neutræ attingunt capita doctrinæ, de quibus ego ſum præſertim, maximeque ſollicitus. Quod quidem ſunt, perpolitæ ſont, ut illi erant ſane eruditi. Mirum tamen, ut ſemper præcipuos prætervolarint vortices; neque enim ſi quiſpiam locus Delio indigeat urinatore, gurgitem hunc ſubeunt. Tentabo ego, ut potero, omnia, quæ meum attingent inſtitutum. Tu ipſe Judex aliquando eris. Rutgerſius porrò bene divinarat multa ex locis a Junio correctis, reſtituta fuiſſe in conſequutis editionibus. Addo notata pæne eadem omnia in editione Heſychii Mileſii, cum ejuſdem Junii notis. Quia enim Heſychius fuit Simia, exſcriptor nempe Laërtii, neceſſe fuit Junio circa illum inſervierint, quæ circa hunc fuiſſent obſervata. Diſſentio ipſe in nonnullis aliquantulum, ſed attexere illa jam non lubet, cum me jam plus æquo importunum ſentiam. Itaque finem facio. Vale, Puteane humaniſſime, & me porrò amare perge. Pariſiis poſtridie Eidus Decembris M. DC. XXIX.

Viro eximio Jacobo Golio in inclyta Leydæ Academia, & linguarum Orientalium, & Matheſeos Profeſſori,

PETRUS GASSENDUS S.

Quantum tibi debeam, mi Goli, facile dictu profecto non eſt; quippe iis me cumulas humanitatis officiis, quæ compenſare non ſit in promptu; egeram ego temere, cum nihil de te meritus, auſus fuerim abs te poſtulare librorum a te ex Oriente advectorum indicem; tu nihil meam, ſeu impudentiam, ſeu imprudentiam attendens, voto feciſti plusquam ſatis, & candoris ſimul, ac benevolentiæ magnum præbuiſti ſpecimen. Itaque mihi quidem ipſi viſcera mea fidem faciunt, quam me tibi obſtrictum ſentiam; at quibus verbis id exprimam, partim non habeo, partim erubeſco. Ea enim eſt animi tui moderatio, ea lenitas, ut dicenda alioquin non feras. Hoc ſaltem habe, me eum eſſe, ex quo ut deſint cetera, nunquam ſis tamen animi, & boni, & grati affectum deſideraturus. Quid dices porrò Catalogum videns mihi privatim utendum, fruendum, factum eſſe publici juris? Scribit ad te Typographus, Vir omnino ſolers [is eſt, qui celebrem Bibliorum editionem jam pæne abſolvit] quid conſilii ceperit; ego, ſi quid ille peccavit, in me totum recipio. Scilicet me nec ignorante, nec invito id eſt aggreſſus, qui compellabar undique, ut illius facerem copiam. Hæſi diu, multumque, fateor, paterer-ne prælo committi; conſiderans, futurum fuiſſe ut ſi ipſe non improbaſſes hujuſmodi evulgatio-

nem, alio fortaſſis ordine, aliiſque etiam verbis, ſeu pluribus, ſeu paucioribus, itemque iis typis, qui iſtheic non deſunt, fuiſſes illam procuraturus; cum aliunde quoque ignorarem, poſſet-ne quidpiam tibi propterea a magnificis Academiæ moderatoribus ſuccenſeri. Verumtamen animadverti, cum appareret, rem eſſe factam præter tuum conſilium, poſſe te, niſi id probares, probari-ve deprehenderes, facile culpam reiicere in amici illius affectum, cui de excudendo nihil cogitans, Indicem illum confeciſſes. Curavi proinde, ut Typographus illud promoveret, ſimulque tuo cum elogio, commendaret etiam Illuſtriſſimos Ordines, Academiæque moderatores, quorum nunquam valeat ſatis ſuſpici in promovendis bonis artibus ingens animi celſitudo. Utcumque, ſeu illi, ſeu tu, quod actum a me acceipiatis, [exopto verò quam optime] ſcito, me rem feciſſe pergratam innumeris Viris, qui litteras amant, beneque mereri de iis ſatagunt; id brevi pernoſces, quantum ego certe conjecturâ aſſequor; ita ardenter multi expetunt, quid in pleriſque illorum librorum contineatur pervidere. Sunt, qui Poëſim Arabicam cognoſcere deſiderent; ſunt, qui præclaras hiſtorias, ſed quæ præſertim attineant Francos; ſunt, qui opera Mathematica; ſunt, qui Philoſophica; ſunt, qui Medica; ſunt, qui alia. Multi proinde me hactenus monent, ut te extorem manum admoveas interpretandis iis libris, qui pro cujusque ſtudio ſunt. Ego nihil tibi præſcribere auſim, qui ſatis novi judicium tuum in iis libris deligendis, qui ſint, & clariſſimi, & utiliſſimi futuri. Unum eſt, quod dicere valeam, nihil videri tuæ utique profeſſioni magis conſentaneum, quam ſi ad librorum Mathematicorum interpretationem te accinxeris. Ex ipſis autem nihil videtur Conicis illis Apollonii hactenus deſideratis haberi poſſe illuſtrius. Eò video plurium vota conſpirare, ac tanto magis, quanto ſi cum recentibus iſtis veteres libros excudi curares, veterum etiam copia fieret, quorum exemplaria rariſſima ſunt, & cariſſime veneunt. Sunt, qui cupiant, ſi editionem hanc curaveris, Serenum ad calcem minime omittas. Tu ex teipſo conſilium capies; puto ego ſi Apollonio Heroni, aut ſimilibus animum applicueris, dignam rem fore liberalitate Ordinum Illuſtriſſimorum, ſi impenſas ipſi fecerint; niſi fortaſſis occurrat tibi Typographus adeo generoſus, qui præter ſuas operas, conferre velit etiam ſumptus figurarum delineationi neceſſarios. Poſſet eidem committi editio librorum Ariſtotelicorum, quos, ut opinor, non prætermittes de animalium hiſtoria. Mirum enim quanti illa emolumenti ſit futura, cum nemo plane litteratorum ejuſmodi libris carere patienter ſuſtinuerit. Patiere ne porrò, Goli optime, ut meum ipſius exponam votum. Nihil, ut dixi, præſcribere volo, neque contendo, ut propterea moleſtiam tibi aliquam crees, quò mihi ſatisfactum velis. Optarim ſolum, ut patiaris explicare me, quid maxime deſiderem. Cum cetera omnia videre peroptem, tum maxime, niſi quamprimum Aſtronomicas tabulas, ſaltem varias illas Orientalium obſervationes cœleſteis. Noſti ipſe cujus ſit momenti conſignare illas Poſteris; cum non videamur poſſe melius de conſequente ævo mereri, quam ſi quidpiam ejuſmodi ad ipſum tranſmiſerimus. Cetera, quæ ſunt inventionis, ratiociniique humani, poſſunt, cum pereunt, millies repeti. Idem enim ſemper eſt humanum ingenium, & quidquid unquam fuerit ab aliquo excogitatum, poteſt id ipſum in alterius mentem aliquando incurrere. At cœleſtium obſervationes, quæ alligatæ ſunt tempori, non niſi ſemel fieri poſſunt, eoque pretioſiores ſunt, quod elapſa earum momenta, æternitatis deinceps totius effugiant amplitudinem. Non te latet quanta penuria ejuſmodi obſervationum a Ptolemæi uſque ætate ad Copernicum uſque, & Tychonem maximos Viros fuerit. Quanti verò putas illi fuiſſent, iſtas, quas jam adfers, empturi; cum præſertim, quantum conjector, ad ſæcula illa interjecta pertineant. Quam optaret verò etiam-num Decus illud eximium tempeſtatis noſtræ Keplerus viſas eaſdem ſibi, & examinatas fuiſſe, ante tabulas illas ſuas Rudolphinas editas! Diceres illum tacito quodam inſpirante genio diſtuliſſe tamdiu editionem hanc; cum adhuc tamen uno ecce, alterove anno videretur fuiſſe præcocior, verum ſatis adhuc mature in Europam illas advexiſſes, ſi dum Vir magnus ſuperſtes eſt, experiundo comprobare potuiſſet, illæ ne tabularum ſuarum ſupputationi congruerent. Ceterum autem ſi congruerent, Deum immortalem, quæ exultatio! attamen heic ſtylum cohibeo, ne ex te quidpiam nimis impenſe efflagitare videar; tu hoc quidquid eſt, boni conſule, qui ſi quidpiam improbaveris, comparatum me habes ad mulctam. Dum ames me, id tum erit ſatis. Vale itaque, cariſſimum caput, & clariſſimos collegas, præſertim Heinſium, & Voſſium [ſi is quidem eſt ex Britannia redux] meo ſaluta nomine. Pariſiis VI. Eidus Februar. M DC.XXX.

PETRUS GASSENDUS

HENRICO RENERIO S.

Is eſt tuus candor, ea virtus, Reneri cariſſime, ut te ſi nolim amare non poſſim. Expertus ſum præſens quanta eſſet tua humanitas, quam jam in abſentem officia teſtaris, ut tui obliviſcar minime patiuntur. Quam Parheliorum explicationem aba me habere cum Amſterodamo diſcederem, volueras, excudi deinceps, tibi curæ fuit. Id ſane debeo amicitiæ tuæ, qui tametſi erubeſco tantillum meum ratiocinium tanta luce illuſtratum fuiſſe, & me oneratum iis titulis, quos ſentio, quam non merear; non tamen ſic meum ruborem attendo, ac illam tuam erga me benevolentiam ſuſpicio. Plurimum quoque devinctum me tibi propter miſſa illa exemplaria habeo. Quippe licet ego hunc quaſi abortivum partum deſpiciebam, non defuerunt tamen amici, quorum cauſa (quod & videre, & fovere illis gratum fuerit) agere grates debuerim. Errores quoſdam te abſente irrepſiſſe in typos ſcribis; malo ego longe eos adeſſe, quam ſi debuiſſes illos tuo avertere incommodo. Res nullius momenti eſt, neque ejus cura debuit eſſe tanti. Ceterum rem gratam perſcribis, obſtrictos tibi ingenuorum adoleſcentum Parentes ad tibi ſuppeditandem annuus, dum eris in vivis, pinguem reditus. Scilicet hujus rei certior, putes jam conſiliis, ſtudiiſque tuis certam metam præfigere, te profeſſus, ut ille olim, poſtquam id obtinuit, quod petierat, Philoſophum non indigere. Et profecto quidem Vir ſapiens bona in ſeſe continere debet, quæ ad bene, beateque vivendum ſint ſatis. Verum & illorum profeſſio ex adjunctis fortunæ bonis clareſcere plurimum poteſt; & conſtantius longe vita degitur, dum conſtat

vitæ

vitæ degendæ modus. Non nutant amplius conſilia; efficiturque, ut animus & expeditius, & alacrius ſeſe comparet ad philoſophandum. Non cuivis contingit ſic eſſe affectum, ut Diogeni, aut Demetrio, ut Cleanthi, aut Epicteto; & Ariſtippus, & Atticus, & ceteri ſunt philoſophati, quos omnium decuit ſtatus, & res. Cave modo, cavebis autem, quæ tua eſt moderatio, ne unquam rem nimis curtam putes. Si is enim eſſes, qui interdum ea, quæ tibi conſtituta ſunt, non ſufficere cogitares, a tramite ejus, quam quæſiſti, beatitudinis excideres. Ad pauca, eaquo neceſſaria oportet nos componere; & ut augeamur opibus, reſecanda ſolum deſideria ſunt rerum non neceſſitiarum. Vulgi hominum ea ſtultitia eſt, ut plura ſemper appetat; ut a futuro ſemper dependeat; ut cum bonorum finem non norit, fructum eorundem nunquam aſſequatur. At Sapiens, cui perſpectum eſt, quam paucas, quamque paratas natura opes deſideret; qui novit quantum, & quouſque utendum rebus omnibus, tuetur ſemper modum conſentaneum, & a cepto nunquam aberrat. Unum eſt, quo valeas te exiſtimare tota ditiorem India, ſi celibem vitam degere inſtitueris. Non hoc dico in odium conjugii, aut quaſi illud ſim diſſuaſurus, ſi tuus affectus eò forte propendeat; attingo ſolum, ut moneam eum, qui uxoris, & liberorum curam ſuſcipit, ſtudium quoque ſuſcipere rerum perpetuo promovendarum. Id verò demum, ut opinor, maximo eſt impedimento animo vere libero, & ad philoſophandum nato, cujuſmodi ſane tuus eſt. Tu te conſule, qui te melius noſti. Quod memoras de prætermiſſa Philoſophiæ profeſſione in Academia inclyta, ut adoleſcentibus vaces, non video quorſum dolere debeas. Specioſior quidem illa profeſſio; ſed præterquam, quod etiam longior, minime ignotas mores temporum. Quam Philoſophiam docemus in ſcholis, theatricam facere tenemur; & neſcio, an cordatus vir ea profeſſione delectari poſſit. Nihil certe minus dignum hoc nomine tanto, quam quod Philoſophiam hodie nominant. Germana illa pæne clapſa ex hominum manibus in umbra, & ſilentio apud perpaucos hoſpitatur. Hanc unam coles, ſi te amabis, & illi vota facies, non ex quiſquiliis argutationum, quæ ſolæ fere in pretio habentur noſtris hiſce temporibus; ſed ex medullis ratiocinationum, quarum ex Veteribus uſque veſtigia quædam perennarunt. Memento illi te dedere totum, cum primum adoleſcenteis ex te ipſo dimiſeris; ſed & quamdiu illos erudies, fac ut plerunque philoſopheris. Ne elabatur tibi tempus, quod bonæ menti impendere potes, tranquillitatis futuræ ſpe. Fortaſſis iſti conſequendæ nihil ſupererit temporis; ex præſenti habe, quantum licet. Cum verò quidquid agimus philoſophari ſemper poſſimus; quanto magis tibi id liceat in ingenua inſtitutione, quæ circa arteis, litteraſque bonas edocendas tota eſt? Quin-etiam illud tibi munus tum jucundiſſimum evadet, ſi ætati illi teneræ, dum ipſe philoſopharis, Philoſophiam, hoc eſt, amorem veri, honeſtique inſtillaveris, quippe, & illos ſapere docendo, fies ipſe ſapientior, & eos ſenties ex te prodituros, qui ſint te olim gratiſſima recordatione proſequuturi. Quæris ex me, quid illis putem eſſe conducibilius, dum hactenus græce, latineque mediocriter eruditi ſunt, an legere multa, an diſcere multa, an denique multa ſcribere. Ad iſtud verò, mi Reneri, quid aliud tibi reſpondeam, quam teipſum id pervidere acutiſſime omnium; &, ſi conſultoribus quibuſdam opus fuerit, habere te iſtic inexhauſtos gurgites omnigenæ eruditionis, unde haurire valeas. Verum, ne putes, me faſtidio quodam, ſi quid me roges, abnuere, dicam ingenue quid ſentiam; quanquam non uno id quidem verbo. Videlicet exiſtimo, unamquamque harum exercitationum ſuam habere laudem, quæ ſi ſeorſim conſideretur, videri poſſit maxima, & aliunde, cum nulla ipſarum ſejungenda ab aliis videatur, non tam puto inquirendum quænam præferenda ſint, quam diſpiciendum qui illæ temperare inter ſe debeant. Itaque pauca quædam videntur dicenda eſſe de ſingulis; ac primum quidem de lectione, quæ profecto non poteſt illis non eſſe utiliſſima; cum hac ratione, & linguarum non ſatis periti ad bonorum Auctorum ſtylum tacita quadam æmulatione poſſint ſeſe componere; & addiſcentes paulatim dictionum ſignificationes, phraſeonque lepores, conſequi poſſint, ut eos Auctores familiares demum habeant, quos, niſi aſſidua lectione, nunquam fuerint intellecturi. Id curandum, ut qui libri ipſis prælegentur, neque dictionem perturbatam habeant, neque ejus ſint argumenti, quod ipſorum captum effugiant. Alterum enim illorum ingeniis figeret inutilem crucem, cum provectiores ſint habituri, unde ſeſe etiam ex locis difficilioribus expediant; alterum efficeret, ut neque labor jucundus eſſet, neque profectus reſponderet maximæ etiam diligentiæ. Hinc illud probo, cum tenera ætas narrationibus valde delectetur, ubi rudem ſaltem Geographiæ notitiam fuerint aſſequuti, fabulas illis, hiſtoriaſque ſtatim prælegi, ut hiſce capti ſeu illecebris, lectioni aſſueſcant, deincepſque, cum ulterius procedendum fuerit, ſequantur alacrius. Quanquam, quod ad fabulas ſpectat, admoneri illos ſemper velim ea, quæ ex illis recitantur, eſſe falſa, & ludicra, ne ſcilicet tenella ingenia ſuperſtitionum terroribus, aut vitiorum lenociniis fracta in mollitiem degenerent, ac indecoram deflectantur. Sed nimirum ea videntur quomodocunque tandem pellicienda, ut lectioni quaſi inutriantur; cum hoc ſit quæſitum paratiſſimum ignorantiæ remedium; quo & cognita aliis, & quæ ſunt a noſtris, ſeu locis, ſeu temporibus diſſita, cognoſcere nobis eſt in promptu. Ad memoriam quod attinet, quæ diſcendo excolitur, ea non poteſt etiam ſatis commendari; ac præſertim in hac ætate, quæ & ejus eſt temperamenti, ut facile quidvis addiſcat; & iis curis ſoluta eſt, quæ vulgo ſolent grandioribus maximo eſſe impedimento. Certe, quæ memoria eſt dives, ea hominem facit eruditum; neque magno ſolum ornamento in humana ſocietate eſt, ſed ex locuplete etiam penu ſana conſilia, ſana decreta ſuppeditare judicio poteſt. Ac iſtos quidem nunquam probavi, qui multa addiſcunt, non ut multum ſapiant, ſed ut multa ſciant, & ex memoria gloriam quærant; verum multa ediſcere, ut judicium inde roboretur, & in ipſo ætatis flore, quaſi matureſcat, hoc nihil duco eſſe præſtabilius. Hinc Auctor tibi fuero, ut aliquid ſemper illi quidem diſcant, ſed ut cures tamen illud ſemper ad judicium referant. Ne laborent unquam in iis ediſcendis, quæ minime intelligant. Sic enim & mens excruciatur, & neſcio quo pacto fit, ut a ſeipſa quaſi alienetur. Addiſcant ſemper res potius, quam verba; & cum recitare quidpiam oportuerit, non tam præſcriptis verbis id dicant, quam ſponte, & ex re, de qua dicent, perceptæ emanantibus. Utilius enim, meo judicio, memo-

riam exercet, qui marte ſuo, propriiſque verbis enarrat hiſtoriolam; quam, qui totam Æneiden non intellectam pronunciat. Hoc quidem eſt, quod fere videmus a Parentibus poſtulari, & a vulgo ſuſpici, declamari totum diem; exiſtimant quippe nihil referre, ſeu ſcias, ſeu neſcias, quid ſit id, de quo loqueris, dummodo memoriter dicas. At ego ſemper exiſtimavi, nihil fieri poſſe ineptius; cum alia præſertim ratio ſuppetat, & memoriam ſimul, & judicium exercendi. Eloquatur puer per me licet, & incongrue, & barbare; dummodo voces ex ſeſe fundat, & ſit deinceps, qui errorum dum ceſſatit, admoneat. Pergat enim ſolum, & crebro id faciat; continget demum, ut nunc hos, nunc illos lapſus corrigens, quidvis & ſcitiſſime, & expeditiſſime, & eloquentiſſime loquatur. Quod denique ad ſcriptionem ſpectat, ea plurimum etiam conducit. Etenim, dum illi, ſeu Græca, ſeu Latina lingua, vernaculam exprimunt, aut vernacula Græcam, ac Latinam; exercitatione hac fiet, ut quod alienum fuerit, in ſe transferant, & ex peregrino domeſticum faciant, id aſſequi autem ſcribendo, quam dicendo licet accuratius; nam & errores cautius devitantur, & quæ, ſeu dictiones, ſeu phraſes auribus magis congruunt, ſeliguntur commodius. Scribendo nempe tentare licet, quæ compoſitio verborum concinnior; cum inter dicendum omnia præter propter uſurpanda veniant. Tametſi porrò Scripturæ inventio credita multis fuerit pernicioſa, quod exinde memoriæ cultura prorſus, pæneve neglecta ſit; hoc ſaltem negari non poteſt, quæ meditari fuerimus ſcribendo, ea tenaciore quadam ratione hærere memoriæ; idque, quod ad linguas præſertim addiſcendas attinet, quæ niſi crebra repetitione, ac veloti facta quadam vi, probe imprimi nequeunt. Ut taceam, quæ, ſeu legeris, ſeu didiceris ab aliis, nuo melius unquam tua fieri, quam ſi verbis tuis reddere adnixus, calamo mentem retardante, id ipſi, quaſi infixeris. Hiſce præmiſſis, & cum oporteret accurare jam comparare exercitationes iſtas inter ſe; breviter tamen [quod nimis jam prolixitatis pagina admoneat] exiſtimo primum debere pueros, adoleſcenteſque plura ſemper pro ſuo captu legere, quam diſcant, aut ſcribant; quippe ea modu intelligant, non pauca ſemper hærebunt memoriæ, efficieturque, ut multa etiam inter ſcribendum occurrere valeant. Deinde, cum debeant initio diſcere plura ad verbum, quam ſcribant, illud enim eſt, & facilius, & ad ſcriptionem etiam neceſſarium; ubi fuerint tamen provectiores, debere plura ſcribere, quam memoriæ ad verbum mandent; tum enim, & ſcriptio, & Auctorum imitatio expeditior ex uſu eſt. Ceterum autem, quod ad memoriam non tam verborum, quam rerum ſpectat, debere tum illos plura diſcere, quam ſcribant; cum & hoc illis ſit magis ad manum, & comparanda rerum copia ſit, quæ declarari ſcriptione poſſit. Habes, mi Reneri, quid hac de re ſentiam; qui exoptaſſem magis, quid de eadem ipſe ſentires, cognoſcere. Sed nimirum ego ſic facilis ſum, ut balbutire omnino malim, quam amicu nihil reſpondere. Quem Tipographi noſtri filium mihi commendas, nondum vidi; enitar illi, ſi me conveniat, oſtendere, qua potero, quanti & tuam amicitiam, & Parentis ejus voluntatem faciam. Tu vale, ac me ſemper ama, & clariſſimo Riveto, cui, ut alia bene multa, ſic te cognitum, meique amantem debeo, ſalutem multam dicito. Pariſiis vi. Eidus Februar. anno M. DC. XXX.

Is Renerius eo ipſo die, quo uxorem duxit Ultrajecti, cœpit per convivium male habere, & ex eo eductus paucis poſt horis interiit; ſicque non thalamum, ſed feretrum invenit. Narravit Bornius, qui ſub ipſo ſuum Philoſophiæ curriculum jam abſolverat.

Eximio Viro Jacobo Golio, & linguarum Orientalium, & Matheſeos apud Leydenſeis Profeſſori inclyto,

PETRUS GASSENDUS S.

VIx elapſæ mihi e manibus erant, ſuaviſſime Goli, quas ad te poſtremum dedi litteras, cum ab amico noſtro perhumano, & collega tuo celebri Riveto, epiſtola reddita eſt. Significabat Vir ſingularis, & quid rerum ageres, & ut meum illud conſilium de excudendo, quem tranſmiſeras, Catalogo, eſſes accepturus. At non multis ecce poſt diebus allatæ ſunt mihi tuæ litteræ, quibus, quod tuam mihi teſtari benevolentiam pergeres, nihil potuit eſſe optabilius. Unum fuit, quod moleſtiam mihi aliquam creare potuiſſet, niſi ſecurus penitus fuiſſem de tua conſtantia. Scribebas, nihil eſſe in eo Indice, quod videre lucem mereretur; & ecce tamen e Typographejo ab aliquot diebus jam prodierat. Quid aliud in mentem ſuccurrere debuit, quam te eum eſſe, qui nihil propterea ex amicitia remitteres? Excuſationem jam ante ſcripſi, cum miſſis duobus exemplaribus. Addo tuæ eſſe humanitatis, ut lapſum hunc facile condones, idque cum mihi præcipue nihil antiquius fuerit, quam ut exinde tuo nomini celebritatem compararem. Rem porrò & mihi, & pleriſque aliis, quibus id innotuit pergratam ſcripſiſti, verſare te in animo curam concinnandæ Arabicorum Scriptorum hiſtoriæ. Hic nempe erit, veluti deſideratus Commentarius evulgati jam Indicis, in quo felicis Arabiæ præclaras merces explicabis. Id age modo, præclare Vir, quippe non hominis unius, ſed totius cujuſdam gentis exploratum nobis genium facies. Quantum verò putas fore, ut ſolertiæ tuæ debeant tot illuſtria ingenia, quorum monumenta non ſqualore modo, & ſitu deterſeris; verum ex alio Orbe adducta in tam aperto Europæ theatro, ac tam clara luce conſtitueris? Hoc non obſtabit, quin te accingas ad proferendos ſpecialius, qui melioris notæ viſi fuerint; perutile interea, jucundumque omnino erit plurimus ſimul, vel potius omneis uno proſpectu quaſi contueri. Eveniet certe, quod conjectaris, fore ut exinde Arabicæ linguæ excitetur ſtudium. Quid enim, amabo, ſperandum non eſt, obi id fuerit præſtitum; cum jam ex nudo Indice tantus amor illius linguæ addiſcendæ extiterit? Et ſcire aves aliquid de Pariſienſibus ſtudiis? Scito linguarum Orientalium heic jam vigere ſtudium, & cum Arabica quidem fuiſſet hucuſque incultior, ex quo tamen tot præclara illa aſportatorum abs te librorum argumenta cognita ſunt, dici non poteſt, quam multi illam, & deſiderarint, & quærere occeperint. Viget & ſtudium non vulgare ſcientiarum Mathematicarum; non quod publica Auditoria frequenteis habeant plurimos; ſed quod bene multorum lares Sirenum harum conſcii ſint. Quod idem dicendum de cultu poëſeos, hiſtoriæ, elegantiæ, ceterarumque

amœ-

amœnitatum, quas humaniores litteras vocant; quippe illarum ſtudium non tam commendandum videtur ex Gymnaſiorum ſtrepitu [tyrones enim, qui eò conveniunt] quam ex affectu, quo eas privatim non paucos ſane proſequi videas. Aliud ſtudium, quo permultos etiam detineri compertum habeo, ipſa eſt Alchymia. Ars laudabilis, ut ego opinor, & propter naturæ inveſtigationem, & propter ſalutem, quam plurimis parat. Sed quæ mihi ſemper viſa eſt inepta propter pollicitationes lapidis illius felicis, quo iſti ſperant, non modo ſe metalla poſſe tranſmutare, ſed ſanitatem etiam conſtantem, & quod amplius eſt, immortalitatem olim conſequi. Atque hæc quidem, quantum ego novi, celebriora ſtudia ſunt, quibus plurimi privatim incumbunt; quæ publice verò colantur, commemorare nihil attinet. Nota enim ſunt varia Profeſſorum genera, quibus Academia ſemper efflorescit. Nihil proinde neceſſe eſt dicam de diſciplina theologica, quæ tametſi ſplendorem ſuum non ſatis tueri dicatur; ſunt tamen cauſæ, cur pluribus ſemper Auditoribus, quam ceteræ ſimul omnes facultates, concelebretur. Nam & Medicinæ proci ſunt pauciores vel ex eo, quod qui heic promoventur artem vix faciant extra mœnia; & ad prudentiam juris quod ſpectat, cum numeroſiſſimi ſemper illam ambiant, ex aliis tamen Academiis in civitatem ſere comportatur. Nihil de vulgari dicta Philoſophia, quæ quod variis in Gymnaſiis alumnos ſemper multos educet, non eſt profecto cur admiremur; ſiquidem Dia hæc Sophia non per ſeipſam jam expetitur, ſed, quæ temporum eſt conditio, quæritur ſolum, veluti neſcio quid εἰσαγωγικὸν, ad ſuperiores [ſic nominant prædictas illas] facultates. Nihil demum de ceteris, quorum & privata cultura, & publica inſtitutio eſt. De me ipſo aliquid adiicio, quando ipſe præterea cognoſcere deſideras quid rerum moliar, dum heic tempus tero. Ac præmittis quidem veluti encomium flexanimæ indolis; verum id refero acceptum tuæ benevolentiæ, qui ſi me noſſes, agnoſceres ſuppellectilem, & tenuem, & curtam. Ipſe certe meæ conſcius imbecillitatis, nihil non deſpondeo, & quidquid unquam comminiſcor, ipſe omnium primus ſemper improbo. Sed his omiſſis, ac ne velle celare te videar quid in præſentiarum agam, dicam paucis: Philoſophor. Noſti jam quandam a me collocatam Epicuro operam, illam interdum retexere ſoleo, dum exploro & alia. Meditor nempe, & comparo celebriora quædam placita antiquorum Philoſophorum; ac omneis cum ſuſpiciam, ſingulorum opiniones ſic enitor expendere, ut ſi in cujusvis transfunderes genium; ſcilicet nullum damnare audeo, & cum Viri magni omnes fuerint, neminem iſtorum exiſtimo immeditato, ac præter rationem dogmata nobis ſua promſiſſe. Levitatem potius, ne dicam temeritatem, hominum noſtrorum incuſare ſoleo, qui paſſim cauſâ incognitâ, &, ut præoccupati ſunt, atro calculo illos notant. Quaſi verò, aut illi fuerint brutæ quædam pecudes, aut errorem veritati præferre voluerint! Quod me attinet, ex quo mentem meam hac quaſi lympha rationis purgavi, modeſtiusque me habui, viſus ſum mihi ſic fuiſſe admiſſus in pleraque eorum adita, ut pleriſque ipſorum myſteriis mihi jam videar coram intereſſe. Quod caput eſt, pervideo, niſi prorſus hallucinor, majorem fuiſſe Virorum tantorum conſpirationem inter ſe, quam hominum vulgus opinetur. Verborum eſt plerumque diſſidium; at quod res ipſas attinet, maxima eſt in maximis etiam, celeberrimiſque argumentis eorum conſonantia. Id mirum; ſed aut longe fallor, aut quod ſpectat ad principia rerum, ad finem bonorum, ad naturam animæ, ceteraque, in quibus illi diſſidere præcipue creduntur, pæne, prorſusque conſentiunt. Utcumque ſit, hæc mihi præſens eſt inveſtigatio, quæ ut fallat in ceteris, vel umbra tamen veritatis, quam ubique capto, delectat. Umbram dico; nam de ipſamet Deus aliquis videris. Ea divina eſt, ac Mortalium [quantum complector animo] ſic devitat conſortium, ut ne humanæ quidem mentis conjectura illum aſſequatur. Colenda tamen, quod ſui umbra, ac veluti ſpecie, quam veriſimilitudinem dicimus, tantopere placeat. Hæc una eſt, quam exigo, dum circa divinam, hac humanam Philoſophiam colo; voluptatemque tum ſentio, cum tot ſublimeis animas video in ipſam ſic conſpirare. Ceterum nihil heic ſubiicio de Mathematicis artibus, ad quas interdum etiam diverto. Noſti ipſe ut facile obliviſci illarum non liceat, mihi præſertim id nefas eſt, qui illis debeo, ſi quid aliquando delirare dedidici. Unum eſt, quod potius attexam, videlicet deſtinaſſe me ſtatim a Paſchalibus ſingulorum dierum horas aliquas Arabicæ linguæ ſtudio impendendas; etenim æquum eſſe non duco, ut cum ceteri ita exardeſcant, ac me præſertim procurante, ipſe ne ſim quidem lepidus. Neque me verò deterret ætas, cujus attigi jam annum duodequadrageſimum; cum ſapientiſſimo olim Viro, tametſi longe provectiori, contigerit litteras Græcas avide quaſi diuturnam ſitim expleturo arripere. Socium, amicum, patronum habeo, Virum omnino ſingularem, Franciſcum Luillerium, qui ſeſe eodem devovet; is & te colit, ac vere amat, ſalutatque amiciſſime. Exoptamus verò uterque, ut ſi compendium forte habeas, quo nos promoveri poſſe judices, haud graveris nobis impertiri. Linguam uterque Hebraicam utcumque callemus. Si quidpiam nobis id conferat, eò procedemus alacrius. Quod de futura mea ſede poſtremo loco interrogas, dicam prope, quod ille, neſcio. Mundanus ſum, & dum bene ſit, facile notum eſſe poteſt, ubi Gentium ſim, parum intereſt. Arcet me adhuc a patria, quæ illic peſtis eſt graſſata a pluribus jam menſibus, & neſcio, an ante Autumnum reditum illuc ſim apparaturus; amicus certe ille meus, votis aliorum conſpirantibus, iniicit mihi heic remoram. Seu tamen in patriam, ſeu aliò contendam, ſeu heic ſim perſeveraturus, mature tibi ſignificabo; ut liceat ſemper communicare, amicitiamque hanc colere. Accipies hac cum epiſtola Merſenni, tē, & profeſſione religioſi Viri litteras, quibus opinor declarabit redditas ſibi mea manu eas, quæ abs te ad illum deſtinatæ fuerant. Adjungo ſchedam Româ tranſmiſſam ad Typographum, a quo tuus eſt Catalogus editus, ut exinde cognoſceret, Exemplar-ne Samaritanum, quod exſtat Romæ, delineatum eſſet iiſdem characteribus, quibus, quod extat Pariſiis. Comparatione porrò factâ, idem eſſe characterum genus, eandemque formam deprehenſum eſt; niſi quod eſt exigua quædam in VVavv differentiola. Verum optaret adhuc pernoſſe, an quod Leydæ eſt exemplar duplex, allatum nempe illud a te, & advectum aliud ex Anglia; ex eiſdem etiam, aut diverſis conſtent characteribus. Itaque & ipſe te orat, & illius gratia ego te exoratum velim, uti nobis ſignifices paucis ex utroque verſibus deſcriptis, quomodo ſeſe res habeat. Id ſi digneris,

Digitized by Google

tia, ſimul remittes hanc, quam ego fuſi, ut tecom communicaret ſchedulam. Supereſt tibi indicem eſſe Tubingæ optimum Virum, eximiumque Mathematicum Willelmum Schickardum, qui præclaram quandam Geographiæ reſtitutionem molitur. Is deſideravit habere abs me obſervationes aliquot cœleſteis, quibus inſtitutum ſuum promoveat. Impertitus ſum, ac dici non poteſt, quam grato id acceperit; quam profeſſus fuerit, ſe exinde fuiſſe adjutum. Exiſtimo, ſi aliquas ex habitis illis in Oriente, quas tu advexiſti, beneficio too impetrarit, fore ot inde, & lætaretur, & juvaretus quam maxime. Igitur te etiam, ac etiam, mi Guli, obteſtari auſim, ut ſi quædam inter illas ſiut, vel Polurum altitudines, vel Eclipſes obſervatæ, haud grave ducas paucarum quarundam illi copiam facere, ſeu ipſe per te ſcripſeris ad illum, ſeu eam mihi, quod non recuſabo, provinciam demandaveris. Id ſi egeris, experiere ſane gratiſſimum Virum, ſponſuremque me præbeo, fore ut nunquam te illius tuæ liberalis animi ſignificationis pœniteat. Salutem ſemper plurimam dico Collegis tuis clariſſimis. Vale. Pariſiis poſtridie Nonas Martii, anno M. DC. XXX.

Exiſtimaram, tantum mihi temporis ſuperfuturum, ut poſſem ſaltem ad clariſſimum collegam Rivetum dare litteras; ſed vix datum mihi paucas haſce adſcribere voculas, quibus te precer, ut apud illum me excuſatum facias. Id age quæſo; illum ſaluta, ac ipſe vale iterum.

Præclaro Viro Willelmo Schickardo,

PETRUS GASSENDUS S.

Significavit mihi nuper ſingularis Vir, & amicus noſter Diodatus, Schickarde doctiſſime, quam grato animo complexus obſervationes illas fuiſſes, quas abs me, ipſo procurante, obtinere voluetas. Significavit & clariſſimum bonarum litterarum lumen Hugo Grotius tuis ex litteris, quam calida, quamque effuſa in me voluntate eſſes animatus. Itaque ego non potui, nec debui memet continere, quin tibi hanc animi alacris, & prompti teſtationem rependerem. Eſt ſane, quod mihi gratules, potuiſſe me tantillo officio benevolentiam tantam prumereri; at fateur, me illam debere indoli tuæ generoſæ, quæ vinci eſt neſcia, quæque tam amplam reponit gratiam, ut luculenter me debitorem ex creditore conſtituat. Perge porrò me ſic amare, clariſſime, & optime Vir; non parcam ego affectui, neque committam, ut ingratum me, immemoremque unquam experiaris. Ac doleo quidem non licuiſſe tum, com obſervationes miſi, aut litteras ſimul dare, aut quas præcautiones inter obſervandum adhibuiſſem apponere; attamen, & tum temporis ægritudine quadam diſtinebar, quæ vix neceſſaria delibare me pateretur; & facile mihi, nec immerito, de humanitate tua pollicebar, fore ut illud qualecumqoe eſſet, æqui, bonique conſuleres. Nunc cum deberem veluti hiſtoriam obſervationum ad te ſcribere, ot clarius de fide, quæ illis videatur eſſe adhibenda, conſtaret; non facio tamen, quoniam, ut ſpero, id poterit brevi fieri compendioſius; videlicet cum ante annum longam ſcripſiſſem epiſtolam ad religioſum, & doctum Virum, Marium Merſennum, quæ contineret quandam ipſius adverſus R. Fluddum Apologiam; ac ſimul curaſſem, ut ipſi illæ eædem, paucæque aliæ, quas a me petierat obſervationes conſignarentur, audio jam procurare ipſum, uti obſervationes typis unà mandentur cum epiſtola. Id itaque ſi perficiatur, curabo, ad te tranſmitti exemplum, quo deſcriptionem videas. Niſi fiat, exſcribam ipſe, ac declarabo quibus organis, qua cura omnia peregerim. Dum id expectas ſaltem, me com habe, qui volens nunquam decipiar. Ne verò & hac etiam vice epiſtula abeat ſine teſſera, Obſervationem ecce attexo, cui non tam mea induſtria defuit, quam ſi quid deeſt, Cœlum invidit. Illam ad verbum ſic conſcriptam habeo *meis in commentariis*. Dinis, anno 1627. menſe Septembri, die 18. ſtylo novo, veſperi. Cum eſſet auſtralis in cauda Ceti jam alta ad ortum gradibus 21. min. 54. [quadrans aderat, cujus radius longit. 5. pedum] hoc eſt hora 11. min. 2. $\frac{1}{2}$ Tectura erat omnino Luna prædictam ſtellam in gena ♐, ſeu quæ eſt occidentalis trium in collo ♐. Atque id quidem triente, aut $\frac{2}{5}$ limbi inconſpicui; fiebat enim ☾ jam ἀμφίκυρτ☉, adeo ut ægerrime etiam teleſcopio ſecundarium illud lumen appareret, ab auſtrali confinio lucidæ, & obſcuræ partium, hoc eſt, paulò infra medium ejuſdem partis obſcuratæ. Verum nubes tunc importune ea parte Horizonti occiduo proxima aſcendens [quæ & ſenſim totum reſidua nocte occupavit Cœlum, & ſequente die copioſam effudit pluviam] invidit ſpectaculum. Quanquam jurare prope auſim, occultandam fuiſſe ſtellam eo ipſo momento, aut inſenſibili poſt tempore, ex quo videre illam deſii. Tanta nempe ſedulitate ſectatus ipſam teleſcopio fueram, cum Lunæ deorſum quaſi adrepere videretur, tantaque ipſi propinquitate admota jam fuerat [vix enim inter ſtellam, & illuſtratam Lunæ orientalem partem videbatur collocari poſſe dimidium ejus, quod illuſtrabatur, cum tamen ☾ eſſet uno tantum die, *dichotomo*, major] ut aliquoties jam miratus eſſem, quorſum tandiu differretur ejus occultatio. Hinc ſi vel unum, vel duo minuta adiicere volueris, nihil exiſtimo amplios adiiciendum. Semi-quadrante certe horæ poſt, elevata nempe eadem cauda Ceti gr. 22. $\frac{1}{2}$ dehiſcentibus illeic nubibus, ſtella prorſus viſa non eſt. Habes obſervatiunculam, quæ ſi tuo utcumqoe inſtituto deſerviat, tum cenſebo, operam meam inutilem prorſus non fuiſſe. Certe, quæ ejus generis obſervationes haberi poſſunt, conducere præſertim videntur, quod heic illæ abſint ombrarom ambages, quæ circa eclipſeis Lunæ obſervandas ſolent negotium faceſſere. Circa illas, quas accepiſti, nullam unquam rationem habui illius velut caliginis, qua Luna æque, & initio, & ad finem ſuffunditur. Uſus ſum optico tubo, qui Lunam quaſi detergendo, limbum ipſius diſerte monſtraret, temerationemque ſtatim ſenſibilem efficeret. De ſulari ne me vanum putes, ſi dicere auſim, & exquiſitiſſimam illam fuiſſe, & dignam fortaſſis, quæ olim in Aſtronomiam adſciſcatur, pervidebis poſtea quid ſtudii circa illam contulerim. Sed & quoniam dum noſter Grotius litteras mihi tuas recitaret agnovi, fore ut gratum haberes, ſi aliquid etiam impertiri poſſem de variatione magnetica, ecce adjungo illam Aquis-Sextiis, non eſſe omnino ſex graduom. Scilicet ducta exquiſite meridiana linea [quippe neque unico die, neque unica, aut hora dieì, aut Solis altitudine ea, & deſcripta, & probata eſt] ego & ſingularis Vir, amicuſque meus Joſephus Galterius Prior, ac Dominus

minus Vallettæ, vix vidimus unquam magneticam acum ab ipſa deflectere ultra gradus quinque, & minuta fere 50. Noſti quam hæc obſervatio diſtet a conjecturis Nautonerii, de quo ad Grotium quoque ſcripſiſti. Filium ipſius illic vidimus, qui Patris exemplo meridianam lineam venaretur ſolum ex latrunculis, ſeu ſtylis, quorum umbræ circellos varios ante, & poſt meridiem ſecarent. Verum & hac quoque ratione (tametſi obſervandi genus praxi ipſa nominibus multis lubricumque, & fallax ſit, ubi præciſionem exegerimus) apertum ipſi factum eſt, quantum conjecturæ paternæ ab experientia recederent. Ita nimirum contingere ſolet, quoties quis ſola applaudens inſomniis naturam ipſam negligit. Quaſi verò, ſi quidpiam belle, ac in ipſis hypocauſtis ratiocinati fuerimus, neceſſe ſit univerſam ſtatim naturam rerum alligari noſtris ratiociniis? Infelices niſi pervideamus, alium eſſe naturæ genium, quam humanæ mentis conjectura ferat, & cujus cum opera pateant, modum tamen operandi inveſtigare non liceat; tantum abeſt, ut certas leges genio noſtro conſentaneas perſcribere tentandum ſit. Ceterum hac cum epiſtola accipies unà Catalogum rarorum librorum, quos Vir inſignis Golius ex Oriente nuper advexit, & apud Leydam depoſuit. Paſſus ſum, illum heic excudi, poſtquam me Golius ipſo donavit; quoniam intereſſe putavi rei litterariæ, ut multis innoteſceret. Videbis inter cetera mentionem in eo fieri obſervationum cœleſtium variarum, quæ in Oriente ſint habitæ. Hæc cauſa eſt cur ipſum nuper tui cauſa rogaverim, ut obſervationes illas recenſeret, & quaſcumque adverteret, ſeu altitudines polareis, ſeu Eclipſeis obſervatas [vix autem poſſunt non eſſe complures] illas & interpretaretur, & vel ad te ipſe mitteret, vel certe mihi committeret, ad te deinceps tranſmittendas. Id ſi egerit [aget autem, quæ eſt ipſius humanitas, ac in me ipſum propenſio] exiſtimo, non contemnendam operi tuo fore acceſſionem. Cum ad me primum reſcripſerit, quid ſperandum ſit, curabo ut noris. Vale interea, præclare Vir, & quod agis, agere perge. Scriptionis genus, in quo verſaris, utiliſſimum æque eſt, ac delectabiliſſimum; viderisque præ ceteris, quotquot attingunt hoc argumentum, dignas omnino agitare curas. Nimirum iſti conſarcinatores ne hilum quidem proficiunt. Id agunt ſolum, ut veritas, quæ obducta ſemel fuerit, involucris ſemper pluribus tegatur; &, quod fieri ſolet in communi vita, plurium exemplum noceat. Tu generoſius revocas rem ad germana principia. Utinam forent in ſingulis vel Urbibus, vel Regionibus, qui inſtituto tuo deſervirent. Vereor, ne tuus affectus tantus obſervationum neceſſariarum magna laboret penuria. Ita paucos videre licet, qui eò applicent animum, putentque, Cœlum ſibi datum in hæreditatem fuiſſe. Exclamare profecto licet: *Curvæ in terras animæ!* Verum ne ceſſes propterea pergere quouſque licebit, niſi rem plane perficies; attamen fortaſſis eveniet, ut bene multis torporem excutias; & cum ſemel fundamentum pulcherrimæ rei jeceris; maxima tandem moles aſſurgat. Iterum vale, ac me ama. Dabam Pariſiis XV. Id. Mart. anno vulgari M.DC.XXX.

Viſum eſt attexere aliud Catalogi illius exemplum, ut ſi fortaſſis tibi intercedat cum Keplero neceſſitudo, illius ipſi copiam facias. Fortaſſis illum Vir maximus contuebitur lubens; & ut negligat cetera, curabis certe ut affectum, quo ipſum complector, jucunde accipiat.

Viro nunquam ſatis laudato Joanni Keplero, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Mathematico celeberrimo,

PETRUS GASSENDUS S.

NOn eſt, quod te detineam multis, ò litteraturum decus. Mitto ecce munuſculum, quod ſi grate acceperis, plus æquo fuero conſequutus. Haud ſane id eſt, quod mereatur in tuas manus incidere; ſed cum non ea ſim felicitate, ut quidpiam melius proferam, ſpero de tua humanitate, ut quam heic teſtor obſervantiam, haud injucundam habeas. Suppreſſiſſem lubens hunc partum, qui in privatos amici uſus, non in hanc lucem quæſitus fuerat; verum cum alea jacta ſit, ſupereſt locus excuſationi, quæ emendationi non patet. Semel, iterumque memineram tui in illa epiſtola. Feciſſem fortaſſis ampliore elogio, ſi vel levis ſuſpicio fuiſſet, rem olim typis mandatum iri. Sed ſpes eſt, fore ut candor tuus, quidquid id eſt, conſulat boni. Typographi error præ ceteris fuit, ubi poſteriore loco facta eſt tui mentio, nempe lituras, ſi quæ erant in *αὐτογράφῳ*, parum obſervavit; verumtamen, quæ ad calcem eſt appoſita *καθόρθωσις*, ut legendum ſit indicabit. Quod ſpectat ad obſervationes, illæ & compluires prodire, & inſtructiores potuerant; ſed quæ ſunt hujus generis, niſi ſimplicitate placeant, non eſt omnino, quod evulgentur. Ceterum copiam a Schickardo noſtro tibi jam exiſtimo factam meæ illius obſervationis circa Eclipſin Solis nuperam diei 10. Junii, &c. *reſiduum habetur ſub titulo, Mercurius in Sole viſus, & Venus inviſa, excerpti nomine bis exceptis*. Sed finem facio, ne moroſior ſim; jam enim ſentio, quam te meis nugis præter inſtitutum detineam. Tu me ama, præclare Vir, qui excellentis tuæ virtutis ſum obſervantiſſimus. Dabam Pariſiis VI. Kal. Septemb. anno ære vulgari M.DC.XXX.

Raro Viro, & amico ſincero Willelmo Schickardo, linguæ ſanctæ apud Tubingenſeis Profeſſori peritiſſimo,

PETRUS GASSENDUS S.

DIes aliquot ſunt, mi Schickarde, ex quo amicus ille noſter, Vir ſingularis, Elias Diodatus miſit ad me litteras tuas cum adjuncta obſervatione Eclipſeos Solis nuperrimæ. Obſervationem eandem abs te miſſam habueram jam antea Grotii noſtri nobili manu. At cauſa duplex, quod reſponſionem in hanc diem diſtulerim; una, quod cum ipſe ad eundem Diodatum obſervationem Eclipſeos meam tibi reſignandam miſiſſem, crediderim fore ut non avide, luguideque eam expectares; altera, ut libellum iſtum ad te ſimul tranſmitterem, quando & illum te lubenter viſurum eſſe ſignificaras. Quod ad Eclipſin itaque ſpectat, factum jam eſt operæ compendium, cum interventu amici noſtri videre jam potueris quidquid fuit in illa mea obſervatione præcipuum. Idem etiam poterit tibi ex adjuncta epiſtola, quam ad Keplerum ſcribo, conſtare; cum eo fine liberam a ſigillo faciam, ut poſſis totam pellegere. Erit fortaſſis, quod

præter

præter Eclipſin libenti animo conſpicias; id ſi ita ſit, tuo utere jure; nam illud ad te ſimul ſcriptum volo; cura ſolum ut deinceps, & epiſtola, & adnexum aliud libelli exemplar ad Keplerum quam-primum detur; ſed ſic tamen, ut tua interceſſio addat pondus munuſculo. Scilicet, niſi te excuſante, qui communis amicus es, non erat, quod hunc Virum tantum tam ardenter interpellarem. Majori utor erga te licentia; ſed nota mihi tua humanitas, ex qua merito hæc mihi libertas. Plurima occurrunt, quæ digna ſint venia; ſed tu ad illam impertiendam etiam non rogatus propendes. Hinc quod attinet libri argumentum, cum unà opus eſſet litura, id tibi tamen fidenter ſiſto, quaſi non eſſet, quo offenderetis. Quare & quidquid judicaveris, ſcito id mihi, cui tuus candor perſpectus eſt, acceptum fore. Quanquam miſerebit me tui, ſi ea te forte patientia teneat, ut velis rem cognoſcere. Etenim ex nugæ ſunt, quarum me pæne, & piget, & pudet. Verum tu omnia, ut videbitur. De Parhelio, quod memoras, doleo, id fuiſſe Amſterodami infeliciter adeo procuratum, ut nudum, & ſine delectu excerptum meo ex ſententia nomine meo circumlatum ſit. Prolixa enim epiſtola fuerat a me ea de re ſcripta, quæ ſi ſua ſerie fuiſſet excuſa, non adeo me ridiculum, quantum conjector, exhibuiſſet. Probas tu quidem; at ego, dum id facis, affectum tuum ſic agnoſco, ut nihilominus ſentiam, quam præter mentem res acta ſit. Sunt heic amici, qui me conquerentem de evulgatione illa cum audierint, requiſierint epiſtolam, quam & curarent imprimendam. Niſi ea adhuc ſub prælo eſſet, exemplum ipſius ad te mitterem, ſed occaſione proxima id fiet. Quod de reliquis illis meis Exercitationibus rogas, cur non jam in lucem prodierint, in cauſa ſunt tempora, & mores. Libertas in illis mihi paulò major, quam ferat rerum præſentium conditio. Tametſi enim ſic tempero omnia, ut calumnias præoccupem; nondum tamen ſum adeo felix, ut ſatis æquos judices nanciſcar; quare ſaluti conſulo, dum & ſervire tempori ſtudeo. Parum abfuit, quin Prodromus ille, quod ſolita approbatione non prodiiſſet præmunitus, excitaret tragœdiam. Quidnam putas, ſperari debuit de reliquo illo apparatu? Itaque faciem rerum aliam, melioremque ſortem expecto, quæ niſi mihi adriſerit, mihi cecinero, & Muſis. Habeo & alias commentationes in Philoſophiam Veterum; ſed nempe mihi, & amicis habeo; quæ enim vulgo laudatur, & placet generis longe alterius eſt. Sed ad libellum redeo, in quo videbis obſervationes, quarum mentionem feceram tibi ſuperioribus litteris. Ego, cum illas percurrerem, deprehendi etiam illam de occultatione ſtellæ in genu ♐ quam litteris ad te datis inſerueram. Tu, quod litteras onerarim deſcriptione ſupervacanea, lapſui memoriæ tribues; neque enim illam Petriſcio communicatam imaginabar. Nunc quod nullam ibi deſcriptionem legant obſervatæ a me Gratianopoli altitudinis polaris, non pigebit obſervationem hoc attexere, quæ habita eſt per Gnomonem magnitudinis haud vulgaris. Itaque ipſam peregi Gratianopoli, anno 1625. die Junii 21. [in cujus meridie præciſe contigit Solſtitium] opera adjutus optimi illius Valeſii, cujus mentio fit in libello. Negotium totum peractum eſt in ſphæriſterio ampliſſimo, cujus faſtigium ſex orgyis, pariſienſibusve toiſis eſſet eminentius. In primis verò diebus aliquot præcedentibus regulâ ablatâ ex ſummo faſtigio repoſueramus laminam, in qua prius paratum fuerat rotundum foraminulum. Ex inferiore foraminis parte demiſeramus perpendiculum, & in ſubjecto pavimento notaveramus caſus punctum. Libellato pavimento meridianam duxeramus lineam ex illo puncto verſus Boream [tabulâ nempe ad hoc aptatâ.] In trabecula lævigata expreſſeramus intincto filo rectam lineam, trabeculamque ſic reſecueramus, erexeramusque, ut alterum lineæ extremum prædicto caſus incumberet puncto; alterum attingeret inferiorem partem prædicti foraminuli, quæ pro vertice ſtyli haberetur. Scilicet fidendum non fuerat extenſilis, contractiliſque fili longitudini, a quo plumbum dependiſſet. Denique prædictam lineam, ſeu altitudinem ſtyli emenſi fueramus repetitione particularum ſubtiliſſime diviſarum in pede aurichalcico, repereramusque eam eſſe ejuſmodi partium 6469. Omnibus autem apprime inſtructis, accedenteque prædicta meridie. Obſervaturi adfuimus, notavimusque breviſſimam umbram, ſeu punctum limbi propinquioris lucis foraminulo trajectæ in meridiana linea; ac emetientes diſtantiam ipſius a prædicto caſus puncto, illam deprehendimus prædictarum partium 2541. Quocirca ex proportione illius ſtyli ad hanc umbram rectam, deduximus angulum altitudinis ſuperioris limbi Solis 68. grad. min. 33. ſec. 20. ſeu centri ſemidiametro detracta 68. grad. 18. min. 30. ſec. Et quia unum minutum parallaxeos videbatur reſtituendum, habuimus correctam Solis altitudinem 68. grad. 19. min. 30. ſec. Unde & deducta exinde maxima Solis declinatione 23. gr. 31. min. 30. ſec. Reſtitit altitudo Æquatoris 44. gr. 48. min. Ac proinde altitudo poli Gratianopoli 45. grad. 12. min. Illam præcedente Æſtate per quadrantem bipedalem obſervaveram uno minuto breviorem. Diameter porrò foraminis in tecto fuit prædictarum partium 88. grad. Diameter Eclipſeos lucis in pavimento brevior earundem 690. grad. longior 736. grad. Vides, quod meum machinamentum; ſed & vide cum dicere de Eclipſi initio cepiſſem, quanta ſit facta excurſio? Quanquam ecquid neceſſe fuit adiicere quidpiam de comparatione obſervationum Eclipſeos noſtrarum; cum tu abunde ſis perſpecturus quid in tua excellat, quid in mea deficiat; & ego etiam id ſatis pervideam. Quæſo te ſolum, ut ſignifices occaſione proxima, an non putes differentiam longitudinalem hanc urbem, & Tubingam inter, inde colligi quatuor proxime minutis temporaneis breviorem, quam tabulæ etiam Rudolphinæ habeant. Obſervationes alias requiſivi; ſed obſervatores, quos noveram, oſcitantes adeo fuerunt, ut vel prorſus non obſervarint, vel obſervationes eas tranſmiſerint, quas pigeat tibi impertiri. Scripſit ad me Golius noſter ante duos menſeis, fuiſſe ſe tempore Eclipſeos in itinere; ac proinde illam obſervare non potuiſſe; verum promiſit ſe conquiſiturum obſervationes ubique omneis, ſi quas nanciſci valeat, quas ad me deinceps mittat. Id ſi fecerit, ſtatim illas tecum haud gravate communicabo. Circa Orientaleis verò obſervationes, de quibus illum tui cauſâ rogaram, poſtquam expoſuit occupationes, quibus diſtrictus teneretur, hæc verba ſubjunxit: *Primo quoque otio, quod nactus fuero, locorum aliquot celebrium longitudines, & latitudines ex probatis Auctoribus doctiſſimo Viro, Domino Schickardo, cujus certe in exoticis illis rebus judicium, & eruditionem admiror, ſuppeditabo.* Urgebo adhuc magis illum proximis ſtatim litteris, exiſtimoque

ſi tibi

ſi tibi ad illum ſcribere quidpiam vacaverit, rem non inutilem futuram. Ceterum ſi fortuna volet, potero fortaſſis & ipſe brevi tempore te ex Oriente adjutare. Cogito enim Conſtantinopolim, Alexandriam, & alia illa celebria loca eo fine inviſere, ut præ ceteris organis inſtructus quadrante aurichalcico, quem [radio duobus pedibus longiore] Willebrordus ille Snellius amicus meus ſingularis, dum eſſet in vivis, confici mihi curaverat, inſigneis quaſdam obſervationes, quantum licebit, perficiam. Diſcedere ſpero proximo Novembri unà cum Viro illuſtri, meique impenſe amante Comite Marchavillæo, qui eo tempore ad eas oras eſt Orator nomine Regis Chriſtianiſſimi conceſſurus. Id perſcribere, ſi videbitur, ad Keplerum poteris [oblitus ſum enim litteris ad illum hoc inſerere] ut ſi fortaſſis illeic gentium opella mea uti velit, ſignificare valeat. Tu verò mihi præcipue manda, ſi quid mea egeas induſtria; ac ſi quis forte apparatus ſciendus eſſe videbitur, cura ante finem Octobris litteras tuas accipiam. Vale interea, & me porrò ama. Pariſiis VI. Kal. Septemb M. DC. XXX.

Viro virtutis æternùm ſpectandæ Galilæo Galilæi, Magni Hetruriæ Ducis Mathematico,

PETRUS GASSENDUS S.

NOn ſcripſi ad te, Vir illuſtris, ex quo miſi obſervationem Eclipſeos Lunaris anni 1628. & grates ſimul, quas potui, perſolvi, promiſſis ad me tuis illis præclaris voluminibus. Scribo jam rurſus occaſione & Eclipſeos illius Solaris, quæ 10. Junii nuper accidit, & libelli hujus qualiſcumque, qui, quod prodierit meo nomine, haud debuit tibi eſſe ignotus. Circa Eclipſin itaque eodem uſus ſum apparatu, quo circa illam, quæ contigit anno 1621. & de qua etiam ad te ſcripſeram; niſi me mea memoria fallit. Verum circulum uſurpavi duplo propemodum majorem, qui cum certiorem me fecerit quantitatis Eclipſeos, cetera tamen incerta reliquit, præter momentum, quo Eclipſis cœpit. Hinc duo illa, quæ pronunciare de hoc defectu poſſum, hæc ſunt: Unum Eclipſim nobis cepiſſe in hac civitate Sole adhuc elevato 14. grad. 40. min. hoc eſt, hora 6. min. 16. $\frac{1}{2}$. Alterum obſcurationem Solis maximam fuiſſe digit. 11. min. 32. Cetera verò, ut, veſtigium primum Eclipſeos apparuiſſe in circulo citra teleſcopium ſuperiore dextra parte 35. grad. a ſupremo circuli puncto; medium Eclipſeos contigiſſe Sole alto 6. gr. 20. min. ſeu hora 7. min. 51. $\frac{1}{2}$. Limbum exteriorem falcis illuſtratæ fuiſſe tum minorem ſemicirculo 10. grad. Solem occumbentem hora 8. fuiſſe adhuc obſcuratum digit. 8. $\frac{1}{4}$ & ſi quæ ſunt hujuſmodi aſſerere non perinde auſim. Utcumque ſit, indico omnia, quod hoc modo noſſe nihil noceat. Ad libellum quod attinet, is non eſt, qui mereatur tibi bonas aliquot ſubducere horas. Habe illum ſolum, ut pignus continuæ meæ in te obſervantiæ, ac teſtimonium memoriæ jugis, qua te abſentem veneror, & affectiſſime complector. Spero me Conſtantinopoli circa natalitia futurum. Tu ſi mea obſervatione illeic, Alexandriæ, aliiſve in locis Orientis indigeas, aut ante diſceſſum ſignifica, ſcilicet ante initium Novembris, aut cum illuc appulero deſtina ad me litteras apud illuſtriſſimum, qui-cum eo conceſſurus ſum, Chriſtianiſſimi Regis Oratorem. Videlicet ubivis gentium habebis me ſemper, & obſervantiſſimum, & amantiſſimum tui. Tu me modo ama, & maximo artium, litterarumque ingenuarum bono æternùm. Vive, & vale. Pariſiis III. Kal. Septemb. M. DC. XXX.

PETRUS GASSENDUS

HENRICO RENERIO S.

AMplius menſe eſt, mi Reneri, ex quo accepi tuas literas unà cum exemplo tuæ Analyſeos in elegantiſſimo Poëmate expreſſæ. Niſi ſtatim reſponderim, in cauſa fuit exemplum libelli, quod volebam attexere. Etſi neque illud jam accipies cum his litteris, quod ejus moles etſi non magna, vectorem tamen alium poſtularit. Quocumque id tempore accipies, peto, non tam ut librum legas, quam, quod ſit meus, illum aſſerves. Quod enim mittam, non libri valor, ſed amor in me tuus facit, quem ut demerear, nolim occaſionem tametſi levem prætermitti. Commendas miro quodam elogio, quod ego de adoleſcentum inſtitutione reſcripſeram. Deſiderarem in te candorem, niſi ſat mihi cognitus eſſes. Itaque id malo ſic interpretari, ut affectus in me tuus tale judicium extorſerit. Ego enim ſatis agnoſco, quam nullam promereatur laudem quidquid prodire demum poteſt meo ex ergaſteriolo. Parce proinde affectui, qui ille tibi imponere poteſt. Dum ſentias me facere ingenue, ſi quid præſertim rogatus ago, non eſt quare cum illo exclamem. Ecquid erit præmii? Scribis fore ut deprehendam rationem Analyſeos ex appicto ſchemate. Pervideo quidem forte aliquid; at longe abſum, ut arborem tantam ad radices uſque intimas perfodiam. Qui enim vereor, ne poſt ſudores nihilo Davo oculatior ſim, rem totam ex te diſcere, quam ex me conjectari malo. Quanquam duo ſunt, quæ me remorantur, ne id officii a te poſtulem. Unum eſt, ſi importuna, laborioſaque res fuerit, præſtat nempe ut bono caream, quam ut te malo afficiam. Alterum, ſi forte hoc totum abs te inventum artificium edi in lucem debeat; quippe inofficioſum eſſet cognoſcere rem præmature velle; & ſi quid fuerit in arcanis, amicitiæ jure id exigere. Alius ſum longe, quam ut amicum, niſi propendentem, impellere velim. Quare ſic te oratum pute, ut tamen intelligas, me nihil niſi tuo genio bono conſpirante efflagitare; neque eum habeas, qui niſi quid præſtes, nihilominus animatus ſim. Ceterum non hæreo, quin res digna ſit, quæ in publicum prodeat; ſufficit enim tuum eſſe inventum. Et multos quidem hucuſque habemus, qui ſimile quidpiam tentarint; ſed neque omnium, neque undique videtur felix ſucceſſus fuiſſe; unus in id præ ceteris generoſe incubuit ramus; ſed ut præſentio methodus tua generalior eſt, neque ſyllogiſmos duntaxat inquirit (& certe mirum videri poteſt, cur vir aliàs magnus, cum vehementer adeo Ariſtotelem improbaret, ita ſe tamen adſtrinxerit illius in ratiocinando Analyticis figuris, & modis. Mens quippe noſtra ſolertior eſt, quam ut tam arctis limitibus contineri ſeſe patiatur. Mille aliis formis excurrit, quamobrem alio Hercole, aliiſ-

que nodis ipſi eſt opus. Hæc, ut ſpero, varietas eſt, quæ artem tuam commendabit. Etenim res parvi momenti non eſt, ingenium humanum tam varie luxurians ita detinere, ut ſuos excurſus omneis agnoſcat. Atque hoc quidem mirum videtur, cur artem in eo inveniamus, quod ſine arte plerumque eſt factum; neque enim puto Vallæum, dum carmen illud condidit, cogitaſſe de artificio, quod tu in illo adinveniſti. Sed nempe mens, dum ſui eſt compos, eſt ſibi ipſi ſuprema ars; ſi quidem ipſa naturæ ſponte non operatur inordinate. Infantes etiam ſyllogiſmos texunt; & puerculi, quod miratur Plato, ſe te ad quæſita reſpondent. Quidni faciant! cum ut in plantis, & cæteris rebus facultates naturæ omnes functiones ſuas eleganter obeunt, ſic animi facultas in nobis non poſſit ex ſe non præclare ſuas agere vices. Videlicet tam naturale eſt homini ratiocinari, quam videre, quam reſpirare, & quæ Logica ſeſe menti profitetur ſuccurrere, non tamen facit, ut propterea ratiocinetur perfectius, ſed præſtat ſolum, ut quibus modis ratiocinatur, animadvertat. Neque hoc dico, quaſi contendam artificium tuum inutile propterea futurum; ſagacitatem potius commendo, qua intimos uſque animi ſeſe ignorantis receſſus penetrare aggrederis. Tametſi verò, quod ad Praxin ſpectat, ſublimia quædam ingenia illud non requiſierint; non dubium tamen, quin, ſeu mediocria, ſeu quæ ſortis infimæ fuerint, inde plurimum adjuventur. Generoſæ arbores ſunt, quæ ſponte ſua ſurſum nitantur; verum ſunt ſemper imbecillæ, quæ indigeant regimine. Hinc, ut ſenes egent ſpecillis, quibus juvenes non utuntur; ita mentes minus vivaces iis ſubſidiis indigent, quibus florentes commode carent. Sed ad Theoriam quod attinet, inutilis, quantum conjector, ars tua ducenda non erit, niſi artes ingenuæ omnes ſupervacaneæ cenſendæ ſint. Quid enim Geometriæ, quid cæteræ aliud faciunt, quam ut ea ſpeculemur, quæ jam in natura conſiſtunt, ſed quæ niſi illæ monſtrarent, non eſſemus obſervaturi? Nimirum ſemper triangulus omnis treis angulos habet, duobus rectis pareis; neque aliud Matheſis facit, quam aperire oculos jubet, ut rem ſic eſſe advertamus. Porrò ars tua, etſi non faciat ut animus varie operetur, præſtabit tamen ut animadvertat, quam operetur varie, & cum voluptas magna ſit ea cognoſcere, quæ Mathematicæ revelant, ſpero, fore ut animus mirum in modum delectetur, cum ipſe ſibi fuerit revelatus, & quod oraculo jubetur, ſe in ſeipſo ſic noverit, ut qui agendo Protheus eſt, nulla ſe ex parte contemplando lateat. Ego itaque niſi grave ſit, & niſi artem ſae re publici juris cogites, quid hoc totum ſit lubenter cognoſcam. Accipies ecce cum his litteris exemplum meæ ad te illius circa Parhelia epiſtolæ in hac civitate excuſæ. Siquidem cum neque proſtarent, quæ requirebantur excerpti illius Amſterodamenſis, exemplaria, neque excerptum ea forma eſſet, quæ mihi ſatisfaceret, paſſus ſum eam, quam heic agnoſces epiſtolam typis mandari. Cogitaram exemplum nullum in Hollandiam mittere, ne id cognoſcens Typographus ille Amſterodamenſis tibi ſuccenſeret; at pervidi tandem tua intereſſe, ut qualiſcumque res foret, tuas in manus perveniret. Itaque ad te unum mitto; ſi nihil obſtare judices, quominus res evulgetur, exempla alia pro amicis mittam. Tu bene vale, & hoc quidquid eſt, ita accipe, ut me ſtudioſum tui agnoſcas. Dabam Pariſiis poſtridie Nonas Septemb. M.DC.XXX.

Viro eximio, & amico ſingulari Jacobo Golio apud Leydenſeis, & Matheſeos, & linguarum Orientalium Profeſſori meritiſſimo,

PETRUS GASSENDUS S.

Non ego conqueror, mi Goli, quod tam ſero mihi reſcribas. Tu ſuccenſere potius deberes, quod adeo tarde tibi reſpondeam; ſat enim novi, quam tu variis occupationibus detinearis; cum ipſe ſim, aut pæne nullus, aut etiam prorſus inutilis. Sed amicitiæ utamur jure, quod quantacumque excuſatione debet eſſe ſuperius. Quippe majus bonum amicitia eſt, quam ut amicis adimat quidvis agendi libertatem. Hinc poſſem deprecari veniam, prætexereque, ſeu negotia, quæ reſponſionem duos prope menſeis remorari potuerint. Verum ago longe candidius, quam, ut vel me peccaſſe putem, vel te eum habeam, qui tibi propterea ſatisfactum ad unguem velis. Eodem te affectu teneri confido; quare & ago liberius. Profecto verò ſi tu is eſſes, qui quod videris parum curioſe amicitiam colere, adverſum me offenderis; aut ego forem ita delicatus, ut ex te quælibet officia vellem punctatim exigere, præſtaret longe nullam inter nos intercedere amicitiam. Quorſum enim hoc divinum ligamen, niſi ut vita jucundius degatur, dum ſe amici mutuis juvant, delectantque officiis? Et verò ſi unus ex alio quidpiam coactum exegerit, tum voluptas intercidit, quæ ea amico requirebatur. Libera eſſe debent omnia; & niſi quis concedat amico, ut tum ſolum operam reponat, cum ea nihil habuerit moleſti; is jam amicus verus non eſt; ſcilicet voluptatem ſuam ejus affectat incommodo, quem vult ſibi eſſe amicum. Ego itaque, dum tu non reſcribis, cogito nondum adfuiſſe tempus, quo id faceres commode; certus te id tum præſtiturum, cum penitus vacaverit, neque res fuerit importuna. Tu de me idem exiſtima, ſic enim demum amicitiam eo, quo eſſe debet, tuebimur fine. Neſcio porrò an adhuc tibi redditum ſit exemplum libelli, qui nuper prodiit meo nomine. Curavi certe ab aliquot diebus, ut illud Vir clarus, & collega tuus Andreas Rivetus tibi conſignaret. Seu habeas jam, ſeu ſis habiturus, quæſo ut ſolum habeas. Studia tua graviora ſunt, quam ut divertas ad taleis nugas; ſatis eſt mihi ſi hoc, qualecumque affectus mei pignuſculum, contingat tibi non injucundum. Accepi lubens, quæ de ſtudiis tuis voluiſti mihi innoteſcere. Mea illa Arabica intermiſſa potius, quam dimiſſa ſunt, expectatione Dictionarii, quod neque prece, neque pretio comparere hactenus licuit. Vide quam gratum faceres, ſi Raphelingiani illius exemplum opera tua recuperarem. Unum heic fuerat conditum in Bibliotheca Thuana, quod habere mihi licuiſſet; at præhabuit Salmaſius noſter, qui & in Burgundiam illud detulit. Superavi jampridem omneis Grammaticæ moleſtias; ſi Dictionarium habuero, en quid mihi jam incidat, quod Arabiſmi majorem ſpem faciat. Habemus heic Virum illuſtrem Comitem Marchæ-villæum, qui Regius Orator proximo Novembri Conſtantinopolim diſceſſurus eſt. Is cum me amet, & neſcio quid de ſtudiis meis conceperit, teſtatur, ſibi eſſe in votis, ut ego illuc unà concedam ad peragendam obſervationes, quaſcumque lubuerit, & licuerit. Itaque jam pæne conſtitui, ſic

gene-

Digitized by Google

generoſe invitatus, & Virum ſequi, & cumprimum ad eas oras appulero Arabicam linguam ita colere, ut ad qualecumque Grammatices ſtudium converſationem adiiciens, ſperem me tandem aliquid eruditionis conſequuturum. Tu, ſeu illic opella mea fortaſſis indigueris, ſeu gnarus locorum, & rerum illarum directorium mihi quoddam impertiri haud grave habueris, poteris, aut ante Novembrim huc reſcribere, aut cum illuc pervenero, apud illuſtrem Oratorem litteras ad me deſtinare. Ego ſi illic quidpiam obſervem, quod tibi fore ſuſpicer gratum, haud invitus communicabo. Nunc, quod ſpectat ad obſervationem nuperæ illius Eclipſeos, quæ 10. Junii contigit, duleo te ſic fuiſſe diſtrictum, ut eò animumque, manumque intendere non vacaverit. Obſervavi ipſe, ut potui, in hac civitate eodem pæne modo, quo deſcriptam habes in libello obſervationem aliam Solaris Eclipſeos, quæ contigerat ante 9. annos. Itaque nobis hæc Eclipſis cepit prædicta die 10. Sole adhuc ad Occidentem alto 14. grad. 40. min. ſeu hora 6. min. 16. $\frac{1}{2}$. Digiti ecliptici fuerunt 11. cum min. 32. & hæc duo quidem ſatis exquiſite. Nam & teleſcopium præclarum, & circulus, quo excipiebam Solis radios, ejus erat diametri, quæ parum a pedibus duobus pariſienſibus abeſſet. Minus exquiſite cetera notavi, ſaltem ut perinde velim fidere, ut, quod veſtigium primum Eclipſeos apparuerit ſuperne ad dextram, & a verticali puncto circuli grad. 35. quod Eclipſis dimidia fuerit, Sole adhuc elevato 6. grad. 20. min. ſeu hora 7. min. 12. quod falx illa reſidua lucis non produxerit cuſpides ad ſemicirculum uſque, ſed defecerint hinc inde grad. 5. proxime. Quod cum Sol hora 8. ſub horizontem mergeretur, foret adhuc obſcuratus digit. 1. $\frac{1}{4}$ & ſi quæ fuere ejuſmodi. Obſervationes aliquot ejuſdem Eclipſeos accepi deinde ex aliis locis; at eæ non ſunt, quæ mihi videantur alicujus eſſe momenti. Unica eſt Schickardi noſtri peracta Tubingæ, quæ communicari mereatur, tametſi, ut heic nobis ventus, ſic illic nubea intervenerint, quæ plurimum interturbarint. Quæ igitur ille notavit, duo iſta potiſſimum ſunt; primum cum ☉ eſſet adhuc altus 8. grad. 35. min. ſeu hora 6. min. 56. defectum fuiſſe digitum 1. $\frac{1}{4}$ cum inclinatione diametrorum ad verticalem grad. 40. Secundum, in maxima obſcuratione falcem reſiduam non occupaſſe omnino digitum dimidium; tuncque extremas cuſpides citra diametrum Solis fuiſſe, argumento, quod diameter Lunæ fuerit Solari amplior. Cum meam unius obſervationem deſiderare viſus ſis, vides ut ipſi ἐν παρέργῳ, Schickardeam adiiciam, verum id ago tanto lubentius, quanto compertum habeo, rem tibi jucundam futuram vel eo nomine, quod Virum illum plurimi facias. Certe & ille te merito colit, & ea ſibi ſemper de tua humanitate pollicetur, quorum feceram illi ſpem. Proximis ſuis litteris, poſtquam me alia quædam rogavit, ecce quid inſeruerit: *Quid item Golius ille Arabiſmi Phœnix? An-ne promiſſis ſtabit, & pro me Poli quaſdam elevationes, vel longitudines e libris ſuis Orientalibus excerpet? Sic tarde procedent mea Geographica, ob lentam conquiſitionem ex tot locis.* Hæc deſcribo, ut, cum vacarit in Virum humaniſſimum, neque ergo te futurum ingratum, id officii colloces. Niſi ego heic fuero, aut ipſe ea de re ad illum dare litteras poteris, aut veſtratis Grotii uti opera, qui ſæpe cum illo per litteras agit. Unum ſupereſt, quod te velim, niſi ſim moleſtus, fieri exoratum. Noſti ut Snellius longitudinem rhijulandici pedis deſcripſerit olim, ex prototypo, diſtinxeritque in parteis 1000. Optarim ergo, ſi Snellianus typus reperiri valeat, digneris ipſe exprimere longitudinem illius in regula, curareque, ut ad me ante diſceſſum deferatur. Niſi pes ille inveniri poſſit, proſtat ſemper publicus typus, ex quo ille deſumpſerat, inde igitur deducere poſſes. Si pedem hunc habuero, cogito illum mecum deferre cum pariſienſi, cumque romano, quam cum veſtrate non conſentire [quidquid præclarus, & amicus Vir argumentando collegiſſet, indubia fide reperi] ut ſi in illis regionibus veſtigia quædam reperero longitudinum itinerariarum, aut alia quædam, quæ menſurarum deſignatione indigeant, id adnotare, & exquiſite, & menſuris inſignibus valeam. Seu regulam porrò, ſeu dictionarium, ſeu aliud ad me mandare volueris, aut credes docto Aquilio, precaberisque, ut ad fratrem ſuum in hac civitate degentem tranſmittat; aut conſules præclarum Rivetum, cui & ſalutem dices plurimam. Salutat te Luillerius meus, ſalutat & Gabriel Sionita, cum uterque te ſuſpiciat, ametque, & ſui mentionem tuis in litteris gratiſſimam habeat. Merſennus noſter ex Spadanis Aquis nondum rediit. Midorgius cupit te ſalutatum, ac abs te amari mire ſatagit. Si amaveris, devinxeris tibi Virum ſane non immerentem. Exiſtimo quas ille tibi meo interventu litteras dedit, fuiſſe jampridem tibi redditas; cum vacaverit, id ſignificabis. Interea vale, & me ſemper ama. Pariſiis poſtridie Non. Septemb. M DC. XXX.

Singulari prorſus Viro Erycio Puteano.

PETRUS GASSENDUS S.

LOngum tempus eſt, mi Puteane, ex quo non dedi ad te litteras; do jam, ſed breveis; ut brevitatem, quos ſimul do, ſupplebunt libri. Tametſi libros dare qui poſſim, cum reponendo impar ſim? Videlicet quæ abs te tuli haud alia ratione compenſo, quam χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. Attamen tu age teipſum, hoc eſt Virum humaniſſimum; ita demum tibi ex te, quod ex me nunquam, fiet ſatis. Non multi ſane ſunt Alexandri, ut tibi ſint cum paribus omnia. Demittendum tibi ex tanto faſtigio, ut te aliqui conſequantur. Quod me attinet, poſtulo, ut nihil meum cognoſcere velis, quin ſis paratus ignoſcere. Etſi longe ſatius, ut opinor, fuerit bonas horas non perdere in pervidendis rebus malis; flocci puta, & nihili. Mitto ſcilicet, quia munuſculum, qualecumque eſt, rependere debeo; at ſentio interea, ut ſub lima tua ſtare meæ nugæ non poſſint. Verum tu ipſas quæſo ſepone, & meum erga te affectum, ut ille eſt ingens, ſolum æſtima. Si quidpiam olim habuero præclarius, & illud tibi devotum erit. Perge me ſulum amare, ut ſacis. Is ſum, qui ut virtutem tuam maximi facio, & merito; ſic amorem erga me tuum, partem maximam beatitatis duco. Diſcedam brevi, uti ſpero, Orientis loca viſurus; vide ſi quid officii illic Gentium præſtare poſſim. Penes te imperium, penes me obſequium, & obſervantia perpetua. Pariſiis IV. Idus Septemb. anno M. DC. XXX.

Inſigni Viro Thomæ Fieno Profeſſori Medicinæ apud Lovanienſeis Primario,

PETRUS GASSENDUS S.

ACcipies, mi Fiene, cum hoc epiſtolio epiſtolæ ingentis exemplum. Tu brevitati ne ſuccenſeas; cum nihil ſit neceſſe bis eſſe prolixum. Fortaſſis quoque pluribus aliàs; quam par ſuerat te interpellavi. Verum quæ ex me, ſic conſule omnia, ut me ſemper habeas obſervantiſſimum tui. Etiam, atque etiam vale. Saluto ſemper præclaros Viros. Pariſiis IV. Eidus Septemb. M. DC. XXX.

Reverendo, & Claro Viro Auberto Myræo, Antuerpienſis Eccleſiæ Decano,

PETRUS GASSENDUS S.

QUodnam de me judicium feres, Myræe præclariſſime? Sane ſi ſpectes diutu num ſilentium, erit, quod in me, vel faſtidium, vel oblivionem tui ſuſpiceris. At pigrum bovem me cogita, & tum me, ut revera ſum, ſine fraude, doloque accipies. Abſit nimirum, ut qui te habeo, veneror que velut Parentem, mente ſemper te non complectar; quantum-vis mihi, ſeu lingua hæreat, ſeu calamus torpeat; ceterum autem noſti, ut & ſacer cultus ſentiendo, quam fando evadat anguſtior. Verum hoc non dico, ut me penitus excuſatum faciam [ſat enim culpam ſentio] ſed ut tua illa humanitate læſa, ignaviæ huic meæ non plane ſuccenſeat. Scilicet tu ea in me voluntate animatum te præſtitiſti, ut quibuſcumque modis poſſum, animi gratitudinem facere debeam non inteſtatam. Itaque jucunde accipies eam, quæ animo ſemper inſidet, recordationem ſuaviſſimam tui; & veniam dabis, quod illam teſter per litteras tantis intervallis. Accipies unà cum his litteris libellos, neſcio quos; habe illos, quod mei ſint, non quod offerri tibi mereantur. Non tu illis indigebas, ſed officii mei fuit levi ſaltem munuſculo tuum illud grande donum penſare. Inviſam forte intra paucos menſeis Orientaleis Eccleſias [cogitu enim dare me in comitatum Illuſtriſſimi, qui illuc conceſſurus eſt ad Portam, Regii Oratoris] vide, num deſtinatis illis ad te præclaris operibus ſubſidii quidpiam fuero collaturus. Id certe mihi ſic mandare potes, ut ſperare me debeas obſequentiſſimum futurum. Tu bene vale, & ſalutem multam Nepoti tuo dici patere. Pariſiis IV. Eid. Septemb. M. DC. XXX.

Præclaro Viro Caſpari Gevartio Antuerpienſis πολιτείας Secretario, Muſarum alumno, amico ſincero,

ET abs te quoque poſtulo veniam, Gevarti mellitiſſime, quod tam ſero ſalutem dicam. Profecto niſi humanitas rara, qua me præſentem cumplexus es, abſantem quoque proſequatur, eſt, quod me infelicem putem. Qui nihil enim exhorreo magis, quam ingratitudinis notam; poſſum tibi jam ex tanto ſilentio ingratiſſimus apparere. Sed ſpero ſempe, ut quem immerentem in amicitiam cooptaveris, nec demerentem averſeris. Bis hac ratione beaveris me, cui nihil tua benevolentia poteſt eſſe antiquius. Spondeo interea tibi majoris in poſterum diligentiæ fidem, quam & volo, hiſce libellis, quos ad te mitto, oppigneratam. Excuſationem nullam prætexo; quid attineret enim mittere? Satis eſt, ſi te deprecer, & munus hoc, qualecumque eſt, velut ſymbolum obſervantiæ, affectusque mei accipias. Attexo potius conjecturam, quæ mihi nuper, dum præclara illa, & cedro digna electa tua percurrerem, in animum inducta eſt. Ea eſt circa obſervationem inſignis Viri Claudii Puteani tuis inſertam ἀνθολογικοῖς. Ago id porrò tanto fidentius, quanto & rem ſpero tibi gratam fore, & a Viri illius clari opinione diſſentio, non invitis ipſius ingenuis, ac eruditis filiis, quos mihi ſemper conjunctiſſimos, & habeo, & habere volo. Locus itaque illi explicatur ex epiſtola Ciceronis XIX. lib. V. ad Atticum: *Etiam, atque etiam vale de Patrone, &c.* Contenditque legeodum eſſe: *Etiam, atque etiam vale die Patroni, & tuis coediſcipulis. Quæ de Tarentinis tu militia laboravi, ea tibi grata eſſe gaudeo.* Videlicet propter amorem, quo Atticus fuerat teſtatus filiolum ſe diligere, præſcribere illi Cicero videtur, ut valere jubeat illam Epicureorum Sectam, in qua nulla, πρὸς τὰ τεκνὰ στοργὴ φυσικὴ, comprobetur. Ego hanc interpretationem ſubtiliſſimam judico; verum videtur mihi locus aliàs ſatis planus, nimirum diſtorqueri. Certe ſi illam adhortationem Cicero in mente habuiſſet, ipſam feciſſet magis perſpicuam. Ut taceam illum cum Attico ſemper egiſſe longe modeſtius, quam ut ullam ἀπόστασιν, a Secta ipſi imperaret. Prætereo familiarem illam concluſionem epiſtolæ: *Etiam, atque etiam vale.* Cui veluti poſt-ſcriptum quoddam, adtextum illud fuiſſe videatur, *de Patrone, &c.* & maxime quidem cum epiſtola, quæ paucis valde verſibus capita multa complectitur, velut ſubſultim fuerit conſcripta. Adde, explicari non poſſe, qui fuerint illi Tarentini pro Parietinis, uti pridem legebatur, repoſiti; quæ illa item militia, in qua Cicero laborarit; quid illud demum, quod egerit. Quamobrem puto, alia ratione quærendam iſti loco lucem; exiſtimoque ſi *in Melite* pro *in militia* legerimus, ac Parietinarum vocem antiquitus lectam retinuerimus, ſenſum ipſius clariorem futurum. Epiſtola nempe hoc modo concluſa: *Etiam, atque etiam vale;* ſubjecerit Cicero: *De Patrone, & tuis condiſcipulis* [ſupple, agedum, quæ dicenda poſt-ſcriptu hoc habeo] *quæ de Parietinis in Melite* [nimirum ſitis] *laboravi, ea tibi grata eſſe gaudeo.* En verò rationem meæ conjecturæ. Certum eſt ex iis ædibus, quas Epicurus moriens Sectatoribus reliquerat ſuis, aliquas ita collapſas fuiſſe per ducentos, & amplius annos, ut Parietinæ dictæ fuerint. Cum illas verò exædificandas Areopagitarum decreto C. Memnius obtinuiſſet, reclamarunt Epicurei, ac Patro ipſe præ ceteris. Vide, ſi placet, epiſtolam familiarium primam lib. XIII. quam Cicero, cum eſſet Athenis ſcripſit Mitylenas ad Memnium: *Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt, &c. Is igitur Patro, cum ad me Romam litteras miſiſſet, uti te ſibi placarem, peteremque, ut neſcio quid illud Epicuri Parietinarum ſibi concederes, nihil ſcripſi.* Et ſtatim poſt: *Idem, ut veni Athenas, cum idem, ut ad te ſcriberem, rogaſſet, ob eam cauſam impetravit, &c.* & rurſus: *Quanquam Patronis, & oratio-*

orationem, & cauſam tibi cognitam eſſe certo ſcio, honorem, officium, teſtamentorum jus, Epicuri auctoritatem, Phædri obteſtationem, ſedem, domicilium, veſtigia ſummorum Virorum, ſibi tuenda eſſe dicit. Ceterum cum Epicurus præter hortum, & adjuncta non alias ædeis ſuo teſtamento ſectatoribus reliquiſſet, quam quæ erant in Melite [quod quidem fuit ex Suida Cecropiæ tribus oppidum, & in quo ἀλεξίκακον, ex Favorino, Herculis templum] perſpicuum videtur Parietinas illas alias non fuiſſe, quam Melitenſes. Locus exſtat apud Laërtium lib. x. in Epicuri teſtamento de ædibus ejuſmodi: Τὴν δὲ οἰκίαν τὴν ἐν Μελίτῃ παρεχέτωσαν Ἀμυνόμαχος, καὶ Τιμοκράτης ἐνοικεῖν Ἑρμάρχῳ, καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ φιλοσοφοῦσιν, ἕως ἂν Ἕρμαρχος ζῇ. Redeo ad illam epiſtolam, in qua & Memmium Cicero hortatur, ut tollendo illo Areopagi decreto conſentiat vel ipſius Attici cauſa. Ejus verba ſunt: *Pomponium Atticum ſic amo, ut alterum fratrem. Nihil eſt illo mihi, nec carius, nec jucundius. Is non quod ſit ex iſtis, eſt enim omni liberali doctrina politiſſimus, ſed valde diligit Patronem, valde Phædrum amavit, ſic a me hoc contendit. Homo minime ambitioſus, minime in rogitando moleſtus, ut nihil æque magis, nec dubitat, quin ego ad te, nuta hoc conſequi poſſem, ita etiam ſi ædificaturus eſſes. Nunc verò ſi audierit te ædificationem depoſuiſſe, neque tamen me a te impetraſſe, non te in me illiberalem, ſed me in ſe negligentem putabit. Quamobrem peto a te, ut ſcribas ad tuos, poſſe tua voluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν, illi vocant, tolli.* Habes heic, quæ de Parietinis pro Patrone, & ceteris Cicero laboraverit. Epiſtolâ ad Memmium ſcriptâ, exemplum illius ad Atticum miſit, ac ſignificavit, quam ea in re curam, operamque collocaviſſet. Ita nimirum meminit epiſtola 11. lib. v. ad Atticum: *Cum Patro mecum egiſſet, ut peterem a veſtro Areopago ὑπομνηματισμὸν, tollerent, quem Polycharmo Prætore fecerant; commodius viſum eſt, Zenoni me, & poſt ipſi Patroni, ad Memmium ſcribere, qui pridie quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat, ut is ad ſuos ſcriberet, poſſe id ſua voluntate fieri. Non enim dubitabat Zeno, quin ab Areopagitis invito Memmio impetrari non poſſet. Memmius autem ædificandi conſilium abjecerat, ſed erat Patroni iratus. Itaque ſcripſi ad eum accurate, cujus epiſtolæ miſi ad te exemplum.* Jam, cum nihil ſit veriſimilius, quam ad Ciceronem reſcripſiſſe Atticum, meminiſſeque quam grate ſibi pro Patrone, & condiſcipulis circa Parietinas illas laboraſſet; an-non probabile videtur reſpexiſſe huc Ciceronem, ſequente illa epiſtola, & loco de quo agitur? Si auderem licentiam mihi paulò majorem permittere, dicerem legendum videri: *Quæ pro Patrone, & tuis condiſcipulis de Parietinis in Melite procuravi, ea tibi grata eſſe gaudeo.* Verum quia ſenſus conſtare poteſt modo jam ante expoſito, non eſt, quod meæ religioni circa legendos Auctores vim faciam. Tu ipſe rem conſiderabis, cenſebiſque pro tua illa ingenii tui felicitate, quid totum hoc videbitur. Ego, ſi meam conjecturam non prorſus improbaveris, lætabor me commentum fuiſſe, quod poterit Viro tam erudito non diſplicere. Sin explodendum duxeris, & ego illam carbone notabo, qui tanti judicium tuum facio, ut nulla ratione ab ipſo appellare voluerim. Utcumque fuerit, ſcito me ſemper clariſſimæ tuæ virtutis ſtudioſiſſimum futurum vale; Pariſiis xv. Eidus Septembris M. DC. XXX.

Ut tuus Antonius ſe habeat, perquam libenter acciperem. Neque ego modo, ſed quotquot ex me ſtudium abs te circa ipſum collocatum acceperunt. Quem ex me noſſe deſideras, eſt P. Fichetus, is ſcilicet, qui Chorum Poëtarum ante editum Antoninum contexuerat. Iterum vale.

PETRUS GASSENDUS
HENRICO RENERIO S.

REſcripſi ad te, mi Reneri, ante duos circiter menſeis, circa tuam illam Analyſin. Scripſi, & de mea pro Patre Merſenno adverſus Fluddum Exercitatione, & de impreſſa hic mea ad te circa Parhelia epiſtola. Exemplum attexui, quod haberes ipſe, ſimulque dedi litteras, quæ Golio noſtro redderentur. Nunc ſcribo ad te occaſione faſciculi hujus litterarii, qui ad præclarum Carteſium, tuo interventu, dirigitur. Qui ipſum mihi conſignavit, ille eſt Ferrerius, induſtrius plane artifex, cujus, opinor, tibi nota manus. Is cum ſumma ſemper obſervantia Inſignem Virum coluerit, dolore jam infando vexatur, quod occaſione neſcio qua illius erga ſe affectum refrigiuſſe ſuſpicetur. Itaque & ſcribit ad illum purgatoriam epiſtulam, & poſtulavit ex me, ut teſtimonio quoque meo innocentiæ facerem fidem. Ego, quod rarum illum Virum vix ſemel coram affari licuerit, excuſationem paratam habui, me eſſe non illi ſatis familiarem, ac poſſe illum vel ſuccenſere, vel non injuria negligere inofficioſum pene officium. Verum cum ſingularem Virum interpellare auſus non ſim, id recuſare ſaltem non potui, ut tibi, qui-cum illi ſumma intercedit neceſſitudo, rem mihi notam ſignificarem. Cum itaque Ferrerium ſæpius alloqui me contigerit, deprehendi nihil in ipſius ore commendatione quadam eximia Carteſii frequentius. Niſi profecto merita Viri aliunde perſpecta habuiſſem, erat quod tam crebras, & glorioſas laudes hyperbolicas ducerem. Videlicet de illo ſemper, ut de quodam Deo loquebatur, teſtatus illum unicum eſſe, quem toto Orbe ſuſpiceret, cui & deberet jam maxima, & porro omnia eſſet debiturus; ut verbo dicam, nihil potuit mihi remiſſione illa affectus inſperatius contingere; tantam hujus Viri conſtantiam in ſua illa, ut ita loquar, veneratione obſervitaram. Quod ad me ſpectat, ſi magnifieri ab aliquo expeterem, non aliam mei æſtimationem, non alium ardorem experiri vellem. Tu ſi ita videbitur, dabis operam, ut eximio Viro, quidquid iſtud eſt, innoteſcat, ipſique ſimul candoris mei præſtabis vadimonium. Teſtarer apud alium, & conſcientiam, & ſuperos ad liberandum ipſi fidem. Apud te nihil eſt neceſſe, cui notum ſatis, quam ingenue agam. Ceterum exoptat Ferrerius remitti ad ſe litteras, niſi illæ fortaſſis tuto, aut reddantur, aut tranſmittantur; nimirum ſibi renunciatum dicit, Carteſium fuiſſe brevi profecturum in Angliam. Id procurabis igitur. Scribit Merſennus ad noſtrum Rivetum; ſufficiet illi ex me ſalus, quam ipſe dices plurimam. Dic verò etiam per-amico Golio, qui jam utinam ex ſuo illo morbo omnino convaluerit. Speraram ipſi impertiri obſervationem Eclipſeos Lunaris, quæ nuperrime contigit; ſed Diana illa invida etiam nubibus umbram texit. Cum ille me in Orientem nondum diſceſſiſſe accipiet,

cauſam

cauſam agnoſcet, quæ ſæpe cadit labra inter, & calicem. Potero hic adhuc verſari, quouſque poſſis ad me reſcripſiſſe, etſi non propterea contendo, ut quidquam agas incommode. Vale interea, & me porrò ama. Pariſiis x. Kal. Decemb. M. DC. XXX.

Reverendo, & docto Patri Chriſtophoro Scheinerio e Societate Jeſu,

PETRUS GASSENDUS S.

EST cur mihi ſuccenſeas, quod te ignotus compellare auſim, Religioſe Pater Scheineri, niſi tua illa humanitas hanc meam audaciam excuſet. Sed mihi nempe non injuria de Viro, & bono, & docto polliceor, ut meam interpellationem ſit habiturus non inſuavem. Id certe tibi perſuadeas, me eum eſſe, qui jampridem virtutes tuas ſuſpiciam, & cum te coram alloqui non poſſim, teſtari ſaltem per litteras meam erga te obſervantiam velim. Lætor verò hanc ſeſe mihi, qua poſſem ad te ſcribere, occaſionem obtuliſſe; quippe qui tibi has litteras Vir inſigni eruditione Naudæus noſter conſignabit, ſignificare amplius poterit, qua ego eum nominis tui æſtimatione te proſequar. Is, ne manibus vacuis nomine meo ad te accedat, libellum ecce ſimul reddet, quem pro votis mihi eſt, ut habeas quaſi ſymbolum obſequentiſſimi affectus. Quod libellulum attexam, in cauſa eſt optimus P. Derienus, qui hac in urbe, & apud tuos Matheſeos Profeſſorem agit. Ille ſiquidem pro amore, quo eſt erga me animatus, communicavit mecum nuper ſchema quoddam Parheliorum, quæ ipſe tu Romæ ſuperiore anno obſervaveris. Cum verò eſſet aliquid, quod, deſcriptione etiam adjuncta, non ſatis clare perciperem, cogitavi ſtatim ad te ſcribere, ut uberiorem quandam abs te explicationem impetrarem. Tum auctor ipſe fuit, ut mitterem ſimul exemplum mei neſcio cujus ratiocinii circa Parhelia, quæ etiam Romæ [neſcio an obſervante te] præcedente anno apparuerant. Mitto igitur, nec ſine rubore; tametſi ſatis fuerim teſtatus, quam mihi-met diffiderem. Video certe præ ceteris meam qualemcumque conjecturam circa circuli albeſcentis amplitudinem, altitudinemque in hoc exemplo non ſucceſſiſſe; licet fuerim parallelismum cum horizonte ſubodoratus; ſed gaudeo maximopere, quod promptum adeo experimentum conjectationem correxerit. Ceterum, quod diagramma illud exaratum manu duntaxat, non ære exceſum fuerit, quale fuiſſe Roma dicitur tranſmiſſum, inde factum exiſtimo, ut non potuerim ita certo memet ipſum in ceteris refellere, vel confirmare. Quamobrem & hæc cauſa eſt, cur te exorem, ut haud grave habeas ad me mittere tum exemplum, ſi ſuppetat, excuſi Romæ diagrammatis; tum ampliorem declarationem, ſi vel copioſius aliquid in adverſariis depoſitum habeas, vel memoriæ felicitas te ad id ſatis juvare poſſit. Et valde quidem optarim ſcire, ſeu exquiſite, ſeu prope verum, quantæ fuerint ſingularum Iridum diametri; qui colores, & qua ratione inter ſe diſpoſiti, quæ craſſitudo omnium circulorum, quæ magnitudo, figura, & vivacitas, aut hebetudo ſingulorum Solium; quantum, & qua parte circulorum, vel arcuum nonnulli mutilati apparuerint; quomodo, & qua ſerie tam circuli, quam novitii Soles evanuerint (nam de exortu rogare non auſim) demum, quæ aura ſpiraverit, quæ Cœli facies reliqua fuerit, quæ tempeſtas præceſſerit, quæque per unum, aut paucos dies ſubſequuta fuerit. Hæc ſunt, inquam, præcipua quædam, quæ deſiderarim ſummopere noſſe, licet vel per nebulam ſolum meminiſſe rerum potueris. Quia vereor tamen, ne videar parum conſiderate agere, rogo te ſaltem, ut exprimas [quod meminiſſe haud-dubie potes] quemadmodum Irides illæ affectæ fuerint inter ſe. Videlicet non ſatis capio, an majores minoribus concentricæ extiterint; & an majores ita ſeſe in vertice interſecuerint, ut portiones, quæ deſinunt in verticali deſcripto intelligi debeant protenſæ ad horizontem verſus Boream (quo caſu Irides debuiſſent videri longe ſolitis majores, immo pæne arcus eorum circulorum, qui magni in ſphæra dicuntur) an verò potius duo illa crura, quæ ad horizontem uſque depreſſa fuere, repræſentarint unum quemdam, & continuum ſemicirculum, portiones autem crurium, quæ ad verticem, fuerint quaſi arcus unus circuli alterius inferiorem contingentis, uti apparet, dum ſpeculum, aquam ve extremam arcu quodam contingimus. Non capio item, an quæ dicuntur Irides minores, ſeſe ſurſum, deorſumque ſubingreſſæ mutuo fuerint; an contigerint, an ſecuerint, an [quod probabilius videtur] æquidiſtantes undique fuerint; an Sol demum [qui ad eas parteis] vel in nodo, vel in contactu, vel in interſtitio, apparuerit. Non ſum, inquam, adeo acutus, ut iſta ex ſola figuræ inſpectione pervideam. Tu me verò facile potes, quidquid hoc rei eſt edocere, quem aliunde non dubito animi eſſe adeo propenſi, ut gratum habeas deſiderio non illaudato facere ſatis. Ego, ſi quid me forte roges, eum me erga te viciſſim præſtabo, ut ad quodvis officium promptiſſimum experiare. Accepi lubens, quod relatum eſt de opere illo egregio, quod circa maculas Solareis mandari jam typis abs te dicitur. Quippe & ego iſtud argumentum oculis, menteque verſavi, ſperoque fore, ut tua opera ſcrupulis multis eximar, qui negotium adhuc faceſſunt. Alias quidem vias tentavi. Sed Galilæanæ adhuc hæreo; ita nihil in ceteris, quod æque arrideat, invenio. Id ſignificavi aliàs Viro claro, quo putas verò gaudio exceipiam, ſi jam ante tabulam factus, aut ad illius interpretationem fortaſſis acceſſeris, aut commentus aliam fueris, quæ ſit undequaque concinnior? Seſqui-annus eſt, ex quo Atrebatis iter faciens vidi ibi veſtrum Malapertium. Ille jam tum peravide expectabat editionem tui operis; cum multorum jam annorum obſervationibus inſtructus haberet quidpiam moditatum, quod in lucem quoque ederet. Vir ille ſane induſtrius, ac pluſquam dici poteſt humanus; memini verò, me non probaſſe tum quod ſentiret de perpetua macularum exiſtentia; quaſi quidam Planetæ eſſent [quod & Tardæo viſum fuerat] tum quod ad verum, & locum, & iter in diſco Solis obtinendum, meridiem non ſatis curaret [in quo tamen ſolo videtur tuto deſignari Eclipticæ ſitus] aliis horis quibuſcumque indiſcriminatim rem perageret. Hem tamen, quò digredior? Sed cogita, cum principio tecum adeo familiariter agam, debere me neſcio, qua præſenſione eſſe perſuaſum, fore ut tu omnia boni conſulas, & me quantumvis immerentem benevolentia tua digneris. Ama me, ergo, Vir optime, & libertatem meam tantam quocumque tandem juſtu compenſa. Vale. Pariſiis Idibus Januariis M. DC. XXXI.

Viro

Viro præclaro, & amico ſingulari Willelmo Schickardo, Hebraicarum litterarum in Academia Tubingenſi Profeſſori meritiſſimo,

PETRUS GASSENDUS S.

Menſis prope eſt, mi Schickarde, ex quo tuæ illæ litteræ, circa Nonas Octobreis datæ, ad me tandem huc pervenerunt. Reſpondiſſem maturius; verum expectabam in dies, dum de diſceſſus tempore certior, poſſem id tibi ſignificare; cum & occaſio in dies traheretur, qua Grotius noſter ad te reſcripturus litteras meas atteXeret. Nunc cum neque illuſtris Orator, ut ſe habent res Aulicæ, aliquid indubium de diſceſſu norit; neque clarus Grotius id accipiat adhuc, quod ad te deinceps mittendum præſtolatur ex Belgio, ego, ne ignores diutius ubinam Terrarum ſim, renùntio tibi, me eſſe Pariſiis. Scilicet accepi ex iis litteris, quas ad Diodatum nupee dediſti, te in ea eſſe opinione, ut me jam, niſi inter Sauromatas eſſe, Getasque, at ſaltem apud Thraces putes. Deberem quidem, ſi aliqua eſſet humanarum rerum conſtantia; ſed notum nimis, quam varios caſus fortuna ſemper interiiciat. Speraſti nuperam Eclipſin potuiſſe a me obſervari, ſeu in Ægeo, ſeu etiam Byzantii; vides, ut quæ adhoc me habet Lutetia, etiam tunc detinuerit. Quæres, an ſaltem heic obſervavi? Minime gentium, mi Schickarde, non quidem, quod per apparatum, diligentiamque ſteterit; ſed quod Dea illa pharetrata denſa potius caligine, quam Nympharum corporibus laborantem texerit vultum. Ita nimirum invida illa conatus ſæpe meos deluſit, aſſuefecitque, ut leniter quidquid ſoperis videretur, ferrem. Deſcripſiſti in tuis ad me calculum ejus occultationis, quam impertitus a Keplero fueram; doleo me rem non ita clare, dum id agerem, expoſuiſſe, ut tibi aliqua ex parte irritus labor ſuſciperetur. Etenim cum præſcripſi Lunam tegere cepiſſe Saturnum latere obſcuro, parte ſexta proxime ab inferiore angulo, ſeu confinio lucis, & umbræ intellexi ſextam partem ejuſdem lateris obſcuri; tu verò ſextam accepiſti circumferentiæ totius, unde & in centro angulum feciſti 60. graduum, qui 30. ſolum debuit fieri. Hinc videbis quid retentandum. Ego, ne mea dimenſionis æſtimatione, quid imponerem, characteres ſubnotavi in ipſo corpore Lunari, ut in pari ætate Lunæ poſſet correctio ſemper inſtitui. Id ubique præſto, dum licet, ut nominatim præſtiti deinceps die Septembris XIV. cum Luna texit ſtellam dictam humerum ſiniſtrum ♐. Cum nempe ſub crepuſculi finem Cœlum jam ſtellatum fulgeret, dirigeremque tubum in Lunam, octavo jam, aut decimo, quantum mihi videbatur, azimutho occidentalem; animadverti prædictam ſtellam non longe ante egreſſam fuiſſe ex latere Lunæ occiduo. Apparebat exitus fuiſſe paulò ſupra dimidium ejuſdem occiduæ, & illuminatæ partis, ſed & adnotavi fuiſſe e regione inferioris partis ejus maculæ, quæ rotunda, & ſolitaria Caſpii maris inſtar videtur. Infelicitas fuit, quod tum apud amicum diverſarer, ubi carerem organo ad captandum horæ momentum. Utcumque autem licuit; organi ibidem ſequente die compos factus, obſervavi, cum ſtella eſſet in eodem loco proxime, primam trium caudæ Urſæ majoris altitudinem obtinere 38. graduum, ſeu eſſe horam 7. $\frac{1}{6}$ & quia diſtantia ſtellæ a limbo obſervata fuerat, quaſi pars ſexta, aut ſeptima diametri Lunaris, ſeu 5. prope minutorum; ideo ratiocinatus ſum, egreſſum ſtellæ eſſe debuiſſe non valde procul a meridiano. Hoc totum addo, non tam, quod ad rem, quam quod putem nihil poſſe tibi enarrari jucundius. Obliviſcebar addere diu fuiſſe, antequam ſtella nudo viſu conſpiceretur. Ceterum hæc mihi in mentem flebilem caſum revocant, quem tu ad Diodatum ſcripſiſti. Deum immortalem! Igitur ne Sol ille clarus litteratorum Keplerus ſic occubuit, ut æternæ jam tenebræ illuſtrem adeo vultum obſideant? ô! ſi querelis foret locus; ut poſſemus merito jure cum natura expoſtulare, quod hominem diviniſſimum niſi immortali, at ſaltem Hamadriadum non donarit ævo! Debebat ſaltem illi Terra annos Neſtoreos non pauciores, a quo ipſa animam, vitamque immortalem accepiſſet. Teneriore affectu Luna, quæ, iſto ſuo Sole extincto, & ipſa pati defectum voluit; tentare viſa num illum, quæ olim Dioſcurorum charitas fuit, alterna morte redimere poſſet. Verum quia ſic fata tulere; vivat jam ſaltem anima felix ſuper Æthera, cui dum mortalia degeret, adeo ingenteis admovit ſcalas. Digna illa, quæ jam myſteriis penitioribus interſit; digna, quam jam excipiat, & compleat tantus ille, & tam dulcis ſonus, ad quem exaudiendum ipſa ſibi viam tanta contentione aperuit. Sed quod ad nos ſpectat, dignus obitus, quem Academiæ etiam integræ luctuoſis cum veſtibus defleant, calculoque atro diem notent; niſi quod ille parte ſui meliore ſuperſtes jubere videtur, ut nemo fletu faxit funera. Potiore certe jure, quam ille, per docta Virum volitabit ora, ejusque laudes Poſteritas, niſi ingrata, conticeſcet nunquam. Videlicet ſtuporem creabit, quoties quis labores herculeos, incomparabilemque genium Viri animadverterit. Quid-ni? cum admirari quidem, ſed conſequi non liceat, quantum illius ingenium ceterorum ingeniorum dotibus præcellens, aquilæ inſtar ſupra nubeis volatum jugem tenuerit. Niſi profecto de illo verum non video, quem unquam Minerva arteis omneis docuiſſe dicatur; & Jupiter optimus maximus admiſiſſe in concilium Deorum. Nobis ea felicitas reſtat, quod tametſi jacturam tantam reparari non poſſe ſentiamus;glorioſi tamen Viri ævo quadam ex parte vixerimus, & cum ego quidem aliquam, tu ipſe maximam cum illo ſocietatem habuerimus. Ignoſces mihi, ſi epiſtolam hiſce quaſi deſideriis capitis tam cari perfundam; quippe non poſſum non apud te animum meum exonerare. Utinam verò ſic poſſem piis parentare manibus, ut ille quoque intelligeret, quam mihi ſit æternùm ipſius recordatio grata futura. Scribis reſtitiſſe in manibus tuis, quod munuſculum ipſi deſtinaram. Quidquid de illo egeris, ſcito me gratum habiturum. Si forte tamen ipſo donaris præclarum illum Lanzium, a quo me amari tuis ex litteris ſat ſentio; ſcito fore gratiſſimum. Non hæreo porrò, quin meo nomine illum ſis reſalutaturus; id ſic facito, ut intelligat, mea eſſe in illum viſcera effuſa. Lætor adeſſe tibi amicum, qui-cum, ut tecum omnia. Id enim rarum; cum aliunde maxima pars felicitatis ex ſincera hujuſmodi amicitia dependeat; degite ergo ambo felices, & me eum habetote, qui ducam ſorti optimæ poſſe in tertium vobis cooptari. Vale. Pariſiis Idibus Januar. M. DC. XXXI.

Adeſt heic juvenis, & ſolers, & ſagax nomine Belgrandius, qui illuſtriſſimo Principi unico Regis

Chri-

Chriſtianiſſimi fratri a Matheſi eſt. Is apparatum prope jam habet eximium quoddam inſtrumentum obſervandis cœleſtibus. Expetat verò, me abſidente, quaſi hæres noſtræ hujuſce communicationis relinqui, ac te interea valde ſalutat. Ego, ut id pergratum habui, ſic compertum tibi eſſe volui. Iterum vale.

Gabrieli Naudæo ſuo,

PETRUS GASSENDUS S.

DOlui vehementer, præclare Naudæe, quod datas ad me litteras, neſcio, quæ fata inviderint. Videlicet Mothæus noſter Vayerius te ad me ſcripſiſſe renuntiat; ego verò ex tuo diſceſſu ne vel ſchedulam vidi hactenus, certe ne epiſtolam quidem, qua apud amicum de me quereris. Vide, amabo, num debeas potius de litterarum tuarum fato, quam de meo facto expoſtulare? Refert etiam ille te ægre tuliſſe, quod litteras quaſdam Romam dederim, nulla facta mentione tui. At ego neque ullas dedi litteras, ſed ſolum litteris amici ſalutem Bochardo inſerui, neque tribus inſertis verſibus ſic tui oblitus ſum, ut non etiam tibi dixerim ſalutem. Niſi rem ſatis cognoveris, non eſt, quod mihi culpæ verratur; eſt potius, quod candorem tuum ad ſinceriorem provocem fidem. Nempe non ex ſilentio, non ex locorum intervallo, non ex injuria, aut gratia fortunæ dijudicari meum affectum decet. Tu me ſatis ſub cute noſti, ut cum volueris, intelligas hærere te mihi in medullis. Nec verò ego etiam dubito, quin tu me ſummopere ames; ſed luxurianti calamo parco, & commotionem leviculam ſpe ſedationis ultro condono. Nihil te admoneo de ſtudiis meis. Ipſe, qui diſcedens illa excitaſti, perſpectum habes, quid rerum moliar. Velim ſolum intelligas, laborare me citra contentionem, eamque ob cauſam opus vix eſſe dimidia ex parte confectum. Verſor adhuc in Phyſicis, neque audeo mihi de mea ſedulitate polliceri, ut annus extremus hanc partem definiat. Mora fortaſſis in lucro erit, quando uni Sectæ laborans, omnem Philoſophiam ſimul demeto; ſed coronide res erit probanda. Nunc temporis Exercitationem adverſus Judiciarios texo; quoniam licet Epicurus, *ἐπισημασίας*, dictas ſolum noverit; hoc tamen genus divinationis, perinde, ac cetera omnia videtur fuiſſe repudiaturus. Eâ abſolutâ, aggrediar ſtatim poſteriorem partem de ſublimibus, quæ ſola vulgus philoſophantium appellare *μετέωρα*, ſolet, cum magis proprie Veteribus dicerentur *μετάρσια*. Vides quam lubens acciperem, ſi quid ſpecialius noſſe liceret de Romanis Parheliis. Tu quidquid rerum iſtic agas, aut quibus ſtudiis detinearis, ſignificare haud grave ducas. Non hæreo, quin Romæ cum ſis, Romano more vivere inſtituas: Diodatus noſter memorabat nuper quam-multa ipſe hac de re. Mihi nihil ſubeſt adiicere, præter illud Comici dictum: *Νόμοις ἕπεσθαι τοῖσιν ἐγχώροις, καλόν*. Vale. Pariſiis XII. Kalendas Septembris, anno M. DC. XXXI.

Præclaro, & amico Viro Willelmo Schickardo, in Academia Tubingenſi Profeſſori Hebraico,

PETRUS GASSENDUS S.

EN, mi Schickarde, gallicum, eundemque cœleſtem Mercurium. Optaras illum tibi, mihique non inconſpicuum fieri. Te, &c. Pariſiis IV Eidus Novembris, anno M. DC. XXXI. *Habetur ſub titulo, Mercurius in Sole viſus, & Venus inviſa Pariſiis anno 1631.*

EIDEM.

EFfeci nuper, mi Schickarde, ut Deus ille *πολύζωπ@-*, vinctus coram te ſiſteretur. Speras Deam, *πολύχρυσον*, pari ratione jam traducam? Auſus fueram, volueram; ſed ipſi me grave peccare in ſexum non collibuit. Eſt quod, &c. Pariſiis poſtridie Eidus Decemb. anno M DC. XXXI. *Hæc cum ſuperiore habetur.*

EIDEM.

SCripſi ad te, mi Schickarde, circa Eidus cum Novembreis, tum Decembreis ſuperiores de viſo a me in hac civitate ſub Sole Mercurio, deque inviſa Venere. Nunc, quando novam occaſionem Diodatus noſter nactus eſt, attexo brevem ſchedulam, ut ſi forte litteræ meæ militum inſolentia, qua omnes prope viæ obſidentur interceptæ fuerint, ediſcas paucis ex feliciore, quantum conjector, epiſtolio, quod in illis uberius, & ſi dicere liceat, paulo floridius enarravi. Noveris, Mercurium conſpectum mihi ſub Sole fuiſſe die Novembris 7. mane inter hiatus nubium. Primum quidem ſub horam 9. aut non nihil ante, cum jam beſſem propemodum diſci Solaris percurriſſet; poſtremum in ipſo ejus exitu e diſco, hora 10. min. 28. ſub latitudine boreali min. 6. & ſec. proxime 20. Ac tanta ſemper ſub exilitate, ut illius diameter vix exceſſerit 20. ſecunda, ſeu $\frac{1}{90}$ diametri Solaris. Noveris etiam, Venerem non apparuiſſe nobis ſub Sole, neque die ſexta Decembris tota, ſaltem ad horam circiter dimidiam ante Solis occubitum, cum nubes Solem eripuerunt; neque die 7. tota ſaltem ab hora matutina circiter ſeſquioctava in pomeridianam tertiam; neque die tandem 8. ſaltem ſub meridiem. Verumtamen Veneris loco obſervatam a me fuiſſe toto hoc triduo maculam gemellam, cujus tibi fuſe deſcripſi figuram, magnitudinem, ſitum, progreſſum in diſco Solis. Porrò ſi forte litteræ perierint; ecce amici, quibus res placuit, providere, ne quædam ſaltem illarum exempla perirent. Illas videlicet exſcriptas commiſere Typographo, qui ſi promiſſis ſuis ſtetiſſet, poſſem jam vice ſchedolæ mittere exemplum excuſum. Sed ut operæ illæ moram trahunt, res licet exigui momenti, nondum omnino perfecta eſt. Excuſat ſeſe Typographus, quod ſatis fore exiſtimaſſet, ſi litteræ publicarentur proximis Veris Nundinis; at quoniam ipſe quoque rem maturandam ſignificavi, admovit jam operi manum. Itaque ſi forte occaſio intra paucos dies iterum arrideat, impreſſum exemplum curabo, ut habeas. Vale interea, & me ama. Nihil adjungo de Eclipſi Lunæ, quæ poſtridie viſi Mercurii contigit; quando quid-

quid

quid mihi ex ea videre nubes permiſerunt. Accipies brevi fuſiuſcule. Vale iterum, & Lanzium ſaluta. Pariſiis poſtridie Kal. Januarii M. DC XXXII.

E I D E M.

MI Schickarde, ſignificaram litteris datis poſtridie Kalendas Januarias exemplum duarum epiſtolarum ad te jam ante tranſmiſſarum, &c. Pariſiis die VI. quæ eſt VIII Eidus Februar. anno M. DC. XXXII. &c. *Habetur ſub titulo, Mercurius in Sole viſus, & Venus inviſa.*

Viro æternùm ſuſpiciendo Galileo Galilei Magni Hetruriæ Ducis Mathematico,

PETRUS GASSENDUS S.

PErgratæ accepi, periſluſtris Vir, quam mihi ſalutem voluiſti ex epiſtola ad Diu. datum diei. Doleo poſtremas litteras meas ad te datas intercidiſſe; ſed felicem me, quod non propterea te minus in me propenſum experiar. Mitto novellum munuſculum; tu ut debitum excipe, cum referendum ad te ſit, quidquid debetur tuis inventis. Niſi id videor cum ingenti exaggeratione hac vice teſtatus id feci, ut calculo meo [tametſi illo non indigeres] generoſius, & citra omnem aſſentationem commendareris. Quod expectatum illud tuum tam inſigne opus pro foribus ſit, terque, quaterque jucundum habeo. Quid enim ex te ſperandum non ſit, qui nihil non dignum cedro loquaris? Mihi præſertim, qui felicitatis ingenii tui laudator perpetuus, quocumque ducas, ſim ſecuturus. Cum meorum amicorum libros adverſus Telluris motum perſpectos habueris, non erit, opinor, quod multum movearis; Morinus præſertim ſubtilis; at ipſe illi ſatis indicaram, quam & rationes claudicarent, & ſolutiones abluderent. Quid facerem tamen, quando maneis quisque ſuos patimur, neque ab amicis exigendum amplius, quam ipſi volentes largiantur. Magno nimis animo opus, ut ſupra hæc vulgaria quis ſapiat, neque urbem quam dicunt Romam tugoriolo ſimilem putet:

Nam niſi vivida vis animi pervicit, & extra
Proceſſit, longe flammantia mœnia Mundi,
Atque omne immenſū peragravit mente, animoque;

qui valeat digna cogitare de hac tanta rerum univerſitate, ac facie? Perge tu, admirande Vir, ſublimeis curas agitare, dignas majeſtate naturæ, dignas te ipſo, dignas iis, qui avebunt te imitari. Vale autem, & magno omnium vere litteratorum bono, vive annos Neſtoreos. Dabam Pariſiis Kalendas Mart. anno M. DC. XXXII.

Gabrieli Naudæo ſuo,

PETRUS GASSENDUS S.

MI Naudæe, cum jam non vacet ad litteras tuas fuſe reſpondere, hoc te ſaltem latere nolui, redditas mihi tuas litteras fuiſſe. Mitto interea exemplum excuſum aliquot mearum epiſtolarum; illas vice earum habeto, quas te mihi debere putes. Non mitto jam ad Patrem Scheinerium, ne faſciculus ponderoſior ſit. Cum illo, ſi placet, rem communica, ſimulque refer multam ſalutem. Quas ab ipſo traditas tibi litteras commemoras, neque te tranſmiſiſſe innuis, neque ego adhuc accepi; habeo interim gratias, & illi, qui ſcripſerit, & tibi, qui anſam feceris ſcribendi. Si Bochardus noſter Romæ adhuc ſit, fac norit, ſe mihi memoriæ, pectorique ſemper hærere. Epicurus noſter lentiſſime ſemper, utpote grandævus incedit, neque totius Phyſices curriculum adhuc abſolvit. Stimulum tuum perſentiſcit; ſed noſti quam ſegnem deſcripſerit Suidas. Miſerat jampridem ad te Tubertus noſter Viri effigiem, uti explorares num ſatis diſerte referret illam ſtatuam, quam ſcripſeras Romæ extare; nihil tamen hujuſce rei in tuis lego litteris. Quæſo proxima occaſione, quid hoc ſit velis ſignificare; &, ſi diſcrimen inter ſtatuam, effigiemque miſſam comperias, cures egregia quadam manu exprimi ſtatuæ lineamenta. Sponſorem me habes expenſorum omnium, quæ neceſſaria fuerint. Vidi quæcunque, ſeu ad me, ſeu ad alios perſcripſiſti de Veſuviano incendio. Res ſane memorabilis, & digna hiſtoria temporum noſtrorum. Perge curioſe obſervare quidquid de illo proditum fuerit; utinam verò potuiſſes ipſe, ſed ſine tuo periculo, rem ipſam coram reſpectare; noſti enim quam gratior veniat, qui oculatus aliquid narrat. Nihil interea prætermittendum; cum iſtheic ſaltem teſteis habere pluſquam auritos valeas; nempe tibi ex hiſce flammis non contemnenda occaſio ſubnata eſt inclareſcendi. Nihil attingo de neſcio qua illa iracundiola, quam inculcas. Hæſi ſane, ac diu, multumque omnia prope verba expendi, quæ ad te prius ſcripſeram; verum agnoſcere non valui, qua occaſione potuiſſem tibi ſuſpicionem ingerere, quod vel tantillum fuiſſem iratus. Ipſe leviculam in te commotionem notaveram; tu videris illam in me tranſcripſiſſe; at quæſo meas litteras, ſi aſſervaſti, lege denuo, & ubi rem conſideraris, ſi vel minimam columbini fellis guttulam animadvertas, mihi, amabo, indica; ſcilicet demonſtratum facies, quod ego nuſquam perVideo. Certe tuas litteras legenti, ſubiit non ſemel exclamare, quod Cicero ad Quintum fratrem: *Ego tibi iraſcerer? Tibi ego poſſem iraſci?* Sed finio, ne credere videar, te id credidiſſe, quod neque me committere, neque te habere perſuaſum oportuit. Vale. Dabam Pariſiis poſtridie Kalendas Mart. M. DC. XXXII.

Salutat te tota amicorum cohors, ac Elaus noſter ſpeciatim. Ipſe velim præclarum Virum P. Campanellam, quando te tantopere amat, meo nomine ſalutatum facias. Suſpiciebam ante illum ob inſignem eruditionem; nunc verò etiam diligo ob tantum illum in te affectum. Si me non prorſus indignum habeat, cui inter amicos locum tribuat, id debebo tibi perpetuum. Iterum vale.

Eximio, & amico Viro Jacobo Golio, in Academia Hollandiæ, & Matheſeos, & linguarum Orientalium Profeſſori,

PETRUS GASSENDUS S.

EXcuſabas, præclare Goli, poſtremis tuis litteris diuturnum ſilentium; ipſe, ex quo illas accepi, quinque prope manſeis jam ſileo; an me perinde excuſabo? Facerem, niſi ſæpiu-

Digitized by Google

ſæpiuſcule eadem cantilena repetenda foret; ac niſi id litteris aliis non neceſſarium ediſſeruiſſem. Hoc tamen teſtor, cauſam meæ in reſcribendo procraſtinationis eam præſertim fuiſſe, quod commendatos mihi abs te egregios illos juvenes prius videre peroptarem. Pudebat quippe reſpondere, nullo officio præſtito eximiæ illorum virtuti; ſed nimirum cum ipſi me requiſierint aliquoties, infelicitas mea fuit, quod & domo abſuerim, & noſſe ubi diverſarentur perveſtigando non potuerim. Nunc cum ignorem abierintne, an in civitate adhuc commorentur, differre prolixius reſponſionem nolui. Tu, amabo, me admone, illi-ne heic adhuc verſentur; & vel ipſi mihi indica, ſi noſti, vel cura, ut illi, ſchedula relicta, ſuum hoſpitium ſignificent. Dolebo certe ſummopere, ſi tibi, illiſque teſtandi affectum occaſio hæc prærepta fuerit. Exemplum tandem ad te mitto [quod conſignare illis deſtinaram] meæ cujuſdam, *de Mercurio in Sole viſo*, obſervationis. Videbis ipſe, quid rei ſit; ac ſi forte iſteic peracta obſervatio ſimilis fuerit, operam dabis ut noſſe valeam. Speraram, fore ut tale quidpiam ex nundinis reportaretur; ſed Librariorum noſtrorum nemo eò proficiſci auſus eſt. Luilletius meus te ſalutat. Propoſueramus Æſtate hac ita peragrare Germaniam, ut ſequuturam Hyemem Conſtantinopoli degeremus. Verum tumultus Germanici id nos exequi non permittent. Deliberamus interea contendere in Angliam; ſi fecerimus, ſpes non levis eſt repetendæ Hollandiæ, viſendique iterum tui. Vale, & quod facis, me amare perge. Pariſiis poſtridie Kalendas Aprileis, anno M. DC. XXXII.

Illuſtri Viro Hugoni Grotio,

PETRUS GASSENDUS S.

PUdet me ſane, illuſtris Vir, te ex Puteano noſtro potius, quam ex meipſo accepiſſe obſervatiunculæ exemplum. Ecce itaque proprium offero, cum veniam abs te deprecari alia ratione non debeam. Supervacaneum, fateor, officium, quando res tuis oculis ne ſemel quidem digna fuit; ſed nempe tua benevolentia, meaque obſervantia illud exigit. Eſt etiam, quod placere poſſit, nempe vel noſtri Schickardi nomen, quem ſcio quanti facias. Ipſe aliunde exonerari inutili pondere potes, ſi lubet alterum exemplum cum aliquo degentium iſteic amicorum communicare. Is ſi fuerit optimus Voſſius, rem mihi facies gratiſſimam. Si præclarus Laensbergius [quem tibi tamen ſim debiturus] rem habebo non injucundam. Accepi, te poſſe iſteic procurare neſcio quod genus ἐκτυπώσεως. An operis etiam paulò prolixioris, quale eſt iſtud mearum nugarum tibi non prorſus incognitum? Si ſpem faceres, exſcribi curarem, quod poſſet ſuo tempore ex tuo præſcripto tranſmitti; ſed nolim eſſe importunus: Amare me perge, & vale. Pariſiis poſtridie Kal. April. anno M. DC. XXXII.

Admodum Reverendo, & Clariſſimo Patri Chriſtophoro Scheinerio,

PETRUS GASSENDUS S.

QUas ad me litteras dediſti, optime Virorum Scheineri, cum exemplo tuæ Pantographices, accepi ante paucos dies. Quam verò gratas habuerim non eſt, quod tibi explicem multis; ſufficiat agnoviſſe me plenum affectus candorem tuum. Intexuiſti quam Parheliorum deſcriptionem rogaveram; grates ob id refero ſummas, ac ſimul teſtor Superos, nihil mihi potuiſſe nunciari jucundius, quam te fuiſſe priorum quoque Parheliorum obſervatorem. Hactenus nempe id ignoraram, adeo ut propterea non potueris debito cum elogio in Commentariolo meo nominari. Sed lætor, quod ſolertiam tuam, nomine licet ignorato, ingenue commendaverim, meaque opella acceſſerit ad tanti Viri monumentum. Tu magni illam æſtimas; ſed ego hanc æſtimationem benevolentiæ tuæ adſcribo; alioquin enim ſatis ſentio, quam tenuia omnia mea ſint. Hæ potius laudes debebuntur operi tuo eadem de re; cum mihi ſatis eſſe debeat, ſi nugamenta illa mea potuerint tibi non diſplicere. Eſt verò cur opus evulges; cum ex adjuncta poſteriorum Parheliorum deſcriptione is habendus ſis, quo nemo plureis ſimul Soleis in hunc diem obſervaverit. Liber tuus *de maculis, faculiſque Solaribus* ad manus meas nondum pervenit. Cum primum nactus illum fuero, perlegam ſane avidiſſime; tum quod hoc genus argumenti mihi maximopere placeat, tum quod abs te, quem tanti facio, ſtudioſe pertractatum ſit. Delectat interea, quod ſubindicas, te ex eo numero non eſſe, qui ex maculis ſtellas faciunt, nævoſque pro luminibus, veluti Alcæi quidam habent. Miraris nomen tuum fuiſſe a Gallo noſtro diſſimulatum? Idem queſtus eſt Galilæus coram aliquo meorum amicorum, teſtatus ſe illi in itinere multa amice commonſtraſſe, quæ evulgata deinceps fuerint abſque ulla ſui mentione. Sed hoc donandum humanitati. Vidi jam tuam Pantographicen, ac dici non poteſt quam jucunde acceperim, te eſſe nobilis illius inſtrumenti Auctorem primum. Habueramus jam in hac urbe parallelogramma ex auri-chalco, qualia a te deſcripta ſunt; ſed tum inventor ignorabatur; tum neſcio quis eam ſibi gloriam velle uſurpare viſus fuerat. Ipſe, ut verum fatear, vix perſuaderi potueram, quin foret illius origo vetuſtior; quippe humanæ ſortis pudebat, ſi tanti uſus organum, ac res, ut mihi videbatur, inventu adeo facilis, nemini pridem veniſſet in mentem. Ita ſcilicet comparati ſumus, ut poſtquam ovum apici conquaſſato inſtiterit, dicamus nihil fuiſſe facilius. Verum nihil jam ambigo, quin homines tibi hoc inventum debeant, cum & tempore tuæ inventionis non extet memoria illius antiquior, & noſtra hæc, Patrumque ætas alia multa protulerit ſæculis priſcis inaudita. Quocirca tibi gratulor, ſimulque habeo gratias, quod me cum eſſe volueris, cui res in Gallia primum innotuerit. Oſtendi tuas litteras eruditiſſimo Petavio, qui-cum præclare divinaſti conſuetudinem mihi intercedere. Is gratiſſimam habuit, quam illi ſalutem dixiſti, enixeque precatus eſt, ut nomine ſuo plurimam referrem. Offendi illum ad calcem pæne præclaræ cujuſdam opellæ, cui titulum facit: *Rationarium Chronologicum*. Volumen erit ſatis juſtum in 12. quo major lux hiſtoriæ nulla.

Sic

Digitized by Google

Sic enim Vir magnus Chronologum agit, fidem ubique ſibi faciens, & characteres temporum inſigneis paſſim inſerens, ut tamen quaſi ſeriem texat univerſæ hiſtoriæ. Alloquutus ſum etiam Sebaſtianum Cramoiſium, quo Typographo ille uti ſolet, expoſuique illi, quod ſignificaras de operum permutatione tuo cum Typographo. Itaque ipſe paratus eſt commutationem facere Petavianorum operum cum tuis; aut, ſi lubeat ſic agere, rationem tenere accipiendorum exemplarium. Perſcripſeram antea ad Naudæum noſtrum, ut tecum communicaret exemplum meæ illius obſervationis *De viſo in Sole Mercurio;* mitto nunc tibi debitum, occaſione exhibita diſcedentis Viri præclari, & amici mei Jacobi Gaffarelli, qui Romam petens, ultro ſeſe ad illud tibi conſignandum cum his litteris obtulit: Res forte erit non ingrata, quando ad ſtudia tua pertinet. Qualiſcumque tamen ea ſit, ipſam habeto, quaſi pignus conſtantiſſimæ in te obſervantiæ. Poſtularem ut factam Romæ obſervationem impertireris; ſed quia nullam ejus mentionem in tuis habeo litteris, vereor, ne non ſit abs te facta. Vale, Scheineri optime, & me, ut cepiſti, ſic amare perge. Pariſiis Eidibus April. anno M. DC. XXXII.

Et Reverendo, & celebri Viro Thomæ Campanellæ,

PETRUS GASSENDUS S.

Dicebam tibi nuper ſalutem, Campanella clariſſime, litteris ad Naudæum ſcriptis. Nunc cum virtutis tuæ ſtudioſus Gaffarellus noſter Romam petat, litteras ad te dare placuit, quibus meam in te obſervantiam teſtatiorem exhibeam. Dudum certe eſt, quod tuum illum generoſum genium ſuſpicio; ſed quod amici illius mei tantus amicus factus ſis, ſtudioſe quoque jam complector. Vadem alium candoris mei, quam communem illum amicum non præſto; ipſe te ſatis edocebit quam loquar ingenue, quam agam ſincere. Tu experire quocumque tandem imperato officio. Videbis profecto ut ſaltem deſideraturus non ſis paratiſſimam voluntatem. Tenue mitto munuſculum; ſed accipe ſimul ingentem affectum, quo me tibi totum devoveo. Vale. Pariſiis Eidibus April. M.DC.XXXII.

Gabrieli Naudæo ſuo,

PETRUS GASSENDUS S.

Nihil neceſſe eſt, mi Naudæe, ut ſcribam ad te pluribus. Diſcedit ad te communis amicus, ex cujus ore quæcumque forent conſcribenda excipias. Accepi nuper epiſtolam optimi Patris Scheineri cum Pantographices exemplo, quo me donatum voluit; at redditum ſimul non fuit, quod ille miſſum ſimul ſcribit exemplum quoddam Parheliorum. Forte tamen id alia occaſione ad me tranſmittes; reſcribo ipſi, ac unà mitto editam nuper obſervationem viſi in Sole Mercurii. Mitto etiam, ac ſimul do ad præclarum tuum Campanellam litteras, in quibus imploro tuum vadimonium. Tu, prout me noſti, fidem facito; neque enim poſtulo aliud. Ama me ſemper, & ſi quid rerum iſtic moliris, ſignifica. Si forte verò aliqua mea induſtria opus ſit, noſti quo jure quæſitam habeas. Vale. Pariſiis Eidibus April. anno M. DC. XXXII.

EIDEM.

Diſceſſerat jam Gaffarellus noſter, cum Tuberti manu accepi litteras tuas ſuaviſſimas cum Epicuri effigie, & Parheliorum exemplari. Reſponſurus illicò fueram; at quando tu faciebas ſpem tum voluminis *De maculis Solis*, tum Laërtiani exemplaris cum notis marginalibus, diſtuli, donec Moræus noſter, & reciperet, & traderet omnia. Nunc, cum a tribus, aut quatuor diebus iſta ſint mihi præ manibus, tempus ſane eſt, ut ad te reſcribam. Initium porrò merito facio ab illa gratiarum actione, quam ſingularem tibi debeo ob procuratam effigiei Epicureæ delineationem. Nempe agnoſco ſtudium, quo Hovvenii illius tui, egregii ſane artificis, ſollicitaſti operam, ac receptam ſimul in te mei cauſa obligationem. Quid ego illi per te deberem, ſignificandum fuerat, quando ſola animi grati teſtificatio non eſt ſatis. Neque verò eſt, quod illum propterea minus expectare abs me debeat, qui daturus ſum operam, ut ex nominis ipſius mentione luculentiſſimam faciam. Quæſo te, ut illi interea plurimam meo nomine, & referas gratiam, & ſalutem dicas. Me profecto illius manus delectavit mirifice; & quotquot ex noſtris amicis conſpexere lineas, Viri induſtriam laudarunt. Tu mihi declara, cum primum vacabit, an, quod manu dextra Epicurus tenet, cylindri formam habeat, referatque volumen, ſeu chartam ſibi ipſi circumvolutam. Suſpicor nimirum, ſculptorem ad id reſpeaiſſe, quod Laërtius ait, κυλίνδρους, circiter trecentos fuiſſe Epicuro conſcriptos. De Parheliis nihil adjicio ad ea, quæ prius ad Patrem Scheinerium; reſcribam ipſi poſtquam opus de maculis pellegero; neque enim adhuc vacavit oculos, mentemque eò convertere ob ſegnitiem Librarii, cui tradideram informandum. Lætor interea, gratam illi meam obſervantiunculam de Mercurio in Sole fuiſſe. Nihil neceſſe eſt ad ea reſpondere, quæ per te de illa requiſierat; cum pervidiſſe jam omnia dabeat ex miſſo excuſo epiſtolæ meæ ad Schickardum exemplari. Attexo potius aliam circa Mercurium obſervationem, quam habiturus quoque ſit, quantum opinor, non injucundam. Occaſio in primis hujuſmodi fuit. Mandata jam typis, atque evulgata prædicta epiſtola fuerat, cum tandem ſum nactus duas priores parteis Ephemeridum Keplerianarum. Illas obiter cum evolverem, obſervavi, Mercurium conſpici potuiſſe ſub Sole ante annos quatuordecim; tametſi id in novo Orbe. Tunc piguit me id pronunciaſſe, conceſſum nobis primum fuiſſe obſervare poſſe in Sole Mercurium, quod ex invento uſque teleſcopio, σωματικῶς, Soli conjunctus, ſubjunctusve prius non fuiſſet. Quin major etiam me cepit pudor, cum ad ſequenteis annos reſpectans, deprehendi poſt duos annos conjunctionem parem futuram, ſicque rem longe evadere, quam credideram, frequentiorem. Porrò alias quoque corporeas conjunctiones perſcrutatus, præter illam, quæ eodem anno eventura eſt, & præteritam ante decem annos, adnotavi, debere unam extrema die menſis Aprilis nuper elapſi contingere. Itaque licet non dubitarem inviſibilem futurum Mercurium, quod, vel Keplero admo-

Digitized by Google

nente, factus Sole ſuperior, foret ab ipſo contegendus; rem obſervare tamen volui ad convincendos illos, qui adhuc in ea barent ſententia, ut exiſtiment, Mercurium perpetuo deſerri in Epicyclo nos inter, & Solem detento. Ac rationes primum ſubduxi, ex quibus habui Mercurium in medio Solis diſco futurum [puta in diſtantia a centro, latitudineve auſtrina minutorum non prorſus quatuor] proxime poſt occaſum Solem; ſiquidem Sol nobis eo die occumbere debuit hora 7. min. 12. a meridie; media verò illa conjunctio celebrari debuit hora 7. min. 25. Ratiocinatus quoque ſum, factis utriuſque ſyderis in eandem partem motibus, totum Solis diſcum non poſſe pervadi a Mercurio, niſi horis præciſe decem; ſicque tranſcurſus initium ab hora uſque ſecunda cum duabus quintis futurum, finem verò poſt mediam noctem, ſeu hora 12. cum totidem quintis. Deinde omnia apparavi, ut ſi revera exiſtimaſſem conſpectum iri Mercurium, accinctuſque eſſe ab Aurora volui, ſuſpicatus quinque horarum, ut nuper, anticipationem. Et fuit quidem Cœlum toto tempore antemeridiano nubibus obductum; ſed inclareſcens a meridie, clariſſimum Solem ad occaſum uſque tranſcurrentibus, per vices duntaxat, nubilis raris exhibuit. Verſabantur in eadem ſcena Mothæus noſter Vayerius, & Cantaclarus, quorum prior circulum album, amplumque oppoſitum Soli moderari voluit, cum ipſe teleſcopii dirigendi gererem curam. Ceterum illo tempore toto Mercurius nobis plane inviſus, cum ne macula quidem alia diſco Solis appingeretur. Hinc ſi rite ſe habuit Ephemeridum calculus, aſſervare poſſumus, Mercurium præter Solem factum; ſed ſupponamus, conjunctionem præoccupaviſſe quinque prope horis; an non debuiſſet Mercurius ante horam decimam matutinam ſub Solem ingreſſus, poſt ſecundam pomeridianam ſalutare centrum, ac illi deinceps ad occaſum uſque, vale continuum dicere? Certe Mercurii latitudinem, atque adeo ſemitæ ejus per diſcum Solis prolixitatem non male deſignatam fuiſſe ex conſonantia calculi cum illa mea nupera obſervatione eſt conjiciendum. Temporis autem hallucinatio non videtur major, quam tunc fieri huc tempore potuiſſe; cum præſertim heic error quoque Ephemeridum Origanicarum conſentiat. Ut enim Mercurii cum Sole conjunctio debuit per ipſas menſe Novembri tribus diebus cum ſeptem horis evenire maturius, quam debuerit per Keplerianas; ita jam debuit tribus diebus cum octo horis præcurrere. Verum fingamus, conjunctionem debuiſſe non quinque, ſed & decem horis celebrari velocius; an non tametſi Mercurius ſubiiſſet Solem ante ejus ortum; debuiſſet nihilominus non abire ex ejus diſco, niſi duabus, & amplius horis; poſtquam ego aciem intendi? Addo, ne quiſpiam cauſaretur potuiſſe Mercurium ab occaſu Sole in diſcum ejus incurrere; adfuiſſe me die ſequente ab ipſo uſque Sole exorto, hoc eſt, ante horam matutinam quintam, exploraturum an tranſcurſus ſupereſſet veſtigium. Nihil porrò etiam tunc viſum; cum licet Mercurius iniiſſet Solem ab ipſiſſimo occaſu, non debuiſſet tamen exire, niſi beſſe prope horæ, ab exortu. Atque hæc ſunt, quæ poteris cum optimo Viro habere communia. Præcater, ut meo nomine præclaro Holſtenio perſolveres grates, quando me Notis Viri illuſtris in x. Laërtii librum tuo interventu beare voluit; ſed profecto prona illius in me voluntas major eſt, quam ut teſtationem gratitudinis, litteris ad ipſum deſtinatis, prætermittam. Meum illi, ſeu tu, ſeu Bochardus noſter reddetis epiſtolium. Quod ſcribis de locis quorundam Auctorum, qui Epicuri meminerint, aut illa vidi, aut ea non ſunt, quæ ſcrupuloſe valde colleéter. Ut nihil enim negligo ex antiquis Auctoribus, qui habere ſuperſtites Epicuri libros potuerint; ita non admodum requiro, quæ recentiores proferunt, quando haurire nihil potuerunt, niſi ex iiſdem fontibus, qui nobis quoque adhuc ſcaturiunt. Pergratum eſt tamen quidquid admones, cum ἀναλύσεως, ſedulus cognoſcere poſſis, quæ me præterfugiant. Illud perlibenter viderem, quod de Bonciario ſubiicis; at vereor, ne, quod innuis, opus fuerit ſolum in votis. Quod de quantulacumque mei apud Eminentiſſimos, eruditiſſimoſque Viros æſtimatione memoras, id totum debeo tum opinioni, quam de tua virtute merito concipiunt, tum inſigni amicitiæ, quæ mihi tecum intercedit. Tu vide, ne affectus ille, quo me complecteris, imponat, & in me prædicando nimius, idoneum ſponſorem non habeas. Ipſe meæ conſcius imbecillitatis, non alius haberi, alius eſſe ſtudeo; neque is ſum, qui meo genio ullam faciam vim, ut ſuſtinere famam poſſim. Utcumque ſe res habeat, tu, qui me noſti, fac noverint, id mihi cordi præſertim eſſe, ut a Viris eruditione eminentibus diligar, ipſiſque me devoveam totum. Saluta verò, inter ceteros, eruditum Allatium, de quo ſæpe cum Burdelotio operum ipſius, & demonſtratore, & laudatore ſermonem conſerui. Vidiſti in Catalogo Francofurtenſium Nundinarum titulum Fluddanæ ad me reſponſionis; ego nihil vidi amplius. Advenit nuper ex Anglis adoleſcens ingenuus, qui Fluddo viſo, retulerit illam typis nondum commiſſam, ipſumque Fluddum conqueſtum meam in ſcribendo brevitatem, in exantlando neſcio quo magno opere adhuc laborare. Cum primum opus prodierit, mihique innotuerit, rem, ut exoptas ſignificabo. Supereſt, ut indicem paucis quid lucis videatur Lucretio ex meis illis qualibuſcumque lucubrationibus affulſurum. Id ſcilicet enixe rogas, quod res ſit præſertim futura pergrata Clariſſimo Viro Alſario a Cruce, bene merituro novis Commentariis de Lucretiana Philoſophia. Faciam ergo ingenue, ſed prius teſtatus, me nullas meas nugas tanti ducere, ut putem illas cum vigiliis tam docti Viri comparandas. Tu me ſcilicet rubore ſuffundis, ac pæne dicam, enecas, cum ſcribis illum ab inſtituto, ſi ego quidem credam mea ſufficere poſſe, Poëtæ intelligendo, deſtiturum. Quaſi verò non ego potius retrahere pedem ab incepto debeam, quam ut ille ab opere laudatiſſimo abſterreatur? Sed erit forte, quod uterque in eodem campo decurramus; cum ille Lucretium ex ſerie contextus interpretaturus ſit; ipſe methodo paulò immutata Lucretium producturus ſim, ad explicationem, confirmationemque Placitorum Epicureorum, hinc totus quidem Lucretius in opellam meam transferetur; ſed carminum ordo mihi perturbatus, planeque varius futurus eſt. Ecce enim aſſumo alia in Epicuri vitæ Apologiam; alia in partem Philoſophiæ Epicureæ Canonicam; ut quæ libro quarto de ſenſuum veracitate diſputantur; alia in partem Ethicam, ut quæ præſertim continentur in librorum procemiis; quæ referuntur in eodem libro de fugitandis amoris ſimulacris, ac pabulis; quæ libro tertio de conſtantia in ferenda morte, & id genus alia. Cetera omnia varie per phyſicam

partem

partem diſtribuo, paſſim nimirum, quatenus quidlibet facit ad inſtitutum. Ut habeas autem ſpecimen, ex quo tractationis ducere conjecturam valeas, recens exemplum profero. Verſabatur proximis diebus illa quæſtio præ manibus, an membra animalium deſtinata fuerint, factaque ad uſum; an ipſis caſu ſic generatis, caſus, induſtriaque uſum fecerit. Primum igitur illam Epicuri opinionem commemoravi, quæ habetur apud Lactantium, tum libri tertii Inſtitutionum capite 17. tum libri de opificio Dei capite 6. Deinde verſus illos ſubjeci, ex libro quarto Lucretii: *Illud in his rebus vitium, &c.* Ac poſtea, ubi expoſui, ut Epicurus excogitare fortuitam membrorum conformationem potuiſſet, carmina retuli nonnulla ex libro quinto Lucretii, præter ea, quæ cum de rerum origine commemoraſſem. Adhæc ſententiam conſimilem Veterum aliorum Philoſophorum attexui, ac nominatim Empedoclis, ut ab Ariſtotele narratur, tum libro primo, capite primo, de animalium partibus; tum libro ſecundo, capite ſecundo de naturali auſcultatione. Id etiam ſubtexui, quod Galenus habet lib. 1. de uſu partium, capite 21. circa Epicureos, Aſclepiadeoſque; ac ſimul appoſui argumenta varia, quibus res fieret probabilis. Poſtremo, quoniam hæc opinio cum decretis Fidei noſtræ, veraque ratione non poterat ſtare, oppoſui illi inter cetera ea, quæ Lactantius diſputat contra; itemque quæ Plato in Timæo, Ariſtoteles locis citatis, Stoici apud Ciceronem in libro ſecundo de natura Deorum, ac in tertio de finibus. Subinde, poſtquam ſum conatus Hippocratem, aut excuſare, aut ad veram etiam opinionem reducere, præcipua quædam ex Galeno totis illis ſeptemdecim, divinis ſane libris, ſelegi; ipſemet quædam marte meo contra Epicurum diſſerui; & quantum potui, feci ſatis argumentis oppoſitis. Hactenus edo ſpecimen, ex quo tu potius intelligas, quam ego eugar dicere, an, & quantum id ad Lucretium faciat. Tu, ſi fortaſſis cum Alſario communicandam rem duxeris, effice in primis, ut ſummum candorem, quo cum amicis ago, cognoſcat; tum, ut quam cepit in me teſtari benevolentiam foveat; denique, ut meam in ſe obſervantiam perpetuam putet. Finem his ſcribendis faciebam, cum me Merſennus noſter inviſit. Occupatione mea perſpecta, rogavit ſtatim nomine ſuo ſalutem tibi dicerem; idem contendit Præſul meus, qui in muſæolum ipſum deduxit. Petiit Merſennus, adiicerem, mirari ſe, quod nihil adhuc de propoſitis per te Campanellæ quæſtionibus reſponſum fieri curaveris. Excuſare te volui; ſed ille ſubjunxit aurem vellicandam. Voluit tandem, quod ego quoque, ut Campanellam ſalutares, neque Gaffarellum prætermitteres. Tu, mi Naudæe, optime vale; perge ſimilis eſſe tui, & me amare ne deſine. Pariſiis v. Eidus Majas, anno M. DC. XXXI.

Præclaro Viro Lucæ Holſtenio,

PETRUS GASSENDUS S.

QUanta ſit humanitas tua, expertus loquor, docte Holſteni. Acceperas, me deſudare in reſtituendo decimo, eoque depravatiſſimo Laërtiani codicis libro. Illico, factâ tibi copiâ Baſileenſis exemplaris, cui ὁ μακαρίτης, Aldobrandinus notas marginaleis, lectioneſque varias illuſtri manu appoſuiſſet; decerpſiſti ex codice integrum librum decimum, ipſumque ad me tranſmiſiſti. Profecto ſi ea nota facie, ſi ex obſequio præſtito, ſi ex vetere amicitia hæc liberalis animi prodiiſſet teſtatio, eſſet quod gratias agerem; at nunc eſt præterea, quod candorem tuum non ſine ſtupore ſuſpiciam. Videlicet, qui promovendis ingenuis litteris es natus, nullam ſtudioſos adjutandi occaſionem vis prætermiſſam. Ceteros fere occupat livor, qui defoſſos theſauros malunt, quam ut, cum ipſi nequeant, diteſcere alios patiantur. Tu longe generoſior, qui, quod poſſes ipſe uſurpare tibi, ita profundis in alios. Quod me attinet, dabo operam, ut experiare non ingratum. Utinam verò ipſe mihi, quid officiorum præſcriberes; ita me Deus adjuvet, ut obſequentiſſimum haberes. Non vacavit adhuc notas illas omneis conferre, ac expendere; obiter tamen animadverti quò præſertim Vir eruditus interpretando reſpexerit. Obſervavi, illum multa adnotaſſe ex editione pariſienſi, niſi forte quoddam exemplar Vaticanum habuit illi ſimile, quo Stephanus uſus. Utcumque ſit, fateor ingenue, quidquid habere hactenus ex codicibus, ſeu impreſſis, ſeu manuſcriptis licuit, impar eſſe locis corruptiſſimis, quæ paſſim occurrunt, ſanandis. Abſit proinde medicas manus, ac non fallenteis pollicear; ſatis erit, ſi meas quaſdam conjecturas proferens perſpicuum faciam, qua præcipue textus videatur eſſe, νοσώδης. Sed non eſt, quod te his detineam, Virorum humaniſſime; ſupereſt potius orem te, ut quando me non cogitantem devinciendum exiſtimaſti, affectantem jam in amicum ſtudioſum tui, obſervantemque cooptandum cenſeas. Vale, Pariſiis v. Eidus Majas, anno M. DC. XXXI.

Viro claro Guilielmo Cæſio Typographo Amſterodamenſi,

PETRUS GASSENDUS S.

SCripſerat ad me ante paucos menſeis nobile illud litterarum decus Hugo Grotius, tum placuiſſe tibi meas aliquot cœleſtium rerum obſervationes; tum deſiderare te plureis ad illuſtrandum, quod moliris inſigne Coſmographiæ opus. Itaque rem ſtatim, & illi, & tibi facturus pergratam, amicum meum ſingularem Jacobum Valeſium in Delphinatu agentem generalem Franciæ Theſaurarium, litteris datis, exoravi, ut quas haberet generis hujus obſervationes impertiretur. Siquidem noram penes ipſum deliteſcere plurimas, quas vel ipſe, vel induſtrius, quo jampridem utitur, obſervator peregiſſet. Expectatum diu reſponſum propter graſſantem illic gentium morbum Epidemium; at commodum ecce advenit. Quia enim noſter Salmaſius eſt craſtina luce ad vos diſceſſurus [ò fata noſtra, qualem Virum eripi nobis patimur!] committam illi faſciculum, vel theſaurum potius acceptarum obſervationum. Theſaurum dico, nam erit ſane, cur tibi ex eo evulgato Poſteritatem totam obſtringas. Noſti enim obſervationes eſſe fundamenta, quibus Aſtronomia nixatur; & cum plurimi exoriantur ſemper, qui Tabulas, Ephemeridaſque contexere poſſint, aut corrigere, raris tamen ſæculis naſci, qui ipſi ſtudioſe obſervent. Hinc nihil mirum, ſi poſt exactam tot ſæculorum ſeriem,

perſe-

perfecte adhuc inſtaurari cœleſte hoc ſtudium nun putuit; quando ex tota antiquitate infrequentiſſima habentur obſervatutum ſubſidia. Unus memoria tutius ævi digniſſimus Tycho Braheus io hanc præfertim curam incubuit. Sed codices ubſervatiunum tandiu expectati adhuc invidentur. Et licet Keplerus ex illis tabulas ſuas deduxerit; cum nondum tamen hæ tabulæ Cœlu adamuſſim reſpondeant [omnium alioquin præſtautiſſimæ] deſiderium Poſteris fiet Tychonicarum obſervationum, quæ cum faciendis conferantur ad perficiendam ſcientiam. Seu enim Keplerus non omneis advocarit, nec ceperit; ſeu fortaſſis aliquibus, quu hypotheſibus conſentirent adjecerit quidpiam, aut ademerit, profecto Veri ſerutatores requirent olim hiſtoriam, varietatemque ubſervationum. Quod moneo, ot intelligas, nou poſſe iuſtitutum tuum mihi non admodum probari; cum, ſi qua nsneiſei ubſervata potes, ea tantu ſtudio tranſmittere in Poſteros ſatagis, Imitaris enim generoſum illum Snellii veſtratis, & noſtri quondam amici, genium; cui uiſi deberemus, quas collegit Haſſiacas, Walterianas, & Regiomontani, Tychonisque ubſervatiunes pauculas; mirum quam tenues reliquiæ ſupereſſent nobis ex divite ævu. Præclare verò ita facis; etenim quæ cuduntur alia, delet dies facillime, quæ bujuſce ſunt ordinis, recurdatiune grata confirmat. Cetera quippe non ſunt certis alligata temporibus, & quæ ſcripta ſapienter ſunt, occidere millies, & redire poſſunt; at obſervata hujuſmodi ſic a momentis temporum pendent, ut habita ſemel, ſingularia ſint, & perdita ſemel, reſtitui non poſſint. Quare, ut ſtudioſis cariſſima ſunt; ita nunquam illos eorum temporum, quibus ſunt perfecta, occupet oblivio. Mihi proinde gratulur, quod quas ubſervationes mittu (aliàs fortaſſis ſepeliendas) procurare ſtudioſis poſſim; tibi gaudeu, qui cum ſis natus, ut bonas arteis promoveas, occaſionem hanc præ manibus habeas. Faſciculus certe inſignia; cum nudæ præſertim ſint obſervationes, neque poſt citatum Snellii ſpicilegium uberius ullum, quod ſciam, extet. Ut verò habeas quanti fieri obſervationes poſſint, aut debeant, ſcitu me his nominibus ſponſorem illarum præſtari. Primum amicus ille meus, Vir fidei ſummæ, eruditiunis eximiæ, patientiæ indefeſſæ eſt. Deinde ejus obſervator nomine Elziarius, Olitur ille quidem eſt; ſed quo profecto non alius unquam magis opportune loquutus. Sane ot Protaguras ulim Democrito exhibuit ingenii ſpecimen ex ſcita lignurum ſtructura; ſic Elziarius ex eleganti Vizilianorum hortorum cultu, geni Mathematici argumentum Valeſiu præbuit. Nec verò unum illud fuit; ſiquidem brevi is evaſit, ut & obſervandi peritiam maximam acquiſierit, & tutam Trigonometriam plane perdidicerit, & Aſtronomiæ fundamenta ita introſpexerit, ut ego aliquandu ſuperveniens offenderim ipſum defendentem Telluris motum, ſolventemque ex intimis hujus ſcientiæ principiis, quæ eruditi quidam Viri ſucus ſcutientes obtrudebant. Quodque admirere, id cepit ſub annum ætatis quadrageſimum, uxorem aliunde, & liberos curans, hortosque colens aſſidue; adeo ot cum illum noctu obſervantem, ſcribentemque contemplarer, viderer mibi Cleanthem videre, a quu non ſecus tranſigebantur dies in hortis, noctes in ſtudiis. Tertiu proinde, & illius in eo obſervando diligentiam coram, ac non ſemel intuitus ſum; & exploravi ipſemet ejus inſtrumenti, quo utitur, fidem,

Sextans eſt trium paulò minus pedum, ligneus ille quidem, ſed quem illemet ſic eſt fabrefactus, ut optime cohæreat; ſic illivit, ue nihil patiatur a mutatis temporibus; ſic per tranſverſas lineas diviſit, & pinnacidia in eo compoſuit, ut vix unquam integro minuto aberret ab iis Fixarum diſtantiis, quæ a Tychone ſunt conſignatæ. Denique plurium hujuſmodi obſervationum calculum inſtituens, deprebendi illas mire conſunare; & nonnullas etiam confereus cum exquiſitioribus quibuſdam ex meis, quod deſiderarem, vix fuit aliquid. Ceterum, cum per-raræ ſint habitæ Gratianopoli quam plurimæ, ac pæne omnes peractæ ſunt Viziliæ, quod oppidum eſt Gratianopoli ad Auſtrum duabus leucis majuſculis. Occaſio fuit, quod Valeſius quam-primum ex Scutia, onde eſt oriundus, ad Delphinatum acceſſit, ad illuſtrem illum Lediguerium ſic adſcitus eſt, ut eum celebrem ejus domum, quæ Viziliæ eſt, frequentiſſimus itaret, Olitorem Elziarium illeic nuverit, & de parando in ipſis hortis ubſervatorio cogitaverit. Hinc poteris quidem has ubſervationes Vizilianas inſeribere; ſed pergrate accipiam, ſi ex amici numine Valeſianas indigitaris. Ego prout ille eas ad me tranſmiſit, committo; tu vel tranſpona, vel ſelige, vel otere tandem pro tuo inſtituto. Illarum ſeries ſic ſequitur:

Planetarum diſtantia obſervatæ Viziliæ, cujus latitudo 45. grad. 5. min. 30. ſec. Longitudo eadem, quæ Gratianopoleos, ubi Polus attollitur 45. grad. 12. min. anno 1622. &c. prælonga ſerie.

Habes hoeuſque, præclare Cæſi, obſervationum copiam, qua Valeſius credidis ſerie. Catalogus certe inſtructiſſimus, & non paucorum, ut vides, annurum, circa ſuperiores erraticas Stellas. Quod ſi non perinde inſtructus circa inferiures eſt, cauſam puta editos monteis, qui Viziliæ Ortum, Occaſumque præripiunt, & conditionem earum Stellarum, quæ tum mane ſolum, veſpereque conſpicuas ſeſe exhibent, tum plerumque latent ſub radiis Solis. Mercurius verò potiſſimum, de quo omnes ubſervatores id jure queruntur, quod de Marte Plinius: *Inobſervabilem ejus eſſe curſum*. Fortaſſis mea illa de Mercurio ante annum in Sole viſo obſervatiu poterit eſſe inſtar plurium, quæ deſiderari heic poſſent; & quædam etiam ex parte ſupplere, quod Keplerus conqueritur, obſervationes umneis Brahei per viginti annos conſcriptas, cadere intra unicum trientem Mercurialis excentrici; reliquos verò duos trienteis inubſervatos manere. Ex quo mirum videri non debet, ſi Keplerianus calculus tempore meæ obſervationis abſuit a veru quinque prope horis; id lucro potius deputandum, quod non ot alii abſuerit quinque, aot ſaltem tribus diebus. An verò gratum faciam, ſi heic attexuero obſervationem nuperam, ex qua circa eundem Mercurium Kepleriani quidem calculi error paulò major; at aliorum artificum maximus longe proditus eſt. Cum hoc ipſo anno 1632. & die Julii 29. ſub horam quartam matutinam expergefactus in Auroram reſpectarem, Venerem in ea promicantem vidi, & neſcio qua felici ſorte oculos ipſi circumducens, incidi in Mercurium, ab illa diſtantem tripliei quaſi diametro Lunæ. Facta ſtatim præ manibus Kepleriana Ephemeris indicavit conjunctionem ſyderis utriuſque celebrandam die 31. idque in ipſa meridie, cum nota hac appoſita: *Mercurius fere corporaliter jungitur Veneri; tamen quinque ſcrupulis ſuperior. Attendatur mane ♀ eum in Aurora monſtrabit paulò altio-*

Digitized by Google

altiorem. Itaque ego me ad illam, & diem, & horam ita accingendum duxi, ut diem non negligerem antecedentem, & conſequentem. Verum die 3. craſſi adeo fuere vapores Horizontem obſidentes, ut priuſquam diſcuterentur, Venus ægre apparuerit, Mercurius evanuerit. Ipſa die 31. apparato organo, ut Veneris ſaltem diſtantiam a duabus Fixis acciperem, Fixæ omnes prius obliteratæ fuerunt, quam illa ex denſioribus vaporibus emergeret. Quare id ſolum ſuperfuit, ut explorarem, num Mercurius illius corpus circumſtaret. Inclareſcebat jam Aurora, & hora quarta parum aberat, cum ægre Mercurium detexi, & Cantoclaro amico meo, cujus ædeis, ac vineam hujus obſervationis gratia tunc uſurpabam, demonſtravi. Situs Veneris ſupra Horizontem erat tunc ſeptem circiter graduum; Mercurius verò ab ea diſtabat, cum nudo viſu inſpiciebatur, tanto marginum intervallo, quantum Veneris diameter adimpletura videbatur; cum verò teleſcopio videbatur poſſe diameter Venerea quinquies circiter collocari in intercapedine. Erat autem Mercurius Veneri non ſupra, ſeu ad verticem; non plane ad lævam, ſeu in eodem parallelo dicto Almicantharat; non plane loco inter hæc medio, ſed verſabatur inter hoc medium, & prædictum parallelum; adeo ut ſpectatu Eclipticæ ſitu, videretur præciſe eſſe, aut non multo ante fuiſſe in eodem cum illa latitudinis circulo, ſed collocatus ad Boream. Pulſavit quarta interea, & non longe poſt Mercurius diſparuit. Omnibus expenſis; quia juxta prædictam Ephemeridem conjunctio illa heic fieri debuit eodem die, hora 2. cum triente, ante meridiem; & contigit tamen hora proxime tertia, cum ſextante; ideo viſum eſt, calculum Kepleri nimis promoviſſe conjunctionem hanc ſeptem horis cum ſemiſſe. Sed parum nempe iſtud eſt, ſi cum hallucinatione Ephemeridis Origanicæ comparetur, juxta quam tribus ante diebus avenire debuerat, & minimum, ſi conferatur cum Ephemerida Argolii, quæ celebrandam promiſerat quinque diebus maturius. Eſt autem valde mirabile, quod vix aliquid, aut nihilum etiam Keplerus aberravarit in deſignanda ſub conjunctionem latitudinum differentia; & maxime ſi diameter Venerea conſpecta teleſcopio habeatur unius proxime minuti. Occaſione porrò hujus conjunctionis memorarem ſimilem aliam Veneris ejuſdem cum Marte, ut puta, quam etiam abſque ulla deſignatione locorum ex Fixis obſervavi anno 1622. menſe Octobri. Cum die enim 14. diſcederem Diniâ Aquas-Sextias, Aurorâ jam inclareſcente, animadverti Venerem a Marte diſtantem paulò minus diametro apparente Veneris. Exiſtimabam eſſe dodrantem, vel quanta apparebat inter ſecundum Equum in Helices cauda, vicinamque ipſi Stellulam intercapedo. Erat autem ♀ occidentalior, habenſque Venerem deflectentem in Meſeurum, ſeu Vulturnum circiter. Die verò 15. eodem tempore, ac itinere Diniam inter, & Aquas-Sextias medio, Venerem vidi orientaliorem, & Martem ab ea deflectentem verſus Meſoboream. Diſtantia viſa paulò major, quam inter duas infimas Stellas ex tribus appendicibus Balthei Orionis; longe verò minor, quam inter duos Hœdos. Enimverò, quia eodem anno, ac in fine Januarii eorumdem ♀, ac ♂ conjunctionem obſervaram Aquis-Sextiis, non illam quidem adeo propinquam, ſed tamen, ut puto, ſatis exquiſite; ideo lubet magis eam adponere. Radio utebar Aſtronomico in parteis decies millenas diviſo, & tranſverſali in ſimileis, cylindruliſque pro pinnacidiis tam ad oculum, quam in tranſverſali. Ceteros dies antecedenteis, conſequenteiſque prætereo; conjunctionis diem deligo, & unicum duntaxat ante, unicum poſt adiicio. Itaque ejuſdem, & anni 1622. & Januarii die 30. hora 7. veſpertina exhibita eſt diſtantia Veneris, & Martis 0. grad. 36. min. & iterata 0. grad. 35. $\frac{1}{2}$ min. ac repetita tertium 0. grad. 35. min. At hora 7. $\frac{1}{2}$ inter Venerem, & caput Andromedæ diſtantia fuit 28. grad. 40. min. Inter ♀, & Markab Pegaſi 20. grad. 56. min. Inter verò ♂, & caput Andromedæ 28. gr. 47. m. Inter ♂, & Markab 21. grad. 26. min. Ac poſtmodum ad explorandam inſtrumenti fidem inter Sirium, & Procyonem occurrit diſtantia 25. gr. 42. min. Die ſequente 31. hora 8. $\frac{1}{2}$ veſpertina, diſtiterunt Venus, & Mars 0. grad. 18. min. neque moliri quidpiam aliud propter exortas nubeis licuit. Die verò prima Februarii, hora 7. $\frac{1}{2}$ veſpertina, fuit diſtantia Veneris, & Martis 0. grad. 36. min. $\frac{1}{2}$ Veneris verò, & capitis Andromedæ 27 grad. 37. min. Veneris, & alæ Pegaſi 13. grad. 41. min. Martis, & capitis Andromedæ 28. grad. 12. min. ♂, & alæ Pegaſi 14. gr. 16. min. Simileis alias Veneris conjunctiones adderem, ac præſertim quidem cum ☾; ſed quia deſcriptam jam habes, quam obſervavi in hac urbe anno 1625. die 9. Februarii; addo heic ſolam aliam, quam obſervaram Aquis-Sextiis, anno 1619. menſe Aprili, vel ex eo, quod ſyderis utriuſque diſtantiam acceperim non modo ſemel, cum venarer adhuc horam ex altitudine Arcturi; ſed ter etiam interdiu, cum horam captarem ex Sole. Die ergo Aprilis 2. mane hora 4. min. 55. diſtitit ♀ a ☾ 1. grad. 1. min. hora 9. min. 36. diſtitit 2. grad. 24. min. hora 2. min. 16. diſtitit 2. grad. 57. min. Hora pomeridiana 0. grad. min. 20. diſtitit 3. grad. 27. min. Prætereo autem, ut exacto menſe, ſeu die Maii 2. mane hora 4. min. 50. cum Luna videretur quaſi conſtituere apicem trianguli pæne iſoſcelis, cujus angulus ad baſim occuparent ♀, & ♃ proxime ipſam eorum conjunctionem, diſtantiam fuiſſe ☾ a ♀ 10. grad. 45. min. hora 4. 50. min ☾ a ♃ 10. grad. 20. min. hora verò 5. Veneris verò, & ♃ 0. grad. 32. min. hora 4. min. 30. Sed ad Mercurium redeo, de quo poſtremo obſervationem, quam dicere licet negativam, adiicio, excerptam ex epiſtola, quam Romam ad Naudæum ſcripſi oſtendendam Scheinerio, v. Eidus nuperi Maii. Ea ſic habet: *Attexo potius aliam circa ☿ obſervationem, &c.* uſque ad illud, *hæc ergo ſunt, quæ poteris cum optimo Viro habere communia*. Habetur ſuperius. Hactenus excerpo, mi Cæſi, ac finem ſimul facio. Tu bene vale, & magno Reipublicæ litterariæ bono magnis conatibus inſiſte. Pariſiis Kalendas Octob. anno M. DC. XXXI.

Viro nunquam ſatis laudato Galilæo Galilei Magni Hetruriæ Ducis Mathematico,

PETRUS GASSENDUS S.

SAtis temporis jam elapſum eſt, humaniſſime Virorum, ex quo Diodati manu accepi, quod conſignari mihi voluiſti, Dialogorum tuorum exemplum. Quod ſero tamen gratias agam, excuſationem mereor; quando vix tandem licuit diſcedenti Pariſiis deſiderata lectione frui, die uno, aut altero. Nempe quam-primum egre-

gius

gius liber factus eſt mihi præ manibus, tanta illius apud ſtudioſos expectatio inareſcat, ut quia Diodatus exemplum ſuum detulerat in Angliam, meumque unicum ſupererat, vix ullus fuerit, qui pervidere ſucceſſive non poſtularit. Itaque diſceſſus occaſio vix demum fecit illius copiam, ægreque inter varias occupationes obtinui, ut prægustarem, quod ſpero adhuc, quam primum conquievero, pleno quaſi ore ſorbere. Interea cum foret in hac Civitate paucis diebus commorandum, ſignificare volui, quam grate acceperim librum, quam jucunde percurrerim. Equidem tanta ſum affectus inter legendum voluptate, ut etiam num, quoties mente repeto, mirifice movear. Ita ſcilicet tibi conſtas, amantiſſime veritatis Vir, ut quodcumque ratiocinaria, naturam ſemper ſequaris ducem, & ex propriarum obſervationum divite penu principia ducas. Aſſurgis quo Mortalium nemo ſubvectus eſt hactenus; felicesque hujuſmodi ſunt, qui vel eminus conſequuntur. Quod mirabile verò ſit; cum humana ſagacitas procedere ulterius non poſſit, is in te eſt animi candor, ut bona fide ſemper agnoſcas naturæ noſtræ infirmitatem. Quarumcumque enim conjecturæ tuæ ſint veriſimillimæ; non ſunt tibi tamen pluſquam conjecturæ; neque, ut vulgares Philoſophi ſolent, fucum facis, vel pateris. Quam juſtum rebus imponis pretium! Obliviſci certe, ſi velim, non poſſum, glebulæ terræ commendationem ſupra adamantes, & alia, quæ male ſanum vulgus miratur. Dicerem plura, ſed ſi perſpectus tibi utcumque meus eſt genius, divinabis plane, nihil eſſe in tuis ratiociniis, quod ſummopere mihi non arrideat. Addo ſolum, me perjucunde in id incidiſſe, quod per litteras admonueras, de opinionis tuæ conſenſo circa Stellarum exilitatem, cum mea illa de Mercurio in Sole viſo obſervatione. Delectat quippe, eam tibi cogitationem veniſſe in mentem pro ingenii acumine, inexhauſtaque ſolertia, cui ego, vel non cogitans, tam promptam præſtiterim fidem. Sic evenire plerumque ſolet, cum nobis ſatis eſt animi, ut ab opinionibus præjudicatis diſcedamus. Non pauca ſunt, quorum ſpem facis, ut circa ponderum cadentium inæqualem velocitatem. Quæſo te, idque non meo ſolum, ſed Merſenni etiam noſtri, aliorumque nomine, ut non patiaris, nos illorum tabeſcere expectatione. Morinus inter ceteros librum tuum avide legit, teque ſuſpicit, ut par eſt; non fatetur tamen ſe victum, exiſtimatque, rationes ſuas in manuſcriptum Prodromum perſeverare illibatas. Ipſe, cum multa alia in tui gratiam ediſſerui, tum præſertim exaggeravi cauſam abs te redditam de geminata intra diem naturalem Maris reciprocatione, & commendatione digniſſimam eſſe, & inconcuſſam perſiſtere. Ea commemorarem, niſi ipſe noſſes, ſolvi potuiſſe objecta omnia ex jactis abs te fundamentis. Id dico, Antiquorum omnium rationes, & hypotheſes apparere nugas, & inſomnia mera, quando cum invento tuo comparantur. Contigit certe mihi non ſemel, ut cum apud Viros ingenuos tuam explicarem ſententiam, tanta in animis audientium fieret veriſimilitudo, ut aſſumpta motuum Telluris hypotheſis, ad declarandum Maris æſtum, probabilitatem ex ipſa declaratione obtineret. Verum plura, Deo volente, cum licebit per otium. Vale interea, & me ama. Lugduni in itinere, ipſis Kalendis Novembribus, anno M. DC. XXXII.

Litteras haſce cognato tuo Viro optimo commendavi; tu, ſi quidpiam officii ex me fortaſſis exigas, ſignificare per ipſum potes. Iterum vale.

Admodum Reverendo, & doctiſſimo Viro Patri Thomæ Campanellæ Philoſopho celeberrimo,

PETRUS GASSENDUS S.

Reſcripſiſſem pridem ad te, præclariſſime Campanella, niſi poſteriores tuæ litteræ, quas emiſſas reſciveram, deſiderium ſui diuturnum feciſſent. Ac illas quidem Pariſiis demum circa hujus menſis initium accepi; ſed de diſceſſu tunc cogitans, reſponſionem diſtuli ex Civitate hac tranſmittendam. Neque verò propterea otii nullum ſupereſt, ut epiſtolam effuſam conſcribam; ſed malo tamen aliquid tandem, quam nihil omnino reponere. Itaque velim tibi perſuadeas, nihil mihi unquam contigiſſe gratius ſingulari illa amicitiæ demonſtratione, qua me beandum eſſe duxiſti. Tu nempe ex cenſu longe alio, quam litterati iſti triviales, qui per compita, foraque crebreſcunt; evincisque facile, ut Philoſophorum noſtri ſæculi habearis præcipuus. Quidni igitur ſuaviſſimum ducam a tanto Viro diligi, quem magni quidem fieri a Viris bonis, doctiſque videam, ſed quem ego præ omnibus maximi ſemper æſtimarim. Quod tu mea aliquid ducas, eximiæ bonitatis eſt; neque enim ſum neſcius, quam exigui momenti ſit, quidquid præſtari abs me poteſt. Ea re ſolum gloriari poſſum, quod ſum veritatis ſtudioſiſſimus, & ut falli a nemine, ſic fallere neminem volo. Id dico propter obſervationes, in quibus poteſt induſtria quidem, at non fides deſiderari. Ad commentationes verò Epicureas quod attinet, ſubdubitare viſus es, ne quid in Religionem peccem; ſed abſit a me, ut excidat quidpiam, quod pugnare cum illa poſſit. Inculcas Providentiam; ego verò eandem adverſus Epicurum tueor; neque, ſi ille quidquam erravit, patrocinium cauſæ ſuſcipio. Exopto, ut Naudæus noſter fecerit tibi copiam earum litterarum, quas ad ipſum dedi menſe Majo. Si fecit, pervidiſſe potes ſpecimen Diſſertationis circa eam partem providentiæ, quæ ad membrorum ſtructuram ſpectat, ac ſimul pernoſſe quo ſtudio pietatis parteis complectar. Quippe, quod Philoſophum agam, diſſimulare non debeo quidquid ad opinionum Viri, quem interpretor, elucidationem conducit; at quod Chriſtianus etiam, & Theologus ſim, meminiſſe debeo, quid utramque perſonam deceat. Hac ratione te imitor, qui pro ingenii acumine ita excuſſiſti impiorum ratiocinia, ut de Atheiſmo triumphaveris, & pro ſummo etiam candore nihil eorum reticuiſti, quæ in malignæ cauſæ gratiam ediſſeri ſolent, aut poſſunt. Ita ſcilicet faciendum, ne, ſi muſſitanteis duntaxat induxerimos adverſarios, ſuſpicari aliquis poſſit, nos propriæ cauſæ diffidere, quaſi non valeamus, niſi hoſtibus remiſſe agentibus procedere obviam. Utcumque ſit, cariſſimum duco, quod ſic amice me admones; idque in parte non poſtrema benevolentiæ tuæ duco. Plura, Deo bene propitio, cum Diniam meam appulero, & ad Naudæum etiam ſcribam, quem velim interea ſalutatum facias. Vale, eruditiſſime, & candidiſſime Vir, meque, quod facis, æternum ama. Scribebam Lugduni in itinere, poſtridie Kalendas Novembreis, anno M. DC. XXXII.

Admo-

Admodum Reverendo, & Clariſſimo Viro Chriſtophoro Scheinerio e Societate Jeſu

PETRUS GASSENDUS S.

Debueram prius reſcribere, optime Virorum Scheineri, ex quo præſertim litteras tuas ſub initium Julii datas conceſſum eſt accipere; verum quia faciebas ſpem conſcribendi uberius, idque intra dies non multos, idcirco expectare volui, ut liceret ſimul reſcribere ad omnia. Sed enim, cum ſpe inani lactatus, neſcio qua ſorte has poſteriores litteras nondum viderim, differre nolui diutius tum id tibi ſignificare, tum te certiorem facere mei in Provinciam diſceſſus. Addo, quod teſtatus nondum fueram ſingularem illam voluptatem, quam ex lectione operis tui de maculis Solis percepi. Dignum certe ingenium tuum, in quo hæ roſæ naſcerentur, adoleſcerentque; dignus oculus, cui myſteriis, adytaque iſta paterent. Quod me attinet, vix quidquam offendi, cui non plane conſenſerim; fuere verò quam plurima, quæ addidicerim recens. Præcipuum fuit varietas motus ea ratione apparentis, ut interdum parallelus, interdum obliquus Eclipticæ fiat. Quippe, quantumvis multas habeam temporum anni ſingulorum conſignatas obſervationes; nunquam tamen animadverti id genus inæqualitatis, donec me tuus liber admonuit; omnem ſcilicet varietatem abs me deprehenſam in obſervationum defectum conjiciens. Qua hypotheſi explicas negotium, acutiſſima illa ſane, ſed ſimplicior forte ex annuo Telluris motu depromeretur. Cum utravis tamen ſufficiat, tua vel eo nomine placet, quod alia iſtic diſplicet. Cetera prætereo; ſed illud tranſeundum ſilentio non eſt, ineffabilem fuiſſe ſuavitatem, qua, quæ ſunt a te de modo viſionis oculatiſſime demonſtrata, arripui avidiſſime. Fortaſſis id olim uberius pernoſces, ſi quando meæ neſcio quæ phyſicæ commentationes in lucem prodierint. Porrò, quia me litteris ſuperioribus admonueras, habere te præ manibus Parheliorum argumentum, gratum habebis, ut opinor, ſi obſervationem tibi indicem, quæ me fugerat idem pertractantem. Ea peracta eſt in Anglia ante annos quadringentos, ſeu anno ſalutis ∞ cc.xxxiii. deſcribiturque in hiſtoria Anglicana Matthæi Paris, in Henrico III. ac ſimul apponitur ſchema, in quo quatuor Soles ſpurii unà cum vero exhibentur. Si tibi forte res eſt perſpecta, horum paucorum verſiculorum levis jactura habenda eſt. Niſi ſit, obſervatio digna videtur, quam diſcutias. Exiſtimo deſiderari aliquid in diagrammate; diſquirendum tamen an poſſint quatuor Soles adulterini alia ratione apparere, quam abs te obſervatum eſt. Vale, Scheineri optime, & me, quod facis porrò, ama. Lugduni in itinere poſtridie Kal. Novemb. anno M.DC.XXXII.

Si quid me forte volueris, deſtinare litteras potes Aquas-Sextias ad nobilem Senatorem Nicolaum Fabricium Petriſci Toparcham; illi ſiquidem curæ erit, ut compendioſe ad me mittantur. Vale iterum.

Præclaro Viro Lucæ Holſtenio

PETRUS GASSENDUS S.

Inviſi nuper ex hac urbe, humaniſſime Holſteni, celebrem illum Meziriacum Burgi in Breſſia commorantem. Cumque varii inter nos confererentur ſermones, incidit forte mentio Geographiæ Agathemeris, cujus ipſe habet exemplum ex Bibliotheca Gravvellana Veſontii extante deſcriptum. Subiit illico in mentem conſilium tuum circa minorum Geographorum evulgationem. Id ubi illi indicavi, ſubjecique fieri poſſe, ut librum ipſe non videris, paratum ſeſe ſtatim exhibuit, pro ea, qua eſt humanitate, ad ipſum tecum communicandum. Titulus eſt, quantum recordor: Ἀγαθημέρου τοῦ Ὄρθωνος γεωγραφίας ὑποτύπωσις. Incipit verò Ἀναξίμανδρος, &c. eſtque foliorum circiter quatuor. Itaque ſi hic Geographus abs te forte deſideretur, potes id mihi interventu Patriſci noſtri ſignificare. Ego verò operam dabo, ut nanciſci quamprimum valeas. Vale interea, præclare Vir, ſicque habe, memorem me officii tui ſemper futurum, prætermiſſurumque occaſionem nullam, qua gratum tibi facere liceat. Lugduni in itinere v. Eid. Novembreis M.DC.XXXII.

PETRUS GASSENDUS

GABRIELI NAUDÆO SUO S.

Longum, mi Naudæe, abrumpo ſilentium brevi epiſtolio, ſed præſtat nempe aliquid tandem, quam nihil omnino perſcribere. Appulſus ad hanc civitatem, humaniſſimoque exceptus hoſpitio illuſtris Petriſcii, quem decus noſtrum eſſe noſti, offendo illum ſcribentem ad te, exigentemque litteras, quas ſuis conſociat. Itaque licet præceps occaſio, negligendam tamen non cenſeo, ut quam poſſum, ſalutem dicam. Priuſquam exinde diſcedam, dicturus uberiorem ſum; ſcito interea me bene valere, exoptareque ut tu optime. Litteras accipio ex amicis noſtris, qui degunt Pariſiis, obſervoque in Tubertinis, quorſum ſis brevi Paduæ futurus. Utinam principium hoc ſit ſtabiliendarum fortunarum. Accipio ſimul, quas Londino Diodatus noſter tum ex ſe mittit, tum remittit miſſas ex Hetruria; agnoſcoque, Virum præclarum expeditionem Romam parare; ſed noſti tu melius quid id rei ſit. Reſcripturus ad illum ſum, ſpondere tamen non audeo, ut brevi reſpondeat. Effice tu, ut noſſe valeam quid agat cum illo fortuna. Nondum extrema adeſt manus illi Philoſophiæ, cujus tu pæne auctor es; quippe hoc ſolum infantiam quidem, at non maturam ætatem præſtare eſt natum. Itaque expectandum eſt, donec Pariſios rediero. Id continget cum Præſul meus, quem ſpero brevi heic adfuturum, iter eodem ſuſceperit; ſuſcipiet autem, quantum opinor, circa Octobris initium. Vir illuſtris Marchævillæus invitavit me adhuc nuper litteris humaniſſimis ad inviſendum ſecum Orientem; verum expecto conſilium, quod Luillerium meum rogavi, priuſquam diſerte reſpondeam. Aliquid ſemper cœleſtium rerum Commentariis meis adjicio; tu, ſi forte ſit iſtic gentium, qui hiſce ſtudiis delectetur, cura ut noſſe valeam. Communicabo haud invitus tum obſervata cetera, tum nuperam So-

lis Eclipſin; ſed ohe grandem epiſtolam, non breve epiſtolium! hoc igitur in lucro habe, meque, ut facis, æternùm ama. Vale. Aquis-Sextiis, pridie Nonas Majas, anno M. DC. XXXIII.

Admodum Reverendo Patri, & Viro Clariſſimo Chriſtophoro Scheinerio

PETRUS GASSENDUS S.

MAture ſatis huc adveni, Scheineri optime Virorum, ut acceptis litteris tuis, ſub Februarii finem datis, verbulum hoc reponerem. Verbulum, inquam, nam & urget Veredarii præſentia, & metus, ne Romæ non ſis, cum ille ad urbem accedet. Significas videlicet evocari te in Germaniam a Majeſtate ſacra Cæſarea, & Præſul meos conjicit diſceſſum tuum in hocce tempus. Utcumque ſit, parcendum mihi exiguo labori non eſt, ut ſi forte hoc epiſtolium ad te uſque perveniat, accipias quam reddo ſalutem. Non accepiſti, quantum conjicio, quas Kalendis Novembribus ad te dederam litteras. Cum nempe Lugduno tranſirem ſcripſi & ad te, & ad præclarum Campanellam, conſignavique litteras Bibliopolæ Proſt, pollicito ſe magna cura, ut redderentur, effecturum. Sed mea hæc eſt, non veſtra jactura; quandoquidem propter candorem, affectuſque mei ſignificationem, quod ex me ſperetis magni nihil eſt. Lætor, eundem Mercurium ab aliis duobus illuſtribus Viris, quos commemoras, obſervatum fuiſſe; cum verò etiam accepero quid, & qua ratione obſervatus fuerit, cumulata voluptas erit. Ipſe tum menſe Januario obſervavi Diniæ veſpertinum Mercurium, tum in præſentiarum obſervo ex ædibus ipſis, & eo, quo ſum in hac civitate exceptus hoſpitio illuſtris Viri Petriſcii. Ab obſervatione cum ceſſavero, quid abs me ſu rit actum perſcribam. Eſt interea, quod impertiar, quam peregi Diniæ obſervationem Eclipſeos, quæ nuper contigit in Sole, quantum per pluvias, nubeis, grandines, ventos intervenienteis licuit. Si Romæ adhuc fueris, pergratum facies ſi totam rem cum Campanella communicaris. Scriberem etiam jam ad ipſum, ſi liceret per otium; ſed vereor ne ſatis temporis non ſit, ut vel tabellam ſolam tranſcribam, quam hiſtoriæ obſervationis in meis attexui Commentariis. Tu interea illum ſaluta, & vale. Aquis-Sextiis Non. Maii M. DC. XXXIII.

Salutat te quam-plurimum nobilis ille hoſpes meus nuſquam gentium non cognitus. Is & te ſummopere colit, & urſinam tuam roſam admiratus, tum laudes tuas cecinit pridem, tum etiam ex quo adventavi, non paucos mecum circa tuas, & obſervationes præclaras, & propoſitiones de modo viſionis ſermones conſeruit.

Admodum Reverendo Patri, & Viro Clariſſimo Thomæ Campanellæ

PETRUS GASSENDUS S.

NOn ſcripſi ad te, Vir eximie, ex quo Lugduno iter faciens litteras ad te ipſo die Kalendarum Novembrium dedi. Dedi verò & ad Scheinerium, & utraſque commiſi Bibliopolæ Proſt, ex quo, quod agere ſe tecum per litteras aſſereret, obtinui, ut meas adjungeret ſuis. Hoc memoro ut poſſis ipſe fidem meam ſalvam habere, niſi fortaſſis litteræ illæ ad te uſque pervenerint. Videlicet non perveniſſe ſuſpicionem id ingerit, quod ſcribens nuper ad me Scheinerius, mentionem earum, quas ad ipſum ſimul dedi, facit nullam. Profectò niſi & tu acceperis, eſt, quod maximopere doleam, quoniam ipſis reſponſum eſt binis pridem abs te allatis. Sed nempe hujuſmodi fata nonnunquam interveniunt, & amicorum exigit candor, ut caſus boni conſulant æqui. Quod ſi fortaſſis illæ tibi, bona mea ſorte, redditæ ſunt, eſt, quod gaudeam ſummopere, ſperans exinde paucos hos verſus gratiores tibi exstituros. Ad me quod ſpectat, tanto ipſas conſcribo jucundius, quanto iis tibi exhibendis occaſionem facio Nobilibus amicis meis inviſendi tantum Virum, quantus ipſe es, eaque fruendi felicitate, quam mihi adhuc invident fata. Ceterum ex amplis nuper a Galilæo epiſtolis reſcivi, ipſum brevi Romæ, quò citatus eſt, adfuturum. Id miratus ſum; quoniam nihil non approbatum edidit; ſed noſtrum non eſt noſſe hæc momenta. Alia ut mittam, quam ageres pro rara tua humanitate, & ſingulari induſtria, ſi exortum diſſidium inter ſummos illos, & amicos nobis Viros [Galilæum, & Scheinerium intelligo] componeres? Vir uterque adeo eſt bonus, adeo veritatis ſtudioſus, adeo fidei, & candoris plenus; &, Deum tamen immortalem! occurriſſe quod alterum alteri faceret infenſum! Ipſe certe ſatis dolere litteratorum vicem non poſſum, quoties obſervo magnos Viros in generis hujuſmodi altercationes incidere. Nam puſilla quidem ingenia, quæ pendentem ex tenui filo conſectantur gloriolam, ita excandeſcere poſſunt; at Viros adeo eminenteis, quos ſincerus agit veritatis amor, iiſdem moveri affectibus, magnopere ſane eſt mirum. Sed hæc nimirum videtur eſſe humanæ ſortis conditio; adeo ſumus omnes, ſive corporis, ſive ingenii fetuum amantes. Nolim porrò quidquam eſſe importunus, niſi ipſe eò propendeas; quocirca neque adjicio, quod, meâ quidem ſententiâ, promovere concordiam poſſet. Tibi ſunt clarius omnia perſpecta; etiam quæ dicere præſenti, quam ſcribere abſenti tutius. Itaque nihil vehementer a te exopto, efflagitoque, niſi ut amare me pergas, ac eum habeas, qui ſit amantiſſimus, & obſervantiſſimus tui. Vale. Aquis-Sextiis VI. Eid. Maii, anno M. DC. XXXIII.

E I D E M.

QUas ad te ſcripſi nudius-quartus, præclariſſime Campanella, iis commiſi, qui inviſendi, & alloquendi te coram occaſione illa beari voluerunt. Uterque illorum præcipuus eſt, alter a ſacris, alter a ſecretis Duci illuſtriſſimo, qui totam jam Romam expectatione ſui complevit. Iter jam hac poſt illos faciens nobilis Boëſſiacus, qui ex eodem comitatu perorator eſt latine coram ſummo Pontifice, ſchedam quoque habere cupit, cujus reddendæ occaſione ſalutem tibi coram dicat. Hæc itaque eſt, quam ipſi conſcribo, ac tanto quidem alacrius, quanto & ipſe mihi eſt amicus eximius, & tu is es, quem velim ſemper quam-plurimum cognitum fieri. An-non tu id patienter feres, imo etiam conſules boni. Niſi is eſſes, quem celebrem eminentiſſima virtus fecit, non ita te multi ambirent, ac impeterent; ſed nempe Sol non fert indigne,

digne, cum heliotropia, quæ ejus vim perſentiunt, in ipſum reſpectant. Aut in Virum adeo illuſtrem non debebas evadere, aut grave jam eſſe non debet, ſi Litteratorum omnium oculi radiis tuis percellantur. Utcumque habeas, habe me ſemper Virum ſtudioſiſſimum tui. Vale. Aquis-Sextiis III. Eid. Maii M. DC. XXXIII.

PETRUS GASSENDUS

CONSTANTINO SUO S.

Accepi ante paucos dies, mellitiſſime Conſtantine, præclarum epiſtolium. Neſcio quæ fata fuerint illius, quod ſcriptum dicis menſe Januario; ſed alterius rite recurdor, quo, cum Pariſiis adhuc verſarer, beare me volueras; mirum porrò, te hactenus nullum accepiſſe reſponſum; & nullum tamen neque amandi, neque ſcribendi facere finem. Sed nempe conſtantia hac tanta in eum cadere ſolum poteſt, qui nomine tuo digniſſimus ſit. Ea profectu tanta eſt, ut vel invitum fuerit raptura; quid-ni me etiam, qui ſum jampridem erga te propenſiſſimus? Pudet me tamdiu diſtuliſſe affectus ſignificationem, meque indignum fateor, cui tu ſic tuum teſtatum facias. Verum, qua es humanitate, ſic condonabis negligentiam, ut quem tacentem amaveris, loquentem jam impenſius ames. Nihil eſt mihi, quod reponam enarrationi illi tuæ diſſidiorum litterariorum; ſed non ignoras, quam ſit hoc ſolum ingratum, & inſertile. Hoc ſaltem ſcitu, feciſſe te rem longe jucundiſſimam, quando hiſtoriam, ſeu verius hiſtrioniam temporum docuiſti. Tametſi enim ægre ferendum Viros alioquin eximios ſeſe mutuo diſcerpere; ſuave nihilominus eſt quid rerum iſteic agatur, noſſe. Humanitas eſt optare, uti bene ſit omnibus; at fieri mentium divortia tam humanum eſt, quam in corporis habitu, vultuque eſſe diſcrepantiam. Varia hæc partium ſtudia ſapientiæ ſtudio coæva ſunt, neque ſperandum eſt ſæculum, in quo non citius inter horologia. Tu vive ab his curis liber, neque puta eſſe, qui poſſit tantas liteis componere. Si certandum ſit, enitere ſemper id, quod pridem facis, ut amore vincas, corporeque ſimul, ac mente quam optime valeas. Reſcivi quanto molimine cum noſtro Burdelotio, aliiſque amicis perſæpe contendas. Optimum genus certaminis, quo non vinci minus, quam vincere gratum, imo, quo vulnera inflicta jucundiora ſunt, quam ipſa victoria. Hæc inter vive felix, & vale, ac inter ceteros amicus optimum Aubertum ſaluta. Diniæ poſtridie Non. Julias M. DC. XXXIII.

Clariſſimo Viro Leoni Allatio

PETRUS GASSENDUS S.

Hæſi diu, præclare Vir, quibus verbis, aut qua ratione agere tecum inciperem. Quippe poſtquam Naudæus primum, & Gaffarellus poſtmodum litteris ſuis ſignificarunt, quo me affectu proſequeris, animo confuſus toties reſtiti, quoties arripui calamum gratitudinem teſtaturus. Et ſane ſi ego is eſſem, qui tam effuſam voluntatem aliquando promeritus vel leviſſimis officiis forem, haud ita obſtupeſcerem; at me non modo facie ignotum, verum ne ullis quidem datis, acceptisve litteris conſcium, hac tanta obrui benevolentia; quid ni præ ſtupore obrigeam! Hæc una res mihi ſolatio, quod niſi quid dignum rependam, ipſe vertere tibi debeas, qui me impotem feceris. Quomodo enim in culpa ſim, qui anſam tibi præbuerim nullam; tu immerentem, nec rogantem, nec cogitantem devinxeris? Credidiſti forte amicis plus æquo mihi faventibus; at quorſum non ſubdubitaſti, eſſe nimis poſſe lenam amicitiam? Ego immenſum illis debeo, quando amicum te debeo; ſed parcere arti non poſſum, qua imponere tibi affectarunt. Et cum gratulari mihi ſummopere debeam, quod ſic erga me animatus ſis; eſt tamen, quod doleam, nihil eſſe in me, quo te permoveri debuiſſe comperiam. Utcumque ſit; præſtabo ſaltem, ut ingratum me experiaris nunquam, & cum vires defecerint, ſupereſſe tamen voluntatem vividiſſimam deprehendas. Polliceor proinde quidquid tandem ſum; tu ſic accipe, ut ſi poſſem præſtare quidpiam amplius, eodem animo tibi devoverem. Vale bonarum litterarum, & litteratorum decus. Diniæ poſtridie Eid. Julias M. DC. XXXIII.

PETRUS GASSENDUS

GABRIELI NAUDÆO SUO S.

Reddidit mihi, cum rediit, Præſul meus litteras tuas. Eæ me ſane delectarunt, tum ob conjunctas cum Gaffarello vices, memoriamque habitam mei; tum ob fortunarum tuarum, quod exopto ut maximum tandem accedat incrementum; tum ob renuntiatum Allatii erga me affectum inſignem, cujus me etiam poſtmodum Gaffarellus certiorem fecit. Veſtrum utriuſque conſilio epiſtolium do ad præclarum Virum. Veſtrum uterque ſuppleat, quod meæ deeſt induſtriæ. Præſul meus, qui te ſalutat, diſceſſurus brevi Pariſios, rediturus eſt ante Hyemem. Ego cum illo non diſcedo, veritus, ne quadam ex parte libertatis jacturam faciam. Meminiſti, opinor, me noluiſſe aliàs accedere ad Eminentiſſimum Virum. Ceſſante hujus proſecutione, eſt alius, quem tu probe noſti, qui mire me ſollicitat, ut fraternam, individuam, perpetuam ſocietatem vоveam. Spondet ab initio nulle ſe, ut prius pedem domum iniiciam, quam beneficium, penſionem-ve librarum ter mille fecerit ſecuram. Is ergo eſt, quem ſi Pariſios conceſſero, effugiam nunquam; adeo ille me ſuum cupit; adeo ego ſum impotens, ut denegem aliquid coram. Continebo itaque me in caſa hac, humili quidem, ſed quæ mei me habeat juris. Hæc inter, quid putas, Luillerius, qui-cum ſolo poſſum, ut noſti, liberrimus vivere? Ille, ut me ſincere amat, ſic conditionum, Ipſa ſpecie, honeſtiſſimarum diſſuaſor non eſt; at ego promiſſorum memor [quæ & magno Viro objeci] plus illi largiri, quam exigat, volo. Non memoro, ut pæne ſe dedere eidem voluerit, ne ſeparati degeremus, ut tantundem, & amplius ex ſuo obtulerit; ut Regiam etiam profeſſionem, quam recuſavi, quæſierit; nempe illius erga me amor incompertus tibi non eſt. Expeditionis in Orientem vix nuper dimiſimus curam. Spero autem heic adfuturum, aut menſe Novembri, ut Hyemem mecum tranſigat; aut ſub Veris initium, ut

in Italiam ſecedamus, Venetiasque potiſſimum. Fortaſſis illeic abſolvere opus illud mcom licebit, quod ſi heic gentium velim, non poſſum. Tu bene vale, mi Naudæe, & me perpetuum amare perge. Diniæ poſtridie Eid. Julias M. DC. XXXIII.

Satius eſt ex aliis, quam ex me addiſcas, qua reſponſione Schickardus Mercurium meum exceperit, qua Diſſertatione Hortenſius. Si adeſſet mihi vel unum exemplar, illud ad vos tranſmitterem; ſed licebit fortaſſis aliàs.

Admodum Reverendo, & religioſiſſimo, eruditiſſimoque Viro Patri Athanaſio Kircher e Societate Jeſu

PETRUS GASSENDUS S.

QUo affectu, putas, accepi, Kirchere humaniſſime, quas, ut me beares, litteras dediſti? Certe quanto proſequi poſſum doctiſſimum, optimum, & amiciſſimum Virum. Reſcripſiſſem prius; ſed ſtatim ab acceptis concedendum peregre fuit. Quin majus otium expectarem, neque [quod facio] rare ſcriberem, niſi proxime fores diſceſſurus. Itaque paucos verſus do, ſed qui ſint tamen amoris mei, atque obſervantiæ erga te perpetuæ ampliſſimo pignori. Procul abſcedis; ſed animo etiam illuc te conſequar; neque locorum interſtitia ullum amicitiæ intervallom ſtatuent. Fortaſſis etiam te inviſurus in Scythicis illis coenobiis aliquando ſum; maxime ſi Deus, quod noſti, deſtinatum iter fortunet. Supplebunt litteræ interea, familiare commercium; neque deerunt officia, quæ inter abſenteis præſtentur. Cura ſolum, ut valeas, & per tot caſtra, ac per militarem illam inſolentiam ſoſpes evadas. Ita nempe non modo tibi, ſed & bonis litteris, artibusque conſules; & me quod ſpectat, animæ dimidium meæ ſervabis. Quod de præclaro illo Tonduro commemoraſti, pergratum habui. Ille eſt, opinor, de quo etiam multa Morinus meus retulit aliàs. Saluta illum meo nomine, & quia volens pervidebit quidquid circa aoperam illam Solis Eclipſin præſtare potui, exſcribam ecce heic tabulam, quam cum illo communicabis. Admone ſolum Phaſeis deſcriptas, prout ex ſont ſub obſcuro tecto per tubum acceptæ. Ceterum dicere non poſſum quam jucundum ſim habiturus, quod munus mihi deſtinas. Erit illud mihi quaſi teſſera amoris candidiſſimi, & κειμηλίῳ quolibet carius. Ægre fero, nihil mihi adeſſe, aut eſſe in me repoſitu dignum. Scribo tamen ad illum noſtrum, quem nemo unquam pro dignitate ſatis commendet, Petriſcium; ut ſi quid habeat ex meis nugis, qualemcumque licet compenſationem faciat. Vale, præclariſſime Vir, & me ſic porrò, ut cepiſti, ama. Dabam Tanarone, quod eſt oppidum Dinienſis Diœceſeos, poſtridie Kalendas Auguſti, anno M. DC. XXXIII.

Iſmaëli Bullialdo ſuo

PETRUS GASSENDUS. S.

QUam gratas habuerim tuas litteras, ipſe, qui me amas, neque neſcius es, te abs me amari, conjicere potes. Non multis reſcribo, quia jam non vacat extra ipſam domum, urbemque verſanti; ſed ex prolixis litteris, quas ad Schickardum deſtino, erit quod putes ſcriptum non paucis. Videlicet Luillerius noſter commonſtrare tibi illas poterit, priuſquam in Germaniam mittar; tuque, ſi quid videbitur commodum, ex illis deſumes. Pudet adeo tarde rependiſſe grates, reſcripſiſſeque eximio Viro; ac tu etiam habes, cur mihi ſuccenſeas propter adſervatam, nondumque tranſmiſſam præclaram tuam epiſtolam; ſed quas cauſas illi, tibi dictas puta. Quæſo te ſolum, ſi litteras meas pervolutare volueris, ne longas nimis adiicias moras. Delectat, Veneris acceſſum ad Pollucis humerum non fuiſſe tibi inobſervatum; videbis neque mihi fuiſſe ex contextu obſervationum, idque ad dies nuperi Maii 25. 26. 27. Cumque obſervatio tua ſit diei 26. lætaberis te adeo prope ad verum collineaſſe. Certe & ego lætatus ſum, quod conſpiraverimus ad uſque minuti dimidium. Circa locum Mercurii ſubductum per calculum ex obſervatione, quam ad te tranſmiſeram, ſuſtinendum judicium erit, donec exploravero germana loca tum Cappellæ, tum dextri humeri Aurigæ. Vereor ſcilicet, ne eæ ſtellæ non rite ſe habeant in Catalogo Tychonis. Antiqua nonnulla argumenta habeo, ac nuper etiam neſcio quid novam ſuſpicionem iniecit. Loca etiam Lancium, aliarumque Stellarum ſuſpecta pridem habeo. Illuc forte, ſi Deus faxit, curam aliquando convertam. Inaudieram jam aliquid de Galilæi liberatiooe; is verò ſane non poterat carcerem valde diuturnum pati. Si litteras enim vidiſti, quas Vir ille fidei plenus ad Diodatum ſimul, & me ſcripſerat, perſpectum eſt, illum non fuiſſe in culpa. Quod ratiocinaris de ſenſu ſcripturæ, ad ſenſum meum penitus quadrat. Vide autem quanta ſolertia ſenex optimus in iis litteris idem argumentum pertractet. Quod familiarius jam verſaris cum noſtro Merſenno, tibi gratulor; incomparabilis enim eſt optimi Viri conſuetudo. Non fert quævis ætas plurais ſimileis: tanta ille eruditione, & bonitate præcellit. Fruere illo, ac interea me amare ne deſina. Vale. Tanarone Eid. Auguſti, anno M DC. XXXIII.

Concluſâ illa adeo longâ ad Schickardum epiſtolâ, ubi aliam quoque ad Hortenſium concludere volui, id conſilium cepi, quod tecum Luillerius noſter communicabit. Tu, ſi vacat per otium, fac, ut negotium acceleretur. Fortaſſis etiam noſter Merſennus adjutare vos poterit; profecto ſi id præſtiteritis ſublevaveritis me importuniſſimo labore. Vale iterum.

Viro clariſſimo, & amico cariſſimo Willelmo Schickardo, Hebraicarum litterarum, & Aſtronomiæ Profeſſori apud Tubingenſeis celeberrimo

PETRUS GASSENDUS S.

SAt ſentio, quam tibi ſim impar, ò eruditiſſime, & candidiſſime Virorum, qui ex tantulo debitore, tantus evadis creditor. An ſperare debueram, tam exiguum munuſculum favore tam grandi compenſatum iri? aut jam eſt, quod exiſtimem poſſe aliquid abs me ſuggeri, ex quo iterum creditor conſtituar? Alterum abfuit; alterum abſit, eum mihi potius gloriandum ſit, quod æternùm vincar a tanto inter litteratos Heroe. Ego, ut ſolum ſterile, vix ſum potis, ut aliquid marcidulum proferam; tu, ut fecunda terra, nihil non vegetum, ſtatimque maturum profundis. Hinc eſt, cur in te titulos ſpecioſos, ac nomina regeram, quæ amor in me tuus expreſſit. Ipſe ſiquidem mecum habito, ac novi in tam curta re, elogia hæc tanta mihi non deberi. Ac forte quidem aliquid eſt, fuiſſe me, aut primum, aut unum ex iis, qui Mercurium primi ſub Sole viderunt; ſed contentus meâ opellâ non nihil profuiſſe Uraniæ cultoribus; pudore ſuffundor, cum mihi propterea debito majores grates rependuntur. Tametſi nempe litteras meas obſervationem præſeferenteis, gratiſſimas tibi futuras ſperaram; non ſic me tamen habueram, ut deberes propterea viſcera velut effundere, & rem ipſam ſic illuſtrare, ut umbella illa Mercurii Sole præclarior evaderet. Quam gratolor proinde mihi, quò in Vitum inciderim, & amoris ingenui, & incomparabilis ſolertiæ? Quam fortunatum duco libellum, qui occaſionem tibi præbuerit tanti operis contexendi? Licet enim mea illa obſervatio mihi quoque ipſi ſit viſa non contemnendi eſſe momenti; attamen felicia fuit fortia, ut te Patronum, vindicemque nanciſceretur illico. Tu videlicet unus videbaris, cui & obſervationum copia ipſius uſui amplificando, demonſtrandoque ſuppeteret; & induſtria, patientiaque explicandi negotium adeo intricatum adeſſet. Quare & illa videbatur ſola tua commendatione poſſe inclareſcere, & utilitate abs te patefacta, ad Poſteros uſque tranſire. Mihi certe timendum fuerat, ne quam præſumebam nepotibus ſeris excituram gratam, non eſſet in me, unde poſſem ad proximus tranſmittere; at confido jam, poſtquam tu tanto illam ſtudio tractas, fore ut deinceps non pereat, niſi quo caſu cœleſtium amor, & litteræ bonæ peribunt.

Porrò eſt, cur deprecer veniam, quod ſignificare diſtulerim tamdiu conſignatam mibi reſponſionem tuam; cum illam habeam præ manibus ab extremo uſque Januario. Verum, ut facilius condones, triplicem poſſum afferre cauſam. Una eſt, quod exemplum illud pro tua voluntate ad me deſtinatum, neſcio qua ſorte, imperfectum mihi redditum fuerit; deeſt nimirum quaternio tertius, quem & Luillerius meus Pariſiis ſibi inviſum aſſeruit, & inclytus ille Senator Fabricius heic Aquis-Sextiis deſideravit. At ego expectandum duxi, num exemplum aliud comparare poſſem, ex quo integro perluſtrato, poſſem uberius reſcribere. Altera, quod ſperaverim fore, ut Nundinis Vernis promiſſum abs te copioſius reſponſum prodiret, ipſeque proinde reponere poſſem aliquid appoſitum magis extremis tuis litteris. Poſtrema, quod cum ad te dare ante Nundinas non poſſem quas obſervationes peregi circa ☿ veſpertinum prædicto menſe Januario, cunctandum cenſuerim, donec peregiſſem alias circa eundem hoc menſe Majo veſpertinum appariturum. Tametſi verò quotquot exempla reſponſionis jam editæ fuerant delata Pariſios, coëmpta fuerint illico, mihique nullum fuerit ſuperſtes; tametſi bellici tumultus, qui noſtrates Bibliopolas ab adeundis Nundinis proxime elapſis abſterruerunt, obſtiterint, quominus quidquam de tua illa, ſeu inchoata, ſeu abſoluta reſponſione accipere potuerim. Tametſi quidquid poſſum ex meis obſervationibus præſtare, perexiguum futurum ſit; nihilominus committendum mibi ut tardius reſpondeam non eſt. Et vereor quidem, ne aut longe viarum ambages, aut turbæ illæ militares, quibus apud vos omnia ſcatent, litterarum mearum aut retardationem, aut deperditionem inducant; ſed committam, ut vela ventis, & omina bona precatus, conſcientiæ ſaltem ſecurus degam. Scilicet habere placatum, propitiumque genium non poſſum, quò uſque tibi banc qualemcumque meæ erga te gratitudinis teſtationem præbuero.

Equidem ſic afficior, non ut venire in examen partis illius reſponſi velim, ſed ut poſſim ſolum eximium candorem, conditionemque inſignem, quam in illa teſtatus es, ſuſpicere, & commendare. Quare & de meis ratiociniis poſt obſervationem attextis, nihil eſt, quod adiiciam; maxime verò cum cognoſcam quam illa ſint levia, neque ullum ſit, ad quod velim adhæreſcere, ut ad ſaxum. Quin etiam mihi res eſt pergrata, quod pro candore tuo refellis quidquid ex illo tibi non placet; id enim ſic accipio, ut ſi animo laboranti medicas manus admoveas. Longe alia mibi mens eſt, quam quæ videtur maximæ hominum parti inſidere; quando tantum abeſt, ut iraſcar, dum contradicentem invenio, ut agam potius gratias, & lucro habeam maximo, quod tutiorem viam demonſtret, aut demonſtrare conetur, qua ad veritatem perveniam. Hinc, licet forte aliquid rationibus tuis reponere poſſem, nolo tamen, quia & illud ponderis magni non judico, & volo ut intelligas, neminem eſſe, qui me citius det utramque manum veriſimiliora ſuadenti. Abunde eſt, quod facti fidem ita inconcuſſam tueris, ut illa ſane ingenua eſt. Falli poſſum; at fallere nihil eſt, quod averſer magis; ex quo fit, ut certus non poſſe redargui in iis, quæ refero; præter conſcientiam teſteis non quæram. Aderat mihi tunc Præſul meus Raphaël de Bollonia, quem tibi vel honoris cauſa nominare potueram; ſed confidentia neſcio qua fretus, aut non memini, aut neglexi. Et videre poteris ipſe quam te non fefellerit candoris mei opinio, cum obſervationes accipies, quas factas de eodem Mercurio ſub Sole viſu didici nuper. Beavit me nempe optimus Scheinerus, cum VII. Kalendas Martii admonuit factam obſervationem, tum Oeniponti a ſuo quondam diſcipulo Joanne Baptiſta Ciſſato; tum Rubeaci in Alſatia a Joanne Remo Quietano, ſingulari amico ſuo. Beaſſet me magis, ſi hiſtoriam obſervationis adjunxiſſet; quippe commemoravit ſolum non diſcrepare abs me Ciſſatum in deſcribenda Mercurii magnitudine, niſi ſecundis duobus, aut tribus; ſed fortaſſis nihil amplius habuit.

Quod ſupereſt, optaſſem ſane, ut qualeſcumque ſint illæ meæ obſervationes nuperæ, ad manus tuas perveniſſent ante abſolutam, aut typis man-

Digitized by Google

mandatam theotiam Mercurii; at niſi iſta occaſione, alia fortaſſis uſui erunt. Exſcribo autem illas, ut ſoleo, meis ex Commentariis, cum religio ſit aliquid adiicere, detrahere-ve. Id moria habeo, ut quamprimum obſervatio peracta eſt, ex uſurpata ſchedula illam tranſcribam in codicem, dum memoria eſt adhue recens, ſi peccatum eſt aliquid, aut forte quidpiam intercurrit, quod caſtigare erratum poſſit; at rem ſemel ſic conſignatam perire, quam vim pati, malo. Cum pro otio deinde licet, ac niſi ſit rea, quam ardentet cognuſcere deſiderem, quandu ſum curis ſolutus, revoco illam ad calculos. Niſi ſim, uti raru ſum, conſignaviſſe eſt mihi ſatis. Videlicet ſatis exiſtimo eſſe, ſi dum per vigorem ætatis, & oculorum aciem licet, quas Obſervationes poſſum, in Commentarios referam; ſperans vel adfuturom tempus, qoo illas poſſim retexere; vel adfuturos, qui poſſint magis publico uſui accommodare. Sic video feciſſe Mæſtlinum, quem tu jam longo poſt tempore lætaris reliquiſſe tibi, velut congeſtam materiem, quam in præclarum digeras opus. Hæ nimirum res ejuſmodi ſunt, quas adnotaviſſe ſemel ſufficit, cum etiam plurimis exactis ſæculorum myriadibus, & alienas manus admittant, quibus perindu expoliantur, ac dum recentiſſimæ ſunt, & quantumlibet ſimplices, inſignem ſui amorem ereent. Quidni? cum præceps, & lubtica obſervandi rem aliquam occaſio nunquam redeat; & quæcumque obſervationes, aut peractæ prius fuere, aot peraguntur poſterius utiliſſime cum ea conſerantur. Hæc commemoro, ut non admiteris, ſi nudas ad te obſervationes tranſmittam, non item, quæ ex iis deduxi, aut deducere putui [calculum quippe continentem inſtituere adhuc non vacavit] & ſatis ſoit per vices noſſe, ſi qoid obſervata Planetarum loca ab Ephemeride diſſiderent. Cogitavi etiam te nullo quaſi præjudicio detentum liberiorem fore in examinandis, verſandisque obſervatis, quæ, quod non plane inter ſe aliquando cohæreant, ipſe quò referam non habeu; ſed ecce tandem quid circa Mercurium, & occaſione illius circa Planetas alios.

Anno Chriſti currente 1633. menſe Januario, ſtylu novo, Diniæ. Occaſione exhibita obſervandi Mercurii, qui vix niſi hac tempeſtate, &c. *Ut in Commentariis, ad uſque diem 30. ejuſdem menſis incluſive.*

Et hactenus quidem priores obſervationes tranſcribo. Poſteriores, ſeu nuperæ ab Aprilis fine incipiunt; placet autem obſervationi diei 28. præmittere, quod adnotatum circa præcedentem invenio. Id ſic ſe habet. Die 27. Aquis-Sextiis Cœlum varium, ſed ſtabat jam Africus [nempe a Solis Eclipſi uſque] conſtitutionem aëris conſtanter obſervaveram veſperi Mercurium, &c. *Ut in Commentariis.*

Anno eodem 1633. ac ejuſdem menſis Aprilis die 28. veſperi, Aquis-Sextiis. Cum ex die uſque ſuperiore facta eſſet ſpes, &c. *Ut in Commentariis, ad diem uſque Junii primam incluſive.*

Ceperam iſta conſcribere, exſcribereque ex quo die deſiit Mercurius conſpici. Quoniam verò licuit interea obſervationes peragere circa Venerem, & Saturnum, quorum ab initio conſtitueram illius quidem elongationem, hojus verò oppoſitionem cum Sole deprehendere; ideo haud grave habui, ipſis qooque tecum facere communeis. Sum jam in procinctu, ot Diniam diſcedam; ſed ſubciſivas deligo horas, quibus tibi adhuc aliquid impertiar. Ac primum quidem cognoſcas velim, rogaſſe me Luillerium meom, ut tui cauſa obtineret ex amico illo, & erudito Viro Bullialdu, quas conſcius eram illum habuiſſe circa Mercurium obſervationes; ac ſimul deſcribi curaret, quas Haſſiacas nondum tibi perſpectas fuiſſe memineras. Ille ergu epiſtolam, quam ad te Bullialdus ea de re conſcripſit, ſic miſit ad me, ut ſis jam cum hac illam acceptutus. Deinde, cum dolenda mihi, tibique jactura antiquorum Commentariorum, non poſſim tibi proferre plura, quæ habui aliàs circa Mercurium; ſaltem excerptum duplex adiicio ex quibuſdam litteris meis, quarum exemplum abs ſe aſſervatum idem Luillerius unà tranſmiſit. Unum eſt circa tranſitum Mercurii præter Solem factum ante menſeis tredecim; alterum circa conjunctionem Mercurii cum Venere ante menſeis non amplius decem. Ne moror, en excerptum prius ex epiſtula, quam Pariſiis Romam ad Naudæum ſcripſi v. Eidus Maii, anno M.DC.XXXII. Nihil neceſſe eſt ad ea reſpondere, quæ per te de viſo in Sole Mercurio Scheinerus requiſierat, cum pervidiſſe jam omnia debeat ex miſſo excuſo, &c. *Ut in epiſtola.*

En excerptum poſterios ex epiſtola, quam Pariſiis Amſterodamum ad Gulielmum Cæſium Kalendis Octobribus ſcripſi. Cum hoc ipſu anno 1632. & die Julii 29. ſub horam quintam matutinam expergeſactus, in Auroram reſpectarem, Venerem in ea coruſcantem vidi, &c. *Ut in epiſtola.* Verum hactenos de Mercurio. Addo, quod obſervare licuit ex Eclipſi nupera Solis; quandoquidem verò tempore Eclipſeos macula eſt viſa in Sole inſignis, ideo deſcribo ex Commentariis quidquid adnotatum comperio totis diebus duodecim, quibus macula Solem occupavit. Series ergo ita ſe habet.

Die prima Aprilis hujus nempe anni 1633. priuſquam Aurora multum inclareſceret, cepi diſtantiam inter, &c. *Ut in Commentariis, uſque ad diem 13. incluſive.*

Hucuſque de Eclipſi Solis, & obſervationibus, quæ circumſtiterunt illam. An aliquid etiam adiiciam de Eclipſi nupera Lunæ, ſeu ea, quæ contigit ſub finem ſuperioris anni. Puderet, quando nihil certum, nihil dignum præſtare licuit, ſed quidni etiam totum perſcribam homini amico, & ingenuo, cum agniturus exinde ſit, non voluntatem, ſed facultatem agendi quid melius defuiſſe. Igitur in huoc ſe res habet modum.

Anno Chriſti currente 1632. menſe Octobri, die 27. ſtylo novo, veſperi, Lugduni in Gallia. Deſtinaram animo adeſſe in hac civitate, &c. *Ut in Commentariis.* Et iſtud quidem de ea Eclipſi attexo. Tandem quod præſtare circa occultatam a Luna Stellulam Caodæ Arietis potui. Rem ſic expreſſam habeo.

Anno Chriſti 1633. & menſis Februarii die 24. veſperi, Diniæ; idque ad Sacellum Divi Lazari, non procul ab urbe remotum, verſus Africum, &c. *Ut in Commentariis.* Et tantum de hac occultatione.

Hæc abſolvebam Aquis-Sextiis, conſignaturus litteras noſtro illi Fabricio, ut tranſmitti ad te curaret, cum in ipſo pæne diſceſſu litteras accepi ex Hollandia unà cum Diſſertatione perdocti illius, & maximæ ſpei Juvenis Martini Hortenſii, circa viſum mihi in Sole Mercurium. Subiit etiam cogitatio apparitionis Mercurii, quam Kepleriana Ephemeris intra menſem pollicеretur. Hæc ergo fuit cauſa, cur mecum aſſumpſerim, detulerimque, non Diſſertationem

modo,

modo, quam ille videre ardebat (habet nunc illam præ manibus, ſeu etiam quidquid heic ad te ſcripſi) tum ut viderem, num Diſſertatio ſuaderet quidpiam adiiciendum; tum ut expectarem, num poſſem aliquid ſubnectere de memorata apparitione. Ac de ipſa Diſſertatione, quando tu haud-dubie illam perſpexiſti, nihil, quod dicam habeo; niſi quod ſentio ejus auctorem me ſummopere devinxiſſe, teſtatumque fuiſſe candorem, ſolertiam, & ſagacitatem inſignem. De apparitione Mercurii hoc ſolum habeo, quod fuerit nulla. Quæſo verò nihil cauſeris, quod non maturius ſignificarim, litteraſque has ad te miſerim; ſiquidem excuſatum me facere debent occupationes plures, majoreſque, quam dicere liceat. Nunc etiam mihi vim aliquam, negotiiſque facio, cum tibi non ex ipſa urbe, ſed ex diſſito oppidulo ſcribo, in quod meus me Præſul evocavit, ſed nimirum jam pudore ſuffuſus, quæſitum miſi tum has ipſas, quas abſolverem litteras, tum quaternionem Commentariorum, quo continentur obſervationes tempore illo Mercurii fruſtra expectati peractæ. Ipſas ſcilicet, ὡς δεύτερον τόκον, ſeu, ſi malis, quaſi mulctam, pœnamque procraſtinationis debui tibi perſolvere. Itaque ſic illas deſcribo.

Die 19. Junii [ſcilicet hujus ejuſdem anni 1633.] veſperi, idque Diniæ; cum totis diebus antecedentibus nubes Venerem eripuiſſent, cujus ſtationem, &c. *Ut in Commentariis.*

Mi Schickarde, hoc adhuc unum. Cum deſtinaſſet Præſul meus me in hoc ſuo temperatioris aëris oppidulo totis iis diebus detinere, quibus æſtus foret in urbe quaſi intolerabilis, juſſi afferri ecce radium, quo ſtationem tum ♀, tum ♄ obſervitarem. Quia ergo, niſi circa ♄, attamen circa ♀ res non male prorſus ſucceſſit, ideo non piget extremam manum non appoſuiſſe epiſtolæ; donec poſſem hanc quoque tibi obſervationem elargiri. Vides, ut illi ſim ſimilis, qui viridarium ingreſſus, ita flores colligit, ut aliis, aliiſque elegantioribus viſis ſubinde ſuccedentibus, quem extremum carpat, non habet; ſed tollam tamen denique manum. Quod ad hanc rem ſpectat, ſic *in Commentariis.*

Die menſis Julii 29. ſcilicet hujus ejuſdem anni 1633. Tanarone, quod oppidulum eſt ſitum Diniæ ad Boream, diſſitumque duabus leucis, ita ut, &c. *Ut in Commentariis, ad uſque diem Auguſti* 13. *incluſive.*

Hucuſque progreſſus pedem ſiſto, quando & cras hinc diſcedendum; & vereor, ne enim ſuccedant, quæ hiſce cœleſtibus obſtent. Conſtitueram ad paucos adhuc aliquot expectare dies, donec Saturni directio ſenſibilis facta obſervanti foret; verum adnotato utcumque per hoſce dies illius ſitu, enitar poſt circiter menſem talem obſervare, qui collatus cum eo, qui fuit a me ante menſem obſervatus tempore ſtationis Planetæ prodat. Hinc, cum jam mihi non liceat; potero tamen aliàs quidquid id rei communicare [ac ſi præſertim deſideres] unà cum ſtatione priore, ad quam habendam Februarii finem, & Martium menſem totum conſumpſi; nec verò multum expectarem; ſed nunc quoque obſervationes tunc habitas deſcriberem; ſed quia debet hoc veſpere diſcedere Diniam, qui litteras craſtina luce deferat Aquas-Sextias, idcirco ſuperſedeo. Attexo ſolum compendioſiorem (quod illa grata futura ſit) habitam in bruma de Stella Polari. Ea ſic habet.

Anno 1632. ac menſe Decembri, Diniæ, cum adeſſet tempus, quo per eaſdem noctes, &c. *Ut in Commentariis.*

Sequitur quidem in Commentariis longa meridianarum Solis altitudinum ſeries; verum occaſione alia deſcribetur; cum ſufficere jam debeat brumalem Solis altitudinem exiſtere Diniæ grad. 22. min. 26. $\frac{1}{2}$ Atque idcirco ſuppoſitis Tychonis parallaxibus, cum maxima declinatione reſtringi nobis Solem in ea altitudine quatuor minutis amplius, quam in Danico Horizonte.

Atque heic tandem modus eſto. Jam enim videor conſcripſiſſe non epiſtulam, ſed librum; non opus quoddam elegans, ſed centonem valde diſſutum. Verum memini te eſſe Schickardum, qui cum ſis amantiſſimus ſimpliciſſimæ veritatis, jucundum habeas conſcribi res prout ſe offerunt, habentque. Hac certe de cauſa non ſelectas mitto, quas bonas duntaxat obſervationes exiſtimo; omneis potius tibi obtrudo, ne vel aliquo præjudicio veritati officiam, vel prætermittam aliquid, quod cognoſcere potiſſimum velis. Alius quiſpiam poſſet hanc meam ſimplicitatem deridere; ſed prætulerim delirus videri, quam immeritam exigere fidem. Sunto obſervationes imperfectæ; ego perfectas non jactito. Profero ejuſmodi ſunt, ut ſi quis uſurpare volet, debitas cautiones adhibeat. Hinc, quantum poſſum, non ſingulareis, ſed repetitas, & dierum plurium obſervationes habere ſtudeo, ut aliæ aliis corrigant, & ex collatis omnibus certi aliquid depromatur. Utinam verò quotquot nobis obſervationes reliquerunt. & hiſtoriam, & tam errores, quam rite geſta tranſmiſiſſent? Scilicet jam expenderemus quo tandem modo forent accipienda, quæ nobis negotium faceſſunt, quod ipſi illa nimis præciſa, nimiſque indubia haberi affectaverint. Cum enim dicunt, exempli gratiâ, ſe Planetam obſervaſſe in tali longitudinis, latitudiniſve loco; ſi [ut inſtrumenta, & modum obſervandi præteream] adderent ſaltem diſtantiam a Fixis, liceret poſtmodum correctis Fixarum, cum locis, tum diſtantiis, examen inſtituere, & fortaſſis ad veriorem loci obſervati cognitionem pervenire. Quin adduci quoque nunquam potui, ut ſeu Keplero, ſeu Tychonis hæredibus parcerem, qui hactenus nobis inviderunt ſeriem, atque hiſtoriam tot illuſtrium obſervationum? An ſupprimendæ enim ſunt omnes, vel maxima illarum pars, quod plures, ut puto, non cohæreant hypotheſibus aſſumptis? An poteſt Viros ingenuos veritatis ſuppudere, & non Ariſtoteles illud veriſſime protulit: Βέλτιον ὡς ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας, ϗ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν; an non errata ſaltem proſunt, ut prudentiores, qui in idem incubuerint, evadant? Ne fieri poſſe memorem, ut quæ erronea exiſtimantur ob præjudicium aliquod, aut prodantur legitima, ex aliis ſuppoſitis; & inducant in ſuſpicionem, quæ immerito habentur indubia; aut animus adiiciant ad melius quidpiam comminiſcendum.

Sed ne longius abripiar, ſupereſt tibi ſalutem dicam nomine nobilis illius, cujus ſæpius mentionem feci, Nicolai Fabricii, qui eſt, & Petriſci Toparcha, & in ſuprema Aquenſi Curia illuſtris. Is, cum ſit univerſo Orbi litteratorum notiſſimus, ignotus tibi eſſe non poteſt. Non poteſt certe multa de illo non commemoraſſe tibi eruditus Holſtenius, cujus ad ipſum litteras nominis tui pleniſſimas vidi. Is eſt, qui magna ſemper cura adjutandis omnibus ſtudioſis ſic invigilat, ut forte etiam ſtudiis tuis ſuppeditare auxilia poſſit. Quam multos enim codices, putas,

non

non modo ex tota Europa, ſed ex toto etiam Oriente, & detegit, & comparat, quos maxima elacritate eruditis Viris ſtatim impertiatur? Vide igitur ſi quid inſtitutis, ceptisque tuis conſerre valeat. Etenim ſic eſt ergate, & virtutem tuam animatus, ut gloriæ, felicitatique habiturus maximæ ſit, ſi teſtatum tibi occaſione quadam non prorſus ingrata fecerit affectum. Vale ſemper, ama me ſemper, & amicum Lanzium ſemper reſaluta. Tanarone Eid. Auguſti, anno M. DC. XXXIII.

Viro eximio, & amico ſingulari Martino Hortenſio Delſenſi Mathematico ſolertiſſimo

PETRUS GASSENDUS S.

Quanam ratione tecum agam, Hortenſi humaniſſime, qui me inſcium, & immerentem tanto ſavore es proſequutus? Sane & imparem me ſentio, qui dignas grates unquam perſolvam, quando tu ſtatim tantam in me effudiſti benevolentiam, ut me prorſus obrueris; & cum gratitudinis ergo me totum repoſuero, eo ſaltem nomine concedam, quod tu me devinxeris prior. Verum ipſe tu, aut adeo in me non debuiſti eſſe profuſus, aut temperare magis tibi, ſi ſperaſti, ut quidpiam æquum meritis tuis rependerem. Ego aut ſilentio teſtari inexplicabilem affectum in te conceptum debeo, aut ſi præterea exigis voces, raucidulum quidpiam ſolum muſſitare. Eſto proinde hac qualicumque ſignificatione contentus, & quod deeſt, ſenſum, ac memoriam tui vigere in pectore ſcito. Atque hæc quidem præmoneo, ut intelligas me non ſolum in communem, quam & ſcripto publico, & privatis literis exoptaſti, conſpirare amicitiam, ſed honori etiam ſummo ducere, feliciſſimæque adſcribere ſorti, quod eo tantus Vir me ultro ambire pro immenſa tua humanitate volueris. Niſi verò officiis, obſequiiſque meis tuæ de me expectationi abunde ſatis reſpondero, non defectum voluntatis erga te propenſiſſimæ, ſed imbecillitatem virium, quam ſatis ſentio, incuſato.

Ad Diſſertationem tuam ut veniam, affectum in primis accipio, quo me ſpecioſis nominibus exornando vix finem facis; ſed bona tua cum venia nomina ipſa reſpuo, ut quæ ſupellectili curtæ conſentanea non agnoſcam. Ἄνθρακες ἡμῶν ὁ θησαυρὸς, ut veteri Parœmia dicam. Tu verò noſtra ſic accipis, quaſi ſint cujuſdam momenti. Si me amas, ſic mecum age, ut cum eo, cui nihil eſt ſimplicitate antiquius, & quem moderata etiam commendatio puellari pæne rubore ſuffundit. Iſti potius tituli te, ſimileſque tui ſummos Viros decent; mihi ſatis, ſuperque eſt, ſi amicus nominer tuus, quod ero ſane in poſterum. Deinde, quod rem ipſam ſpectat, ea ſolertia, eoque judicio conſcripta omnia deprehendo, ut concedam plane in tuam ſententiam. Neque id ſolum dico in iis, in quibus te amicum nimis approbatorem habeo; verum in iis maxime, in quibus te candidiſſimum cenſorem experior. Certe quæ commendas eatenus placent, quatenus tibi non diſplicent; at quæ reprehendis ideo grata ſunt, quod & agnoſco ſinceritatem, & ſanius quidpiam edoceor, quam eſſem ante pæne perſuaſus. Quantumcumque enim ſic affici ſtudeo, ut experimenta admittens ratiociniis ſemper diffidam, & a ferendo judicio de aliqua re continentiſſimus ſim; me tamen tangit ſpecies quædam veriſimilitudinis; adeo ut verbis communibus utens illius aſſertor aliquando videar. Enim-verò nulla eſt unquam veriſimilitudo tam potens, quæ me ſic faciat indubium, ut non ſim paratiſſimus ad amplectendum præclariorem. Hinc tantum abeſt, ut indigner, ſi quis me minus probabilem amplexum ſententiam demonſtret, quin illum potius ut Præceptorem, ac velut bonæ mentis parentem agnoſco, & exoſculor. Quin etiam vix audeo contradicere, & cum pudore quodam id ſcio, cum aliqua ſupereſt defenſionis anſa, ac ſpes; veritus ne, aut libertatem, qua amici in me utuntur, animo haud æquo accipere videar; aut pertinacem animum faciam, quem mihi-met propoſui, & liberrimum, & ad omnia ἀδιάφορον poſſidere.

Quam putas proinde tibi multum debeo, qui conſcriptam a me ſententiam de aëre quodam cœleſtibus globis circumfuſo ſic excuſſiſti, ut me ſtatim induxeris in longe veroſimiliorem. Tametſi enim adhuc puto probabile admodum, eſſe regionem quandam, velut aërem, ex propriis, ſeu vaporibus, ſeu exhalationibus, contextam cuivis globo circumreſpergi; eviciſti tamen, ut illam non jam tantam exiſtimem, quæ tantum Orbem lucis ſpuriæ globo concluſo circumponat. Experimenta tua illuſtria, & præclara prorſus ratiocinia; hoc addo, debuiſſe me ſane diligentius attendere, num ſervaretur proportio quædam inter aërem, & circumdatum illo globum. An enim licet Tellus noſtra aëre ſuo circumamiciatur, illum tamen ad eam effuſum altitudinem poſſidet, ut illuſtrata lumine Solis, & conſpecta eminus incrementum lucis accipiat, quod vel ex Luna in ſenſum cadat? Et verò quæ aliis globis affingitur lux, ea innumeris prope vicibus molecolas illorum excedit. Quod ad igneis nocturnos ſpectas, efficis quoque ut priorem deponam ſententiam; nam & cauſa quoque germana, cur tantundem amplificentur, ea videtur eſſe, quam ipſe aſſignas, neque valde obſtat, quod conjeceram ex Iridibus, areolis-ve lucernarum. Quo loco non poſſum ſatis commendare, quam commemoras Beeckmanni noſtri ſolertiam; ſed ille nempe non ſemper ſui ſimillimus eſſe non poteſt. Ac ipſe quidem epiſtolâ jam ad Schickardum miſsâ, & typis mandatâ, cum neſcio quid meditarer, aliquid affine commentatus fueram; ſed ne excuſare me videar, uberiorem rei conſiderationem, te admonente, aggreſſus ſum, & ut ſe haberet penitius inſpexi. Et profecto res fuerat digna majore quadam attentione; cum quid præſertim diſquirerem de contextura oculi, de lucis proprietatibus, de ſimulacris corporum, de viſionis denique modo.

Miratus ſum præterea indefeſſum ſtudium, & ſagacitatem, qua venatus es apparentem Syderum magnitudinem; ac cum ſuſpexi candorem tuum in dimitienda illico receptiſſima opinione; tum gratulatus mihi ſum, qui obſervatione mea calcar tibi addiderim ad id moliendum, quod Poſteri non poterunt non amplexari. Poterit quidpiam adiici, detrahive in tantis minutiis præ obſervandi difficultate; in deſignanda quantitate vera corporum cœleſtium aliquid fortaſſis immutabitur circa ſuppoſitam abs te illorum a Terra diſtantiam; ſed hoc opus, hic labor erit inſtrumentis magis idoneis conquirere omnia, aut ea, quæ præſcribis revincere, aut iis tutiora

præ-

Digitized by Google


præſtara. Quando porrò dictam diſtantiam ex Senis laudatiſſimi Lansbergii præſcriptis proponis, venit in memoriam, quod nuper, cum forem Aquis-Sextiis, colloquuti de iis ſimul cum præclaro illo Viro, & vetere meo amico Juſepho Galterio. Rem verò, ut opinor, tibi [imo & Seni optimo] gratam faciam, ſi id in hunc locum inſeruero. Ergo cum ipſe commendarem Lansbergianum illud inventum circa dimenſionem, diſtantiamque Terræ, & duorum Luminarium, ac diagramma collaudarem, quod habetur & in Prolegomenis, & in libro ſecundo Uranometriæ; Galterius quoque commendavit, collaudavitque demonſtrationem, quæ ceterorum Artificum ratiocinationes erroris arguuntur. Verum adjecit ſe conſiderare in exquiſita inſtauratione, quod eſt a ſagaci Viro prætermiſſum; ut nempe ſemidiametri cùm Solis, tum Terræ aſſumptæ forent, quæ terminantur ad veros contactus lineæ ex apice umbræ in globos extremos directæ, atque non ex centro ipſo Terræ, ſed ex ſuperficie ducta foret linea in contactum cum globo ☉, quod inde, non illinc obſervetur Solis ſemi-diameter apparans. Quamvis enim Lansbergius parum intereſſe interdum inſinuet [quæ mea erat reſponſio] totum id parum intereſſe ob ingentem Solis a Terra diſtantiam, & res tamen non videtur [inſiſtebat ille] fuiſſe negligenda, quantumcunque ſit momenti exigui; & quia hæc deinde ſtabilitur ſcala dimetiendis ceterorum Syderum diſtantiis, & magnitudinibus, excreſcere admodum poteſt, qui in hoc negotio admittitur errorculus. Atque ut ſimul adiiciam, quam ille demonſtrationem Ptolemæo ſuo inſeruerat ante annos quindecim (ac nuper etiam exemplo Uranometriæ Lansbergianæ a me Pariſiis ad ipſum tranſmiſſæ) libris prolatis ſtatim oſtendit. Res ecce in hunc ſeſe modum, quantum me juvat memoria, habet.

Suppoſito diagrammate, ejuſdemque explicatione, prout eſt apud Lansbergium, addantur ſolum lineæ *A N*, & *B O* cadentes normaliter in puncta contactus lineæ *D E*, itemque linea *P Q*, quæ poſt contactum in *Q* ſecet lineam *D E* in *R*, & occurrat lineæ *A E* circa punctum *E*. Denique lineæ *A Q*, & *A R*. Ex his ita ratiocinabimur ad habendam diſtantiam, & magnitudinem Solis, idemque proportione erit intelligendum de Luna.

Primo angulus *D* ita innoteſcet. Triangulum *B C I*, rectangulum eſt, danturque præter angulum *C B I*, latus *B C*, dabitur ergo linea *B I*. Similiter triangulum *B O I*, rectangulum eſt, danturque in eo latera *B O*, & *B I*, dabitur ergo angulus *O B I*. Huic addatur angulus *C B I* fiet angulus *C B O*, qui ſi auferatur ex recto *G B G* reſtabit *G B O*. Porrò angulo *G B O*, æqualis eſt angulus *B D G* [ſeu quæſitus angulus *D*] propter rectangula, & communem angulum ad *G*.

Secundo linea *P R* ita pateſiet. Trianguli rectanguli *O B D*, notum eſt præter angulos, latus *B O*; ergo innoteſcet etiam latus *D B*, cui ſi addatur *B P* fiet *D P* unum ex lateribus trianguli *D P R*, cujus quia præterea noſcuntur omnes anguli, propter notum exteriorem *A P Q*, nempe apparentis ſemi-diametri *A Q*, itemque interiorem *D*, idcirco non poterit ignorari latus *P R*.

Tertio angulus *R A P* ita colligitur. Angulus *E A N* æqualis eſt angulo *A D E* propter rectangula, & communem angulum ad *E*; ſcilicet *D N* produci concepta uſque ad concurſum lineæ *A E*. Similiter angulus *E A Q* æqualis eſt angulo *A P Q*, vel *A P E* propter rectangula, & communem angulum ad *E*. Ex *E A Q* auferatur *E A N*, remanebit angulus *N A Q*. Hunc bipartitur linea *A R*, utpote ſubtenſa communis rectangulorum, quorum aliunde baſes *A N*, & *A Q* ſunt æquales ſemi-diametri. Igitur ſi dimidium *N A Q*, utpote *N A R*, angulus addatur angulo *E A N*, producetur angulus *E A R*, cujus complementum ad quadrantem eſt angulus quæſitus *R A P*.



Quarto proinde latus *P A*, ſeu diſtantia Solis a ſuperficie Terræ ex eo dabitur, quod in triangulo *A R P* dentur omnes anguli cum latere *P R*, addendaque ſolum eſt ſemi-diameter *P B*, ut producatur vera Solis a centro Terræ diſtantia.

Quinto item ſemidiameter Solis *A Q* non dari non poterit, quod in rectangulo *A Q P* dentur omnes anguli cum latere *A P*. Atque ita quidem, aut prope Galterius.

Ut ad exilitatem Stellarum, cum Errantium, tum Fixarum redeam, video primum quibus momentis clariſs. noſtri amici Schickardi rationes deiicias, ut obſervatam a me quantitatem Mercurii non eſſe augendam propter opticas fallacias demonſtres. Ipſe certe aliquid etiam, quod reſponderetur, meditatus fueram; ſed tu reliquum nihil facis; exiſtimoque præclarum Virum, poſtquam reſponſionem attenderit tuam, ambas tibi daturum manus. Deinde tibi gaudeo, quod te eædem propemodum cogitationes ſubierint, quæ Virum illum nulli ævo unquam tacendum Galileum. Is cum primum legit deprehenſam a me exilitatem ☿ litteris datis ſignificavit perſuaſum ſe jampridem fuiſſe, Mercurium, ceteraſque Stellas eſſe magnitudinis incredibiliter minoris, quam vulgo habeantur, aut appareant; neque id viſurum in libro, cujus prœlo jam commendati erat exemplum ſtatim miſſurus. Stetit promiſſis optimus Senex, ac medio nupero Januario litteras ecce alias ad me, & ad communem noſtrum Eliam Diodatum, conſcriptas, quibus editionem ſuppreſſam, & ſe Romam citatum monet, *Sancto*, ut vocant, *Officio*, libri rationem redditurum. Profectus ille Romam eſt, ac neſcio quid jam cum illo agatur. Hoc perſuaſum prope habeo, nullum

ad vos uſque perveniſſe libri exemplum, neque ſpem ſupereſſe magnam, ut brevi perveniat. Quamobrem exſcribam heic tibi paginam unam, aut alteram, in qua agitur de exilitate Stellarum, ut videas qua ratione illam ſummus Vir obtinuerit. Exſcribam verò Italice, ut liber ille conſcriptus eſt, quando te etiam Italice intelligere ex eo colligo, quod ejuſdem Auctoris librum de maculis Solaribus citas, qui etiam Italicus eſt. Continet liber Dialogos quatuor, circa duo ſyſtemata, Ptolemaicum, & Copernicanum. Itaque quarto Dialogo, & pagina quidem libri 393. Colloquutores *Sagredus*, & *Salviatus* ſic proſequuntur:

Sagr. *L'error dunque di coſtoro conſiſte*, *&c.* ad uſque illud: *Veggo*, *&c.* Porrò & quando poſtremis illis litteris nuperi Januarii, in quibus ſuam de exilitate ♀, & ☿ repetit ſententiam, continetur inſignis quædam ratiocinatio vice reſponſionis ad ea, quæ ex ſacra Scriptura obiici ſolent Copernicanis; jucundiſſimum habebis, ſat ſcio, ſi id quoque deſcripſero. Id nempe reſcripſi occaſione tum Antariſtarchi, tum famoſi Problematis, quos libros noſti recens conſcriptos ad ſiſtendum motum Telluris. Inter cetera ergo hæc habentur:

Quanto al N. che par ſi manſtra huomo di grande ingegno, *&c.* ad uſque illud, *alla moltitudine popolare*. Sic ille.

Menſes duo ſunt, mi Hortenſi, ex quo huc uſque proceſſeram. Scilicet nolebam ſegnis apparere in ſignificando tibi affectu gratitudinis; ſed jam volens nolens appareo, & niſi tua bonitas lentorem hunc meum excuſet, ab'ero inexcuſatus. Hoc tamen dicam ingenue. Cum haberem tum quoque ceptam ad Schickardum reſponſionem, in qua multæ rerum cœleſtium obſervationes continerentur, cogitatio ſubiit, eaſdem quoque tibi exituras gratiſſimas, quod aliquas potiſſimum pervidere deſideraſſes. Factum ergo eſt, ut dum illas communicare differo, quouſque meæ ad Schickardum litteræ forent abſolutæ, totum hoc tempus elapſum ſit. Enim verò quid putas jam concluſis litteris contingit? Succedunt ecce occupationes totius cum Præſule meo viſitandæ Diœceſeos, quæ me prohibent, ut (quod ſummis votis expetieram) allaborem tibi. Verum id cepi conſilium, ut quando jam deſtituor Amanuenſi idoneo, ſcribam Pariſios ad meum Luillerium, ut confici curet exemplum hujuſmodi obſervationum, priuſquam Tubingam illas deſtinet, ac deinceps id exemplum cum hac ipſa epiſtola ad te in Hollandiam tranſmittat. Quod ſi forte etiam procuret, quæ obſervationibus interſeruntur deſcribi, atque adeo, quod ſatius erit, integram epiſtolam, tum id erit mihi in lucro, ut cauſæ tibi innoteſcant retardatarum litterarum. Hinc quia velim, ut eadem, vel plurime, vel etiam omnia tibi dicta exiſtimes, haud ero hac vice prolixior. Finio igitur apprecatus tibi, & longos, & ſalubreis annos magno bonarum artium bono. Addo ſalutem, quam exopto ut meo dicas nomine, & optimo Lansbergio, & amicis cariſſimis Golio, ac Beeckmanno. Vale. Scribebam Tanarone oppido Diniéſis Diœceſeos, Eidibus Augusti M. DC. XXXIII.

Et nobili, & docto Viro Petro Franciſco Tonduto San-legerio Jurium Doctori

PETRUS GASSENDUS S.

Longa jam mora, Vir eximie, ex quo debui reſcribere, ſed purget illam bonitas tua, cui excuſatio nulla eſt ſatis. Id non merebar, ut me tuis præoccupares litteris; mereor jam, ut mihi etiam ex dilata tamdiu reſponſione iraſcaris. Verum qui fuiſti tam humanus, ut prior ſcribendo me ſuperior extiteris, eſto jam humaniſſimus ut condonando negligentiam te ipſo ſuperior evadas. Ceterum delectavit me, quod obſervare tibi licuerit nuperæ Solaris Eclipſeos initium. Non licuit nobis in hac urbe circa id momentum tam eſſe beatis; at licuit tamen tum circa finem, qui obſervatus eſt nobis hora 5. min. 45. tum circa Phaſeis alias, tibi, ut ſcribis, jam perſpectas, ex quibus collegimus contigiſſe medium Eclipſeos hora 4. min. 42. ½ adeo proinde ut emerſio fuerit horæ onius min. ½. Quia verò, ſi incidentiæ tantundem tribuerimus, debet nobis eveniſſe Eclipſeos initium hora 3. min. 40 quod obſervatum tibi Avenione eſt hora 3. min. 29. evadet ſane æquo major inter duas haſce orbeis differentia longitudinis, 9. utpote minutorum. Sed ſuperarit, ut oportuit, emerſio incidentiam paucis minutis aliquot, eaque aſtumantur quinque; tum non male elicietur, quam veram conicio differentiam, minutorum proxime ſex. Siquidem hinc ad vos ſunt leucæ provinciales 23. quæ ſatis præciſe uni gradui magni circuli æquipollent. Et quoniam aliunde conjector latitudinem Avenionis vix tantundem abeſſe a quadrageſimo quarto gradu, quantum Dinia ſuperat eundem, minutis nempe quinque, aut ſex, exinde ratiocinor reſpondere ex Æquatore diſtantiæ hujuſcemodi gradum unum cum dimidio, aut certe quam-proxime; atque adeo intereſſe nos inter, & vos, minuta, ut dixi, temporaria ſex. En porrò cur lætari debeas, detrahi mihi quinque minuta circa incidentiam, mira conſonantia cum obſervatione ejuſdem initii peracta Pariſiis. Nempe ad me perſcriptum eſt, id accidiſſe Pariſiis alto adhuc Sole grad. 31. min 27. hoc eſt, hora 3. min. 18. Et quoniam inde ad horam 3. min. 40. deſunt min. 22. fit, ut detractis quinque minutis ſuperſint 17. quanta eſt aliàs a me conſcripta longitudinis differentia Pariſios inter, & Diniam. Quippe Pariſii, & Aquæ-Sextiæ ex obſervata utrobique eadem Lunari Eclipſi anno 1628. quatuordecim diſſident minutis; Aquæ-Sextiæ verò, & Dinia ex certis ratiociniis, minutis quam-proxime tribus. Et nonnullæ quidem cautiones adhibendæ præterea ſunt, ob inæqualem Pariſiis, nobiſque factam durationem; ac præſertim quia finis obſervatus Pariſiis eſt, elevato adhuc Sole grad. 12. min. 6. cum dimidio, hoc eſt hora quinta min. 23. differentia plane, ut prius, minutorum 22. Sed utcumque ſit, non male opinor, quis aſſumpſerit longitudinis differentiam min. 21. aut 22. Pariſios inter, & Avenionem. Habes quid inde colligi circa pauca hæc loca poſſit. Plura nanciſci non licuit; adeo vel Cœlum non arriſit, ut in Belgio, vel communicatio eſt interturbata, ut ex ſuperiore Germania vel pauci nimis ſpectarunt Cœlum, ut ubique fere gentium. Hinc doles non immerito, non eſſe, qui ſtudeant remediis longitudinum reſtituendarum; niſi enim variis in locis obſervetur tempore eodem Luna, aut deficiens, aut

Solem

Solem obſcurans, aut Fixam aliquam vel tegens, vel prætermeans. Spes magna non eſt, ut res perficiatur. Et fecit quidem Snellius, quod potuit in Batavis ſuis Eratoſthene, ac Typhi, plura facturus, ut perſcripſerat, niſi mors vota prævenisset. Facit jam etiam Schickardus ille, cui debitura plurimum, ſi cuiquam alii, eſt Geographia. Facturum quoque ſe pollicetur tuus ille, ac meus Morinus, qui inventi longitudinum etiam in Mari medio inveniendarum arcani præſtolatur præmia; ſed vereor, nec forte injuria, ut rei curtæ quid ſemper deſit, ac ſuperſit, quod addere ſeri nepotes perpetuo poſſint. Tu bene vale, præclare Vir, ac ſcito me ducere tanti tuam benevolentiam, eumque honorem, quo dignari, imo beare voluiſti me, ut quod pluris ducam, ſit nihil. Dare litteras ad te poſſem aliis occaſionibus, ſed præſtat illas committero eximio noſtro Petriſcio, quando ipſe eſt, per quem tuas procuraſti ad me tranſmitti. Vale iterum. Diniæ Nonis ipſis Decembribus, anno M. DC. XXXIII.

Præclaro Viro, & amico eximio Willelmo Schickardo, Profeſſori linguæ Hebrææ, & Aſtronomiæ celeberrimo in Academia Tubingenſi

PETRUS GASSENDUS S.

SCripſi ad te menſe Auguſto effuſiſſimas litteras. An eæ ad te pervenerint, aut incolumem in tantis Germaniæ cladibus offenderint, quid exoptem habeo, quid ſuadeat non habeo. Utcunque ſit tamen, ea mihi mens fuit, ut in magna farragine obſervationum bene multarum, eas præſertim circa ♀ occupatas acciperes, quas ipſe circa ♀ menſibus Januario, & Majo ſuperioribus peregiſſem. Nunc, cum cognoſcam ex noperarum Nundinarum Catalogo, opus illud tuum nondum fuiſſe abſolutum, prodituramque non prius eſſe, quam Vernalibus Nundinis, ea propter id conſilii capio, ut mature mittam quidquid obſervare circa ☿ licuit, tum matutinum menſe Octobri, tum veſpertinum hiſce diebus. Nempe hinc quoque adjutari, quantum conjicio, poteris, niſi editio operis extremam acceperit manum. Certe quod hac poſtrema vice ad refractiones attenderim, ſine quibus vix unquam eſt obſervatus ☿, eris opinor, cur ſuave ducas, poſſe exinde non modo meas, ſed fortaſſis quoque aliorum obſervationes rectificari. Et ſpero quidem, hunc Planetam uno adhuc, aut altero mihi conſpectum iri die; ſed ne occaſionem amici, qui eſt poſt triduum diſceſſurus ad Fabricium noſtrum, miſſam faciam, occipio interea meo more ex Commentariis exſcribere, quæ in illos dietim conjicio. Duco porrò initium ex eo uſque tempore, quo ſum prædicto menſe Octobri inſidiatus ☿. Tu conſule boni, ut cetera omnia.

Die 15. Octobris anni 1633. ſtylo novo, mane Cœlo pulcherrimo, ab initio uſque Auroræ, &c. *Ut in Commentariis ad diem uſque Januarii 12. incluſive ad illa uſque verba,* ☿ *vale dixerit.*

Hucuſque exſcribo, optime Schickarde, quæ in Commentarios conjeci ad ſuperiorem uſque veſperam. Non conſignabo litteras, niſi die proximo ante lucem; addam proinde velut poſt-ſcripto, ſi quid fortaſſis hoc veſpere obſervare fuerit conceſſum. Niſi fecero, ut nihil boni perſeverans aëris conſtitutio pollicetur, ſcito nihil fore obſervatum, neque plura eſſe ex me circa hanc ☿ apparitionem expectanda. Quæ mitto, ea non erunt quidem adeo accurata, ut expeteres; verumtamen tu ſic accipies, ut affectum ſaltem, & conatum probes. Si quid præſtem in poſterum, quod ſit oculis tuis dignius, noſti, opinor, me eum eſſe, quem livor nullus afficiat. Invigilabo potiſſimum circa Eclipſin ☾ futuram proximo menſe Martio. Accipies brevi quidquid conari circa illam potuero: Ita ſit nobis Cœlum propitium. De Solari præterita miſi ad te, non modo meam, ſed impetratas etiam amicorum obſervationes. Quam jam adjiciam, una eſt, nempe illam Petrus Franciſcus Tondutus San-legerius J.C. Avenionenſis communicavit mecum datis Septembri menſe litteris: Scripſit verò ſe obſervaſſe Eclipſeos initium Avenione, die nuperi Aprilis octava, hora 3. min. 29. Sole ſcilicet adhuc alto ſupra Horizontem grad. 31. $\frac{1}{2}$ nihil adſcripſit aliud. Ut verò ego quidpiam mearum circa ſitum illius urbis conjecturarum attexam, opinor ipſius latitudinem eſſe grad. 43. min. 54. nimirum min. 16. ampliorem, quam Arelatenſem habeam; differentiamque longitudinis ejuſdem ab hac noſtra urbe eſſe unius gradus cum ſemiſſe, ſeu temporariorum minutorum ſex: Sunt nempe hinc illuc 23. leucæ, qualium totidem unum gradum circuli magni complere ſolent. Sed jam tandem finio, apprecatus tibi, ut novum, ſic felicem annum. Precor etiam, ut Lanzium ſemper meo ſalutes nomine. Deſtinarat Fabricius noſter aliquid ad te mittere, adjuvandorum ſtudiorum cauſa; ſcribo, ut hiſce litteris, ſi forte jam vacet, adjungat. Vale. Scribebam Diniæ, ipſis Januarii Eidibus M. DC. XXXIV.

Clariſſimo, ac æterni nominis Viro Galileo Galilæi, Magni Hetruriæ Ducis Mathematico Primario

PETRUS GASSENDUS S.

MAgna me tenet expectatio, ô magnum ævi noſtri decus, quid rerum tibi contigerit. Tametſi enim rumore crebro neſcio quid divulgatum eſt, haud fido nihilominus, donec res fuerit plane perſpecta. Utcunque ſit, eam eſſe novi animi tui moderationem, ut ſeu pro votis, ſeu præter vota aliquid intervenerit, paratiſſimus fueris ad omnem fortunæ eventum. Eſt mihi proinde quid tibi congaudeam; nihil eſt, quod condoleam, quando nihil poteſt accidiſſe, quod valuerit animi tui ſerenitatem obturbare. Vive ergo ſimilis tui, ut degas feliciſſime; neque putare, ut hanc adeo venerabilem ſenectutem, quæ ſapientia fuit ſemper tibi comes individua, deſtituat. Si quid fortaſſis adverſum te, hoc eſt, adverſus Placita tua Sanctiſſima Sedes definiit, æquo animo acquieſce, uti Virum decet prudentiſſimum; ſatisque eſſe reputa, quod animatus non fueris, niſi in gratiam ſolius ſemper creditæ tibi veritatis. Reſcivi nuper ex Diodato, Berneggerum illum Argentoratenſem latinam tuorum Dialogorum interpretationem moliri. Id forte doleas; ſed tu nihil conſcius, neque impedire ſi velis, eruditorum vota poſſis. Cum nuper litteræ ad me deferrentur Pariſiis, aliæ ad me, aliæ ad te charactere

eodem fuerunt. Et ad me quidem deſtinatæ illius Hortenſii ſunt, qui imitatus Keplerum tuo cum Nunelo differentem, Diſſertationem inſtituit de viſo a me in Sole Mercurio; quæ ad te ſpectant, ejuſdem eſſe, quia ſunt eadem manu, conſcriptæ. Accedit, quod licet in meis nulla fiat illarum mentio; rogas me tamen Hortenſius, ut exemplum tibi impertiar, ſi quod habeam præ manibus Diſſertationis mecum ſuæ. Forte id exoptat, ut inde cognoſcas quam feliciter ex meo Mercurio occaſionem ſumpſeris incidendi in illam tecum, de apparente Syderum exilitate, ſententiam. Gratulatus certe illud ipſi fueram ex ſcriptis etiam, quæ me volueras ex tuis tum libris, tum litteris non ignorare. Mitto igitur ad te librum unà cum ipſius litteris interventu eximii, ac non ignoti tibi Fabricii, qui pridem ſummam virtutem tuam obſervantia maxima colit. An verò auſim tum illius, tum meo etiam nomine id exigere officii abs te, ut cures mitti ad nos vitra teleſcopica optima, & ſi ſperare quidem licet, cujuſmodi ſunt illa tua, quando hactenus nec Venetiis, nec Pariſiis, nec Amſterodamo nancisci ulla potuimus, quæ ſatisfaciant abunde. Audebo ſane, quia nota mihi rara tua bonitas eſt; notus ardor, quo bonas arteis, earumque ſtudioſos promovere curas. Effice igitur rem dignam tua ſollicitudine, ac ſcito, te facturum rem non modo nobis perjucundam, ſed aliis quoque, imo etiam tibi [quantum ſpero] olim futuram pergratam, cum obſervationes innotuerint, quas te procurante, peregerimus, & quæ conſequenter debebuntur tibi, tum generalis inventionis, tum ſpecialis organi nobis communicati, gratia. Poteris porrò, ſeu directe Aquas-Sextias mittere ad illuſtrem Fabricium, qui idem eſt Petriſcei Toparcha, & in Parlamento Regis Conſiliarius, ſeu deſtinare ad eundem, intercedente Cognato tuo, aut Affine Roſſiæo Lugduni degentibus. Vale, incomparabilis Vir, & quod facis, me ſemper ama. Dabam Diniæ XIV. Kalendas Februarii M.DC.XXXIV.

Viro & præclaro, & ſumme amico Martino Hortenſio Delfenſi eximio Mathematico

PETRUS GASSENDUS S.

BReviter reſpondeo, præclare Hortenſi, ut cito reſpondeam. Nempe occaſionem nanciſcor deſtinandi Aquas-Sextias ad noſtrum Fabricium tum quod exemplum Diſſertationis, tum quas voluiſti litteras ad Galilæum tranſmitti. Nec verò agere id poſſum, quin ſcribens ſimul Pariſios, ſchedam hanc ad te, illinc dirigendam, adiiciam. Hoc ſolum autem velim, ut ſcias me & accepiſſe, & gratas habuiſſe poſtremas tuas litteras; ac præſertim quia cognovi meas tibi non diſplicuiſſe. Doleo exemplum litterarum, quas ſimul eodem menſe Auguſto ad Schickardum dederam, nondum perveniſſe ad te; ſed Luillerii mei ea non eſt culpa. Illico enim id fuit peractum, & Merſenno noſtro ab illo commiſſum; ſed quæ eſt Viri bonitas nimia, ipſum credidit neſcio cui videndum; ac deinceps recuperare quam cito voluiſſes, non potuit. Opinor autem, ex quo præſertim litteras tuas habuerit, incubuiſſe illum ſerio, ut tuis, meiſque votis fieret ſatis. Ceterum evenit ante ſeptem dies, ut occaſione ☿ tum menſe Octobri, tum nuper abs me obſervati, litteras alias obſervationum ſimiliter pleniſſimas dederim ad eundem Schickardum. Scripſi verò ſimul Pariſios, ut deſcriberetur illarum exemplum, cujus tibi ſtatim copia fieret, nec pari modo diſtraheretur. Atque id quidem rurſum procuro; non quod eximium aliquid inter obſervata agniturus ſis, ſed quia non poſſum alia ratione meum erga te affectum teſtari. Una me res ſecurum facit, quod bona ſemper fide ago, dum ago quidquid pro otii, loci, organorum conditione licet. Quod deſideras præſertim videre, ſi quid de conjunctione illa ♀. & ☿ ante ſeſqui-annum obſervaverim, ſcito, niſi forte ad te exemplum illud prius perveniat, deſcriptam extare meam obſervationem in quadam epiſtola ad Janſſonium veſtratem illum celebrem Typographum ſcripta, duobus menſibus ex quo fuit peracta. Nempe litteras detulit ad illum, qui ad vos tranſivit laudatus Salmaſius. Poteris itaque ex ipſo obſervationem repetere; neque illam modo, ſed & plureis alias, noſtri potiſſimum Valeſii, quas, hortante nobili Groſio, cum illo tum communicavi. Accepi jam eſſe in itinere, quod ad me Pariſiis mittitur exemplum Lansbergianæ Apologiæ. Perquam lubenter legam illam, etſi amicos impetat; quippe Viros ita complector, ut ad opiniones illorum non tenear. Reſcivi quoque ipſos ſeſe ad reſpondendum accingere; utinam ſic res utrinque agatur, ut de moderatione non minus, quam de re ipſa certetur. Indignum eſt quippe ſapientibus Viris divexare ſe mutuo probris, & ſcommatibus; ac dum conſtantur ſe ſuſcepiſſe veritatis patrocinium, animi imbecillitatem, impotentiamque ſui teſtari. Cognoſcam etiam perlubenter quid tu Bartholino oppoſueris. Non vidi quidem ejus librum, ſed fore ſpero, ut ex tuo genium, ingeniumque illius agnoſcam. Et forte tu quidem Tychonem minutule interdum carpſiſti; verum ipſe quoque lætari deberet, ſi redivivus ſiſteretur, plurimarum rerum abs te monitus, ad quas ſatis non attendiſſet. Cura proinde, mi Hortenſi, ut quidquid ſit de Bartholino, qui, qualis Vir ſit, ignoro, Tychoni ſaltem ſuus honor, quam poterit magnus, ſemper relinquatur. Atlas profecto ille fuit, ipſumque grata recordatione Poſteri omnes proſequentur. Quamobrem danda opera eſt, ne in illum ſic invehare, ut nomen exinde commacules tuum. Deceptus fuerit aliquoties; at quanta dignum commendatione, attigiſſe illum eam præciſionem, quam majores nunquam ſperarant, & tot quidem, tantiſque impenſis, vigiliis, laboribus; ut taceam quam arduum, ac lubricum ſit obſervandi negotium, & quam ſit facilius hac in re præcipue aliena reprehendere, quam meliora ex ſe præſtare. Hoc, ut amicum ſincerum decet, ac in aurem dictum volo. Addo fore, ut experiaris nihil deceſſiſſe ex tuo inſtituto, cum de Viro ſemper loquutus venerabundo affectu fueris; immo tanto majus acceſſiſſe pondus, quanto ſcripſiſſe videberis amore ſolo veritatis. Agnoſces etiam non modo fore, ut minuatur invidia [quæ nobis denique quid prodeſt?] ſed felicius etiam retractare poſſis materiam eandem, ſi aliquando forte lubuerit, ac præterea honorem tibi conciliabis quammaximum propter ſpecimen indolis pleniſſimæ ſummi candoris. Quod ego ſemper aërem quemdam cœleſtibus globis circumfuſum habeam, non demonſtratione, aut ullo effectu ſenſibili perſuadeor; ſed conjectura duntaxat

taxat

tixat ducor ex ſimilitudine cum terreno globo. Hinc illum non amplius tantum facio, ex quo Aſtrorum ſpecies ſuccreſcat; tantum duntaxat habeo cujusque globi proportione, quantus eſt hic noſter reſpectu Telluris. Nimium abſumus, ut experimento manifeſtare id valeam, ſed nemo etiam, quantum opinor, rem ſecus habere oſtendat. Pares in cauſa ſumus cum illis, qui ex Marte, aut Venere de Terra ratiocinarentur. Profectò verò ſi facies ☾ probabilem facit analogiam cum noſtris hiſce elementis marium, & continentium; quid-ni capiamus præter varias generationes, compluresque in tota Lunæ ſuperficie; tot exhalari circum vapores, ex quibus Sphæra circumveſtiens huic aëri noſtro ſimilis texatur. Taceo, fortaſſis aliquam deſumi poſſe conjecturam ex eo quod etiam teleſcopio margo Lunæ extimus unitiſſimus appareat, quod inæqualitates convallium, & montium (tametſi in tanta diſtantia ſucceſſive poſitæ, minus obſervabiles) compliantur ipſo aëre ampliſſimo tractu ad oras diffuſo. Sed hæc dicenda pluribus, quam præſens ſcribendi occaſio patiatur. Prolixior, quam ſperaram fui; neſcio an lucro id deputandum. Saluto ſemper eoſdem amicos, ac præterea optimum Voſſium, cum præclara familia. Vale. Scribebam Diniæ XV. Kalendas Februarii M. DC. XXXIV.

PETRUS GASSENDUS

CONSTANTINO SUO S.

CAlamum tandem arripio, mellitiſſime Conſtantine, ut paucos tibi reponam verſus. Non requiro verò in primis, ut negligentiam meam tantam interpretatus fueris; ipſe potius interpretor, illam pro tuo in me amore fuiſſe tibi non injucundam. Non depoſco etiam abs te, ne pertenuem hanc ſchedulam indignabundus averſeris; ſiquidem novi, tametſi feram, quod mea tamen ſit, non diſpliciturum. Hinc, quia ſatis perſentio, nullam abs te mihi accuſationem intentari, abſit, ut ego ullam tibi excuſationem pertexam. Gratiſſimum mihi eſt ſemper, quod tu ſcite adeo perſcribis de Litteratorum, ac τῶν Φαρισαίων, ϗ διδασκάλων contentionibus:

Non quia vexari quemquam 'ſt jucunda voluptas;
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave 'ſt.

Utinam totam hiſtoriam dicere nobis aggredereris. Vidi ex tuis litteris datis exemplum ejus epiſtolæ, qua, *οἱ Φαρισαῖοι τοῖς ἀρχιερεῦσι* reconciliari videntur. Illa mihi magis ingenua, quam pro illorum ingenio expectaviſſes, eſt viſa; neſcio tamen lis-ne exinde ſatis compoſita remaneat. Copiam feci noſtro Petriſcio humaniſſimarum litterarum tuarum, ut agnoſceret, quod ſe attineret; mirum autem dictu, quam ille ſe tibi profiteatur eſſe devinctum. Scripſi ad noſtrum Gaffarellum, niſi omnia, ſelecta ſaltem, quæ illum per me reſcire volueras; at quando jam accipio nullum amplius eſſe divortium, nihil refrico, ſed gratulor potius. Utinam verum vos inter ſit, quod dicitur, *amantium iræ*. Mirandum profectò, æque, ac dolendum, potuiſſe Viros eruditos, ac in tanta, tamque diuturna conſenſione ſimul verſatos, tantum pati diſſidium; ſed nempe ſummi eſt candoris, quidquid ex amico proficiſcitur, tametſi duriuſculum ſit, interpretari benignius; & quanto melior quisque eſt, tanto magis amici vicem ut condolere, ſic condonare. Ego ad vos, mi Conſtantine, vix ſum prius convolaturus, quam hunc adhuc annum ſuperavero. Saluta interim amicos, ac tu præſertim ſalve, & vale. Diniæ IX. Kal. Februarii M. DC. XXXIV.

Pernobili, & perdocto Viro P. Franciſco Tonduto San-legerio Jurium Doctori

PETRUS GASSENDUS S.

ACcepi ex litteris tuis ad præclarum noſtrum Fabricium, Vir eruditiſſime, Eclipſim Lunæ nuperam non inobſervatam tibi prætcriiſſe. Gaviſus ſummopere ſum, ac volui etiam te non latere, tametſi ipſum initium Diniæ quoque inviſum fuerit, ceteras tamen omneis Phaſeis ad uſque ſemi-digitos adnotari abs me potuiſſe. Teleſcopio Lunam ſpectabam, ac reſpectabam identidem in ſchemmata ad ſingulos ſemi-digitos delineata, ut de momentis, quibus Phaſes obiicerentur, judicium ferrem. Hoc ergo modo, & aliunde Fixæ alicujus Stellæ ſectando altitudinem, peregi, & pertexui, quam obſervationis ſeriem heic appono, &c. *Ut in Commentariis*.

Vides non male nos convenire circa finem Eclipſeos, ac præſertim ſi prodita abs te centri ☾ altitudo exhibuit horam 10. min. 56. tuque pro fine accepiſti reſtituti limbi momentum, inumbratione ſuperſtite; aut ſi, ut ipſe ratiocinaris, exhibuit horam 11. min. 0. ipſeque finem penſitaſti ex inombratione illa ſenſibiliore deſinente. Quod ad Procyonis altitudinem circa idem tempus obſervatam ſpectat, miratus ſum quorſum tu occidentalior videris illam depreſſionem, quam eadem mihi continuo ſectanti apparuerit; ſed nempe ſuſpicatus ſum, debere numeros abs te haud rite fuiſſe inter conſcribendum obſervationem conſignatos, cum loco graduum 29. ſcribendi fuerint 32. Ipſe certe ſi calculos retexere volueris, agnoſces ex illa altitudine elici horam non 10. min. 59. ſed 11. min. 18. $\frac{1}{2}$ ac hujuſmodi minutorum 20. diſcrepantiam forte obortam ex prætermiſſis quinque illis gradibus, qui aſcenſioni rectæ ☉ ad circulum deerant. Circa medium tempus Eclipſeos, cum ex Phaſeωn, & plurium, & tutiorum comparatione comperiſſem ipſum extitiſſe Diniæ hora 9. min. 21. $\frac{1}{2}$ miratus ſum etiam reponi abs te potuiſſe ad horam 9. min. 3. vel quod eſt ſummum min. 7. $\frac{1}{2}$ adeo ut dimidia duratio fuerit æquo productior. Verum memini, quanta ſit in medio illo tempore ex tuſpectu Lunæ deſignando difficultas; cum per minuta bene multa Luna veluti hæreat, & ne Lynceus quidem diſcernere poſſit lux-ne depereat, conſtet, vel augeſcat. Potes quoque ipſe illius hæſitationis meminiſſe, atque ideirco facile fuiſſe, ut cum exiſtimaris medium, cum poſſent minuta non pauca vel abundare, vel deficere. Fabricius noſter, quod mirere, ita varias Phaſeis accepit, ut medium prope idem eliciatur. At cum finem maturius triente circiter horæ, quam nos, adnotaverit, ſequitur, ut durationem dimidiam multam decurtarit. Utcumque ſit, tu vale ſemper, ac me porrò amare perge, qui perſto amantiſſimus, & obſervantiſſimus tui. Dabam Aquis-Sextiis in Fabricianis ædibus, VII. Eidus Aprilis, anno M. DC. XXXIV.

Illu-

Illuſtriſſimo Domino D. Edoardo Baroni Herbert de Cherbury, in Anglia, & Caſtri Inſulæ de Kerry in Hibernia, & Pari utriuſque Regni

PETRUS GASSENDUS S.

VIr Illuſtriſſime, menſes aliquot elapſi jam ſunt, ex quo Diodatus ille noſter præclarum opus ad me tranſmiſit, quo me donatum volueras. Humanitas ſane eximia, &c. Aquis-Sextiis menſe Aprili M.DC.XXXIV. *Habetur ſub titulo, ad librum Herberti illuſtris Angli de veritate, epiſtola.*

Viro clariſſimo, amiciſſimoque Willelmo Schickardo, in Tubingenſi Academia linguæ Hebrææ, & Aſtronomiæ Profeſſori celeberrimo

PETRUS GASSENDUS S.

CEperam ad te ſcribere, optime Virorum Schickarde, cum tuas accepi litteras circa Martii finem datas. Quanta exinde fuerim cumulatus lætitia, explicare haud mihi promptum. Videlicet ex prima parte tuæ reſponſionis edita nihil de te audieram, verebarque, ne aut quid tibi contigiſſet humanitus, aut binæ meæ litteræ ad te uſque non perveniſſent. Quas certe litteras ad me unà cum tua obſervatione Solaris Eclipſeos miſſas innuis, iniqua nimis ſorte non vidi. Sed me eo nomine felicem, quod & tu degas incolumis, & meæ illæ litteræ in tuas penetrarint manus. Qui tuas ſub finem ſuperioris menſis, & accepit, & ad me tranſmiſit Pariſiis, ille eſt Luillerius rationum magiſter, quo intercedente tu meas habuiſti: Dignus Vir ſane amore tuo, omniumque tui ſimilium [ſcilicet bonorum, eruditorumque] & quem cum multi mihi ſint amici præſtantiſſimi, nemo eſt omnium, qui invideat, cum incomparabilem dico. Qui verò in hac civitate mihi conſignavit, ille eſt Fabricius, qui & præſidium, & dulce decus litteratorum omnium eſt. Vir omni laude longe ſuperior, & cujus fama cum jampridem aureis tuas compleverit, teſtaris ipſe quam gratam nuper habueris ejus amicitiam. Adſum ego jam illi hoſpes a menſe uſque Martio; & cum negotia quædam forenſia me in civitate detineant, detinent tamen potiſſimum Sirenes ſuaviſſimæ domi. Ædes hæ ipſiſſimæ ſunt, in quibus rurſum peregi nuper, quas tu circa ☿ obſervationes exigis. Quippe non poſtrema mihi fuit cauſa, cur eo tempore adventarim, quod deſtinaſſem menſe Aprili ad ☿ attendere, quem providerem Diniæ ob altitudinem montium inaſpectabilem futurum. Et quid præſtare quidem licuerit, judicabis ipſe percurrens obſervatorum ſeriem. Ego, quod ſaltem maxima elongatio inde habeatur, felicitati magnæ adſcribo. Verum quid moror totum id ex Commentariis tranſcribere; cum ſi quid amplius præfandum ſit, poſſit, te volente, poſtmodum ſubjungi. Paucis ergo res ſic ſe habet.

Anno 1634. menſe Aprili, die 9. ſtylo novo, veſperi, Aquis-Sextiis, attendens num ☿ poſſet, &c. *Ut in Commentariis ad uſque diem 29. incluſive.*

Hactenus exſcribo, præclare Schickarde, quidquid hac vice obſervare circa ☿ licuit. Tametſi enim is fuerit pluribus diebus appariturus, non apparuit tamen propter obſtinatam nubium invidentiam. Eæ quippe aut continenter toto Cœlo fuere reſperſæ, aut ad Occaſus certe regionem confertiſſimæ extitere veſpertinis temporibus; adeo ut cum poſſem interdum alios Planetas obſervitare, Mercurium nunquam potuerim. Nihil eſt neceſſe adſcribere, quæ obſervata aliunde habeo. Hoc potius addo, cum Keplerus aliquam feciſſet ſpem videndi mane ☿, aut ſub finem Maii, aut certe priore parte Junii, ea de cauſa me attendiſſe, quantum potui ſedulo, ſi qua forte detegeretur. Obſtabat tectum domus attiguæ, quominus exortus libere pateret. Eximius ergo Fabricius conſtrui curavit ſupra tectum domus ſuæ obſervatorium eminens ſimul, ac liberum; ex quo potuiſſet ☿ e tertio uſque altitudinis gradu [tantundem Horizon illeic occupatur] ſeſe conſpicuum facere, ni conſpici grave duxiſſet. Ac Cœlum quidem non ſemper arriſit, nunquam enim fuere crebriores, aut uberiores pluviæ. Die ſaltem Maii 28. qua Cœlum fuit mane ſerenum ☿ plane viſus non eſt; inviſus etiam diebus Junii 5. 6. & 14. quibus Cœlo valde ſereno [ſaltem ad eam regionem Ortus] obſervaturus adfui etiam ante natam Auroram. Et quoniam circiter ea loca, in quibus eſſe debuit ☿ nullæ inſignes Stellæ coruſcant, ideo ne locis plane incertis venarer ☿, nunc æquicrurum, ac pæne æquilaterum triangulum fingebam ex Meduſæ capite, lucida ♈, & ipſo ☿ nunc alia ratione regebam obtutum, ſi qua in illum inciderem; ſed irriti omnes conatus, & ut verbo dicam, ☿ matutinus viſus non eſt. Hoc latere te nolui; memor operæ etiam ſuperiore anno fruſtra collocatæ in diſquirendo Mercurio, ut litteris aliis perſcripſi.

Sequitur ut tibi impertiar quidquid circa nuperam Lunæ Eclipſim conſcriptum habeo; quando aut totum deſcribere, aut etiam dare litteras tum per otium non licuit, cum nudum tibi abacum obſervationis meæ tranſmiſi. Accepi ſimul cum litteris, quod circa Eclipſin ipſe obſervaſti, et miratus ſum, vel potius obſtupui, dum ex tua, meaque obſervationibus collatis animadverti ſequi, ut Dinia occidentalior Tubinga ſit. Accepi etiam continuo ex Diodato ſchedulam, qua Berneggerio ſignificaſti hærere te, qui fieri poſſit, ut tantum lapſum admiſerim. Ego verò etiam, mi Schickarde, hæreo, neque ſatis capio, quid totum id ſit. Sed nempe tranſcribo in primis quidquid in Commentariis eſt, ſubjecturus quidquid memoriæ præterea ſuccurrerit ex facta uſque obſervatione. Id igitur ita ſe habet.

Anno 1634. ac die Martii 14. ſtylò novo, veſperi, Diniæ, Eclipſis Lunæ. Ninxerat mane; flante Euro, forma nivis irregulari; fueratque prope adempta ſpes videndæ futuræ Eclipſeos, tum præſertim, cum levi pluvia perſeverante poſt nivem, obſcurum plane Cœlum fuit ad horam uſque pomeridianam 5. Porrò ſub ipſam horam quintam viſæ ſunt nubes heic illeic variè interhiſcere, ſimulque non nihil revixit intermortua ſpes videndæ Eclipſeos. Quamobrem cura reaſſumpta, &c. *Ut in Commentariis ad uſque obſervationem Rabbi Azobi.*

Habes hucuſque, mi Schickarde, quidquid de hac Eclipſi ☾ in Commentariis reperio. Id mitto cujuſmodi eſt, quando abſolvere non vacat. Ea mihi certe negotia ſunt, quæ vix patiuntur exſcriptionem; ſed tu facile omnia indulge-

dulgebis. Ut paucis ergo accipias, quid circa meam obſervationem hæſitationis ſubeat, memini primum me admiratum, dum calculo retexerem Fabricianam obſervationem, ac circa finem potiſſimum, qui fieri poſſet, ut tanta foret nos inter diſcrepantia. Cum enim Dinia, & Aquæ-Sextiæ vix amplius, quam tribus minutis temporariis inter ſe diſtent, videbam nihilominus trientem horæ intereſſe. Ac tametſi non dubitabam, quin ipſe fuiſſem accuratior, & quin Vir eximius, dum ea ſectaretur, quæ præſcripta abs me voluerat, errorem quemdam ſenſibilem, ſeu oculorum, ſeu organorum, ſeu adjutantium defectu potuiſſet admittere; ſcrupulus tamen remanebat, quod ipſe mihi fiderem, ac tribuerem nimium. Ergo memoria repetens, ſi quid etiam mihi inter obſervandum contigiſſet, nihil aliud ſubiit, niſi quod inter expectandum donec Eclipſis inciperet, & quadratum aliàs, ut puto, deſcriptum ad Aldebaran componendo perpendiculum incidiſſe inter 9000. & 10000. umbræ verſæ parteis. Hærere verò exinde cepi, an forte, qui numerus 9300. conſignatus fuerat, quo tempore locum ♂ exploravi, in umbra verſa extitiſſet, & qui poſtmodum adnotatus eſt 9000. quaſi decrementum, ut altitudinis, ita numerorum jam fuiſſet uſurpatus pro 1000. & conſequerer, quod fortaſſis, aut ſectator Stellæ, aut ego ad primam cyphram non attenderemus, numerus 890. umbræ rectæ extitiſſet ſcriptus pro 9900. ac poſtea etiam 8650. pro 9650. atque ita conſequenter habitis ſemper circa primam cyphram 8. pro 9. 7. pro 8 6. pro 7. 5. pro 6. 4. pro 5. inter ſectandum Aldebaram. Verum neſcio qua φιλαυτίας perſuaderi non potui ejuſmodi inadvertentiam. En quo adjutus argumento animadverti, cum tempora creſcentis Eclipſeos hinc retraherentur, conſtare tamen quæ decreſcentis adnotata fuerunt ex altitudinibus Procyonis. Quia enim primus numerus fuit 970. qui jam uſurpari pro ſuperiore non potuit, & a quo omnes conſequentes ad uſque 5950. continua ſerie decreverunt, ea propter omnis plane ratio emendandi ſublata eſt; ratumque habui, ut decrementi, ſic incrementi tempora haud male fuiſſe deſignata. Favit quæ Lunæ altitudo Avenione fuerat a Tonduto obſervata in fine Eclipſeos; & acceſſit, quod meminerim, Eclipſim longe amplius, quam ſperaveram, retardatam fuiſſe. Quin etiam adhuc memini Davidem Lautaretium clarum Medicum, & rarum amicum, qui tum aderat dum præteriiſſe longe videret, quod tempus nobis præſtitueramus, ſubductione debita facta ex Kepleri Ephemeride, jocando ſæpius quæſiviſſe: Quid, ſi fruſtra hic apparus? Quid ſi nos Luna ludere velit? Quid ſi expectatura ſit, donec præ impatientia diſceſſerimus? & id genus alia; cum & ipſe quoque aliqua regererem, & commemorarem inter cetera, quid Origano alias contigiſſet.

Vides quid mentem occupaſſet, obſervationi ut fiderem, tu rurſum plane jam commones, tuam reponens obſervationem. Pudet nimirum, dum omnia verſu, nihil occurrere, quod meam corrigens, conciliare cum tua poſſit. Arguere quippe tanti erroris, quantus inde demonſtraretur tabulas omneis geographicas extremæ foret impudentiæ. Suſpicari potuiſſe te vel leviter hallucinari, improbum foret, ac mihi etiam propemodum ſacrilegum. Quocirca nihil ſupereſt; niſi, cum ipſe homo ſim, humani a me nihil alienum putem. Quæſo te ſolum, ut cum tu quoque Solarem Eclipſim ſuperioris anni obſervaveris, alicias exinde pro tua ſolertia quid diſcriminis inter Diniam, & Tubingam intercedat. Nempe quia ſimul oſtendetur, quot minutis proxime hac vice abſuerim in deſignandis temporibus, fortaſſis anſa præbebitur, qua occaſiones lapſus agnoſcantur. Poteris quoque explorare, num minutulum aliquod ex organi tui conſtitutione emendandum fuerit; cum ipſa quoque temporum per Azimutha captatio ſua quædam incommoda habeat. Profecto enim vel unius meridianæ lineæ inventio, & exquiſita ſuper illam inſtrumenti poſitio, ut nihil dicam de ceteris, non parvæ eſt difficultatis. Quanquam id mihi; cum tu quidem facile omnia præcaveas, quæ vitiare hanc παρατήρησιν poſſunt. Quod ſupereſt, cum deſtinaſſem abeſſe Dinia proximo Martio, quo tempore Luna iterum deficiet, enitar tamen ita res meas componere, ut illeic adſim, quo poſſim illeic omnia cautius, & diſquirere, & deſcribere iteratò. Nihil eſt opus admonearis, ut ad idem te compares; uſt enim tibi ſatis res cordi. Adverte interea ſi vacet ad tranſitum Lunæ prope Fixas aliquas; nam ego quoque eò attendam, quantum per occupationes, & Cœlum ipſum licuerit; ac fortaſſis eveniet, ut eodem ſimul incumbamus. Non ſtabit profecto per me, quin tranſitum Lunæ ſub Pleiadibus, & 16. Auguſti, & 4. Novembris obſervem. Ut habeas interea quid rei hujuſce a datis poſtremis litteris præſtiterim, obſervationes aliquot ecce, quarum prima, & ſecunda peractæ ſunt Diniæ, ceteræ in hac civitate.

Anno 1634. menſe Februario, die 5. ſtylo novo, veſperi, idque Diniæ, appulſus Lunæ ad Pleiadas ex Ephemeride, &c. *Ut in Commentariis.*

Anno eodem, menſe Martio, die 6. veſperi, cum foret Luna ad ſenſum exquiſite διχότομος, &c. *Ut in Commentariis.*

Atque hæ duæ quidem obſervationes Diniæ. Sequuntur Aquenſes præter eam, quam ſuperius retuli tranſitus Lunæ prope Spicam die Aprilis 13.

Anno eodem, menſe Majo, die 13. veſperi, Aquis-Sextiis, ſtatueram ad tranſitum Lunæ prope Cor Scorpii attendere; verum nubes adeo contectæ, flante Coro, translatæ ſunt, &c. *Ut in Commentariis.*

Anno eodem, menſe Junio, die 6. veſperi, invaleſcere occipiente Coro, &c. *Ut in Commentariis.*

Anno eodem, menſe eodem, die 9. veſperi, occultatio auſtralis trium in fronte Scorpii a Luna, &c. *Ut in Commentariis.*

Anno eodem, menſe Julio, die 7. veſperi, appulſus Lunæ ad orientalem trium in Scorpio, ſeu, &c. *Ut in Commentariis.*

Et hi quidem ſunt Lunares appulſus, quos commemorandos tibi habui, niſi fortaſſis gratum habeas, adilci alium placitum magis, non ad Fixam, ſed ad ♂ ſub menſis hujus initium. En igitur obſervationem, quam peregi per triduum.

Anno eodem, menſe eodem, die 2. veſperi, perſeveravit eximius calor, &c. *Ut in Commentariis ad uſque finem obſervationis diei 3.*

Triduanam habes obſervationem, ex qua loca ♂, ac ☾, hujusque appulſum ad illam circiter διχοτομίαν eruere valeas. Occaſione ſtellulæ poſtremo loco memoratæ, ſuccurrit in memoriam captatus die 6. Junii locus ſtellulæ illius majuſculæ; circa eundem dextrum poplitem Ophiuchi, quam Luna margine auſtrino prope attigit menſe Auguſto anni 1630. ut habes in eo excerpto, quod impreſſum eſt, ex epiſtola ad Keplerum.

Ut ergo

Ut ergo illa obſervatio alicui quoque uſui ſit, ecce unde poſſit utrumque locus Stellæ reſtitui, quando apud Tychonem deeſt. Diſtiterunt memorata die, idque inter expectandum ☿ ea ſtella, &c. Itemque diſtantiæ Fixarum. *Ut in Commentariis*.

Coronidis vice, & ne te farragine nimis onerem, attexo ſolum obſervationem futuram tibi haud injucundam, quam adnectere liceat occultationi Propodis a ♃, &c *Ut in Commentariis*.

Anno eodem 1634. menſe Junio, die 8. veſperi, occultatio extremæ alæ ſiniſtræ Virginis a Marte. Cum ab, &c. *Ut in Commentariis*.

Finem tandem facio, optime Schickarde, cum iſta ſatis, ſuperque ſint. Hiatus ſunt, ſed præſtitit hianteis verſus relinquere, quam iis complendis elaborando [quod factu ſemper facile eſt] paginas facere inaneis. Non pudet verò adeo incoctas obſervationes communicare, quando tu eo es animo, ut impolitas mavis, quam nullas; eo candore, ut facile ſimplicitatem meam excuſes; ea bonitate, ut rerum mearum nos fieri diſpendium; quibus curandis iſtud ipſum, quo ad te ſcribo, ſuffuror tempus. Quod innuis te procuraturum, ut ex meis obſervatis evulgentur aliqua, niſi quid forte exceptum velim, ſcito omnia tibi permiſſa, & me ſolum excipere, quod tu duxeris excipiendum. Tametſi enim certo conſilio animum his rebus applicui; & longa ſum tamen ab eo tempore, quo experitum uſum deducam, & livoris expers, nihil plane eſt, quod habeam quaſi in arcanis. Fortaſſis quoque iſta olim non vacabit excutere; quid ergo invideam, ſi quid forte ſit, ex quo ſtudioſis fructus quæratur. Tu judex eſto; nam ego quidem teſtari affectum, & candorem poſſum; exquiſitam operam polliceri non poſſum. Accepi tuis cum litteris treis illas primas velitationes circa Aſtronomiam, ac ſimul agnovi, quanto me in illis honore affeceris. Id non merebar, mi Schickarde, neque ſperandum mihi fuerat, ut me inter tantos Viros cooptares; ſed nimirum neſcit amor tuus modum, pectorique tuo permittendum eſt, ut hoſce ardores effundat. Pellegi porrò avide omnia, & conſequutus mire expetens, viſus ſum mihi univerſam, eamque maxime ſinceram, rerum cœleſtium diſciplinam faſciculo uno collectam videre. Accepi etiam libellum tuum de Bacchanalibus Judæorum. Eo declaras, te nihil poſſe ſic perfunctorie agere, quin ludicra tui ſeria aliorum longis excedant paraſangis. Erit profecto cur exinde Juriſconſulti mire illuſtrent legem illam: *Judæos quoſdam Codice de Judæis, & Cælicolis*; in qua reſtituenda, & interpretanda quidam deſudarunt. Accepi tandem litteras, quibus me beavit clariſſimus Lanzius. Adnitar illi hiſce concluſis verbulum reponere, ſperans oberius reſpondere. De Fabricio noſtro nihil eſt, quod adjiciam; ipſe enim eſt ad te perſcripturus. Non hodie tamen [nimis quippe aliis jam curis diſtrahitur] ſed intra proximum octiduum. Tametſi verò litteræ meæ ad te perventuræ maturius non ſint; feſtino tamen hac occaſione deſtinare Pariſios, ut dum Fabricianas illic expectabunt, procuret noſter Luillerius eas obſervationes exſcribi, quæ tranſmittantur ad Hortenſium, quod exſcribere mihi bis non vacet. Expectat etiam Fabricius ex communi noſtro Diodato reſponſum, ſi quam forte noverit viam, qua MSS. Codices, quos tu expetis, tuto tranſmittantur. Utinam verò ea pateret, nam plura tecum communicaret, Vir longe humaniſſimus, & amantiſſimus tui. Quod de Holſtenio ſcripſeram, memoriæ lapſui imputandum. Siquidem ille litteris ſuis ad Fabricium datis ante quatuor annos, non ſe Tubingæ fuiſſe ſcripſit, ſed Viennæ de te ſermonem habuiſſe cum præclaro illo Tengnagelio, qui etiam teſtatus eſt, ſe adlaboraſſe, ut pertraheretis in Aulam Cæſaream. Degit porrò Holſtenius Romæ, eſtque Eminentiſſimo Cardinali Barberino a libris. Ipſe eſt, qui Porphyrium nuper edidit cum Notis de vita Pythagoræ, emiſſurusque eſt prope diem minorum omnium Geographorum, quos antiquitas habuit, aut quos nanciſci ſaltem potuit, manipulum valde inſignem. Nihil obſervatum Romæ accepi, cujuſmodi tu exigis. Nam Scheinerus quidem Solarem Eclipſim ſuperioris anni illic obſervavit, & ante diſceſſum in Cæſaris Aulam ſchemata aliqua nobiſcum [etiam excuſa] communicavit; ſed de tempore nihil addidit, fortaſſis id ſibi reſervans, donec evulget, quem de ea Eclipſi Tractatum promittit. Ceterum dabo operam, ut quæ Eclipſis futura eſt proximo menſe Martio, Romæ ſedulo obſervetur; curæque erit, ut quidquid demum fuerit obſervatum, deinceps accipias. Sed vale tandem, Vir optime, idemque amiciſſime; & qualem me ducis, talem eſſe habe. Scribebam Aquis Sextiis xv. Cal. Auguſti, anno M. DC. XXXIV.

GABRIELI NAUDÆO

PETRUS GASSENDUS S.

HIc demum dies, mi Naudæe, diuturni ſilentii finem attulit. Nec verò illud jam abrumpo, ut tibi propterea ſatisfactum exiſtimem; abrumpo ſolum, ne deſuetudo nimiam præſcriptionem inducat. Eſt nimirum, quod conquerare, niſi prolixas litteras dem, treis ſaltem verſus non exarari. Me quoque ipſum, dum attendo, negligentiæ hujuſce pudet; quaſi, quod jure amicitiæ liceat plane confidere, ipſum violare jus libeat, quo officia mutua præſtantur. Quid faciam tamen, cum talem me natura parens effinxerit, ac te eum habeam, qui præſto ſis nihil amico non condonare? Age ergo, dignam te ipſo bonitatem mihi prætende, qui nullam tibi excuſationem debeo, poſſumve prætexere. Negotia certe prætereo, quæ me jam anni prope dimidium extra proprios detinent lareis; quippe & interdum per illa interquieſcere licuit, & per id tempus litteras ad alios amicos conſcripſi. Incuſare etiam non poſſum occaſionum penuriam; quando hoſpes adſum noſtro iſti magno omnium & litteratorum, & litterarum præſidio, Peireſcio inquam, per quem ſum conſcius quid uterque communiceris. Non dico tandem, quia rogaras, ut quidpiam tibi de Fluddana reſponſione perſcriberem, me expectaſſe donec prodiret Friſiana illa reſponſio, quam Fluddus minitatus eſt, ut res melius perſtringeretur. Debueram nempe vel hanc meam, quod nunc temporis facio, expectationem ſignificare. Quid ergo, inquies, ne nunc quidem licebit quidpiam cognoſcere ex iis, quæ reſpondit Fluddus? Id verò licebit, optime Naudæe, ſed uno verbo, cum me uberius rem præſtiturum recipiam, poſtquam quid a Friſio Fluddum defendente [niſi Fluddus eſt ſub nomine Friſii] fuerit reſponſum, pervidero.

Paucis igitur totum opus paginarum eſt octogiota ſeptem, & folii quidem non magni, ſed

chara-

characteris tamen minuti. Titolus prælongus; inſcribitur enim: *Clavis Philoſophiæ, & Alchymiæ Fluddanæ; ſive Roberti Fluddi Armigeri, & Medicinæ Doctoris, ad epiſtolicam Petri Gaſſendi Theologi Exercitationem reſponſum, in quo Joannis Marini Merſenni Monachi objectiones, querelaque ipſius injuſtæ, immerito in Robertum Fluddum adhibitæ examinantur, atque auferuntur; ſeverum, ac altitonans Franciſci Lanovii de Fluddo judicium refellitur, & in nihilum redigitur; erronea principiorum Philoſophiæ Fluddanæ detectio a Petro Gaſſendo facta corrigitur, & æquali juſtitiæ trutina ponderatur; ac denique ſex illæ impietates, quas Merſennus in Fluddum eſt machinatus ſinceræ veritatis fluctibus abluuntur, atque abſterguntur.* Tractatio deinde juxta titulum in quatuor membra dividitur, & quodvis membrum in pluteis parteis.

Primum eſt præcipue adverſus Merſennum, quem Fluddus conatur inſignis ignorantiæ convincere, quod viribus ſuis diffiſus alienam opem popoſcerit, ac ſimul reſpondet, cum ad alia, tum ad objecta minus præcipua, quæ in Epiſtola illius Dedicatoria legere licet. Alterum eſt totum adverſus Lanovium; ſcilicet propter Epiſtulam Dedicatoriæ illi ſubjectam. Tertium, idque prolixius adverſum me totum eſt, initio facto a deſcriptione naturæ, ſeu indolis meæ. Poſtremum eſt tum in eluendis illis impietatibus, quas Merſennus ipſi ex mea Exercitatione collectas inuſſit; tum in explicanda divina, myſticaque Alchymia.

Stylus autem eſt, ut cum Fluddus Alchymiam ſuam explicat, Scripturam Sacram ſemper intrudat; in ceteris verò ipſa textus verba, ſeu Merſenni nempe, ſeu Lanovii, ſeu mea præſertim proferat; & conſequenter ipſis reſpondeat. Neque verò textus, aut omneis, aut ſemel, aut ordine citat, ſed ſelectos, & quoties placet, ſeu ad inſtitutam a ſe pertinere methodum putat. Jam quod ad ipſos tam Merſennum, quam Lanovium attinet, dici non poteſt quanta illos acritudine inſectetur, quantiſque probris impetat.

Ad me quod ſpectat paulò ſe moderatiorem præbuit. Exſcribi jubeo integrum caput [id epiſtolæ deinde adjungam] in quo obſervabis Fluddum laborare, ut me a Merſenni, Lanoviique genio alienum eſſe planum faciat. Sic aliis locis nonnulla ſunt in commendationem mei, ut: *Quod a Merſenno traditur*, inquit, *argueret in Gaſſendo philautiam; ſed ego ipſum Merſennum potius iſtius vitii affinem puto, quem aliàs in pluribus falſum, & errantem inveni; non verò Gaſſendum, qui longe prudentior, & modeſtior eſſe apparet; quantumvis imperioſus iſte, & jactans Merſenni ſermo hujuſmodi rei ſuſpicionem inferre videatur.* Et rurſus: *Certe commendo*, inquit, *adverſarii iſtius mei ingenium, qui tanto ardore cujuſlibet ſcientiæ radiis quodammodo illuminari appetit, tantaque diligentia affectus. Non invideo illi bonam hanc inclinationem; ſed commendo, inquam, potius.* Ac poſtea: *Non dubito profecto, quin meliora, & profundiora longe in memoriali Gaſſendi arca deliteſcant; ſed non vult ea [meliori nimirum prudentia fretus, quam eſt illa Fluddi] Mundo rudiori propalare. Vulgaria nimirum publicare geſtit, quoniam mundana mundanis optime arrident, at arcaniora, & magis ardua, quippe mundanis ideo exoſa, quod captum ipſorum ſupereat, ſibi ipſi ſapienter reſervat. Quod ipſum ſi ego ab initio feciſſem, non perſequerentur me jam nunc mundani tantis injuriis.* Unus locus eſt, in quo bilem continere non potuit, nempe cum reſpondendum fuit ad ea verba, in quibus ſane acuus profundius infixeram. Dixeram enim, quod ipſe refert: *Ecce tum Fluddus in Roſeos fratres tam bene animatus fuerit, cum ſemel, iterum, tertioque Apologiam pro iis ſcripſerit, cum non modo vota illis clandeſtina voverit, ſed palam etiam, & aperta voce ut Babal, Babal inclamaverit, cum adfuturos ſibi ut Deus e machina ſperaverit, cumque ex his proficere nihil omnino potuerit [ſcilicet illis adeo beatis non vacavit ſic divertere] nihilominus ipſorum adventum, ac per ipſos reſtaurationem hiſce temporibus faciendam tanti putavit eſſe momenti, ut ſicut Chriſto olim naſcente, novum Sydus exortum eſt; ita fratribus jam jam diverſuris, duæ illæ Stellæ, altera in Cygno, altera in Serpentario recenter apparuerint.* Hæc verò ille ſic excipit: *Intelligat cachinnis ovans, ac turgens Gaſſendus Fluddum utcumque provocatum, irritatumque, pacificum tamen eſſe, & perfacile poſſe iſtiuſmodi a viro mundano, glorioſo, atque Thraſonico profectu ſcommata, ac irriſiones ferre.* Et poſtea: *Mea autem invocatio, cum non more Gaſſendiano, ſive Papiſtico ad Mortaleis, vel Sanctos per imagines pictos, & ex lapidibus, atque lignis ſculptos, ſeu manufactas, ſed ad ipſum Deum vivum dirigatur; ille ipſe cum ad Sanctos ſuos coram Idolis ab hominibus ſculptis, & deauratis genua flectens, ut Babal Babal inclamet; confidat in hoſtia, & vino, ſive Miſſa ſua ficta.* Et infra: *Ceterum ſat ſcio etiam ipſum Gaſſendum tanta rerum cognoſcendarum curioſitate eſſe captum, ut audito Fratrum R. C. virtutum rumore, & intellectis iis, quæ de naturæ miraculis ab ipſis in eorum fama, & confeſſione publicata erant; mox egregius in ipſius mente appetitus, & ſitis pluſquam Tantalea, res ab ipſis editas intelligendi, atque addiſcendi exarſerit; ſed mens ipſius ſuperba impedimento fuit, quominus ſeſe illis ſubmitteret, & ſic, more hypocritarum, aliud coram hominibus profeſſus eſt, aliud verò in corde habuit.* Ac rurſus: *Qua in re, obſecro, adeo excellens eſt? An-ne quidquam in libello ipſius adverſus Ariſtotelem emiſſum eſt, quod omnia ingenia humana ſuperet? Num hic ſolus Daphnis in ſylvis hinc uſque ad Sydera notus? An-ne obſervationes ipſius cæleſtes adeo raræ, ut etiam a ſapientiſſimis adorentur? Num denique Exercitationes ipſius in Philoſophiam Fluddanam adeo magnifica, ac miranda, ut eaſdem tam glorioſa concluſione [ſummæ ſcilicet philautiæ indicio] finiret, & ante victoriam, quaſi triumphum caneret, venditaretque ſibi palmam, ingeminans illud, Io Pæan? Io Pæan! Sed intelligat velim Gaſſendus cum toto Orbe Chriſtiano eruditione prædito, illius in ſcripti ſui præcedentibus modeſtiam, atque moralitatem calami mei rigorem, atque acrimoniam compeſcuiſſe, & huc uſque temperaſſe; at ſi in poſterum me ſcommatis premere tentarit, ſentiet ipſe, & reliquæ ſuæ plumæ aves, qui Vir ſiem. Abſtinui enim hactenus ab examine libelli ſui adverſus Ariſtotelem, item ab inquiſitione obſervationum ipſius cæleſtium; ſed ſi me porrò incitarit, oſtendam, &c.* Iſta exſcribo fuſius, quam mihi propoſueram; ſed ideo ago, quia hæc ſunt, quæ, quantum conjicio, deſideras noſſe. Agnoſce verò, quam id ingenue; puderet quippe ad alium ea præſertim conſcribere, quæ ſunt in mei commendationem, ſed tecum nimirum, quaſi cum me ipſo.

Quod ſupereſt, an putas Fluddum ejuſmodi Clavem ſuæ Philoſophiæ, Alchymiæque tradidiſſe, qua utramvis aperire, ſeu intelligere liceat? nihil ſane minus; quia ſemper, quod abunde conjeceramus, obſcurum per obſcurius. Ac pernegat quidem, me penetraviſſe in divina ſuæ Philoſo-

loſophiæ, Alchymiæque myſteria. Ego verò cum id non profiteat, non video tamen quorſum diſſuadeat, quin ea ſit illius mens, quam ſum mihi viſus primum deteaiſſe. Certe cum ad alia reſpondeat, quæ ponderis magni non ſunt; intacta tamen præterit ea, quæ præcipui erant momenti. Quippe Merſenuum, exempli gratiâ, monueram, ut illum urgeret: *An nomine Chriſti, Meſſiæ, Servatoris, &c. intelligeret non Æthercam illam, ſeu quintam ſuam ſubſtantiam: ſed hominem illum verum, ac ſpecialem, cujus natura a Verbo divina, ante annos mille, ſexcentosque, & non prius aſſumpta eſt, qui natus eſt ex vera, & non metaphorice dicta Muliere, ac Virgine: qui in forma vere humana cum hominibus converſatus eſt; & anno ætatis 34. ſub Pontio Pilato cruci eſt adactus, in ea mortuus, ac poſtea ſuſcitatus, &c.* Enimverò, quia diſerte heic reſpondere cogebatur, & non ambages quærere, ideo obmuteſcere maluit, quam aut ſeſe prodere, aut amphibologice loqui. Non ita ſane circa id, quod obteſtatus conſcientiam fueram, num alia via non perveniſſet, quam Geomantica in notitiam ejus verrucæ, quam ſub ſiniſtra palpebra amaſiæ ſui contubernalis extare divinaverat. Nam ad hoc reſpondens: *Quod ſcripſi*, inquit, *verum eſt, atque ex animo Deum teſtor, me ſolum Geomantiæ ope, atque rudimentis hoc perfeciſſe*. Occaſione porrò artis divinatricis, quam profitetur, rem ecce lepidiſſimam. Propoſuerat illi Merſennus in ſuis Commentariis amici cujuſdam Theodidacti manus, juſſeratque illum pronunciare de ipſius indole; minatus, ni vera referret, fore ut ille egregie errores ejus exciperet. Fluddus verò cum jam reſpondet, caput ſcribit, in quo contendit me eſſe illum Theodidactum, cujus ex manus fuerint. At ego, cum Merſennus illa Commentaria edidit, neque Virum norâm, neque ipſi adhuc innotueram; adeo ut ſaltem ex hoc capite Fluddus factus ſit Pſeudomantes. Prætereo, ut non muſſitanter in eadem perſtet ſententia, quod anima hominis non creetur ex nihilo, ſed ex divina ſubſtantia [ut & ceteræ formæ] ſubducatur; quod cauſæ ſecundæ per ſe nihil agant, & conſequenter nullæ ſint; Deus verò ſolus omneia in creaturis operationes eliciat, & id genus cetera, quibus quid ego objecerim, quid ille reſponderit, quid regerere valeam, non vacat jam commemorare. Id fortaſſis cum ſenore tum ut præmonui, præſtabitur, cum Friſii reſponſio venerit in manus. Verbulum addam ad illuſtrem, doctumque illum Claromontium; tu cum illi reddes, aut reddi curabis, quidquid deeſt, fac ſuppleas. Mitto ad te duos libellos, alterum Schickardi, alterum Hortenſii, quos meo attexas Mercurio. Prodibit brevi integrum Schickardi de eo volumen, exempla nactus cum fuero, tecum etiam communicabo. Vale interea, & me porrò, ut pridem facis, amare perge. Scribebam Aquis-Sextiis VI. Eidus Septembris, anno ſalutis M. DC. XXXIV.

Dolet illuſtris Fabricius temporis ſatis ſibi non eſſe, ut quas deſtinarat ad te litteras hac occaſione dare non poſſit. Salutat te interea eo, quo noſti illum erga te affectu; ac recipit ſe brevi, hoc eſt, per Lugdunenſem Veredarium jacturam hanc compenſaturum. Vale iterum.

Excellentiſſimo Equiti Scipioni Claramontio

PETRUS GASSENDUS S.

QUantum tibi debeam, clariſſime Vir, nec ſine ingenti affectu, nec ſine immenſo pudore commemorare potis ſum. Debeo enim gratiam ob ſummum honorem, quo me cumulatum voluiſti, dum litteris Naudæi noſtri illos tua manu appoſuiſti verſus, qui mihi pluſquam aurei ſunt. Debeo & mulctam ob negligentiam, haud dubie incredibilem, qua per tot menſeis diſtuli gratitudinis teſtationem. An debeo mihi illud de tua humanitate polliceri, ut boni conſulturus ſis pœnitentiam hanc adeo ſeram? Non debeo ſane, ſi me attendam; debeo ſi te reſpiciam. Ego quippe priorem gratiam meritus plane non fueram; hanc poſteriorem etiam demereor; at tu, qui bonus extitiſti incogitantem devinciens, non potes non optimum te, ſupplicem complexus præſtare. Agnoſcenti ergo ignoſce, & ſic habe me, ſegnem licet, non fuiſſe tamen immemorem inſignis illius favoris, quo me dignatus es proſequi. Ipſe te potius prior ambire, & compellare debueram; quo ergo loco mihi habendum, quod tu præoccupaveris? Sed præclarus nempe Naudæus ſe proxenetam interpoſuit; neſcio an ratum, an irritum id habere debeam, quod ab ipſo geſtum. Nam ceſſit quidem in rem meam, quod & me tibi cognitum, & te mihi amicum fecit; at rem egit præter decorum, cum te Virum adeo illuſtrem eo demitti paſſus eſt, & me imparem reddidit, qui dignam gratiam unquam reponam. Utcumque egit, & te illi, & me tibi ſic debeo, ut in illo nihil non agnoſcam antiquo affectui conſentaneum; in te bonitatem ut promptiſſimam, ſic profuſiſſimam experiar. Nihil ſupereſt, niſi ut me talem erga te in poſterum habeam, qui nihil officii, ſi quomodocumque præſtandum ſuerit, prætermittam; tu verò is eſſe, qui jam occepiſti, hoc eſt, mei amans in poſterum pergas. Vale. Aquis-Sextiis VI. Eidus Septembris M. DC. XXXIV.

Cum illuſtris ille Fabricius, de quo non poteſt Naudæus noſter non contuliſſe tecum ſermones, reſciret me dare ad te litteras, poſtulavit ſalutem tibi nomine quoque ſuo dici; ita te etiam ſuſpicit, & eruditionem, virtutemque tuam, ut eſt omnium Litteratorum fautor eximius, veneratur.

Viro clariſſimo, amiciſſimoque Joanni Baptiſtæ Morino Doctori Medico, & in inclyta Pariſienſium Academia Regio Matheſeos Profeſſori

PETRUS GASSENDUS S.

PEllegi tuum, mi Morine, de longitudinibus librum. Cum ſit verò, quod gratuler, tam præclarum opus abs te exantlatum; eſt tamen, quod condoleam ſubeſſe tibi, quod conquераris. Quid facias tamen, cum ea ſit humanitatis conditio, ut niſi ex ſpinis non decerpat roſas? Stupendum foret, ſi pro votis ſingula tibi contigiſſent; neque parvi ducere debes, quod multa probe ſucceſſerint. Eſt etiam fortaſſis, cur pietas tua rem totam ſic interpretetur, ut hac ratione optimus Deus geſtientem lætitiam compeſcuerit. Ecquis ſcit enim, an-non fortaſſis

elatus

Digitized by Google

elatus fuiſſes nimium, niſi hæc temperandi tibi ſubnata fuiſſet occaſio? Utcumque ſe res habeat; edoctus eſſe profectò debes ea, qua jam ætate es, nihil te pati non humanum. Porrò quod depoſcis abs me, ut in tua cauſa arbiter ſedeam, vide a quo, aut quid depoſcas. Nam ego quidem longe abſum ab ea, ſeu eruditione, ſeu experientia, quæ ad hoc negotium neceſſaria eſt; & quamvis eſſet quidpiam in me, quo poſſem utcumque gloriari; is ſum tamen, qui ſoleam mihi-met ipſi diffidere, & a ferendo judicio de rebus, quæ videntur etiam perſpectiſſimæ, abſtinere. Cum tu etiam celebres Viros ex Judicibus effeceris reos, qua fronte ego, qui neque tecum, neque cum illis ſum comparandus, cognoſcere auſim, vel dirimere tantos inter Viros conteſtatam litem? Sane, cum illi, ſaltem Mydorgius, Bulengerius, Belgrandius tum cogniti mihi, amicique ſint, tum habiti ſemper ut præcipua quædam lumina Mathematicarom; exoptandum mihi potius, & procurandum, ſi fieri poſſit, ut coëatis rurſus in gratiam, quam ut in dies exaſperari veſtrum animos, vel videam, vel feram. Quid, quod ipſe quoque meum judicium vel eo nomine feciſti ſuſpectum, quod me in hocce tuo libro, & amicum tuum (uti ſum revera) declaraveris, & commendatione toties repetita, amplius, quam decebat, exornaveris? An non mutuum ſcabere videar, ſi cum applauſu accinuero, vel admittere facinus indignum, ſi refragatus fuero? Aut ergo mihi potius tacendum, quod ipſe tamen non expetis; aut boni debes conſulere, ut plane recuſem Judicis perſonam:

Itaque ut & morem geram, &c.

Haſce litteras non abſolvi, quia judicium interponendo poſſe me placere non ſenſi.

Admodum Reverendo, ac optimo Patri Thomæ Campanellæ

PETRUS GASSENDUS S.

HAud ægre feres, ut opinor, factum me conſcium tui adventus. Novit illuſtris noſter Fabricius, cui committeret, cum mihi commiſit. Commiſit videlicet Viro continentiſſimo Arcani, & obſervantiſſimo tui. Quem putas verò ex tota Gallia acceſſum tuum cumulatiore cum voluptate accepturum? Maxima certe fuit exultatio, qua te feliciter adlapſum ad oras noſtras comperi, ac me continere non potui, quin fauſta omnia precatus, id maiure ſignificarim. Id inſignis iſtius meæ felicitatis ſenſus exigit, qua tamdiu in hac tum Provincia, tum Civitate detineor; donec te tandem contueri, complecti, & alloqui poſſem. Accede ergo ad noſtrum decus, ac me apud ipſum diverſantem, teque expectantem comperies. Vale. Aquis-Sextiis, ex Fabricianis ædibus 1a1. Calendas Novembris M.DC.XXXIV.

Clariſſimo, cariſſimoque Viro D. Willelmo Schickardo, in Tubingenſi Academia linguæ ſanctæ, & Aſtronomiæ Profeſſori celeberrimo

PETRUS GASSENDUS S.

ANnus fere eſt, optime Schickarde, ex quo nullas dedi ad te litteras. An verò mihi ſperandum fuit, ut pertingere ad te ullæ poſſent in hac tanta rerum Germaniæ, Wittembergæ, Tubingæ etiæ perturbatione? Haud amplius certe, quam mihi ſpondeo fore, ut ad te iſtæ penetrent; adeo omnia adhuc ſunt turbarum plena. Enimverò fortunæ noſtræ, amicorumque optimorum Luillerii, Diodati, Berneggeri committendum aliquid eſt; quoniam non omnia interciderunt, quæ ſunt illorum interventu ultro, citroque tradita. Quin etiam ingenti deputandum lucro, ſi facta, vel ſemel iniqua non ſint, ut propterea nos pigere non debeat operæ in epiſtolis perituris fruſtra conſumptæ. Animos ſane adiicis, quod quæ tu mihi circa obſervatam Lunæ Eclipſin nuperam communicata volueras, ad me uſque pervenerint; utinam verò ad te uſque mala illa non perveniſſent, quæ ex iiſdem litteris intelligere licuit, ac diſplicuit? Quanquam qui vocitentur mala, quæ tu pro conſtantia tua ſingulari, habueris veluti quædam exercitamenta virtutis rerum bonarum maxime? Scilicet, ut Vir ſapiens, conditionem noras rerum humanarum, eaque in boni ſola duxeras, quæ abs te eripere nulla fortunæ iniquitas poſſet. Et durum quidem, graſſante lue, conjuge jam, ac liberis orbum, objectam ſtatim habere patriam neſandiſſimis hoſtibus, qui matrem, patruum, ſororemque immaniter confoderint; verum quò fuere iſta graviora, eò commendatior factus es, quod non propterea illis ſuccenbuiſti, ſed perſtitiſti eadem ſemper fortitudine animi. Id præſtitiſti, ut cognoſceremus, non eſſe inermem virtutem, aut ſapientiam inane nomen; effeciſtique, ut ævum noſtrum gloriari poſſit Philoſopho, quem Seneca, ſi viveret, cum Stilpone illo ſuo copularet. Nos ſaltem felices, quod ipſe incolumis evaſeris, ac eminentia tuæ virtutis deviceris ipſos victores. Sed nempe hoc bonarum artium felicitati debebatur, ut illi Marcello feliciores eſſent, teque ſoſpitem in ea tanta ſtrage reperirent, ac tuerentur. Vive igitur, Vir præclare, & animo illo infracto bene mereri de litteris perge.

Ego, quod te videam ob malignos caſus rerum cœleſtium, ac divinarum non intermiſiſſe curam, ſuppeditare ecce pergo, ſi quid cælitus obſervavi, unde tua illa ſtudia adjuventur. Et poſtularet quidem tuæ circa memoratam Eclipſin obſervationis occaſio, ut quam circa eandem peregi, initio ſtatim reponerem; verum quia expectas præſertim quidquid circa Mercurium a Septembri menſe ſuperioris anni obſervatum a me eſt; eapropter inde auſpicor, memor me idem litteris ſuperioribus præſtitiſſe. Porrò, quia nimis prolixum foret obſervationibus matutinis veſpertinas attexere, quas per eadem tempora habui, aut veſpertinis matutinas; Idcirco ea ſolum appono, quæ unà cum Mercurio, ſeu mane, ſeu veſpere obſervata extiterint. Deſcribo autem ſemper omnia, ut in Commentarios relata comperio.

Anno 1634. menſe Septembri, die 28. ſtylo novo, mane, Aquis-Sextiis in Fabricianis ædibus, reſpergebantur toto Cœlo, &c. *Ut in Commentariis ad uſque diem 19. Octobris incluſive.*

Anno eodem 1634. die Novembri 4. ☿ præter, ſeu ſupra ☉, &c. *Ut in Commentariis.*

Anno eodem 1634. menſe Decembri, die 12. veſpertina, &c. *Ut in Commentariis ad uſque diem 23. incluſive.*

Anno 1635. menſe Januário, die 16. mane, Aquis-Sextiis, &c. *Ut in Commentariis ad uſque diem 7. Februarii incluſive.*

Habes hactenus, mi Schiekarde, quidquid eſt a me Aquis-Sextiis circa ☿ obſervatum. Repetii lareis poſt-modum, a quibus toto abfueram anno; verum ſatis eſſe felicem non licuit, ut ſequutam ☿ poſt Vernum Æquinoctium veſpertinam apparitionem potuerim inde obſervare. Noræ jam tibi querelæ meæ de intercepto nobis præ montium altitudine Horizonte; præ illa terre, ac nubibus, quæ ſatis crebræ extiterunt, quater duntaxat Mercurium, & videre, & comparare cum ſolo Tauri oculo licuit. Id fore præſentiens mandaram Agarraro apud optimum Petriſcium relicto, ut ipſe illeic attenderet, & detectum ſemel ☿ juxta eam praxin, cujus mibi fuerat adjutor, obſervaret. Ac egit ſane ille, quod potuit, eamque adjuturus heic, quæ obſervara ad me tranſmiſit; at, quia ſchedas ejus retexens, haud eam reperio, quæ continere obſervationes Aprileis debuit; eapropter iteratò ſcribo, ut eas quam-primum communicet, quò poſſim ſaltem ad calcem harum litterarum attexere unà cum ſingulari illa, quam ſe menſe Julio peregiſſe ſcripſit circa ☿ matutinum. Dum expecto, ecce interea quid obſervatum mihi ſit.

Anno hoc eodem 1635. menſe Aprili, die 3. veſperi, Diuie, cum flaret Corus, ſed ſatis levis, diſtiterunt inter ſe ☿, & Aldebaram 3000. 2935. hoc eſt, 33. grad. min. 3. $\frac{1}{2}$ Fuit altitudo ☿ grad. 12. ac ſtatim poſt pedis Orionis grad. 25. ac proinde hora 4. min. 16. Sirius, & Lucida ped. ♊ 3000. 2910. hoc eſt, grad. 32. min. 58. $\frac{2}{3}$ deb grad. 33. min. $\frac{1}{2}$


Die 4. ſequente, veſperi, diſtiterunt ☿, & Aldebaram 3000 2701. hoc eſt, 31. grad. min. 49. Fuit altitudo ☿ grad. 11. min. 50. ped. Orionis grad. 24. min. 15. Sirius, & Lucida ped. ♊ 3000. 2920. hoc eſt, grad. 32. m. 58. $\frac{2}{3}$ ut die ſuperiori.

Die 6. ſequente veſperi (ſcilicet die ſuperiori induxerat Africus nubes) diſtiterunt ☿, & Aldebaram 3500. 1831. hoc eſt grad. 29. min 40. Fuit altitudo proxime eadem, quæ heri, Sirius, & Lucida ped. ♊ 3500. 2432. hoc eſt, grad. 32. min. 57. $\frac{1}{3}$

Die 8. ſequente veſperi, Africo obturbante Cœlum, ſed non quantum die ſuperiore, diſtiterunt inter ſe ☿ ægre conſpicuus, & Aldebaram 3500. 1515. hoc eſt, grad. 27. min. 54. $\frac{1}{2}$ Fuit altitudo ☿ grad. 12. ped. Orionis grad. 20. $\frac{1}{6}$ Sirius, & humerus dexter Orionis ægre viſi 3500. 1340. hoc eſt, grad. 26. min. 55. $\frac{1}{3}$ deb. grad. 26. min. 58.

Hiſce de ☿ præmiſſis, tempus eſt exſcribam, quæ obſervata abs me ſunt circa Eclipſin nuperam Lunæ. Et forte quidem jam habuiſti, quæ per Diodatum ab ipſa ſtatim obſervatione ad te tranſmiſi; verum quia non tædet laboris in tui gratiam iterati, & rem uberius in Commentariis, quam tunc ſcripſerim expoſitam habeo, ideirco iſta elicio.

Anno 1635. menſe Martio, die 3. veſperi, Aquis-Sextiis, Eclipſis Lunæ. Flavit Corus, ac cepit nubeis ab hora uſque matutina circiter quarta diſcutere, rarasque ſolum tranſtulit ab hora circiter octava. Ceterum ea fuit venti vehementia, ut vehementiorem non meminerim, & cum ſerenitatis ſpem pro Eclipſeos obſervatione pæne indubiam fecerit; fecerit tamen dubium, exſequi-ne quædam ex iis, quæ deſtinatam, forer paſſurus. Sane, cum a meridie procurarem apponi lintea, quibus via ejus reprimeretur, mirum quanta colluctatione contra nitendum fuerit, ut paucula conſiſterent, nec diſrupta peſſundarentur, &c. *Ut in Commentariis.*



Ipſe, quia malus ſum Pictor, exhibeo heic tibi duntaxat nudum circulum, quem ſi peripheriam intelligas Lunæ *A* erit punctum initii Eclipſeos, *B* immerſionis, *C* emerſionis, *D* finis. Addo punctum *D*, fuiſſe e regione Caſpiæ illius maculæ, ſeu tantillum ſupra ejus medium; *B* paulò ſupra medium pedis majoris illius homunciunis; *C* vix quidquam ſupra aliam maculam quaſi oppoſitam, & æqualem Caſpiæ, & ad lævam umbilici; *A* denique ſenſibiliter ſupra aliam longe minorem, marginisque valde vicinam. Addo iterum ex meis picturis colligi ab *A* in *C* gradus Lunaris circumferentiæ 25. a *C* in *B* 142. a *B* in *D* 30. a *D* in *A* 163. Redeo ad Commentarios.

Reſtat ut ex varia, &c. *Ut in Commentariis.*

Exſcribo hucuſque, optime Virorum, quæcumque circa hanc Eclipſin, etiam ex tua obſervatione in Commentarios inſerui. Acceao verò, unde nuper exultare contigerit. Conquirebam reliquias antiquarum obſervationum, quas transferrem in Codicem, cum inter ſchedas inſperatas occurrit illa, in qua Lunaris Eclipſis ſuperioris anni primario, hoc eſt, cum re ipſa obſervaretur, deſcripta fuerit. Perveſtigavi illico, num quidpiam adnotatum foret, unde momenta, quæ non rorſerunt, corrigi poſſent, vel confirmari. Ecce autem poſt obſervatam Aldebaræ altitudinem 6900. ſeu grad. 34. 36. min. hoc eſt, hora 8. min. 22. cum defectus creſcens foret digitorum 6. $\frac{1}{2}$ reperi hac Stella nube occultata, & priuſquam retegeretur, foretque alta 6780. ſeu 34. grad. 8. min. hoc eſt, hora 8. min. 25. cum defectus foret digitorum 7. Reperi, inquam, altitudinem mediæ trium Baltbei Orionis obſervatam fuiſſe 6050. ſeu 31. grad. 10. min. Igitur magna aviditate ſubducere calculos cepi, ut viderem, num inde tempus exhiberetur ceteris

vel

vel conſonum, vel diſcrepans. Porrò quia exhibitam vidi horam 8. min. 25. adeo ut unius, aut alterius ad ſummum minuti foret diſcrepancia, idcirco haud mala ominatus ſum de tota illa ſerie temporum ex Aldebara deductorum; hæcque occaſio, ut verum ſatear, torporem meum excitavit, ut ad te tandem ſcriberem, id ipſumque ſignificarem. Expendens proinde, quid totum hoc ſit, ut iteratò, ſicubi error deliteſcat, ſubodoreris. Dum hæc ſcribo [res plane mira!] redduntur mihi litteræ a præclaro illo, & ſagaciſſimo Viro Wendelino, in quibus invenio quam obſervationem nuperæ Eclipſeos peregit Herceæ, Lovanium, ut puto, & Leodium inter. Lego autem initium Eclipſeos illaic contigiſſe hora 6. min. 52. $\frac{1}{2}$ immerſionem hora 7. min. 57. $\frac{1}{2}$ emerſionem hora 9. min. 38. $\frac{1}{6}$ repletionem hora 10. min. 43. $\frac{1}{3}$ ut medium fuerit hora 8. min. 48. Mitto quam præclare obſervatio iſta cum Aquenſi noſtra conſentiat, indicata meridianos inter differentia tam ex initio, quam ex fine minutis 5. $\frac{2}{3}$. Cum aliunde ex medio eliciantur minuta 5. ex emerſione min. 6. unica immerſio differentiam ſolum minutorum duorum indicat; quod utri imputandum dicere non poſſum. Suſpicor quidem non fuiſſe illam inter obſervandum uſum teleſcopio; ſed cum iſtud ad coitionem meridianorum faceret, idem argueretur in ceteris punctis. Utcumque ſit, vides profecto ex collata etiam hac obſervatione cum tua, quam nimium tuus meridianus in Geographorum tabulis a noſtris hiſce abducatur.

Hactenus porrò de Eclipſi. Expectas jam aliquot Lunæ ad Fixas appulſus conſcribam; verum hoc anno adeo felicem, ac ſuperiore eſſe non licuit. Certe quos me obſervaturum ad Pleiadas receperam, nubes penitus obvelarunt, niſi quod nocte illa inter 25. & 26. Auguſti, anni ſuperioris, facto ſemel hiatulo, ac jam ſuperatis a Luna Pleiadibus, intervidere Lunam potui a Lucida Pleiadum diſtantem ſecundum lineam διχοτομίας 1685. 1398. hoc eſt, 1. grad. min. 36. $\frac{1}{2}$. Idque, cum Luna alta foret ſuperiore cuſpide 22. grad. 35. min. Erat ipſi Stella ad dextram, & ſitu quidem ſuperior, quaſi tota diametro Lunæ. Obiter autem dixi lineam, διχοτομίας, non centrum; licet ea per centrum agi videretur, quod perpendicularis ex Stella non in centrum caſura, ſed in partem lineæ illius borealem viſa fuerit. Nec verò nubes ſolum craſſæ ſecere negotium tota ea nocte, quæ ſequuta eſt diem 5. Novembris; ſed tenues etiam aliquæ junctæ claritati Auroræ Pleiadas fecerunt penitus inviſas, die 10. menſis hujus mane. Sic fruſtra plane advigilatum circa auſtralem frontis Sagittarii, & die Januarii 24. & die 9. Martii, de quibus Keplerus admonuerat. Sed ne cauſeris nimiam hujus anni ſterilitatem, en adhuc præter monita, treis appulſus ſatis inſigneis.

Anno ſuperiori 1634. die Auguſti 3. veſperi, loca in primis Veneris, Martis, Saturni, & Lunæ adnotata. Expectatu poſtmodum, &c. *Ut in Commentariis.*

Anno eodem, menſe Septembri, die 12. mane, appulſus Lunæ ad Pleiadas, &c. *Ut in Commentariis.*

Anno hoc 1635. menſe Majo, die 30. veſperi, Diniæ, cum ad Lunam attenderem, &c. *Ut in Commentariis.*

Gratum nunc, opinor, habebis, ſi commixtam referam Lunam concurſibus illis trium Planetarum Saturni, Martis, Veneris, qui debuere multis ſub finem Octobris ſuperioris eſſe conſpicui. Itaque, ne hoc etiam loco circa matutinas obſervationes immorer, veſpertinas ita exſcribo.

Anno 1634. menſe Octobris, die 24. veſperi, Aquis-Sextiis, nubibus ſuperſtitibus, &c. *Ut in Commentariis ad uſque diem 3. Novembris incluſive.*

Hæc me admonent, ut exſcribam quod obſervare licuit die 24. ſequente ejuſdem menſis Novembris, cum jam ♀ poſſet obſervari interdiu. Id ſic habet. Occurrens forte Luna in conſpectum, ſub hora 2. a meridie, &c. *Ut in Commentariis.*

An adjungam etiam unam, alteramve obſervationem de ♀ cum ipſo ☉ comparata? adjungam ſane, ac ſimul etiam obſervata contemporanea, ut de ♀ loco certior fias. Itaque anno hoc 1635. menſe Februario, die 3. veſperi, ſplendore ☉ ſatis retuſo, diſtiterunt inter ſe, margine ſuperiore ☉ extante alto, &c. *Ut in Commentariis.*

Die 5. ſequente, veſperi, diſtiterunt inter ſe [& inter rimas quidem nubium] ☉, &c. *Ut in Commentariis.*

Extrema dies, qua hac vice ♀ ad Occaſum vidi, fuit 17. hujus menſis. An videri etiam potuiſſet diebus conſequentibus, niſi nubes obſtitiſſent, incertum. Teleſcopio apparebat adhuc, quaſi falx Lunæ trium dierum, ſine teleſcopio quaſi nubecula, minimeque rotunda, &c. *Ut in Commentariis.*

Die 28. ſequente mane apparuit ♀ inter nubeis adeo magna, ac ſplendida, ut videri haud dubie potuiſſe a quatuor, aut quinque diebus ſuperioribus judicata fuerit, niſi nubes obſtitiſſent. Cum nubes non permiſerint illam cum ☉ comparare, expectavi deinceps, donec ☉ ex Horizonte, ac nube, quæ ipſi incumbebat, emergente, diſtiterunt. ☉ ora occidua, &c. *Ut in Commentariis.*

Die ſequenti, ac primo Martii diſtiterunt inter ſe, Cœlo ſatis pulchro, & Aurora jam clara ♀, &c. *Ut in Commentariis.*

Die 9. ſequenti mane [nimirum diebus ſuperioribus non licuerat propter nubeis] diſtiterunt ♀, & inferior, &c. *Ut in Commentariis.*

Verum, mi Schickarde, modum tandem facio; cum innumera prope alia communicanda ſi ppeterent. Nimirum hæc ſcribo e lecto, in quo me condyloma quoddam ab aliquot diebus ita detinet, ut ſi velim cito, ac plane curari abſtinare ab hiſce jubear. Probro etiam vertitur mihi, quod die 20. menſis hujus vim mihi quandam fecerim nimiam, ad obſervandum tranſitum Lunæ ſupra Pleiadas ante memoratum. Sed ego levia hæc omnia duco; nihil non ſperans ex tenui victu, quem hac occaſione tenuiorem adhuc ſolito inſtituo. Utcunque ſit, obtemperabo amicis tantiſper; addamque heic ſolum, ut liberem fidem, quas accepi proximis diebus ab Agarrato obſervationes. Exſcribo illas, quales ſunt, ſed cenſura adhibita, quatenus conjectura juvat.

Anno 1635. menſe Martio, die 23. veſperi, Aquis-Sextiis, detectus eſt ☿ altus duorum circiter graduum, ſed obſervare comparando cum Stellis Fixis non licuit, &c. *Ut in Commentariis ad uſque diem 25. Aprilis incluſive.*

Agnoſco, has obſervationes, ut ſunt a me recenſitæ, fore tibi haud injucundas. Quod ad matutinam menſis Junii ſpectat, etſi ſpe deluſus aliquot jam annis pene mihi perſuaſeram ☿ quoque

nuper

huper verſantem in ♉, ac in ♊ futurum mane inconſpicuum. Hortatus tamen fueram Agarratum, ut ad illum attenderet, ſi forte uſpiam compareret, & crediderat quidem comparuiſſe die Maii 29. Sed ut optimus Fabricius perſcripſit, Lucida Arietis, non ☿ fuerat. Errore detecto attendit ulterius, eſtque opinatus, ſe illum tandem detexiſſe die ſequentis Junii 2. & cum tam ipſe ☿, quam Lucida Arietis apparerent ægerrime, adnotavit utcumque diſtare ☿ & Lucidam ♈ 2900. 2065. hoc eſt, 22.grad. 55. min. adiiciens ſtatim futuram fuiſſe ex horologio Urbico horam quartam cum quadrante. Nihil tale potuit deinceps ob nubeis dierum ſequentium, ſeu videre, ſeu obſervare; & cum admonuiſſem, ut attenderet, num forte pro ☿, aut caput Meduſæ, aut mandibulam Ceti, aut aliam Fixam uſurpaviſſet, reſcripſit, ſeſe rem exploraſſe, memorem ſitus ejuſce Stellæ; ac pervidiſſe illam haud-dubie extitiſſe Mercurium; ipſe adhuc anceps, imo pæne certus non extitiſſe, nihil definio.

Atque heic demum finis eſto. Propero, ut poſſit amicus craſtina luce diſceſſurus litteras deferre ad Fabricium, qui per memoratos initio amicos, ac pro incredibili erga nos affectu, & ſollicitudine, tranſmitti ad te procurabit. Quæſo te, ſi & Lanzius noſter evaſit incolumis [quod omnibus expeto votis] ſalutem dicas meo nomine cum gratulatione ingenti. Tu verò vale, & me porrò ama. Diniæ XVI. Calendas Auguſti, anno M. DC. XXXV.

E I D E M.

NE traham amplius tam longas moras, Schickarde amiciſſime, mitto ecce obſervationes, quas ante menſem in hac urbe circa ☿ habui; & quam-primum quidem nanciſcor, quas penes optimum Fabricium eodem tempore peregit Agarratus ille, de quo jam ante. Nempe illas attexi meis volui, ut uberius tibi ſatisfieret, unde ſupplere, probare, emendare poſſes. Faxit Deus modo, ut litteræ meæ ad tuas uſque, per hanc bellorum confuſionem, perveniant manus. Occipio a die, quæ præceſſit apparitionem ☿, de qua ſic lego *in Commentariis*. Anno 1635. menſe Septembri, die 15. ſtylo novo, mane, Diniæ. Quod ☿ per hoſce dies exoriturus ſperaretur, &c. *ad uſque diem 2. Octobris incluſive; adſcriptis e regione obſervationibus matutinis, Aquis-Sextiis habitis, a die 12. in 25. Septembris incluſive, prout illas in Commentariis aſſervo, &c.*

Iſthæc dum ſcribo, accipio ecce, Virum optimum peſte interiiſſe.

PETRUS GASSENDUS

MERSENNO SUO S.

ACcepi nudiuſtertius una, eodemque faſciculo treis illas tuas litteras ſuperiori menſe perſcriptas, quibus interpellas eximium Fabricium, ut abs me eliciat, quid ſentiam de quæſtione ſingulari a docto Viro propoſita: *Utrum ſit aliqua demonſtratio perfecte logica, perfecte mathematica, perfecte ſenſibilis, qua probetur dari magnitudinem latitudinis non expertem, qua aliquando, & alicubi ſit in puncto vere mathematico, & cujus puncti nullæ ſint partes, & tamen in eodem ipſo habeat parteis extra parteis?* Ipſe pellubenter depoſcerem tempus ad quæſtionis meditationem, quod heri prælertim tota pæne die intereſſe me, aut etiam præeſſe Sacris oportuerit, nec potuerim huc intendere mentem; verum quia tu tantopere urges, & præſto eſt occaſio reſcribendi Aquas-Sextias ad illuſtrem Fabricium, calamum ecce arripio, & conſcribo raptim, quod ille ad te veredario proximo mittat.

Initio porrò mirabere, ſi rogatus ſententiam dicere, aſpernero nullam; ſed excuſatio mihi in promptu, quod quæſtionem non aſſequar, dum qua de magnitudine ea inſtituatur, non ſatis capio. Profecto, ſi præclarus Vir exigeret, num certa quædam, & explicata magnitudo probari demonſtrando poſſit in puncto exiſtere, haud refugerem explorare, declarareque ſententiam; nunc autem labor, quem ille facit, in conjectando potius, quam in demonſtrando verſatur; & mihi quidem non tam de re, quam de ejus mente eſt addubitatio. Quid verò, inquies, poteſt-ne illi magnitudo alia, quam corporea, ſenſibiliſque, & una, vel plures trium vulgo dictarum dimenſionum intelligi, comparata cum illo puncto, quod ab Euclide eſt definitum? Poteſt, mi Merſenne, quantum ſuſpicor; quando & quæſitum videtur non poſſe dimenſionibus, punctiſque vulgatis quadrare; & Vir præclarus innuit, poſſe ex ejus reſolutione accipere lucem tum Chiaſmum Platonicum, tum aliqua id genus alia.

At quorſum videtur vulgaribus hiſce dimenſionibus non quadrare? Primum, quia longitudinem, ſeu lineam perſpicue excludit; ſcilicet proponit magnitudinem latitudinis non expertem; neque opinandum eſt, Virum, cui garrulitas eſt exoſa, καταχρηστικῶς loqui velle, cenſendo latitudinem illam in longum exporrectionem. Sic etiam non cadit in mentem Virum ſolertem, ac ſerium intelligere, ſeu hanc primam, ſeu dimenſiones ceteras eſſe aliquando, ſive in momento, quod eſt punctum temporis, & pari jure durationem, ſeu magnitudinem temporaneam, ſi corporum affectio ſit, attribui poſſe tam lineæ, quam dimenſionum aliarum punctis. Quippe hæc ſunt nimis ἑτερογενῆ, & ad Sophiſtarum nugas releganda. Præterea autem, niſi velit ſecluſam longitudinem, prout latitudo illam comprehendit, ea tum poſſe obiici, quæ ſunt mox circa ipſam-met latitudinem attingenda. Subinde enim latitudo, ſeu dicta ſuperficies poteſt-ne in puncto conſtitui? In quo-nam amabo? An in aliquo ſui-ipſius? At præter novam κατάχρησιν, non jam in puncto, ſed in punctis innumerabilibus erit, & nullum tamen erit, in quo, ſed juxta quod parteis extra parteis conſtitutas habeat. An ergo in aliquo puncto contigui ſibi corporis? At ſi plana quidem ſuperficies contingat planam, tunc parteis habebit non puncto, vel punctis, ſed partibus æqualibus ſibi attiguis reſpondenteis; & quidquid ipſius dicetur eſſe in puncto contiguo, nihil prorſus erit, præter ejus punctum. Sin autem plana ſphæricam, aut ſphærica ſphæricam tangat, tunc manifeſtius convincetur, punctum id eſſe, quod eſt in puncto; non partem ullam ſuperficiei, quæ parteis extra parteis habeat; niſi ad eas recurratur, quæ non in puncto, ſed juxta ſunt.

An fortaſſis ille recurrat ad Corpus Dominicum, quod, cum ſuis conſtet dimenſionibus, ac proinde habeat magnitudinem latitudinis non expertem, ſic cohæret tamen cum ſpeciebus panis in Euchariſtiæ myſterio, ut totum ſit in minima

parte,

parte, & in quolibet ejus puncto? Qua occaſione diſputatur, & vulgo etiam admittitur, poſſe totam montis ſubſtantiam in punctum confluere, ablata ipſi divinitus, ſeu interna partium extenſione, quæ pleriſque eſt quantitas, ſeu etiam externa detraxat, quæ eiſdem eſt illius affectio; adeo ut partes ſubſtantiæ omnes [ſeu *entitativas* ſolum, ſeu præterea *quantitativas*, ſic loquuntor, poſuetis] rite in puncto coëxiſtant? Attamen puto Virum præclarum ſpirare amplius aliquid, quam quod edocemur in Scholis; ut præteream myſterium Euchariſtici Corporis Fide tenendum, non explorandum aliqua mathematica, ſenſibilive demonſtratione. Adde, quod, cum ex Fide ſit, ſubſtantiam Sacri Corporis in ſpeciebus revera eſſe; fortaſſis tamen non eſt ex eadem, quod quantiras illi ſubjaceat, & miraculum in eo eſt, quod Corpus ibi deſtituatur propria magnitudine, ſicque ne ibi quidem ſit magnitudo ulla latitudinis non expers, quæ in puncto conſtituta parteis extra parteis tueatur. Nihil autem morandum, quod Scholaſtici de confluxu illo ſuperextruunt; quoniam argurantur de re, quæ nullius eſt exiſtentiæ, & eas habet hypotheſeis, quas demonſtratio non admittit. Jam ergo, niſi quæſtio intelligenda eſſe videtur de magnitudine corporea, aut ſaltem ſenſibili, de qua nam tandem intelligetur? Videtur ſane de incorporea, ſeu quæ ſenſum effugiat, & quæ non inani, ſeu vacuo, ſed naturis, quæ ſola mente ſunt perceptibiles, conveniat. Hoc cenſu ille habere poteſt & Deum ter-Maximum, & intelligentias, & humanam animam; ſed Deum potiſſimum, qui & pluribus ſuffragiis incorporeus eſt, & ita magnus canitur, ut magnitudinis ejus non ſit finis. An verò etiam diceret, hanc Dei magnitudinem latitudinis eſſe non expertem, idque non modo prout in ſe perfectione pollet immenſa, attolliturque eminentia plane inſuperabili; ſed etiam prout extra ſe, ſeu verius quodam cum reſpectu, diffuſionem duplicem habet; alteram quidem ſecundum locum, juxta quam Cœlum, ac Terram implet, & ultra hunc Mundum infinite patet; alteram verò ſecundum tempus, juxta quam omni ævo conſtat, eſtque initio omni ſuperior, omni fine ulterior? An diceret etiam quæ puncta in loco, rebuſque locatis, itemque in tempore ſunt, ejuſmodi eſſe, in quibus cum mathematica ſint, & nullas parteis habeant, ipſa magnitudo divinæ ſubſtantiæ revera exiſtat, parteis ſic habens extra parteis, ut illæ ſint ſemper, & ubique eædem, vel potius una, & ut ſic loquar, uniſſima res, ſeu ſubſtantia; quippe quæ admittatur tota in toto loco, ac tempore, & tota in qualibet parte (quod etiam proportione quadam & de Angelis, & de animabus rationalibus conceduot) poſſet dicere; verum aliò reſpexiſſe videri poteſt.

Etenim quid prohibet illum intelligere animæ ex Timæo compoſitionem? Duas certe illius parteis admiſerunt Pythagorei, & Pythagoreos imitatus Plato; alteram μεριστὴν, dividuam, utpote corpoream; cum ſit quidam veluti flos, ac portio quædam puriſſima, tenuiſſimaque materiæ; alteram ἀμερῆ, plane individuam, hoc eſt, ipſam mentem incorpoream; cum ipſa ex natura ſua ab omni materiæ concretione libera ſit. Ac non memoro quidem quorſum tendat ejuſcemodi contextura, ſeu ad explicandum quò pertineant, τὸ θυμοειδὲς, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, mortalia; quò τὸ λογιστικὸν, immortale; ſeu ad inſinuandum quo vehiculo mens, quæ ſit divinæ particula auræ tranſmittatur in corpora, & quæ ſunt hiſce conſequentia. Id ſolum dico, quod ad rem eſt, Deum, cum ex mente illorum has duas naturas, alteram dividuam, alteram individuam συνεκεράσατο commiſcuit, id effeciſſe, ut magnitudo latitudinis non expers, ut puta res dividua conſociaretur veluti puncto, rei ſcilicet individuæ, & hac ratione ſimili puncto vere mathematico; ac in ipſo partium experte, haberet ipſa parteis ſuas. Certe niſi præclarus Vir hoc, aut ſimili ſe explicet modo, non video quorſum reſpiciat. Et poſſum quidem toto Cœlo in comminiſcendo erraſſe; ſed hoc ipſe turpe non duco, neque ægre feram, ſi magnæ hallucinationis convincat; quando nec videri volo Oedipus, nec me Sphinga domi habere profiteor. Res ipſæ ſunt, quas avide, quantum licet quidem ſcrutor, & addiſco; obſcura verba, quæ obtruduntur, data opera parum curo. Hinc ſi ridiculum me putes, quod evagatus tam longe fuerim, vide, qui ſis ipſe dignandus, qui me tam impenſe ad id provocatis. Quin etiam tibi ipſi verte, ſi nihil lucri ex tot jam verbis abs me effuſis retuleris; puta quia nihil adhuc reſponſum ad quæſtionem propoſitam: *Utrum ſit demonſtratio, qua probetur, &c.* Siquidem ipſe in cauſa es, qui rem ſollicitaveris mihi non certam, nec præfinitam, quique providere debueris an-non ſic excurrendum foret, ut explicaretur, ſi forte aliquid occurreret, unde ipſa de re conſtaret.

Utrum, bis etiam valere juſſis, inſtigabis præterea, ut poſtrema expoſitione tanquam germana ſuppoſita, explicem quid videatur eſſe de demonſtratione ſentiendum? Si ſacis, rem improbam petis; cum noveris, me nihil minus, quam demonſtrationes jactare, & ſpecies tamen ipſa quæſtionis demonſtrationem exigat, ſeu quis reſpondendo affirmet, ſeu neget. Enim-verò, ut partim tibi quadam ratione morem geram, partim meo me genio ἀπορητικῷ permittam, reſpondebo non demonſtrando, ſed addubitando ſolum, uti revera heic multa ſunt, quæ hæſitationem pariunt. Ac primum quidem, quod non percipiam quid ille vocet demonſtrationem, nec quibus principiis niti ipſam velit. Videlicet cum ratio, & efficacia demonſtrationis alia ſit apud Platonem, alia apud Ariſtotelem, alia apud Epicurum, alia apud alios; non apparet mihi quæ forma demonſtrationis ipſi probetur. Conjicio ſolum, Virum præclarum non exigere vulgarem, ſeu Ariſtotelis ipſius, qui demonſtrationem depinxit, qualem proferre nullam potuit. Inſinuat ipſe habere ſe ſpeciale quoddam organum, quo juxta propria Placita demonſtrationes contexantur. Verum ſi taleis exigit, proferat ipſe potius; neque enim æquum videtur, ut hariolemur iterum, quid ille aſſervet in penu. Forte eſt ipſi duplex Criterium; intellectus puta, & ſenſus, quando demonſtrationem poſcit Logicam, & ſenſibilem, cum aliunde illa, quam & mediam habet, & Mathematicam appellat, ſenſibilis ſit, propter immerſionem quantitatis in materiam, & intelligibilis, propter abſtractionem ab eadem. Neque verò arbitror illi demonſtrationem Logicam dici, quæ tradatur in Logica, vel ſit de rebus Dialecticis, niſi fortaſſis Logicam, ſeu Dialecticam non Stoico ſenſu, aut Peripatetico, ſed Platonico uſurpet. Verum quæcumque tandem ratione demonſtrationem accipiat, videtur ſaltem admiſſures, illud univerſe dici demonſtrari, quod ita evidens ſit, ut mens plane certa de illo reddatur.

Cete-

Ceterum ſeu compoſitam, ſeu ſimplicem animam dicat, cum illam habeat, vel ex toto, vel ex parte ſaltem, ſubſtantiam incorpoream; non video, qui poſſit exinde contexi demonſtratio, ſeu evidens ratiocinatio, certa habenda ipſi Lyceo, quod nihil ducit incorporeum, niſi τὴν ἐντελέχειαν, hoc eſt, inſeparabilem a corporibus perfectionem; aut ipſi Porticui, quæ nihil niſi τὸ λεκτὸν, ſeu ſignificationem vocis; aut ipſis Hortis, qui nihil niſi τὸ κενὸν inane puta, ſeu rerum locum. Neque dicas nihil curandum, quod illi poſſint manifeſtam veritatem abnuere; etenim ſi illa fuerit manifeſta, intellectum ad aſſentiendum non dico ſuadebit, ſed coget. Quis certe propriis oculis in meridiano Sole apertis, flectere mentem valeat, ut refragetur aſſerenti, eſſe tunc diem potius, quam noctem; atqui perfecta demonſtratio eſſe debet ejuſmodi, ut repugnantiam omnem excludat. Dubito rurſus quorſum roget, an poſſit de illa magnitudine eſſe demonſtratio perfecte logica, perfecte mathematica, perfecte ſenſibilis [neque enim treis haſce formas cum diſiunctione proponit] quippe ſi magnitudo illa in intellectum ſolum cadit, nec ſubiicitur ſenſui, quo fieri modo poterit demonſtratio ſenſibilis, & non quidem quomodocunque, ſed ſenſibilis perfecte? Quomodo verò etiam erit perfecte Mathematica; cum numeri, &c. Dimenſiones, & tota illa harmonia, non niſi Analogia quadam, & per translationem ipſi attribuantur? Sed & quomodo poterit Logica perfecte cenſeri, cum rerum pure intelligibilium nulla ſit in nobis perfecta notitia? Siquidem illas non intuemur; ſed negatione duntaxat rerum corporearum ſic enitimur aſſequi, ut nihil tamen niſi fingamus, dum eas adumbratione quadam, ut poſſumus, concipimus. Quod ſi dicas poſſe ex rebus, quæ ſunt perfecte ſenſibiles, intellectum meditatione perfecto mathematica aſſurgere in cognitionem rerum perfecte logicarum; & ex principiis ſtabilitis demonſtrationem contexere, quæ perfecte Logica ſit; attende, quæſo, ut intellectus ſuam illam gradationem faciat, & deprehendes evidentiam ita paulatim imminui, ut ad extremum cum venerit, vix aliqua umbra illius ſuperſit. Et dicant ejuſmodi res manifeſtiſſimas natura. Eæ certe nobis tales non ſunt, vereque, quod attinet ipſas, dicimur habere oculos noctuarum.

Idem porrò dicere licet, ſi ille forte ſenſibilem magnitudinem profiteatur. Quippe, cum ipſam alliget puncto, quod ſuo quodam modo incorporeum eſt, & ſenſum plane effugiens ab intellectu ſolo ſpectatur, ſequitur punctum non intuitu, ſed abſtractione ſolum cognoſci; per detractionem videlicet rerum dividuarum, & habentium parteis, quouſque mens eò perveniat, ut capere ſe quidpiam putet, quod ſit & partium omnium, & diviſionis omnis expers. Non urgeo autem, ut fieri poſſet, punctum revera nihil eſſe, ſed meram fictionem, & hypotheſin, ex genere earum, quæ feliciter Mathematicis ſuccedunt, dum ex illis ratiocinantur, cum juraturi tamen non ſint, illas ſic in rerum natura, ut ipſi ſomniant, exiſtere. Verum hæc, & ſexcenta alia longioris ſunt diſquiſitionis. Finio itaque, mi Merſenne, cum & jam feſſus ſcribendo ſim, & γραμματόφορος urgeat. Perturbate omnia habebis, neque erit unde ſatisfactum potes; ſed veniam tamen non deprecor, quando quod potui, id præſtiti, & in hiſce quidem temporis anguſtiis. Tu & bene vale, & amicos ſaluta. Scribebam Diniæ poſtridie Cal. Nov. anno M. DC. XXXV.

EIDEM.

Significas tuo epiſtolio, Merſenne jucundiſſime, accepiſſe te litteras, quibus reſponſum utcumque eſt ad quæſtionem præclari Viri. Niſi illæ prorſus placuerint, haud me propterea pœnitet, quando nihil hac in re mihi contigit ex inopinato. Attexis ipſe alias quaſdam ſolutiones Problematis; verum de illis dicere mei non duco eſſe officii. Præſtamus quiſque quod poſſumus; atque adeo præter jus eſt exigere quidpiam ſupra vireis. Hoc ſolum dico circa illam, cujus ipſe auctor videris [& in quam etiam Bullialdus noſter, ut accipio inciderat] vix poſſe, quantum coniicio, ſolertiorem excogitari. Hæreſcis ipſe in parabolæ foco; ille etiam pedem in hyperboles umbilico conſtituit; an quod Vir præclarus te admonuit pergendum eſſe ulterius, innuit aliquid attexendum de radiis poſt factam in foco, aut umbilico coitionem diffuſis, quò ex ipſa decuſſatione eliciatur notio Chiaſmi illius, qui apud Timæum? Hoc certe & ipſe opinatus fueram, perſcripſeramque ad Fabricium [noſtrum illud eximium decus] ſed non curaram tamen, aut tibi, aut præclaro Viro innoteſcere, quod neque etiam hæc ſolutio undequaque faceret ſatis.

Ut verò paucis rem jam declarem, reſumo ſolum, quod me ad calcem ſuperiorum litterarum attigiſſe commemini. Nempe mathematicum punctum eſſe meram quandam fictionem, ac hypotheſin; non verò quidpiam, quod revera extare per artem, aut naturam poſſit. Quippe, ut Marcus Tullius Oratorem nobis depingit, qualem reperias neminem; ac ut intelligamus ſolum, tanto fore ſpeciatim quemque Oratorem perfectiorem, quanto propius ad eminentem illam ideam acceſſerit; ita & mathematici puncta, ac magnitudines deſcribunt individuas, non ſane quod taleis indigitent uſquam; ſed ut puncta, aut lineas, aut ſuperficies uſurpaturi intelligamus, tanto congruentius attribui illis hæc nomina, quanto iis, quæ de illis traduntur, definitionibus congruerint magis. Hinc quidquid de punctis, lineis, & ſuperficiebus individuis demonſtratur, præclare ſuccedit, quando explicantur phyſicis punctis, lineis, ac ſuperficiebus, quæ non exuunt unquam rationem dividui; demonſtrationeſque in iſtis tanto veriores efficiuntur, quanto ſua tenuitate propius illis acceſſerint. Solent pari ratione illi hypotheſeis ſtatuere in rerum cœleſtium doctrina, quales tamen ſic ſe habere, ut ſtatuunt, non aſſerant, concentricos, epicyclos, deferenteis, æquanteis, & alia id genus; & faciunt tamen, quod ex ipſis calculus mathematicus intelligatur, procedatque. Sane, cum ad eandem aliqui aſſumant Telluris motum, ceteri quietem, quarum opinionum oportet falſam eſſe alterutram, vides tamen, ut calculus ex hypotheſi utraque texatur. Quod attingo ſolum, ut intelligas nihil me dicere abſurdi, cum puncta, lineas, & ſuperficies a Mathematicis definitas pro meris habeo hypotheſibus; quæque fieri poſſint de rebus, quarum nulla ſit exiſtentia.

Quare & exinde pervidebis, quid momenti habeant, quæ adverſus ſtatuentes continuum ex infectilibus componi, ſubtiliter argumentantur; ut fore diagonium latere quadrati non majus; circulos homocentricos inter ſe fore omneis æquales, atque id genus cetera. Dico jam punctum, in quod radii, ſeu parabolicis reflexi, ſeu hyperbolicis refracti concurrant, non fore unquam

quam

quam mathematicum punctum, ſed duntaxat phyſicum; quare & in puncto partium experte nunquam fore magnitudinem parteis extra parteis habentem. Nam admitto quidem demonſtrationem, quæ fit de radiis, ſeu potius mathematicis lineis in ſuperficiem parabolicam, hyperbolicamve mathematice ſpectatam, & ut plane politam incidentibus, iiſdemque ſeu reflexione, ſeu refractione coëuntibus in mathematicum punctum. At perſuaſum quis faciat lineas phyſicas, ſeu radios Solareis perinde coincidere in punctum mathematicum, & non potius coangustari in ſpatiolum, quod ſenſus quidem judicet punctum; ſed quod mente tamen in tot diſſecari debeat particulas, quot coarctati radii capientur? Sane demonſtratum non eſt, lucem eſſe quidpiam incorporeum, & lucidum radium non eſſe defluxionem corpoream ex luminoſo corpore; quin potius contrarium arguitur ex motu, ex reſilitione, ex commixtione, & aliis id genus; adeo ut radius traiiciatur independenter a medio, ſive ſubjecto, quod in eo ſit, corporeus ipſe, imo corpus tenuiſſimum, gracillimumque. Quod ſi radius eſt quoddam corpus, aut ſaltem non ſine ſubjecto corporeo, vides-ne unum quidem radium in mathematico puncto conſiſtere poſſe; quippe nulla puncti capacitas eſt, quæ corpuſculo illi congruetur. Si hoc verò ſit, quanto minus eſſe poterunt plures radii, hoc eſt, plura corpora; cum non modo punctum eſſe nequeat locus excipiendo corpori; ſed ne plura quidem corpora poſſint per naturam conſiſtere ſimul, ſeu coire in eundem locum? Ridebis forte, quod ſis perſuaſus politiſſimam ſuperficiem poſſe radios reiicere in punctum plane individuum; verum cogita prius nulla arte exprimi poſſe ſuperficiem adeo politam, ut revera ſit cavitatum, & protuberationum expers. Ad ſenſum quidem ita erit, & neque oculus, neque digitus aſperitatem ullam diſcernet; ſed natura tamen ſemper inæqualitatem agnoſcit; idque demonſtratur vel ex eo, quod nulla ſit ſuperficies, quæ non ſemper capiat, retineatque aliquid affuſi humoris; adeo tenuiter vel aqua, vel gluten, vel quid ſimile poteſt in particulas minutulas dividi, quæ & ipſæ hamulis minutioribus incidant in repagula, quibus cohibeantur. Et indica certe inſtrumentum poliens, in quo, & ex quo demonſtrare aſperitatem non liceat imprimendam ſuperficiei? Eſto enim lima, eſto pulvis, eſto quod voles aliud; profecto ſemper efficientur foſſulæ quædam ſenſum fugientes. Deinde, ut nihil dicam de materia, nihil de artificio formæ, ſeu parabolicæ, ſeu hyperbolicæ conſtituendæ, ac nihil morer difficultates plane inſuperabileis, ſi quis velit omnia exquiſitiſſima haberi. Dico ſolum, admiſſà quoque ejuſmodi formà plane exquiſità, radios, qui ex illa eribunt, nunquam coituros in eam confuſionem, quam exigeret punctum illud individuum. Si poſſit quiſpiam mortalium præſtare quidquam in hiſce formis elaborandis, eximius ille eſt noſter Mydorgius. Verum is magni, opinor, ducet, ſi focum, vel umbilicum deducere potuerit ad exilitatem animalculi illius, quod Acari dicitur, vel decimæ illius partis. Sane hoc animalculum pro puncto pæne eſt ſenſui; ac illius ſaltem portio decima tam minuta eſt, & ſimilis puncto, ut nemo ſit illam amplius diviſurus. Porrò cum vel reſectus unus Acari pediculus habeatur ſenſui, ac humanæ induſtriæ individuus; cogita tamen quam ſit amplior ipſa naturæ ſubtilitas, quæ reſolvere illam poteſt in milliones aliquot particularum illarum, ex quibus ipſum contexuit. Aliquot dico; nam natura aliquo uſque tandem procedit, neque diviſionem, reſolutionemve in infinitum molitur. Itaque eſto ſpatiolum non amplius pede Acari, in quod radii confluant; cum id pari jure poſſit dividi in milliones aliquot minorum adhuc ſpatiolorum, habebunt in eo radii ſinguli regiones ſuas inconfuſas; adeo ut quotquot radii coibunt habituri ſint regiunculas inter ſe diſtinctas. Nimirum cum radii liberè vergentes non ita ſint multi [Paradoxica mihi cauſa eſt, quod non ex puncto quolibet ſuperficiei lucidæ diffundantur radii in quodlibet medii punctum] illi, extruſo aëre, aëreiſve corpuſculis; quibuſcum eſſe nequeunt (ne corpora multa ſint ſimul, aut ſeſe mutuo penetrent) ex diffuſis collecti ſiunt; ſimileque eſt, ac ſi comam totis infuſam humeris, vitta colliges in digitum unum. Ut in hac verò conſtrictione non penetrantur mutuo capilli, ſed ſunt ſingulorum loca ſingula in ſpatiolo, quod comprimit vitta; ita & de radiis eſt philoſophandum, habita ratione gracilitatis eximiæ; adeo ut in decuſſatione radiorum ex oppoſitis in oppoſitas parteis procedentium, non per eaſdem hi, ac illi ſpatioli parteis tranſeant; ſed per diſtinctas, & inconfuſas. Et vides, quod vulgo id non advertatur, in quas cogantur anguſtias, qui urgentur, quamobrem fiat, ut trajectæ Solis, ceterarumque rerum ſpecies foraminulo, aut per lenteis optici tubi ita decuſſentur, ut ſitus, & color, ac varietas partium ita perfecte conſervetur? Sed nempe vulgo non attendunt ad ſubtilitatem naturæ, & metiuntur omnia ex iis, quæ vel ſenſus diſpicere, vel manus poteſt elaborare. Quam ſum jam nimius, mi Merſenne; certe pluſquam credideram. Jam ergo demum bene vale. Diniæ Eidus Decembris M. DC. XXXV.

Clariſſimo, doctiſſimoque Viro D. Baptiſtæ Poiſſonio Regio apud Andeis Cognitori, & Procuratori

PETRUS GASSENDUS S.

ACcepi, Vir ampliſſime, quas ad me litteras dediſti pleniſſimas benevolentiæ. Id non merebatur illa qualiſcunque Problematis tui celeberrimi diſcuſſio, quando præſertim non licuit, quod ingenue profeſſus ſum, vel ejus ſcopum ſubodorari. Verum quæ tua bonitas fuit, affectum ita attendiſti, ut pro effectu duxeris, cum ſic erga me fuiſti animatus. Ipſe probe conſcius, quantum balbutierim, non eſt, quod jam amplius auſim muſſitare, ac circa tuum aliud Problema examen inſtituere. Satius longe duco, plane, aperteque ſectari ignorantiam, quam operoſe obducere immenſa quadam argumentatione. Ita ſagacitatem tuam & ſuſpicio, & veneror, cum verſari tibi in mente affirmationis Problematis veritatem coniicio, quæ mihi pro ingenii hebetudine non apparet. Quippe, tametſi prima fronte occurrerit mihi, quam vocant intentionalem ſpeciem, ſeu imago, ac ſimulacrum, quod ex objecto ſenſibili ita per medium effunditur, ut prototypi retinens figuram, ſic recipi totum in toto videatur, ut ſit etiam totum in ſingulis partibus, punctiſque illius, quæ ſint infinita; nihilominus cogitavi ſtatim aliud animo

tibi inſidere; ac præſertim cum ſpecies illa non ſit eadem, ut mea fert opinio; neque in toto medio, neque in quibus-vis ejus partibus; uti neque in diverſis ſenſuum organis, neque in diverſis partibus ejuſdem. Haud ita quidem credi-aur vulgo, paradoxumque nimium videtur, ſi dicatur objectum quodpiam non poſſe idem a multis ſimul reſpectantibus conſpici; attamen ſic rem ſe habere puto, fortaſſisque ipſi conciliarem fidem, ſi tu animo illam agitares. Verum aliud quidpiam, ut dixi, ſpectari abs te ſuſpicor; tantum abeſt, ut jam rurſus prius Problema quaſi retractaturus explicare illud contendam de eadem ſpecie, ſeu imagine, quam ipſe credideris, & contrahi poſſe, & eſſe in puncto vere mathematico, in quo tueatur parteis extra parteis. Videlicet pari ratione reſpondere fortaſſis poſſem, non contrahi ſpeciem in punctum vere mathematicum. Imo, quod Merſennus miretur, luminoſis radiis non contingere, ut in tale punctum unquam coëant, quantumcunque Mortales omnes ad parandum ſpeculum, ſive parabolicum, ſive hyperbolicum connitantur. Hoc autem attingo, quod ipſe potueris in eam luminoſæ ſpeciei contractionem reſpicere, tametſi mihi ſemper videaris & manifeſtiora, & ſublimiora attendiſſe. Ac meas quidem illas nugas pervideres ipſe aliquando ex Commentationibus in Epicuri Philoſophiam, ſi illæ tanti forent momenti, quanti judicantur abs te; ſed ea ſint potius tineis aſſervandæ; neque dubium eſt, quin communis noſter tibi impoſuerit, cum ut de ipſis tanta opinio conciperetur, auctor fuit. Ipſe perinde non impono; cum me tibi eſſe devinctiſſimum profiteor. Tu me, ut cepiſti, ſic amare perge, & vale. Diniæ pridie Calendas Martias, anno M. DC. XXXV.

Viro clariſſimo, amiciſſimoque Martino Hortenſio Delfenſi, ac apud Amſterodamenſeis Mathematico celeberrimo

PETRUS GASSENDUS S.

JAm faceſſat ſilentium, Hortenſi humaniſſime, & pudor nunc tandem excitet torporem. Agnoſco nempe bona fide quantum in te, ac noſtram ipſam amicitiam peccaverim, dum ſemel, atque iterum compellatus nihil repoſui. Verum tu, quod Vir bonus ſis, viro ignoſcas minime malo; quique præ mera ſegnitie non eſt aſſequutus tuam diligentiam. Excuſationem nullam prætendo, quod nec ullam habeam; nec, ſi ſuppetat, ea ſit obiicienda. Præſtat veniam ut deprecari, ita duntaxat conſequi ex bonitate illa naturæ, qua mihi feciſti peccandi fiduciam. Quippe non adeo ſocors fuiſſem, niſi perſpecta indoles tua condonationis ſpem induxiſſet. Ac non raro quidem accinctus, ut ad te reſcriberem, fui; verum vel levi ſemper quadam occaſione interveniente contigit, ut in proximas hebdomades res transferretur; effectumque tandem eſt, ut dum mora moram trahit, ipſa procraſtinatio non in menſeis modo, ſed & in annos evaſerit. Nunc etiam parum abfuit, quin ſcribere adhuc differrem, quaſi id facturus Aquis-Sextiis, quò ſum profecturus intra paucos dies; attamen quia eram nuperæ Eclipſeos obſervationem miſſurus, & aliunde Diodato noſtro pollicitus fueram litteras tandem ad te dare; idcirco placuit paucos potius attexere verſus, quam fieri ampliùs dilationi ſemper producendæ obnoxium. Videbis porrò, qua ratione obſervationem peregerim; ac niſi aliud, ſaltem fidem, verique amorem, & ſtudium probabis. Tu ſi quid iſtic obſervatum pari jure communicato, unà cum ſuperioris anni obſervatis Eclipſibus; nempe quas litteras iuſimas id continenteis, haud accepi. An ipſe quoque non habueris obſervationes de illis meas, incompertum mihi eſt; certe ut haberes, & volui, & per amicos procuravi, quibus commiſi, ut non prius ad Schickardum μακαρίτην illum, quæ deſtinaſſem tranſmitterent, quam deſcriptum foret, quod etiam ad te tranſmitteretur exemplum. Sed μακαρίτην noſti, quæ fata extrema paſſus eximius ille Vir fuerit; & quantum ſui deſiderium reliquerit nobis amicis, & litteratis omnibus, ac rerum præſertim cœleſtium ſtudioſis. Utinam ipſe, ſicuti es, ita te dignum habeas, cui is tradidiſſe lampadem videatur. In id incumbe, quæſo, & attende, quam rari ſuperſint, quibus adyta illa Uraniæ abſtruſiora ſic pateant, ut poſſint quidpiam exequi immortali numine dignum. Non ſtabit per me, quin Diodatus noſter haberi procuret, ac tibi committi divitem commentariorum illius ſuppellectilem; noſti verò quanto ſtudio illam, dum vixit, undique conquiſierit, inſtruxeritque; ſi modo clades illæ ingentes fieri ſoſpitem permiſerunt. Sed de his aliàs, ut & de tua præclara illa Oratione, cujus me exemplo beaſti; cujusque me lectio delectavit mirifice. Habuit Valeſius, quod tu cum ipſo communicatum eſſe voluiſti; exiſtimoque illum jam tibi gratitudinem feciſſe teſtatam. Accipio Argolium opera ipſius ad editionem novarum ſuarum Ephemeridum uſurum; tu velim mihi ſignifices, quid ſperandum eſſe videatur circa Ephemeridas, quarum ſpes facta in præfatione Tabularum Lansbergianarum. Significa etiam, ſi placet, an editionem diſtuleris elucubrationis de diametro Solis, ut ſi res adhuc integra ſit, id, quod circa dedicationem abs me exegiſti, impertiar. Bene vale, ac nunquam me, licet immerentem, amare deſiſte. Diniæ Calendis Martiis, anno M. DC. XXXVI.

Clariſſimo, doctiſſimoque Viro Matthiæ Berneggero, ſupremæ Curiæ in inclyta Argentoratenſi Academia Moderatori ſapientiſſimo

PETRUS GASSENDUS S.

QUod ad te ſcribam, optime, doctiſſimeque Berneggere, tum ex officio, tum ex votis communis noſtri Diodati eſt. Et officii quidem non poſſum ſine rubore meminiſſe, qui toties de me meritum nulla ſum unquam gratitudinis teſtatione proſequutus. Scilicet dum noſter Schickardus, ὁ μακαρίτης, ſupereſſet, quoties, amabo, ultro, citroque litteras te intercedente dedimus, & accepimus! Eras ipſe velut communis utriuſque noſtrum depoſitarius; & ipſe tamen, quod non poſſum non verecunde commemorare, nunquam ad te ipſum, ut, ſeu commendarem, ſeu agerem gratias, vel verbulum ſcripſi. Id ſemper ſat fuit, quod noſter Diodatus ſeſe præſtiturum recepit; tanta me fecit confidentia de tua bonitate ſecurum. Nunc verò

poſt-

Digitized by Google

poſtquam amicus ille longe optimus eſt fato perfunctus, quid differam amplius veniam deprecari, id ipſum agendo, quod dudum, ac ſæpius debui agere, ſcribendo nimirum. Scribo porrò etiam pro Diodati votis, quando is impenſe me ſollicitat, ut quædam ad te carmina in defuncti laudem tranſmittam. An verò poſſim id agere non exaratis paucis verſibus, quibus ruditatem excuſem? Certe Poëta neque eſſe, neque ſalutari unquam volui; & exacto ſemel ætatis efflorescentis impetu ejuſmodi ſtudia plane intermiſi. Nunquam etiam fui ea felicitate, ut mihi ipſe ſatisfecerim, ea patientia, ut idem ſæpius verſando arroſerim ungueis. Quare non injuriâ diu detrectavi, quod ille abs me petiit, donec obteſtanti per beatos maneis, perque jus amicitiæ, iratis Muſis natus videri, quam parum illi obſequens malui? Hoc autem dico, ut lenius feras, ſi quaſi via ſacrâ pergenti obtrudam, quæ ſtomachum moveant. Id ſcilicet ago ex neceſſitate, ſponſorem eundem, ac Patronum, qui compulerit, habiturus. Quin etiam non levis eſt ſpes fore, ut tu, quidquid id eſt, pro tua bonitate caſtiges, aut etiam plane deleas? Ut ut feceris, gratiſſimum erit. Cura modo, ut Lanaius ille, abs quo me amari ſummopere ſentio, ſui me oblitum non putet. Vale.

Ergo morbus iners Marte potentior,
Auſus grande nefas, id caput abſtulit,
Cui per bella, per hoſteis
Tot jam fata pepercerant?
Ergo fœda lues ulcere peſſimo
Schickardum rapuit, quo mage candida,
Illimisque magis nix
Celſo non venit Æthere?
Ergo qui poterat pectore ferreas
Delinire tigreis, mitis, & innocens
Exorare tyrannum
Orci non potis extitit!
O divûm pietas! ô hominum fides!
Quid virtus igitur? Quid probitas juvat?
Quid noviſſe tot arteis?
Quid culmen ſapientiæ?
Quid prodeſt oculis, menteque Syderum
Exploraſſe vias, ſi nihilominus,
Quam cœleſtium inanes,
In Terra premitur ſinum?
Quid linguas Aſiæ, juraque Regibus
Cum priſcis docuiſſe aurea profuit;
Si jam Patria sippo
Mutum pertenui tegit?
Sed fallor; quoniam qua bonus extitit,
Tot rerumque ſciens, parte ſuperſtite,
Diis miſcetur, & alte
Hæc mortalia deſpicit.
Excelſo feriens Æthera vertice,
Stellis inſeritur, quas procul ambiit;
Et præſens ſpeculatur,
Quæ conjecerat eminus.
Spiratque, & propriis eloquitur libris,
Perſis, queis dederat vivere, celſior;
Et dignatus Olympo
Divûm nectare paſcitur.
Felix, qui Patriis, atque domeſticis
Infractus potuit vivere caſibus;
Et paſſus graviora
Hunc finem reperit malis!
Certe, ſi lacrymis quis decoret Virum;
Non quæ pertoleret jam mala defleat;
Sed quæ damna reliquit,
Cum deſiderio ſui.
Æther præcipue lumina contrahat,
Ac fundat lacrimas, nubibus obtegens
Vultum, quod ſacra templa
Myſtes deficiat frequens.
Obducat faciem Phœbus, & aureos
Cincinnos reſciet, quod decus inclytum
Qui ſpectet, celebretque
Hymnis haud fiet amplius.
Exercere choros Cynthia deſinens
Condat ſub tenebris ora nitentia,
Plangendosque labores
Mærebunda redintegret.
Ipſi num varians hactenus obſtitit,
Motusque implicitus, formaque multiplex,
Ne noſcatur, honoris
Quantum debeat aſſequi.
Ille autem poterat fila retexere
Solus; jamque decus reddere cœperat,
Pollens mente ſagaci,
Filum cum Lacheſis ſecat.
Hunc caſum pariter cetera congemant
Velatis radiis Aſtra vagantia;
Queis tantam, remoratus,
Lucem par fuit addere.
Sed tu præ reliquis, inclyte Mercuri,
Cui curas vigiles, & ſtudium tenax,
Ut te nobilitaret,
Me inſtigante, dicaverat.
Vultus quippe tuus ſic patet infrequens,
Sic pars occulitur maxima ſemitæ,
Ut qua proruptus obires,
Nemo ſat bene diceret.
Is verò monitus te reducem gradu
In Phœbi ſolio cum velut arbiter
Cœli deveheberis,
Conſpectum mihi primitus;
Auſum continuo carpſerat impiger
Texendi numeros, legibus orbitam
Certis exhibiturus,
Cum mors improba reſtitit.
Tellus quin-etiam quaſſa remugiat,
Quæ ſeu per Samiæ gentis obambulet
Leges, haud habitura
Talem ſit modo vindicem.
Seu quæ longa jacet, debeat exprimi,
Errorum nebulis, queis ſcatet, eruta,
Non viſura ſit ultum
Deinceps huic oneri parem.
Sic Pontus reboans infremat, & caput
Nereus concutiat, dorſa, quod æquoris
Tiphy deſtituantur,
Inſtructo illius artibus.
Sic aër; quoniam, ſive Parhelia
Scrutari lubeat, ſive quid amplius
Inſpectare per altum,
Haud is Dædalus evehat:
O quas non lacrymas fundere debeant
Nymphæ, mirificis, quæ penetralibus
Naturæ reſerandis
Tanto jam careant Duce!
Quas non ſacra ſimul Pieridum cohors
Arteis ingenuas docta recludere,
Abſiſtente chorago,
Cui Phœbus dederat vires?
Sane ſeu decuit ficta Poëſeos,
Seu vera hiſtoria geſta revolvere;
Nemo doctior illo,
Nemo comptior extitit.
Sin genteis varias alloqui oportuit;
Quas Sol exoriens, quas videt occidens,
Haud ullus peregrinos
Effatus mage calluit.

Illi ſed ſtudium, curaque maxima
Linguam noſſe ſacram, qua ſolet uſui
Immortalibus eſſe,
Priſci gloria Codicis.
Hac eſt, quam repetens Æthereas domos
Excultam retulit, qua modo Cœlites
Interfatur, & audit,
Qua Mortalibus haud licet.
Illeic ergo ſua præmia conſequens
Virtutis, Superûm par ſit honoribus?
Æternumque beatus,
Divûm delicias legat.
Tu verò recolens, quam tibi flebilis
Ejus mors fuerit, non tamen irritos;
O dulciſſime Lauzi,
Luctus perpetuum trahe.
Id cura potius, molliter ut cubet,
Qui vivens animæ dimidium ſuæ
Te duxit; monumenta
Dum fatis pius eripis.
Nimirum violas ſparſeris, ac roſas,
Fetus edideris ſi tibi creditos,
Et doctiſque, boniſque,
Extinctos animaveris.

PETRUS GASSENDUS

DIODATO SUO S.

TRanſmiſiſti jam, ut opinor, ad Virum clariſſimum, amiciſſimumque Martinum Hortenſium, quas ad ipſum nuper dedi literas per Luillerium noſtrum tibi conſignandas, unà cum obſervatione Lunaris Eclipſeos aba me peracta Diniæ, vigeſima die nuperi Februarii. Ceterùm acceſſi deinceps ad hanc civitatem, ſoliroque hoſpitio a perilluſtri, optimo, & nunquam ſatis laudato Nicolao Fabricio Petriſci Toparcha exceptus, reperi illum jam adeptum, quas optaram ipſum in Oriente uſque [pro ea, qua ubivis notitia, & veneratione habetur] ſollicitare obſervationes Eclipſeos Lunæ, quæ contigit ſuperiore menſe Auguſto. Quare & ipſas, ceteraſque, quas conquirere licuit, non prius habui præ manibus, quam tuo rurſum interventu communicandas eſſe duxi cum eodem Hortenſio. Utinam verò ſuperſtes etiam optimus ille Schickardus foret, qui-cum res communicaretur; ſed ne ſara conquerar fruſtra, aggredior potius exſcribere, quæ excerpta mihi, & vel leviter verſata, ſubductaque ſunt, ut hac occaſione tranſdantur.

Obſervationes Eclipſeos Lunæ, quæ contigit anno 1635. menſe Auguſto, die 27. (ſeu, ut vulgus numerat, 28. mane) ſtylo novo, peractæ, ac primum quidem

AQUIS-SEXTIIS.

AUſpicor verò haud immerito ab ea obſervatione, quam in ſuis ædibus, ac obſervatorio proprio optimus Fabricius fieri procuravit. Acceſſivit P. Theophilum Minutium ex Minimorum Ordine, domeſticoſque adhibuit Agarratum, atque Corberanum. Obſtitere plurimum ipſi venti, nubes, ac fulgetra; ſed ita nihilominus, ut & quatuor præcipua puncta non omnino inviderint, & plures Phaſeis intermedias permiſerint obſervitare. Itaque initium Eclipſeos nudo, liberoque oculo ſpectatum tunc contingere viſum eſt, cum ora Lunæ ſuperior adhuc foret ad Occaſum alta 32. grad. 25. min. & Aldebaran 27. grad. 5. min. [nempe ferreo quadrante amplo, & ſingula minuta prima tranſverſalibus oſtendente] unde fuiſſe colligitur ex Luna quidem hora 13. min. 25. ex Stella verò hora 13. m. 21. At reſpectatum teleſcopio, ſeu cum margo Lunæ cepit revera temerari, orbarive luce primaria; adnotatum initium eſt eadem hora Luna adhuc alta 31. grad. 46. min. & Capelle 39. grad. 20. min., unde fuiſſe colligitur ex Lunæ quidem hora 13. min. 32. ex Stellæ verò hora 13. m. 30. Quod ſpectat ad Phaſeis creſcentis defectus, haud fuit omnium ſatis perſpicua, accurataque deſignatio. Tres præcipuæ fuere; obſcuratio ſemiſſis peripheriæ, obſcuratio beſſis, & obſcuratio dodrantis. Ac primum quidem adnotatum eſt, ſemiſſem pæne peripheriæ fuiſſe obſcuratum alto ad Orientem Polluce 10. grad. 5. min. ſeu hora 14. min. 0. $\frac{1}{2}$ Itemque ſemiſſem fuiſſe obſcuratum margine Lunæ ſuperiore alto 28. grad. 55. min. ſeu hora 14. 2. min. Et rurſus, cum videretur paulò poſt deeſſe adhuc quidpiam ſemiſſi, conſequenter tamen fuiſſe aliquid ſemiſſe amplius obſcuratum, Capellâ ad Orientem altâ 45. grad. min. 0. ſeu hora 14. min. 5. $\frac{1}{2}$ Aſſumatur porrò intermedium congruum, & obſcurationi ſemiſſis peripheriæ tribuatur defectus digitorum 7. haud improbabile fuit creſcentem Lunæ defectum *digitorum* 7. contigiſſe hora 14. min. 3. Deinde adnotatum eſt nondum beſſem peripheriæ fuiſſe obſcuratum humero dextro Orionis ad Orientem alto 15. grad. 50. min. [Ita opinor ſcribendum fuiſſe pro 19. grad. 50. min.] ſeu hora 14. min. 10. $\frac{1}{2}$ Et mox beſſem viſum fuiſſe ſiniſtro pede Orionis ad eandem regionem alto 11. grad. 15. min. ſeu hora 14. 11. min. Ac rurſus tamen non amplius beſſe judicatum fuiſſe, Capellâ altâ 46. grad. 10. min. ſeu hora 14. m. 13. Quia verò beſſi obſcurato reſpondet defectus digitorum 9. $\frac{1}{4}$ idcirco probabile fiet, defectum digitorum 9. $\frac{1}{4}$ contigiſſe hora 14. min. 13. forte fuit hora 14. min. 16. Quod prima obſcuratio circa dodrantem mox referenda huc pertinere videatur; ſed ipſa obſervatio relinquenda intacta eſt. Denique ergo adnotatum eſt obſcuratum jam peripheriæ dodrantem fuiſſe, Aquilâ ad Occaſum altâ 15. grad. 2. min. ſeu hora 14. min. 16. quo etiam tempore cuſpis falcatæ Lunæ inferior attigerat infimum limbum. Additur viſum paulò poſt ſuperatum fuiſſe dodrantem, Aquilâ altâ 14. grad. min. 0. ſeu hora 14. min. 21. $\frac{1}{2}$. Quare & accepto congruo intermedio, & reſpondentibus dodranti digitis 10. $\frac{3}{8}$ probabile fiet, defectum digitorum 10. $\frac{1}{4}$ contigiſſe 14. hora min. 20. $\frac{1}{2}$ aut ſi malis hora 14. min. 21. Totalis obſcuratio teleſcopio reſpectata adnotata eſt cepiſſe ad maculam illam ſolitariam, ac veluti Caſpiam, cum ora Lunæ inferior attolleretur adhuc 25. grad. 45. min. & Aquila 12. grad. 5. min. Unde prodit ex Luna quidem hora 14. min. 24. ex Stella verò hora 14. min. 32. $\frac{1}{2}$ Verendum ne paulò maturius ea obſcuratio contigerit; non modo, quia proportio defectus creſcentis ita exigit, ſed etiam quia humero dextro Orionis alto 18. grad. 30. min. ſeu hora 14. min. 24. Dicitur filum duntaxat illuminatæ Lunæ ſuperfuiſſe; & humero eodem alto 19. grad. 2. min. ſeu hora 14. min. 28. fuiſſe filum longe tenuius; adeo

proin-

proinde, ut quidquid lucis deprehenſum poſtmodum eſt ad claritatem ſuperſtitem referendum eſſe videatur. Illa ſcilicet tanta eſſe ad aliquot minuta ſolet, ut facile mentiatur lucem directam, ac primariam. Quare veriſimile eſt, totalem hanc obſcurationem non cepiſſe tardius, quam hora 14. min. 28. Recuperatio luminis prima adnotata eſt contigiſſe, cum nubes occuparent Lunam; ſed mox tamen ante eam fuiſſe conſpicuam, claritate ſcilicet illa ſecundaria jam invaleſcente; idque cum Lyra ad Occaſum attolleretur adhuc 7. grad. min. 50. ſeu hora 16. min. 3. Porrò, quia cum Luna deinceps apparuit, adnotatus eſt quadrans peripheriæ jam reſtitutus, alto ad Ortum pectore Cygni 21. grad. 5. min. unde proditur hora 16. min. 15. Espropter, ſi ſupponamus reſpondere huic quadranti reſtitutionem digitorum 7. $\frac{1}{2}$ & tali reſtitutioni tribuamus vel 6. vel ad ſummum 7. temporis minuta, videtur non potuiſſe prima recuperatio eſſe maturior, quam hora 16. min. 8. Et tempore quidem altitudinis Stellæ Cygni adnotata eſt fuiſſe altitudo ſuperioris marginis Lunæ 13. grad. 10. min. unde prodit ſolum hora 16. min. 4. ſed fidendum magis videtur expoſitæ altitudini, & collationi Fixarum; niſi quod fortaſſis, ne tanta a conſpectu uſque Lyra retardatio inducatur, aſſumi veriſimiliter poteſt hora 16. min. 6. Phaſes decreſcentis defectus neque tam multæ, neque tam certæ, conſtantesque ſunt adnotatæ, ut inſcribi heic debeant. Id conſideratione eſt dignum, quod cum Luna magis, magiſque intra craſſitudinem vaporum demergeretur, ſpecies ejus magis, magiſque ampliari obſervaretur, etiam teleſcopio. Finis reſtat, qui in clara jam Aurora teleſcopio ſpectatus, viſus eſt contingere ſub majori pede homuncionis illius Lunaris, cum ora Lunæ ſuperior attolleretur adhuc 4 grad. 20. min. ſeu hora 17. min. 1. At libera acie ſpectatus, cum eadem ora attolleretur 3. grad. min. 45. unde colligitur hora 17. min. 5. ſaltem, ſi vere parallaxeos, refractioniſque Lunaris habita eſt ratio.

D I N I Æ.

AN addam quid mihi contigerit Diniæ, ac in villa quadam ad montem Coſſonum, in quam me-met cum tota pene ſuppellectile obſervatoria receperam, ob præreptum Urbi occiduum illum Horizontem. Certe, ut nihil cauſer vehementiam venti, fulguraque, & tonitrua, tota pene nocte continentia, ac tandem pluviam ubertimam, quæ effuſa eſt Aurora jam inclareſcente; ipſæ nubes tanta conſtantia, ſeu potius obſtinatione eripuere nobis Lunam, ut vix circa horam a media nocte ſecundam videre illam permiſerint. Id totum quidquid fuit ſcripſi tum Pariſios, fortaſſiſque etiam res fuit cum Hortenſio communicata. Niſi fuerit, ſic jam attexo. Expectabatur brevi hore a media nocte ſecunda, cum ſeries tenuiorum nubium, quas agebat Africus, viſa eſt procedere, ſuccedereque verſus Lunam. Tunc concepta aliqua ſpe intervidendi defectum, & quadratum [more tangentium in coſtis diviſum] compoſitum fuit altitudinibus comparandis, & accepta præ manibus teleſcopia, ac ſchemata defectum Lunæ per ſingulos ſemi-digitos exhibentia [erant nempe mecum adjutores ſoliti] adaucta ſpes, cum Aquila inter hiatum quemdam interluxit, & venti vehementia viſa eſt nonnihil remitti. Igitur Aquilam ſectando, detecta demum Luna eſt præter tenuia nubila, & quantum æſtimare licuit uſurpando teleſcopia, & reſpectando ſchemata. Defectus jam fuit *digitorum* 5. tunc Lucida Aquilæ fuit adhuc alta 340. ſeu 18. grad. 47. min. unde prodit *hora* 13. *min.* 54. & ora inferior 540. ſeu 28. grad. min. 22. unde hora 13. min. 55. Emerſit poſt Luna paulò clarius, cum jam tota ſemi-diametro, aut inſenſibiliter amplius, foret obſcurata. Erat proinde defectus *digitorum* 6. aut tantillum amplius, *forte* 6. $\frac{1}{2}$ fuit tunc altitudo marginis inferioris Lunæ 530. ſeu 27. grad. 55. min. unde prodit hora 13 m. 59. Inconſpicua tunc Aquila; ſed comparuerunt tamen tum Lucida Lyræ, cujus altitudo fuit 475. ſeu 25. grad. 24. $\frac{1}{2}$ min. quam Markab Pegaſi, cujus etiam ad Occaſum altitudo in umbra verſa 765. ſeu 27. grad. 44. min. Ex qua utraque altitudine colligitur, *hora* 14. *min.* 1. Rurſus apparuit Luna, ſed paulò obſcurius, cum jam videretur defectus proximæ *digitorum* 7. aut aliquanto minus, forte 6. $\frac{1}{2}$ fuit tunc ora Lunæ inferior alta 525. ſeu 27. grad. 44. min. unde hora 14. 2. $\frac{1}{2}$ min. & Lyra, quæ ſola comparuit, 465. ſeu 24. grad. 56. min. unde *hora* 14. *min.* 4. Non longe poſt clariſſime quidem, ſed poſtremum tamen viſa eſt Luna, cum defectus æſtimaretur *digitorum* 7. $\frac{1}{2}$ tunc fuit altitudo oræ inferioris Lunæ 517. ſeu 27. grad. 20. min. unde prodit hora 14. 5. $\frac{1}{2}$ min. Et ipſius Lucidæ Lyræ 456. ſeu 24. grad. 31. min. unde *hora* 14. *min.* 7.

P A R I S I I S.

OBſervator fuit egregius ille, & non ignotus tibi, ut opinor, Iſmaël Bullialdus, cui tametſi nubes, ac ventus ab Occaſu hyemali cetera præpedierint, ſequentia tamen non inviderunt. Ac primum quidem, cum defectus creſcens per teleſcopium appareret *digitorum* 7. fuit ipſa altitudo Lyræ in quadrante idoneo 31. gr. 23. m. ac proinde hora 13. min. 37. Cum foret verò defectus *digitorum* 9. fuit altitudo ejuſdem Lyræ 29. grad. 40. min. ac proinde *hora* 13. *min.* 48. Apparuit deinde *totalis obſcurationis principium*, Aquila alta 16. grad. 30. min. ac proinde hora 14. *min.* 4. $\frac{1}{2}$ Et *emerſionis principium* Lyra alta 14. grad. 32. min. ac proinde, *hora* 15. *min.* 40. Denique defectus decreſcens apparuit præciſe *digitorum* 6. cum Lyra foret adhuc alta 10. grad. min. 50. ac proinde *hora* 16. *min.* 12.

R O M Æ.

OBſervatores ibi aliquot; ſed aliquid ſane videtur *πρὸς ἀκρίβειαν* deſiderari. Ut mittam illos, qui nimis multum exorbitaviſſe videntur, duos propono, quibus eſt ſaltem quæpiam altitudo cœlitus deſumpta. Prior eſt optimus ille, & doctiſſimus, clariſſimuſque P. Athanaſius Kirkerus e Societate Jeſu, qui ab eximio noſtro Fabricio provocatus, adhibuit quidem ſocium P. Melchiorem Incoferum ex eadem Societate Mathematicum inſignem; ſed fuit illis præ manibus poſillum ſolum Aſtrolabium; ut minus ſit mirum, ſi prodiderit nimiam temporis anticipationem. Utcunque ſit *initium Eclipſeos* adnotatum eſt contigiſſe Luna alta 29. grad. 30. min. incompertum nobis an centrum, an limbum uſurpaverint; ſed ſuppoſita veriſimiliter altitudine centri, colligitur fuiſſe *hora* 13. *min.* 56. *totalis obſcuratio*, Luna alta 24. grad. 14. min. unde colligitur

Digitized by Google

ligitur *hora* 14. *min.* 45. *Emerſio* quantum licuit per rimas quaſdam nubium, Luna elevata 8. gr. 54. min. unde colligitur *hora* 16. *min.* 33. Poſterior eſt Gaſpar Bertus, Juvenis induſtrius, atque eruditus; ſed is nempe, ut poſtea ſcripſit, & perfunctorie ſolum id egit, puta, ut quibuſdam amicis quoquo modo rem demonſtraret, & moderationem quadrantis, quo altitudines ſunt captæ, commiſit cuipiam adſtantium, ejuſmodi rerum non valde perito. Utcunque ſit autem, *initium* Eclipſeos adnotavit contigiſſe centro Lunæ alto 31. grad. 45. min. & Aquila 19. grad. 35. min. unde colligitur ex Luna quidem hora 13. min. 42. $\frac{1}{2}$ Ex Stella verò, hora 13. min. 51. $\frac{1}{2}$ vel 52. Totalem verò obſcurationem eodem centro Lunæ alto 25. grad. min. 58. & Lyra 18. gr. min. 5. unde colligitur ex Luna quidem hora 14. min. 35. Ex Stella verò hora 14. min. 42.

N E A P O L I.

OBſervarunt duo, hinc nempe egregius Matheſeos Profeſſor Camillus Glorioſus, cum aſſumpto ſocio Bernardo de Magiſtris ſtudioſo Aſtronomiæ; inde Joannes Ladron de Guevarra, præſente Joanne Bapeiſta de Benedictis, perito Mathematico. Et hujus quidem poſterioris obſervatio, neſcio quo pacto non cohæreat, propter nimiam retardationem; nempe Eclipſeos initium refert ad horam 13. min. 51. Ex Lunæ altitudine 32. grad. 7. min. Quo etiam tempore plura horologia pulſaviſſe ſcribit horam 1. $\frac{1}{4}$ a media nocte. Quanquam ſe uſum ſextante addit 7. palmorum Neapolitanorum; quo etiam minutorum partes exhibentur, & quo altitudo Poli Neapolitana comprobata fuit eadem, quæ extat in Saminiati tabulis, ſcilicet 40. grad. 48. $\frac{3}{4}$ min. Ne memorem alia momenta abſque ulla altitudine Lunæ, aut Stellarum prolata; etiam finis Eclipſeos, quem neſcio. quo pacto doctus aliàs Aſtrologus, contigiſſe collegerit Luna jam ſub Horizontem demerſa min. 30. Itaque tutior, & accuratior videtur prioria, hoc eſt, Camilli obſervatio. Certe ille per-quam ingenue profitetur, deeſſe poſſe paucula aliquot minuta circa deſignatum Eclipſeos initium. Quippe Cœlo aliàs undique ſereniſſimo [ô quantum illius a noſtro diſcrimen!] turbatus eſt ipſe ob inumbrationem Lunæ verticem occupantem, cum limbus tamen teleſcopio intemeratus conſpiceretur. Quare & *initium* Eclipſeos contingere eſt opinatus, cum Aldebaram jam attolleretur 31. grad. 55. min. [utebatur autem quadrante palmorum 4. $\frac{1}{2}$] qua ex altitudine colligitur *hora* 14. *min.* 23. $\frac{1}{2}$. Et quia ſubdit hoc commentum morula exigua anteceſſiſſe verum initium, ideo videtur aſſumi poſſe ad minimum pro initio *hora* 14. *min.* 25. *totalem obſcurationem* contigiſſe dicit [addendo hanc obſervationem exactiſſimam, & indubiam] cum jam altitudo Aldebaræ foret 49. grad. 25. min. unde colligitur *hora* 15. *min.* 21. Subiicit, quo tempore fuit *dimidium lucis recuperatæ*, horologium Novitiatus Jeſuitici vicini pulſaſſe præciſe *horam* 10. Et quia adnotarat tempore prioris obſervationis idem horologium pulſaviſſe *ſeptimam*, tempore poſterioris *octavam*, adeo ut diſcrimen a priore ſit horarum 3. a poſteriore 2. Idcirco ſi ad horas 14. min. 23. $\frac{1}{2}$ addiderimus horas 3. vel ad horas 14. min. 21. addiderimus horas 2. colligetur defectus decreſcens digitorum 6. contigiſſe hora 17. min. 21. vel 23. $\frac{1}{2}$ aut diſcrimine perexiguo hora 7. min. 22.

C A H I R I I N Æ G Y P T O.

OBſervavit P. Agathangelus Capucinus unà cum ſocio Joanne Molino Dragomano Veneto. Is exquiſito, ut memorat, uſus eſt Aſtrolabio altitudini Lunæ accipiendæ. Non adnotavit porrò, an centrum, an oram Lunæ attenderit; attamen probabile eſt [ſupponamus ſaltem] attendiſſe centrum. Igitur *initium* contigiſſe refert alta ad Occaſum Luna 27. grad. quare & ſuppoſita, quam ille deſignat, Poli altitudine 29. grad. 50. min. colligitur fuiſſe tunc *hora* 15. *min.* 14. $\frac{1}{2}$ Supputarat ille ex Aſtrolabio horam 15. min. 11. quo exiguo diſcrimine inſtrumenti fides probatur. *Totalem* verò *obſcurationem* cepiſſe Luna alta grad. 15. quare & ex iiſdem ſuppoſitis, colligitur fuiſſe *hora* 16. *min.* 16. $\frac{1}{4}$ Subdit præ Nili humiditate vaporibus, ac nohilis obſervari non potuiſſe, neque recuperationem lucis, neque demerſionem Lunæ infra Horizontem, neque alia.

A L E P I I N S Y R I A.

OBſervavit P. Cœleſtinus a S. Liduina, Carmelita diſcalceatus, unà cum P. Michaële Angelo Capucino perito Mathematico. Ille adfuiſſe ſibi ſcribit varia horologia, ac etiam teleſcopium, quo ſint duodecim Phaſes adnotatæ. Accepit aliquoties Lunæ, ac Stellarum quarundam altitudinem; etſi non refert quo inſtrumento, neque an centri, an limbi Lunæ altitudo extiterit. Ac cetera quidem haberi, & tranſmittenda eſſe ſcribit a memorato P. Capucino. Ipſe interea, quod habuit communicare haud grave duxit. Cepta jam illeic fuerat Eclipſis, cum *prima Phaſis* accepta eſt. Ea ſola eſt communicata, ſicque exhibita, quaſi jam defectus foret $\frac{1}{6}$ *diametri*, ſeu *digitorum proxime* 2. memoratur horologia indicaſſe tunc *horam* 4. *matutinam*, ſeu 16. *a meridie*; ac Lunæ altitudinem fuiſſe 19. graduum. Supponatur autem fuiſſe uſurpatum centrum, & polarem elevationem eſſe Alepi 37. grad. 20 min. colligemus fuiſſe tunc *horam* 15. *min.* 38. adeo ut horologia anticipaverint min. 22. Quod ſi pro duobus digitis detrahantur ex eo tempore minuta circiter 10. haud plane abs re deducemus, *initium Eclipſeos* contigiſſe Alepi *hora* 15. *min.* 28. Sublicit ille *duodecimam*, *ſeu poſtremam Phaſin* fuiſſe obſervatam, cum jam Aurora eluceſceret, & horologia indicarent horam 4. $\frac{1}{4}$ *cum* 5. *minutis*, hoc eſt, ut puto *hora* 16. *min.* 50. & exiguo poſt tempore ſuperfuiſſe ſolum modicam quandam, & dubiam lucem; adeo ut hora 5. [ſeu 17.] completa Luna viſa fuerit omnino demerſa intra tenebras. Intelligere ex his licet ejuſmodi Phaſin, vel fuiſſe finem illuminationis, obſcurationiſque totalis initium; vel certe tam parum ſuperfuiſſe lucis primariæ, ut totalis obſcuratio debuerit incipere poſt unum, aut alterum, tertiumve minutum. Supponantur duo defuiſſe minuta, tunc *totalis immerſio* contingere debuerit *hora* 16. *min.* 52. juxta horologia; adimantur verò minuta 22. propter anticipationem jam expoſitam, debuit eſſe *hora* 16. *min.* 30. & quia talis horologiorum anticipatio ſic increſcebat [ex iis, quæ mox referentur] ut attenta proportione videantur adhuc adimi poſſe min. 3. idcirco *totalis obſcuratio* videtur eſſe referenda ad horam 16. *min.* 27. Ad explorandum porrò horologiorum fidem id facit, quod adiicitur. Die jam inclareſcente, & Luna ſubeunte

craſſio-

craſſiorem vapórum caliginem, illius altitudinem fuiſſe obſervatam grad. 5. min. 30. quo tempore ab horologiis indicabatur hora quinta cum ſemiſſe; ſive a meridie hora 17. min. 30. Siquidem cum ex adnotata Lunæ altitudine colligatur, fuiſſe hora 16. *min.* 56. patet & tunc quoque anticipationem fuiſſe, & auctiorem quidem m. 12. adeo ut tunc horologia anticipando aberraverint min. 34. Porrò & hic error etiam comprobatur, quod cum arcus ſemi-diurnus in ea latitudine ſit hora 6. min. 32. debuerit proinde Sol oriri hora 5. cum ſemiſſa; & tamen eo tempore, quo ab horologiis hora illa demonſtrabatur, aberat adhuc Sol ab ortu 5. aut 6. gradibus (nempe quantum Luna ipſi oppoſita ab occaſu) atque adeo horæ circiter dimidium. Et certe ſit quidem diei inclareſcentia mentio; at non exorientis, aut exorti Solis.

KEBECI IN NOVA FRANCIA.

AN poſtremo addam, quod Mothæus noſter Vayerius litteris primum indicavit, & ipſe deinde facto comperi, extare nempe in relatione rerum novæ Franciæ poſtridie Eclipſeos conſcripta, & Pariſiis edita, quod P. Paulus Junius, & alii PP. Societatis Jeſu ad Kebecom reſidentes [aut certe ad vicinas ædeis B. Mariæ de Angelis] Eclipſin Lunæ magnam ſpectarint, ipſa die Auguſti 27. *circiter nonam veſpertinam*. Sane Eclipſea, aut majore præciſione adnotatæ a Veteribus habentur, & ab Aſtronomis curantur, ut propterea iſta obſervatio qualiſcunque tandem ſit, non fuerit nobis prætermittenda. Utinam verò Patribus illis optimis veniſſet in mentem inſigne quoddam Eclipſeos punctum vel ex horologiis ſuis deſignare. Deum immortalem! quantum exinde quæſitum fuiſſet emolumentum, & ipſi Geographiæ, & expeditionibus, quæ fieri ſolent in eas oras.

Hactenus varias hujus Eclipſeos obſervationes refero. Non inſtituo verò illarum inter ſeſe comparationem, qua ſeu conſenſus, ſeu diſſenſus circa incidentiam, moram, durationem, & conſimilia innoteſcat. Duo quædam ſolum adnoto pro longitudinum differentia. Unum eſt, inde confirmari, quod addubitaveram, meridianum Pariſienſem ab Aquenſi, & Dinienſi longius ad Occaſum diſtare, quam hucuſque ex alia quadam Eclipſi ſuppoſuerimus. Scilicet diſcrimen inter Pariſienſem, & Aquenſem habitum fuit minutorum temporariorum 14. At illud nunc majus intelligitur 32. proxime minutis; adeo proinde, ut Dinienſis [diſtans aliunde ab Aquenſi tribus proxime minutis ad Ortum] vix quidquam minus a Pariſienſi, quam ſemiſſe horæ diſſideat. Porrò id facit, ut jam minus improbabilis videatur illa differentia, quam inter Dinienſem, & Lodunenſem, Pictavienſemve Meridianos collegeramus ex occultatione Reguli a Luna, quæ tum Bullialdo Loduni, tum mihi Diniæ eſt obſervare die 17. Junii, anno 1627. uti ſub finem *epiſtolarum de Mercurio in Sole viſo* obiter adnotatum habes. Quin-etiam ſi Schickardus ipſe, ὁ μακαρίτης viveret, minus exinde miraretur Paradoxum illud, ad quod tum ipſius, tum meæ obſervationes Eclipſeōn, nos vel maxime invitos cogebant; nempe meridianum Dinienſem vix quidquam eſſe Tubingenſi occidentaliorem habendum. Alterum eſt inde conſtare, quam nimis multum tabulæ, chartæque Geographicæ omnes illa Ægypti, ac Syriæ loca a nobis removeant. Quippe parum abeſt, quin treis horas, ſeu gradus 45. inter meridianos Alepi, & Maſſiliæ conſtituant [parum eſt autem Maſſilia Aquis Sextiis occidentalior] cum ex relatis tamen conſtet amplius, quam duas horas, ſeu 30. grad. non debere interſeri. Et dubitavi quidem primum de obſervatione Cahiri, non capiens nempe, qui fieri poſſet, ut tam prope Neapolin, aut ad nos uſque reduceretur; ſed ipſa Alepi facta obſervatio tum Cahirenſem comprobavit, tum ſibi ipſi fidem fecit; quando utcunque dubitare de ceteris liceat, illud ſaltem conſtat, viſam illeic fuiſſe immerſionem Lunæ totalem in umbram. Nam ſi viſa quidem ea fuiſſet exiſtente Luna in ipſiſſimo Horizonte, atque adeo ſtatim orituro Sole; ſcilicet hora a media nocte 5. cum ſemiſſe; ſane tum demum viderentur tres horæ eſſe interponendæ; at quia conſtat Lunam adhuc viſam, obſervatamque fuiſſe, cum jam horæ dimidium ab immerſione effluxiſſet, non poſſunt ſaltem pluſquam duæ horæ cum dimidio interiici. Ceterum, & quia tunc quoque Luna ab Horizonte abfuit 5. aut 6. gradibus, quibus debetur aliud circiter horæ dimidium, eapropter indubium videtur, non eſſe majorem longitudinis differentiam Alepum inter, & Maſſiliam, quam horarum duarum, ſeu graduum Æquinoctialium 30. quod mirabile ſane eſt, & adnotatione dignum.

Hæc enim ita ſe habeant, cumque immane adeo peccetur circa nobiliſſimam, utiliſſimamque artem, vides profecto, mi Diodate, quantum ea fuerit debitura nobilibus curis optimi Fabricii, ſi permoti tandem illius exemplo magni quidam Principes ſimili ſtudio Geographiæ reſtituendæ detinerentur. O quantum illi, & gloriam ſibi, & populis ſuis, hoc eſt, ſocietati generis humani utilitatem compararent? Sed vota jam nimis antiqua, ac neſcio quid ſit porrò ominandum. Ne id obliviſcar, curavit Vir ille eximius Eclipſin Lunæ nuperam in ædibus ſuis per eoſdem obſervari, adhibito præterea *Honorato Buccia*, Theologo Mathematico, Præpoſito Barreſimenſi. Cum multæ porrò fuerint obſervatæ Eclipſeos Phaſes, addo heic ſolum ejus finem, ſeu *primam limbi reſtitutionem*, ſpectatum teleſcopio fuiſſe attentione magna obſervatum, cum Spica Virginis foret jam alta ad Ortum 21. grad. 0. min. ac proinde *hora* 11. *min.* 33. $\frac{1}{2}$. Mihi, ut noſti, idem finis obſervatus Diniæ, ex altitudine quidem humeri dextri Orionis hora 11. min. 36. $\frac{1}{2}$ ex altitudine verò Pollucis *hora* 11. min. 35. $\frac{1}{2}$ hoc eſt, medio congruo *hora* 11. *min.* 36. Quare & differentia longitudinis Diniam inter, & Aquas-Sextias eadem comprobatur, quam ſæpe ſuppoſui trium proxime minutorum. Nempe ex quo ad Snellium ſcribens [dum ille adhuc foret in vivis] ejuſque methodo inſiſtens, habui ipſam minutorum Æquinoctialium 40. Prætereo Eclipſin viſam iſteic fuiſſe infra quantitatem trium digitorum conſiſtere; ut minus ſit mirum, ſi mihi non exceſſerit diametri quadrantem; quem tamen ſtudioſe ad id attendendo attigiſſe juraverim. Prætereo etiam Virum eximium jam reſciviſſe hanc Eclipſin obſervari non potuiſſe nec Romæ, nec Neapoli. Utinam Cœlum fuerit propitium aliis in locis magis diſſitis, in quibus obſervari eandem procurarat. Quæſo te verò, ut cum iſta reſcire Hortenſium curabis, cures quoque, ut ille nos participes ſuarum utriuſque Eclipſeos obſervationum efficiat. Memini illum datis quibuſdam ante biennium litteris adjunxiſſe quaſdam obſervationes Eclipſeon, quas Oxonii

pere-

peregiſſet inſignis quidam Matheſeos, ac Medicinæ Profeſſor; non recordor jam nominis [neque enim ſunt litteræ ad manum] ſed ſi ab illo jam habear, vel habere poſſit quidpiam circa iſtas poſteriores obſervatum, pergratam rem faciet, ſi communicare dignetur. Accepi, Schickardum, quod adhuc tempore Eclipſeos menſis Augusti ſuperſtes foret, illam Tubingæ obſervaſſe. Accepi etiam ejus fratrem Virum præclarum ad eom miſiſſe obſervationem quandam ejuſdem ad oſtia Garumnæ peractam. Utinam Vir doctiſſimus, clariſſimusque Berneggerus utramque illam obſervationem haberet adhuc depoſitam; quò ſicuti agi inter nos ſolebat, dum ſalvus foret, ὁ μακαρίτης, poſſem ab illo accipere? At ſi per tempus jam liceat, ipſum ea de re paucis compellabo. Tu bene vale, mi Diodate, ac me ſemper ama, quemadmodum ſoles. Scribebam Aquis-Sextiis VI. Eidus Aprileis, anno M.DC.XXXVI.

Ad illuſtrem, ac per-amicum Nicolaum Claudium Fabricium Petriſci Toparcham

PETRUS GASSENDUS S.

CUm jam non liceat ex integro obſervationes deſcribere, quas abs te meeum communicatas, & ſupputatione facta in Commentariolos relatas depoſcis, excerpo ſaltem velut compendium, quod tuis interea votis ſatisfaciat.

Eclipſis Lunæ totalis obſervata anno 1635. menſe Auguſto, die 27. (ſeu, ut vulgus numerat, 28. mane) ſtylo novo, ac primum quidem

ALEPI IN SYRIA.

EXordior ab obſervatione, quæ in loco maxime Orientali peracta eſt ab optimis, &c. *Ut in ſuperiore, his exceptis.* Id verò adſcribo, licet urgear, ut agnoſcas uberius, quam ſint futuræ utiles nobiliſſimæ iſtæ tuæ curæ. An commemorabo, quod beaveris me, cum ſignificaſti haud minimam partem hujuſmodi obſervationum ab Eminentiſſimis Cardinalibus procuratam fuiſſe. Intelligo nempe, ſi ſemel Principibus Viris hæc placuerint, fore ut tandem nobiliſſima, utiliſſimaque artium Geographia poſſit inſtaurari. Vetus jam nimis propter illius deturpationem expoſtulatio, quod ipſius reſtitutioni, Viri privati ſint impares, & ſurdi ſint nimis, qui rerum potiuntur, quorumque ea res intereſt præcipue. At ſi tandem Pontifex Summus, aut ſaltem magnus ille Nepos in hanc curam incumberet [poſſet autem facillime per Sacerdotes, ac Religioſos, qui in omneis Mundi regiones mittuntur] Deum immortalem! quanta exinde & utilitas generi humano, & ipſi gloria compararetur? Sane immenſam gratiam apud omneis doctos, ac bonos iniret, & re vel ſolum inchoata, univerſam Rempublicam litterariam demereretur. Quamquam hæc tibi quid occino, qui rem totam apprime tenes. Ergo Vir nobiliſſime, meique amantiſſime vale.

Admodum Reverendo, & Clariſſimo Viro Godefrido Wendelino Condatenſi Canonico

PETRUS GASSENDUS S.

DEcimus pæne agitur menſis, præclariſſime Wendeline, ex quo accepi litteras ante annum abs te conſcriptas. Non eſt verò, quod ſuſpicere meam in reſcribendo moram compenſationem exigere; publica potius cauſa eſt, qua intercluſæ nobis viæ litterarum ultro, citroque dandarum. Et hactenus quidem cauſa perſeverat; verum eximia noſtri hujuſce Viri, & amici incomparabilis ſolertia ferro potentius caſtra perrumpens, viam aperuit, qua jam tandem communicare mutuo poſſimus. Age proinde, nihil cunctemur, cum non ſit præſertim, quod extimeſcamus fore, ut noſtræ litteræ, ſi quas contingat intercipi, nos perduellionis reos convincant. Innoxius nempe calamus nobis, neque πολιτείαν attingens, quando neque ipſi publicis, ſeu rebus, ſeu conſiliis immiſcemur. Quæ tractamus negotia Reipublicæ ſeparatæ ſunt, & commune nihil cum diſſidiis hujuſcemodi vulgaribus habent. Ipſum eſt Cœlum, ipſe eſt Mundus, ipſa rerum Natura eſt, in qua contemplando verſamur, & ex qua nihil poteſt uni diteſcendo accreſcere, quin ſit ſtatim omnium, & communis juris. Nihil in ea diſcriminis, ſeu Celtæ, ſeu Cantabri ſimus; Quare & incolæ mundani poſſumus, ut Diogenes olim, oppoſitas acies toto permeare. Ceterum non eſt, quod propterea exiſtimes, litteris tuis hac vice ſatisfactum iri; abunde erit ſi ſemel nobis glacies hæc ſecta fuerit, & ex eadem porrò detrita, ſperare uberius quidpiam concedatur. Sane & illæ redditæ ſolum poſt ſuperioris anni Solſtitium, non præſtitere, ut poſſem ipſam Solſtitii obſervationem, ubi poſcebas, peragere; ac multum erit, ſi per negotia proxime futurum obſervare liceat. Quippe Pariſios revocor dudum, & me ſola heic detinet Fabricii noſtri nobiliſſimi, humaniſſimi, amantiſſimi conſuetudo. Quocirca & ipſi præſertim debebis, ſi dum remoram injicit, maximam illam, quam exigis Solis altitudinem, ſim Maſſiliæ adnotaturus. Interea ne epiſtola abſque teſſera abeat, ſcito nos illeic nuper adfuiſſe; & cum amplus quadrans præ manibus foret, meridianas aliquot altitudines per biduum acceptas, exhibuiſſe pæne, quam ipſe ſupponis elevationem polarem. Ejuſmodi præſertim fuit altitudo Solis die 12. hujus menſis, in meridie exhibita 65. gr. min. o. $\frac{1}{2}$. Nimirum, cum aliunde foret declinatio Solis Borea 18. grad. min. 22. $\frac{1}{2}$ Æquator deductus eſt altus 46. grad. 38. min. & Polus ipſe 43. grad. 22. min. exigua minuendus Solis parallaxi. Neſcio porrò an inſtrumenti vitio, an aliunde contigerit, ut præcedente 11. die altitudo Solis obſervata fuerit 64. grad. 48. min. onde altitudo Poli deducta 43. grad. 19. min. donta-xat utcunque ſit, eadem 12. die ex altitudine Aquilæ mane obſervata 54. grad. 36. min. intellecta rurſum fuit altitudo Poli 43. grad. 22. min. quæ die præcedente ex altitudine 54. grad. 37. min. habita fuerat 43. grad. 21. min. Sic veſpere ejuſdem diei undecimæ altitudo Spicæ 37. gr. 26. min. repoſuit eandem Poli altitudinem 43. grad. 22. min. Cum die ſuperiore exiſtens 37. grad. 28. min. præſtitiſſet ſolum 43. grad. 20. min. Prætereo Martem veſpere ejuſdem diei 11. altitudine ſua ſumma 40. grad. 18. min. & declinatione 6. grad. 20. min. prodidiſſe adhuc eandem

Poli

Digitized by Google

Poli altitudinem 43. grad. 22. min. Quamvis Saturnus eodem die manc altitudine ſua 24. grad. 28. min. & die ſequente 24. grad. 27. min. non fecerit Polum altiorem, quam 43. grad. 19. min. & 43. grad. 20. min. Id non auſim in ſpeciem refractionis conjicere, uti neque, quod altitudo Cordis Scorpii 22. grad. 7. min. fecit ſolum altum 43. grad. 21. min. miratus ſum magis, quamobrem Arcturus altitudine ſui maxima 6 . grad. 45. min. extulerit Polum ad uſque 43. grad. min. 23. Quo ſe cumque modo res habeat; habes bona fide quid præſtitum fuerit; & non apparet heic quidem obſervationum omnium vel conſpiratio, vel conſtantia, quantam fortaſſis depoſceres; ſed verſatus ipſe in hoc genere, ac non una vice, opinor, deluſus, conatum haud minus probabis. Ad illum certe tui gratia optimus Fabricius, & ego animati idcirco ſumus, ut ſi fortaſſis non liceret ſolſtitialem illam altitudinem obſervare, id ſubſtitueretur, quod eſt enarratum. Porrò ſi illam obſervaro, non quadrante ſolum perficiam, verum uſurpabo maxime Gnomonem, & ſi poſſim quidem, quantum aliàs Gratianopoli, ſex videlicet plus minus orgyiarum. Quippe hoc tibi præſertim cordi, & dummodo res ad libellam, ac perpendiculum componatur, nihil obtineri poteſt exquiſitius. Re peracta, non differam, quominus tecum communicem, ac ſimul etiam alia, quæ circa Eclipſeis, & maximas Mercurii elongationes noſſe peroptas. Impertirer jam aliqua; ſed adverſaria non ſunt ad manum. Habeo in illis pluſculas, cum Solis, tum Lunæ notatas Eclipſeis; & Mercurium quod attinet, apparitiones veſpertinas octo, matutinas quinque, poſtremo hoc triennio, ex quo reviſi Patriam, diligenter obſervitatas. Solebam iſta, & alia, ad optimum illum Schickardum, cum ſupereſſet tranſdere; nunc cum tu eaſdem agites curas, haud invitus ſane profundam. Itaque plura pro otio, & dum Commentarii præ manibus erunt, ac tua etiam epiſtola, ad quam plenior porrò dabitur reſponſio. Velim interea, ſi quid fortaſſis cum illuſtribus illis Viris, & amicis eximiis Myræo, Gevartio, Puteano, & Chiffletio agas, ſalutem dicas meo nomine; & ſignifices quam ſit mihi ſemper clariſſimorum hominum, & cariſſimorum capitum jucunda recordatio. Tu autem vale, & me ama. Dabam Aquis Sextiis XIV. Calendas Junii M.DC.XXXVI.

Hæc abſolveram, cum noſter Fabricius tranſmittere ſe ad te dixit Synopſin quandam abs me compactam obſervationum variis in locis peractarum circa Eclipſin ſuperioris menſis Auguſti, quam ipſe quoque temet iſteic obſervaturum receperas. Adjecit ſe etiam mandaſſe, ut attexeretur exemplum facta a me obſervationis circa Eclipſin noperam, quæ contigit Februario menſe, prout ipſam acceperat cum Hortenſio communicatam. Gratiſſimum id habui, & quia bona forte fuit illi etiam præ manibus obſervatio Eclipſeos, quam ante menſeis quatuordecim in hac orbe peregeramus, ſuaſi, ut curaret ſeligi, ac ſubdi quatuor illa puncta, ſeu momenta præcipua, quæ tu etiam Herce [quantum memini] ſcripſiſti abs te obſervata. Quinetiam quia ſtatis opera Eclipſeos, & in hac urbe eſt obſervatus a Viro Illuſtriſſimo, & Amſtelodami etiam ab Hortenſio, idcirca & hoc ſubjiciendum cenſui; tu conſule boni, & iterum vale.

E I D E M.

RECEPI ante duos menſeis, Wendeline doctiſſime, ſcripturum me uberius, ſi Solſtitium tunc proximum poſſem Maſſiliæ obſervare. Nunc quando, &c. *Habetur ſub titulo, Solſtitialis altitudo Maſſiliæ, epiſtola.*

Viro clariſſimo, amiciſſimoque Martino Hortenſio, Profeſſori Matheſeos Amſtelodami doctiſſimo, atque celeberrimo

PETRUS GASSENDUS S.

ET jam quoque ſcribo per pauca, Hortenſi humaniſſime, plura haud-dubie perſcripturus, ubi Diniam pervenero, quò craſtina luce apparo diſceſſum. Exigo interea ab inclyto hocce, optimoque Fabricio, ut non prius ad Wendelinum, quas ipſi committo, donet litteras, quam exſcribi curaverit, quod poſſit ad te cum hac ſcheda tranſmitti illarum exemplum. Nempe id exopto, ut quidpiam abs me circa diametros luminarium habeas, dum obſervata alia, & commentationes de modo viſionis ex meis adverſariis Diniæ aſſervatis expectas. Delectavit me plurimum, quod heic adhuc adfuerim, cum nobilis ille Tillyæus illuſtrem Fabricium inviſit, ut de te audire, & conſerere jocundiſſimos ſermones liceret. Scito enim nihil eſſe mihi, ut amicitia tua carius, ita vel ſola nominis tui commemoratione jucundius. Spero me tandem Pariſiis menſe Octobri adfuturum. Illinc Deo volente, & facilior, & crebrior erit communicatio. Vale interea, doctiſſime, amiciſſimeque Hortenſi, & ut me cepiſti amare, perge porrò in poſterum. Vale. Aquis-Sextiis, pridie Nonas Auguſti M.DC.XXXVI.

Viro nunquam ſatis laudato Galilæo Galilæi Magni Hetruriæ Ducis Mathematico Primario, ac Philoſopho præſtantiſſimo

PETRUS GASSENDUS S.

PUtas, Virorum optime, clariſſimeque Galilæe, debere me præclarum Virum tranſeuntem prætermittere, non commiſſa per ſchedulam, quam ad te perferat, ſalute? Nec poſſum ſane, nec debeo; tantum jam tempus interceſſit, ex quo litterarum nihil dedi ad te; tam grata mihi in pectore ſemper viget memoria tui. Vereor, ne non ſatis crediturus ſis, quam jucundos de te ſermones cum illo conſeruerimus, aut quantæ vertam felicitati, quoties audire quempiam, qui te fuerit coram allocutus, licet. Ita me Deus adjuvet, ut te ſoſpitem voveo, quò & ipſe quoque frui tuo conſpectu optatiſſimo tandem poſſim. Id, fatis bene volentibus, continget mihi, priuſquam annus proximus prorſum elabatur; quando fixum, ratum, conſtitutum eſt, non rediturum me Pariſios, quin te prius adiero; & felicem iſtam ſenectam amplexibus meis fuero proſequutus. Decrevi nihil emittere ex nugamentis illis meis circa Epicuri Philoſophiam, donec reverſus fuero abs te; utinam

ſis ipſe ſuperſtes, ſi is tandem fetus viſurus ſit lucem. Memorabit egregius Vir, quid me rerum interea heic molientem offenderit; ſcilicet eximio illo teleſcopio, quo me beare dignatus es, effigiari Lunam procuro ſuis lineamentis, & coloribus; qua etiam in re Pictor jam adhibitus fuerat ante duos annos per complureis menſeis. Nunc eidem negotio tanto incumbo ardentius, quanto noſter Fabricius, incomparabilis ille, detinet heic Claudium Mellanum, Pictorem illum, Cælatoremque celeberrimum, quem tu Romæ noſti [certe & ipſe mihi de te quam plurima commemoravit] ut penicillo, ſcalpelloque inſtituto ſubſerviat. Si res ſuccedat, nemo ne prius promeruiſſe exemplum poteſt. Vidiſſe videor in Venere, quæ corniculata etiam-num apparet, futura brevi διχότομος, neſcio quid diſparitatis inter intimam, extimamque oram. Si, cum evader ἀμφίκυρτος, nebuloſior in medio, quam in limbo deprehendatur; tum demum comprobabitur, quod eſt veroſimillimum, τὸ φαινόμενον πρόσωπον, ſimile Lunari quadrare in ipſam. Vale, Virorum optime, meque ſemper, qui ſemper tui ſum obſervantiſſimus, ama. Salutat te quamplurimum illuſtris Fabricius, abs quo quantum & ſuſpiciaris, & ameris, apprime noſti. Scribebam Aquis-Sextiis in illius ædibus XIV. Calendas Decembris, anno ſalutis M. DC. XXXVI.

PETRUS GASSENDUS

GABRIELI NAUDÆO SUO S.

Significaſti, mi Naudæe, obſcurum evaſiſſe me, dum brevis eſſe volui; ecce igitur ut mulctam expendam. Dixeram ipſum Solem Horizonti vicinum, &c. *Habetur ſub titulo, de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis, epiſtola quatuor.*

Clariſſimo, doctiſſimo, amiciſſimoque Viro Martino Hortenſio, Profeſſori Matheſeos apud Amſtelodamenſeis celeberrimo

PETRUS GASSENDUS S.

Alter jam menſis labitur, Hortenſi humaniſſime, ex quo Diodatus, optimus ille, tranſmiſit ad me literas Octobri menſe abs te conſcriptas. Præter deſtinatas ad me, erant, quæ ad noſtrum Valeſium; is ad me, cum eas accepiſſet, remiſit ſubinde, ut pellegerem; ac impenſe ſollicitavit, ut votis tuis facerem ſatis. Hoc itaque eſt, quod aggredior; tum quidem, quia ille efflagitat, tum verò præſertim, quia jam erga te debitor ſum inveteratus. Depoſcis, ut ſignificem, quo artificio Solis, ac Lunæ aucupari diametros ſoleam. Poſtulas etiam, ut cauſam dicam detectæ abs me differentiæ, qua diametri hujuſmodi alia magnitudine in viſum incurrunt, alia per umbram ſeſe depingunt; quam rem video Morinum noſtrum ſecus, quam ſe habet, ad te perſcripſiſſe. Age ergo, conſule boni factum compendium operæ, quando exſcribi juſſi exemplum epiſtolæ ante duos menſeis ad Naudæum Virum amicum, & Philoſophum in Italiam miſſæ, in qua utrumque præſtitum eſt. Obſervata in exſcripto proportio non eſt, nec trabeculæ, nec pinnacidiorum; ſed ipſe ſatis intelliges ex adjuncta hac deſcriptione. Suppono pedem regium, ſeu pariſinum dividi vulgo in duodecim digitos, quemvis digitum in duodecim lineas [ſic dicere ſolemus uncias] & abs me quamvis lineam per tranſverſos ductus in duodecim particulas, ſeu quaſi puncta ſubdiſtingui. Hac ratione trabecula [quæ dimidio pedis craſſitudine non eſt major] deprehenſa eſt continere ſecundum lineam fiduciæ inter pinnacidia extremis appoſita pedes 22. digit. 2. lin. 0. part. 4. univerſo particulas 38308. pro quibus inter ſupputandum ſubſtituere ſoleo ſecantem complementi 261543. Utrumque autem pinnacidium altitudinis aliàs debitæ deprehenſum eſt latum digit. 5. lin. 6. part. 4. univerſe part. 796. Atque hoc quidem addendum fuit; Addendum & aliud circa id, quod conquereris de inobſervabili Lunæ umbra. Sed ſuppono nempe eam trabeculam mira tractari facilitate, ſi circiter medium, vel feneſtrulam debite alta ſuffulciatur. Suppono etiam lucem e feneſtra ita eſſe circumcidendam, ut non multo amplior, quam ferant pinnacidia, ſubingrediatur in ſcenam. Suppono demum ex ea umbra, quam pinnacidium ſuperius in inferiore depingit, reiiciendam eſſe, quam penumbram vocant, accipiendaque ſolum eſſe extrema umbræ nigerrimæ, tanquam includentia id ſpatium, quod Luminaris diameter nulla ſui parte reſpectat. Jam cum res notatu facilis videatur in umbra, quam Sol proiicit, ita corrigo hebetudinem delineationis Lunaris. Parata & ad manum habeo pluſcula alba foliola geminis lineis interſtincta, parallelis illis quidem, ſed intercapedine inæquali in diverſis foliolis, ut ex facta ſucceſſive applicatione plurium inferiori ipſi pinnacidio, internoſci poſſit, ac determinari, quæ intercapedo exquiſite umbra complectatur. Demonſtrationem attexerem, quam in memorata inſinuavi epiſtola; ſed ipſe ſtatim eam pervidebis. Itaque præſtat heic ſubiiciam, quod in illa non attigi [neque verò neceſſe fuit, quando poſtulata ſolum cauſa fuerat diverſitatis diametri ſecundum obtutum, & ſecundum umbram] præſtat, inquam, ſubiiciam quid obſervarim hactenus circa diametralem utriuſque Luminaris quantitatem. Ac primum quidem prætereo, quod ſuperiore Æſtate, vigeſima nempe menſis Junii obſervavi Maſſiliæ, ubi uſurpare trabeculam licuit pedum 36. digit. 1. lin. 7. part. 7. univerſe particularum 62443. Cum mecum enim detuliſſem, ipſique appoſuiſſem eadem pinnacidia latitudinis particularum 796. umbra ſuperioris deprehenſa eſt in inferiore contracta ad digit. 1. lin. 8. part. 10. hoc eſt, univerſe ad particulas 250. ex quibus accipiendo pro dimidio ſuperſtitis lucis 273. ratiocinatus ſum ſemidiametrum Solis eſſe grad. 0 min. 15. ſec. 2. ſeu diametrum totam grad. 0. min. 30. ſec. 4. Superiore nocte, cum Luna foret ad exortum alta gradibus circiter 10. umbra diametri illius decurtatæ quidem apparuerat digit. 2. lin. 1. part. 2. Integræ verò digit. 1. lin. 11. part. 6. unde exhibita fuerat ſemidiameter decurtata quidem grad 0. min. 13. ſec. 38. integra verò grad. 0. min. 14. ſec. 9. ſeu diameter tota grad. 0. min. 28. ſec. 18. Sed hæc ut dixi prætereunda, quando plures iteratæ obſervationes non ſunt. Quippe eò ſolum proceſſeram, ut Wendelino gratificaturus obſervarem illeic loci altitudinem ſolſtitialem, quam, ut hoc dicam obiter, deprehendi eſſe grad. 70.

min.

min. 10. ſec. 55. Quoniam uſurpato ſtylo altitudinis pedum 51. digit. 8. lin. 4. part. 0. hoc eſt, univerſe particularum 89328. obſervavi umbram meridianam minimam pedum 18. digit. 4. lin. 5. part. 10. univerſe particularum 71750. idque detractâ ſolum unicâ particulâ, quod Sol paulò maturius initium ♋ attigiſſet, quam in ipſa meridie diei 21. ubi particulæ fuerunt 31751. adeo proinde, ut fuerit proportio Gnomonis ad umbram qualis radii 10000000. ad tangentem 3554312.

Sed ad diametros Luminarium tandem redeo, quas & ſæpius, & quietius in hac ipſa civitate, ædibuſque ipſis optimi Fabricii obſervare licuit, uſurpata trabecula initio deſcripta. Ergo quod Solem attinet, cum obſervationes paucæ vix ad paucula ſecunda excurrant; plurium tamen conſentiunt, ut Apogæjus ſit grad. 0. min. 30. ſec. 12. Perigæjus grad. 0. min. 31. ſec. 6. Illeic nempe umbra ſuperioris pinnacidii contrahitur in inferiore ad digit. 3. lin. 2. part. 4. univerſe part. 460. heic verò ad digit. 3. lin. 2. part. 6. univerſe part. 450. Quod ad Lunam verò conſenſus ſimiliter eſt, ut Apogæja ſit grad. 0. min. 26. ſec. 37. propter umbram in inferiore pinnacidio contractam ad digit. 3. lin. 5. part. 8. Perigæja verò grad. 0. min. 31. ſec. 6. hoc eſt, præciſe prorſus tanta, quantus Sol etiam Perigæjus, propter umbram ſimiliter contractam ad digit. 3. lin. 2. parte 6. Id mirabere, mi Hortenſi, ſed ego quidem non video poſſe errorem magnum ſubeſſe. Expendes ipſe omnia, & ſi quid vitii, diſcriminiſque obſervando agnoveris, pro tuo candore admonebis. Jam, ut vel unum exemplum habeas diametri per umbram variæ apparentis, prout Sol declivis, aut ſublimis evaſerit; ecce, verbi causâ, ſuperiore Julio, ac die 12. mane, cum Sol foret altus 3. grad. umbra ipſius in prædicto inferiore pinnacidio fuit digit. 3. lin. 3. part. 6. unde colligitur diameter grad. 0. min. 28. ſec. 52. alto verò Sole grad. 5. umbra fuit dig. 3. lin. 3. part. 0. alto grad. 8. umbra digit. 3. lin. 2. part. 8. Sicque deinceps donec a 15. circiter gradu altitudinis, ac in ipſo meridie umbra fuit digit. 3. lin. 2. part. 4. Miſſum autem facio incrementum umbræ eadem proportione a meridie factum, cum & veſpere antecedente, alto Sole grad. 3. fuit ſimiliter umbra digit. 3. lin. 3. part. 6. ſicque rurſum diameter Solis fuiſſet grad. 0. min. 28. ſec. 52. Ad hæc ut exemplum etiam habeas variatæ Lunæ diametri, prout vel ſecundum umbram ſpectatur, vel ſecundum nudum obtutum; idque in diverſis lucis gradibus, ecce cum die 24. ſuperioris Junii, hora 2. matutina, obſervaſſem eadem ratione diametrum Lunæ decurtatam gr. 0. min. 28. ſec. 42. propter umbram digit. 4. lin. 1. part. 0. integram verò grad. 0. min. 28. ſec. 36. propter umbram digit. 3. lin. 3. part. 10. [reſero autem bona fide, cum Luna inter Apogæjum, & Perigæjum media, videri debuiſſet diametri dimidio minuto circiter majoris; ſed nimirum in Plenilunio obſervari poteſt exquiſitius] cum id, inquam, ſic peregiſſem, uſurpavi radium, ac in eiſdem tenebris, ſeu ante natam Auroram, & cum ſola Lunæ reſpectatæ lux transverſum afficeret oculos, deprehendi diametrum ejus decurtatam quidem grad. 0. min. 26. ½ integram verò grad. 0. min. 38. Cum poſtmodum autem Aurora cœpiſſet inclareſcere, obſervavi decurtatam grad. 0. min. 25. ⅓ integram grad. 0. min. 36. ⅔ Rurſus cum dies foret omnino jam clara, decurtatam grad. 0. min 24. integram grad. 0. min. 34. ⅔ Iterum cum exortus Sol verſaretur adhuc inter vapores ſatis denſos, decurtatam grad. 0. min. 23. ⅓ integram rurſus grad. 0. min. 34. ⅓ Denique cum Sol foret jam nitidiſſimus; & dies clariſſima, decurtatam grad. 0. min. 21. ½ integram grad. 0. min. 33. Obiter heic adnota, quod dicere oblitus fueram, diametrum ipſius-met Solis inter vapores exiſtentis, & in altitudine grad. 3. tum, cum per umbram exhiberetur ſolum grad. 0. min. 28. ſec. 52. obſervatam fuiſſe eodem radio grad. 0. min. 33. ½

Ex his jam pernoſces quid tibi Morinus ſignificare voluerit, neque opus eſt aliquid adjiciam circa rationem, quam exigis hujuſmodi apparentiarum. illæ nimirum aliæ ſunt, quam ipſe perſcripſeris; & cum hujuſcemodi ſint, ratio tibi eſt abunde perſpecta. Quippe & ratiociniis tuis in Diſſertatione mecum inſtituta id debeo, ut me ſuſpicio ejus ipſius, quam in prædicta epiſtola expreſſam habes, ſubierit. Ceterum de Morino noſtro nihil aliud dicere poſſum, niſi quod Vir optimus eſt; de ejus opinionibus, deque aſſentatione, aut potius veneratione, quæ illas proſequitur, quid dicendum ſit, ipſe ſatis noſti. Delectavit me plurimum, quod perſcripſiſti de Inſtructione Naucleris veſtris tradita, ut poſſint in India, aliiſque locis Eclipſeis Lunæ obſervare. Delectavit etiam optimum Fabricium, qui procuravit per Generaleis Religioſorum Ordinum ſubditis ſibi Religioſis, qui peregrinantur, deguntve in illis regionibus, idem muneris demandari. Porrò, quoniam Inſtructio illa typis, ut ais, excuſa eſt, pergratum nobis facies, ſi curaveris illius exemplum ad nos transferatur. De Schickardi ſcriptis nihil prorſus audio; ſed nempe longum jam tempus eſt, ex quo ne noſter quidem Diodatus a Berneggero aliquid habet. Noſti quæ ſint earum regionum, viarumque impedimenta. Bene Deus fortunet omnia. Tu bene vale, mi Hortenſi, ac me amare ne deſine. Illuſtris Fabricius te multum ſalutat, proſperaque omnia tibi apprecatur. Scribebam Aquis-Sextiis in illius ædibus, Eidibus ipſis Februariis M. DC. XXXVII.

Viro incomparabili Galilæo Galilæi Magni Hetruriæ Ducis Mathematico

PETRUS GASSENDUS S.

ADeram nuper Aquis-Sextiis, Galilæe clariſſime, præſtantiſſimeque Virorum, cum illuſtris Peiteskii noſtri *τῦ μακαρίτυ*, germanus tuas accepit litteras, & quanta mei mentio facta abs te fuiſſet, oſtendit. Et confeſtim quidem gratitudinem teſtaturus ad te ſcripſiſſem; ſed partim, quæ ad manum erant negotiola interturbarunt, partim deſiderium, ac ſpes agendi coram gratias continuit. Conſtitueram videlicet hoc ipſo anno te convenire, inarſeratque animus, cum ſignificatum e Diodato eſt, gravem morbum ætati jam ingraveſcenti ſuperveniſſe. Quare apparato commeatu, de die diſceſſus deliberabam, cum ecce renunciatum eſt, itinera omnia terraque, marique ſic occupari milite, ut ſine magno diſcrimine penetrari iſtuc non poſſet. Id ubi confirmatum eſt, ac bona ſorte ſimul accepi, te ab eo morbo convaluiſſe, ſic mutare cœpi, ut tandem præſtabilius cenſuerim differre adhuc in paucos menſeis meam verſum te profectionem. Acceſſi interea ad hanc civitatem, & diſceſſuro Lugdunum veredario paucos hoſce verſus exa-

vere placuit, qui Roſſio, Cognatoque tuo, optimis Viris commendarentur. Accipies proinde, & valere me, & geſtare ſemper in mente, meiſque intimis memoriam jucundiſſimam, ac venerationem tui. Quantum verò putas id doleo, quod commemoras, quodque a Diodato jam acceperam, oculorum altero te fuiſſe orbatum? Sed & quantæ putas id mihi conſolationi vertitur, quod perſpectam animi tui moderationem habeo; neque hæreo, quin ſolitâ, hoc eſt, invictâ conſtantiâ caſum iſtum admiſeris, tanquam nihil a conditione humanitatis paſſus alienum? Sit verſetur etiam alter, qui ſupereſt oculus in ſimili diſcrimine; cogito tamen te ad hanc quoque jacturam leniter ferendam eſſe paratiſſimum; quippe ſic affectum, ut quocumque te vel natura, vel fortuna adegerit, lubens, lætuſque conſequaris. Noſti nimirum quantum præſtet ſequi volentem, quam trahi invitum; & patiendi neceſſitatem conſenſione potius lenire, quam repugnantiâ exaſperare. Te verò præſertim conſentaneum eſt ad omnem eventum compoſitum eſſe, qui es jampridem adverſus fatum tantopere exercitatus; quemque vix ullum telum ferire, quod non fuerit prævisum, poteſt. Quæ cæcitas certe inſtare videtur, non ex inopinato continget; neque ſic mœrore afficiet ob hebetatam corpoream aciem, quam voluptate recreabit, ob ſuperſtitem perſpicaciam mentis. Accidat enim; futurus tamen & habendus es, quaſi alter Appius, quo inter Romanos nemo oculatior; aut quaſi alter Democritus, quo [ſeu verum, ſeu fictum ſit, quod de cæcitate ejus dicitur] nemo inter Philoſophos ſolertius, ac penitius naturam rerum introſpexit. An forte etiam non cogitabis præter hoc ſpolium, quod niſi aliud, ſaltem mors ſui faciet juris, ſuperfuturos oculos immortalitatis luce coruſcantes? Videlicet fieri non poteſt, ut extinguantur, aut intereant felices illi oculi, quibus primis conceſſum eſt tot res mirandas conſpicere, & conſpiciendas exhibere. Verum confiteor, ne candorem, modeſtiamque ſummam offendam; addoque ſolum eſſe, quod doleam, niſi te lumine utroque res diſcernentem convenero. Quippe tecum communicare in animo erat præter cetera non contemnendum Paradoxum, *Quod aperto licet oculo utroque, altero tamen ſolum videamus viſione, quam diſtinctam vocant*. Sed quamquam non poſſis ipſe explorare, quæ experiundo mihi contingunt; habebis tamen facile ceterorum experimenta; & vel ex ſolo paralleliſmo motus oculorum tibi cognito conjicies, opinor, opinionem hanc videri plane neceſſariam. Et quæretur quidem fortaſſis, quid alter præterea oculus moliatur; verum conſtabit, illius axem ſic relaxari, aut retrahi, ut plane, prorſumque otietur, & naturæ ductu ex oculis duobus illius axem dirigi, qui valentior extiterit; ut ſolent membra gemina inæqualis eſſe virtutis.

Plura, Deo volente, coram; interea nihil adjicio circa dolorem, quem concepiſti ex immatura optimi, nobiliſſimique Peireskii morte. Sane is ſummo quidem ſtudio bonos, litteratoſque omneis, qua Orbis patet, complectebatur; ſed te ut primas in iis tenere arbitrabatur merito, ita in primis & ſuſpiciebat, & proſequebatur inſigni affectu. Conſcius ſum ipſe quid tui cauſâ procuratum voluerit; quam vehementer inſtiterit, quam obtinere non deſperarit. Et quamquam fortaſſis id tibi, qui es ingenti animo præditus, ἀδιάφορον fuit; ſaltem illius erga te mens eſſe non potuit ardentior; nec per eum ſtetit, ſteturumve fuit, quin maxima cum libertate, tranquillitateque degeres, quod ſupereſt ævi. Me quod attinet, ipſe te ſuperiorem longe hiſce caſibus, inſultibuſque fortunæ duco; iſtamque ſedem habeo, non inſtar infauſti cujuſdam exilii, ſed inſtar opatiſſimi, fortunatiſſimique ſeceſſus. Quaſi verò cordati Viri quidquam amplius deſiderent in mediis Aulæ fluctibus, tumultibuſque civitatum, aut quaſi tibi in hac ætate poſſit aliquid eſſe dulcius, quam procul abeſſe a prophana turba, quæ quaſi bellua multiceps nihil vere humanum ſapit; nihilque, præter ſimulationem, invidiam, perfidiam, ceteraque id genus ſpirat. Iſtic proinde contentus vive, & quantum licet feliciter. Vale. Maſſiliæ III. Eid. Octob. M.DC.XXXVII.

Principi magno, ſapienti, bono, Ludovico Valeſio, Alenſi Comiti, levioris Equitatus per Gallias Magiſtro, & Gallo-Provinciæ Pro-Regi

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

Magne Princeps, commuto locum, Deo propitio, valetudine commutata. Haud eſt verò fas, te inſalutato, ſtationem hanc deſerere, in qua te præmonte fui conſtitutus. Diſcedere nempe teneor AquasSextias, ne Abbas Campinius lareis repetat, quin, ſalute coram accepta, ſalutem ipſi referam præſens. Et plenum quidem robur non eſt; ſed vireis fortaſſis acquiram eundo. Spero certe abunde fore ut ad te brevi redeam, ac præſertim ſi vel Brinoniæ, vel Belgenſerii fueris, ubi adfuturus ſperaris. Spem aliunde fecit optimus Antiſtes, is nempe in cujus *διοικήσει* verſaris, fore ut te etiam conveniat ab Aſſumptione Deiparæ. Fecit & Belrecullios, eximium illud Juvenum decus. Utinam publica negotia illis, mihique felicitatem, hoc eſt, auguſtiſſimam ſimul, ac jucundiſſimam tui conſuetudinem non invideant. Retulit nuper Robertus meus quantâ excepiſſes lætitiâ alterum illum Præſulem a partibus meis futurum. Non hæreo etiam, quin ipſi ſemel, iterumque adeunti te teſtatum eſſe volueris, quam ſis rem tibi facturus gratam. Faxit Numen, ut ipſe olim non inteſtatum faciam, quam tu me ſponte obſtrinxeris, quam ego jure evaſerim tuus. Quod ſpectat certe ad id negotium, ecquid fauſti non ominer, quod felices tuæ intercedant manus? Sex Primarii Viri ſunt, quorum ſuffragiis res peragenda; debetur autem reverentiæ auguſti tui nominis, quod conciliatis quatuor, ſim jam duobus votis ſuperior. Et ex ceteris quidem duobus, alterum deprecari nefas, nimiumque eſt, quod ipſe illi tuam depoſcenti gratiam favere detrectaveris; quid verò alter tibi Pariſiis reſponderit, mihi non conſtat. Id quidquid ſit, maximum fuerit, ſi priuſquam inde diſcedas, Vicarium accerſiveris, qui Sede vacante ſuo utetur jure. Tametſi enim forte reponat ſe jam alii fidem dediſſe, aut, ut det litteras habuiſſe; exigere tamen ex eo poteris, ut quantum per fidem licebit grave non ducat, vel tui cauſâ ſymbolum in me ſuum conferre. Scilicet nullus dubito, quin ſuæ ſpontis adhuc ſit, & fore confido, ut electus Præſul libertatem ipſi pleniſſimam

mam faciat. Recepit quoque præclarus ille, quem primo loco memoravi, ſuis agere litteris, ut conſpirantem illum efficiat. Quid verò non evenerit, ſi ex deſiderii tui teſtificatione acceſſerit pondus? Vide, optime Principum, quantum mihi de te pollicear. Temere ſane, ſi me ſpectem; ſed licentia tamen non illicita, ſi indulgentiam illam tuam, quæ reddidit jampridem me de tua bonitate ſecurum. Vive ſemper felix, & Superis carus, ac bene, imo optime vale. Draguiniani in ipſo diſceſſu III. Calendas Augusti M.DC.XXXIX.

E I D E M.

MAgne Princeps, iterum quidem te interpello; ſed interpello tamen volentem. Nempe conqueſtum te memini, quod ad te non ſæpius, & latine litteras darem. Tametſi verò negotiis nunc diſtineris oppido magnis; emergit tamen, vel potius conſtat ſemper animus liber, ſoleſque inter claſſica, etiam Euterpes tibias audire. Paucis aliunde volo jam te; quoniam ſum ad te brevi rediturus. Occaſionem fecit, qui hæc iter faciens litteras ultro ad te accepit. Is Corculi illius tui magnum agit Vicarium; eſtque in ipſius Eccleſia benemeritus, notusque Præcentor. Cum verò me impenſe amet, exoptetque meum negotium pro votis tuis ſuccedere, ſatagit ipſe quoque illud pro ſua virili promovere. Et quoniam accepit eum Virum, de quo ſcripſiſſe commemini, ab te, ut ejus quoque ſuffragium evincatur, accitum iri; ideo inſinuanda tibi verba cenſuit, quæ ad inſtitutum non parum conducant. An-non patiere, optime Princeps, ut ille tibi ſuggerat, quando mea res agitur, quæ eſt tibi maxime cordi? Major eſt profecto humanitas tua, major benevolentia, quam ut audire lubens detractes. Agnoſces porrò Virum alioquin cordatum, ac omnino dignum, quicum ſermones conſerantur. Excuſationem nullam ſubtexo, quia nullam aba me exigis, ſed vis candide, & quod non promereor, pæne familiariter agi. Fortunet Deus conſilia tua, teque ſoſpitem diu ſervet. Vale. Dabam Diniæ, XII. Cal. Septembris, anno ſalutis M.DC.XXXIX.

E I D E M.

HEm, magne Princeps, quam debeo tibi gratias uberes agere, ob tam profuſam benevolentiam! Scripſiſti ad meum Præſulem, ut ſignificares quid Regi placeret; ut ſponſorem præſtares te poſſe a promiſſis illum reſilire; ut innueres te experiri, quid tui cauſâ facere vellet; uno verbo, ut illum mihi, cerecorum inſtar, quæreres fautorem. Quonam interea, Deum immortalem, dicendi lepore es uſus? Quos ſtimulos non adhibuiſti, vel infixiſti verius? Quos ad perſuadendum, quod intenderas, rationis nervos non contendiſti? Dicam ingenue, viſus es mihi factus te ipſo ſuperior, nec potui mihi non gratulari, ac felicitati magnæ vertere, quod te eum geſſeris mei cauſâ! Habebam certe jam alia; ſed hoc habeo nunc argumentum incomparabilis bonitatis, quod non potuerit etiam in caput conjunctiſſimum eſſe comparatior. Faxit Deus ter-Maximus ſuccedant tibi proſpere omnia, & cum impar ſim, qui grates rependam, ipſe δώροις, καὶ χάρισιν meam ſuppleat infirmitatem. Erit porrò, optime Princeps, cur admirere Virum illum, neſcio qua ex cauſa, ita obriguiſſe, ut cautे Marpeſia fuerit inflexilior. Alium certe neminem novi, qui non ſtatim dediſſet manus, nec puto quemquam eſſe Mortalium ita natum iratis Gratiis, ut vel audito nomine tuo non evaſiſſet obſequentior. Miſit ipſe ſtatim conſultum ecquidnam reſponſurus eſſet; ſed ad illum nempe, cujus intereſt, ut votis tuis non fiat ſatis. Et videbis ſane, cum reſponderit, ut dare non auſus repulſam perſpicuam, hærere tamen ſe inſinuet, quò retrahere pedem poſſit. Ita pæne jam egerat circa obſtrictam tibi fidem; detexi enim quo artificio aduiteretur facere fucum, ut quaſi Proteus deluderet, elaberetur que, quæſito prætextu. Rem totam perſcripſi ad noſtrum, ſi dicere liceat, Campinium, ſubnotavique compedes aureos, quibus ille vinctus tenetur. Indicavi etiam tam illi, quam præclaro Mareſcoto, quid facto opus exiſtimem, ut ſui vel nolens deditionem faciat. Novi quippe eum nihil æque, ac favoris tui jacturam extimeſcere, ſed ut te habet Principem bonum [qui profecto es optimus] ita te eſſe proclivem putat, qui & verba accipias, & excuſationem quamcunque admittas. Quare ſi innotuerit te, non ſine indignatione tergiverſationem ejus excepiſſe, diſplicuiſſeque, quod noluerit ſaltem Majeſtati Sacræ obſequi; haud-dubie devictus coram te procumbet. Quia verò & tuam, ut mihi videtur, dedecet Perſonam, & ille ſe dignum non præſtat, cui ipſe id ſignifices, congruere magis viſum eſt, ut Mareſcotus, cui is aliunde plurimum confidit, rem exequeretur. Vocavi quoque Ber-villam, amiciſſimum ſcilicet caput, in partem quandam operæ, ratus pergrata fore omnia, quando & de me agitur, & de teſtatione tuæ voluntatis, quam irritam fieri non eſt conſentaneum. Tu igitur quidquid id eſt, æqui, bonique ſic conſule, quaſi ipſe ad quidlibet de te audendum me animaris. Vale, Principum optime, & me amare deſine nunquam. Diniæ XV. Eidus Septembris M.DC.XXXIX.

PETRUS GASSENDUS

BORIENÆO SUO S.

AMicorum candidiſſime, reddidit mihi heſterna luce tuus famulus tertium epiſtolium. Occupatiſſimus cum forem, non vacavit extemporaneam reſponſionem conſcribere; is verò recepit ſe illam circa veſperam quæſiturum. Non rediit tamen; quare ne illam nimis retardatam cauſeris, mox expergefactus calamum arripio. Sed hem! mi amice, quam apoſite famulus ingreditur limen, excuſationem ex eo texens, quod heri ad te reverti non debuerit. Ne heic ergo illum diutius detineam, ago paucis immenſas gratias ob ſingulariſſimum affectum; quantum certe tibi debere me ſentiam, ipſe, qui me noſti, conjicere potes. Virum hactenus non conveni, quia, ex quo ipſe diſceſſiſti, pomœrii fineis egreſſus non ſum. Accepi aliunde locum heri fuiſſe pervulgato verſui, ac interpretationibus, ob quam ſibi aſelli ſui jacturam Martinus creavit. Quamprimum tandem & potero, & licebit illum inviſam; quoniam & debeo, & tu hortaris. Expectat adhuc doliolum, virus haud-dubie, non vinum hauſturus. Utinam ex fago comedere vellet; ſed alexipharmacum non curat. Commiſeram huic nudiuſtertius, unde

impo-

impoſturam convelleret de claudo in me pedibus oon eunte. Quid fidei factum, nondum comperi; hodiernus dies forte docebit. Multa haberem præterea; ſed quia adſcribere non vacat, unum, quod lubens intelliges, ſubiicere animus eſt. Accepi nempe litteras a Principe ter-optimo eidibus hujus menſis datas, ex quibus, quia latinæ ſunt, paucos exſcripſiſſe verſus non pigebit: *Nepotis*, inquit, *ad Antiſtitem tuum miſſi, reditum expecto, cujus contumacia tantis a me machinis appugnabitur, ut ſupplices, & victas manus cogamus eum tendere. Cunctatur naturâ meditatur aliquid, quod votis reſpondeat meis. Fortaſſis ſodalium nobis vota conciliat, at confecto negotio gratior ad me accedat.* Sunt plura, ſed heic modus eſto. Tu bene vale, amicorum decus. Ex Muſeolo XIII. Calendas Octobris M.DC.XXXIX.

Principi magno, ſapienti, bono, Ludovico Valeſio, Alenſi Comiti, levioris Equitatus per Gallias Magiſtro, & Gallo-Provinciæ Pro-Regi

PETRUS GASSENDUS
Εὐπρἀττειν.

MAgne Princeps, redit ad te demum Antiſtitis Nepos, litteraſque defert, in quas penetrare, piaculum mihi, ac religio eſt. Vereor tamen ne poſſis de me Euripideum illud uſurpare:

Μάντις ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς,

adeo viſus ſum ad te ſcribens rem ipſam acu tetigiſſe. Perſpicies ipſe quidquid id eſt, & ſi ſit forte aliqua Sphinx, Campinius tibi OEdipus erit. Hoc teſtari poſſum, internuncium tuum ſeſe generoſe geſſiſſe, ac eſſe cur in eo agnoſcas animum plane obſequentem. Eſt etiam quamobrem fidem illi habeas, cum referet ecquid-nam cauſæ remoram tantam iniecerit. Juvabit hoc quoque, ut intelligas quid in receſſu conditum lateat, ac ubi rem pernoveris, id agas pro more, amoreque erga me tuo, quod expedire videbitur. Me quod attinet, longe abſum, ut quidquam præſcribam, aut inſinuem; quando tua illa ſolertia grandiora omnia, & ut ſic dicam, magnificentiora providet, ac præſtat. Certe hac ipſa occaſione feciſti ipſe non rogatus, quod ne in mentem quidem mihi occurriſſet; ac tametſi occurriſſet, nefas duxiſſem, aut ſperare, aut abs te exigere. Ita efficis, ut de te dicere idem liceat, quod de Gratiano Auſonius: *Spem ſuperas, cupienda prævenis, vota prævenis, quaque animi noſtri celeritas, Divûm inſtar, affectat, beneficiis præcantibus antecedit, præſtare tibi eſt, quam nobis optare velocius.* Hinc nihil mirum, ſi ſentiam me tanta hac beneficentia non onerari, ſed opprimi; & [quod durum eſt animo gratitudinem profitenti] pervideam, nullam temporis longinquitatem ſufficere, ut quas debeo gratias debite perſolvam. Hiſce ſi addas immenſam illam benevolentiæ teſtationem, quam expreſſiſti nuperis tuis, iiſque latinis litteris, quid ſupereſſe animi potes? Eſt ſane cur contraham vela; eſt cur non modo ſileam, ſed etiam plane obſtupeſcam, ſcilicet non minorem gloriam Mnemoſyne tibi, quam Bellona parat; quando Viris quoque ſtudioſis, umbraticiſque præripis palmam. Vis dicam quid contigerit? Revocavit mihi in mentem mellita tua epiſtola, quod Carolus IX. Avus ille tuus, Regum generoſiſſimus, ad Petrum Ronſardum carmine perſcripſit; at diſplicuit tamen me eum non eſſe, qui polliceri idem poſſim, quod Coryphæus ille Poëtarum. Quippe ſi prodire quidpiam ex me poſſet, quod genium haberet, unde viveret, ſcripta ad me tua intexerem chartis non igne, non ferro, non vetuſtate abolendis. Quam-potius quoque diſplicuit, non poſſe me, Senecæ inſtar, Epicurum imitari, qui ad Idomeneum ſcribens, rigidæ tunc potentiæ miniſtrum, & magna tractantem [ita loquitur Seneca] *Si gloria*, inquit, *tangeris, notiorem te epiſtolæ meæ facient, quam omnia iſta, quæ colis, & propter quæ coleris.* Pergit autem ille: *Nunquid ergo mentitus eſt? quis Idomenea noſſet, niſi Epicurus illum ſuis litteris incidiſſet? Omnes illos Megiſtanas, & Satrapas, & Regem ipſum, ex quo Idomenei titulus petebatur, oblivio alta ſuppreſſit.* Et poſtea: *Quod Epicurus amico ſuo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili; habeo apud poſteros gratiam; poſſum mecum duratura nomina educere.* Neque verò ipſe quoque Seneca mentitus eſt, quando ſuis epiſtolis ignotum aliàs Lucilium ad nos uſque, & porrò tranſmiſit. Enimverò, cum is non ſim, qui talia ſpondere, aut præſtare valeam, neque profecto tu is es, qui timere debeas, ne tanta tua virtus tradatur unquam oblivioni. Ceterum quod tuo illo ſtylo, in quo gravitas ſententiarum cum elegantia verborum certat, neſcio quid duriuſculum lenias, id dignum ſane tua comitate, ipſeque plane agreſtis ſum, qui ſciam duntaxat larvam larvam, & ſimiam ſimiam dicere. Qualiſcunque ſim, felicem me habeo, quod eo dignaris amare me. Perge id agere, & vale. Diniæ XII. Calendas Octobris M.DC.XXXIX.

Commendatio extemporanea.

COntendunt ecce in Italiam pereruditi Juvenes Baptiſta Baillius Normanus, & Ludovicus Derodo Delphinas; & quia inviſum non præteribunt maximum illum Galilæum, quem affari ut coram poſſint, peregrinationem præſertim ſuſcipiunt, idcirco ſciant ſe maximum operæ-pretium eſſe facturos. Videlicet Virum convenient, famâ ſuper Æthera notum, & quo alium non extulit ætas hæc noſtra glorioſiorem. Quippe tametſi Orbis terrarum laudatis Virorum illuſtrium ſcriptis, factiſque circumſtrepit; horum tamen omnium memoriam ſilentium altum brevi involvet, nomen, quod ille Cœlo inſcripſit, donec cœleſtia curæ erunt, apud homines perennabit. Quæſo præclaros Juvenes, ſalutem meo nomine dicant; ac perſuaſum habeant invidere me, quod unà adire, Virumque complecti perinde non liceat, obſtantibus fatis. Apprecor illis fauſtum iter. Aquis-Sextiis raptim, XVI. Calendas Novembris M.DC.XXXIX.

PETRUS GASSENDUS

BORIENÆO SUO S.

DEbeo multa, perſolvo pauca; ſed ſatius eſt aliquid demum, quam nihil omnino reponere. Perſpectum habeo quidquid tibi mei ergo contigerit; non fuit verò id tibi ferre

ferre, quam mihi audire ingratius. Te ſcilicet amoris candor facere potuit alacrem, me, quod cauſam præbuerim, non potuit angor non occupare. Hoc uno ſum nomine felix, quod tu me nec ignarum habes, nec immemorem tanti tui affectus. Utinam liceat, quantum me tibi devinctum agnoſcam, opere teſtari. Spero ſaltem fore, ut olim meminiſſe iſta nos juvet; ubi mutuo in apricis illis, viridariisque fabulabimur. Vale interea, ò candidum, & dulce amicorum decus. Aquis-Sextiis Non. Novemb. M. DC. XXXIX.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

OPtime Princeps, en redit Campinius abs te, nec defert tamen litteras, quas receperat abs te poſtulare. Eæ ſunt, quas pro tua illa incomparabili bonitate conſcribere dignatus es ad Graſſenſem Epiſcopum. An-non boni conſules, ſi quas ille oblitus eſt, exigam jam per famulum, quando ipſe nequeo te coram adire? Conſules haud-dubie, neque eum habebis, quo obſequentiorem non devinxeris, neque obſervantiorem tui. Vale. IX. Calendas Februarii M. DC. XL.

E I D E M.

SCribere nolui, ſed ire ipſe; obſtitit tamen neſcio quod fatum. Id perrumpam, Deo propitio, nec longas ſane moras heic traham. Utinam interea valeas optime, ò & dulce decus, & præſidium noſtrum. Diniæ ex Muſæolo XVI. Calendas Majas, anno ſalutis M. DC. XL.

E I D E M.

ESt ſane, quod me non jam moræ, ſed moroſitatis accuſes; niſi accipias quid remoram mihi injiciat, unde excuſes. Movit ſcilicet Præſul noſter quietis impatiens camarinam, quæ ut clareſcat, collegæ omnes enixe obteſtati ſunt, ne videar ſubito diſceſſu deſerere communem cauſam, ac vireis quidem omneis explicui, ut bonus ille præter ſtatuta, uſusque Eccleſiæ nihil attentaret: Verum nihil profeci, in eoque jam ſumus, ut provocationis auxilio utamur. Mittimus proinde quæſitum juſta appellatoria, quæ ubi lege agentes impleverimus, nihil erit, quod me deinceps detineat. Vale interea, Principum decus, & me, quod facis, æternum ama. Diniæ ex Muſæolo VIII. Calendas Maii M. DC. XL.

An-non pro tua bonitate patiere ſalutem abs me optimo Bervillæ dici?

E I D E M.

PRæter omnem profecto ſpem reſcribo ecce, nec jam advenio. Quippe non reſcripſi per complureis dies, qui diſceſſurus in ſingulos fui, & non diſceſſi tamen, quia in ſingulos ſubnatæ ſunt variæ reſiſtendi cauſæ. Qui eas ſubtexuit, is ipſe fuit, qui priores texuerat; ſed technis illius brevi finis fiet. Utcunque fuerit, expecto ſolum πνεύματος ἁγίου adventum, ipſoque propitio, vela tandem faciam ἐν τῷ συμπλη-ρῶσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. Ita & officio erga Deum fungar, nec deſeram fratres, qui id expetunt, ut ſimus ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό, & non ſuberit cur deinceps diſcedam abs te ante ipſum חַג הָאָסִף בְּצֵאת הַשָּׁנָה Soſpes interea eſto, ac vale. Diniæ ex Muſæolo XII. Calendas Junias M. DC. XL.

Salutem ſemper plurimam, quantum per te licet, Bervillæ dico.

Vere pio, docto, & amico Viro Athanaſio Kirchero e Societate Jeſu

PETRUS GASSENDUS S.

REdux in hanc urbem, optime Kirchere, litteras accipio abs Naudæo noſtro, quibus ſalutem nomine tuo, ut ſemper ſolet, plurimam dicit. Non poſſum verò me continere, quin ad eum reſcribens ſchedam hanc ſeponam, qua grates jam toties debitas rependam. Eram quoque ultro ad te perſcripturus, quod a me diebus proximis circa variationem magneticæ acus obſervatum fuit. Nempe Valeſius noſter ſcripſit ſe tibi ſignificaſſe ejus libelli argumentum, quo fides eſt facta in Anglia variationem hanc decreviſſe. Conjeci autem, fore ut lubens ex litteris meis addiſceres, ſi quid ejus rei haberem in promptu. Cum primum ergo admonitus obſervationis Anglicæ fui, revocavi ſtatim in mentem obſervatam mihi Pariſiis variationem longe minorem, quam Auctores eam præſcripſiſſent. Memini quoque illam Diniæ, Maſſiliæ, & in hac ipſa civitate nunquam poſterioribus annis eò potuiſſe pertingere, quò prioribus perveniſſe noram. Quare & rem ſum facile perſuaſus, & parum abfuit, quin mei me pudoris ſuppuduerit, qui invariatam variationem habens, meæ culpæ adſcripſiſſem totam obſervationum varietatem. Re communicata cum eximio illo Joſepho Galterio, Vallettæ Priore, qui-cum, mecumque aliàs penes noſtrum Peireskium, τὸν μακαρίτην, ea converſatus, non eſt ille quidem perinde adſenſus, ſed dignam tamen rem cenſuit, quæ a nobis exploraretur. Cum ipſe verò vix jam à morbo diuturno convaleſceret, incumbendum mihi præcipue rei obſervandæ fuit. Peregi autem tam intra ædeis, quas ille jam inhabitat, & in quibus recens meridianæ lineæ ductæ ſunt, quam intra alias, quas junior incoluit, & in quibus lineæ ante triginta annos ſupra pavimentum exaratæ adhuc conſpiciuntur. Ne longum verò faciam; Doreſſeus quidam tum Profeſſor Philoſophus, & Arelatenſis poſtea Eccleſiaſtes variationem in hac urbe ante annos prope quadraginta cenſuerat eſſe graduum novem. Ipſe Galterius non longe poſt deprehendit, Doreſſeum acu non ſatis prolixa uſum, nec lineam ipſi habitam ex interſectione cum umbra perpendiculi Azimuthum referentis ad obſervatam interea Solis procul a meridie verſantis altitudinem ſupra Horizontem, quæ eſt profecto methodus omnium optima ſemper viſa. Quamobrem cautiones, quas decuit, adhibuit; ac obſervavit, variationem conſiſtere infra gradum ſeptimum, brevique pervidit ne attingere quidem ſextum. Superveniens ego ab annis circiter duobus ſupra viginti, certus prope fui variationem non excedere quintum gradum. Re conſequenter, & repetitis obſervationibus,

explo-

Exploratâ deprehendimus variationem paulò minorem gradibus quinque, definitamque gradibus quatuor cum dodrante habuimus. Hac præoccupatione ducti [neque enim fateri pudet] nihil deinceps hæſimus, quin variatio hujuſmodi pro conſtanti habenda foret, unde & oſcitantius mentem deinceps advertimus, & ſi quid incongruum apparuit, meræ negligentiæ attributum fuit. Sane cum ante quatuor annos obſervarem Maſſiliæ proportionem umbræ ſolſtitialis ad Gnomonem, & meridianis lineis ductis Pyxidem amplam, accurateque elaboratam applicarem, memini ſæpius conqueſtum me, quod variatione magnetica tertium gradum non ſuperante, non duxiſſem lineas ſatis exquiſitas. Nunc verò quid putas abs me obſervatum? Nulla fuit profectò meridiana linea, cui acus varie applicita pervenerit ad tertium gradum. Ac in aliquibus quidem conſtitit ad duos cum ſemiſſe; viſa eſt etiam aliquando non pervenire prorſus ad duos; verum applicita ad lineam, quam habuimus maxime tritam, quæque eſt adhuc maxime omnium ex antiquioribus conſpicua, duos omnino gradus exhibuit. Adnixus eſt optimus Senex id cognoſcere etiam ipſe, ægreque demum fidem adhibuit, cum tam procul à quinto gradu reſiſtere acum conſpexit. Atque hæc ſunt tandem, quæ te ſcire volui, ne ſi eum forte plures aliunde obſervationes habueris, teſſera mea deſideretur. De cauſa nihil adhuc potui, quod ſatisfaciat, comminiſci, tametſi varie verſaverim, & Copernicanam anticipationem, & Gilbertinam verticitatem, & Keplericos nucleos, & Democriticos hamulos, catenulaſque, & alia id genus oppido quam multa. Expecto quid cenſueris ipſe, qui præter inſignem ſolertiam perfeciſti haud dubie experimenta longe plura. Vale. Aquis-Sextiis v. Non. Julias M. DC. XL.

Clariſſimo, & doctiſſimo Viro Fortunio Liceto, in Bononienſi Academia Philoſopho eminenti

PETRUS GASSENDUS S.

DEliberandum diu non fuit, Fortuni Licete, Vir eximie, an accepto tuo de quæſitis libro, deberem ad te ſcribere; cum tu me in eo ſic obſtrinxeris, ut plane oportuerit meum erga te gratitudinis affectum teſtari. Quippe, &c. Aquis-Sextiis Eidibus Auguſti, anno ſalutis M DC. XL. *Habetur ſub titulo, de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis, epiſtola.*

PETRUS GASSENDUS

NAUDÆO SUO S.

SEſqui-menſis eſt, mi Naudæe, ex quo ad Licetum ſcribere incipiens, dedi ad te litteras, quibus me brevi tranſmiſſurum quidquid ſcriptum foret, ſpem feci, &c. Aquis-Sextiis Eidibus Auguſti M. DC. XL. *Extat ad calcem ſuperioris.*

Clariſſimo, & doctiſſimo Viro Hieronymo Bardio

PETRUS GASSENDUS S.

ECquem me virum habeas, Virorum humaniſſime, qui ſemel, iterumque provocatus, nihil reſpondeam, & vix jam tandem poſt tertiam interpellationem aliquid reponam? Scilicet annus prope eſt, ex quo me beare tum litteris tuis, tum libelli egregii *De ſolidorum gravium naturali motu*, exemplo voluiſti. Menſes quoque non multi ſunt, ex quo aliæ litteræ tuæ ad me pervenerunt, & dies perpauci, ex quo tertiæ, quæ cum exemplo alio ejuſdem libelli fuere deſtinatæ. An non proinde jure ſuccenſeas, quaſi aut ego inſoleſcens tantam humanitatis tuæ teſtificationem parvi fecerim; aut obtorpeſcens non potuerim diligentia hac tanta excitari? Ego verò, præclare Vir, torporem in me pudendum agnoſco, & cui niſi pro tua illa bonitate eximia ignoſci non debeat: Ceterum enim, quam mihi caræ litteræ tuæ fuerint, quam cara tua munera, non eſt mihi dicere promptum. Sed res nimirum ita ſe habuit. Litteras tuas ſemper accepi aut in itinere, aut in ipſo ad iter faciendum procinctu; & cum ſemper in primum otium reſponſionem diſtulerim, effectum eſt, ut vel nanciſci parum otii licuerit, vel aliquid ſemper intervenerit, quod aliò traduxerit curam. Nunc etiam parum omnino abeſt, quin huc appulſus occaſionem ad te ſcribendi prætermittam; adeo promptum reditum parat Princeps, Pro-Rexque optimus, quicum acceſſi, & quicum nuper, cum jam Tolone diſceſſiſſem, poſtremæ tuæ redditæ ſunt. Ne committam tamen, ut diutius officio deeſſe convincar, haſce conſcribo (raptim licet) & commendaturus ſum, ut ad te mittantur quamprimum. Doleo nimirum, quod paratæ heſterna luce non fuerint, cum Veredarius hac iter fecit. In primis autem gratias tibi, quantas poſſum maximas habeo, quod agere mecum litteris prior occeperis; quod me fieri amicitiæ tuæ participem volueris; quod xenia etiam contuleris; quod finem ſilentio, velut obſtinato tuâ conſtantiâ induxeris. Deinde, quod rogas, ecquid de libello abs te tranſmiſſo ſentiam, ſcito me illum ſuſpicere propter demonſtrandi methodum ſpecialem. Quippe eximius Galilæus, qui eadem propoſuit, & plura deduxit, alia ratione progreſſus eſt: Egregius autem Vir Balianus propriam aperuit ſemitam, ac perſpicuum fecit poſſe multis viis ad veritatem perveniri. Et poſtulat quidem concedi nonnulla, quæ quiſpiam forte abnueret, quod naturæ ſubtilitas hebetudinem ſenſus non ſequatur; quod coactus retinaculo motus, non videatur ullo momento coæquari libertino; quod perpendiculorum parallelismus in ſimilitudinem aſſumptus non eximat difficultatem; cum velut ex ejus ſuppoſitione circa hæc noſtratis intervallula error tantò proditur magis, quanto hinc magis receditur; ita ex poſtulatorum conceſſione tanto poſſit major detegi fallacia, quanto motus prolixior [videlicet ex Cœlo uſque, aut ad centrum uſque] uſurpabitur. Enimverò & cohærentia experimentorum illis fidem facit; & conſequutio proportionis, qua gravia decidentia velocitatis acquirunt gradus. Mirabile certe videatur, ſi Balianus ſuo ratiocinio eam proportionem invexerit, quam primus, quod ſciam, Galileus eſt experiundo aſſequutus; & par eſt tamen

ita

ita cenſere, cum ille adeo inclytus Vir experimenti nec proprii, nec Galilæani meminerit. Eſt mihi porrò ſpecialis quidem eam obſervandi methodus, ex deſcenſu puta per aquam, quæ tardiorem caſum faciens, obſervabiliorem reddit per momenta celeritatis acquiſitionem; attamen non eſt cur heic loci quidquam de illa congeram, ut neque de phyſicis cauſis, quas ad explicanda hujuſmodi ſymptomata ſum aliàs commentus. Recipis adhæc te miſſurum exemplum duorum Dialogorum, quos præclarus ille Licetus committi prœlo mandaverit. Res verò mihi quidem pergrata; ſed fronte plane perfricta ſim, ſi cum nihil præ manibus, quod rependatur jam habeam, auſim acceptatione mea tuam provocare liberalitatem. Memini primis illis tuis habitam fuiſſe abs te mentionem meæ cujuſdam epiſtolæ, quam clariſſimus Vir, & expendiſſet, & in opus ſuum de quæſitis dignatus fuiſſet inſerere. Ego tum id opus nondum videram; neque prius vidi, quam Naudæus noſter [noſtrum appello, quia ad me ſcribens, te agnitum ſibi, amicumque profitetur] exemplum tranſmiſit, quod accepi ſolum ſuperioribus menſibus. Accepta porrò occaſione teſtandæ gratitudinis ſcripſi copioſe ad Licetum: Utinam verò non præ nimia loquacitate obruerim; adeo multa congeſta ſunt, quæ circa Problema illud de ſpeciebus, umbriſque corporum venere in mentem. Siquidem præter phyſicas cauſas, præcipuorum effectuum, quæ circa viſionis myſterium occurrunt, paradoxa quoque multa interſerui, quæ non-niſi æquum, atque perſpicacem, qualis ille eſt, judicem ſuſtineant. Memini etiam, te requiſiiſſe, an ſuperſtes eſſet, & quid-nam rerum ageret celebris ille Medicus Faber. At quia Naudæus ſignificavit, plura te de illo Pariſiis, quam ego norim, accepiſſe, idcirco nihil heic adiicio, adhortorque ſolum, ut ſi paratum habes id opus, quod titulo ſubindicaſti, id evulgare ne differas; eum, ſeu ille ſimile quidpiam ediderit, ſeu ſuppreſſerit, tua tibi laus ſit integra futura. Videlicet fieri non poteſt, ut uterque vel in idem collineaveritis, vel iiſdem experimentis, iiſdem ratiociniis, iiſdem ordine, figuraque dicendi uſi fueritis; ut proinde eadem plane ſperare ex utroque liceat. Quod ſcribis de Viro inſigni Jacobo Gaufrido noſtrate, quem generoſiſſimus Parmæ Princeps ſibi a Secretis eſſe voluit, fecit longe acceptiſſimum. Quod verò ſperaſti eam mihi cum illo intercedere amicitiam, ut quas familiareis exoptas tradere poſſim litteras, ſcias velim ne ea quidem felicitate me eſſe, ut probare me illi facie, nomineve cognitum poſſim. Quare & licet bene de Viri humanitate coniicio, non auſim tamen rem pertentare, quæ te nihil juvet, & me nihil aliud, quam ineptum declaret. Si credas tamen litteras quomodocumque proſuturas, nihil me reſpiciam, ſed dabo quam conducenteis potero, ut in me ſaltem obſequendi non deſideres voluntatem. Vale. Scribebam Antipoli XI. Calendas Octobris M. DC. XL.

Viro clariſſimo A. F. Payeno Juriſconſulto Avenionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

AN-non me jure habeas Mortalium moroſiſſimum, in quo ex datis uſque tuis humaniſſimis litteris cauſari potes tantum morarum? Pudet profecto Baronis noſtri Viri optimi pollicitationem, & expectationem tuam jam toties deluſam; pudet varia negotia, ſegnitiemve obtendere, ut excuſationi prætextus quæratur; quare & præſtat, ut venia, ſi indulgendam cenſueris, bonitati tuæ adſcribatur tota. Spero autem fore, ut etiam condones, quod jam tam pauca reſpondeam, cum intelliges me revera etiam-num fuiſſe præpeditum, neque arripuiſſe calamum, niſi ne Baro inclytus abſque epiſtolio ad te adventaret. Quem verò me tandem haberes, niſi hac ſaltem occaſione teſtarer gratitudinem, quod me prior conveneris, quod te amicum obtuleris, quod mea deprædicaveris, quod lucubrationum mearum aliquid habere, cui invigilares, expetieris? Ac par eſſet quidem tecum aliqua ex obſervatis communicare; ſed non heic mihi illorum copia, qui maturioris reditus ſpe apud Iarcia omnia depoſui. Faciam tamen ſatis quam-primum licebit; ac ne expectabo quidem donec domum rediero, ſi quæ nives, & frigora præcipitarunt tantopere, miteſcere Cœlum non-nihil patientur. Quod de variatione magnetica rogas, ſcito illam quoque nobis variam eſſe; quippe ante annos triginta ſingularis noſter Joſephus Galterius, Prior, ac Dominus Valletæ prolixiorem contraxerat, fixamque, & ratam habuerat graduum ſex, quadrante, aut triente minus, & cum ante annos viginti uterque ſimul incumbentes gradu integro minuiſſemus, habueramus, nihil jam hærentes, ipſam invariatiſſimam. Nunc verò poſtquam noſter Valeſius Angliæ illius obſervationis admonuit, mentem ſerio advertimus, deprehendimuſque illam via excedere duos gradus. Id nempe acu applicita tam meridianis lineis, quæ ante annos XXX. ductæ, indeletæque perſeverarunt, quam aliis recentioribus, quæ demiſſis ſemper ad varias Solis altitudines perpendiculis, fuere exaratæ. Verum, Deo propitio, aliàs de his plura. Salutem interea dico plurimam eximio illi San-legerio, abs quo, & ab optimo Bardio memini jucundiſſimam nominis tui mentionem factam. Vale, eruditiſſime Vir, & me ut cepiſti, ſic amare perge. Dabam Aquis-Sextiis IV. Calendas Novembris M. DC. XL.

Viro erudito, & amico ſincero Petro Puteano Claudii F.

PETRUS GASSENDUS S.

INſinuavit Luillerius noſter poſtremis ſuis litteris, adhibuiſſe te ægre fidem iis, quæ ad ipſum perſcripſeram de factis e me circa motum projectilium experimentis. Id verò miratus, &c. Aquis-Sextiis XII. Calendas Decembris M. DC. XL. *Habetur ſub titulo, de motu impreſſo a motore translato, epiſtolæ.*

EIDEM.

MOram non traho, Vir eximie, ſed mox obſigo tis, miſſiſque, quas pervidebis, litteris, haſce occipio, ut liberem de propoſita parentheſi fidem. Aquis Sextiis III. Idus Decembris, eodem anno. Quippe, &c. *Habetur ad calcem ſuperioris.*

Erudito, candido, & amico Viro D. Joanni Capellano

PETRUS GASSENDUS S.

HAud ſane hæſeram, mi Capellane, quin ſi Luillerius noſter communicaret tecum meam illam ſatis prolixam epiſtolam de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis, &c. *Habetur ſub titulo, de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis, epiſtola.*

Clariſſimo, & doctiſſimo Viro Hieronymo Bardio

PETRUS GASSENDUS S.

ET hac etiam vice, per-optime Bardi, redditæ ſunt mihi in ipſo ab urbe diſceſſu tuæ litteræ Calendis Decembribus datæ. Memoras initio ſcripſiſſe te alias diebus mox ante præteritis; ego verò illas ad me nondum perveniſſe ægerrime fero. Repete quæſo, ac mente veſtiga, qua illas via tranſmiſeris; plurimi quippe redemptas velim, ut quam mentem tuam ſis ſignificatam inſinuas intelligere, & ſatis proinde pro mea erga te obſervantia facere poſſim. Etenim quod de litteris abs clariſſimis illis Viris Galilæo, atque Liceto, ſeu conſcriptis, ſeu conſcribendis obiter attingis, non capio. Non quod tu diſerte mentem non aperias, ſed quod aperire te Viro, qui priores tuas jam acceperit, perſpectaſque habeat, præſumas. Ac ſuſpicor quidem facere te etiam mentionem illarum, quas ipſe ab Auguſti uſque Eidibus ad Licetum dedi, quarumque etiam cum nuperas ad te ſcriberem memini; ſed vereor, ne hanc ſuſpicionem faciat deſiderium, quo flagro pernoſſe, an eæ litteræ fuerint ad Licetum perlatæ. Cum illas enim Romam ad noſtrum Naudæum, cujus interventu Bononiam tranſmitteretur, direxerim, nec reſcire quidem in hunc diem potui, Romam-ne uſque, & ad optimi illius amici penetrarint manus. Id mihi fuit conſolationi, quod cum poſtremis hiſce tuis accepi exemplum eorum Dialogorum, quorum mihi ſpem feceras, quibuſque eximius Licetus te intercedente donatum me voluit. Debeo porrò ingenteis gratias illi propter donum, tibi propter operam; & cum par ſit animo grato mentionem mei nominis ejus calamo, ac tuo ore toties expreſſam excipere; tum id præſertim commemorandum, quod meam illam epiſtolam *de Solis ſublimis, humiliſque* umbra iteratò edi uterque voluiſtis. Eſt verò cur tibi ſimul gratuler, quod talem ſis nactus amicum, qui tibi parteis præcipuas in iis committat Dialogis; quique eximias animi doteis abs te præ ſummæ modeſtia pæne conſepultas jacere non ſinat. Nempe id ſaltem adnoto, dum totum librum curſim evolvo. Evolvo, inquam, ne cum tenear ad te quam primum reſcribere, comprobem me in cognoſcendo argumento nuo negligentem. Tametſi certe per primum otium gratias habiturus optimo Liceto, cogito rem plenius & diſquirere, & cum eo conferre; nihilominus tecum quoque, cujus ille perſonam induit, paucis agere ex officio eſt. Sed velim pernoſcas mihi penitus non innotuiſſe diſſidium, quod inter Viros clariſſimos Licetum, atque Claramontium intercedere Dialogi docuerunt. Siquidem neque illius opus *de novis Aſtris, & Cometis*; neque iſtius reprehenſionem, vel fando inaudieram. Non potui porrò non ægre ferre, Viros & magnos, & amicos, eò potuiſſe procedere, ut bona mutuo verba non audiant; quippe cum id moris minus deceat, & profeſſionem ſapientiæ, & humaniores litteras, quibus uterque effloreſcit. Verum ſpero rem compoſitum iri, & Claramontium eadem haſta, qua læſit, vulnus curatorum, ac præſertim cum obſervarit, nihil fuiſſe propterea abs Liceto dictum acerbius. Percurri ergo in primis opus *de centro, & circumferentia*, adnotavique, magnum Virum pro ſolita illa ſua diligentia nihil feciſſe reliquum; & ſubtiliter etiam excogitaſſe plurima; veluti centrum levitatis in apice levium, aſcendentiumve corporum, & centrum qualitatis neutrius in qualibet Cœli particula conſtitutum. Percurri & opus inſcriptum *de Terra unica centro motus ſingularum Cœli particularum*, obſervavique, quod ſuperius inſinuatum fuerat, de Terræ globo cum aëre ad vertices uſque montium circumfuſo, ecce eum nempe phyſicum centrum, circa quod cœleſtis moveantur, potiusquam punctum, partemve ullam circa medium inſenſilem, id ipſum in hoc repeti, copioſiſſimeque, & nullo omiſſo probationis genere, adverſus Claramontium defendi. Percurri denique & illud *de regulari motu, minimaque parallaxi Cometarum cœleſtium*, animadvertique, Licetum propugnare ſuſiſſime argumenta illa Tychonis de Cometarum motu per circulum maximum, deque per-exigua illa parallaxi, ex qua convincitur non ferri omneis infra Lunam, ut cenſuit Claramontius. Neque me latuit inſtitutum, quo Licetus innuit ſategiſſe ſe demonſtrare in opere *de novis Aſtris, & Cometis*, Ariſtotelis Philoſophiam cum Aſtronomorum experimentis conſentire, Optime Bardi, cum redierim ſolum heri in hanc urbem in Comitatu optimi Principis, & Pro-Regis noſtri, ceperam hoſce ad te verſus hoc ſtatim mane exarare. Pluribus proſequuturo adeſt ecce mihi ex inopinato Tabellarius hac tranſiens, ac poſtulans, ſi quid fortaſſis ſit mihi præſto præ manibus. Ego verò, ne oblatam occaſionem prætercam, qualeſcunque ſunt verſus, trado, conſcius te excuſaturum, quod non modo alteram manum, ſed ne iteratam quidem lectionem præ feſtinatione patiantur. Vale. Aquis-Sextiis Non. Januariis M.DC.XLI.

Ita propemodum ſe habet hac epiſtola, quam ipſum-met protographum cum ſuis lituris conſignatum non potuerit huc, niſi memoriter, transferre.

Digitized by Google

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

DIſcedo ecce, cum tu accedis; at volens facio, quia te volente. Significabit Robertus meus quid cauſæ fuerit, cur maturarim, cur ipſe poſterior diſceſſurus ſit. Poſtulabit etiam abs te meo nomine epiſtolium, quod, quia pervidebis eſſe e re mea, ſcribes haud-dubie non invitus. Quæ conſignata volueras verba, reſignare non diſtuli; cognoſces autem quemadmodum Viri illuſtres geſſerint morem. Inclytus Galhardus mira comitate, cum tu abires, devinxit me; id tibi inſinuo, ut non ſinas meam gratitudinem inteſtatam. Vale, ô decus Principum. Aquis-Sextiis xv. Eid. Jan. M. DC. XLI.

E I D E M.

EN redeunt ad te Sanitienſis, & Glandatenſis Præſules, Roberto meo comitante; ipſe diſcedo hinc Pariſios, & ne lareis quidem reviſu. Quid cauſæ ſit, ex illis diſces, qui ſimul etiam enarrabunt, ut omnia ſe habuerint, ut omnia nobis ſucceſſerint. Æquum eſt autem, ut ex me noris incredibilem animi ardorem, inconcuſſamque conſtantiam, qua toi ergo ſeſe geſſerunt. Non commemoro autem odium penitus implacabile, quo noſter ille ſemper exæſtuat; id cognoſces ex Glandatenſi, cujus vehementiæ, ac induſtriæ quantum debeam, non, ſi vox quidem ferrea ſit, non ſi ora centum exprimere poſſim. Recepit tibi ſignificandum quid adhuc ex tua deſideretur opera; non hæreo verò, quin tu illud tanto exequaris lubentius, quanto rem tuam ex re mea facis. Nempe id demum ſupereſt, ut cepto negotio coronidem imponas. Rem inſinuavi etiam Roberto, cui rerum pro me agendarum indiculum concredidi. Scribam amplius, Deo propitio, cum Lugdunum pervenero. Tu interea optime vale. Dabam Ebreduni in ipſo diſceſſu, XI. Calendas Februarii M. DC. XLI.

E I D E M.

NOn mirabere, cur hinc ſcribam, cum jam noris; me non potuiſſe in Delphinaleis illos monteis, nec Vapinio, nec Siſtarico penetrare. Scilicet tanta nivium moles occuparunt itinera, ut viatores omnes hinc illinc reſiſtant. Neceſſitate ergo cogente, in has inferiores regiones deflexi, unde jam rectà iter inſtituo. Interea cum Manna tranſierim, vetulam vidi; cujus Marchio aliquoties mentionem fecit. Ea eſt octogenaria major, neque e lecto facile aſſurgit; ſed nempe ex caſu, quo præfracta tibia perfecte ſanata non eſt. Facies illi vegeta ſatis, neque rugoſa admodum, oſtendit viraginem fuiſſe; & ipſa, & quæ circumſtabant muliercolæ aliquot, teſtatæ ſunt renatos denteis ante annos circiter quatuor, cum quindecim ſcilicet annis vixiſſet plane edentula. Rogata num per dentitionem exquiſitum fuiſſet dolorem experta, exquiſitiſſimum reſpondit. Quin-etiam, inquit, infandus eſt, quo per hæc tempora diſcrucior. En quippe unum jam emerſurum, qui omnem quietem conturbat. Is autem fuit molarium unus ad lævam maxillæ ſuperioris partem. In illam cum reſpicerem, animadverti paucos denteis albicantes, aut integros; plurimi quippe nigreſcebant; nonnulli erant carie exeſi. Plura, Deo volente, per otium. Cum heſterna luce prandiſſem Balmetis, tranſire volui per Vallem-clauſam, ut mirabilem illam Sorgæ ſcaturiginem contemplarer. Non vacat illam deſcribere; faciam autem, Deo propitio, ſi interquievero tantiſper Lugduni. Vale interea, optime Princeps. Dabam hoſpiti ad te tranſmiſſuro, cum diſcederem Inſulâ in Comitatu Vendino, VI. Calendas Februarii M. DC. XLI.

E I D E M.

DEſtinaram pluribus ex hac urbe perſcribere; verum feſtinanti non ſuppetit tempus. Unum eſt, quod tacere non poſſum; Illuſtriſſimam nempe Heroinam tuam Conjugem nullo non officio deduxiſſe in parteis meas Præſulem Heduorum. Ita oportuit auguſtam domum in me devinciendo conſpirare totam. Videtur aliunde meus huc appulſus non ſine quodam Numine in id tempus incidiſſe, quo properantem ad te egregium a Secretis Virum videre, & affari licuit. Quippe ex ipſo quoque non pauca addidici, quæ noſſe intererat. Excepit nos communi menſâ noſter ille Campinius, publicus Juſtitiæ in hac urbe Vindex, qui quantum te ſemper & colat, & amet, dicerem, niſi noſſes ſatis: Servet te nobis ſoſpitem Deus in annos Neſtoreos. Dabam Lugduni in itinere, Calendas Februarii M. DC. XLI.

Finiebam epiſtolium, cum allatæ ſunt, redditæque mihi jucundiſſimæ tuæ litteræ IV. Calendas præſenteis datæ. Quam avide exoſculatus, quam arcte complexus illas fuerim, ipſe, qui tui ergà me amoris, qui meæ in te obſervantiæ non neſcius es, conjicere potes. Accepi ſimul, quas es dignatus commendatitias adjungere; utar verò ipſis, ut mones, communicato conſilio cum præclaro, ac jure tibi cariſſimo Victoriæ Abbate. Quod mittere dignatus es ad Graſſenſem Epiſcopum, qui nominationem ratam adferas, conſentaneum eſt eximio affectui, quo cepiſti me proſequi.

Dii tibi, ſi qua pios reſpectant Numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant.

Iterum vale.

E I D E M.

SCripſi ad te paucis diſcedens Lugduno. Subii deinceps Ligerim, in quo ſuborta tempeſtas me integrum diem Digunii detinuit. Succeſſit die ſequente in idem diverſorium Hugo Antagoniſta, cum Camerario San-victorino. Ipſe, quia expeditiore vehebar navigiolo, Briaram maturius perveni, dimiſſoque lembo Aureliam uſque conducto veredis mihi utendum cenſui. Cum perveniſſem Corbelium, ſcaphidium rurſus uſurpavi, quo feliciter denique quinto Eid. huc appuli. Quem primum conveni, ſuccedente die, fuit tuus Abbas, inclytus ille, qui ſuo prout Virum decuit tibi addictiſſimum, litteras tuas, meque excepit. Is inter cetera officia per-affabilem præbuit illuſtrem Chavinium, qui lectis tuis litteris adeo ſe comem præbuit, favoremque omnem pollicitus eſt, ut perſpectiſſimum feceris, quo te cenſu habeat, quo affectu colat. Dies fuit ante-cinereus, quo etiam videre, affarique licuit placidiſſime illuſtrem Noyerium; &, ne quidpiam illius diei felicitati deeſſet inviſi præterea optimum illum Caldo-Bonæum; qui me conſequenter reviſens, renunciavit Heroinam Du-

Digitized by Google

ceſſam Aquiloniam commendaſſe me Præſuli Carnoteoſi; huic non niſi heſterna luce litteras tuas reddere potui; quæ ſane illi tam gratæ fuerunt, ut ſeſe nihil non tui cauſa præſtiturum receperit. Illuſtriſſimum Principem Parentem tuum, quia ruri eſt, convaleſcitque, nondum vidi. Litteras etiam nondum reddidi illuſtriſſimo Principi Condæo, tum quia fere hactenus inter Filii nuptias fuit, tum quia rebus aliis procurandis tempus impendi. Præſules omneis, qui Comitiis ſunt interfuturi nondum ſum affatus. In his eſt Auguſtodunenſis, quem tamen accepi generoſe reſpondiſſe Abbati San-vandrillæo adverſarii parteis tuenti, ſe prorſus a meis futurum. Convenient cras omnes apud Altiſſiodorenſem, ut definire valeant, qua die ex urbe diſceſſuri ſint, quo inituri Comitia. Sanitienſem cum meo Roberto in dies, ac horas expecto; quippe ex litteris Campinii tranſiiſſe eos Lugduno in confeſſo eſt. Deſunt verba, ut exprimam quantum me Graſſenſis, optimus ille devinxerit, ſcilicet nihil reliquum ad ratam præſtandam procurationem ſuam fecit. Quæſo te pro tua bonitate gratitudinis meæ ſenſum per noſtrum Berecullium illi inſinuandum procures. De negotii ſucceſſu nihil eſt, quod adiiciam. Nulla quantum conjector fiet Agentium commutatio in ſequens quadriennium. In id mihi incumbendum, ut cauſa mea cum Hogona decidatur; & ſi ſuperior fuero, in ſubſequens quinquennium admittar. Omnia Deus Opt-Maximus pro beneplacito diſponat. Neſcio quas alias litteras dare præterea in Provinciam poſſim. Neceſſe eſt tamen amici me hoc præſertim tempore, niſi ad eos ſcribam, excuſatum habeant. Tu optime vale, decus Principum, & præſidium meum. Obliviſcebar rogare te, ut ſi quid tranſmittendum ad me fuerit, id ad Andream ſecretarium, officioſiſſimum Juvenem, cum litteris tuis deſtinari jubeas. Comperio nempe hac via me recepturum omnia longe diligentius. Bervillam ſemper, ut par eſt, ſaluto. Iterum vale. Pariſiis XV. Cal. Mart. M.DC.XLI.

Hæc jam ſcripſeram, cum proſper adventus Sanitienſis Præſulis, ac mei Roberti renunciatus fuit; hoc te ſcire volui, quia & viros amas, & jucundum duces, quod illuſtris Præſes reſcire tuo juſſu id poſſit. Erit profecto quod lætetur Germanum ſibi numquam viſum firmiore valetudine, neque Robertum hilariore.

E I D E M,

SCribo adhuc ad te ex urbe, ſed proximo tamen diſceſſurus die; ſcilicet Præſules quo die conventuros prædixeram, diſtulere diſceſſum in totum octiduum. Litteras tuas non reddidi Illuſtriſſimo Principi, quoniam Andream, cui eas Abbas inclytus concredidit, a ſex uſque diebus videre non potui. Siſtaricenſis Præſul advenit, qui tuas de me litteras oſtendens, nihil non ſe tui cauſa facturum pollicitus eſt. Die Lunæ ſeu V. Calendas fiet Comitiorum auſpicatio; cauſa autem noſtra vel non diſcutietur, vel ſaltem non dirimetur ante finem hebdomadis. De ſucceſſu eſt ſemper cur metuam ab Abbate San-vandrillæo, tanto fervore adverſarium tuetur, tanta auctoritate pollet, ac ex contracta potiſſimum non ita pridem affinitate. Gloriatur certe ſe aliquot avertiſſe ſuffragia; & cum deflectere Præſulem Auguſtodunenſem non poſſit, futurum ſperat, ut Decanus Matiſconenſis ab eo deſciſcat, ſuffragiumque irritum reddat. Spes mea ſemper in Domino, qui cauſæ æquitatem novit. Utinam ejus voluntas fiat. Scribere alii nemini vacat, ſed nempe tu ſatis es bonus, ut ſi qui amici te rogaverint, qui valeam; valere me dicas. Vale tu optime, ô Principum decus, & præſidium meum. Pariſiis VIII. Calendas Mart. M.DC.XLI.

E I D E M.

EN denique, optime Princeps, quo fine negotium coronatum fuerit. Cœperat cauſa primo ſtatim Comitiorum die diſceptari [quid rei fuerit aliàs exponam] cum delecti ſunt Præſules, allectique alii ex inferiore Cleri ordine, qui acta cenſerent. Primas in iis tenuit Archiepiſcopus Toloſanus, Vir omni elogio ſuperior, qui poſtquam novit ex familiari, plenoque fiduciæ colloquio averſari reipſa me, quod niſi cum dedecore poteram non proſequi, negotium arbitratu ſuo componendum ultro ſuſcepit. Non ignoras, optime Princeps [quod norunt etiam Bervilla, Berecullius, & Valletæ Prior, amicorum intimi] optaſſe me ſemper exoriri aliquem, qui in id curæ incumberet, ut me ex illo honeſtis quibuſdam conditionibus expediret. Itaque anſam arripui, ac tametſi mihi videbar haud-dubie ſuperaturus ſuffragiis, jus tamen ceſſi adverſario, acceptis conditionibus, quas optimus Præſul cum ſuis Aſſeſſoribus, ex quibus Arelatenſis Archidiaconus fuit, præſcribenda cenſuit. Quæ illæ fuerint edicam aliàs. Nunc, cum non vacet, abunde eſt, ſi noveris magnâ me lætitiâ perfundi ex tranſlato onere, quod ne toto quidem Crœſi auro impoſitum humeris vellem. Vox eſt Comitiorum, me relictis ſpinis delegiſſe roſas, quietemque mihi non proprio, ſed alieno diſpendio comparatam fuiſſe. Probarunt conſilium etiam qui tui cauſa favebant conſtantiſſime, Siſtaricenſis, Auguſtodunenſis, & Sanitienſis Præſules; itemque Prior San-Victorinus; ne quidpiam dicam de ceteris. Hæc raptim, dum ſcribo Pariſios, quo proximo die diſceſſurus ſum. Vale, ô decus Principum, & præſidium meum. Meduntæ Calendas Mart. M.DC.XLI.

Cum ne Riantienſi quidem Baroni, mei tam amanti, ad quem videbis litterarum faſciculum dirigi, ſcribere quidquam liceat, manda, quæſo, quis exitus negotii fuerit, ſignificari.

E I D E M.

REdditæ ſunt mihi ab Andrea litteræ tuæ ſuaviſſimæ, IV. Calendas Martias conſcriptæ. De iis quid poſſum dicere, niſi quod tu ſemper ſimilis es tui. Quas nuperas dedi Meduntæ de negotii exitu te certiorem facient. Cum huc redii, mirum dictu quantopere amici omnes congratulati fuerint. Scilicet me mihi, ac Muſis redditum eſſe agnoverunt, quem pæne condoluerant intra procellas Aulicas, & civileis turbas conjectum, abſorptumque iri. Ipſe, quid mihi in votis eſſet, ſignificare auſus non fueram, niſi uni Luillerio; adeo verebar ne adverſarius mentem alicunde ſubodoraretur. Agendum ſemper ſerio fuit, ut illi metum incuterem, quo mihi expetitas pacis conditiones demum offerret. In fructu jam eſt, quod jucunda veterum amicorum conſuetudine frui placidiſſime licet; ſed cumulata erit voluptas cum te licebit reviſere. An id ſit futurum ante anni finem, ſpondere plane non audeo. Si te prius tamen, vel publica pax, vel certe induciæ ſinerent, quod

ſæpe

ſæpe optaſti, venire ad nos, non redires ſane, quin me, quod ſæpe promiſi, in comitatum dederem tuum: ne interea otioſus per Æſtatem ſim, quæſitum mitto quam retractare elucubrationum farraginem poſſim. Eam dum expedio, fortaſſis edita, quam dudum Vitam Peireskii, τῦ μακαρίτυ pellegiſti. Itinerarium, de quo loqueris, compendio quidem, ſed integre habes; niſi litteræ aliquæ perierunt. Scripſi quippe Ebreduno in ipſo diſceſſu: ſcripſi Inſula, & Lugduno in itinere. Scripſi ex hac Urbe ab ipſo appulſu. Obſtinatam mentem Antiſtitis novi; ſed tu præclare inſinuas Horatianum illud: *Levius fieri patientia, quidquid corrigere eſt nefas*. Mittam proxima occaſione, quam ad Auguſtodunenſem ſeribis; Schediolum addam, quo meam gratitudinem teſtatiorem faciam. Si forte ad Siſtaricenſem, & Sanitienſem ſcripſeris, ſignificare poteris te gratam habere conſtantiam, qua ad meum uſque negotium compoſitum perſeverarunt. Veretur poſteriur ne conſilium, quod cepi ſis improbaturus; videlicet e re non fuit innoteſcere omnia omnibus. Quamobrem fac quæſo, ut intelligat, rem tibi eſſe non injucundam. Ber-villæ ſemper apprecor ſalutem. Vale, optime Principum. Pariſiis poſtridie Non. Mart. M. DC. XLI.

E I D E M.

SCripſi mox ante litteras alias, quibus Franciſcum Amalricum noſtratem Canonicum te ſalutare deſiderantem, commendatum facerem; ſcribam fortaſſis alias in gratiam Lafaye, tum ut gratias agam propter bona verba, quibus illum es conſolatus, quod ſe comparare ad expeditionem præ invaletudine non potuerit; tum ut exorem, ne quod munus implere hac vice non valuit, detrimento illi impoſitum ſit; ſed ad ampliora potius, prout ſpem facere dignatus es, gradui. Nunc ſcribendum nihil ſupereſt, niſi quod jam ſum uberrime affatus Viros Religioſos, ac tui obſervanteis, Hilationem, Merſennum, Reynaudum. Inviſebam heri Burdelotium; bona autem forte incidi in Ruſſilionenſem Comitem, qui me complexus, illico rogavit de te, qui valeres. Retractu nunc Peireskii Vitam prælo commiſſurus ſtatim a Paſchalibus. Tu vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, Eidib. Martii. M DC. XLI.

E I D E M.

NIhil potuit contingere dulcius, quam non diſplicuiſſe tibi, quod cepi conſilium aſſerendi me in tranquillam vitam. Campinio paulo ſecus viſum; ſed nempe ut optimus eſt, meique amantiſſimus, dolet non ſaltem fuiſſe mihi conditiones æquas, & utileis magis. Ego verò quamvis aliunde nihil pæne in rem meam vertatur, maximi tamen æſtimo animi quietem, & libera ſtudia. Nullo certe cum auro commutatum velim, quam voluptatem jam percipio, dum quidpiam pacatiſſime lego, meditor, comminiſcor. Quippe nemo poſſit avidius diuturnam, aut famem, aut ſitim explere. Accedunt hiſce deliciis mellitiſſimæ litteræ, quibus me beare ſuaviſſimum ducis. O te optimum! o me ter-felicem! Vive diu, ac ſemper Vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, XI. Calend. April. M. DC. XLI.

E I D E M.

NOn multum vacat ſacro hoc die calamo dare operam; quia tamen Berecullius noſter ſignificavit pervelle te negotii conditiones noſſe, en paucis, ut ſe res habuerit. Exonerabam ſerio pectus coram optimo Archipræſule, cum id unum eſſe cordi inſinuavi, ut ſuppeteret unde poſſet creditoribus fieri ſatis. Tum verò ille, dummodo, inquit, debita tua non excedant librarum millia quinque, aut ſex, ſpero negotium confectum iri. Ego autem excedunt, inquam, duobus, aut tribus millibus (quippe præter Chirographum, cujus ipſe commeminiſti, liberarat me jam alio Campinius, ſupereratque partim Aquis-Sextiis, partim Diniæ levior alia) & ille, vereor ne ſit plus nimio, inquit; ſiquidem Vir, quicum rem habes miræ tenacitatis eſt, prælaturus ab te habere vel hujuſce ſummæ dimidium. Videro tamen an, cum ſuperſint muneris gerendi anni quatuor, & ſtipendia in ſingulos quatuor millia librarum ſint, partiri ſummam ſic liceat, ut octies mille in rem tuam cedant; ad quæ ego, ut videbitur, inquam, nam tametſi exemplo agens poſſem plura exigere, idque in re præſertim curta; ſpes eſt tamen fore, ut Deus in futurum provideat, abundeque eſt, ſi præteriti anxietate mens eximatur. His ſermonibus habitis, optimus ille ita incubuit, ut rem demum deduxerit quo propoſuerat deducendam. Eſt igitur Hugo mihi traditurus octo librarum millia, dimidium perfectis Comitiis, reſiduum poſt annum exactum; idque vel Aquis Sextiis, vel pro libitu in hac Urbe. Conditionem tamen appoſitam voluit, ut ſi forte currente anno e vivis exceſſerit, reſiduum illud exigere ab hæredibus non ſit fas, & æquum. Hæc ſunt, Principum Optime, quæ de negotio addiſcere pro tua illa eximia benevolentia peroptaſti; & pernoviſſes quidem prius; ſed pollicitus fueram me nemini evulgaturum, præterquam uni Campinio, cujus potiſſimum intereſſet noſſe. Enim verò quod ad te ſpectat, dicere videor nemini, quanquam & me a data fide pæne liberum ſentio, quando rem per alios innotuiſſe jam plerìſque comperio. Utcumque ſit tamen, nolim fieri auctor; adeo ut cum poſſint Berecullius, & Ber-villa eſſe conſcii, velim præterea cum nemine rem per ipſos communicari. Salutem illis plurimam dico, nec tu dici heic ebtuuis. Vale optime Principum, & præſidium, ac decus meum. Pariſiis, XV. Calendas April. M. DC. XLI.

E I D E M.

LItteras habui, optime Princeps, a Natali Tornatore Eccleſiæ noſtræ Præsbytero, quibus accipio, illum tua auctoritate indigere. Neſcio, an te id deceat, aut qua ratione ejus votis te intercedente, fieri ſatis poſſit. Hoc unum teſtari, & poſſum, & debeo, virum eſſe omnino bonum, Dinienſiumque neminem eſſe, cui ſim, quam illi obſtrictior. Ipſe eſt, qui meorum omnium negotiolorum curam gerit; qui in ædibus meis habitat; quem commenſalem habeo, cui ſi dixero vade, vadit, ſi, veni, venit; cujus ea eſt in me propenſio, ut quidquid mea intereſt, ſua intereſſe haud ſecus ducat. Sane Præſule etiam noſtro adeo erga me male animato, ipſe quoque illius odium ſubire veritus non

eſt;

eſt ; & cum Præſul plureis amicos, imo, & quem famulum noſti, avertere tentaverit, Tornator nec prece, nec pretio, nec minis, nec injuriis, a mei amore deflecti unquam potuit. Quin etiam, quod me tam conſtanter amet, cauſam fuiſſe exiſtimo, cur bonus ille eam ipſi anſam ad te confugiendi fuerit machinatus. Quæ innuo, ut cum certus ſim te, ut me amas, nihil mei cauſa, quod in te fuerit, non præſtiturum, intelligas perinde eſſe illi, ac mihi gratificari. Dicerem plura, niſi hæc ſatis. Tu, optime Princeps, vale, Pariſiis, Non. April. M. DC. XLI.

E I D E M.

DEum immortalem! quam bonus es! auſus fueram rogare te, vel experieram potius poſtremis meis litteris, ut quam abs te opem Tornator ille meus exigeret, non eſſet grave impertiri. Tu verò quam-primum res tibi innotuit, & ne expectato quidem meo deſiderio, negotium voluiſti confectum, ac plura etiam fieri mandaſti, quam mihi optanda ipſe noverim. An non hæc ſumma bonitas, amorque nimius erga me? Sed nempe Deum imitatis, qui nos non modo inconſultos, ſed immerenteis etiam ſuis cumulat beneficiis. Utinam ipſe præmia digna, qui fons eſt bonorum inexhauſtus, ferat, nam tibi quidem grates dignas perſolvere haud opis eſt meæ. Quas nuperas ad me dediſti, vel potius quibus me beaſti, non habui ſatis temporis, ut eas, cum ad te ſcriberem, fuiſſe redditas renunciarem. Teſtari dignatus es meam pro Laſaya commendationem non extitiſſe tibi ingratam. Hoc ipſum verò quoque eſt, pro quo tibi gratias debeo immortaleis. Id illi jam ſignifico; & quia litteras a me poſcit, quas ipſe manu ſua donet, ideo præter hoc Epiſtolium, aliud ejus manu accipies, quod quæſo ſit non importunum. Niſi facerem, poſſet ille, aut me frigidum ducere amicum, aut perſuaderi me de tua diffidere benevolentia. Illud ego nolim, hoc ipſe non vis: Litteras accepi diebus proximis ab Epiſcopo Auguſtodunenſi, cum faſciculo, quem jam ad te tranſdo. Scripſit ſpecialeis in eo concluſas ad Heroinam tuam Conjugem; & quia rationem, ut puto, reddit commendati mei ab illa negotii, idcirco mihi ipſe permiſi, quoniam ex officio eſſe credidi, eas conſcribere, quas iſtis attexo. Tu bene, imo optime vale, decus Principum, & Præſidium meum. Pariſiis, pridie Eid. April. M. DC. XLI.

E I D E M.

CUm nihil mihi poſſit contingere dulcius mellitis tuis litteris, tum quas nuperas habui, mellitiſſimæ extitérunt. Non ob id ſane, quod me animæ dimidium tuæ ſalutaſti [id enim me potius rubore fuffudit, tot nominibus imparem, tot paraſangis ſepoſitum] ſed ob ſuavem adeo pro excuſſo jugo ponderoſo congratulationem, ut potuerit etiam, ſi quid pœnitentiæ forte ſuperfuiſſet, prorſus delinire. Quid non nervorum interea emollientia verba habuerunt? Erat apud me Vir per-eruditus, cum tuas accepi literas. Is, me legente, Deum! inquit, ut ſtylus hic Tacitum ſapit? Ego verò, imo, inquam, dicere debuiſti, ut Taciti genium? adeo poteſt optimus Princeps potiore jure, quam Lipſius, appellare Tacitum ſuum. Cetera ut prætercam, id verum præcipue deterritum me, quod arduum eſſe agnoverim, inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium medium invenire. Quibus ſcilicet paucis diebus intereſſe Comitiis licuit, facile fuit pervidere, aut loquendum ad gratiam, aut eſſe a gratia prorſus excidendum. Cum illud verò pro indole, inſtitutoque abhorrerem, iſtud pro rerum gerendarum conditione extimeſcerem, nihil viſum tutius, ſalubriuſque eſt, quam lubricum adeo iter declinare. Et ſuggillabant quidem boni, meique amantes Prælati, quaſi animo deſponderem, neque durum virtutis callem tenere poſſem impavidus. Ipſe verò, id vobis, inquam, perfacile dictu, factuque, quibus illico diſceſſuris agendum nihil ſupererit; at eum fuerit mihi deinceps tantum temporis in Aula terendum, Virique illi graviſſimorum negotiorum cauſa tam ſæpe adeundi, quibus diſplicere non erubuerim, dicite, amabo, qua fronte, qua mente repulſas, ſupercilia, ac forte graviora excipiam? Ac ſi immerſus quidem jam forem, neceſſitas-ve adigeret, enatarem ſane totis viribus, & vel felix emergerem, vel fortis perirem; verum re adhuc integra, & cum mihi nihil ſit neceſſe, ecquid me dem præcipitem, volenſque experiar iniquitatem fortunæ? Hæc tum ego, quæ tibi jam non improbari gaudeo. Vive, ac vale decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, XIII. Calend. Majas, ann. M. DC XLI.

E I D E M.

ESt nobilis quidam Dinienſis cognomen habens a Salice, qui repetitis vicibus ut donem ad te litteras depoſcit. Vellet enim, quantum conjector, cauſam neſcio, quam commendari in Sabaudi Principis Aula, ratus ſi haberet a te literas, fore ut Princeps, ejuſve parens dici fieri jus imperarent. Ipſe huc uſque abnui, neſcius qui poſſis pro temporum, rerumque conditione eſſe comparatus. Nunc ſane etiam ſubterfugio; non quod verear, ne minus me ames, tanquam importune nimis rogitem; ſed quod non feram te in eas quaſi anguſtias conjici, ut vel non ſponte aliquid præſtes, vel invitus aliis opinionem facias, quod in me non ſatis propendeas. Et agnoſce quantum aliunde confidam. Æquum foret me Ber-villæ, Bercoultii-ve uſurpare induſtriam ad ſubodorandum nihil ne prohibeat, quo-minus concedas, quod expetitur; & ecce malo tamen ipſe, ipſi tibi id inſinuare, ut ſignificari mihi jubeas obſtaculi ne quidpiam ſubſit. Nempe ſi ſubſit, quam potero ingenioſe virum avertam, ne rogaturus te adeat; ſin minus tum vobis illius nihil ſubveritus faciam ſatis. Vale interea quam optime, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis VI. Calend. Majas M. DC. XLI.

E I D E M.

QUod ad te ſcribam nihil eſt, niſi hoc ipſum, nihil eſſe, quod ſcribam. Fallor tamen? Sed nempe conſilium, ut in arena accipio. Quid hoc eſt, inquies? Succurrit, inquam, ut ad te perſcribam quid jam agam rerum. Ecquid verò eſt? Abſolvo examen primæ Philoſophiæ, ſive Metaphyſicæ Renati Carteſii Viri celebris, quam manu-ſcriptam Merſennus habuit, meæque cenſuræ commiſit. Operis argumentum rogas? Ecce auctor illud diſtribuit in meditationes ſex, quarum prima inſcribitur: *De iis,*

quæ

quæ in dubium revocari poſſunt. Secunda *de natura mentis humanæ, quod ipſa ſit notior, quam corpus*. Tertia *de Deo, quod exiſtat*. Quarta *de vero, & falſo*. Quinta *de eſſentia rerum naturalium, & iterum de Deo, quod exiſtat*. Sexta *de rerum naturalium exiſtentia, & reali mentis a corpore diſtinctione*. Vis pernoſſe quidpiam uberius? Ecce *in prima* dubium facit, quidquid in hunc diem cognovit, tum ob frequentem ſenſuum fallaciam; tum ob ſomniorum deluſionem, ob quam certus eſſe non poteſt, jam-ne dormiat, an vigilet; tum ob quempiam forte errorem, in quem poſſit, niſi a Deo, ſaltem a malo genio induci. *In ſecunda, cogito*, inquit, *igitur exiſto*; ac tum requirit ecquid nam ſit, animadvertitque ſe non eſſe corpus, ſed præciſe rem cogitantem. Hinc ſe dicit mentem, quæ corpora eſſe judicans, quia illa cognoſcit, tanto magis ſe eſſe inferat, quanto ſe clarius, hoc eſt, cogitatione propria cognuſcit. *In tertia* habet pro regula: *Quidquid clare, diſtincteque percipit, verum eſſe*; unde & quia cognoſcit per ideas, & idearum una repræſentat Deum, ſcilicet ſubſtantiam æternam, infinitam, omnipotentem, ac cetera; & hæc idea tantum habet realitatis objectivæ, ut neque ipſe, neque alia cauſa præter Deum, producere illam in mente potuerit; eamobrem cum ipſam clare, diſtincteque percipiat, & aliunde a Deo ſe habere ſciat, neque ea in re poſſit decipi, concludit exiſtere Deum. *In quarta*, probat Deum fallere non poſſe, eſſe ſe errori obnoxium, quod de nihilo participet; errorem eſſe voluntatis, ſeu arbitrii, quatenus latius, quam intellectus patet, & judicium de rebus fert, quas intellectus non percipit clare. *In quinta* agnoſcit ſe habere ideas corporeorum accidentium, ut extenſionis, ac figuræ; & accepta figurarum una, ut puta triangulo, argumentatur Deum neceſſario exiſtere, quia non minus impoſſibile eſt concipere Deum, ſeu Ens perfectiſſimum, cui deſit exiſtentia perfectionum præcipua, quam concipere triangulum, qui non habeat tres angulos pareis duobus rectis. Additque propoſitionem, quod Deus exiſtat, certiorem eſſe quacumque alia etiam mathematica, quod de ceteris certum eſſe non liceat, niſi prius conſtiterit Deum eſſe, neque eſſe fallacem. *In ſexta* ratiocinatur, eſſe aliquid, præter ſeipſum, ideſt præter mentem, ac ſpecialiter proprium corpus, & quia habet ideam corporis diſtinctam ab idea mentis, concludit eſſe proinde mentem diſtinctam a corpore, ac exiſtere ſine illo poſſe. Quid de iſtis ſentiam, cognoſcere aves? Cum concluſiones prorſum amplectar, nempe Deum exiſtere, mentem ſeparabilem eſſe; non arrident tamen ratiocinia, quibus ille putat ſe eas demonſtraſſe. Hæc & non habui, & habui ſcribenda. Tu optime vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, v. Non. Majas M DC. XLI.

E I D E M.

NE ſit moleſtum, optime Princeps, monſtrari a me tuas litteras; id enim ſimul tua, meaque, & Reipublicæ intereſt. Tua intereſt; quia tametſi tibi non alius ſtudiorum ſit præfixus ſcopus, quam ut quæ negotiis intercurrunt otia non inutilia exigas, & honeſtiſſimam voluptatem rerum gerendarum curis intermiſceas, non eſt tamen nihili habendus, qui honor blande veſtigare, ultroque ambire virtutem ſolet etiam invitam. Mea intereſt; quia licet & mihi ſtudia ipſa ſint pretium, non poteſt nihilominus glorioſior fieri acceſſio, quam ſi boni, doctique omnes probari tibi ea noverint, ac me eum eſſe, quem tu tam bonus, tamque doctus Princeps tantopere ames. Intereſt Reipublicæ; quia in hac tanta perverſitate celari non debet tam rarum exemplum, quo edoceantur Proceres, quantum virtus, ac eruditio cohoneſtet amplam fortunam; & ſentiant minores vellicatam aurem, quaſi ſuppudere illos debeat temporis jacturam ultro facere, ac te indefeſſum in artibus bonis excolendis non imitari. Quod me attinet, nullus acrior infigi valeat ſtimulus, quam ex perſpecto illo ardore, quo caves adeo ſollicite, ne dies abeat ſine linea, ac cenſes illum plane periiſſe, in quo non quidpiam legeris, ſcripſeris, fueris meditatus. Perge modo, optime Princeps, quando tua hæc ſtudia ſunt non ſolum tibi oblectamento, ſed aliis etiam emolumento; & ſic habe, tanto tuam gloriam pleniorem fore, illuſtrioremque, quanto pauciores æmulos habueris, parem neminem. Significavit Bereculius quemadmodum te geſſeris erga meum illum Antiſtitem; id ipſe totum refero ad amorem erga me tuum. Convenit ille cum meis Collegis, & meo quidem unius damno, præter fas, & recens, antiquumque jus; ſed nempe agendum interdicto erit, ut jure, præſenſque eò reſtituar, unde me ille injuria, abſentemque deiici ſuis technis curavit. Tu vive, & vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, VI. Eid. Maii, M. DC. XLI.

Eximio Viro Renato Carteſio

PETRUS GASSENDUS S.

VIr Eximie, beavit me Merſennus noſter, cum tuarum illarum ſublimium de prima Philoſophia Meditationum participem fecit. Quippe argumenti præſtantia, ingenii perſpicacia, nitorque dictionis mirifice placuit, &c. Pariſiis Eid M. DC XLI. *Habetur ſub Titulo, Diſquiſitio Metaphyſica, ſeu Dubitationes, & Inſtantiæ adverſus R. Carteſium.*

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NImis bonus es, qui ita me amas. Quod dare illas litteras te inconſulto nolui, publicatum rerum ignorantia fecit. Certe de tua benevolentia diffidere me, non eſt, quod verearis. Litteras ergo dabo, quia non improbas; verum proxima ſolum occaſione. Nunc me quippe Merſennus noſter facit occupatiſſimum, qui tranſmiſſurus craſtina luce in Hollandiam animadverſiones illas meas in Carteſianam Metaphyſicam, donec exſcribuntur, ſollicite inſtat. Hinc neque jam tecum agam pluribus; abunde erit, ſi gratias agam ob teſtationem affectus tui erga me conſtantiſſimi adverſus meum illum Antiſtitem factam. Noluiſti ipſe litteris tuis, quæ tua eſt moderatio, eos ſermones ſignificare, quos,
ſata-

ſatagente illo tecum redire in gratiam, habuiſti de me; at illi profectò mihi innotuerunt. Quod ſcribis declaraſſe illum velle etiam mecum redire, qui potuit ſerio facere, quando interea omnem mei conciliandi anſam præſecuit? Scilicet mihi interea id juris ſuffuratus eſt, cujus niſi ſim plane excors, atque improbus, dedicationem neceſſariam fecit? Nam ſi me ſolum id attineret; condonarem facillime; at Beneficii mei jus eſt, quod ut illibatum accepi ab Anteceſſoribus, ita ad Succeſſores tranſmittere teneor. An committam, ut illi mihi vertere olim opprobrio poſſint, quod in me ſatis, aut animi, aut fidei non fuerit, ut uſurpatorem finerem impunem? Videret profectò ne poſſe quidem Eccleſiam prius repetere, quam in integrum fuero reſtitutus. Et Spinoſa quidem Vir optimus; ſed facilem nimium ſeſe præſtitit, cum de jure me attinente, & de quo non fuerat controverſia, its permiſit tranſigi, ut ipſa ſpoliatus eo fuerim, & homo infenſiſſimus, cui cordi magis nihil fuerat, illo tanquam præda exſatiaverit ardorem hoſtilem. Sed hem quo abripior! id ignoſce, ac bene vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, XVI. Cal. Junii. M DC. XLI.

Quod iter ſuſceptum vertat proſpere, e pectore voveo. Litteras hac vice non habeo a noſtro Bereculio; ſed ſuperiore geminas habui. Cum Bervillæ memineris, ecquid patiere heic adiici quam multam illi ſalutem dicas? Peireskii Vita eſt tandem ſub prælo. Vale iterum.

E I D E M.

PErſcripſit ad me Bereculius Antiſtitis mei pollicitationes. Illis diffido, quia novi, quam modicæ fidei Vir ſit. Quod ſciam certe, niſi adverſum me promiſſis ſuis nunquam ſtetit; Sed nimirum voluit abs te reconciliatus diſcedere, fretus interim tranſactione, quam adverſum me pepigit, vel potius extorſit. Et vis ſcire quid cogitarit? Videlicet poſſe humanitus quidpiam tibi, mihive contingere, priuſquam de jure controverſia fiat. Profectò, ſi homo, ἀναλφάβητος, græcam non affectaſſet fidem, declaraſſet ſcheda tibi conſignata velle ſe nihil meo juri ea tranſactione derogatum, et rem conſtare integram, donec plenius cognoſceretur. Non fecit? Scito anguem latere. Cur verò putas illam ad calcem conditionem appoſuit, ut niſi jura ea tranſactione ſibi tributa conſequeretur, non ſtaret ipſe ceteris? Cur, inquam, niſi quia agnovit injuriam mihi a ſe illatam, nec potuiſſe Collegas meos in ipſum transferre meum jus; ac interea putavit omnem conquerendi anſam mihi adimi, quod ſecus Capitulum totum in me-met veluti armarem, quaſi adverſus fœdifragum, inſtaurandique belli auctorem? Clauſula ſane inſolita, naturæ contractus adverſa, & de qua [ſi id per amicos a me ſalutatos liceat dicere] ne Normanus quidem quiſpiam cogitaſſet. Ac non me latuerat quidem ejus mens; ſed accipito ecce Dinia litteras, quæ illam plane perſpectam faciant. Quid te his tamen rebus detineo, humaniſſime Principum, quaſi nihil poſſim ſcribere, quod ſit tibi lectu jucundius? Condona, quaſo, animi motus, qui frangi poſſe viſi non ſunt, niſi ad te appellerentur. Niſi tam bonus, tam mei amans, tam tui eſſes ſimilis, non effunderem iſta in tuum pectus. Aliàs agam de aliis; nunc ſaltem tacendum præterea non eſt, quod Bereculius adiicit, non potuiſſe omnino te, qui es Hominum manſuetiſſimus, tam adverſus Antiſtitem, quam adverſus Spinoſam bilem continere. Qua de re quid dicam non habeo, niſi quod nimium felix ſum, qui te erga me talem habeo. Vive igitur, ac optime vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, XX. Calend. Jun. M. DC. XLI.

Antonio Godello, Graſſenſium Epiſcopo

PETRUS GASSENDUS S.

PAucis, ac ſero reſpondeo, Præſul optime, ſed perſpecta nempe tua bonitas opinionem facit peccandi impune. Reſcripſiſſem tamen maturius; verum is codex, intra quem latuit præclara tua epiſtola, eſt nuper duntaxat Belgio meo miſſus. Nunc, niſi ſcribo pluribus, concurrenteis, neſcio qua ſorte, occupationes poſſum cauſari. Et perrumpo nihilominus, quod treis denique verſus, quam nullos dare ad te præſtet. Id præſertim, quia Bereculio te eſſe Aquis-Sextiis, meminiſſeque mei nunciante, vellicari aurem non abs re perſentio. Suppudet quippe videri me præ negligentia immemorem tam virtutis tuæ eximiæ, quam amoris erga me tui. Peireskii Vita mandatur jam typis, foliorum forma quadripartita; eaque erunt, quantum conjicio, numero prope ſexaginta. Quintum jam num excuditur, polliceturque Typographus operam ſatis diligentem. Quod tu ſcriptum probas, non de opere, ſed de materia accipio, quæ haud-dubie ſuperat opus. Agnoſco interea candorem, ſed non ſine benevolentia, quæ imponere tibi potuit. Utcumque ſit, operam dabo, ut in me obſervantiam, gratitudinemque deſideres nunquam. Vale, Pariſiis, IX. Cal. Jun. M. DC. XLI.

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

SI ex me quæras, optime Princeps, quid jam rerum agam, paucis referam. Noſti varia experimenta, quæ circa res projectileis, deciduaſque peracta ſunt, cum per ſuperiorem Autumnum, qua curru, qua equo perluſtrares Provinciam, & Triremi celerrima tenderes Maſſilia Caſteldiſium verſus. Quippe non modo, te auctore, pleriqne illa exequuti ſunt, ſed præiviſti quoque ipſe, & ut egregie perceperas, ita eximie ediſſeruiſti qui contingeret, ut omnes motus rerum a nobis tam emiſſarum, quam dimiſſarum perinde fieri apparerent, ſeu id corpus, cui inſiſteremus quieſceret, ſeu moveretur. Ego ſubinde ad amicos in hanc urbem ea perſcripſi; & quia fuere, a quibus fides non-niſi ægre impetraretur, ideo conſcripſi uberiores ad aliquos epiſtolas, quibus cauſa expoſita eximerem admirationem. Oſtendi nempe id potius fuiſſe futurum admirabile, ſi lapis ſurſum ex curru, aut equo, vel navi translatis projectus in ipſam manum non recidiſſet, aut ſi ex ſummo malo dimiſſus, non decidiſſet in pedem mali. Nunc igitur præcipuas duas ejuſmodi epiſtolarum, volentibus ipſis, retracto, ac ut evulgentur ultro patior;

tior; etiam poſterior, qua oſtenſum eſt Copernicæam [niſi Pythagoricam potius, & Platonicam] de motu Terræ opinionem impetendam eſſe argumentis firmioribus, quam quæ uſurpare eſt moris. Id ſtupore profecto dignum, homines non e vulgo modo, ſed eruditos etiam, & ex Philoſophis, Mathematiciſque maxime illuſtreis obiicere experimenta, quæ neque ipſi fecerint, neque ab expertis acceperint; ſed quæ putent ita debere neceſſario ſuccedere, ut perfeciſſe illa ſe jactitare non erubeſcant. En præ ceteris Clavii verba: *Pari ratione efficeretur, lapidem, ſeu ſagittam aliquam magna vi ſurſum directe projectam non in eundem locum recidere, veluti in navi aliqua celerrime mota accidere conſpicimus.* Quid tu heic dicas, qui in navi celerrime mota ſecus accidere conſpexiſti; & ſi dixiſſet quidem ille, *veluti probabile eſt, aut veluti ferunt, qui fuerunt experti*; ſolam vel negligentiam, vel credulitatem cauſarer; at cum id dixit, *veluti accedere conſpicimus*, eſt ſane cur præterea ſummam admirer ſecuritatem. Tu bene vale, Principum decus. Scripſit ad me nuper Arnulfus [affinis ille ſcilicet, hoſpeſque Draguiniani meus] timere ſe quidpiam a Concivium male animatorum technis; ſi te adierit, certus ſum te illi præſidium ſolitum non denegaturum. Iterum vale, Pariſiis, Calend. Junii M. DC. XLI.

E I D E M.

NE mirere, optime Princeps, ſi immoderati iſteic ſint fervores; tales certe heic quoque vigent, quales vix ſentit Africa. Ac fortaſſis quidem videri pæne intolerabiles poſſunt, quod repente ſubierint; quod diuturnis, exquiſitiſque frigoribus ſucceſſerunt; ſed ut ut ſit, vix medio Julio expectatus fuerat æſtus importunior. Hæc verò rerum eſt inconſtantia, quæ humanam omnem providentiam eludit. Nam ſuas quidem cauſas hæc habent; ſed ſagacitati noſtræ nuſquam obvias. Sol diſpenſator eſt caloris, quo accedens ad nos, Æſtatem, abſcedens creat Hyemem; at cum incedat, uno tenore; cur non uno quoque tenore increſcit, ac decreſcit calor? An-non eſt neceſſe cauſæ interveniant, quæ & hanc interruptionem faciant, quæque, & mediis Hyeme æſtus, & media Æſtate exciteut algores? Eæ ſunt ergo cauſæ, quas dixi fugere humanam ſolertiam. Repetunt ipſas Aſtrologi ex Schematiſmis Syderum; ſed hæ non poſtremæ illorum ſunt nugæ; quippe ſchematiſmi lentiſſime fiunt; ſunt hæ mutationes prorſus repentinæ. Et ſi fierent quidem propterea ex Syderibus quædam veluti ſpecula, quæ radios Solis nunc collectos, nunc diſperſos tranſmitterent, id quandam veri ſpeciem præferret; nunc verò illi orbiculi nunquam ſeſe ita componunt, ut variationem facere alieni, vel ſui caloris, ſenſibilem poſſint. Videntur ergo potius ex ipſamet Terra cauſæ repetendæ, ex qua Auſtrini halitus per Hyemem ſuborti teporem inducunt, Borei per Æſtatem fervorem retundunt; ſed quis eſt idcirco adeo oculatus, ut quibus diebus, quibuſve horis hujuſcemodi halitus ſint ſuborituri proſpiciat? Id garriunt quoque Aſtrologi; ſed nempe ut ſolent humanos eventus. En famulus meus correptus eſt febri; ardent viſcera, arteriæ ſobſiliunt; requirunt illi cauſam ex Aſtris, ac Natalitio Themate; & verò ipſe proximam, recentemque non neſcio cauſam. Præclare penitus, ut noſti, ac me ediſſeruiſſe alias memini, ille Poëtarum Coryphæus:

> Ω᾽ ποποὶ, οἷον δήνυ θεὺς βροτοὶ αἰτιοῶνται;
> Ε᾽ξ ἡμέων γὰρ φασι κακ᾽ ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
> Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε ἔχουσιν.

Quod in hunc modum interpretor:

> *Eheu! quam graviter mortales Numina culpant?*
> *Quippe mala a nobis aiunt accedere; at ipſi*
> *Stultitia propria, haud fata, mala perpetiuntur.*

Sed modus eſto. Quas heic adjungo litteras a Roberto meo tranſmittendas habui. Manda quæſo tuorum alicui, ut transdat illas, quo deſtinantur. Tu bene vale, Principum decus. Pariſiis, VII. Eidus Majas M. DC. XLI.

E I D E M.

SCribebam nuper de repentinis mutationibus Aëris: id comprobatum per-opportune, cum temperati fervores ſunt, uno, alterove poſt die. Ecce enim vernante Cœlo frequentes pluviæ, tonitruaque, & hodierna etiam hac luce a tempore ante-lucano. Quam delectabit, ſi inaudiero parem iſtheic eſſe temperiem, ut quia ſcribis te in oram Provinciæ orientalem excurrere, ſalubrius, gratiuſque excurras? videlicet non tua ſolum, ſed mea quoque intereſt (ne quid dicam de ceteris) ut valeas, & jucunde valeas. Hinc timerem magis; ſed compertum habeo, quanta cum incolumitate, ſuavitateque potueris in eadem regione ducere Æſtates. Id debetur tuæ virtuti, quæ ad omne Cœlum corpus comparat, animum ad omnem fortunam. Eadem eſt enim, quæ temperantiam, æquanimitatemque præſcribit, quarum ope, & ſanitatem, & alacritatem tueris. Ita maximum tibi adeſt bonum, quo frui per naturam licet, ſana in ſano corpore mens. Nihil eſt opus te admonere, ut perenne id facias; qui apprime noſti, quam pretioſum ſit, quam non poſſint imperia omnia, divitiæque omnes cum illo conferri. Doles te negligentius ſolita ſtudia colere per has bellorum occupationes; ſed non ignoras ea nos lege, conditioneque eſſe natos, ut undique eſſe beatos non liceat. Voluptas aliunde non exigua eſt, in commune bonum convertere vota; populos commiſſos probe regere, quam nactus es Spartam, illam exornare. Denique negligentiam illam cum ea compenſas diligentia, qua libris dimiſſis, rebus ipſis ſtudes. Quippe tua ſtudia umbratilia tota, quemadmodum noſtra, non ſunt; ſed intermixtam ut plurimum contemplationi actionem habent. Eſt verò cur interea Reipublicæ litterariæ nomine tibi gratias agam, quando ſic amas litteras, ut perire exiſtimes, ſi quid temporis illis non impendis. Macte porrò animo eſto; nam quidquid agas, ſemper ſtudes, qui dies, horaſque ita diſpenſas, ut nullam fruſtra exigas, nullam non impigre, honeſteque ducas. Vive modo diu, ac vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, poſtridie Eid. Jun. M. DC. XLI.

E I D E M.

POſtridie quam nuperas ſcripſi, acceſſit Laurentius Aquenſis Conſiliarius, inviſurus [quod fecerat nondum] Abbatem Campinium, Virum optimum, &, Germani inſtar, obſervantiſſimum tui. Diſceſſurus voluit me etiam coram videre, & alloqui; quare evocatus ex Muſæolo ad ſalutandum ipſum proceſſi. Datis, acce-

acceptiſque communibus de valetudine verbis, enarravit vultu, &, ut apparuit, pectore in lætitiam effuſo, ſcripſiſſe ſe pridie ad te, ultroque tuam in impetranda redeundi licentia opem imploraſſe. Protulit etiam, oſtenditque epiſtolæ ſuæ exemplum, innuens, ſi potuiſſet eam ſtylo ſupplice magis contexere, fuiſſe haud-dubie uſurpaturum. Inſinuavit quoque, ſi tam ipſe, quam Socius potuiſſent litteris reddendis clariores viros deligere, haud quaquam fuiſſe neglecturos. Cum recitaſſet quid in Provincia, quid in Aula actum, non actum-ve foret, ſubdidit ſe una cum Socio conveniſſe Parentem tuum, itemque Chavinium, & Abbatem Victorianum, ut ſubmiſſam tibi mentem teſtarentur, poſſentque tuam benevolentiam, Viris ejuſmodi intercedentibus conciliare. Denique adjecit me ſibi rem facturum gratiſſimam, ſi ad te ſcribens, ſummum ardorem, quo præſidium tuum expetit, efflagitatque, ſignificarem. Excepi ipſe lætari me, apprehenſum denique filum, quo ſe ex mæandris ſubducere poſſet. Conſcriptas ad te litteras, & argumento, & ſtylo, & manu reddentium fore non ingratas; Principem te eſſe ſumme generoſum, ac bonum, & qui invictus cætera, ſinceris tamen precibus, aff ctibuſque ſis non invictus. Præclare actum erga Patronos, qui tui tam ſtudioſi ſint, in quos ſis ipſe adeo propenſus. Me nullo plane habendum loco, qui nullus eſſe apud te debeam, nec poſſim niſi temere talibus Viris intervenire. Aulurum tamen, quia id vellet ſuggerere ipſius pronam, & ad omne obſequium comparatiſſimam voluntatem. Quod ſupereſſet, pergeret modo, quo dextro pede occeperat. Hæc ſumma eſt, optime Princeps, conſertorum mihi cum ipſo ſermonum. Ac datam quidem libero fidem, dum, quod expetiit, exequor; ſed interim tamen, quo & decet me, & tua intereſt, candore id præſto; quin-etiam neque conſilium, neque ſuaſionem adhibeo; cum tu ſapientior, meliorque ſis, quam ut præter nudam hiſtoriam, aut face, ad dijudicandum, eligendumque quod optimum; aut ſtimulo ad exequendum, proſequendumque indigeas. Vale optime, o Principum decus. Pariſiis, XI. Calend. Jul. M. DC. XLI.

E I D E M.

RUborem creat, optime Princeps, cum iis me elogiis, quibus ſuſtinendis ſum impar, exornas. Sed nempe, ut parentibus filiorum nævi lumina ſunt; ita verendum eſt, ne tibi, cujus eſt candor eximius, amor ille tantus, quo me proſequeris, imponat. Ego profecto longe abſum, ut in me, quam præſumis ſcientiæ plenitudinem agnoſcam; quippe qui non Oceanum, ſed nec rivulum, aut ne ſtillam quidem poſſe ſummis labris attingi confidam. Tametſi enim ejus ſcientiæ, quam appellare τῶν Φαινομένων, ſeu Hiſtoricam ſoleo, conſequi poſſim aliquid; illius tamen percelebris, qua intimæ rerum naturæ, proprietateſque cognoſcantur, ne atomum quidem mihi-met polliceor. Hæc eſt, quam Deo totam concedo, qui cum naturæ opifex ſit, ſolus habere perſpectam ſui opificii rationem poſſit. Et conſidera quidquid primum in rerum natura occurret, animal, plantam, quidvis aliud, non omnes ſimul Philoſophi cauſas germanas, proximaſque, & modum, aut artem ſtructuræ illius unquam explicabunt. Unus, qui fecit, dicere poteſt; at nobis homuncionibus præter ſtuporem ſupereſt nihil. Felices nihilominus, quibus divina bonitas ſpectaculum tot operum admirabilium non invidit. Videtur auctor ille naturæ ſeſe habere ut artifex, qui fabricatus Dædali ſtatuas, aliaque id genus ſtupenda, ipſa quidem propalam faciat; ſed interiora tamen illa machinamenta non revelet. Quare, ut ſatis eſſe ſpectatoribus debet oculos paſcere jucunde, neque, aut conqueri de Artifice, aut ſe habere miſeros debent, quod illius ſolertiam non complectantur animo; ita nobis in pulchrum hoc naturæ theatrum admiſſis, ſufficere debet tot rerum, quæ in illo exhibentur, contemplatio ſuaviſſima; neque jure poſſumus, aut cum Deo expoſtulare, aut infelicitati cuipiam vertere, quod ipſius quoque peritiam in iis condendis non aſſequamur. Ac ſapienter ſane ille ſic providit. Quippe non jam admirationi, aut venerationi hominibus foret, ſi ſupra homines nihil ſaperet, ipſique ejus induſtriam ſe conſequutos gloriari poſſent. Vides proinde, quæcumque ſint ſcholarum pollicitationes, qua de ſcientia ego deſperem; vides quam auſim proſequi, dum τῶν Φαινομένοις, ſeu hiſtoria rerum, hoc eſt, ipſa effectorum τοῦ Δημιουργοῦ, ſum ſpeculatione contentus. Sed & vide quæſo, an id ſit, quod vocas altum ſapere; cum me ex gradu illo ſummo ſublimis ſapientiæ demittam, & hanc humilem, cujuſque e vulgo nemo non ſit capax, conſecter. Utcunque ſit, aurea profecto, ipſoque digna Apolline tua illa ſententia, de veritate cum agitur; non eſſe, quod Ariſtotelis, aut Platonis ſimus ſtudioſi. Dicendum alias de illa erit. Nunc, ne ſim nimius, finem facio, apprecatus tibi omnia proſpera. Vive, & vale decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis XV. Cal. Jul. M. DC. XLI.

E I D E M.

QUod ceperam nuper dicere, reſumo; ne videar illam adeo præclaram de veritate ſententiam abſque teſſera dimiſiſſe. Inprimis verò illud occurrit, tam Ariſtotelem, quam Platonem reverentiores fuiſſe veritatis, quam ut ſeſe illi prætulerint; qui ſi prætulerint, non eſſet profecto, quamobrem ipſos revereremur. Quippe ſapientiæ profeſſores ob id ſolum ſuſpicimus, quod docere illos arbitremur vera; nam ſi profiterentur falſa, ecquis ad illos accederet? Itaque ipſa veritas eſt, cujus unius ſtudioſi ſumus, & cujus ſpeciem induat oportet, ſi quid falſum proſequimur. Videlicet ne mimi quidem, picturæ, & alia, quibus decipimur, delectant, niſi quatenus præſeferunt ſimilitudinem cum verò. Unde & conſtat quam ſit pretioſa, quam divina res veritas, cujus ſola umbra tantopere placet. Quam optandum proinde foret, ut humanum genus aperiret oculos, quò veritatem potius ipſam, quam ſimilitudinem, aut umbram & agnoſceret, & conſectaretur. Ecce enim fucus obtenditur rebus, quo ſolo abducimur; neque interim vera bona, aut cogitamus, aut diſquirimus, aut diſcernere ardenter ſtudemus. Quare nec mirum eſt, ſi rerum veritate non perſpecta, atque idcirco ſi naturæ voce, ſeu ratione non exaudita, cæci nos motus abripiant, & quaſi cynoſura deſtitutos in ſcopulos, brevia, ſyrteiſque conjiciant; donec profecto, quid revera, quid apparenter ſolum ſit bonum, non ſatis internoſcimus; involvunt nos, ſeu potius obruunt cupiditatum inanium fluctus; & quia illis metas ſecundum naturam non præſcripſimus, longe omnino abſumus, quam ut nos ad portum patiantur perduci. Is portus tranquillitas eſt, quam cum nemo non expetat,

nemo

Digitized by Google

nemo non paſſis velis declinat. Quid enim aliud agimus, dum libidini, ambitioni, avaritiæ laxamus habenas? dum odiis, injuriis, rapinis, bellis, cædibus, proditionibus Cœlum cum Terra commiſcemus, & ſocietatis humanæ jura ſuſque, deque evertimus? niſi non harum perturbationum origo, & cauſa ignorantia eſt; quæ, dum veritatem ſtudioſe requirere negligimus, tenebras facit, ac interea occupat, tenetque imperium. Sed vetus nempe querela eſt; neque enim rebus humanis ita bene agitur, ut ceſſare potius noſtris, aut futuris, quam præteritis temporibus, debeat. Tu inter has publicas turbas placidum illum animi ſtatum, quod facis, conſtanter tuere. Vive diu felix, & vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, III. Non. Jul. M. DC. XLI.

E I D E M.

VEniam dabis, optime Princeps, ſi paucos prorſus verſus dem; ſed nempe ſcriptioni deſtinatum tempus ſuffuratus amicus eſt, cui omni officio fuit ſatiafaciendum. Id licere mihi putavi per te, qui tantam feciſti de te confidentiam. Fiet alias, Deo volente, cum hac jactura compenſatio; quamquam jacturam non dicerem, niſi ipſe pro tua immenſa bonitate ita ſentires. Quippe eſſet potius lucro apponendum, ſi quod legendis litteris meis tempus deteris, ad alia referres. Tu præſertim, ac iſto quidem difficillimo tempore, quo ſuſtines tot, ac tanta negotia. Accepi nimirum, quas habuiſti cauſas, ut Provinciæ metueres, & ſingulariter provideres. Vides interea caſum inſignem, quo hoſtes recens perculſi ſunt; cum eſſe nihil potuerit ea, quam ſunt adepti victoria luctuoſius. Fortunet Deus proſpere omnia, teque inprimis incolumen ſervet. Vive diu, & vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, IV. Eidus Jul. M. DC. XLI.

E I D E M.

NIhil fuerat opus, optime Princeps, conſcribi ad te Carteſianæ Metaphyſicæ argumentum; quando ea jam excuditur, Merſennuſque noſter editionem curat. Ita ipſemet eſt nuper confeſſus, qui initio celaverat; adjecitque imprimi una cum objectiones alias, tum animadverſiones meas, ſolutione jam a Carteſio miſſa. Requiſivi ipſum, ut mihi illius copiam faceret, cum verò tergiverſaretur, an-non facis, inquam, quod Antagoniſta ſe acerbiorem præbuit, vererisque ne ex lectione aliquid moleſtiæ capetur? annuit ingenue; tum autem ego: Tu non igitur me ſat noſti, qui ſi quid rationis occurrat, ardenter excipiam; ſi quid ſtomachi, facile condonem? dedit itaque demum pellegendam. Cum perfeciſſem, quam bene, inquam, mecum agitur, quod meæ Animadverſiones ſecundum totam ſeriem cum Reſponſionibus imprimantur! quippe erit unde Lectores æquum de controverſia, deque ſtylo judicium ferant. Hæc ipſe ad illum: Tu optime Princeps, cum liber erit præ manibus, quid id totum ſit, uberius cognoſces. Heic ſolum addo, permirum eſſe, quam ſimus quiſque noſtri amantes, quam ſententiæ ſemel infixæ tenaces, quam contradictionis minime patientes! Cumque id minus quemlibet deceat, tum præcipue Virum ſapientiam profeſſum, qui dignus eſſe eo nomine, niſi pro ſcopo habeat veritatem ſolam non poteſt. Non modò enim æquum videtur, ut patiamur placita noſtra controverti ab aliis; ſed etiam, ut ipſimet nos, veritatis ergo, ipſa evertamus. Digna ſane vox Ariſtotele: Δόξειε δ᾽ ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας. Sequitur, quod nuper innuebam, ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, hoc eſt Platone, ac veritate, ὅσιον προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν. Sed hæc, & alia tu melius noſti. Vive diu, ac vale, decus Principum, & præſidium meum, Pariſiis XIV. Calend. Auguſti M. DC XLI.

Bervilla ſemper ſalutem nuncia. Scribo ad Valtortam, ut illi commendem mei cujuſdam agnati cauſam; niſi tecum ſit, quæſo te, ut tuorum quiſpiam meas litteras ad illum tranſmittat. Iterum Vale.

E I D E M.

ERam nuper apud Thuanum, cum Princeps, Antiſteſque Metenſis eò advenieus, poſt conſertos quoſdam ſermones, ecquis Vir eſſem requiſivit. Cum Thuanus verò, Puteanuſque dixiſſent ad aurem eſſe me Virum Provincialem, quem tu amore tuo dignareris, dici non poteſt, quanta me de repente in tui gratiam humanitate fuerit complexus. Cepit ſubinde facere palam quantum te Cognato gloriaretur, lætareturque; quanta eximiam tuam virtutem, cujus exempla retulit, veneratione proſequeretur. Non refero porrò, ut omnes, & aſſenſerint, & ſymbola contulerint; id ſolum attingo, ut noris quanti ab illo Principe fias, quanti ab omnibus, qui te norunt. Quin-etiam talia non ſcriberem, ſi vel facere aliquam tibi aſſentandi opinionem poſſem; vel te eum noſſem, qui ad vanam oſtentationem iſta referres. Sed nimirum tu ſic me amas, ut novam quandam abs te gratiam inire neceſſe non ſit; ego tuæ virtutis eam habeo rationem, ut incentivum facere, potiuſquam remoram contendam. Et teneris certe vel ex eo pergere conſtanter, quo cepiſti greſſu; quod in oculis omnium, clariſſimaque luce verſaris; neque potes non in hac morum perverſitate eſſe exemplo, cujus, quibus innati ſunt veræ virtutis igniculi æmulatione accendantur. Quam, putas, verò res eſt divina, dum hoc tramite indeflexus incedis, ſpargere te interea, & dum nihil cogitas, odorem, quo alliciantur plurimi, induanturque in eandem viam? Macte proinde animo eſto, & quod agis, id ſemper age; ſic enim demum poteris inter Heroës locum habere. Eò multi aſpirant; ſed quia interim virtutem non-niſi fucatam ſibi ſtatuunt ob oculos, ideò lactantur inani ſpe, exciduntque ingentibus auſis. Vive modo diu, ac vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, VII. Auguſti M. DC. XLI.

Obſignaram jam Epiſtolium, cum redditæ mihi tuæ litteræ ſunt, ipſis hujus Menſis Eidib. conſcriptæ. Reſeravi ergo, ſed eo ſolum fine, ut ſignificarem mihi redditas; quippe non-niſi proxima occaſione iis reſponſurus. Ber-villam jubeo ſemper ſalvere. Vale iterum.

E I D E M.

PErſpecti mihi labores ſunt, quos in communiendis iis locis, quibus aliquid timetur, impendis. Et quereris quidem non ſine lepore ex nihilo nihil fieri; ſed cum opis divinæ ſit ex nihilo nihil facere, proximum tamen ipſi

eſt, pauca ex re facere multum. Haud male proinde ominati ſunt, nec meriti male de tua providentia, qui a te tantum operæ ex ſubſidiis tantillis ſperarunt. Quippe, ut non aliud, hoc ſaltem fecere, ut te tutelæ Numinis creditum eſſe conſiterit. Hinc eſt tua illa εὐελπιστία, qua gloriari potes eadem navi te, ac tuam ſimul fortunam vehi. Fortunati nimium, qui tecum vehuntur! Populi felices, ſua ſi bona norint! Perge modò, optime Princeps, grandi hoc paſſo incedere; gerentem quippe hos animos Numinis favor deſtituet nunquam. Gratiam facienti, quod in ſe eſt non denegari, trita ſententia; tu verò vota non concipis, niſi admota aratro manu. Iſta nec de re nimium ſpondes, nec præ ſegnitie Cœlum fatigas; ſed cum præſtitiſti, ut per te nihil ſtet, ut Deos omnia fortunet, voves. Noſti, ejuſmodi conſilium ne Ethnicos quidem latuiſſe, qui adjuvari forteis a Diis, & Deos omnia vendere laboribus pulchre ſenſerunt. Noſti Divinam, primamque cauſam ſe ſola non agere omnia, quæ & ſecundas cum fecerit, eas ſane eſſe nequidquam noluit. Quare optas quidem ab ea incrementum; ſed, & plantas, & rigas tamen. Quidni hac fretus conſcientia, & ratus nihil prætermiſſum, ſerena mente conſtanter ſis; qui utcumque de proſpero eventu ſecurus non ſis, nihil videas tamen, cujus te poſſit propter infauſtum pœnitere. Apprecor ipſe proſpera omnia, infauſta omnia deprecor. Sic vive diu, felix, & vale. Pariſiis, poſtridie Cal. Auguſti M. DC. XLI.

Quod ſpes ſit fore, ut Epiſtolium te Aquis-Sextiis conveniat, an-non feres hic a me dici, quando non vacat ſcribere, Bereculin noſtra, atque ac Ber-villa plurimam ſalutem? Vale iterum.

E I D E M.

MEnſis prope eſt, ex quo ad te ſcribens memini Victoriæ, quæ non ἐπινίκιον verum ἐπικήδειον victoribus fecit. Agnoſces jam, quæ non ovatio, ſed τραγῳδία illis ſuccedat. Videlicet, dejecta Statua, baſis quoque ſuffoſſa eſt; & qui erat Patulejus, factus eſt illis Cluſius Deus. Mirari profecto par eſt, nos hinc ſecuros maxime eſſe, unde ante dies tam paucos timebamus quam-maxime. Sed hæc eſt nempe felicitas, hoc ſacrum conſilium imperans fortunæ. Quippe cum ſit ſagacitatis id conjicere, quod futurum eſt, tum prudentiæ præſertim eſt quidquid demum occurrerit, ſic temperare, ut bene vertat. Eventus plerumque in nobis non ſunt; at cum cauſa cæca illos faciat, poteſt provida ſic inflectere, ut nihil videatur non factum conſultò. Hoc ego ſane dicere ſoleo, non tam quadrare circulum, quam ex globo facere cubum. Noſti enim quod dicitur:

Ut ſphæra fortuna, cubo ſic inſidet Hermes.

Quamquam quid ergo iſta ad te, qui tanta ſapientia omnia moderaris? Verum condonabis, quod exciderint ex recente memoria, ac præſentanea meditatione. Facile profecto non fuit non intendere animum ad inexpectatiſſimum caſum. Voveo tibi nullum fieri improviſum; nullum, ex quo non te fortunatiſſimum probes. Vive modò diu, ac vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, v. Eid. Sextil. M. DC. XLI.

E I D E M.

QUod dicis, te veram virtutem non poſſidere, ſed optare, ex ipſa virtute proficiſcitur; quippe, ut præteream, hoc eſſe modeſtiæ, quæ ipſa quoque cum eſt ingenua, ac ſine fuco, virtus eſt; oportet profectò non inchoatam modò, ſed adultam etiam obtineat, qui veram, atque conſummatam expetit ardentibus votis; & diceret fortaſſis alius te ne iſta quidem deſtitui; ſed neque ipſe de te ſic ſentis, neque ſentire congruum eſt; quoniam ipſa excideres, ſi te conſequutum putares. Noſſe vis, ut iſtud accipiam? Dicis ipſe egregie veram virtutem eſſe immotam; dicis primo tantum Motori convenire, ut non moveatur; colligo ergo veram virtutem in primo tantum eſſe Motore. Et quia tamen de virtute, cujus homines valeant eſſe capaces, agitur, potarim id ſic temperandum, ut humana virtus conſiſtat in ſimilitudine cum primo Motore, non omnimoda illa quidem [neque enim Dii eſſe poſſumus] ſed quantum quidem per humanam imbecillitatem fas eſt; adeò ut quiſque veram virtutem tantò magis obtineat, quantò obtinet conſtantiorem. Hinc accedere ad veram virtutem, eſt ad Deum accedere; hoc eſt, ad conſtantiam aliquo modo ſimilem immutabilitati Divinæ. Et quia res eſt per ſe ardua, perinde eſſe mihi videtur, ac ſi quis non ſecundum flumen, ſed adverſus, hoc eſt, in ipſam ſcaturiginem naviget. Ut enim facilius nihil eſt, quam ſecundo flumine ferri; ita nihil proclivius, quam delabi per vitia, & ut labor eſt tendendi in fontem; ita difficultas inhianti ad illam quaſi originem virtutis. Quare ut nitenti in fontem quieſcendum non eſt, ne referatur ab ipſo fonte; ita aſpiranti ad ſummam virtutem connitendum perpetuò eſt, ne, ſi non faciat, ab ea recedat. Atque hoc tandem eſt, quod volebam, cum fore dixi, ut a virtute conſummata excideres, ſi in ea eſſes opinione, ut te adeptum exiſtimares. Nempe hæc opinio feriatio eſt quædam, per quam non modo non promovemur, ſed etiam longe removemur; ſicque comprobatur, quod ſæpe audiiſti, in via virtutis non progredi, eſſe regredi. Cetera alias, ne ſim jam nimius; interea que exopto tibi non virtutem modo eximiam, ſed etiam virtutis eximiæ cumulatiſſimam mercedem. Bene vale, Principum decus. Pariſiis, XVII. Calend. Septemb. M. DC. XLI.

E I D E M.

AN nuper contradictio fuit, cum te virtutem eſſe immotam aſſerente, ſic annui, ut cenſuerim tamen non eſſe quieſcendum? Non videtur ſane, quandoquidem virtus ipſa eſt animi conſtantia, quæ conſtantiſſima cum eſt, tum demum vera virtus eſt; neque enim eſt, cur putemus ſolam juſtitiam eſſe conſtantem, atque perpetuam voluntatem, ut Juriſconſulti definiunt; id ad virtutem omnem ſpectat; & ut conſtantia voluntatis tribuendi ſuum cuique eſt Juſtitiæ, ita Temperantiæ honeſtæ, Fortitudinis generoſe, Prudentiæ ſapienter agendi. Porrò, quod noſti habitum dici qualitatem permanentem variis actibus comparatam, dictum habeto de Virtute, quæ habitus eſt, quæ permanens eſt, quæ repetitis actibus firmitudinem nanciſcitur ſuam. Unde & ſicut deſuetudo habitus alios obliterat, ſic ſpeciatim ipſam virtutem, ac proinde, ne id eveniat, intermittenda actio non eſt. Quin-etiam

canto magis eſt ipſi virtuti proſpiciendum, quanto non modo ceſſatio lentitudinem in mentem inducit, ſed crebræ etiam ſont occaſiones oppoſitorum actnum, qui in habitum contrarium detorqueant. Quippe, ut deſint cetera, paſſiones continuo inſurgunt, quæ niſi virtutis ipſius reprimantur imperio, eam demum e ſolio deiiciunt, occupantque, & tenent arcem. Itaque virtus quidem immota; ſed ut ſit, agnoſcis, ut non ſic quieſcendum. Id fit, ut dum arbor tanto ſit ſtabilior, quanto amplius radios agit; ſic nempe minus, & arbor ventis, & virtus paſſionibus cedit. Si placet, comparato quoque ipſas paſſiones cum fluctibus; animum cum navi, facultates ejus cum juvenibus, quorum ut ille loquitur, alii malos ſcandunt, alii per foros curſitant, alii ſentinam exhauriunt; ſiquidem virtus denique ipſa ſimilis erit Gubernatori, qui clavum tenens ſedet in puppi quietus, nec (ut verbis ejusdem dicam) facit ea, quæ juvenes; ſed multo majora, & meliora facit. Hæc ſatis ſunto. Tu autem Vale, Ocelle virtutis, & Principum decus. Pariſiis, x. Cal. Septemb. M. DC. XLI.

B I D E M.

FRigidiſſimum te Poëtam dicis; quid, ſi calidiſſimus fores? Novi ſane ingenium tuum ad majora natum, majora ſectatum, non fuiſſe ardenter complexum hoc ce eruditionis genus. Memini, quod abs te accepi, vix tibi ſemel, iterumque carmen aliquod excidiſſe; at ſimul novi quo enthuſiaſmo animi ſenſa exprimas; memini ſimul, quo ſtudio elegantiores Poëtas colas. Quare & minus mirum eſt, ſi in verſus omninò bonos vel non cogitans interdum erumpas. Ejuſcemodi profectò ii ſunt, quibus Epiſtolam clauſiſti:

Occidit fortuna Datem, Martemque repreſſit;
Hoſtibus ecce ſuis palmam Rex præripit enſe.

Agerem lubens Commentatorem; ſed inſeruiſſe in Epiſtolium, ut pretioſam gemmam ſufficiat; quo nitorem tuum ad te referens, indeque ſplendeſcens gratioſius accedat. Adderem quoque ex me nonnulla; ſed quid Anſeri cum Olore? Sum ipſe quippe longe frigidior, qui vix ſemel quoque decennio agitante Deo calorem concipio, ægreque tandem Apis Matinæ more, modoque, ſeu per laborem plurimum operoſa parvus fingo carmina, ut verbis illius rem dicam. De reditu, quod admones, memento, Princeps optime, nondum eſſe annum exactum. Peireskii Vita jamnunc primum, vel potius tandem e prælo prodit, delibero autem quidpiam-ne præterea eo, quo ſupereſt, ſemeſtri committam. Semeſtri dico; nam, ut quæ noſti inita mecum pacta complectuntur, expectandus eſt Martius proximus. Accepiſti Comitia demum ad umbilicum, quod ajunt, perducta. Oſtendit in iis Robertus animos omninò ingenteis. Hugo quoque ille, cui vices remiſi, ita geſſit generoſe, ut nihil ſit, cur facti pœniteat. Abeſt uterque cum Gerenteo, cumque illis Præſulibus, quos deſtinarunt Comitia ad dicendum Regi poſtremam ſalutem. Ego ſic tibi ſalutem dico, ut te ſalvum velim in annos Neſtoreos. Utinam ita vivas, & valeas, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, III. Calend. Septemb. M. DC. XLI.

E I D E M.

NOn eſt, quod te heic multum morer, nam & ſuperiore die ſcripſi per Veredarium publicum; & haſce credo curſori tuo comites libri, in quo es mihi prima, ſummaque camœna dictus. Is porrò liber exemplum eſt editæ nunc primum Peireskianæ Vitæ, cui nihil potuit eſſe glorioſius, quam & pro tuis votis conſcribi, & tuis ſub auſpiciis in lucem prodire. Attexo ipſi duo exempla, quorum, ſi per te liceat, alterum Valaveſii ſit, alterum Baronis Riantii; nempe iſtorum, ſecundum te intereſt prima omnium habere. Omnia incompacta; Sed ea apparo, cujuſmodi mox e Typographejo traduntur, ne curſore ex improviſo tranſeunte, imparata habeam. Adde quod Valaveſius, qui compactorem Peireskianum in ære habet, ſignificavit velle ſe curare exemplum Muſæo deſtinandum tuo; neque ego non debeo rem facere illi pergratam. Quæſo te, ut facias tu quoque, atque adeò jubeas tria ſimul exempla ad memoratum Baronem mitti; is enim tradet artifici, qui tuum elaboret ex præſcripto Patris. Hoc ſolum volui; Tu bene vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, pridie Calendas Septemb. M. DC. LI.

E I D E M.

EN, optime Princeps, quæ ſunt vices rerum. Scripſi ad te ante ſex menſeis de negotio compoſito; & ante octiduum de pactis ſervandis; ſcribo nunc omnia ne quidquam acta, nihilque mihi ſupereſſe, niſi ut illud occinam, opera, & impenſa periit. Quid, inquies, iſtud rei eſt? Ut paucis dicam, Regia Majeſtas, & Cardinalis Maximus irritam fecere tam Ebredunenſem, quam Atelatenſem nominationem Agentium; Hugoque, cui jus ceſſeram, liberatus proinde fuit fide præſtita de damno ſarciendo. Hinc, cum ſpes foret his ipſis diebus quatuor librarum millia, & intra ſex menſeis quatuor cetera perſolutum iri, comprobavi quam verum ſit, ſpem vigilantium eſſe inſomnium. Si noſſe porrò deſideres, ut ſe res in Aula habuerit, ecce quemadmodum Robertus, qui ipſe interfuit, enarraverit. Præſul Gratianopolitanus, cui Meduntenſia Comitia priuſquam diſtraherentur id commiſerant muneris, coram Rege jam per-orarat, cum Agentes Cleri pro more, ut gratos haberet, ipſi exhibens, hoc abs Rege tulit Reſponſum: *Ego illos gratos non habeo, quod nominati fuerint abſque præſcripto ullo meo; tuque* (reſpexit tunc in Hugonem) *etiam pecuniam numeraſti. Poterunt deinceps alii nominari, Cancellariuſque meum hac de re interpretabitur Placitum; interea Prior Sandionyſianus Agentium functionem obibit.* Cardinalis quoque ſubinde per-oratione ab eodem facta, *Accepiſtis*, inquit, *ipſo Regis ore, quid velit circa Agenteis factum. Id ſignificavit, me non inconſultò; at, ſi quid forte oblitus fuiſſet, qui ſuggererem præſto aderam. Quod ad Cancellarium remiſit, ne hæreatis, aliò non tendit, quam ut ſecuros vos jubeat id juris, quod cuique Provinciæ ex ordine competit, ſartum tectumque ſervatum iri. At tu verò* (oculos ſimul ad Abbatem Grinanium vertit) *nominari iterum poſſis, providebitur poſtmodum.* Et quoniam Hugo tunc requiſivit, num poſſet quoque iteratam nominationem procurare; *neque tu*, inquit, *qui numeraſti, neque qui accepit, poteſtis.* Dicente illo, nec ſe numeraſſe, nec accepiſſe alium; & quamvis Chirographo ſeſe ob-

ſe obſtrinxiſſet, feciſſe id tamen pro voto, atque applauſu Comitiorum; nihilque actum in ea re fuiſſe, quod non eſſet agi conſuetum pro Comitiis ceteris, quæ juberent ſemper eum, qui cederet, præſtari abs eo, cui cederet, indemnem. *Bene vertit*, inquit, *quod non numeraſti; ſic quippe nihil tibi laboris in repetendo ſupererit. Quod ſpectat ad Chirographum, jubebit Rex illud Arreſto reſcindi*. Hactenus ille retulit. Cum inaudiiſſet Andreas tuus eodem ipſo die, quo hæc fuere peracta, ſategit, ne, ſi forte Hugo Areſtum illud depoſceret, ipſe inauditus exciderem jure. Non ſane quod velim, aut poſſim Virum cogere, ut promiſſis ſtet, ſed quod æquum eſſe videatur, ut eorum emolumentorum, quæ per ſemeſtre tempus cepit, me quadantenus participem faciat. Hinc & rem mihi ſtatim nunciavit, & Victoriano etiam Abbati, qui ut humaniſſimus eſt, tuoque amore revera dignus, omnem operam ultrò obtulit. Rediit jam Hugo in Urbem, in eoque ſumus, ut quid debeat, velitve commune facere noſcatur. Scribo aliunde ad Andream, litteras ad Buſſerium dans, ſi quid forte Numina flecti Parentis interventu poſſint. Sed facio ſolum, ut amicis id volentibus ſatisfaciam; nam neque ſpes ulla affulget, neque ſi eſſet aliqua, non eam ducerem inſomnio vaniorem; ſcilicet lactari jam dedidici, reſtatque ſolum, ut animum adverſus hunc caſum obfirmem. Et nihil quidem fuiſſe in rem meam verſum grave nihil eſt; id unum angit, non ſupereſſe unde me ære liberem, ac præſertim erga optimum Campinium, cujus in me amor tener nimium fuit. Verum Deus ter Optimus, qua ratione ſit proviſurus novit. Vive tu felix, optime Princeps, ac in annos Neſtoreos vale. Pariſiis poſtridie Non. Septemb. M. DC. XLI.

Litteras aſſervo, quas ſcripſi poſtridie, quam dedi ad te ſuperiores. Eæ ſunt concluſæ faſciculo exemplarium trium Peireskianæ Vitæ, quem Curſor tuus receperat ſe hac tranſeundo accepturum. Forte-ne tranſiit et incompertum habeo, neque inviſens hoc mane Abbatem petere ex eo memini; ſed ſi jam tranſiit levis jactura, niſi quod mihi fuiſſet pergratum, id opus quam-primum a te conſpici. Vale iterum.

EIDEM.

Nihil a datis uſque ad te ſuperioribus litteris ex Aula accipio. Hugo ſic rigide tuetur, & debere nihil a ſe, & ſibi emolumentorum perceptorum nihil ſupereſſe, ut quod ſperem pæne nihil ſit. Deus Optimus bene omnia vertat. De curſore tuo nihil audio; quare ſepono Epiſtolium ante dies quatuordecim ſcriptum, quod una cum iſto accipias. Exempla ſi deinceps mittam, id te præhabuiſſe nihil nocuerit. Do interea, ut brevitatem, qua jam uti cogor, quodammodo ſuppleat. Nempe officio diſtrahor, quo me amicus expertus pridem nimis obſequioſum implicuit. Quid faciam tamen, quem Natura ejus finxit facilitatis, ut quidquam Amicis levioribus licet, recuſare potis non ſim? Tu bene, imò optime vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis Idibus Septemb. M. DC. XLI.

EIDEM.

Tranſiit denique Curſor tuus, diſceſſitque heri ex hac Civitate. Non fui ego domi, cum me requiſivit; at monſtravit ipſi meus famulus faſciculum ad te deſtinatum. Cur illum non detulerit, ipſe-met tibi renunciabit. Litteras attulit ab Andrea, quibus accepi, quod & Boſſerius Abbati Campinio jam ſignificarat. Evenit nempe, quod Amicis, Vates non malus, prædixeram, quodque ad te etiam memini perſcriptum. Ipſe, cum omnia commiſerim Divinæ Providentiæ, tueri quantum licet εὐθυμίαν conor. Id ſolatio eſt, quod nihil eorum, quæ mihi, amiciſ-ve viſa ſunt conducentia prætermiſerim; quod ſupereſt, quodque in mea poteſtate ſitum non eſt, ne me fruſtra torqueat, animum contendo. Verſabar heri, cum hinc abeſſem, apud illuſtrem Cancellarium; ſcilicet hac hebdomade videre me ſemel, ac iterum voluit, occaſione Vitæ Peireskii, quam ſe pellegiſſe totam eſt teſtatus. De eximia humanitate, ſingularique eruditione, cujus ſpecimen dedit, dicerem, niſi tu Virum abunde noſſes. Demiratus ſane id ſum, ac in illo potiſſimum negotiorum mari immenſo. Audio te in Urbem brevi rediturum, & quantum conjector, iſtæ litteræ tibi jam reverſo tradentur: Faxit Deus ter Maximus, ut incolumis redeas, ſobolemque ſalvam, lætamque invenias. Dicere non memineram ſcripſiſſe me ad Valaveſium, ut ex iis exemplaribus, quæ ad ipſum tranſmiſſa ſunt, quæque haud-dubie brevi accipiet, tibi offerat, quod & deſtinarat. Ac doleo quidem librum non citius incidiſſe in tuas manus; quando momenti licet non magni, habere te tamen primum oportuerat; verum noſti ipſe, quæ obſtiterint fata. Dum tu, quidquid demum id ſit, æqui, bonique conſulas, quod ſane facies, mitius feram. Diu, ac feliciter vive, atque adeò optime vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis XII. Calend. Octob. M. DC. XLI.

Non vacat jam ad Bereculium, ut conſtitueram reſcribere; Enim-vero tu ſatis bonus, ut patiaris ipſi heic me, æque ac Bervillæ ſalutem nunciare. Vale iterum.

EIDEM.

Deficiunt me verba, Princeps optime, quibus tua illa tam appoſita, tam aurea, tam bona accipiam. Ecquid enim poſſit præclarius, animoſiuſque depromere Philoſophia tota ex divite penu? Ecce nempe ſic me affaris, ut me affari ipſe debui, ſi is quidem eſſem, quem tu, dum ſcribis, eſſe peroptas. Certe, tametſi ſapientia me nihilo inferiorem Stilpone finxiſſet, non aliud mihi ipſe dixiſſem, quam quod tu me mones tuis litteris. Juſſerat Demetrius, cum Megaram cepit, Philoſophi domum intactam ſervari; & eum poſtmodum provideret, ut reſtituerentur, quæ erepta fuerant, eapropterque *ἀναγραφὴν τῶν ἀπολωλυτότων* ab eo popoſcerit, reſpondet, ut Laërtius habet: *Μηδὲν τῶν οἰκείων ἀπολωλέναι, παιδείαν γὰρ μηδένα ἐξενηνοχέναι, τόν τε λόγον ἔχειν, καὶ τὴν ἐπιστήμην*. Quæ proinde a Seneca merito jure exaggeratur, addente ipſum id reſpondiſſe: *Cum capta Patria, amiſſis liberis, amiſſa uxore, ex incendio publico ſolus, & tamen beatus exiret*. Ac nihil quidem ſimile juſſit, qui fortunas meas cum aliorum fortunis conjunctas evertit; ſed neque ego ea ſum virtute,

qui ſi

qui ſi perinde fuiſſem rogatus, fuiſſem perinde raſponſurus. Tu varò, Princeps eximie bonus, uminaris malius da me, ac talem mentem, qualis fuit magni Viri interpretaris; utinam me dignum tuo judieio præſtem, aumque ma exhibeam, quem deprædicas. Ex hoc certe caſu non potui non quodammodo contusbari; quanquam, ut ingenue id dicam, nihil me movit jactura propria, ſed quam perpeſſuros Amicos perſenſi. Nam ad me quod ſpectar, tum pauca ſufficiunt, tum intereſt parum, quando-nam, & indutuſ-ua, an nudus ſepeliar. Ad Amicos quod attinet, non ita poſſum fieri auſtarus, ut ſi quod illi pro animis ſua in ma propenſiona patiantur detrimentum, non me afficiat. Quippe quod illi quoque inuuant, ſe mei argo leniter ferre, neſcio quo pacto afficit magis. Si qoid ſolator, fati eſt rigor, dum patientiam facir neceſſariam, ægritudinemque inutilem monſtrat. Quid de profuſiſſima illa voluntate ſubiiciam, qua animatus erga me es? Profecto grates tibi dignas perſolvere non opis aſt meæ. Facultates offers, neque ambigo, quin ex pleno offeras corde; at cum te tanta bonitas decent, eſſe a me debet non alianus pudor. Quamquam, ne putes me non ſatia de tuo candore digne ſentire, ſummam, quam ipſa ſuggeris teſtarer confidentiam, niſi faceret ratio religioſom. Nempe non vererer facere vorſuram, commutare-va debitum, niſi ta in eo eſſe noſſem, ut maternam hæreditatem ære alieno liberam facias. Satis eſt proinde hanc affectus tui ſignificationem habere, commendatamqua facere, cum aliunde æquum non ſit fieri tuis rebus male conſultum. Gratias hac quoque vica ago pro communieato illo carmine;

Gallia fert laurum, geſtat Caſtella cupreſſum;

Quippe & ax ipſo, veluti ex ungua felicitatem veuæ agnoſcare juvat; ipſe eum mihi recens nolium, quod reponam ad manum ſit, attexo acce θρηνώδες μέλ@, quod in Schickardi obitum excidit ante paucos annos. Habebis una faſciculum non aliorum carminum modò, verum Orationis eriam Funebris, in qua unum miror fuiſſe prætetmiſſum. Memini ante Dametrii de Stilpone ſollicitι; Marcellum ſimilem da Archimede geſſiſſe curam. Dux Lotharingius, niſi aliod, hoc præſtitie ſaltem memorabile, quod in Tubingæ obſidione Schickardi virtutem reveritus eſt, cavitque ne ipſi, ajus-ve familiæ a militibus noceretur. Hoc eſt, qood Orator omiſit, quodque exiſtimavi tibi virtutis amantiſſimo fore lectu non injuaundum. Ducare volebam lituram inſertis da me varſibus, at videri id vanius, quam tolerare intactos potuit; eum & nihil fuerit propter te neceſſe, qui & noſti me non ambire elogia, & perſuaſus as ma allis da ma pluſquam mihi credere nolle. Faſciculum paulo grandiorem attexam; tu condonabis, mandabiſque pro ſingulari humanirate ad Valaveſium quam-primum mitti. Vive diu, ac vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis v. Calendas Octobr. M. DC. XLI.

E I D E M.

SCtipſit ad me Salzæus ille, qui te convenit, ut litteras ad Sabaudum Principem dares. Cum fuerit verò abs ta axceptus non modo pro eximia tua arga omneis humanitate, ſed etiam pro tua erga me ſingulari benevolentia, dici non poteſt quanta lætitia exultantem dimiſeris. Quas ad me certe litteras ſcripſit, teſtatur effuſiſſimam; & quas mihi gratias ob ſe commendatum egit, peragitque, adeò uberes, fervidæque ſunt, ut quam fueris ipſe in illum affuſus, perſpectiſſimum faciant. Teneor ipſe quidquid gratiarum ab illo faro, ad ta referre; cum alioquin εἰδέναι μὲν, ἀποδῦναι δὲ non liceat per vireis. Sed nempe tu nimis as bonus, ego nimis ſum imbecillus; tibique aut affectus ille, quo in me propendes, temperandus eſt, aut ferendum, ſi teſtationam gratitudinis haud æquam reportes. Studia mea in eo jam ſunt, ut quas noſti Commentationes Philoſophicas digerare pergam. Quinquennium aſt, ax quo ad illas animum non appuleram, neque cogitabam quos de ipſis habeo faſciculos evolvere ante reditum in Provinciam meum. Inſtigarunt tamen Amiei, Luilleriuſque noſter inprimis, ut quando eram in hac Urbe Hyemem totam commoraturus, mandarem illos ad me tranſmitti; ii ergo tranſmiſſi jam ſunt. Quare & quas curas elapſis tot annis intarmiſeram, repeto nunc primom. Superrant pauca ex Tractatulo de Caoſis, Fortuna, & Fato; ea jam attexo, ſcriptorus ſtatim de Ortu, & Interitu. Nihil fuerat neceſſa id ſignificare; ſed tu is es, cui debeam omnium, quæ a ma aguntur rationem. Forta etiam, ne quid non noris ſubnotabo inpoſterum quidquid dabitur comminiſci. Nimirum ſatis coniicio, quam gratam facturus rem ſim. Vala interea quam-optima, decus Principom, & præſidium meum. Pariſiis, IV. Non. Octob. M. DC. XLI.

Patere ſemper Bereculio, ac Bervilla ſalutem dici.

Philiberto de la Mare, Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

EST profecto, cur me ineptum, æque ac negligentem habeas, qui cum fuerim tanta a te humanitate provocatus, nihil a tempore jam tanto in hanc diem reſponderim. Tantum proinde abeſt, ut culpæ excuſationem ullam prætaxam, qoin me profitaot prorſus indignom, quam ultrò honoraveris, quam deinceps, rogatus licet, benevolentia proſequaris. Non etiam tantum eſt animi, ut poſtulare veniam auſim; quippe quam me nec promereri, nec jure ſperare ſim conſcius. Unum ſupereſt, ut me tibi ſiſtam, ipſe verò quidquid a me actum, non actum cenſeas, plenoque facto arbitrio imperes, condones-ve mulctam; πάρεργον certe eſt, quod ſubiicio, aliquam reſcribendi moram mihi ſubnatam ax occaſione diſceſſuri ad te Amici, quo non poteſt eſſe amicior. Scilicet cum ſignificaris, Paireskii memoriam eſſa tibi caram, ac meam qualemcumque opellam de ajus vita, ac moribus fore tibi non injucundam, cogitavi ad te per illum ejus examplum tranſmittere, haſceque ſimol litteras dare. Tu ſic accipias, non quaſi liber aliquid ex me habeat, ſed quaſi ajus ſit argumenti, quod ſa ipſo ſit placiturum. Id ſi tuas ſenſiſſet manus, ecquo non ornatum decore prodiiſſet? (nempe modeſte nimium agis, tuam induſtriam dum elevas) ex meis habet, non quod oportuit, ſed quod mearum virium, officiique fuit; cum is ſim, non quem depingis, ſed quem eſſe

in vo-

ſin votis eſt. Utcumque fuerit, & meam ſegnitiem quomodocumque interpreteris, ſcito eximiam cumitatem, qua te tam ſponte in me geſſiſti, hærere mihi medullitus, meque adeò non fore nunquam, ut tibi davinctiſſimum, ita ad obſequium omne comparatum. Vale. Dabam Pariſiis, Non. Octob. M. DC. XLI.

Samueli Petito, Viro Clariſſimo,

PETRUS GASSENDUS S.

TArde reſpondeo; ſed tarde nempe, quem deſtinaſti librum accipio. Gratias pro illo habeo ingenteis, & qualeis tua virtus, emorqua, quo me proſequi dignatis, merentur. Legam porrò ipſum, atque pellegam; ſed non quo ipſe, qui es Mortalium modeſtiſſimus, animo depoſcis. Faciam potius, ut ſegetem eruditionis demetam; neque enim poteſt non uberrima ex tam feraci ſperari fundo. Non eſt proinde, cur a me aliud expectes judicium, qui præjudicium heic ratum habes. Ipſe es, qui cenſere debes, ſeu quid eſt alienum, ſeu tuum, qui potes non aliena modo abſque livore, ſed etiam tuam *ἄνευ φιλαυτίας* perſpicaciſſimus ſpectare. Mitto eam ob rem, quod ſpectes, ac cenſeas, Peireskianæ vitæ exemplum, tametſi meum nihil eſt, quod ferre tuam limam poſſit. Habebis id verò in pignus obſervantiæ erga te meæ, ſeturum alioquin per-gratum ob deſcriptum Heroëm illum, qui te, dum vixit, plurimi fecit, tuique amantiſſimus fuit. Et commutatio ſane haud æqua, neque exquiſita compenſatiu; at cum multum deſit, reputabis tamen ſuppleri id ex animo, quo me tibi totum devoveo. Tu me ſemper ama, & vale. Pariſiis, v. Eid. Octob. M. DC. XLI.

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS S.
Εὐπράττειν.

SUperioribus litteris recepi perſcripturum me, ſi quid comminiſcerer rerum. Nunc, cum ea, quæ meditor ex media illarum, quas noſti, elucubrationum ſint ſerie, operæpretium eſſe videtur ſeriem hanc prius retexere, ut quorſum iſta potius me, quam alia habeant, perſpicuum ſiat. Itaque cum fuiſſet pro votis Luilleri noſtri, ut Epicurum calumniis, quibus a tot jam ſæculis infamatus fuit, purgarem, pervidi, eſſe quidem præcipue circa ejus Viri doctrinam, Philoſophiamve incumbendum; at præmittendum omninò cenſui librum Apologeticum circa ejusdem vitam, ac mores. Nimirum, ſi ſemel conſtaret quanta honeſtate morum fuerit, tum poſſe ejus placita videri minus improbanda. Sic Ariſtoteles teſtatur parem illam Epicureæ de Voluptate opinionem, quam Eudoxus profitebatur, fidem præſertim obtinuiſſe ex Temperantia profitentis: *διαφερόντως γὰρ ἐδόκει σώφρων εἶναι*. Quod de Epicuro ſane dici potuit. Nihil verò neceſſe eſt, ut te admoneam, quemadmodum, ſi quæ ſunt placita ipſius cum Religione pugnantia (ut nemo fuit Philoſophorum, qui non peccarit aliqua) illa ſtudioſe impetam. Memini enim te perſpexiſſe, quæ fuerint ſpeciatim a me adverſus ipſum in gratiam Providentiæ animadverſa. Conſcripturo jam ſeriem mearum illarum Commentationum ea cogitatio incidit, fore tibi non injucundum, ſi ſummam quoque ſubjecero, quaſi exinde ſis habiturus operis totius Breviarium. Quippe tametſi id non poſſit unis peragi litteris, nihil oberit, ſi in plureis, aut in plurimas diſtribuatur. Quin potius fore id præſentio, unde & mihi ſcribenti labor, & tibi legenti faſtidium levetur. Quanquam videtur cogitatiu concoquenda maturius; nunc enim primum in mentem ſubit. Quidnam facturus igitur ſim, proximæ litteræ monſtrabunt. Tu interea, o & præſidium, & dulce decus meum vale. Pariſiis, v. Eid. Octob. M. DC. XLI.

Hac quoque vice Berculio, ac Bervillæ ſalutem dico.

EIDEM.

PLuribus te jam affari non vacat; videlicet comparo me, ut Eclipſin Lunæ, quæ futura eſt hoc ipſo veſpere, obſervem. Teneor tamen ſignificare redditas mihi fuiſſe tuas humaniſſimas litteras, B. Dionyſii feſto conſcriptas. De iis dicenda multa cum forent, attingo ſolum, fuiſſe te pro more tuo bonum nimis, cum memorem tui me eſſe juſſiſti. Quaſi verò aut tu is ſis, cui loco eſſe aliquo debeam; aut ego is ſim, cui excidere tantus ille amor, quo me beas, poſſit. Videor perſpexiſſe quò reſpexeris; ſed ſi me noſti, nihil eſt neceſſe, ut quæram, præſtemve ſponſutem. Talis ſum plane, qualis Ennius a Cicerone deſcribitur, haud magna in re, ſed fidei plenus. Quare & quidquid evenerit, ſecurus eſtu neminem unquam, quiſquis Mortalium ille ſit, poſſe irritum facere, quod pactum ſatis ipſe cenſuiſti. Quod pollicitus fueram me perſcripturum his litteris, differre nunc quoque in proximas cogor. Scribendum etiam aliquid foret de malignitate mei Præſulis; ſed Bereculius, cui pluſcula ea de re mox ſcripſi, ſupplebit. Vir ille certe meæ quieti ultro nimis tendit inſidias, &, ſi quid tibi de me promiſit, peſſima exequitur fide; ſed Simia nimirum ſemper Simia eſt. Tu dulce meum decus, ac præſidium vale. Pariſiis, xv. Calend. Novemb. M. DC. XLI.

Viro Clariſſimo, Amiciſſimoque A. F. Payeno, Juriſconſulto Avenionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

TAnta fuit tuæ erga me humanitatis profuſio, ut apertis litteris tuis, ac vix dum viſis titulis, quibus immerentem ornaſti, præ confuſione reſtiterim. Ecquis ſum enim, quem tu debueris tanta non dicam honorare, ſed obruere benevolentia? An dicam fuiſſe illum tibi vitri cujuſpiam convexi inſtar, quod *παραδόξως* impoſuerit, dum me tantum deprædicaſti, qui nullus propemodum ſim? Certe cum ipſe affectum tuum quam-maxime poſſum, ac par eſt, animi gratitudine excipiam, tu patiaris volens oportet, me id, quod non ſum reſpuere ingenue. Et quam-putas animo prompto ea regererem, quæ te magis decent? At non mihi perinde

inde

inde ſunt ſuaves illæ Moſæ propitiæ, agnoſcoque me imparem, qui poſſim quidpiam meritis tuis, ac mea erga te voluntate dignum proferre:

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν

Quod exoptavas, ut illa tua de Peireſkiu elucubratio vitæ illius attexeretur, doleo non potuiſſe præſtari; ſed nempe id opus ante ſeſquimenſem circiter e prælo jam prodiit. Pervelim illius exemplum ad eu, & ad Tondutum dari; neſcius præſertim aliqua ne obtineri Lugduno valeant; at qua poſſim via in promptu non eſt. De obſervationibus eſt ſane per æquom, ut tibi demum fiat ſatis; quocirca in id quam-primum incumbam. Si liceat nobis per nubila obſervare quidquam ex defectu Lunæ, qui futurus poſt paucas horas, ſeu proximo veſpere eſt, id fiet ſtatim tecum commune. Dum memet certe comparo, ut ad eum attendam, parum abſuit, quin hac occaſione nihil reſcriberem; ſed viſum eſt ſatius verſus pauculos, tametſi incompoſitos, exarare, quam nullos. Scilicet me magis obſtrictum perſenſi, quam ut differrem diutius grati animi ſignificationem. Plura igitur alias. Tu interea cum optimo Tondnto San legerio, vale. Pariſiis, xv. Cal. Novemb. M. DC. XLI.

E I D E M.

Fidem libero, preclare Payene, id ſcilicet mitto, quantulum eſt eumque, quod ex Eclipſi nupera obſervare per nubeis licuit. Accinctus eram cum Bullialdo ad eam accurate ſpectandam; at non fuit Cœlum ſatis propitium. Cum enim Luna exoriens, & libera quidem adhuc a defectu ſeſe in proſpectum dediſſet, nihilominus gradus duos cum ſemiſſe alta vix fuit, cum præter nubeis ſeſe ſurripuit, neque per duas circiter horas, qua lateret, indicium fuit. Quinetiam maligna lux fuit, confuſiuſve albor duntaxat, quo ſeſe primum prodidit; &, cum vix tandem nubila aliquantiſper attenuarentur, diſcernere marginem Lunæ niſi per extremos digitos vix licuit. Et quoſdam quidem notavimus; ſed commemorare nihil neceſſe eſt, cum non ſint præſertim ſumme exquiſiti. Unicum finem, de quo nobis indubie conſtat, adſcribo. Noſti a limbo reſtituto ſupereſſe adhuc ea parte nigritiem, ſive penumbram, quatenus ejuſmodi pars non pleno adhuc Solis aſpectu, totiſ ve radiis colluſtratur; ejus rationem porrò non habeo, cum de Eclipſeos fine pronuncio. Itaque finis tum adnotatus, cum ora Lunæ prius temerata reſtituta primum apparuit, contigit nobis ſuperiore Lunæ margine jam elato ſupra Horizontem gr. 24. min. 20. Nulla tunc comparebat Stella; quare eſſe oportuit hac Lunæ altitudine ad eliciendam horam contentos. Fuit proinde (ſi rite tamen ratiocinati fuimus) hora a meridie octava cum minutis 50. Ceterum cum Bullialdus habeat quem communicatum ſecum voluit obſervationum Codicem, ex quo aliunde nihil jam, tametſi præ manibus eſſet, vacaret mihi exſcribere. Comperio ecce bona ſorte mea inter Schediaſmata epiſtolam ſemi-perfectam, quam ad Schickardum cum ſcribebam, cum illius mors nunciata fuit. Ea continet obſervationes a me peractas Diniæ circa matutinam apparitionem Mercurii, anno 1635. ac menſe ſeptembri, una cum nonnullis circa Venerem, Martem, ac Jovem interceptis. Id ergo totum quidquid eſt, mitto; ut, quod exoptare te ſignificas, exercere calculum valeas. Attextas ibi animadvertes, quas obſervationes per id tempus fieri Aquis-Sextiis curavi. Non habeo illas in Commentariis, neque occurrunt ſchedulæ, quas de iis ad me obſervator dedit. Verum tu per otium poteris curare ipſas, & exſcribi, & ad me tranſmitti, ne iis orbatus remaneam. Quod ſupereſt, epiſtolam vel mei cauſa tib. habe, qui ad te conſcriptam reputare potes. Neſcio quo caſu primum folium ſemi lacerum evaſerit; ſed cum lubuerit pellegere, facile erit adglutinare. Si rem volueris cum optimo Tonduto facere communem, beab a me quam-plurimum. Illum quam plurimum ſaluto. Tu autem vale. Dabam Pariſiis, VIII. Cal. Novemb. M. DC. XLI.

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS

Εὐπράττειν.

Vellicant aurem litteræ tuæ, ne non exequar, quod jam deſtinaram. Ergo ne longum faciam, Apologeticum illum librum in quatuordecim capita diſtinguo. *Primis* nempe *duobus* hiſtoriam, ſeu nudam vitæ ſeriem retexo. *Duobus aliis* occaſionem infamiæ quæſitæ diſquiro. *Poſtremis* decem calumnias, quæ adverſus Viri pietatem, bonitatem, ſobrietatem, caſtitatem, ſtudium bonarum Artium fuere congeſtæ, diſcutio. Atque ut de primo capite jam dicam, natus eſt Epicurus Gargetti [quod Oppidum fuit Athenienſis agri] Patre Neocle, ex genere Philaïdarum. Annus fuit tertius ex Olympiadis, ac dies decima menſis Gamelionis, hoc eſt, annus ante Chriſtum CCCXLI & dies ſecunda Februarii; ſi retroegas anni noſtri formam: Fuit autem is annus decimus ſextus a nato Alexandro Macedone, ſeptimus a mortuo Platone. Anno ætatis decimo-quarto prælegebatur ipſi illud Heſiodi: *Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ'*, &c. *Ex-itum primum chaos eſt, &c.* Quæſivit ex Grammatico, *unde-nam chaos exortum foret, ſi primum quidem exortum erat*. Cum ille autem id noſſe non ſui, ſed Philoſophorum muneris dixiſſet, *abeundum ergo*, inquit, *eſt mihi ad Philoſophos, ut ab eis edocear rerum veritatem*. Hacce proinde occaſione, & Philoſophiam colere cepit, & Præceptores aliquos habuit [ſpeciatim verò Nauſiphanem, qui fuerat Pyrrhonis auditor] ſed pæne tamen dici poteſt fuiſſe eum *αὐτοδίδακτον*; adeo vere de illo ſectator Lucretius:

Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit.

Cum Democriteum ſe profiteretur, ludum apertum habuit Mytilenæ, & Lampſaci, annos natus triginta duos. Athenis deinceps conſedit, ſectamque a ſe vocatam inſtituit, annum circiter trigeſimum ſextum. Comparavit autem Hortos, in quibus cum diſcipulis, familiaribuſque philoſopharetur, pretio minarum LXXX. ſeu, ut moneta exprimam noſtra, librarum Turonicarum M. M. M. CCXL. memorabileque eſt, quod Plinius obſervat, inſtituiſſe illum primum agrorum, villarumque delicias nomine hortorum in ipſa Urbe poſſidere, cum uſque ad eum mos non fuiſſet in Oppidis habitari rura. Sub annum quadrageſimum quartum contigit illa celebris per Demetrium obſidio, qua fames a Plutarcho deſcripta invaluit, Epicuro interea Scholam, ſeu familiares ſuſtentante numeratis dietim in ſingulos fabis. Quot autem ad ipſum familiares, amicique

eique non ex Græcis modo, ſed etiam ex Aſia, Ægyptoque confluxerint, inſinuat Laërtius, dum ne Civitates quidem integras ipſis excipiendis ſuiſſe ſatis ait. Et Cicero, poſtquam eſt miratus quam pauca Amicorum paria ex Antiquitate memorentur, *At verò*, inquit, *Epicurus in una domo, & ea quidem anguſta, quam magnos, quantaque amoris conſpiratione conſentienteis tenuit amicorum greges?* Præcipui ex illis amicis fuere Metrodorus, Hermachus, Polyænus, quos *magnos Viros*, inquit Seneca, *non Schola Epicuri, ſed contubernium fecit?* Vis-ne Valerii Maximi verba? *Hoc*, inquit, *loco apte referantur Polyſtratus, & Hippoclides Philoſophi eodem die nati, ejuſdem Præceptoris Epicuri Sectam ſequuti, patrimonii etiam poſſidendi, alendæque Scholæ communione conjuncti, eodemque momento temporis ultima ſenectute extincti. Tam æqualem fortunæ pariter, atque amicitiæ ſocietatem, quis non ipſius cæleſtis concordiæ ſinu genitam, nutritam, atque finitam putet?* Sic ille. Ad libros quod ſpectat, memoratur plureis, quam Ariſtoteles, ſcripſiſſe, ac uno Chryſippo pauciores. Quanquam neque Chryſippo ceſſit, ſi attendas iſtum compilatorem duntaxat fuiſſe, Epicurum vocibus propriis ad trecentos uſque cylindros compleſſe. Ne te prægravem, hæc ſufficiunt. Tu, meum dulce decus, ac præſidium vale. Pariſiis, VIII. Calendas Novemb. M. DC. XLI.

E I D E M.

SCripſi ad te pauca de Epicuri Vita; habe & jam pauca de illius morte. Teſtamentum condidit, quo Amynomachum, & Timocratem bonorum ſuorum non tam hæredes, quam curatores inſtituit. Hermacho ſucceſſore ſuo in Schola deſignato, mandavit ipſi ab illis tradi & libros, & domum cum Hortis, qui ad Urbem; itemque domum, quæ in Melite oppido; in ejus nempe, ac ceterorum unà philoſophantium, ſucceſſorumque illorum uſum. Mandavit quoque, ut reditus ex ejuſdem conſilio, prout eſſe videretur, ex comphiloſophantium uſu diſpenſarent, & ex iis etiam alerent liberos Polyæni, & Metrodori amicorum, filiæque ejuſdem Metrodori conſentaneam dotem conſtituerent. Mandavit rurſus certam partem eorundem redituum ſeponi ad parentandum ſingulis annis, menſibuſque variis, patri, matri, fratribus tribus, & Metrodoro, ac Polyæno; itemque ſibi. Servos præterea manumiſit, ac tandem conſtituit, ut tuendæ Scholæ, Hortorum, ceterarumque rerum ſtudium ad curatorum hæredes, aut eos, quibus ſui ſucceſſores illud committerent, tranſiret. Calculi morbo laboravit, quo, dum jam pæne deficeret, ita ad Idomeneum, ſeu, ut Cicero habet, ad Hermachum ſcripſit: *Cum ageremus beatum, & eundem vitæ ſupremum diem, ſcribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant veſicæ, & viſcerum, ut nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere. Compenſabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum, inventorumque noſtrorum. Sed tu, ut dignum eſt tua erga me, & erga Philoſophiam voluntate ab adoleſcentia ſuſcepta, fac, ut Metrodori tueare liberos.* Cum foret deinceps demiſſus in balneum, merum popoſcit, idque ubi hauſit, amicos admonuit, ut Dogmatum ſuorum eſſent memores, interque ea verba animam efflavit: dies fuit morbi XIV. & Gamelionis menſis decimus, finente Olympiadis C.XXVII. anno ſecundo. Attigit proinde annum ætatis LXXII. ſed græco more, quo tribus diebus LXXI. ſuperavit; cum re exacta ad noſtram anni formam, deſint totidem, nempe dies illa reſpondet trigeſimæ primæ Januarii (quæ fuerit dies Mercurii) anni ſupra ducenteſimum ſeptuageſimi ante Chriſtum. Cum obiiſſet, honoravit illum Patria ſtatuis æneis, referente Laërtio. Et ut de affectu ſucceſſorum aliquid adiiciam, ecce Cicero ſub perſona Attici: *Nec verò*, inquit, *Epicuri licet oblivïſci, ſi cupiam, cujus imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & annulis habent.* Et Plinius: *Vultus*, inquit, *Epicuri per cubicula geſtant, ac circumferunt ſecum. Natali ejus XX. Luna, ſacrificant, feriaſque omni menſe cuſtodiunt, quas Icadas vocant.* Sed hæc ſatis ſunto. Tu diu vive, ac bene vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis Cal. Novemb. M. DC. XLI.

Plurimam ſemper Berculin, ac Bervillæ ſalutem nuncio.

E I D E M.

PErſcripſi nudam vitæ, ac mortis Epicuri hiſtoriam. Nunc de moribus priuſquam dicam, occaſionem ecce infamiæ, qua illi fuere vulgo traducti. Vixit Epicurus, ſed nonnihil junior, quo tempore Zeno Stoicorum Princeps. Ut porrò Zeno natura auſterus, ac tetricus fuit, ex Laërtio, ſectatoreſque ſtudioſe ſe ejus exemplo compoſuere, ex Luciano; ita Dogmata ab eo tradita, ab iſtis defenſa auſteritatem cum nimia quadam jactatione præſetulerunt. Nempe ſummum bonum virtutem ſtatuentes, arduam, aſperamque ad illam præſtituere viam; edixere dolorem non eſſe malum, ſapientem eſſe ἀπαθῆ, atque idcirco non injuriâ affici, non pœnitere, non miſereri; addidere illum non ignorare, non opinari, divitem, Regem, Deo parem eſſe, & id genus ſimilia, quæ Plutarchus eſt inſequutus. Epicurus autem pulchra quidem verba, ſed verba tamen eſſe hæc cenſuit; quamobrem humanius, ſimpliciuſque agens, ac agnoſcens quidquid homines agant, voluptatem quandam ab illis ſpectari, haud eſt veritus voluptatem finem bonorum dicere. Non dixit tamen quamlibet a viro ſapiente requirendam eſſe; ſed eam duntaxat, quæ in indolentia, ſeu ſanitate corporis, & tranquillitate animi conſiſtit. Cenſuit conſequenter virtutem eſſe ſolam idoneam huic voluptati comparandæ; quatenus temperantia ſanitatem corporis facit, & ipſa, aliæque virtutes ſedandis affectibus natæ tranquillitatem animi parant. Cum ergo Zeno, Stoicique viderent ſuum faſtum ex hac Epicuri ſimplicitate fieri ludibrio, neque ignorarent celebreis ſuas quaſdam, cum in phyſicis rebus opiniones, tum in Dialecticis argutias ab eo conſtanter improbari; ideo exarſere in ipſum implacabili odio, eæque, quoad Sectæ viguere, infenſiſſimi eſſe deſtiterunt. Hinc quæſito ex voce voluptatis prætextu declamavere ſummum bonum ab ipſo conſtitui in ingluvie, ac Venere; quod Zeno ad Antigonum innuit, & virtutem fieri voluptatis obſcœnæ miniſtram, quod Cleanthes expreſſit pictâ tabulâ, in qua voluptatem ut Reginam, virtutes ut pediſſequas, famulanteiſque repræſentavit. Sic Chryſippus Epicurum exhibuit, ut diſcipulum illius Archeſtrati, a quo fuit copioſe de gulæ voluptatibus diſputatum. Sic Diocles compoſuit ipſe quinquaginta amatorias epiſtolas, illaſque, & quæ Chryſippi erant, ejus generis,

ſub

Digitized by Google

ſub Epicuri nomine evulgavit. Sic alli citati a Laërtio, ac io iis etiam optimus Epictetus. Sic apud Agellium, vir ſanctus, & gravis, dictus Hierocles; ſic uno verbo ceteri ſuere non abſimili genio conſtantiſſime inſtigati. Nempe is fuit Sectæ veluti character, ut nemo illi nomen daret, niſi prævio quodam quaſi Sacramento, religioſoque fœdere inito contra Epicurum. Et perſpicue noſſe id vis? Attende ſolum ad Senecam, qui, quod Epicurum perinde, ac ceteri conſectatores non inſectaretur, & aliquoties etiam commendaret, haſce ab illis exprobrationes audiit: *Quid agis Seneca? deſeris partes? quid nobis Epicuri præcepta in ipſis Zenonis principiis loqueris? Quin tu bene, & guaviter, ſi partium piget, transfugis potius, quam prodis?* Ita ipſemet memorat in libro, quem ſcripſit de vita beata, in quo aliunde oſtenſurus ſe veritatis potius, quam partium ſtudio adigi, *Mea*, inquit, *iſta ſententia eſt (invitis hoc noſtris popularibus dicam) Epicurum ſancta, & recta præcipere*. Et iterum: *Non hoc dicam, quod pleriſque noſtrorum Sectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe; ſed illud dico, male audit, infamis eſt, & immerito*. Verum hæc ſatis, ſuperque ſunto. To, ò & præſidiom, & dulce decus meum, vale. Pariſiis vt. Eidus Novemb. M. DC. XLI.

Salutem ſemper Bereulio, ac Borvilla plurimam dico.

E I D E M.

Ddo jam ad ante perſcripts de occaſione infamiæ, Declamatores, & Comicos, qui ab Athenæo, aliiſque citantur, ludicrum exinde contexuiſſe argumentum, ex quo in theatris, concionibusque plauſum quærerent, ac referrent. Quare & cepit apud vulgus rumor propagari, radiceſque agere; ac tanto magis, quanto deinceps non defuere, qui dediti luxui, voluptatibuſque obſcenis jactaverunt ſeſe habere & auctorem Philoſophum, & Philoſophiam adſtipulantem. Tales fuere quidam Pſeudo-Epicurei, quos, qui erant germani, dixere Sophiſtas ex Laërtio. Talis Piſo ille, in quem Marcus Tullius invectus eſt; tales uno verbo, quotquot Seneca his verbis perſtringit: *Non ab Epicuro impulſi luxuriantur, ſed vitiis dediti luxuriam ſuam in Philoſophiæ ſinu abſcondunt, & eò concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem*. Attexi poſſent viri maligni, qui ſeu mera affectus pravitate conſcripſere calumnias, ut Theotimus ille, qui propterea accuſatus a Zenone Epicureo, & mulctatus capite fuit, quod Athenæus memorat; ſeu, ut ſuperſtitionem foverent, queſtumque inde facerent, effudere convitia; ut Pſeudo-Propheta ille Alexander apud Lucianum. Dicendi ſubinde ſunt viri, docti illi, ac boni quidem, ſed qui populares tamen fuerint, quique tametſi veritatem noſſent, putarint tamen declamandum non modo adverſus pravam voluptatem, ſed etiam adverſus auctorem illius, apud vulgus creditum, ut ea ratione gratificantes multitudini, virtutem plenius inſpirarent. Tres ſeligantur ex Ethnicis, qui ſtudioſe præ ceteris contra Epicurum dixerunt: Et iis Cicero unus eſto, qui in Tuſculanis, *Negat Epicurus*, inquit, *poſſe jucunde vivi, niſi cum virtute vivatur; negat ullam in Sapiente vim eſſe fortunæ; tenuem victum antefert copioſo; negat ullum eſſe tempus, quo Sapiens non beatus ſit; omnia Philoſopho digna, ſed cum voluptate pugnantia. Non iſtam dicis voluptatem? Dicas quamlibet*, Ac ſtatim: *Et conqueruntur quidem Epicurei, viri optimi [nam nullum eſt genus hominum minus malitioſum] me ſtudioſe dicere contra Epicurum*. Ruſuſque: *Et illi pugnant, & quidam victorum fidem implorant, &c.* Quo loco vides, Ciceronem, & veras Epicuri opiniones non ignoraſſe, & illas tamen, ſectatoribus licet reclamantibus, populariter interpretatum fuiſſe. Sic cum in libris de Oratore eaſdem deduxiſſet: *Ego non quæro*, inquit, *nunc, quæ ſit Philoſophia veriſſima, ſed quæ Oratori conjuncta maxime*. Alter Plutarchus, qui in poſteriorem librum adverſus Coloten relatis opinionibus, ob quas Epicurus infamatus fuit, tum reclamare Epicureos fatetur, tum ſibi ipſi obiiciendo injuſtitiam calumniæ, *Attamen*, inquit, *nos opinionem, non veritatem attendimus*: Ἀλλὰ τὴν δόξαν, ὐ τὴν ἀλήθειαν σκοπῦμεν. Id ne dixiſſet de tanto Viro? id magis mirare; retulit prius epiſtolam, quam Epicurus jam moriens ſcripſit. Cum ille ſe in ea oppoſuiſſe dicat doloribus ſuis perceptam animo lætitiam ex recordatione antecedentium ratiociniorum, ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων διαλογισμῶν μνήμῃ; ſic enim habet textus Græcus extans apud Laërtium, cujuſque quam habes interpretationem ex ipſo Cicerone eſt: At Plutarchus, ut eſſet, quod carperet magis, verba ſic detorſit, ut diceret: *Epicurum oppoſuiſſe dolores ſuos* τῇ μνήμῃ τῶν ἀπολελαυσμένων πρότερον ἡδονῶν, *earum voluptatum memoriæ, quibus ſeſe ante proluiſſet*. Tertius Galenus, qui teſtatus legiſſe ſe etiam opera Epicuri alia, tum præſertim ratas ſententias, ac ſpeciatim illam: *Nihil unquam prodeſſe venereorum uſum; præclare agi, ſi nihil noceat*, nihilominus ita ſæpe adverſus illum declamitat, ut ſi nihil prorſus aliud, quam obſcenitatem oleret. Seligantur denique tres quoque ex Patribus Sanctis, qui profecto quanto ad vitam magis cœleſtem attenderunt, tanto fuerunt excuſatiores, recitatis mox Ethnicis. Primus Clemens Alexandrinus, qui cum legiſſet epiſtolam illam ad Menœceum, cujus præfationem oppido quam-pulchram, in Stromatis retulit, & in qua Epicurus germanam de voluptate ſententiam expoſuit; nihilominus ſic invehitur, quaſi ille non aliam, quam corpoream, pecudumque propriam voluptatem commendaviſſet. Secundus Lactantius, qui poſtquam libro Inſtitutionum tertio retulit, *Epicurum conſtituiſſe ſummum bonum in voluptate animi, Ariſtippum verò in voluptate corporis*, deinceps tamen exaggerat, fuiſſe illum *turpiſſimæ voluptatis aſſertorem*. Poſtremus Beatus Ambroſius, qui cum in ſuis epiſtolis illam etiam partem citatæ ad Menœceum epiſtolæ, quæ eſt de voluptate, producat his verbis: *Etenim, clamat ille, quia non potationes, neque comeſſationes, neque filiorum ſoboles, nec feminarum copula, nec piſcium copia, aliorumque hujuſmodi, quæ ſplendido uſui parantur convivii, ſuavem vitam faciunt; ſed ſobria diſputatio, &c.* Et attamen varie adverſus illum, ſectatoreſque perinde inſtat, ac ſi illi diſrumperentur delectatione corporis, & voluptatem magis æſtimarent inquinamento corporis, quam ſobrietate mentis. Sed hactenus eſto occaſio infamiæ. Dicerem jam de occaſione, quæ te Tolonem evocavit, quamque mecum communicare litteris tuis dignatus es; ſed, ut vides, modum exceſſi; cum & nihil aliud neceſſe ſit, quam agere tibi gratias continenteis. Bene; imo optime vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, Eidibus Novembris M. DC. XLI.

EIDEM.

QUæ hactenus recenſui, eò ſpectant, ut conſtet, unde Epicurus infamari occeperit. Aggredior deinceps capita præcipua criminationum enumerare; repoſiturus e veſtigio, ſi quid ſit, quo illæ diluantur. Cum ſit verò ab objecta ipſi impietate ducendum initium, illa omittenda heic eſt, quæ ſpectatur circa doctrinam; ſcilicet non jam quæritur, docuerit-ne aliquid impium, ſed utrum impie vixerit. Vixiſſe porrò videtur primum tum a Cicerone ſupponi, tum a Seneca, dum propter negatam ab eo providentiam, hic quidem inſtat non ſubeſſe, *Cur Deum Epicurus vereatur; quando ipſi neque tribuendi, neque nocendi materia eſt.* Ille verò, *Quamobrem*, inquit, *Dii colendi ſunt, non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec ſperato bono.* Hinc eſſe videtur, quorſum tam Plutarchus, quam Athenæus exaggerent abolita fuiſſe apud Epicurum myſteria, ſacrificia, libationes, primitias, pompas, feſtos dies, & id genus alia. Addit Plutarchus, ſi Epicurus Deos aliquando adoravit, ſacrificulis adſtiterit, & de Deo, rebusque divinis ſimilia cum populis dixit, feciſſe illum ſimulate, ac præ multitudinis metu. Deinde, cum Deos e Mundo ſuſtulerit, videtur voluiſſe, tam ſe, quam ſuos haberi in Diis. Legitur enim apud Plutarchum mandaſſe Idomeneo, ut mitterentur primitiæ ad ſacri ſui corporis cultum; & cum delati fuiſſent a Colote honores divini, illum & grate eos excepiſſe, & verba illa adjeciſſe: *Effeciſti ut & nos te ſacrum viciſſim deputaremus.* Ac rurſus illa: *Incorruptibilis eſto, ac nos incorruptibileis reputa.* Spectare huc poſſunt cæremoniæ teſtamento inſtitutæ, idque comprobante præſertim eventu, quo ſectatores illas εἰκάδας, & divina feſta coluerunt, & Epicurum tanquam Deum quemdam venerari conſtanter ſunt. Deum certe dixit Lucretius illis verſibus:

——— Deus, ille Deus fuit, inclyte Memmi,
Qui Princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur ſapientia, quique per artem
Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.

Qood voluerit autem Sectatores ſuos Deos facere, confirmare videtur tum illud ad Menæceum: *Fiet, ut juſſis parens meis vivas, tanquam Deus inter Homines;* tum quod Plutarchus memorat, Epicureorum fuiſſe proprium, ut ſeſe Deorum æqualeis jactarent. Denique ſubiici heic poſſet impietatis ſpecies in Patriam, Parentes, & alios, prout Epictetus illam obiicit; verum quia ex Placitis Viri deducitur potius, quam facto probetur, ideo immorandum circa eam non eſt. Hæc jam ſufficiant. Tu reſponſionem, qualia afferri poterit, proxima occaſione expecta. Vale interea, dulce meum decus. Pariſiis x. Calendas Decembris M.DC.XLI.

Philiberto De la Mare Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

SIngularis ſane eſt bonitas tua, cum tantillum munuſculum, tam ampla grati animi ſignificatione commendas. Id tanti non eſſe ingenue agnoſco; & dum ſit in pignus mei erga te obſequentiſſimi affectus, ſuum operæ-pretium eſt. De Pinacotheca Peireskii, quod rogas, mihi plane eſt in incerto. Hoc teſtari poſſum, Virum nobilem, & τῷ μακαρίτῃ germanum recepiſſe ſe digeſturum immenſam illam congeriem chartaceorum monimentorum. Res fuerat digna omnibus votis, ut ille ante obitum quæcumque norat de menſuris, ponderibusque conſcriberet; at nihil eſt unquam tale aggreſſus, habuitque ſolum in Commentariis indigeſta Schediaſmata. De Guijone nihil mihi compertum, et debebo tuæ diligentiæ, quis Vir fuerit cognoſcere, ubi opera ejus evulgaris. Ad mea ſtudia quod attinet, vix per quinquennia repeto libros, infelicitateque ea ſum, ut abductus ſtatim ſato neſcio quo mearum oblivisci deliciarum cogar. Cauſa hæc eſt, cur meæ illæ Commentationes, quas memoras, quidpiam adhuc deſiderent, hæreoque abunde-ne ſatis habiturus qeietis ſim, ut manum extremam imponere poſſim. Æſtimat illa Robertus meus pro ſuo amore erga me nimio. Non ſunt ea profecto adeo ſedula, ac conjectura forte eſt facta. Utcumque fuerit, operam dabo, ut de eventu certior fias, obſtrictus nimirum, quod curæ ſit ecquid rerum a me agatur. Tu bene vale, ac me porrò ama, qui eximiæ tuæ virtutis ſum obſervantiſſimus. Pariſiis x. Calendas Decembris M.DC.XLI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NOn expectas ſane, ut Epicurum excuſem, quaſi non ſpuriæ, ſed germanæ Religionis ſectator fuerit. Cum is eadem laborarit, ſeu infelicitate, ſeu culpa, qua ceteri Philoſophi, ſatis eſt, ſi ut alii pii habentur, quod Deos coluerint, Epicurus quoque haberi, quod Deos coluerit, poſſit. Ad hoc porrò vel illud poteſt ex Laërtio ſufficere, quod affectus ſanctitatis, ſeu pietatis ejus erga Deos, τῆς πρὸς Θεοὺς ὁσιότητος, ineffabilis fuiſſe perhibetur. Ne memorem vixiſſe illum in ea civitate, ac iis temporibus, quibus Philoſophi Deorum negligentes male mulctabantur, ut argumento ſit, ipſum nihil tale peccaſſe, cui ea civitas honores decrevit. Quid quod cum illi jam in vera Religione magis probentur, qui Deum colunt, non ut ſervi, ſupplicii metu, aut præmii ſpe, ſed, ut filii, ob majeſtatem, excellentemque ejus naturam, Epicurus coluit poſteriore hoc, ceteri illo priore modo? Id objecta ex Cicerone, & Seneca loca confirmant, ac præſertim cum Cicero in libris de Deorum natura, Epicuream illam vocem referat; *Habet venerationem juſtam quidquid excellit;* & Seneca libro de beneficiis quinto addat: *Epicurum Deum colere, nulla ſpe, nullo pretio inductum, ſed propter majeſtatem eximiam, ſupremamque naturam,* illudque etiam habeat: *Atqui hunc vis videri colere, non aliter, quam Parentem.* Ad Plutarchum quod attinet, memoratum jam ante eſt, ut fuerit præter verum, ac fas in Epicurum comparatus, & neget privatim eum ſacrificaſſe; at ſaltem innuit, non neglexiſſe publicam Religionem. Quod ſimulate verò egiſſe cauſatur, ſcrutatorem cordis invidiuſe agit. Ut præteream, quia ritus illi ſuperſtitioſi, ac ſpurii erant, potuiſſe illos mente improbari; cum ſapientia tamen eorum temporum Patrias de iis leges ſervandas cenſeret. Athenæus loquutus eſt ex Poëtarum rumuſculis;

& ut-

& utcumque verum ſit, quod de abolitis myſteriis, ceteriſque obiicitur, id non poteſt oſuribus ſuperſtitionis fieri exoſum. At poſtulavit Epicurus ſibi offerri primitias; divinos honores delatos admiſit; Deum ſe declaravit, & Coloten etiam, atque id genus cetera? quaſi verò non iſta ſapiant ſpurias illas epiſtolas, quas Stoici & confinxerunt, & ſub Epicuri nomine vulgarunt? niſi Epicurus non ſe mortalem agnovit, neque unum ex præcipuis Dei attributis incorruptibilitatem cenſuit, ut ſibi, aut cuiquam Mortalium aſſeruerit divinitatem? quæ teſtamento porrò cavit, ea fuere, quæ pro more tunc agebantur; cum quidpiam quoque perſimile, ſed alio fine etiam-num fiat. Dixerit verò Lucretius Deum; at videtur certe voluiſſe nihil aliud, quam gratitudinem teſtari propter accepta beneficia, imitatus nempe receptum antiquitatis morem de referendis in Deos hominibus illis, qui ſuis inventis, ac laboribus generi humano profuiſſent. Vide ut ex comparatione conſequenti argumentetur:

Confer enim divina aliorum antiqua reperta;
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe;
Cum tamen his poſſet ſine rebus vita manere;
Ut fama'ſt, aliquas etiam nunc vivere genteis;
At bene non poterat ſine puro pectore vivi;
Quo magis hic merito nobis Deus eſſe videtur,
Ex quo nunc etiam per magnas dedita genteis
Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ.

Idem habet de Hercule, cujus laboribus eleganter enumeratis, pergit:

Cetera de genere hoc, quæ ſunt portenta perempta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor; ita ad ſatiatem Terra ferarum
Nunc etiam ſcatit, & trepido terrore repleta'ſt
Per nemora, ac monteis magnos, ſilvaſque profundas,
Quæ loca vitandi plerumque eſt noſtra poteſtas.
At niſi purgatum'ſt pectus, quæ prælia nobis,
Atque pericula ſunt ingratis inſinuandum?
Quantæ conſcindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curæ, quantique perinde timores?
Quidve ſuperbia, ſpurcities, petulantia quantas
Efficiunt cladeis? quid luxus, deſidieſque?

Cum Epicurus porrò dixit, eum, qui præceptis ſuis pareret, victurum ut Deum inter homines, nihil aliud, quam phraſin figuratam uſurpavit, ut immortale virtutis decus, quo ſapiens fulget, commendaret. Plutarchum autem miror, quaſi non noſſet Stoicorum potius eſſe proprium, ut ſeſe jactarent æquales Deorum. De pietate in Patriam teſtimonium dicunt Statuæ ipſi ab illa conſtitutæ. Pietas in parentes, ac fratres ex teſtamento innoteſcit; cum & Plutarchus exaggeret benevolentiam illam fraternam. Non reticet quoque Laërtius & manſuetudinem in ſervos, & univerſe bonitatem, affectumque inexſuperabilem ἀνυπέρβλητον erga omneis. Unde & Cicero, *Epicurus*, inquit, *bonus minime malus, vel potius Vir optimus*. Sed modus eſto. Is certe niſi excederetur, de litteris tuis quidpiam dicerem, quamquam putare dictum debes, me, quod exigis, mentis oculus habere in te revera conjectos. Multi me de Musæi arce vel tui cauſa rogitant; ſed ego neque quidquam habeo, neque ſi haberem (& de tuo præſertim conſilio, & ductu) niſi tuo juſſu evulgarem. Vale, o præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, III. Calend. Decembr. M DC. XLI.

E I D E M.

Ut nunc accipias, quæ Epicuro obiici malignitas ſoleat, duo ſunt illius capita; unum eſt ingratitudo erga Præceptores; alterum maledicentia adverſus omneis Philoſophos. Et prius quidem poteſt ex Cicerone confirmari, eum Epicurum notat, quod Nauſiphanem Magiſtrum tam male acceperit, illumque vexarit omnibus contumeliis. Contumeliæ autem præcipuæ haberi videntur ex epiſtola, cujus Laërtius & Empiricus meminerunt. In ea enim Epicurus appellavit Nauſiphanem *pulmonem*, quaſi ſenſus expertem, *indoctum*, *ſophiſtam*, *improbum*, *impoſtorem*, *cynædum*. Eadem ratione legitur Pamphilum Platonicum mirifice contempſiſſe; negaſſe ſe quidpiam didiciſſe a Xenocrate, diſſimulaſſe Lyſiphanis, Praxiphaniſque inſtitutionem. Quamvis autem Democritus amplius, quam ſæculi dimidio ante ipſum natum, mortuus fuerit; quia tamen ejus doctrinam hauſit, & ſe aliquandiu Democriteum profeſſus eſt, idcirco dici quoque poteſt, fuiſſe in illum, ut in Præceptorem ingratus. Nempe & alias ipſum vituperavit, ſcribente Cicerone, *ſe nolle Democritum laudatum a ceteris, ab Epicuro, qui eum eſt unum ſequutus, vituperatum*. Et cetera inter pro Democrito Ληρόκριτον dixit apud Laërtium, quaſi gramiis laboraſſet, ſeu in cognitione rerum cecutiiſſet. Videtur porrò cum ingratitudine conjuncta fuiſſe ambitio; quod exinde nempe voluerit haberi αὐτοδίδακτος. Ita manifeſta Empiricus tradit circa Nauſiphanem; circa Pamphilum verò Cicero: *Metuit*, inquit, *ne quid unquam didiciſſe videatur*. Et rurſus glorianti Epicuro ſe magiſtrum habuiſſe nullum, *Hoc non prædicanti*, inquit, *tamen facile equidem credam, ſicut mali ædificii domino glorianti ſe Architectum non habuiſſe*. Similia habet Plutarchus circa Democritum, docens Epicurum ſtudio gloriæ tumeſcentem, furentemque cum eo rixari. Præterea autem, quod memoratur aliquos tum illius, tum aliorum libros pro ſuis evulgaſſe, jactaruſſe unum inveniſſe verum, præcelluiſſeque omnibus; ut præ ceteris recitat, & inſectatur Cleomedes, inſtituta inter ipſum, & Therſiten comparatione. Poſterius autem caput comprobari poteſt vel ex uno Plutarcho, apud quem tam ipſe, quam Metrodorus dicuntur, quæ vocabula inter homines fœdiſſima ſunt, ſcurrilitates, cantillationes, jactationes, ſcortationes, homicidia, ſuſpiratos, corruptelæ, gravedines, ea adverſus Ariſtotelem, Socratem, Pythagoram, Protagoram, Theophraſtum, Heraclidem, Hipparchum, & adverſus quem non Virorum illuſtrium congerentes effudiſſe? Scribit quoque Cicero dixiſſe illum contumelioſiſſime adverſus Pythagoram, & Empedoclem; maledixiſſe turpiſſime Phædoni Socratico; totis voluminibus proſcidiſſe Timocratem. Extant etiam apud Laërtium ſcommata adverſus Platonem, Heraclitum, Protagoram, alios; habeturque adhuc ſpeciale fragmentum cujuſdam epiſtolæ apud Athenæum, & Euſebium, in qua Epicurus cauſatur Ariſtotelem dilapidaſſe paternam ſubſtantiam, militaſſe infeliciter, egiſſe pharmacopolam, & id genus ſimilia. An fidem harum rerum facit, qui genius fuit ſectæ, quaſi inſpiratus? ut non memoro, quæ Plutarchus habet de Colotæ virulentia, ac mordacitate adverſus Platonem, Empedoclem, Parmenidem, Meliſſum. Adnoto ſolum ex Cicerone Metro-

erodorum, & Hermachum dixiſſe contra Pythagoram, Platonem, Empedoclem; & meretriculam Leontium fuiſſe etiam auſam ſcribere adverſus Theophraſtum. Sic ſcribit, Zenonem, quem norat Athenis, fixiſſe maledictis Socratem, ſcurram Atticum appellando; itemque Chryſippum, Cheſippum, & alios. Sic ſub perſona Cottæ alloquens Velleium, *Tu ipſe*, inquit, *paulo ante, cum tanquam Senatum Philoſophorum citares, ſummos Viros deſipere, delirare, dementeis eſſe dicebas*. Miſſum autem facio, quod Athenæus habet de Diogene Babylonio, cum illum dicit, *male moratum, maledicum, obtrectatorem, & ne Regibus quidem parcentem, eapropterque Antiochum, qui ob Epiphane ſecundus Rex fuit, jugulari ipſum mandaſſe*. Heic modus eſto. Tu, o Principum optime, o dulce decus meum, vale. Pariſiis poſtridie Nonas Decemb. M. DC. XLI.

EIDEM.

Quam fuit eximia bonitas tua, cum litteras dediſti plenas de Monœci negotio, Principiſque ad te appulſu! Quidpiam ſimile exoptare (ut tuæ nempe famæ ſervirem) auſus fueram; tu verò vota pro ſingulari humanitate prævenisti, ſcilicet, ut mihi gratificareris; nondum quippe meæ illæ litteræ ad tuas pervenerant manus. Qualeis itaque par eſt, ago gratias, Deum precatus ter-maximum, ut cetera tua omnia conſilia perinde fortunet. Quam certe refers ex iſtis laudem, ut cumulatiſſima eſt, ita quantum afficiat me, noſſe ipſe potes, qui noſti me eſſe obſervantiſſimum tui. Ad penſum venio, quod non eſt cur ampliſſimum jam expectes. Etenim multa quidem objecta ſuperioribus litteris; ſed brevis reſponſio ex Laërtio patet, dum enumeraris iis, quæ fuere a Stoicis, aliiſque congeſta de ingratitudine, ambitione, maledicentia, ſubiicit illos inſanire, μεμήνασι γὰρ οὗτοι. Opponit proinde, quæ ipſe ad calcem epiſtolæ penultimæ de pietate, humanitate, manſuetudine, bonitate commemini. Et certe, cum ex Cicerone, Epicurus fuerit non modo Vir bonus, ſed etiam optimus; qui potuiſſet talis haberi, ſi fuiſſet tam male erga Præceptores, ceteroſque illos ſapientiæ Profeſſores animatus? An malignitate laborans tot, tam bonos, tamque conſtanteis amicos parare aliunde potuiſſet; nihil verò propterea adverſus Ciceronem, Plutarchum, Empiricum regero. Dico duntaxat illos ſequutos, quæ reſperſa erant per ſpurias, ſuppoſititiaſque epiſtolas, de quibus eſt ſuperius dictum, & quarum Auctores, ut Laërtius inſanos, ſic illuſtrius appellavit calumniatores διαβάλλοντας. Addo, cum nullatenus probabile ſit, effudiſſe illum convitia ulla in Præceptores, fieri abſque vitio potuiſſe, ut ſi vel aliquos non audiſſet, vel nihil frugi ab iis didiciſſet, inficiaretur Præceptores. Quin etiam, ſi multa ex ſe excogitavit, adinvenitque (ut alia profecto ratione haberi ſectæ Princeps non potuit) nihil prohibuit ipſum ſe habere αὐτοδίδακτον, cum non ſit ex ſe αὐτοδίδαξις mala; & veriſſimum ſit, nihil omnino ſciri, quod non primus quiſpiam ſeipſum docuerit. Contradixerit porrò in multis ipſi etiam Democrito; atque id amore veritatis licuit, cujus reſpectu Democritus dux ejus, non dominus fuit, ut verbo dicam Senecæ. Satis eſt, quod Democrito honorem habuerit, uti revera habuiſſe fidem faciunt apud Plutarchum, & Leonteus, & Metrodorus. An autem illius, aliorum-ve libros pro ſuis venditaverit, dijudicari debet tum ex claritate eorum temporum, tum ex ubertate, qua ipſi fuit promptum ex alibi dictis conſcribere libros. Quod ad ceteros Philoſophos ſpectat, nihil ad generalem reſponſionem addendum, niſi fortaſſis propter illud, quod eſt adverſus ſectatores objectum. Ac, ut non negaverim quidem, quin aliqui eſſe degeneres potuerint, quando profecto non ita bene agitur cum rebus humanis, ut ſocietas ulla abſque nævo ſit; ita videtur calumnia tam concitari adverſus illos, quam adverſus ipſum auctorem potuiſſe. Id Cicero præſertim ſuadet, cum de Epicureis loquens teſtatur, nullum unquam fuiſſe genus hominum minus malitioſum. Res expenderetur felicius, ſi eorum libri ſupereſſent; nam & cum ſcripſiſſe adverſus Theophraſtum, Philoſophum-ve alium, neque inſolitum, neque illicitum ſit; tum libri illi, in quibus effuſa maledicta dicuntur, ſuppoſititii fuiſſe videntur. Profecto, cum unicum nobis Lucretii opus ſuperſit, agnoſcere ex eo licet, non fuiſſe ſectæ genium, ut Philoſophis ceteris malediceretur. Ut de Democrito enim taceam, cujus opinionem aliquoties impugnaturus ita præfatur:

Democriti, quod ſancta Viri ſententia ponit.

Ecce Empedoclem non refutat, quin laudes Siciliæ, e qua ille erat, proſequutus ita exorditur:

Rebus opima bonis multa munita Virûm vi,
Nil tamen hoc habuiſſe Viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quin-etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta;
Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.

Subiicit autem tam de ipſo, quam de ceteris, ut refutationis neceſſitatem veluti leniat.

Quanquam multa bene, ac divinitus invenientes
Ex adyto tanquam cordis reſponſa dedere
Sanctius, & multo certa ratione magis, quam
Pythia, quæ Tripode ex Phœbi, lauroque profatur;
Principiis tamen in rerum fecere ruinas, &c.

En ut verſibus te interdum obruam. Sed te nempe hæc eruditio, ut & omnis alia delectat. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, Eidib. Decemb. M. DC. XLI.

EIDEM.

Ecce jam caput accuſationis, quod ut vulgare maxime eſt, ita videtur præcipue Epicureiſmo nomen feciſſe. Gulam intelligo, ob quam Epicurum helluonem, lurconem, & cetera dicunt. Chryſippus apud Athenæum diſcipulum facit inſignis Gaſtrologi. Damoxenus Comicus Præceptorem peritiſſimi coqui. Refert idem Athenæus illum a Timone victimarum voratorem deſcribi, additque fuiſſe aſſentatum Idomeneo, ac Metrodoro. Scribitur idem apud Laërtium de Mythro, ut eſſet unde gulam expleret. Plutarchus memorat Metrodorum his verbis ſcribentem ad Timocratem: *Quanta perfuſus ſum gaudio, quanta animatus audacia, cum ventri rite gratificari ab Epicuro didici?* Et rurſus: *Nihil juvat, o Timocrates, Græcorum ſervatorem fieri; nihil item coronas ab iis propter ſapientiam obtinere; juvat mandere, ac potare vinum, quantum quidem ventri non noceat, & illi tamen gratum ſit; quippe circa ventrem eſt ſummum bonum.* Quæ recito, ut intelligas, quorſum Olympiodorus, &

alii

Digitized by Google

alii ex Patribus ſanctis, prædicent vitam Epicuri, ſociorumque ejus apud Salomonem deſcribi loco illo ſapientiæ: *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, &c. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, &c. quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.* Quorſum præterea Chryſologus, & alii non-nulli conferant Epicurum cum Prodigo illo Evangelico, & porcum etiam appellent ſequitentem ſiliquas, hoc eſt, voluptates corporeas. Sed & D. Auguſtinus meminit porcum appellatum a Philoſophis, forte propter illud ex Horatio tritum:

Me pinguem, & nitidum, bene curata cute viſes,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Scribit ad hæc Laërtius, Timocratem Metrodori fratrem prodidiſſe: *Epicurum bis quoque die vomere ſolitum præ luxu; & ſe quidem vix potuiſſe effugere nocturnam illam Philoſophiam, myſteriiſque plenum conventiculum;* adjeciſſe verò, *Epicurum ſolitum quotidie minam impendere in menſam*, hoc eſt, aureos noſtrates ſex cum fere ſemiſſe. Credas huc ſpectare illud Senecæ: *Objicite Platoni, quod petierit pecuniam; Ariſtoteli, quod acceperit, Democrito quod neglexerit, Epicuro, quod conſumpſerit.* An heic attendendum, quod ſuo loco retulimus, Epicurum mori noluiſſe niſi præhauſto mero, ut extremus actus reſponderet fabulæ? Stoici certe apud Ciceronem morbum, quo interiit, ad edacitatem retulerunt. Addo, cum Suidas hæc de Epicuro inter alia ſcribat, *Saxeas menſas, & denaria in ſepulchro, hic helluo, & obſoniorum vorator incidi juſſit*, nihil eſſe mirum, ſi plerique Epicurum comparent, ut cum Viris aliis luxu perditiſſimis, ita præſertim cum Sardanapalo, qui buſto incidi juſſit Epitaphium a Cicerone ita expreſſum:

Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit; at illa jacent pulchra, & præclara relicta.

Hæc abunde ſunto. Tu optime vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis XIII. Cal. Januar. M DC XLI.

Ne pagina hæc abeat vacua, carmina adſeribo, quæ amicus, muſicæ amans die ſuperiore abs me extorſit, proximis cantanda Natalitiis. Ea verò duodena experiit;

Nunc agite, o gentes, myſteria diſcite mira.
Naſcitur in ſtabulo Cælorum conditor; eſtque
Inſtratus fœno, cui ſervit purpura Regum.
Quæ parit, eſt Virgo; genitrix eſt filia nati.
Incipit, æterno qui tempore conſtitit; & qui
Excipitur loculo, magnus ſine limite conſtat.
Eſt homo, nec tamen eſt perſona humana; Deuſque
Cum ſit, mortalis tamen eſt; ſed nempe ſub uno
Suppoſito geminæ naturæ conciliantur.
Sic Deus eſt, & homo; ſic jungens infima ſummis,
Humano generi potis eſt afferre ſalutem.
Hæc itaque, o gentes, myſteria diſcite mira.

A L I T E R.

INtacta genitus Virgine naſcitur
Infans: Angelicum concinitur melos;
E Cælo novus lux prodit, & imminet
Cunis inſolitum jubar.
O formoſe Puer, deliciis date
Humani generis! creſce laboribus,
Quos, ut nos redimas, & tibi gloria
Vertantur, Pater imperat.
Felix interea, quam recubans premis,
Tellus! hæc violas fundat, amaracis
Mixtas, dum manibus lilia porrigens
Plenis gens pia ſupplicat.

E I D E M.

DEvoravi opuſculum, quo me donare dignatus es, & pro quo gratias debeo multas. Nihil ipſius non placuit; ita ſe Auctor eximius probavit ſua fama dignum. Patiere tamen dici a me, nihil æque placuiſſe, ac illud encomium, quod tu voluiſſes pro animi moderatione ſuppreſſum. Ac debet illi quidem tota natio quas cecinit laudes in gallicum nomen; ſed debet longe amplius tibi, ex quo judicium de tota gente ab ipſo factum, expreſſumque. Hæc tamen aliàs. Cum nunc expectes quid de Epicuri ſobrietate dicturus ſim, ecce deſcribit illum Laërtius: *Simplici pane, & aqua contentum; & ſplendidius epulaturum, quidpiam caſei ſolum poſcentem.* Citat quoque Dioclem referentem illum, ſociosque *frugaliſſimis, viliſſimiſque cibis uſos; & cum quævis aqua in potum ſufficeret, ſi vinuli quidpiam aliquando adhiberetur, ſatis illis fuiſſe cotylen*, hoc eſt, menſuram pariſienſi ſemi ſextario non majorem. Stobæus, cum memoret etiam *pane, & aqua contentum* fuiſſe, addit celebre ex eo dictum: *Habentem ſe mazam, & aquam, paratum eſſe etiam cum Jove de felicitate certare.* Plutarchus ipſe tenuem hunc victum diſſimulare non potuit, cum illum *in maza, & lenticula* ſuavitatem ſummam quæſiiſſe ſcripſit. Porphyrius autem, *Notum eſt*, inquit, *at pleriſque Epicureorum ab ipſo uſque Principe ita exorſis, maza, fructuſque ſufficiant.* Exinde minus mirabere, quod Cicero ait, cum de Epicuro loquens: *Hic verò ipſe*, inquit, *quam parvo eſt contentus?* Sed erit tamen cur mirere, quod extat apud Senecam: *Ecce*, inquit, *gloriatur Epicurus, non toto aſſe ſe paſci; Metrodorum, qui non tantum profecerit, toto?* Non erat autem aſſis valor monetâ noſtrâ æſtimatus, niſi denariorum Turonicorum novem. Quæſo te, quam deberet famem maligne extinguere, cum parcius adhuc victitaret? Scilicet idem Seneca, *Quin-etiam*, inquit, *certos habebat dies ille magiſter voluptatis Epicurus, quibus maligne famem extingueret; viſurus, an aliquid deeſſet ex plena, & conſummata voluptate; vel quantum deeſſet, & an dignum, quod quis magno labore penſaret.* Plura congererem; ſed Juvenalis verſus ſufficiant, dum veluti indignatur, ſi quis

——— Non Epicurum
Suſpicit exigui lætum plantaribus Horti;

dumque oſtenſurus, ecquis-nam ſit finis cupiditatum conſtituendus, rem in hunc modum exequitur:

——— Menſura tamen, quæ
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam:
In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſcant;
Quantum, Epicure, tibi parvis ſuffecit in Hortis.

Non eſt proinde, cur immorer in iis rejiciendis, quæ fuere objecta. Nam vulgus quidem probra conjicit, quæ vera ſint, nec-ne haud novit. De Chryſippo eſt aliàs dictum: Comicorum ſcommata non Epicurum modo, ſed & Socratem, & ceteros magnos Viros proſciderunt. Idem de Timone dicendum, qui conſcripſit σίλλους, hoc eſt,

eſt, meledicta adverſus omneis Philoſophos. Aſſentatio illa elevatur tum ex tenuitate victus, tum ex iis, quæ Epicurus tam ad Idomeneum, quam ad alios ſcripſit de cupiditatibus coërcendis; qualis eſt illud apud Senecam: *Si vis Pythoclea divitem facere, non pecuniæ adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt*. De genio, atque inſtituto, non Plutarchi modo, ſed Sanctorum etiam Patrum, dictum univerſe ſuo loco. Horatius nihil aliud, quam ludit. Quod ex Timocrate memoratur, videtur plane commentitium; ſeu ſpurcitiem ſpectes, quæ in illa Civitatis luce tolerata non fuiſſet; ſeu impenſas, quæ nimirum excesſiſſent Epicuri cenſum. Quod moribundus merum petierit, perſpicuum eſt, fuiſſe non crapulæ vitium, ſed debilitatis remedium. Quod laborarit calculo, non intemperantiæ fuit, ſed naturæ. Quod morbo interierit, id habuit cum bonis, ac malis commune. Denique Suidas rumuſculos, non verò quæ ex teſtamento, probatiſque auctoribus haberi poterant, collegit; & quod Epicurus cum Sardanapalo, ſimilibuſque comparatur, mere declamatorium eſt. Attexam heic, in gratiam eorum, qui germanum Epicuri inſtitutum ſectati fuerunt, quod Cicero de illis habet: *Ita vivunt quidam*, inquit, *at eorum vita refellatur oratio; atque, ut ceteri exiſtimantur dicere melius, quam facere; ſic hi mihi videntur facere melius, quam dicere*. Et ut exemplum victus habeas, en ut de Pomponio Attico Cornelius: *Nemo*, inquit, *in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnoſtea* [*quod nos quidem jucundiſſimum arbitramur*] *neque unquam ſine aliqua lectione apud eum cenatum eſt, ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur. Nunquam eos vocabat, niſi quorum mores a ſuis non abhorrerent*. Pergit: *Cum tanta pecuniæ facta eſſet acceſſio, nihil de quotidiano victu mutavit; nihil de vita conſuetudine; tantaque uſus eſt moderatione, ut neque in ſeſtertio vicies, quod a Patre acceperat, parum ſe ſplendide geſſerit; neque in ſeſtertio centies affluentius vixerit, quam inſtituerat; parique faſtigio ſtetit in utraque fortuna*. Tu bene vale, Principum decus. Pariſiis, VI. Calendas Januarii, M DC XLI.

Quod dixi ſuperioribus litteris minam Atticam valere aureos Solares noſtrateis ſex cum ſemiſſe, dicere debui aureos ſolares ſeptem cum ſextante. Quod heic autem legis fuiſſe Attico ſeſtertium vicies, interpretare moneta, qua jam utimur, Turonicas libras 186110. Quod ſeſtertium centies, 930550. Salutat te Luillerius noſter, eximie ſanus, eximie bonus, quem neſcio quo malo, ut impoſtore genio ductus meus ille Antiſtes deprædicans fecerit per nebulonem quemdam, deploratæque famæ eleemoſynarium nomine Joannem Stephanum Galterium, emiſſariaſque alios, fuiſſe capite truncatum ad Grevam.

Philiberto de la Mare, Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

QUod uberem adeo commentarium de Guijonio perſcripſeris, humanitatis tuæ fuit. Ego certe auſus non fueram ad id operæ provocare, abunde ducens, cum opera evulgarentur, cognoſcere. Doleo nihil me ſimile habere de Lepanthino prelio, quod, te depoſcente, reponam; ſed ego nempe is Vir non ſum, cui ſpeciale quidpiam de eo compertum eſſe potuerit, præter vulgarem hiſtoriam tam proſa a ceteris, quam carmine a Rege Scoto, Vaſconeque Poëta conſcriptam. Quando tu tanta ſedulitate circumſtantias ſcrutatus es, quæ ſingulares ſingulis innotuerint, non debes ſane committere, ut nobilis labor ſua careat luce. Quas per me dare ad Naudæum litteras voluiſti, ad ipſum tranſmiſi, neſcius licet, Romæne adhuc degentem conventuræ ſint. Quippe illuſtris Mazarinus illum accerſit omnibus votis, ac pollicitationibus; & ex poſtremis litteris expectabatur ſolum conſenſus Cardinalis Antonii, in cujus ære ille vivit. Mire commendat Robertus meus, quæ experitur abs te officia; ipſe in me quam poſſum partem gratitudinis maximam recipio. Tu Vir illuſtris optime vale. Pariſiis, VI. Cal. Januar. M DC. XLI.

Paulo du May, Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

CUm reſponſionem differo, occurrit ecce interim gratias agendi nova occaſio. Scilicet tibi ſeris non fuit grata manu, & cum elogio meas illas de Peireskii Vita commentationes excipere; ſed, ut accipio ex litteris, quas Riantii Baro ad me dedit, perſcripſiſti quoque ad ipſum, quam magnifice de illis ſentires. Id bonitati tuæ eximiæ acceptum totum refero; & quantum me imparem eſſe commendationi tuæ ſum conſcius; tantum me tibi ob ſingularem benevolentiam devinctum profiteor. Eſt etiam aliud, quod tibi debeo propter meum Robertum humanitatis genus. Etenim, cum ille ſit mihi merito magno cariſſimus, & quantum tibi debeat litteris ſuis ſignificet, non poſſum ego, quantum id eſt, non ducere in me collatum. Quas datis ad me litteris adjunxeras, redditæ fuerunt. Non eſt, cur de meo ſtudio dubites in capiendis antiſis, de quibus ſcripſiſti. Ægre ſolum habeo, me non eſſe tanti, qui rebus a me commendatis pondus addere magnum poſſim. Vale. Pariſiis, VI. Calend. Januar. M. DC. XLI.

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

DIxi nuper de Gula Epicuro objecta; en nunc objectam Venerem. Primum declamatur in illius hortum, quaſi in infame lupanar, in quo meretrices proſtiterint, Leontium, Themiſta Philænis, & aliæ e Plutarcho, Laertio, & Cleomede commemoratæ. Celebratur autem præſertim Leontium, cujus extat epiſtola in græcanicarum ſerie circa Epicuri laſcivium ſenilem. Legitur verò apud Laertium, non Epicurum modo eum ea rem habuiſſe; verum etiam Metrodorum. Addit Clemens Alexandrinus duos alios; addit Athenæus Epicureos omneis; ſubiiciens Danaen Leontii filiam fuiſſe ſimiliter ſcor-

ſcortatam. Huc ſpectare puces nocturnum conventum, de quo dictum eſt, cum de gula; itemque gloriationes illas Coruiadæ, numerantis apud Plutarchum, quoties concubuiſſet cum Hedia, & Leontio, Thaſſum bibiſſet, opipare cenaſſet; ut minus ſit mirum, ſi Epicurus rurſus comparetur cum Sardanapalo veste purpuram inter ſcorta, & illius hortus cum Synagoga Strigum, Paradiſo Mohammedis, & ſimilibus. Deinde congeruntur ea, quæ in epiſtolis Epicuri amatoriis fuere conſcripta; ut quod extat apud Laërtium: *O Regem Apollinem, Lentiola, qua nos tumultuoſa plauſa complevisti, epiſtolulam pellegeateis tuam!* Itemque: *Is ſum, qui niſi vos ad me acceſſeritis, poſſum vel ſæpius volutatus impelli*. Et rurſus ad Pytoclem formoſum, & duode-viginti annorum adoleſcentem: *Sedebo operiens exoptatam ſuum, & veluti Dei alicujus ingreſſum*. Huc ſpectant infractæ, & blandulæ illæ appellitationes, quibus Colotem, verbi gratia, dixit ex Plutarcho Κολωτάριον, & Κολωτάριον, *Colotulum, & Colotillum*. Taceo obiici iſtam quoque intemperantiæ ſpeciem, ut cauſam morborum, & mortis, de quibus ex Suida, Stoiciſque dictum jam eſt. Denique tam iſta, quam ſuperior intemperantia, cauſa Epicuro fuiſſe dicitur, cur abactus fuerit e Philoſophorum choro. Viſum eſt jam Cleomedem, Epictetum, Hieroclem relegaſſe illum ad cynædos, & meretrices. Refert Themiſtius patrem ſuum ſuſtuliſſe pſum e Catalogo. Maximus Tyrius, *Epicuri*, inquit, *ne nomen quidem fero, neque enim admitto Philoſophiam, quæ laſciviat, ut neque Imperatorem, qui ex acie diſcedat*. Et Lactantius, relatis illis ex Lucretio de Epicuro carminibus,

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omneis
Præſtinxit, Stellas exortus uti Ætherias Sol,

ſubdit, quos equidem verſus nunquam ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate, aut Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut Reges habentur Philoſophorum; ſed de homine, quo ſano, & vigente nullus æger ineptius deliravit. Memorabile eſt, quod Archeſilas apud Laërtium interrogatus, *Cur homines ex ceteris ad Epicureos, ex Epicureis autem ad ceteros non migrarent*, reſpondit, quoniam *ex Viris quidam Galli fiunt; ex Gallis verò viri non fiunt*; alludens ſcilicet ad Gallos Sacerdotes Cybeles exſectos, & effeminatos. Ad hunc locum ſpectat, quod Suidas, Ælianus, & alii memorant fuiſſe Epicureos a Romanis expulſos; itemque a Meſſeniis, a Lyctiis, ab aliis Rebuſpublicis; quod adoleſcentium corruptores eſſent, & ſapientiæ degeneris, turpis, effeminatæ inventores. Uno verbo extat verſus apud Apollinarem:

Aſt Epicurus eliminat undique virtus.

Vale Principum optime, & ceptum hunc annum, ac Neſtoreos porrò feliciter exige. Pariſiis, III. Non. Januar. M.DC.XLIV.

EIDEM.

CUm teſtimonium jam aliquod de Epicuri caſtitate expectes, palmare eſt, quod vere doctus, Sanctuſque Pater Gregorius Nazianzenus in Iambicis habet, dum poſtquam retulit Epicurum voluptatem ſtatuere pro fine bonorum, ſubdit:

At ne ob voluptatem improbam hanc laudarier
Quis crederet, moderatus, & caſtus fuit,
Dum vixit ille, dogma moribus probans;

Et de dogmate quidem cum agetur, perſpicuum fiet, Epicurum ea tradidiſſe continentiæ, atque honeſtatis præcepta, ut ſeveriora non potuerint tradi. Nunc, cum de moribus agatur, notabile præſertim eſt, quod legitur apud Stobæum, ſcilicet aſſerente quodam ſapientem amare non capi, ac ceteros inter exemplo eſſe Epicurum, excepit Chryſippus, *haud legitime id concludi, eò quod Epicurus ἀναίσθητος, ſine ſenſu fuiſſet*. Teſtimonium ab inimico; ſed interim probans, quod aliunde probabiliſſimum facit parciſſimus victus, de quo ante ſcripſi; & labor aſſiduus, quo præter doctrinam viva voce traditam, libros innumeros conſcripſit. Quippe, & ſubductis libidinis fomitibus, & fugata deſidia potuit circa venerea ἀναίσθητος jure cenſeri. Non repeto ipſam voluptatis vocem feciſſe totam fabulam; addo potius illud ex Cicerone: *Quid ergo [dices aliquis] Epicurum exiſtimas iſta voluiſſe, aut libidinoſas ejus fuiſſe ſententias? Ego verò minime; video enim ab eo dici multa ſevere, multa præclare. Itaque, ut ſæpe dixi, de acumine ejus agitur, non de moribus. Quamvis ſpernat voluptates eas, quas modo laudavit, ego tamen meminero*, &c. Itemque illud ex Seneca: *Mirum eſt aliquid fortiter dici ab homine mollitiem profeſſo; ità enim plerique judicant: apud me verò Epicurus eſt fortis, licet manuleatus ſit*. Sed ne plura congeram, & ut ad objecta breviter reſpondeam, fuere quidem feminæ quædam cum Epicuro in hortis verſatæ; ſed quo verſatæ modo fuerunt Laſthenia, & Axiothea cum Platone in Academia; Theano, & aliæ cum Pythagora; Gemina, & aliæ cum Plotino; & aliæ cum aliis Philoſophorum Coryphæis; nempe, ut philoſopharentur. Et quoniam Leontium potiſſimum obiicitur, ſane illam non meretricem, ſed ſtudioſam feminam fuiſſe, vel illud unum arguit, quod ex Cicerone *librum ſcripſit adverſus Theophraſtum ſcito ſermone, & Attico*; quodque Plinius memorat illam depictam fuiſſe cogitabundam. Prætereo autem fuiſſe ipſam Metrodori uxorem, ut & Themiſtiam Leontei, & aliorum familiarium alias; ac epiſtolam ipſi attributam fuiſſe Alciphronis ſtylum exercentis commentum. De conventu illo nocturno jam diximus: Corniades Epicureus non fuit. Comparationes declamatoriæ ſunt. Epiſtolæ a Diotimo confictæ, in quibus eſſe quoque potuit & illud de Colote, & quidquid fuit præterea Epicuro objectum ab iis, quos inſanire Laërtius dixit. Circa objecta de morbo, ac morte nihil adiiciendum ad antedicta. Supereſt locus de rejectione e Philoſophorum choro. Sed qui rejecerunt, vel Stoici fuerunt, vel certo conſilio hæſerunt diſſeminato in vulgus rumori. Ut autem magnos Viros opponam, & interea citatum jam B. Nazianzenum reticeam, primus occurrit Conſtantinus Porphyrogenneta Imperator, qui Inſulam Samum deſcribens, *Ex hac*, inquit, *prodierunt Viri Sapientiæ laude inſignes, Pythagoras, Epicurus, Meliſſus, aliique non pauci*. Succurret Cicero, qui & aliquando *Philoſophum nobilem* dicit, & paſſim nobiliſſimis Philoſophorum intermiſcet. Et Seneca, qui dum reſpondet obiicientibus Philoſophos aliter vixiſſe, quam docuerint, *Hos*, inquit, *per maligniſſima capita, & optimo cuique inimiciſſima, Platoni objectum eſt, objectum Epicuro, objectum Zenoni*. Non ſubiicio Apulejum, non ipſum Laërtium; non innumeros alios, ac potiſſimum eruditiores quoſque, ex quo bonæ litteræ reſtitui ante annos prope ducentos cœperunt. Continere

Digitized by Google

me non poſſum, quin & ſubindicem egregium Epigramma, quo apud Laërtium Epicurus concluditur ab Apolline, aut Muſis edoctus; & ſubtexam ex Anthologia diſtichon Menandri præclarum, quo Epicurus confertur cum Themiſtocle, cujus quoque Pater appellatus Neocles fuit;

Χαῖρε Νεοκλείδα, δίδυμον γένος, ὧν ὁ μὲν ὑμῶν
Πατρίδα δουλοσύνας ῥύσατ', ὁ δ' ἀφροσύνας

Quod ego quidem diſtichon, ut potui, ita reddidi;

Par Neoclidarum ſalve; queis Patria debet,
Uni, ut libera ſit; alteri, ut & ſapiat

Quod ad expulſos Epicureos ſpectat, non negandum quidem, quin eſſe potuerint degeneres aliqui; ecqua enim unquam Inſtituta ſocietas fuit, in qua omnes fuerint inſtitutorum ſervantes? ſed fatendum quoque, & potuiſſe illos ob calumnias, factioneſque adverſariorum expelli; & hoc illis commune fuiſſe cum ceteris Sectis, ut teſtantur edicta Antiochi, Lyſimachi, Atheninenſium, Romanorum, ac præſertim ſuadente Catone, & imperante Domitiano, ſub quo Epictetus quoque fuit Roma dejectus. Addo Epicureos, ex Euſebio, floruiſſe omnium diutiſſime in urbibus; & quemadmodum Epicuro, ſic illis quoque dicatas ſtatuas, ut ex inſcriptione Brunduſii reperta conſtat. Concludo verò, ſelecto illo ex pluribus Ciceronis loco: *At mihi quidem, quod ipſa bonus Vir fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie ſunt, & in amicitiis fideles, & in omni vita conſtantes, & graves, nec voluptate, ſed officio conſilia moderantes; hoc videtur major vis honeſtatis, & minor voluptatis.* Tu vivo jucunde, vale decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, IV. Cal. Januar. M. DC XLII.

E I D E M.

QUidquid ſuperioribus litteris circa Epicurum defenſum, quidquid poſtremis circa alia ſtudia commendare dignatus es, id totum debeo humanitati, ac ſingulari benevolentiæ, qua dignaris me immerentem. Sed ne ad alia jam digrediar, ſupereſt extremum caput accuſationis in Epicurum, quod eſt de odio bonarum artium, ſeu liberalium diſciplinarum. Nam univerſe quidem averſatus illas fuiſſe dicitur, teſtante Cicerone, *Cum nihil olere ex puerilibus diſciplinis*; ſcribente Quintiliano, *fugiſſe illum omneis diſciplinas*; dicente cauſam Empirico, *quod diſciplinas ad ſapientiam nihil conferre exiſtimaret*. Neque id modo, ſed etiam dehortatus ceteros fuiſſe, ne illas amplecterentur; ut Pytoclen apud Laërtium; ut ſectatores omnes apud Plutarchum; Athenæum, & alios. Confirmat utrumque Cicero his verbis: *Hæc Epicuri non probo; de cetero vellem equidem, aut ipſe doctrinis fuiſſet inſtructior (eſt enim quod ita videri neceſſe eſt, non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur) aut ne deterruiſſet alios a ſtudiis.* Speciatim verò quod ſpectat ad Grammaticen, mitto, quæ apud Plutarchum, Empiricum, Laërtium, Cleomedem leguntur. Sufficiat idem Cicero, cum de Epicuro loquens, *Si loquendi*, inquit, *vim, ſi conſuetudinem verborum tenuiſſet, nunquam in ſalebras tantas incidiſſet.* Et rurſus *In hac expoſita ſententia*, inquit, *ſunt qui exiſtimant, quod Epicurus inſcitia plane loquendi fecerit, feciſſe conſulto*; de homine *minime vafro male exiſtimant*. Huc ſpectat, quod Plutarchus ſcribit *voluiſſe illum occupari ſapientem in Criticorum quæſtionibus; neglexiſſe Hiſtoriam, repudiaſſe Poëſim*; quod præter Heraclidum Ponticum, Maximum Tyrium, & alios, Torquatus quoque apud Ciceronem teſtatur: *An ille*, inquit, *tempus in Poëtis evolvendis conſumeret, in quibus nulla ſolida utilitas, omniſque puerilis eſt delectatio.* Quod ad Rhetoricen, arguitur omnem prorſus ornatum orationis neglexiſſe, ſcribente Agellio: *Ipſum curas vocum, verborumque elegantias non modo non ſectatum, ſed etiam inſectatum fuiſſe.* Idem confirmat Halicarnaſſæus circa voces, & Athenæus circa ſtructuram conſcripti ab Epicuro Sympoſii. Cicero autem illius, ac Metrodori libros cum quibuſdam confert: *Quos neque diſtincte, neque eleganter, neque ornate ſcriptos latine* commemorat, & de Epicuri Philoſophia alicubi loquens: *Abeſt*, inquit, *ab eo Vir, quem quærimus, & quem auctorem publici conſilii, & regendæ civitatis ducem, & ſententiæ, atque eloquentiæ Principem in Senatu, in populo, in cauſis publicis eſſe volumus.* Et ſequatur Quintilianus: *Alia*, inquit, *mihi quæſtio exoritur, quæ ſecta conferre plurimum eloquentiæ poſſit; quanquam ea non inter multas poſſit eſſe contentio. Nam Epicurus inprimis nos a ſe ipſe dimittit, qui fugere omnem diſciplinam navigatione quam velociſſima jubet.* Quod ad Dialecticen, non refero, quæ Stoici, Plutarchus, Themiſtius, & ceteri objecerunt. Unus Cicero ſufficere poteſt, cujus ſunt varia hac de re loca, ſed ille præcipuus: *In illa*, inquit, *Philoſophiæ parte, quæ eſt quærendi, ac diſſerendi, quæ λογικὴ dicitur, iſte veſter plane, ut mihi quidem videtur, inermis, ac nudus eſt. Tollit definitiones, nihil de dividendo, ac partiendo docet; non quomodo efficiatur, concludaturque ratio tradit; non qua vi captioſa ſolvantur, ambigua diſtinguantur oſtendit, judicia rerum in ſenſibus ponit, quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero ſublatum ſit, ſublatum eſſe omne judicium veri, & falſi putat, &c.* Quod denique ad mathematicen, ecce Torquatus Epicurum excuſans: *An ſe*, inquit, *ut Plato in Muſicis, Geometria, Numeris Aſtris conficeret, quæ & a falſis initiis profecta, vera eſſe non poſſunt; & ſi eſſent vera, nihil afferrent, quo jucundius, ideſt melius viveretur.* Plutarchus verò oſtendit quibus ſe voluptatibus Epicurus privaverit, dum neglexit Geometriam, Arithmeticam, Aſtrologiam, Muſicam, ac perſuaſit etiam Regibus, ut in ſuis Conviviis quaslibet potius ſcurrilitates, quam Muſicas, Poëticaſque diſquiſitiones tolerent. Prætereo quæ varia habet Cicero, ut illud: *Quod profecto nunquam putaviſſet, ſi a Polyæno familiari ſuo Geometriam diſcere maluiſſet, quam illam ipſum dedocere*; itemque illud: *Quæ ſi bis bina quot eſſent, didiciſſet Epicurus, certe non diceret; ſed dum palato quid ſit optimum judicat, cæli palatum, ut ait Ennius, non ſuſpexit.* Prætereo etiam quæ Cleomedes, & alii, ac id ſeligo, quod habet D. Auguſtinus: *Quis*, inquit, *geometricas litteras legere magiſtro Epicuro, aut diſcere voluit? contra quas ille multum pertinaciter, nihil earum, quantum arbitror, intelligens diſſerebat.* Hæc ſatis; quæ ideo eſt viſum ceteris objectionibus circa mores ſubtexere, quod aſpernari ingenuas artes maxima labes morum videatur. Tu morum candidiſſimorum illuſtris Princeps, optime vale. Pariſiis, XVI. Cal. Februar. M. DC. XLII.

Si jam Aquas Sextias redieris, poteris, quæſo, nomine meo, tam Beretalio, quam Ber-villæ ſalutem quam-plurimam dici. Vale iterum.

EIDEM

E I D E M.

Dicturus poſtremum de objecto odio liberalium diſciplinarum, id univerſe adnoto, aſſe in illis quidem, unde liberales, hoc eſt, homine libero, ingenuoque dignæ cenſeantur; ſed irrepſiſſe tamen in ſingulas multa, quæ ſint vaniora, inutiliora, ſpinoſiora, pernicioſiora, quam ut ea Vir ſapiens conſectari debeat. Ipſum verò Epicurum non illas univerſe repudiaſſe, ſed quatenus ſolum ſent vanæ, inutiles, ſpinoſæ, atque pernicioſæ. Quoniam autem nulla non fuit capta in ipſum declamandi anſa, ideo ex hoc capite quoque exprobratum illi fuit, quod omnem prorſus diſciplinam oderit, ac diſſuaſerit. Decantatum præ ceteris videtur illud ad Pythoclen: *Omnem diſciplinam, o beate, devita*; ex eo enim eſt, ſeu ex fonte deductum, quod M. Tullius, Quintilianus, Plutarchus, alii objecerunt. Verum, cum illud conjectum fuerit in epiſtolas, ex Laërtio ſuppoſititias, perſpicuum eſt, quidquid exinde derivatum fuit, ſapere calumniam. Cum Empiricos certe addit cauſam, quod Epicurus exiſtimaret diſciplinas eſſe ad ſapientiam inutileis, id ſubnotat ipſum illas non damnaſſe, ſi ad ſapientiam, & voluptatem non illaudatam quidquam conferrent. Hinc, quod ad grammaticen ſpectat, teſtatur idem Empiricus, non fuiſſe illam ab Epicuro quacumque ex parte ejectam; & quod Plutarchus reprehendit circa Criticos, arguit Epicurum ipſum eodem reſpexiſſe, quo Senecam, dum in Profeſſores artium liberalium, ut moleſtos, verboſos, intempeſtivos ſcribens, ſubdit: *Quatuor millia librorum Didymus grammaticus ſcripſit; miſer! Si tam multa ſupervacua legiſſet! In his libris, de Patria Homeri quæritur, in his, de Æneæ matre vera, in his libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit; in his, an Sappho publica fuerit*; & alia, quæ erunt dediſcenda, ſi ſcires. Huc proinde ſpectat illud Torquati: *Non Epicurus ineruditus; ſed ii indocti, qui quæ pueros didiciſſe turpe eſt, ea putent uſque ad ſenectutem eſſe diſcenda*. De Poëſi teſtatur Laërtius placuiſſe Epicuro Sapientem recte de illa diſſerere, & poëmata non fingere quidem, ſed tamen pangere ποιήματα τε ἐνεργείᾳ οὐκ ἂν ποιῆσαι, hoc eſt, non deſcribendo fabulas, ſed aut res præclare geſtas, quod deinceps Atticus fecit; aut quæ ad morum inſtitutionem, naturæque illuſtrationem faciant, quod Lucretius. Quod ſpectat ad rhetoricen, non fuit Epicurus illius ignarus, qui librum de ea ex Laërtio ſcripſit; ſed reſecuit ſolum, quæ ab ea aliena, inutiliave cenſuit, & perſpicuitatem σαφήνειαν ſolam retinuit. Cum hæc verò conſtet ex delectu, diſpoſitioneque, tum verborum, tum ſententiarum, clarum videtur quidquid præterea ex illa arte exigitur, aut eſſe inutile, aut ab ea alienum. Ipſe ne verò, ſeu in loquendo, ſeu in ſcribendo fuerit adeo barbarus, & inelegans, ut interdum Cicero, aliique declamant, vel Cicero ipſe eſſe teſtis poteſt; exempli cauſa; cum, *Vide*, inquit, *quantum fallare, Torquate. Oratio me iſtius Philoſophi non offendit; nam & complectitur verbis, quod vult, & dicit plane quod intelligam*. Sic Seneca paſſim: *Aliquam magnificam vocem epiſtola ſecum ferat. Ecce occurrit mihi neſcio utrum verior, an eloquentior. Cujus, inquiens, Epicuri*. Item: *Eleganter, itaque ab Epicuro dictum eſt*. Ac rurſus: *Et apertior iſta ſententia eſt, quam ut interpretanda, & diſertior, quam ut adjuvanda*. Quod ad Dialecticen, ſcribit quoque Empiricus, *non omnem fuiſſe ab illo neglectam, ſed Stoicam ſolummodo*, id nempe ob ſupervacaneas, ſpinoſaſque illas argutias. Hinc ſolo Dialectices nomine mutato, *Canonicam* ſcripſit, hoc eſt, regulas tradidit, quas utileis eſſe ad ratiocinandum putavit; & in quibus poteſtate, ut loquuntur, continetur, quidquid viſum eſt a Cicerone deſiderari. Id ſuo loco diſquiretur, ediſſereturque ſpeciatim, quod circa ſenſus obiicitur. Heic ſufficiat, cum Plutarchus illum circa ſyllogiſmum quemdam reprehendiſſet, excepiſſe Agellium: *Id factum minute nimis, ac prope etiam ſubfrigide, unde & Epicurus*, inquit, *cujuſmodi homo eſt, non inſcitia videtur partem illam ſyllogiſmi prætermiſiſſe; neque id ei negotium fuit, ſyllogiſmum tanquam in ſcholis Philoſophorum cum numeris omnibus, & cum ſuis finibus dicere*, &c. Quod ad mathematicen denique, non in ea quidem fuit Epicurus tantus, quantus Pythagoras, aut Plato; verum neque inferior fuit Zenone, & aliis; neque tantum illam exploſit, quantum Socrates, cum etiam de cœleſtibus cenſuerit ſapienti eſſe diſſerendum. Hinc quæ ſpecialia obiiciuntur de magnitudine Solis, & ſimilibus, ſuis locis ſolvenda ſunt; ſatiſque jam eſt dicere, non fuiſſe Epicurum averſatum hanc partem, quatenus ad ſapientiam, honeſtamque voluptatem conducit; ſed quatenus ſolum infrugifera eſt, aut mirifice laborioſa. Illud ex Plutarcho circa Muſicam eſſe declamatorium, vel ex eo conſtat, quod inter Epicuri Placita Laërtius id refert: *Solum ſapientem de Muſica rite habiturum ſermonem*; cum & aliunde Empiricus ſcribat Muſicam ex eo duntaxat ab Epicuro, ut a Platonicis quoque, improbatam fuiſſe; *quod inutilis, ſegnis, vinoſa, pecuniarum prodiga eſſet*. Atque heic tandem Apologiæ circa Epicuri mores finis eſto. Non eſto verò unquam meæ erga te obſervantiæ, qui ſum, vivoque ex aſſe tuus. Tu annos Neſtoreos, & vive, & vale, o & dulce decus, & præſidium meum. Pariſiis, IX. Calendas Februar. M. DC. XLII.

E I D E M.

Vides, Principum optime, ut lente licet feſtinantes, ad Apologiæ pervenerimus metam. Supereſt aliud, quod ſit quidem incomparabiliter prolixius de Doctrina curriculum; verum id ſemel ineundum eſt, prætandumque ſolum, ut Deus fortunet. Si exeuntem mane viatorem ſollicitudo caperet tanti illius numeri paſſuum ſigillatim percurrendorum, hæreret ſane in limine; ſed & ille debet eam mittere curam, iterque ſolum ingredi; quoniam tametſi non advertenti ſpatia immenſa ſuperabuntur; & nobis non immenſitas operis cogitanda eſt, ſperandumque ſolum, ut ſenſim progreſſi ſimus illud tandem ad umbilicum perducturi. Non quod ſim certus tot me adhuc abfuturum hebdomadas, ut totidem datis ad te litteris id complecti, quidquid eſt, poſſiem; ſed quod ſi forte tandiu abſim, nolim me demum ob inſtitutum non ſatis mature proviſum pœniteat. Et abſim brevius; nihil nocebit aliquo uſque proceſſiſſe, & quidquid demum peractum erit, id fiet ipſi operæ-pretium. Non poterit certe res tibi non eſſe jucundiſſima, tum ob ſapientiæ ſtudium, quod unum erit argumentum; tum ob manum, quam tibi eſſe non ingratam ſatis teſtaris. Adde quod litteras non-niſi ſepteno quoque die accipiens, non ſis facile ſenſurus faſtidium;

dium; ac tot aliis curis interpoſitis, ſis interim, quaſi animum relaxans, & ad quidpiam rerum novarum divertens univerſam propemodum Philoſophiam repetiturus. Nempe, ut ante ad Luillerium, non eam duntaxat, quæ Epicuri fuit ſpecialis, ſum proſequutus; ſed quidquid præterea ex ceteris Sectis perſpectum habui, complexus ſum; ita compendio rerum agens, quidquid præcipuum ex ſingulis videbitur, haud prætermittam. Initium verò faciam ab iis, quæ generatim de Philoſophia videntur eſſe prænoſcenda, ne videar illotis, quod aiunt, rem attrectare manibus. Quanquam id deinceps prima occaſione; jam enim, ſi aggrederer, excederem haud-dubie modum. Sunt etiam duo quædam, quæ hic attexenda mihi ſuperſunt. Unum eſt, quam debeo gratiarum actionem ob bona illa tua verba, tum de Epicuro purgato, tum de enarrato Peireſckio, quorum ſi uterque adhuc viveret, foret cur ſe amplius uni tuo elogio, quam prolixis meis commentatiis debere putaret. Alterum eſt, quod meo Roberto tibi haud profecto incognito, officium debeo. Gravis quædam illius cauſa diſceptatur inpræſentiarum coram Senatu Divionenſi. Ac non audet quidem petere abs te commendatitias litteras ullas; ſed quia ſubveretur, ne adverſum ſe dare aliquas cogiteris, vellet bonitatem tuam exoratam, ut cum te non fuerit meritus propitium, non experiatur quaſi infenſum. Novit cujus illeic ponderis habeatur attinentium te proxime Principum commendatio; timetque præſertim, ne quædam ad illos litteræ a te extorqueantur. Ipſe recepi me id tibi illius rogatu ſignificaturum. Tuque tanto magis id conſules boni, quanto noſti, quæ inter me, ac illum ſit neceſſitudo. Vale, Principum optime, præſidium, ac decus meum dulce. Pariſiis, pridie Cal. Februar. M.DC.XLII.

E I D E M.

UT item promiſſis, optime Princeps, non aliunde exordiar, quam ab ipſamet Epicuri adhortatione ad Menæceum, dum ad illum ſcribens, ut eſt apud Laërtium, in hunc modum præfatus eſt: *Neque juvenis quis exiſtens philoſophandi moram trahat, neque ſenex cum fuerit, philoſophando defatigetur. Ad animæ quippe ſanitatem neque immaturus, neque intempeſtivus eſt quiſquam. Et qui dicit tempus ad philoſophandum, aut nondum adeſſe, aut præteriiſſe, perinde facit, ac is, qui dicit tempus ad beate degendum, aut nondum adveniſſe, aut eſſe elapſum. Itaque, & juveni, & ſeni eſt philoſophandum; iſti quidem, ut in ſenio, quaſi juveneſcat bonis ob præteritarum gratiam; illi verò, ut in juventute, quaſi ſenex matureſcat ob futurarum ſecuritatem. Hinc ea meditari par eſt, quæ felicitatem pariunt; ſi quidem cum illa adeſt, nihil eſt, quod non habeamus, cum abeſt, nihil non agimus, ut conſequi illam poſſimus.* Hactenus ille; refero autem, ut inprimis definitionem intelligas, quam apud Empiricum tradit, dum, Philoſophiam eſſe dicit *exercitationem, quæ rationibus, & ſermocinationibus vitam beatam inſtituit.* Quo loco, *exercitationem* dicit, ut innuat ſtudium ſapientiæ (id enim ſonat iſta vox) debere eſſe animatum; non habitus inſtar torpentem, ſive quis ſecum ratiocinando, ſive ſermonem cum aliis ſerendo, ſtudeat ſapiens evadere, beatamque vitam adipiſci. Deinde, ut agnoſcas finem, quem ex Metrodoro apud eundem Empiricum ſolam omnium artium Philoſophia conſiderat, videlicet *felicitatem*. Ubi ille habet Philoſophiam quaſi *artem vitæ*, & cum aliæ ceteræ de opere quidem, at non de fine ſollicitæ ſint (ut dum faber conficit clavim, qua alius aperiat; aut orator parat orationem, qua alius ſuadeatur). Philoſophiam ita vult eſſe de ſuo fine ſollicitam, ut non cenſeat Philoſophum, ſi quis felicitatem aliis, non ſibi parare contendat. Huc ipſi quoque Stoici ſpectaſſe videntur, dum Philoſophiam definierunt, *exercitationem artis convenientis*, qui deſcribentes ſapientiam, *rerum divinarum, humanarumque ſcientiam*, id ſolum dixere ſpecialius, quod rationibus, ſermonibuſque diſquiſitum, vitam beatam pariat. Huc etiam Ariſtoteles, qui in Metaphiſicis ita Philoſophiam definit *veritatis ſcientiam*, ut ſtatim declarans functiones illius contemplationem, & operationem, contemplationis finem dicat veritatem, operationis ipſum opus; ac deinceps in Ethicis ad felicitatem referat utramque. Huc & ipſe Plato, qui non alio ſenſu dixit Philoſophiam eſſe, *exercitationem mortis*, quam ut indicaret aſſueſcendum eſſe in ſevocando animo a rebus corporeis, cogendoque, ut ſecum ſit, & dignioribus cogitationibus incumbat; hoc enim modo, *animum ſecernere a corpore*, nihil aliud eſt, ut Cicero interpretatur, quam *emori diſcere*. Huc quod ipſe Cicero alias, dum præclaram illam in tertiam Tuſculanarum præfationem concludens: *Eſt profecto*, inquit, *animi medicina Philoſophia, cujus auxilium non ut in corporis morbis petendum eſt foris; omnibuſque opibus, viribuſque, ut noſmetipſi nobis mederi poſſimus, elaborandum eſt.* Adderem alios; ſed hoc ſufficiat, cum vita beate juxta Epicurum in corporis, & animi, ſed hujus præſertim ſanitate conſiſtat, Philoſophiam in eo eſſe, ut ex virtutum, ac potiſſimum temperantiæ praxi ſanum corpus præſtet, quantum per humanam fragilitatem fas eſt; & ex cognitione, ac æſtimatione rerum debita, animum ſanum, hoc eſt, tranquillum, terroribus puta, ac inanibus cupiditatibus liberum, quantum per humanam imbecillitatem licet, efficiat. Agnoſces exinde quò reſpiciant trita ex Lucretio carmina:

Suave mari magno, turbantibus æquora ventis,
E Terra magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quemquam' ſt jucunda voluptas;
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave' ſt.
Suave etiam belli certamina magna tueri,
Per campos inſtructa, tua ſine parte pericli;
Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
Edita doctrina Sapientum templa ſerena;
Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ;
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Nocteis, atque dies niti præſtante labore,
Ad ſummas emergere opes, rerumque potiri.

Et quæ ſequuntur.

O miſeras hominum menteis! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantiſque periclis
Degitur hoc ævi, quodcunque eſt! nonne videre' ſt
Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi ut, cum
Corpore ſejunctus dolor abſit, mente fruatur
Jucundo ſenſu, cura ſemota, metuque?

Sed modus eſto; tu annos Neſtoreos corpore ſimul, ac mente ſanus, vale. Pariſiis, poſtridie Non. Februar. M DC.XLII.

Bercelio & Ber-villæ perpetuam ſalutem.

E I D E M

Digitized by Google

E I D E M.

SCripſi mox ad te, & pluribus quidem, via compendioſiore. Hæc jam poſt ſcribo, ut ſignificem Viri nobilis legitimum votum. Is eſt Paulus du May Divionenſis Senator, qui ut cum Peireskio dum vixit, amicitiam coluit, ipſe quoque, & litterarum, & litteratorum amans, ita pridem tanto affectu, quantum verbis vix liceat explicare, proſequitur. Sunt illi cognati, fratrum nempe unus, & ex fratre altero nepos, cives Toloſates, qui gravi lite contestaturi in Senatu Provinciæ, te haud-dubie ſunt inviſuri. Adnixus eſt ipſe, qua eſt caritate, eorum diſſidia componere, & Condæi quoque Principis illuſtris, a quo impenſe diligitur, interpoſitam fieri auctoritatem procuravit. Nihil proficere cum potuerit, ſupereſſe exiſtimat, ut juri dicundo locus permittatur. Et quia tamen ſubveretur, ne qui prior acceſſerit, bonitatem invocet tuam, ut tuo patrocinio cauſam adjuves, ideo exoptato te exoratum, ut ἀδιάφορ[illegible] neutri faveas, aut utrique favens, utrique ſis auctor Patriam repetat, arbitroſque a Principe memorato delectos audiat. Quoniam verò illum non latet, quanta in me ſis propenſione, ideirco id tibi per me innoteſcere expetit; qui poſſet profecto, ut tu optimus, ipſe merentiſſimus eſt, nullo uti interceſſore. Ego autem & morem gero, quoniam jus amicitiæ eſt; & tanto facio alacrius, quanto id, quod, quæſo, tuæ dignitati, æquitatique eſt conſentaneum; ac certus ſum, te pro tua illa in me benevolentia æqui, bonique conſulturum. Vive, & vale, Principum decus. Pariſiis iterum, poſtridie Non. Februar. M.DC.XLII.

Paulo du May, Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

ECce, Fabroti noſtri manu tuas accipio litteras, ac ſtatim conſcribo, quas dari per me ad optimum noſtrum Pro-Regem depoſcis. Haud eas obſignabo, ut ſi forte velis proprias ipſis adjungere, poſſis, quod fortaſſis non fuerim ſatis aſſequutus, declarare. Gratias tibi habeo pro ſignificata Roberti valetudine, abs quo nullas habui litteras hac vice. Quidquid in illum humanitatis, officiique contuleris, id mihi fore collatum noſti. Quod de vindiciis Lazari, Magdalenæque noſtratium mones, opis meæ ſane non eſt. Quæſtio facti eſt, quæ aut actis, aut teſtibus decidi debet; ego idoneis deſtituor, ſolamque majorum meorum, quam pie ſequar, pietatem habeo. Deus, qua bonitate eſt, veritatem proſterni, aut jacere non ſinet. Vale, Pariſiis, poſtridie Non. Februar. M.DC.XLII.

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

CUm ſuperioribus litteris dictum ſit Philoſophiæ finem non alium, quam felicitatis adeptionem eſſe, non eſt, cur alia occaſione factam ipſi originem, quam ex ejuſdem felicitatis deſiderio exiſtimemus. Nam cauſa quidem apud Platonem, Ariſtotelemque admiratio eſt; verum ne admiratio quidem ad philoſophandum, ſeu requirendum cauſas inſtigat, niſi quia res moleſta eſt, & infelicitatis pars in ignoratione verſari. Ceterum Epicuro quoque eam philoſophandi occaſionem fuiſſe ex hiſce Lucretii carminibus intelliges.

Nam cum vidit hic ad victum quæ flagitat uſus,
Et per quæ poſſent vitam conſiſtere tutam,
Omnia jam ferme mortalibus eſſe parata;
Divitiis homines, & honore, & laude potenteis
Affluere, atque bona natorum excellere fama:
Nec minus eſſe domi cuiquam tamen anxia corda,
Atque animam infeſtis cogi ſervire querelis;
Intellexit, ibi vitium vas efficere ipſum,
Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quæ collata foris, & commoda cumque venirent,
Partim quod fluxum, pertuſumque eſſe videbat,
Ut nulla poſſet ratione explerier unquam;
Partim quod tetro quaſi conſpurcare ſapore
Omnia cernebat, quæcunque receperat intus.
Veridicis igitur purgavit pectora dictis;
Et finem ſtatuit cuppedinis, atque timoris;
Expoſuitque bonum ſummum, quo tendimus omnes,
Quid foret, atque viam monſtravit tramite prono,
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu, &c.

Quandoquidem verò Epicurus, nec primus, nec ſolus fuit philoſophatus; & requiri poteſt ex quo uſque tempore Philoſophia cœperit; non eſt primum, cur immoremur circa vocis originem, cujus Auctorem Pythagoram fuiſſe, cum Leonti Phliaſiorum Regi roganti quantum ſaperet, reſpondit, *ſe nihil aliud, quam* φιλόσοφον εἶναι, *Sapientiæ eſſe ſtudioſum*, teſtantur Cicero, Laërtius, Lactantius, & complures alii. De re ipſa quæſtio cum ſit, fabulas prætereo, ut quod legitur de Zoroaſtre Perſarum Philoſopho, quinque annorum millibus ante Troiæ excidium; quod de Vulcano, qui Philoſophiam apud Ægyptios primus docuerit quinquaginta annorum millibus ante Alexandrum Macedonem; & id genus alia ſimilia. Dico ſolum, ſub nomine Sapientum celebrari in Græcia ſeptem illos, qui fuere non multum antiquiores Pythagora; quanquam hiſtoria de Tripode apud Laërtium memorata arguit Sapientis nuncupationem, & recuſatam ab ipſis, & uni Deo tributam fuiſſe. Succurrit locus ex Cicerone, quem non pigebit exſcribere: *Itaque*, inquit, *& illos ſeptem, qui a Græcis* σοφοὶ, *Sapientes a noſtris, & habebantur, & nominabantur, & multis ante ſæculis Lycurgum, cujus temporibus Homerus etiam fuiſſe ante hanc urbem conditam, traditur; etiam heroicis ætatibus Ulyſſem, & Neſtorem accepimus, & fuiſſe, & habitos eſſe Sapienteis. Nec verò Atlas ſuſtinere Cælum, nec Prometheus affixus Caucaſo, nec ſtellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur; niſi Cœleſtium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ tradu-*

Digitized by Google

traduxiſſet; a quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant, Sapientes & habebantur, & nominabantur. Hæc ille, quibus nihil antiquius apud Ethnicos memoratur, niſi quod ferunt de Minerva ſapientiæ Dea, ſeu Præſide, ex cerebro Jovis prognata. Ad nos quod ſpectat, non ſapientiam modo æternam profitemur ex ſummi Dei intellectu progenitam; ſed creatam quoque, propagatamque, agnoſcere eundem Auctorem tuemur, ut qui illam primo parenti initio Mundi indiderit. Sic primus homo celebratur, tanquam primus Sapiens, ſeu Philoſophus, argumentoque affertur, tum quod impoſuerit rebus nomina; tum quod ea ſapientiæ monimenta reliquerit, quæ inſculpta duabus columnis apud Joſephum recitantur. Succeſſit porrò longa ſerie, ac poſt diluvium Abrahamus, cujus ſapientiæ teſtimonium dixerunt ex Ethnicis Hæcateus, Nicolaus Damaſcenus, ac Beroſus præ ceteris, ex quo Joſephus verba hæc refert: *Poſt diluvium autem decima ætate erat quidam juſtitiæ cultor, Vir magnus, & ſyderalis ſcientiæ peritus;* ſubiicit poſtea Abrahamum, eum veniſſet in Ægyptum, communicaſſe cum Ægyptiis numerorum, ac Syderum ſcientiam. *Nam ante Abrahamum,* inquit, *rudes erant Ægyptii hujuſmodi diſciplinarum, quæ a Chaldæis ad Ægyptum profectæ, exinde ad Græcos tandem pervenerunt.* Habes heic originem veram, derivationemque ſapientiæ ad Græcos uſque, ex quibus vides rivulos adhuc quosdam deduci. Differendum foret de ſpeciali modo comparandæ ſapientiæ, ſed quia ſum jam nimis, ſufficiat adſcribere vulgatos illos, quos Agellius refert ex Afranio verſus:

Uſus me genuit, mater peperit memoria;
Sophiam me vocant Graii, vos ſapientiam.

Vale, Principum ſapientiſſime, vale o dulce decus meum. Pariſiis, Eid. Februar. M. DC. XLII.

E I D E M.

TRiplex diſtinxit Epicurus genus hominum, qui ad Philoſophiam naſcuntur. Senecæ quippe verba hæc ſunt: *Quosdam ait Epicurus ad veritatem ſine ullius adjutorio exiſſe, feciſſe ſibi ipſos viam. Hos maxime laudat, quibus ex ſe impetus fuit, qui ſeipſos protulerunt. Quosdam indigere opera aliena; non ituros, ſi nemo præceſſerit, bene ſequuturos. Ex his Metrodorum ait eſſe; egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium.* Et paulo poſt: *Præter hæc, adhuc invenies aliud genus hominum, ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum, qui cogi ad rectum, compellique poſſunt, quibus non duce tantum opus ſit, ſed adjutore, &, ut ita dicam, coactore; His tertius color eſt; ſi quæris exemplum, Hermachum ait Epicurus talem fuiſſe. Itaque alteri magis gratulatur; alterum magis ſuſpicit. Quamvis enim ad eundem finem uterque pervenerit; tamen major eſt laus, idem effeciſſe in difficiliore materia.* Sic ille. Ceterum, cum Plato exigat in eo, qui eſt futurus Philoſophus, inveſtigandi veri ardorem, ingenium docile, memoriam firmam, affectus temperatos, laborem conſtantem; ac præterea felicitatem naſcendi in ea regione, in qua Sapientia excolitur; unde & Diis gratias agit, quod Græcus fuerit, non Barbarus natus, ea de cauſa mirum non eſt, ſi Epicurus illi conſentiens, pronuntiarit apud Laërtium, *non in quovis corporis habitu, neque in quavis gente ſapientem naſci.* Quod quidem tametſi Clemens Alexandrinus ita fuerit interpretatus, quaſi Epicurus cenſuerit ſolos Græcos poſſe philoſophari; nihilominus non videtur alia ejus fuiſſe ſententia, quam eſſe perdifficile emergere in Virum Sapientem, ac philoſophari, ut par eſt, niſi conſentaneæ dotes a natura conceſſæ ſint, & inſtitutio, exercitatio, occaſio, exemplum accedant. Certe & habuit ipſe amicos ex Ægypto philoſophanteis; & non modo novit Ariſtippum Cyrenaicum, Diogenem Sinopeum, alioſque non Græcos, philoſopharos fuiſſe; ſed ceteros inter Democritum ipſum abiiſſe procul philoſophatum cum Ægyptiis, Chaldæis, Magis, ac Gymnoſophiſtis. Quo loco admoneor, ut paucis percurram quos novimus olim apud varias genteis præter ipſos Græcos Philoſophiam coluiſſe. Itaque in extrema India celebres fuere *Gymnoſophiſtæ*, quos inter præcipui fuere, qui dicti ſunt *Brachmanes*; nempe fuere & alii dicti memorato Alexandrino *Sarmanes*, Straboni *Germanes*, ac in ipſis *Hylobii*, ſeu in ſylvis ævum degentes. Prætereo autem *Prumnas*, quoniam illi quaſi Sophiſtæ inter Gymnoſophiſtas fuerunt. Celebres deinde fuere apud Perſas *Magi*, quorum Princeps Zoroaſter, & apud Babylonios, Aſſyrioſque *Chaldæi*; tametſi Cicero, & alii Chaldæorum nomen non artis, ſed gentis putant; forte quia, ut Diodorus habet, Philoſophia erat quarundam familiarum propria, traditioneque acquirebatur. Fuere apud Judæos *Pharisæi, Sadducæi, & Eſſæi, ſeu Eſſeni*, quos poſtremos Plinius, & Porphyrius commendant. Apud Ægyptios autem celebratiſſimi fuere *Sacerdotes*, ad quos non modo Democritus, ſed Plato quoque, & Thales, & Solon, & Pythagoras [qui ut poſſet eorum myſteria cognoſcere, etiam circumciſionem ex Porphyrio eſt paſſus] & plerique alii. Memorat D. Hieronymus in Æthiopia *Gymnoſophiſtas*, cum eo acceſſiſſe Apollonium ſcribit; & ne mirere, Lucianus illos Indorum propaginem facit. Memorat D. Auguſtinus in Mauritania *Atlanticos*, ſeu *Libycos*, Sectatores nempe Atlantis, & Herculis, qui primi in ea regione ſunt philoſophati, ac de rebus præſertim Cœleſtibus, ob quarum peritiam, & propter ſphæræ inventionem dicti ſunt Cœlum ſuſtinere. Memorat idem Sanctus Pater *Hiſpanos Philoſophos*; ſed qui illi fuerint, nobis incompertum. Jam de *Druydis* noſtratibus nihil eſt, quod adiiciam; de quibus apud Cæſarem, & alios tam multa. Obſervo ſolum videri illos, cum ex Britannia advenisſent, ſucceſſiſſe memoratis Diodoro Saronidis, & Straboni Vatibus, quibus antiquiores adhuc fuerint *Samothei*, *Samnothei-ve* Laërtio dicti. Nihil proinde addo de *Bardis* Gallorum Poëtis, quorum non Strabo modo, & alii meminerunt; ſed Lucanus etiam illis verſibus tibi profecto non ignoratis.

Vos quoque, qui forteis animas, belloque peremptas
Laudibus in Cœlum Vates demittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Fuere præterea *Tyrrheni, ſeu Etruſci* in Italia; *Sacræ feminæ* in Germania, & ulterius *Getæ, Scythæ, Hyperborei*, de quibus vix quidquam præter nomina apud memoratos Alexandrinum, Auguſtinumque habetur. Nam quod Zamolxis, Getes, & Anacharſis Scytha philoſophati fuerint, ad ipſos Græcos eſt referendum; ut referendum etiam quod Lucianus de Orpheo, & Eumolpo Thracibus ſcribit. Sed hæc jam ſatis. Tu philoſophare, ac æternum vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, IX. Calend. Mart. M. DC. XLII.

Phi-

Philiberto de la Mare, Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

Accepi cum litteris tuis egregium tuum illum de Burgundico bello commentarium. Egregium, inquam; revera enim nihil mihi ex eo inter legendum non placuit, niſi quod nimis propere factum iri finem ex mole præſenſi. Et quam ardenter, putas, exoptavi, ut quo ſtylo, ac ſtudio illam Landonæ obſidionem exequutus es, aggreſſus fuiſſes cetera, quæ non ad bellum nuperum modò, ſed univerſe etiam ad Burgundicam attinent hiſtoriam. Perge modo, Vir erudite, nam ſi hoc quidem opuſculum nihil fuit aliud, quam prodromus, eſt cur te magnam oppido gloriam eſſe conſequuturum ſperes. Gratias quam-poſſum maximas pro tuo in meum Robertum affectu, & habeo, & dum vivam habebo. Explorata mihi magis ejus fides, quam ut dum tua benevolentiæ argumenta commemorat, commendatque diffidere poſſim. Sed nempe tu nimis es bonus, qui eſſe vis magis, quam videri amicus. Eſto igitur æque in utrumque; nam ego quidem illum, quam me habere cariorem non poſſum. Vale. Pariſiis, IX. Calend. Mart. M. DC. XLII.

Ludovico Valeſio, Principi Optimo,

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

Obſerabam nuper meas litteras, cum tuus ille Victoriæ Abbas, hominum urbaniſſimus miſit ad me tuas, eſtque ipſemet ſtatim inſequutus. Vocabant me etiam aliò quædam curæ; adeò ut ne poſt ſcripto quidem licuerit mentionem tuarum facere, quarum me profectò decuit meminiſſe. Nempe & illæ conſcriptæ fuerant urgente diſceſſus apparatu in Aulam, & tantum temporis ſucciderat, quantum ſufficeret, tum ut quid rerum agiſſes, faceres perſpectum; tum ut ſignificares quam tibi id ſit, quidquid ſcribo, non injucundum. Verum tu mihi hactenus eam feciſti confidentiam, ut nihil pene non audeam; & ſi quid culpæ ſit, ipſe, dum nimis bonus es, videaris ſolus eſſe in culpa. Nunc, cum tibi grata res ſit, ire pergo eandem mat viam, ut non improbata Apologia, quæ de Viri moribus eſt, ſuppetat unde ferre quoque de Doctrina judicium poſſis. Ac non male quidem es ſubodoratus me mea perſæpe interpoſiturum ratiocinia; ſed mens etiam eſt, ita ceterorum antiquorum Philoſophorum intertexere placita, ut credere poſſis non unius magis, quam omnium ſimul Philoſophiam eſſe. Hinc eſt, quamobrem videas me in iſtis Philoſophiæ Procemialibus immorari. Quippe non unius, ſed plurium inveſtiganda ſapientia eſt. Cum ſuperioribus porrò litteris illos recenſuerim, qui antiquitus præter Græcos philoſophati memorantur, & ſim conſequenter dicturus de Græcis, ex quibus Epicurus fuit, & a quibus eam, quæ ſola pæne cognoſcitur, habemus Philoſophiam, tria quædam hoc loco præmitto. Unum eſt, quod te obſervaſſe apud Empiricum memini, treis generales philoſophandi apud Græcos rationes fuiſſe; Dogmaticam, Acatalepticam, Scepticam. Quicumque enim exiſtimarunt ſe veritatem inveniſſe, illi δόγματα, ſeu *Decreta* rata, certaque tradiderunt, unde ſunt dicti *Dogmatici*, quales Peripatetici, ac Stoici fuerunt. Quicumque verò ſunt opinati veritatem adeò occultam, ut eſſe ἀκατάληπτον, ſeu *incomprehenſibilem* putarint, ii *Acataleptici* dicti ſunt; cujuſmodi fuere Academici ab Arceſila præſertim inſtituti, qui ne veriſimilitudinem quidem retinuerunt; & cum Socrates dixiſſet ſe hoc unum ſcire, quod nihil ſciret, ipſi ne ſe hoc quidem ſcire, an nihil ſcirent profeſſi ſunt. Quicumque demum, neque ſtatuerunt verum inventum, comprehenſumque, neque cenſuerunt inveniri, comprehendique minime poſſe, ſed aſſenſum ſuſtinentes, in eo quærendo remanſerunt, ii ἀπὸ τῆς σκέψεως, ſeu *a conſideratione*, *Sceptici* appellati ſunt, veluti etiam *Ephectici* ἀπὸ τῆς ἐποχῆς *a cohibitione aſſenſus*; tales autem fuere Pyrrhonii, ad quos tametſi Epicurus pertinere interdum videatur, ac præſertim circa Meteora, ſeu Sublimia, atque Cœleſtia, attamen ad Dogmaticos, quod dogmata tradiderit, & Sapientem eſſe traditurum cenſuerit, videtur eſſe referendus. Alterum eſt, duos generaleis fuiſſe Philoſophiæ tractandæ modos; unum obſcurum, alium perſpicuum. Et obſcurum quidem ſectati ſunt, tum qui fabulis Dogmata obvelarunt, ut feciſſe creditur Homerus, & qui res Divinas, ac naturaleis deſcripſerunt poëtice, ut Empedocles, Xenophanes, Parmenides; aut moraleis per Apologos, ut Æſopus; tum qui ſymbolis, ænigmatibuſque placita obduxerunt, ut Pythagoras, & plerumque Plato; tum qui ſtyli obſcuritate, ut Heraclitus, qui propterea dictus eſt σκοτεινός, *tenebricoſus*; & Ariſtoteles, qui Alexandro de librorum Acroaticorum editione conquerenti, reſcripſit *illos ſic editos, quaſi non eſſent editi*, & ab Attico comparatus eſt ſepiæ atramentum effundenti. Perſpicuum autem ſequuti ſunt Ariſtippus, Zeno, Pyrrho, ac præ ceteris Epicurus, cui, ut ante ſcripſi, σαφήνεια unice placuit, & cujus Sectatores fuere ſemper animati adverſus obſcuritatem, veluti Colotes, dum apud Macrobium improbat figmentum a Platone uſurpatum; & Lucretius dum Heraclitus ab eo dicitur.

Clarus ob obſcuram linguam, magis inter inaneis,
Quam de Graveis inter Graios, qui vera requirunt,
Semper enim ſtolidi magis admirantur, amantque,
Immerſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.

Tertium eſt, fuiſſe Græcorum Philoſophiam in varias *αἱρέσεις*, ſeu Sectas diviſam, quæ ſumpſerint nomen, aut a Sectæ Principe, ut Pythagorica, Epicurea; aut ab ejus Patria, ut Cyrenaïca, Megarica; aut a loco, ut Academica, Stoïca, aut ab adjuncto, ut Peripatetica; aut a modo, ut Ephectica; aut ab inſtituto, ut Cynica, &c. Ut illæ autem reducantur ad certa quædam Capita, præſcribenda inprimis eſt tota Poëtarum factio, qui ſeu præceſſere Trojanum excidium, ut Muſæus, Linus, Orpheus, ſeu ſequuti ſunt, & Olympiadas præceſſerunt, ut Homerus, Heſiodus. Cum verò Olympiadem circiter quinquageſimam floruerit illud celebre ſeptem vocatorum Sapientum examen, ex quibus fuit Thales, qui docuit in Jonia; & circiter ſexageſimam Pythagoras, qui in illa Italiæ parte, quæ olim magna Græcia, nunc Calabria dicitur; ideò dicere poſ-

ſumus

Digitized by Google

ſumus ex illis uſque temporibus cepiſſe duas matrices Sectas, *Joniam*, & *Italicam*, ea quibus aliæ ſint derivatæ. Verum de ipſis poſtea. Tu interim, optime vale, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis, pridie Calend. Mart. M.DC.XLII.

Si jam Aquas-Sextias redieris, Berecalium aque, ac Ber-villam ſaluto. Hunc ipſiſſimum verſum eccipiebam, cum alias accepi abs te litteras, Deum immortalem! quam mihi nimium tua illa nimia bonitas tribuit.

E I D E M.

HAbes jam Thaletem Mileſium fuiſſe Principem Sectæ Jonicæ, qui habetur etiam Phyſicæ inventor. Succeſſit porrò illi Anaximander Præceptor Anaximenis, cujus auditor Anaxagoras Philoſophiam tranſtulit Athenas, Hujus ſucceſſor Archelaus Magiſter fuit Socratis, qui relicto Phyſicæ ſtudio, ſolam excoluit Ethicam; iſque fuit interea, ex quo, ut ex fonte centeſimam circiter Olympiadem, Nobiles profluxerint Sectæ; etenim ex ejus auditoribus Plato quidem docens in Suburbio *Academia* dicto, inſtituit Academicam; Antiſthenes in Gymnaſio *Cynoſarge* dicto, Cynicam; Ariſtippus dictam a Cyrene patria, Cyrenaicam; Euclides dictam ſimiliter a Megara, Megaricam, & Phædon ab Elide, Elidenſem. Cum Plato verò præter Ariſtotelem (de quo poſtea] auditores habuerit cum Speuſippum ſororis filium, tum Xenocratem; ſucceſſere iſti in Schola; & cum Zenocrati ſucceſſerit Polemon, ſucceſſere Polemoni Crantor, & Crates Athenienſis; ac eatenus fuit vetus Academia ſubſequutus Arceſilas, auctor Acatalepſiæ, inſtituit Academiam appellatam mediam, ut & Lacydes ejus diſcipulus dictam novam, ſeu tertiam; niſi quod nonnulli ipſam referunt ad Carneadem auditorem Hegeſini, cujus præceptor Evander Lacydem audivit. Cum Carneadi ſucceſſiſſet Clitomachus, diſcipulus iſtius Philo inſtituiſſe dicitur quartam, & Philonis auditor Antiochus quintam; idque ipſis jam Ciceronis temporibus, qui & illum audivit, & iſtius familiaris fuit. Incompertum quæ fuerit deinceps ſucceſſionis ſeries; cum Cicero ipſe, Plutarchus, & alii in Academicis habeantur. Quod autem ſub Alexandro Imperatore ceperit nova factio, e qua fuere Ammonius, Plotinius, Porphyrius, Jamblichus, & alii; iſti non jam amplius Academici, ſed Platonici fuere dicti. De Ariſtotele ut jam dicam, is a magiſtro Platone deſciſcens, *in Lyceo* docuit, & Peripateticam ideò dictam, quod deambulando doceret, inſtituit. Succeſſit illi Theophraſtus præceptor Stratonis, cujus auditor Lycon diſcipulum habuit Ariſtonem magiſtrum Critolai, qui una cum memorato Carneade Legatus Romam venit tempore Catonis majoris. Poſt Diodorum Critolai diſcipulum ignoratur ſucceſſorum ſeries; cum memorentur tum & Cratippus Ciceronis tempore, & Nicolaus Damaſcenus, & plerique alii; ne aliquid dicam de interpretibus, Alexandro, Themiſtio, Olympiodoro, Simplicio, Philopono, &c. qui ſub Imperatoribus floruerunt. Quod ad Sectam Cynicam ſpectat, Antiſthenis diſcipulus celebris ille Diogenes fuit, cujus auditor Crates Thebanus, præceptor fuit Leonis Citienſis, a quo inſtituta fuit nova Secta dicta Stoica *ἀπὸ τῆς ςόας a portica variegata*, in qua docebat. Succeſſit Zenoni Cleanthes; huic Chryſippus, huic Zeno Sidonius, quem ſequutus Diogenes Babylonius tertius, cum Carneade, & Critolao Romam venit. Hujus ſucceſſorem Antipatrum audivit Panætius, qui fuit Scipionis Africani familiaris, & præceptor Poſidonii, quem Pompejus Rhodi inviſere voluit. Cum hos heic ſeries deficiat, habiti ſunt tamen deinceps inter Stoicos multi magni Viri, Seneca, Epictetus, Antoninus Imperator, & alii. Ita cum ſeries Cynicorum in Cratete deficiat, fuere tamen deinceps inter illos magni nominis Demetrius commendatus a Seneca, Demonax a Luciano, & plures, &c. Quod ad Cyrenaicam attinet, ſucceſſere Ariſtippo hinc Arete filia, hinc Antipater. Et Arete quidem Ariſtippum filium inſtituit dictum propterea *μητροδίδακτον*, cujus diſcipulus fuit Theodorus, Bionis præceptor. Antipater verò ſucceſſorem habuit Epitimedem, præceptorem Paræbatis, a cujus diſcipulis Hegeſia, & Anniceride fuere *Hegeſiaci, & Annicerii* dicti. Hegeſias porrò ille fuit, qui *πεισιθάνατος, mortis ſuaſor* dictus, prohibitus fuit a Ptolemæo diſſerere de infelicitate vitæ. Quod ad Megaricam, cujus Sectatores etiam Dialectici, & Eriſtici, ſive contentioſi appellati fuerunt, ſucceſſit Euclidi Eubulides, huic Alexinus, quem ſequutus Apollonius Cronus Diodorum Cronum auditorem habuit. Sunt qui velint Euclidis non ſectatorem modo, ſed etiam auditorem fuiſſe Stilponem, de quo aliquid ad te pridem ſcripſi. Quod denique ad Elidenſem, illa ſatis obſcura eſt; viaque de ea duntaxat notum, quod Phædoni ſucceſſerit Pliſtanes, iſtumque audierit Menedemus Eretrias, qui ſuis deinceps ſucceſſoribus Eretriacorum nomen fecit. Et de Secta quidem Jonica ſatis. De Italica, Deo volente, litteris proxime ſequuturis. Vale interea, Principum decus. Pariſiis, Non. Mart. M.DC.XLII.

E I D E M.

PRincipem Italicæ Sectæ Pythagoram fuiſſe jam dixi. Nempe tametſi Patria Samius, Polycratis tamen tyrannidem non ferens, ſeceſſit in partem eam Italiæ extremam, in qua docuit, & obiit. Succeſſit illi Thelauges filius; poſt quem, qui ad decimam uſque ſucceſſionem, ſeu Philolai diſcipulos, Ariſtotelis tempore floruerunt, fuere *Pythagorici, ſeu Pythagorei* ſpecialiter dicti. Pythagoram aliunde, aut certe Thelaugem, ut nonnulli volunt, audierunt Empedocles, & Xenophanes, ex quibus iſte inſtituit Sectam Eleaticam dictam, ab Elea, Parmenidis ſucceſſoris patria; itemque Zenonis, qui Parmenidi ſucceſſit, idque, cum Heraclitus interea Epheſi philoſopharetur. Zenonem porrò audivit Leucippus, præceptor Democriti, qui Hippocratis, & Socratis temporibus vixit. Democritum audivere Protagoras, & Metrodorus Chius præceptor Diogenis Smyrnæi, cujus diſcipulus Anaxarchus; is fuit, qui coram Alexandro de Mundorum pluralitate diſſeruit. Auditor Anaxarchi Pyrrho Sectam inſtituit dictam Pyrrhoniam Ephecticam, Scepticam; cujus, ut ante memini. Diſcipulus ejus Nauſiphanes fuit; at nulli ipſi ſucceſſere, qui fuerint vere Sceptici ad uſque Ptolemæum quemdam Cyrenæum, cujus diſcipuli fuere varii, ac nominatim Euphranor, cujus auditor Eubulides Ptolemæum Alexandrinum docuit, Heraclidis illius magiſtrum, quem Æneſidemus Zeuxippi præceptor audivit. Succeſſit huic Zeuxis præceptor Antiochi, cujus ſucceſſorem Menodotum audivit Herodotus Tarſenſis præceptor Sexti Empirici; qui Plutarchi ex ſorore nepos M. Antonium Philoſophum auditorem habuit. Cum illi ſucceſſiſſet

Satur-

Saturninus quidam, incompertum eſt quoque, quæ fuerit deinceps ſucceſſorum ſeries. Ad Nauſiphanem Pyrrhonis auditorem ut redeam, is fuit præceptor Epicuri, a quo eſt Epicurea Secta inſtituta. Aliquot ejus auditores jam commemoravi ſuperioribus litteris, ut Neoclem, & ceteros fratres, ut Metrodorum, Polyænum, Idomeneum, Leonteum, Pythoclem, Murem, &c. Sed heic referendus præſertim Hermachus, qui Epicuro in Schola ſucceſſit. Habuit porrò Hermachus quidem ſucceſſorem Polyſtratum, hic Dionyſium, hic Baſilidem; at cum varii deinceps memorentur, Protarchus, Demetrius Lacon, Diogenes Tarſenſis, Diogenes Babylonius, &c. ignoratur tamen qua ſerie deinceps ſucceſſerint; cum habeamus ſolum ex Suida, fuiſſe ſucceſſiones quatuordecim per annos cc. xxxvii. ab uſque Epicuri morte, ad uſque Julii, & Auguſti Imperatorum tempora, quibus floruit Zeno Sidonius, Apollodori ſucceſſor, & Ciceroni viſus, auditusque. Prætereo autem quam-multi Romæ per id tempus floruerint. Nam præter Andronicum Grammaticum, Lucretium Poëtam, Cicerone antiquiores, ecce ipſe memorat, ut contemporaneos, Pomponium Atticum, C. Caſſium, C. Trebatium, L. Papyrium Pætum, L. Sanfejum, T. Albutium, M. Fabium Gallum, L. Piſonem, C. Amafinium, Catium, Pauſam, complures alios, quibus addi poſſent ex Poëtis, Virgilius, Horatius, Propertius. An memorabo ſtatim poſt fuiſſe Baſſum, Aufidium, ac Diodorum, quos Seneca laudat? An ſtatim poſt, quos refert Plutarchus, Zopyrum Medicum, Alexandrum? An ſtatim poſt, quos Lucianus, Damidem, Hermonem, Hermodorum? An ſtatim poſt, quos Galenus Pudentianum, Antonium? An conſequenter alios? Addere præſtat Laërtium, cum poſterius ſcriberet, memoraſſe deficientibus ceterorum Philoſophorum ſucceſſionibus, Epicuri ſucceſſionem continenter perſeverare, idemque poſterius teſtatum Euſebium, itemque Lactantium, & alios.. Notandus verò præ ceteris locus apud Euſebium, ubi aliunde Numenius exaggerans ſummam Epicureorum conſenſionem, ſecus quam evenerit Platonicis, Stoicis, aliis, quos fuiſſe diviſos in factiones conſtat, ſic habet: *Hinc propter conſtantem illorum inter ſe conſonantiam, dogmata placidiſſime, pacatiſſimeque ſe habent; hacque Epicuri inſtitutio Reipublicæ cuipiam veræ, germanæque perſimilis eſt, quam nempe a ſeditione remotiſſimam una mens communis, unaque moderatur ſententia. Ex quo nec defuerunt, nec deſunt, neque, ut apparet, defuturi ſunt, qui perlubenter illam ſequantur*: Sic ille. Idem eſt poſtmodum teſtatus Themiſtius, dum *Epicuri Placita ſervari apud Sectatores, ut Leges Lycurgi, aut Solonis* ſcripſit. Et ne ſimilia ex Cicerone, aliiſque reſumam, ſufficiat illud Senecæ: *Apud iſtos quidquid dicit Hermachus, quidquid Metrodorus ad unum refertur; omnia, quæ quiſpiam in illo contubernio loquutus eſt, unius ductu, & auſpiciis dicta ſunt.* Hæc jam ſatis. Tu ſemper vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis, pridie Eid. Mart. M. DC. XLII.

Cum illuſtriſſimus Princeps Condæus lecta iterato Peireskii vita expetiiſſet videre me, acceſſi ad illum ante duos dies, ipſe verò, & me excepit humaniſſime, & ut aliquoties convenirem invitavit.

E I D E M.

Quas ad me quinto Eidus ſcripſiſti, voluit tuus Abbas ſua reddere manu; noram jam quæ te habuiſſent negotia; noram fuiſſe te in procinctu, ut Arelatem diſcederes; quare nihil minus, quam litteras iſta occaſione abs te expectabam. Verum quæ tua bonitas fuit, quæ animi tranquillitas, etiam me hac vice voluiſti, & potuiſti beare. Ego, cum litteris poſtremis, ut de ceterarum Sectarum, ſic de Epicureæ præſertim ſucceſſione perſcripſerim, commemorare jam deberem, quæ monumenta ex ſingulis, ac Epicurea præſertim ſuperſint. Attamen in iis recenſendis cur deteram tempus non eſt; cum ſi Platonis, Ariſtoteliſque, & Interpretum doctrinæ ipſorum opera ſepoſueris, & quæ Sextus Empiricus pro inſtituto Pyrrhonio ſcripſit, quæ Arrianus ex Epicteto juxta Stoicorum Placita collegit, paucaque alia adjeceris, vix aliquid præter fragmenta habeamus. Nempe, ut illos præteream, qui nihil ſcripſerunt, ut plerique ſentiunt de Pythagora, qui Gymnoſophiſtas, Chaldæos, Sacerdotes Ægyptios, Druidas, alioſque imitatus, non ſcripto, ſed voce, & per cabalam, ut loquuntur, Dogmata ſua tradidit; extitere ceterorum numeroſiſſima opera, temporum injuria plane exciderunt, niſi ſi quæ tranſcripta extant in libris ſuperſtitibus. Huic fato inter ceteros obnoxius Epicurus fuit, qui tametſi plura, ut Laërtius habet, quam Ariſtoteles ſcripſerit; nihil tamen ad nos ex ipſo pervenit, præter paucas epiſtolas, & Ratas, ut Cicero appellat, ſententias Κυρίας δόξας, quas idem Laërtius tranſtulit in decimum librum. Cetera ſunt veluti ſcopæ, quas ex Cicerone, Seneca, Plutarcho, Empirico, aliis colligere licet; niſi quod tres perſonæ ſunt in Ciceronis Dialogis, quæ videri poſſunt Epitomen quandam opinionum Epicuri, ac potiſſimum Moralium texuiſſe; Torquatus primo de finibus; Atticus primo de Legibus; Vellejus primo de Natura Deorum; quin-etiam jactura tot voluminum, quæ de rerum natura Epicurus ſcripſerat, tanto ferri facilius poteſt, quantò Lucretius iis ſex libris, qui de eodem argumento ſuperſunt, videtur fuiſſe omnia illius Phyſica Dogmata complexus. Propoſueram de Philoſophiæ partitione addere pauca; ſed quia occurrit inpræſentiarum quod aliò divertat, modumque præſcribat, ideò hac de re, proxima occaſione. Subjungo ſolum, quod diſtichon occaſione Lucretii mox memorati ex Ovidio ſuccurrit.

Carmina ſublimis tum ſunt peritura Lucreti,
Exitio Terras cum dabit una dies.

Tu bene vale, Principum optime, & decus meum dulce. Pariſiis, XII. Calend. April. M. DC. XLII.

E I D E M.

Exequor ecce his litteris, quod fui nuperis præſtiturus. Scilicet paucis de Philoſophiæ partitione dicendum reſtat, ut ipſas deinde parteis aggrediamur. Itaque, ne multa conſecter, ſolet Philoſophia bifariam diſtribui. Et primum quidem in *contemplativam, & activam*, θεωρητικὴν, καὶ πρακτικὴν, quod non Ariſtoteli modò ſolemne eſt, ſed etiam Platoni ex Alcinoo, Stoicis ex Seneca, denique ipſi Epicuro. Docet Plutarchus contemplativam eſſe, quæ in ipſa rei diſquiſitæ ſpeculatione conquieſcit, ut dum quæritur: *Sit-ne Sol animal? Sit-ne aliquid extra*

Mundum? Activam verò, quæ præterea ad actionem vitæ contendit, ut dum quæritur, *Quomodo vita ſit inſtituenda? quomodo oporteat liberis præeſſe?* cum conſtet autem partem activam eſſe Ethicam, quatenus tanquam ſui parteis complectitur Monaſticam, Oeconomicam, Politicam; eſt aliqua tamen inter Philoſophos circa contemplativæ ſubdiviſionem diſcrepantia. Quippe cum Ariſtoteles ſpecies illius fecerit treis, Philoſophiam primam, ſeu Theologiam [quam etiam Metaphyſicam Sectatores eppellaverunt] Phyſicam, & Mathematicem; ceteri habuere Mathematicam cum ſuis illis ſpeciebus, Geometria, Arithmetica, &c. non inter parteis Philoſophiæ, ſed inter Arteis liberaleis. Quod ſpectat ad Theologiam, Plato quidem illam ut partem e Phiſice diſtinctam habuit, eppellando Dielecticam, quatenus ratione, & diſcurſu ad divina eſſurgitur; et Stoici, Epicurei alii fecere partem Phyſicæ, prout Phyſica cauſas inveſtigans, agnoſcit in ipſis divinas, ac potiſſimum Productricem, Conſervatricem, Gubernatricem naturæ rerum. Secundo celebris eſt diviſio in treis illas parteis, Logicam, ſive Rationalem, nomine alio Dialecticem; Phyſicam, ſive Naturalem; Ethicam, ſive Moralem; ſed eliqui unicam tantum ex bis partibus admiſerunt, ut Eubulides Logicam, Thales Phyſicam, Socrates Ethicem; nonnulli dues ſolum, ur Xenophenes Logicam, & Phyſicam; Archelaus Phyſicam, & Ethicem, Cyrenaici Ethicam, & Logicam; ceteri treis ſimul, ut non modo Stoici, ſed etiam Plato, Ariſtotelesque [ex Cicerone, & eliis] ac ipſe demum Epicurus. Etenim, licet Epicurus unicam fere Ethicam probarit, admiſit tamen Phyſicem, ut neceſſariem Ethicæ, & licet videtur repudiaſſe Dielecticam, quie tamen ipſe fuit duntaxat Stoicorum Dialectica, Canonicemque ipſi ſubſtituit, tertiem quoque partem ſub nomine elio, ur Senece habet, induxit. Non addo heic quemadmodum Stoici Philoſophiam comparantes cum egro dixerint, Phyſicam eſſe queſi arborea, Ethicem quaſi fructus, Logicam queſi ſepeis; & comparantes cum ovo, vitellum eſſe Ethicam, albumen Phyſicem, teſtem Logicem; & comparantes cum Animali, Ethicam eſſe Animam, Phyſicem ſanguinem, & carneis; oſſa, ac nervos Logicem. Addo potius, quod ettinet ad tractationis ordinem; Penætium quidem, ac Poſidonium cenſuiſſe initium faciendum eſſe a Phyſica; & Diogenem Ptolemæenſem ab Ethica; ſed Zenonem tamen, & ceteros Stoicos, Ariſtotelem quoque, & elios, ac nominatim Epicurum voluiſſe a Logice eſſe auſpicandum. Sic cum Chryſippus ex Stoicis, & Simplicius ex Peripateticis, Ethicam Phyſicæ præmittendem cenſuerint, ceteri tamen exiſtimarunt Phyſicem eſſe præmittendam. Ex his proinde fuit Epicurus, qui ut habuit Canonicam quaſi proœmium Phyſicæ, ita autumavit ſine Phyſica, ſeu contemplatione rerum naturelium conſtitui non poſſe Ethicam ſive doctrinam de fine bonorum. Ariſtoteles cauſem cenſuit, quod adoleſcentes ob paſſionum vehementiam non ſint Ethicæ euditores idonei, qui ſint tamen Mathematicæ (adde & Phyſicæ) cepaces. Verum quid id ſit, cognoſcendum eſt ex perſpectis partibus, de quibus deinceps, Deo propitio, erit egendum. Tu interee vele, optime Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, v. Calend. April. M. DC. XLII.

EIDEM.

Litteras accepi, quas dare ad me VIII. Calend. cum jam Arelate rediiſſes, voluiſti. Compoſuiſſe te porrò ejus Civitatis diſſidia nihil mirum eſt; ecquis enim tibi jubenti, vel ſuadenti potius reſiſtere veleat? cum is ſis, qui lenire Tigreis, tumidoſque Leones poſſis. Quomodo poſſit quæcunque demum populo in magno coorta ſeditio non illicò frangi, ubi tu primum affulſeris, & tua illa oris majeſtate, vocis ſuavitate, retionis ſolertie occeperis dictis animos regere, pectoraque mulcere? Quod eis te meas expectare litteras, humanitatis eſt; at quod expectes ſollicite, amoris eſt oppidò vehementis. Sed nempe, nec recens, nec inſolens eſt emari me nimium abs te; meas nuges abs te eliquid putari. Queleſcunque ez ſint, mihi ſatis eſt, eſſe tibi non injucundas. Pergo proinde, & cum litteris ſuperioribus dictum ſit treis parteis Philoſophiæ, Canonicam, Phyſicam, Ethicam juxta Epicurum diſtingui; aggredior de prima pauca ſcribere. Præmitto autem Canonicam dici propter librum, qui eb Epicuro inſcriptus eſt Κανὼν, ſive *Regula*, cum fuerit etiam inſcriptus περὶ κριτηρίου, *de judicio*, ſeu *judicandi inſtramento*; ex quo effectum eſt, ut Cicero eliquando *Regulam*, aliquando *de Regula, & judicio* librum citarit; ne memorem epud Plutarchum Κανόνας, ſeu *Regulas* dici ob complexionem plurium Regulerum. Cum porrò vox Canon trensferatur ad varia, tem potuit tamen iſti Epicuri, quam celebri illi Polycleti libro convenire, e quo, ut à lege, Plinius memorat peti ſolita artis lineamenta. Quippe ut Statuarius in ſuo Canone *proportiones omneis corporis deſcripſit, & mox opere præcepta probavit*, quod a Galeno etiam adnotetum eſt; ita Philoſophus in ſuo omnia veritatis Criteria, ſeu judicia expoſuit, & ſubjecto mox opere, Phyſica videlicet, Regulas redegit in praxim. Hinc ergo hæc prima Philoſophiæ pars Canonica dicitur; ac non minore quidem jure, quam para illa Geometriæ, ſive Muſica, quæ ab Agellio deſcribitur; ſiquidem ut illa eſt ars modulandi, Canones tradens, ſic iſte eſt *Ars tradens Canones dijudicandæ veritatis*. Ceterum quoniam hæc ars eſt, aut Dialecticæ ſpecies, aut ſubſtituta Dielecticæ, eapropter ejus tractationem duobus libris complexus ſum, quorum prior inſcribitur de Canonica Dialecticæ ſubſtituta; poſterior de Canonibus. Ut eutem heic habeas quandem veluti totius opellæ ſynopſin, ecce requiro priore libro, quid Dielectica ſit, & qualis antiquiſſima fuerit? quæ fuerit Zenonis, Euclidis, Pletonis, Ariſtotelis, Stoicorum; quatenus Dialectica fuerit eb Epicuro repudiata, & ſubſtitore Canonica; quid verum, quid falſum, & de utriuſque Criterio; veritatis Criterium qui tollant; qui modi Epoches Scepticorum; Criterium qui ponant; quodnam, & quotuplex Criterium eb Epicuro aſſignatum. Poſteriore autem libro Canones propono, unum de veritate; ſtatuendo aliquid verum eſſe, ac illud poſſe dijudicare, & ſciri. Quatuor de ſenſu, Criterio primario, ſtatuendo non ſenſum, ſed opinionem falli, & quatenus opinio heberi debeet vera, aut falſa. Quatuor de anticipatione, ſeu prænotione, Criterio eltero, ſtatuendo unde ſit, & quomodo ex ea aliquid dignoſci, rationeque colligi valeat. Quatuor de paſſione, Criterio poſtremo; ſtatuendo quemadmodum ex voluptate, & moleſtia judicium

de rebus

de rebus eligendis, ac fugiendis ferendum ſit. Duos de vocum in diſſerendo uſu, ſtatuendo, ut debeant utrique a colloquutoribus uſurpari. Hæc itaque ſunt, de quibus ad te, Deo propitio, ſingulis deinceps litteris aliquid perſcribam. Tu interea vale, decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis pridie Non. Apriles M.DC.XLII.

Bereulio ſemper, ac Ber-villæ plurimam ſalutem. Speraram poſſe tranſmittere exemplum mearum Epiſtolarum de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis; ſed ne nunc quidem integræ a Typographejo prodierunt; & Bibliapola conſilium cepit attexendi alias de motu impreſſo a Motore tranſlato. Id, niſi ſit grave, poterit Bereulius reſcire per te. Vale iterum.

E I D E M.

PErſcripſit ad me Bereculius, quam habueris ægre, meum illum Antiſtitem continenter non meam modo, ſed eorum etiam, ſi qui me amant, aut mea curant, quietem turbare. Quid verò tamen facias, cujus iram minuere nulla temporis longinquitas poſſit? adeo qui, ut terrorem ſui incutiat, nihil ſibi eſſe vindicta dulcius, & glorietur, & facto probet? Ac me quidem quod attinet, quem quam gratis oderit, noſti; nihil eſſe, quod non facile feram; id ſolum angit, quod amici ſic mei cauſâ exagitantur, ut de deſerenda urbe cogitent; adeo ſe ille jactat, finem, quoad uſque ad unum omnes exterminarit, nunquam facturum. Verum, ne te rarum iſtarum recitatione detineam, quas attingere ſolum volui, ut quas tibi debeo ob tantum affectum, gratias agerem. Occipio, quod recepi nuper, me litteris ſequentibus de Dialectica commemoraturum. In primis Dialecticæ vox non eſt Platone antiquior, qui occaſionem ejus ſumpſit a Dialogis, in quibus interrogans, & reſpondens mutuo diſſerunt, ac ratiocinantur; ex quo & Dialecticos dixit. Hinc Zeno Eleates Dialogorum ſimul, & Dialecticæ auctor perhibetur, Laërtiusque id memorans, definiri Dialogum dicit, *Qui ex interrogatione, & reſponſione conſtans, inſtituitur de re quapiam philoſophica, vel civili, idquè ſervato perſonæ decoro, & apta verborum ſtructura;* Dialecticam *verò artem ſermonum, qua aliquid confirmamus, aut refellimus, conſtantem ex interrogatione, & reſponſione diſſerentium.* Non male proinde Cicero nunc *diſceptatricem* interpretatur Dialecticam, nunc *artem diſſerendi*, & *vera, ac falſa dijudicandi* deſcribit. Non heic memoro, quemadmodum Plato, Ariſtoteles, ceterique acceperint; quemadmodum Stoici, aliique alio nomine Logicam appellaverint; obſervo ſolum cum ſit paucis de origine, antiquitateque illi dicendum, non de naturali, quam vocant, heic agi, ſed de artificiali, cujus poteſt duplex quaſi cauſa agnoſci; una ludicra propter artem æquivocationum, & ſophiſmatum, quam ab otioſis, & luſus gratiâ excogitatam, excultamque fuiſſe, tum Cicero ſcribit, tum Agellius exemplo probat; altera ſeria, nec alia, quam quæ circa Rhetoricam a Quintiliano, exprimitur, dum *Homines*, inquit, *ſicut in Medicina, cum viderent alia ſalubria, alia inſalubria, ex obſervatione eorum effecerunt artem; ita cum in dicendo* [adde & in diſſerendo] *alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum, vitandumque; & quædam ſecundum rationem adjecerunt ipſi quoque.* Haud abs re porrò Dialecticæ, & Rhetoricæ parem cauſam facio; quoniam hæ duæ artes fuere primitus individuæ, ſapientesque habiti ſunt, qui ſimul, & rationum vi, & verborum gratia valuerunt. Hinc Socrates apud Xenophontem eoſdem διαλεκτικωτάτυς, ϗ ἡγεμονικωτάτυς dixit; conſtatque primos Legiſlatores, ac Principes eum eloquentes extitiſſe, tum, ut exiſterent, meditari prius apud ſe debuiſſe, & rationes varias, & methodum ſcite, appoſiteque ad perſuaſionem deducendi. Tales fuiſſe Lycurgos, & Solones, Plato, Ciceroque teſtantur. Tales fuere heroicis temporibus Neſtor, ex cujus ore melle dulcior manabat oratio; Phœnix, qui Achillem eſſe μύθων ῥητῆρα docuit; Ulyſſes, cui ipſa Minerva adſtitiſſe non alia de cauſa fingitur, quam quod proſpiceret quemadmodum foret ratiocinandum, perorandumque. An cum ſub iiſdem temporibus Salomon noſter floruerit, ille nullum veſtigium reliquit? Alia prætereo, unumque ſolum, quod in hunc modum interrogat: *Quis talis ut Sapiens, & quis cognovit ſolutionem verbi?* itemque quod his verbis habet: *Si multitudinem ſapientiæ deſiderat quis; ſcit præterita, & de futuris æſtimat; ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum.* Vis aliquid adhuc antiquius? Vide Dialogum Jobi cum amicis, quem plerique autumant a Moſe conſcriptum, & obſervabis, ut illi mutuo ſibi vendicent diſſerendi artem. Tale eſt illud: *Reſpondete, obſecro, abſque contentione. Non inferior veſtri ſum: quis enim hæc, quæ noſti, ignorat?* Et: *An, cum ceteros irriſeris, a nullo confutaberis? quid noſti, quod ignoremus? quid intelligis, quod neſciamus?* Itaque Dialectica ars non fuit quidem ſcriptis ab omni ævo commendata, ſed in uſu tamen fuit aliquo, ex quo homines mutuo degere, colloqui, aliique aliis perſuadere quidpiam ſtuduerunt. Vale, ô decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis IV. Idus Aprilis M.DC.XLII.

E I D E M.

DElectavit magnopere non diſplicuiſſe tibi ſententiam de præhabita ceteris Moralis Philoſophiæ parte. Et certe quiſquis attenderit, neceſſe eſt ipſam ceterarum principem habeat, quatenus ceterarum fines ad ejus finem diriguntur; ſed hæc alias. Nunc ut dicam primum de Dialectica Zenonis Eleatæ, ipſe Ariſtoteles fuit, qui Zenonem Dialecticæ, quemadmodum Empedoclem Rhetoricæ auctorem fecit; tametſi propter artium conjugium Empiricus habuit Empedoclem utriuſque auctorem. Inſtitutum porrò Zenonis fuit deſciſcere a ritu Poëtarum, qui argumentatione inartificiali rationem reddebant rerum omnium ex ſola Deorum voluntate, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή, itemque a more ceterorum Pythagoricorum, qui ſilentes addiſcebant, neque cum Præceptore colloquebantur; ac deinde loco rationis auctoritatem ejus obtendebant αὐτὸς ἔφα. Hinc & ratiocinationem inſtituit, & Dialogi forma expreſſit, unde & illius ars Dialogiſtica fuit; continens puta regulas, quibus ad ſervandum decorum colloquutores uterentur. Illam Plato mire excoluit, nemoque fuit Philoſophorum, qui non ſaltem Sympoſium, Dialogumve alium compoſuerit. Et hac philoſophandi ratione evenit, ut omnis ratiocinatio dicta interrogatio fuerit, quod ex eo tempore uſque ſyllogiſmi, non ut nunc ſit, abſolute, & integre, ſed interrogando, & per partes ſolummodo proponerentur. Exempli causâ nunc dicimus,

Omnis homo eſt animal; atqui Socrates eſt homo; igitur homo eſt animal. Tunc autem ita procedebatur: *Eſt ne omnis homo animal, an-non? eſt ſane. Et Socrates non-ne eſt homo? profecto. Igitur Socrates eſt animal? oportet omnino.* Vides proinde artem Zenoniam fuiſſe quaſi ſubtilem quandam conſequutionum methodum, de qua loquens Proclus, oſtendit quemadmodum Zeno tradiderit viginti quatuor conſequutionum quaſi formas, ex quibus manifeſtum fieret, quid ſequeretur, vel non ſequeretur, quoties quidpiam compararetur, puta vel idem ad ſeipſum, vel aliud ad aliud, vel ipſum ad aliud, vel aliud ad ipſum. Fuit & exinde a quibuſdam auctor habitus τῆς ἐριστικῆς, litigioſæ artis, quam ſequutus illum Protagoras mire provexit. Sed Zenonis quidem refert Ariſtoteles argumenta varia, ac potiſſimum, quibus ille probabat, nullum dari motum. In ipſis fuit argumentum Achilles dictum, non quod validiſſimum foret, quemadmodum Achilles erat Græcorum robuſtiſſimus; ſed quod in illo Achilles celer pedibus, cum teſtudine tardigrada compararetur; oſtendebatur nempe, ſi vel uno pede teſtudo Achillem anteceſſerit, fieri non poſſe, ut Achilles teſtitudinem nunquam aſſequatur; quoniam cum teſtudo nullo non momento ſpatii quidpiam conficiat, quod niſi ſucceſſive, ſeu uno momento poſt aliud non poſſit ab Achille confici, tantundem ſemper conficiendum interſit. Protagoræ verò celebratur argumentum, quod ἀντιστρέφον, ſeu *reciprocum* vocatur, & quo fuit adverſus ipſum Enathlus diſcipulus uſus. Is ſe illi ea conditione inſtituendum tradiderat, ut mercedem non ſolveret, niſi quo die primo apud Judices cauſam egiſſet, eviciſſetque. Dum cunctaretur poſtmodum Protagoras illi diem dixit, & dilemmate hoc eſt uſus: *Seu viceris, debebis ex pacto; ſeu non viceris, ex ſententia.* Enathlus verò excepit: *Seu vicero, non debebo ex ſententia, ſeu non vicero, non debebo ex pacto.* Prætereo autem Judices cauſam differentes in longiſſimum diem dixiſſe perquam lepide: *Mali corvi, malum ovum.* Tu bene vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis xiv. Cal. Maii M.DC.XLII.

Patrem, quæſo, Bercullio, ac Bervilla ſalutem dici.

E I D E M.

QUoniam diſcipuli Euclidis [a quo fuit Socrates auditus] Dialectici dicti ſpecialiter fuere, ſciendum eſt ejus Dialecticam a Zenonis quidem profectam, atque adeo Eriſticam, ſed ſpeciali tamen adhibito modo. Quippe Euclides id moris habuit, uti apud Laërtium eſt, non ſumptionibus impugnare demonſtrata a ceteris; ſed concluſionum frequentiâ aliis ſuper alias inductis, qui urgentiſſimus arguendi eſt modus. Prætereo fuiſſe ab eo rejectum a comparatione ductum argumentum, quod ſeu ſimile uſurpetur, illud cujus cauſa uſurpatur, præſtabilius ſit; ſeu diſſimile, id rem non attinent? adnoto verò Eubulidem ejus ſucceſſorem inveniſſe varia interrogationum, ſeu ſophiſmatum verius genera, quorum Stoici arripuerunt non pauca. In iis fuit τὸ ψευδόμενον, *mentiens*, de quo Africanus Juriſconſultus. Exemplum, a quo factum nomen apud Ciceronem ſic habet: *Si dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris; dicis autem te mentiri, verumque dicis, mentiris igitur.* Ἠλέκτρα, de quo Lucianus. Exemplum de Electra fratrem non cognitum rogante, ita eſt apud Sophoclem: *An ille vivit? Si ego quidem, an tu ille es, &c.* Ἐγκεκαλυμμένον, *Obvelatum*, de quo idem Lucianus, apud quem etiam eſt exemplum: *Noſti tuum Patrem? maxime. Quid igitur, ſi propo te obvelatam aliquem ſtatuam, & rogem noſtin' hunc? quid dices? ſcilicet non noſſe me dicam. At ille ipſe eſt Pater tuus! quare patrem tuum noſti, & non noſti.* Σωρείτης, *Acervalis*, de quo Ulpianus, nomen verò habet ab acervo, quem unico grano conſtitui, aut deſtrui juxta exemplum, quod Cicero habet, ita poteſt argui: *Unum granum alteri additum facit-ne acervum, an-non?* ſi negei, *an tertium duobus additum faciet?* ſi neges, *quartum-ne? quintum-ne?* atque ita porrò, donec ubi confeſſus fueris, colligatur unicum eſſe granum, quo addito acervus fiat, ſublato acervus tollatur. Κερατίνην, *Cornutum*, de quo non-nemo, cum exemplum vulgare ſit: *Quod non amiſiſti, habes; non amiſiſti cornua; cornua ergo habes.* Fuere præterea διαλανθάνον, *Fallax*, & Φαλακρὸν, *Calvum*; ſed quorum exempla legiſſe me non memini. Sunt, qui Obvelatum, & Cornutum referant ad Diodorum Cronum, quem Cicero facit Eubulidis ſucceſſorem, unà cum Stilpone, cumque Alexino viro contentioſiſſimo. Diodori porrò argumentum, quo nihil moveri arguebat, ſic habuit: *Si quid movetur, aut quo in loco eſt, aut in quo non eſt, at non in quo eſt, manet enim; neque in quo non eſt, quia nihil agit, ubi non eſt; non igitur quidquam movetur.* Noſti ex Sexto Pyrrhonio, quam facete proinde illum Erophilus irriſerit, cum afferentem humerum luxatum, ut reſtitueretur, ſic affatus eſt: *Humerum dicis loco motum? dico ego non eſſe; nam ſi eſt motus, aut quo in loco fuit, aut in quo non fuit, &c.* Stilpon autem cum negaret ſpecies, ſeu univerſalia, aſſerebat conſequenter eum, qui hominem dicit, dicere neminem. Is de Minerva Phydiæ aliquando rogavit, referente Laërtio: *Nunquid non Jovis filia Minerva Deus eſt? certe; atqui hæc eſt Phydiæ? profecto; igitur Deus non eſt.* Neque devitavit exilium; tameſi accuſatus apud Areopagitas reſponderit, ſe negaſſe *Deum*, non *Deam*; quod cauſatus Theodorus quæſivit, ſublata-ne veſte ſpectaſſet; denique Alexinus Menedemum ſic interrogavit: *An verberare Patrem tuum deſiiſti?* Verum ille, quaſi Haruſpex Haruſpicem, ita excepit: *Neque verberavi, neque deſii.* Prætereo autem Menedemi, qui enunciationes negativas ſuſtulit, & ex affirmativis connexas, hanc fuiſſe rogatiunculam: *Diverſum non-ne a diverſo diverſum eſt? certe. Prodeſſe autem a bono diverſum eſt? ita ſane. Non eſt ergo prodeſſe bonum.* Sed iſta plus æquo. Tu bene vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VII. Calendas Maii M.DC.XLII.

E I D E M.

NOn miror ſane te comprobare factam a me parem, imo individuam Dialecticæ cauſam cum Rhetorica. Videlicet te ſpectare non potes, quin utriuſque vim ex æquo agnoſcas; ſed hæc aliàs. Nunc quod obſervas Dialecticæ vocis auctorem Platonem, appoſita me admonet, ut quidpiam de ejus Dialectica dicam. Itaque ſupponendum eſt velle Platonem animam noſtram portionem eſſe animæ Mundi, & mentem noſtram portionem mentis, quæ ſit ipſius animæ Mundi pars puriſſima, ac intelligentiſſima, continenſque proinde ideas, ſeu exiſtens

potius

Digitized by Google

potius ipſa idea rerum omnium; uno verbo ipſemet Deus. Vult conſequenter mentem noſtram eſſe ex natura ſua rerum omnium ſcientiſſimam; ſed quarum tamen obliviſcatur, dum a ſuo toto, ſive principio veluti præſcinditur, & in corpus demergitur; adeo ut ignoret præcipue ſuum illud principium, quod ſit ſummum ens, ſummum verum, & ſummum bonum. Hoc poſito, vult Dialecticam eſſe παράξιν, ſive progreſſionem ex hoc quaſi ſpecu ignorantiæ ad lucem intelligentiæ ſummi illius veri, docetque eam progreſſionem fieri, cum ex rebus iſtis materialibus proceditur ſenſim ad immaterialeis. Nempe cenſet mentem per ſpecies rerum externarum excitatam reminiſci rerum prius cognitarum, de quibus tandem ſcientiam habeat [cum rerum externarum, ſive ſenſibilium non habeat niſi opinionem] contendit autem ſtudium Matheſeos præmittendum eſſe quaſi προπαιδείαν, ad annum uſque ætatis circiter trigeſimum [ut mens aſſueſcat abducere ſe, ſive cogitare res ſine materia] ac tum demum Dialecticæ incumbere, illiusque ductu conniti ad illam primi entis notitiam; aſcendendo nempe ex umbris, ſeu rebus materialibus ad ſimulacra, ſeu formas rebus ipſis impreſſas; & ex ſimulacris ad illorum fontem, ſive ideam primi entis, a quo regrediatur, ad quod redeat, in quo denique conquieſcat. Eſt autem præſertim Analyſis duplex, in qua πορεία illa conſiſtit; una, dum ex variis rebus ſenſibilibus, quibus perfectio aliqua, ut pulchritudo ineſt, elicitur notio ejus perfectionis, quæ intelligibilibus conveniat, exempli cauſa, ipſius pulchri. Altera, dum ex demonſtratis, ac ſubdemonſtratis, ad carentem medio propoſitionem pervenitur, ut dum animus immortalis oſtenditur per viam motus, qui a principio ſit, cujus non ſit origo. Ad utramque verò Analyſin tria quædam requirit, diviſionem puta, qua rebus debite tributis omnis devitetur confuſio; definitionem, qua rei cujuſque natura, & ſciatur, & exprimatur [videlicet germanam ſcientiam definitione vult comparari] denique ipſam inductionem, qua ex ſingularibus univerſalia deducuntur, ut ipſis deinde tanquam mediis, ſeu principiis uti inter ratiocinandum liceat. Ac aliquando quidem etiam inductione a contrariis utitur; verum refellendo duntaxat, ſeu argumentando adverſus Sophiſtas. Quippe, ut Plotinus declarat, etiam Platonis Dialectica cognoſcit mendacia, ſeu ſophiſmata, ſed veluti ex accidenti. Tale eſt illud apud Laërtium: *Tuus pater, aut eſt a meo diverſus, aut idem. Si igitur diverſus a meo, tuus eſt pater, cum diverſus a patre ſit, pater eſſe non poterit. Si verò idem eſt, qui meus pater, cum idem ſit, qui meus pater, meus igitur pater erit*. Itemque illud in Euthydemo: *Canis eſt tuus, canis eſt catulorum pater; igitur canis eſt tuus pater*. Mira verò ſolertia eſt, qua ſub perſona Socratis Sophiſtas ubique refellit, dum vel diſtinguit facile, vel reſpondendo aliquid amplius, quam ſit rogatum, adjicit, quod ferre Sophiſtæ non poſſunt: *An Patrocles eſt frater tuus? Ex matre quidem, non ex patre. Igitur frater, & non frater? non eodem quidem patre, &c.* Sed de Platone iſta ſufficiant. Tu optime vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VI. Non. Maii M DC.XLII.

E I D E M.

DEdi ad te mox ante aliam epiſtolam ſatis prolixam; Hac non multis quidem te volo, ſed multum, ſeu ardenter volo. Novit Burdelotius quantum tu me ames; noſti ipſe, quantum ego illum; novi ego, quantum ille Petrum Baptiſtam Borghium Genuenſem nobilem, eruditum Virum. Exoptat ergo Burdelotius, ut tu, intercedente me, gratificeris Borghio, ac in re quidem, quæ dignitatem, æquitatem, humanitatem tuam deceat. Cum ad Borghium Romæ degentem tranſmitterentur nuper Genuâ duo integra volumina [dicunt vulgo *Pieces*] ex ſerico panno, ac damaſceno opere, unum viride, aliud caſium, contigit duas rateis, quibus vehebantur, quibusque *Montagutas*, & *Podeſta* præfecti erant, a duobus Provincialibus Myoparonibus invadi, ipſaque adeo volumina in Provinciæ urbem abduci; quod te proinde rogo, eò ſpectat, ut pro tua illa antiqua fide, proque tua auctoritate diſquiri mandes, qui illi ſint, qui Genuenſeis naveis diripuerunt, ſuaque fecerunt, quæ ad Borghium pertinent; ac poſtea ipſis imperites, ut cum in res Genuenſium non fuerit piraticum jus, id reddant Viro eximio, quod fuit injuriâ ipſi ablatum. Cum ſis porrò is, quem te novi, ſcilicet Princeps, quo non eſt juris, & æqui ſervantior, non eſt quidem tibi alio incentivo, quam ipſa facti notitia opus; at patieris tamen tuæ bonitati addi, quod agatur cauſa Viri eruditi, & quæ Burdelotio ſit maxime cordi. Patiere, inquam, ob ſincerum, quo me proſequi dignaris amorem; ac ſuave habebis, dum rem facies juſtam, facere ſimul mihi pergratam. Plura non dico, ne videar ſatis non agere tecum confidenter. Hoc ſolum habe, non poſſe mihi quidquam jucundius accedere, quam ſi me amicum non inutilem Burdelotio probem. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VI. Nonas Maii M. DC. XLII.

E I D E M.

DE Dialectica Ariſtotelis non eſt, quod multa congeram; cum facias in Scholis paginam utramque. Adnoto ſolum ex Cicerone, fuiſſe illi duas Dialecticæ parteis, inventionem, atque judicium, quod Laërtius ſubpartiri in diſpoſitionem, & uſum videtur. Cum velit autem Dialecticæ finem eſſe adeptionem notitiæ tam veri τοῦ ἀληθοῦς, quam veriſimilis, τοῦ πιθανοῦ [ad quod unicum aliquando accommodat Dialecticæ vocem] ideo, ut manu veluti ducat ad inventionem argumentorum, quibus utrumque comprobetur, conſcripſit libros Topicos, in quibus continentur loci, & quaſi ſedes argumentorum, quæ proinde duci dicuntur a definitione, a partium enumeratione, &c. Et quia cenſet omne Problema, ſive quæſtionem, quæ diſceptatur, revocari poſſe ad capita quatuor, definitionem, genus, proprium, accidens, idcirco & locos diſtribui ſecundum iſta capita; & conſtat proinde pertinere quoque ad inventionem tum Porphyrii librum de Prædicabilibus, ſeu *genere*, *ſpecie*, *differentia*, *proprio*, *accidente*; tum Ariſtoteleum de Categoriis, quæ nihil ſunt aliud, quam ſeries generum, ſpecierum, & individuorum ſub ſummis illis generibus, quæ dicuntur *ſubſtantia*, *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *actio*, *paſſio*, *&c.* Pertinent porrò ad judicium, ſeu diſpoſitionem non modo libri Analytici dictam

Digitized by Google

tam priores, quam poſteriores, ſed illum etiam, qui *de Interpretatione* inſcribitur; cum in eo agatur de collocatione vocum, ſeu, ut appellant, terminorum [ſubjectum dicunt, & attributum] ad conficiendum enunciationes, quæ ſint affirmativæ, negativæ, univerſales, particulares, veræ, falſæ, &c. Continetur autem in prioribus Analyſeos libris artificium ſyllogiſmi, quatenus ille conſtituitur ex tribus enunciationibus, quarum conceſſis prioribus duabus [majorem, & minorem, ſeu propoſitionem, & aſſumptionem vocant.] Tertia, quæ dicitur concluſio, non poteſt omnino negari. Ita ſi probandum ſit illi, *omne* C *eſſe* B, nimirum exempla in litteris affert, pro quibus *hominem*, *corpus*, *animal* [quodlibet accipere licet] uſurpat argumentum, ſeu, ut vocant, medium *A*, illudque ita copulat nunc cum uno, nunc cum alio ejuſcemodi terminorum, ut confectis, præmiſſiſque hiſce enunciationibus, *omne* A *eſt* B, *omne* C *eſt* A; hæc neceſſario inferatur, *igitur omne* C *eſt* B. Talis eſt & ille, *nullum* B *eſt* A, *omne* C *eſt* A, *igitur nullum* C *eſt* B. Itemque ille, *omne* A *eſt* B, *omne* A *eſt* C, *igitur aliquod* C *eſt* B. Affero verò hæc tria exempla juxta numerum trium figurarum, quas ille diſtinguit; prout vel medium ſit ſubjectum majoris, & attributum minoris; vel attribuitur in utraque, vel in utraque ſubiicitur. Niſi verò adjungit quartam, in qua medium fiat attributum majoris, & ſubjectum minoris, ut ſi dicatur, *omne* C *eſt* A, *omne* A *eſt* B, *igitur omne* C *eſt* B, ideo facit, quia talis figura nihil aliud eſt reipsà, quam prima; ſola nimirum præmiſſarum tranſpoſitione ab ea diverſa. Ut præter eum verò, & modos ſingularum figurarum varios, converſioneſque, & reductiones, itemque alias præter ſyllogiſmum argumentationis ſpecies, enthymema, inductionem, exemplum, addere præſtat paucula de poſterioribus Analyſeos libris. Continetur ergo in illis doctrina de demonſtratione, ſive ſyllogiſmo neceſſario, & gignente ſcientiam, hoc eſt, certam, evidentemque notitiam [cum de dialectico, ſeu probabili, gignenteque ſolum opinionem agatur præſertim in Topicis; & de Sophiſtico, ſeu fallaci, gignenteque errorem, in dicendis mox libris] idque ſive medium ſit cauſa, atque definitio ſubjecti concluſionis; quo caſu demonſtratio dicitur *διότι*, *propter quid*, vulgo *a priori*; ſive ſit effectus, & proprietas neceſſaria, quo caſu demonſtratio dicitur *ὅτι*, *quia* vulgo, *a poſteriori*. Vult proinde duas præmiſſas eſſe principia, ſeu axiomata, hoc eſt, propoſitiones per ſe notas, univerſaleis, neceſſarias, immediatas, veras, &c. Tametſi in exemplum ſolum afferat Planetas non ſcintillare, quia prope ſunt; non eſſe ſaltatrices in Scythia, quia non ſunt vites; & alia id genus. Denique ad partem judicii, quæ dicitur uſus, pertinent libri Elenchorum, in quibus traduntur tum variæ tam interrogantis, quam reſpondentis officia; tum genera varia ſophiſmatum, quæ vel in dictione, vel extra dictionem vult eſſe. Scilicet in dictione ſunt, quæ dicuntur, exempli gratiâ, *homonymia*, ut cum ex eo, quod canis latret, infertur canem cœleſtem latrare, & *amphibolia*, ut cum ex oraculo de pervertendis opibus conjecit Chrœſus Perſicas, qui evertit interim ſuas, &c. Extra dictionem verò, quæ dicuntur *a dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid*, vel contra; ut cum ex eo, quod arma reddenda Domino dicuntur, infertur, ergo, & furioſo; vel ex eo, quod non reddenda furioſo, infertur, ergo neque Domino. Itemque *ignorationis Elenchi*, ut, cum ignorat aliquis contradictionem ſolum eſſe de eodem reſpectu ejuſdem; ex eo, quod duo ſint dimidium quatuor, putat duo unius duplum non eſſe; quaſi idem dimidium, ac duplum eſſe ſimul non poſſit, &c. Verum hæc nimis, cum hæc, & plura incompertæ tibi non ſint. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VII. Eid. Maii M DC. XLII.

Caſſiano a Puteo nobiliſſimo Equiti

PETRUS GASSENDUS S.

OPortuit igitur me quoque tuam experiri humanitatem, cum me donaſti iis litteris, quibus non potuerunt eſſe humaniores. Sed non vana nempe eſt fama, te eum eſſe, qui nullam unquam bene merendi prætermittere occaſionem poſſis. Quam certe habuiſti ſcribendi ad me, tuæ comitatis fuit tota; ac me idcirco tanto magis tibi obſtrictum perſentio, quanto nihil fuiſſe agnoſco in me, unde id honoris conſequi ſpes foret. Quod noſtri enim Peireskii *τοῦ μακαρίτου* memoriam propagare ſtuduerim, id multis debui nominibus; quod mentionem nominis tui, non meritis profecto parem, ſed qualem occaſio tulit, fecerim, id tuæ virtuti debitum fuit. Cum tu itaque ob utrumque teſtaris gratitudinem, non tam rependis gratiam, quæ nulla debetur abs te, quam gratiam impendis, quæ abs me debeatur. Addis, quæ eſt bonitas tua, eam teſtationem benevolentiæ, ut ad quidvis officii experiundum ſecurum facias. Ipſe, cum veram felicitati, quod ſic erga me animatus ſis, verbis tamen deſtituor, quibus animum ſignificem gratum. Hoc ſaltem teſtor fore nunquam, ut me effuſæ hujuſce tuæ voluntatis oblivio capiat; ac amare te neminem, quem probare obſervantiorem, & obſequentiorem poſſis. Vale. Pariſiis poſtridie Eid. Maii M. DC. XLII.

Clariſſimo, & doctiſſimo Viro Hieronymo Bardio

PETRUS GASSENDUS S.

COmpertum jam tibi, Bardi optime, quam moroſus ſim debitor, qui &c. *Reliqua exciderunt.*

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

EXculta fuit Dialectica e Stoicis potiſſimum; tametſi de ipſa inveniendi parte, ut Ciceru habet, nihil tradiderunt. Quin etiam cum pars judicandi conſiſtat præſertim in confectione ſyllogiſmorum, nihil tradiderunt de abſolutis, in quibus Ariſtoteles totus fuit; ſed de hypotheticis duntaxat, in quibus Ariſtoteles pæne nullus. Fecere porrò primum duos locos, unum de voce ſignificante, alium de re ſignificata.

cata. Occaſione prioris inquiſierunt, quid vox, quid dialectus, quid barbariſmus, & ſimilia. Occaſione poſterioris, quoniam rem intellexerunt, non quatenus eſt in ſeipſa, ſed quatenus ſui ſpecie tranſmiſſa per ſenſus, a principe animi parte comprehenditur, & ab illa dicitur, ſive enunciatur, ideo egerunt de ſenſibus, de phantaſia, ſeu comprehenſione, & de dictis *περὶ λεκτῶν*. Cum vellent autem dictorum alia eſſe imperfecta, ut *ſcribit*, alia perfecta, ut *Socrates ſcribit*, & ex his præcipua eſſe *axiomata*, effata, ſeu enunciationes (nam ſunt etiam interrogationes, juſſiones, &c.) ideo diſtinxerunt axiomata varia, & curam non ſimplicium præſertim habentes, alia appellarunt *connexa*, ut, *ſi dies eſt, lux eſt*, alia *adnexa*, ut, *quoniam dies eſt, lux eſt*; alia *copulata*, ut, *dies eſt, & lux eſt*; alia *disjuncta*, ut, *vel dies eſt, vel nox eſt*. Sunt in his ſingulis duæ partes, quarum priorem *incipientem*, poſteriorem *deſinentem* dixerunt. Quare & ex earum comparatione de veritate, aut falſitate axiomatum pronunciantes dixerunt, verbi cauſa, connexum illud verum eſſe, cujus parti incipienti, *ſi dies eſt*, repugnat oppoſitum deſinentis, nempe *lux non eſt*, atque ita de ceteris. Egerunt poſtea de ſyllogiſmo, quem & *λόγον* rationem dixerunt, & conſtare etiam voluerunt tribus axiomatibus, ſumptione, aſſumptione, & concluſione vocatis, hoc modo: *Si Sol lucet, dies eſt; atqui Sol lucet, ergo dies eſt*. Adhibuere verò ſyllogiſmo *τρόπους*, *modos*, ſive regulas ejuſcemodi: *Si primum, ergo ſecundum; atqui primum; ergo & ſecundum. Si primum, ergo ſecundum, ſed non ſecundum; igitur nec primum. Non primum ſimul, & ſecundum, atqui primum, non ergo ſecundum. Vel primum, vel ſecundum, atqui primum, non ergo ſecundum. Vel primum, vel ſecundum, atqui non primum, ergo ſecundum*. Prætereo autem, ut ſyllogiſmos dixerint *ἀπεράντους*, *qui rectum exitum non habent*, ut, *ſi dies eſt, lux eſt, atqui dies eſt, igitur Dion ambulat*; *ἀσυνάκτους*, *qui non cohærent*, ut, *ſi dies eſt, lux eſt; atqui lux eſt, igitur dies eſt*. Ut cohæreret autem, aſſumendum fuit, non, *atqui lux eſt*, ſed, *atqui dies eſt*. Prætereo rurſus quas de veritate, & falſitate tradidere regulas; veluti, *verum vero eſt conſequens*, ut, *ſi dies eſt, lux eſt*; & *falſum falſo*, ut, *ſi terra volat, terra habet alas*; & *verum falſo*, ut, *ſi terra volat, terra eſt*; *at non falſum vero*, ut, *ſi terra eſt, non ſequitur terram volare*. Adnoto ſolum Stoicos tradidiſſe varios captioſæ rationis, ſive ſophiſmatum modos, ut præter numeratos, cum de Eubulide, *Mentientem*, *Fallentem*, *Electram*, *Obvelatum*, *Soriten*, *Cornutum*, dici poſſunt *θερίζων*, *metens*, *κυριεύων*, *dominans*, *οὔτις*, *nullus*, *περαίνων*, *colligens*; & qui fuit præ ceteris celeberrimus *Κροκόδειλος*, *Crocodilus*, cui nomen, ut opinor fuit, quod eſt a Luciano indicatum exemplum: *Eſt-ne tibi puer? Quid-ni. Quid ſi hunc ad flavium forte ambulantem Crocodilus rapiat, & poſtea ſe redditurum polliceatur hac lege, ut illi verum dicas, quidnam de puero reddendo apud ſe decreverit; quid tu dices ipſum in animo conſtituiſſe? Quæſtionem rogas, ad quam difficile admodum eſt, &c.* Denique *ἀργὸς λόγος*, *ignava ratio*, *cui ſi pareamus*, inquit Cicero, *nihil eſt omnino, quod agamus in vita*. Sic enim interrogant: *Si fatum tibi eſt ex hoc morbo convaleſcere, ſive Medicum adhibueris, ſive non, convaleſces. Item, ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo non convaleſcere; ſive tu Medicum adhibueris, ſive non, non convaleſces*; & *alterutrum fatum eſt; Medicum ergo adhibere nihil attinet*. Suggeri adhuc poſſent ſophiſmata plura ex Chryſippo, cujus ſupra trecenta volumina de rebus dialecticis a Laërtio recenſentur: *Qui non-initiatis indicat myſteria, impie agit, Jerophantes non-initiatis indicat myſteria, ergo impie agit*. Et: *Si quis eſt Megaris, non eſt Athenis, homo eſt Megaris, ergo homo non eſt Athenis*. Et: *Eſt quoddam caput, illud tu non habes, ergo caput non habes*. Et: *Si quid loqueris, ex ore egreditur tuo; atqui currum loqueris, igitur currus ex ore egreditur tuo*. Verum faciendus iſtis eſt modus, ne ſi conſecter tot inutilia, redarguere videar te, dicentem a me non inutilia ſcribi. Quod interſeris interea judicium de dialecticis ſtudiis, præclarum eſt; ut cetera, quod de amore erga me tuo latentis ignis eſt ſcintilla. Perge me amare, & vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis poſtridie Eid. Maii M.DC.XLII.

Beretalio ſemper, ac Bervillæ ſalutem.

E I D E M.

Ex iis, quæ hactenus perſcripſi de Philoſophorum variorum multiplici Dialectica, elicies, opinor, quorſum Epicurus repudiaverit Dialecticæ ſtudium. Non fecit nempe, quod, verbi cauſa, negligendas voces putarit; ſed quod eas, ex communi uſu, ex Grammatica repetendas cenſuerit. Non item, quod ſyllogiſmos non norit; ſed quod eſſe non neceſſarios, vel a natura ſuggeri, vel faciliore methodo parari poſſe crediderit. Non etiam, quod ſophiſmata interdum texi ignorarit; ſed quod vel contemnenda eſſe, vel artificio longe planiore ſolvi exiſtimaverit. Dialecticam ergo rejecit, non ut præcepta falſa tradentem, ſed ut inutiliſſima, & operoſiſſima congerentem. Eadem ratione Divus quoque Auguſtinus eam minus probavit, ſimilitudine allata, quam vix ulla unquam prætermittere occaſione ſoleo: *Si quiſpiam*, inquit, *dare volens præcepta deambulandi moneat non eſſe cuiquam levandum pedem poſteriorem, niſi cum poſuerit priorem, &c. Vera dicit, nec aliter ambulari poteſt; ſed facilius homines hoc faciendo ambulant, quam animadvertunt, cum faciunt, aut intelligunt, cum audiunt, qui autem ambulare non poſſunt, multo minus ea curant, quæ nec experiendo poſſunt attendere. Itaque plerumque citius videt ingenioſus non eſſe ratam concluſionem, quam præcepta ejus capit, tardus autem non eam videt, ſed multo minus, quod de illa præcipitur, magiſque in his omnibus iſta ſpectacula veritatis ſæpe delectant, quam ex eis in diſputando, aut judicando adjuvamur*. Hactenus D. Auguſtinus. Improbavit porrò Epicurus ipſam Stoicorum Dialecticam potiſſimum, non ferens videlicet illos ejus cauſa intumeſcenteis. Jure ne autem, an injuria ex Cicerone intelliges, qui Stoicos propterea carpit, dum ait: *Illos oſſa nudare, ſpinas vellere, contortius concludere, dicere ſqualidius, ratiunculis uti*. Itemque ex Plutarcho, qui confert illos cum Polypo propria acetabula hyeme voranti; quaſi ipſorum Dialectica ſuis inventis ſola paſcatur, neque extra ipſam ullus ſit præceptorum uſus. Et ex Luciano, qui illos cauſatur, nihil aliud, quam ſibi mutuo affingere cornua, facere Crocodilos, nihilque habere aliud, quam miſera verbula, & rogatiunculas, quibus mentem paſcant. Et ex Themiſtio, qui poſtquam recenſuit illorum Outidas, Obvelatos, Dominanteis, Cornutos, quæ *moleſta* ſit, & *importuna ſophiſmata*

phiſmata ſubdit, *quorum & intelligentia difficilis eſt, & inutilis notitia, Lorti illius inſtar, cui Mida plauſtrum illigatum fuit.* Quid, quod Seneca etiam, tametſi Stoicus, conſimilia habet? Ut ex locis oppido multis ſeligam unum, aut alterum; cum Zeno aliquando ita concluſiſſet: *Nullum malum glorioſum eſt, mors autem glorioſa eſt, mors ergo non eſt malum*; excipit Seneca, ſed indignabundus: *Perfeciſti? Liberatus ſum metu, poſt hac non dubitabo porrigere cervicem? Non vis ſeverius loqui, nec morituro riſum movere?* ac infra: *Ego non redigo iſta ad legem Dialecticam, & ad illos artificii veternoſiſſimi nodos. Totum iſtud genus exturbandum judico, quo circumſcribi ſe, qui interrogatur, exiſtimat; & ad confeſſionem perductus, aliud reſpondet, aliud putat. Pro veritate ſimplicius agendum eſt, contra mortem fortius.* Et paulò poſt: *Quem Mortalium circumſcriptiones veſtra fortiorem facere, quem erectiorem poſſunt? Frangunt animum, qui nunquam minus contrahendus eſt, & in minuta, ac ſpinoſa cogendus, quam cum aliquid grande componitur.* Et tandem: *Adverſus mortem tu tam minuta jacularis? Subulâ leonem excipis? Acuta ſunt iſta, qua dicis; nihil eſt acutius ariſtâ. Quadam inutilia, & inefficacia ipſa ſubtilitas reddit.* Sic alibi: *Non debuit hoc nobis eſſe propoſitum, arguta diſſerere, & Philoſophiam in has anguſtias ex ſua majeſtate detrahere. Quanto ſanctius eſt ire aperta via, & recta, quam ſibi ipſi flexus diſponere, &c.* Et rurſus, poſtquam edisſeruit, ſint-ne virtutes animalia, juxta Stoicos: *Diſſilio*, inquit, *riſu, cum mihi propono ſolæciſmum animal eſſe, & barbariſmum, & ſyllogiſmum, & aptas illis facies, tanquam Pictor aſſigno. Hac diſputamus, attractis ſuperciliis, fronte rugoſa. Non poſſum hoc loco non dicere illud Cacilianum, ò triſtis ineptias? ridicula ſunt.* Sed hæc ſatis. Tu bene vale, decus Principum, & præſidium meum. Pariſiis x. Cal. Junii M.DC.XLII.

Brrecolia, ac Bervilla ſalutem.

E I D E M.

INnui jam ante Epicurum, cum repudiaret Dialecticam, ſeu artem illam diſputatricem, ſubſtituiſſe Canonicam, ſeu continentem Canones dijudicandæ veritatis. Veritatem porrò duplicem diſtinxit; unam *exiſtentia*, ſeu qua res eſt id ipſum, quod eſt; quo ſenſu dixit nihil differre, *an aliquid dicas verum, an exiſtens*, ἀληθὲς ἢ ὑπάρχον, aliam *dictionis*, ſeu *enunciationis*, *ac judicii*; quo ſenſu dixit *verum eſſe, quod ita ſe habet, ut ſe habere dicitur*, τὸ οὕτως ἔχειν, ὡς λέγεται ἔχειν. Priori veritati nullam falſitatem oppoſuit; aurichalcum enim, verbi gratia, non falſum aurum eſt, ſed verum aurichalcum. Poſteriori autem oppoſuit falſitatem, qua *res aliter eſt in ſe, quam ſe habere dicitur*, τὸ οὐκ οὕτως ἔχον, ὡς λέγεται ἔχειν. Nimirum prior ab intellectu judicante non pendet, cum nihil aliud ſit, quam ipſamet rei, ut loqui ſolent, entitas; poſterior pendet, cum nihil ſit aliud, quam conformitas judicii cum re judicata. Conſenſit proinde circa utramque cum Ariſtotele, ut & ſpeciatim circa quæſtionem de futuro contingenti; quatenus admiſit quidem totum iſtud conjunctum: *Vivet cras Hermachus, aut non vivet*, at non ſeparatum illud, *Hermachus vivet*, neque rurſus illud, *Hermachus non vivet*. Vide, ſic habet Cicero, *quam ſit cautus is, quem iſti tardum putant? Si enim*, inquit, *alterutrum conceſſero neceſſarium eſſe, neceſſe erit cras Hermachum vivere, aut non vivere. Nulla autem eſt in natura talis neceſſitas.* Non adjicio quemadmodum a Stoicis diſſenſerit; illi enim ſunt, quos Cicero notat; obſervo potius, cum in ferendo de rebus judicio opus ſit Criterio, ſeu, ut ſic loquar, judicatorio, vel judicandi inſtrumento, ideo illud fuiſſe ab eo diſquiſitum. Et ſolet quidem vulgo ex Empirico triplex diſtingui Criterium τὸ ὑφ' οὗ, *a quo*, videlicet homo, τὸ δι' οὗ, *per quod*, ſcilicet mens, ſenſus, aut facultas alia; & τὸ καθ' ὃ, *ſecundum quod*, puta operatio, aut applicatio facultatis [conſimilis res dicitur, ut cum ad explorandum pondus requiritur *libripens, libra, & libra uſurpatio*; aut ad explorandum menſuram *menſor, orgyia, & applicatio orgyia*] verumtamen illud *a quo*, non tam Criterium eſt, ſeu judicatorium, quam judex; & cum aliunde id, *ſecundum quod*, referatur ad id, *per quod*, ipſum δι' οὗ, ſive *per quod*, aut ſolum, aut certe præcipuum videtur. Quia ſum verò poſtea dicturus quidnam de Criterio, non Epicurus modo, ſed ceteri etiam ſenſerint, ideo heic prænoto, res omneis, quatenus ad noſtram notitiam, atque judicium comparantur, aut manifeſtas eſſe, aut occultas: Manifeſtæ ſunt, quæ ex ſe patent, ut lux diurna; occultæ verò triplices ab eodem Empirico diſtinguuntur; quædam enim ſunt penitus occultæ; eæ nimirum, quæ nullo modo diſcerni, comprehendique poſſunt, ut ſint-ne Stellæ numero pares? Quædam ſunt occultæ naturâ; eæ nempe, quæ ex ſeipſis quidem evidentes non ſunt, ſed per indicia tamen aliqua comprehenduntur, ut ſunt pori in cute, qui ex ſe inconſpicui, inferuntur nihilominus ex permanatione ſudoris. Quædam ſunt occultæ ad tempus; eæ ſcilicet, quæ ex ſua quidem natura evidentes ſunt, ſed ob externum tamen impedimentum, aut defectu debitæ diligentiæ nos lateant; ut ſunt Antipodes, qui ad noſtrorum uſque Proavorum ætatem latuerunt. Adnoto hæc autem, ut intelligas, non diſquiri Criterium, neque circa res manifeſtas, quæ ex ſeipſis innoteſcunt; neque circa res penitus occultas, quæ incertitudinis ſunt invictæ; ſed circa res natura ſua, aut ad tempus ſolum occultas. Siquidem, cum incertitudo, qua circa has afficimur, aut ex factis judiciis, aut ex remotis obſtaculis ſuperari poſſe videatur, non deſunt tamē, qui ſentiant deeſſe nobis Criterium, quo neceſſaria indicia, ſeu neceſſariam obſtaculorum amolitionem percipere liceat. De his poſtmodum. Tu interea vale, decus Principum, & præſidium meum. Optat Lafaya denuo tuam bonitatem experiri; dabo illi forte alias litteras; noſti verò profecto illas eſſe non poſſe perfunctorias. Tuas accepi datas XIIX. Cal. proque ipſis gratias debeo immortaleis. Vale iterum. Pariſiis IIX. Cal. Junii M.DC.XLII.

E I D E M.

QUæris ex me, optime Princeps, qui fieri poſſit, ut Stoici, cum Philoſophi tanti fuerint, ac ſeſe in Dialecticis exercuerint tantopere, inventionem tamen prætermiſerint, neceſſariam adeo Dialecticæ partem? Sed ſi fecere quidem conſulto, arbitrari cauſam par eſt, quod rati fuerint inventionem non eſſe partem Dialecticæ, neque ad illam pertinere. Videlicet ars nulla docet ſuam invenire materiam, ſed operari ſolum circa ipſam. Sic tradit Sutoria, non inventionem corii, ſed confectionem calcei ex corio; & Fabrilis non inventionem ferri, ſed confectionem clavis ex ferro; ac pari modo

do

do ceteræ. Quare & Dialecticæ erit tradere non inventionem argumenti, ſed confectionem ſyllogiſmi ex argumento. Quemadmodum autem coriaria ſuppeditat corium ſutoriæ, & metallaria ferrum fabrili; ita ceteræ diſciplinæ argumenta Dialecticæ. Ex quo fit proinde, ut ſi requiratur, verbi gratia, ſit-ne Octobri proximo futura Eclipſis, an-non? Dialecticæ munus non ſit invenire argumentum, quod inveſtigare, & aſſequi eſt Aſtronomiæ proprium; ſed ſubminiſtrante argumentum Aſtronomia, declarare quemadmodum ſyllogiſmus fiat, quo futuram eſſe Eclipſin probetur. Et, ſi proponatur ſit-ne pax ineunda, an-non? ipſi non incumbat invenire rationem, quam explorare, & pernoſſe politicæ ſolius eſt; ſed ſuggerente rationem politica, methodum texendi ſyllogiſmum tradere, quo pacem eſſe ineundam ſuadeatur, & ſic illi quidem tueri ſe adverſus Ciceronem poſſent. Interim porrò heic ſubnoto, quod ſui alioquin perſcripturus, videri poſſe non abs re Philoſophos quoſdam ſenſiſſe, latere nos quid verum ſit, quando vix ullum placitum adeo eſt veriſimile, ut non illius oppoſitum æque veriſimile fiat. Philoſophi porrò ij fuere, qui pernegarunt ullum eſſe veritatis Criterium; & non pauci ſane, nec notæ obſcuræ. Ut Poëtas enim Laërtio memoratos reticeam, Homerum, Euripidem, Archilochum, & nihil de ſeptem Sapientibus dicam, ecce recenſet Cicero Parmenidem, Nauſiphanemque reprehendenteis eos, qui, cum ſciri nihil poſſit, audeant ſe ſcire dicere. Subiicit Laërtius Zenonem Eleatem, Empedoclem, Hippocratem, & cum Democritum etiam addat, notanda profecto Ciceronis verba: *Num noſtra*, inquit, *culpa eſt? Naturam accuſa, quæ in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abſtruſit.* Hinc nimirum eſt tritum illud, deliteſcere veritatem in Democriti puteo. Quid dicam de Socrate, cujus illud quoque pervulgatum eſt, *hoc unum ſcio, quod nihil ſcio*? Quid de Platone, quem ex iis, quæ Socrati tribuit, argumentatur Cicero ipſum eadem cum Socrate ſentire? Et certe Academici ab eo inſtituti, de veritate deſperantes, aut veriſimilitudinem ſolam retinuerunt, aut omnimodam etiam ἀκαταληψίαν, ſeu *incomprehenſibilitatem* induxerunt, quod tribuitur Arceſilæ. Socratem etiam Ariſtippus imitatus in eo eſt, quod Phyſicam reſpuit, quaſi incomprehenſibilia tractantem. Accenſentur rurſus ab Empirico Xeniades, Anacharſis, Protagoras, Euthydemus, Gorgias, Metrodorus Chius, Anaxarchus, & Monymus Cynicus. Ex quibus ſunt quidem Protagoras, & Gorgias potiſſimum celebres, ſed memorare tamen potiſſimum juvat, quod de Metrodoro habet Cicero: *Ille enim ſenſus appellavit poſt Democritum obſcuros, & tenebricoſos; & initio libri, qui eſt de natura, Nego*, inquit, *ſcire nos, ſciamus ne aliquid, an nihil ſciamus? Ne idipſum quidem neſcire, aut ſcire, ſcire nos, nec omnino ſit-ne aliquid, an nihil ſit?* Speras, ut Pyrrhonios, Scepticos-ve adjungam; ſed eos capere pagina non poſſet. Quippe attingendi ſunt modi, ac veluti loci communes, ex quibus illi ſunt argumentati, continendum eſt, ſive cohibendum aſſenſum, quoties non de eo, quod apparet, ſed de eo, quod res in ſeipſa eſt, diciturque verum, eſt quæſtio. De ipſis ergo commodius litteris proximis dicetur. Tu interea, o & præſidium, & dulce decus meum vale. Pariſiis, poſtridie Non. Jun. M. DC. XLII.

EIDEM.

MOdi Epoches Scepticorum, de quibus dicendum ſuſcepi ſuperioribus litteris, commemorari decem ſolent. *Primus* ex animalium varietate deſumitur. Cum de veritate enim rerum naturalium, ſive ſenſibilium præſertim agatur, non homines ſoli audiendi, quibus ſolis ſenſus conceſſi non ſunt; ſed audienda quoque animalia cetera, quibus ſui quoque ſunt ſenſus. Porrò, ut in illis temperies, contexturaque organorum varia eſt, ita res eadem apparet uni unius coloris, odoris, ſaporis; alii verò alterius; ex quo fit, ut tanquam grata requiratur ab hoc, tanquam ingrata refugiatur ab illo. Quare & dici quidem poteſt, qualis res cuique animali pro ſpeciali ejus conſtitutione appareat, non qualis ſecundum ſe ſit; cum ſi talis, aut talis eſſet ex natura ſua, talis omnibus appareret. *Secundus* ex ipſa varietate hominum; quippe tametſi illis ſolis ſtandum foret, ea tamen eſt temperamentorum, organorumque diverſitas, ut manifeſtum ſit unam rem non uniuſmodi omnibus videri; idque non in rebus modo ſenſibilibus, ſed in intelligibilibus quoque; adeo ut, propoſita quæſtione de aliqua re, dici quidem poſſit, quid de ipſa huic, quid illi videatur; at non tamen qualis ſit revera, & ſecundum ſe. *Tertius* ex varietate ſenſuum. Quia tametſi concederetur uni homini ſtandum eſſe; nihilominus varii ſenſus varie rem eandem percipiunt. Nam mel, quod palato eſt ſuave, moleſtum eſt oculis; & quod unguentum olfactum exhilarat, ingratum eſt guſtatui; ex quo dici duntaxat poteſt, qualis res cuique ſenſui appareat, non qualis ſecundum ſe ſit. *Quartus* ex varietate affectionum in eodem ſenſu. Quoniam tametſi ſtandum foret uni unius hominis ſenſui, is tamen adeo diverſe afficitur, prout in juventute, ſenectute, ſomno, vigilia, ſanitate, morbo, ſaturitate, fame, quiete, motu, & ſimilibus eſt; ut dici ſolum poſſit rem talem, aut talem pro tali affectione apparere, non talem, aut talem ſua natura eſſe. *Quintus* ex variis poſitionibus, intervallis, locis. Conſtat enim ex his variatis magnitudinem, figuram, motum, colorem, qualitateſque ceteras videri diverſimode, ſicque nihil aliud dici poſſe, quam talem rem in tali ſitu, diſtantia, loco, talem apparere. *Sextus* ex admixtionibus, quibuſcum rerum ſpecies ad facultates perveniunt. Quod enim coloratum vitrum, aut bilis ſuffuſa, quam ſpecies viſibilis pertranſit manifeſte facit, dum colorem variat, id, licet minus advertatur, facit ſuo modo medium quomodocumque diſpoſitum; ſicque dici aliud nihil poteſt, quam talem apparere rem, qualis eſt medii diſpoſitio. *Septimus* ex quantitate, & conſtitutione ſubjecti. Arenulæ enim, verbi gratia, ſeparatim aſperæ, conjunctim ſunt læves. Cornu caprinum integrum nigrum eſt; & argentum album, cum illius tamen ramenta alba ſint, hujus verò nigra; atque adeo ſolum dici poteſt, prout res ſolitaria, ſociata, integra, conjuncta eſt, talem, talem-ve apparere. *Octavus* ex Relationibus. Quandoquidem nihil non habet relationem ad varia, dicique poteſt reſpectu quidem unius, pulchrum, dulce, eruditum, magnum, &c. reſpectu verò alterius deforme, amarum, ineruditum, parvum, & alia. Quocirca, & cum dici talis, aut talis abſolute nequeat, dici ſolum poteſt, quatenus ad hoc, vel illud comparatum apparet. *Nonus* ex crebro,

& raro contingentibus; quo pacto non Solem, ſed Cometam miramur; non aquam, ſed aurum ſuſpicimus; cum ſi vices commutaveris, ſit longe mirabilior Sol, & aqua pretioſior futura. Ex quo fit, ut vel æſtimentur non ex eo, quod ſecundum ſe ſunt, ſed ex eo, quod infrequentes, vel familiares appareat. *Decimus* denique ex variis moribus, atque inſtitutis. Notum eſt enim nullam legem, conſuetudinem, perſuaſionem apud nationes quaſdam vigere, cujus non oppoſita vigeat, viguerit, vigere poſſit apud alias; ex eoque definiri non poſſe, quid bonum, honeſtum, juſtum ſua natura ſit, ſed ſolum quid iſtis, illiſ-ve gentibus appareat. Atque iſti quidem vulgares ſunt modi. Numerantur & quidam alii; ſed tres tamen præcipui ſunt; unus *Diallelus*, *ſeu Alternans*, cum nempe quiſpiam arguitur probare unum ex altero, quod ipſum, niſi mutuo per alterum probari non poſſit. Alius *Hypotheticus*, ſeu *adverſum ſupponens*, cum ſupponente aliquo propoſitionem tanquam veram, oppoſita aſſumitur, quam ſupponere pari jure liceat. Tertius *Reiiciens in infinitum*; cum nimirum probatio probationis exigitur, & rurſus poſtremæ probationis probatio; atque ita porrò, quaſi nihil ſit ſine ratione admittendum. Poſſem exempla omnium afferre, ſed paginam expletam vides. Ipſe, ſi lubeat, ſeu ex Laërtio, ſeu ex Empirico, ſeu ex teipſo plura depromes. Vale, o decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, Eidibus Junii, M. DC. XLII.

E I D E M.

QUi veritatis Criteria ſuſtulerint, ante perſcripſi; qui poſuerint paucis ecce. Inſinuavi jam admiſſum ab ipſis vel ſolum ſenſum, vel ſolum intellectum, vel utrumque, vel quidpiam præterea. Et qui ſolum quidem ſenſum pro Criterio admiſerit, unus fere memoratur Aſclepiades, perſuaſus nimirum, ut Empiricus habet, eſſe omneis ſenſuum apprehenſiones veras, ratione nihil comprehendi. Qui intellectum, mentem, aut rationem ſolam, memorantur primum non pauci ex iis, qui tollere omne Criterium ſunt viſi; quemadmodum Xenophanes, Parmenides, Empedocles, Democritus, Plato; quaſi ipſi nihil aliud voluerint, quam abrogare ſenſibus fidem; neque pernegarint, quin rationis eſſet diſcernere verum, & falſum. Deinde ii, qui ex Thalete ortum duxerunt Phyſici, ac Anaxagoras præſertim, cujus eſt opinio celebris de mente; quique, ut ſenſuum imbecillitatem in diſcernendo vero probaret, exemplum uſurpavit duorum colorum, albi, & nigri, quorum ſi unus guttatim infundatur in alterum, viſus nunquam percipiet mutationes ad naturam ſubjectas. Itemque Pythagorei, ac nominatim Philolaus, qui, repudiatis etiam ſenſibus, mentem unicam adhibendam cenſuerunt, ſed purgatam tamen, ut facilius cum Mente communi, ſeu Univerſi communicet; quod Heraclitus quoque ſenſit, addens, cum dormimus ſecretionem quandam fieri mentis communis, & ſpecialis; cum vigilamus autem per ipſas ſenſuum quaſi portas attractionem fieri illius ad iſtam. Qui ſenſum ſimul, & intellectum, ii fuere non modo Ariſtoteles, Theophraſtus, Peripatetici ceteri; ſed ex Platonis quoque Sectatoribus Speuſippus, & Xenocrates; quatenus duo diſtinguentes rerum genera, Criterium ſenſibilium ſenſum, intelligibilium intellectum dixerunt. Quod idem Galenus, aliique ſequuti ſunt. Qui aliquid præterea, fuere Stoicorum nonnulli, cum ad ſenſum, & intellectum adjecere nunc appetitum, nunc ſcientiam, nunc anticipatam notionem, nunc comprehenſivam phantaſiam. Quo loco nota eſt Zenonis apud Ciceronem ſimilitudo, cum manum adverſam digitis extenſis ſimplicem eſſe phantaſiam, (hoc eſt apparentis rei perceptionem, quam Cicero *viſum* interpretatur) dixit; eandem cum digitis non nihil depreſſis, aſſenſum; cum eiſdem in pugnum compreſſis, comprehenſionem; cum manu alia ipſam arcte, vehementerque conſtringente ſcientiam. Notum & quod Laërtius, aliique de Sphæro Stoico ſcripſerunt, qui, cum exorta apud Ptolemæum Philopatora quæſtione, opinetur-ne ſapiens, nec-ne? opinaturum eſſe negaſſet, juſſit Rex apponi mala punica cerea, ad quæ ille manum deceptus porrexit; exclamante autem Rege aſſenſiſſe ipſum phantaſiæ non veræ, negavit ſeſe aſſenſiſſe, quod mala eſſent punica, ſed quod talia eſſe veriſimile foret. Supereſt de ipſo Epicuro dicam, qui ſuppoſuit primum omnem quæſtionem eſſe poſſe, vel de vocibus, vel de rebus; ac cenſuit ad voces non opus eſſe alio Criterio, quam perſpicuitate ſermonis, de qua duos Canones propoſuit ſuo referendos tempore. Suppoſuit deinde quæſtiones de rebus, aut ad ſpeculationem ſolam pertinere; eſſeque vel de rebus ſenſibilibus, apparentibuſque; vel de intelligibilibus, & immanifeſtis, aut referri etiam ad actiones vitæ. Suppoſuit denique Criterium, *a quo* eſſe ſolum hominem; Criterium, *per quod* eſſe ſolam mentem; Criterium autem, *ſecundum quod*, de quo præcipue agitur, eſſe poſſe quaſdam functiones tam ſenſus, quam mentis, quam ipſius quoque appetitus. Ex his autem concluſit tria eſſe veritatis Criteria, τὰς αἰσθήσεις, καὶ τὰς προλήψεις, καὶ τὰ πάθη, *Senſiones*, *Anticipationes*, *Paſſiones*, ſingulaque accommodavit ſingulis rerum generibus; nimirum voluit ſenſibilia dijudicari ipſa ſenſione (ita potius dico, quam ſenſu, ut devitetur æquivocatio, tametſi rem ſemel præfatus, dicere quoque ſenſum poſſim, cum ut græce αἴσθησις, ſic latine *Senſus*, non facultatem modo, ſed actionem quoque ſignificare valeat). Intelligibilia anticipatione, ſeu anticipata notitia, quam etiam prænotionem dicunt. Actiones vitæ denique paſſione, ſive voluptatis, atque doloris affectione. Ad ſingula porrò Criteria varios adhibuit Canones, ſed quia illi erunt deinceps ſigillatim commemorandi, ideo iſta heic univerſe prælibaſſe ſufficiat. Vale, o decus Principum, o & præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, XII. Calendas Jul. M. DC. XLII.

E I D E M.

PRius quam Canones proponantur, qui poſſunt circa ſingula veritatis Criteria ex Epicuro conſtitui, generalis ille attingendus eſt: *Eſſe aliquid verum, quod poſſit dijudicari, ac ſciri.* Attingo autem, optime Princeps, non tam quod ipſe plane acquieſcam, quam quod teneat cauſam non malam viri non mali adjuvare. Ea verò videtur defendi ſic poſſe. Certum eſt inprimis dari veritatem *exiſtentiæ*, cum tametſi Gorgias argumentatus fuerit nihil exiſtere, conſtet nihilominus, & extitiſſe eum, qui id dixit, & nos exiſtere, qui id jam conſideramus, & univerſe ceteri; ac certum rurſus, dari veritatem *Enunciationis*; cum quidquid ille iterum ratiocina-

Digitized by Google

cinatus fuerit, conſtet plurima vere enunciari, ut Sole exorto, diem eſſe; aliaque id genus ſimilia: Veritas verò utraque dijudicari ſive ſenſu, ſive Criterio alio poteſt. Deinde quia forte dicetur hujuſcemodi veritatem eſſe duntaxat, *τῶν φαινομένων, eorum, quæ apparent*; difficultatem vero eſſe de veritate *τῶν ἀδήλων, eorum, quæ ſunt immanifeſta*; ideo certum quoque videtur, talem aliquam veritatem dari, quæ intellectu, ſeu ratione, ut Criterio dijudicetur. Quippe, quidquid Sceptici dicant, conſtat, verbi cauſa, quod attigi alias, eſſe in ipſa cute poros, qui manifeſti cum non ſint, ex ſudore tamen, ut indicio indubitato colliguntur. Nam ſi cribrum eſſe perforatum debet, ut tritici grana tranſmittat, eſſe profecto debet & cutis, ut ſudoris guttulas; quando, niſi foramina, ſeu magna, ſeu exigua ſint, ut exitus pateat, exire nihil poteſt. An dicent quæſtionem eſſe non de hoc effectu, ſed de ipſa natura cutis, aut hominis etiam, alteriuſ-ve rei? Verum cum nemo profiteatur, aut profiteri debeat ſe naturam cognoſcere, non dico rerum omnium, ſed ne unius quidem ea perfectione, ut ipſius nihil lateat; nihilominus negari non poteſt, quin quadantenus in eam penetretur, ac tanto magis, quanto plura ejus attributa perveſtigando innoteſcunt. Et certe Viri perſpicaces, niſi norunt omnia, quæ ad hominis, verbi gratia, naturam ſpectant, plurima tamen non ignorant; neque dici poteſt (uti ſecus poſſet) inutile eſſe omne ſtudium, omneis Doctores, omneis libros. An opponent non ideo res Ariſtotelea demonſtratione ſciri? At niſi tali demonſtratione, ſaltem ſciri definitione, quæ Platoni eſt vera ſcientia, poſſunt; definitione, inquam, quæ licet non undique perfecta ſit, revera tamen eſt aliqua; & tanto quidem perfectior, quanto quiſque ſagacius, feliciuſque res inveſtigat. Quid dicendum verò ad Epoches modos? Ad primos illos quatuor quod ſpectat, tametſi res eadem non appareat uniuſmodi, & variis animalibus, & variis hominibus, & uni etiam homini ſecundum ſenſus varios, & affectiones varias; attamen duo aliqua ſunt, de quorum veritate conſtet; alterum eſſe in ea re cauſam generalem, quæ apparere ipſam ſenſui faciat; alterum eſſe in ſenſibus variis cauſas ſpecialeis, ac varias, quæ faciant varie apparere; ut unus enim eſt Solis calor, qui incidens in ceram, & lutum, illam emollit, hoc indurat, ob diſpoſitiones in ipſis diverſas, ſic ob diverſas idem mel, verbi cauſa, applicitum organis variis, exaſperat unum, & demulcet aliud; & cum ſua cuilibet cauſæ neceſſitas ſit, ob quam hoc potius, quam illud agat, ideo eſt ſaltem aliqua hujus neceſſitatis certitudo. Idem proportione dicendum de modis conſequentibus. Quippe poſitio, intervallum, locus, admixtio, quantitas, raritas, frequentia, neceſſariam important cauſam, cur res talis appareat, atque idcirco ſciri id poſſit. Moralis etiam ille modus cauſam habet in diverſitate temperamentorum, quæ varia in variis cum ſint, neceſſe eſt animis ea ſequentibus diverſa placere. Ad treis poſtremos quod attinet, Diallelus inprimis non eſt, cum ex effectu colligimus, intelligimuſque neceſſariam cauſam. Tum ſi aſſumentibus nobis eſſe diem, quando Sol lucet, alius ſupponat oppoſitum, id poteſt profecto, ſed videat quam jure. Denique effata per ſe nota ſunt, quæ probatione non indigent. Quamobrem neceſſe non eſt infinitum proceſſum dari. Dicenda ſane hæc pluribus; ſed tibi tamen intelligenti, & hac præſertim tempeſtate occupatiſſimo multa nimis. Vale ergo, Principum decus, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, v. Calendas Julii, M.DC.XLII.

E I D E M.

BOnitatis ſane fuit nimiæ, eas litteras in iſta Aulæ agitatione conſcribere, quas IX. Cal. Tarraſcone dediſti. Ad ipſas verò ecquid reſpondeam, præter id ipſum, quod eſt a te ſapienter, ſciteque expreſſum, hoc eſt, quid aliud quam plauſum dem ad illas tuas adeo prudentes, atque eleganteis ſententias? Parum certe abeſt, quin ad eas attendens, abducar, vel potius abſterrear a nugis meis obtrudendis. Verum quia eſſe illas tibi non injucundas ſubindicas, dum, immerſus licet civilibus undis, teſtaris te illas legere, ac pellegere, idcirco obfirmor, cœptiſque inſiſto. Scripſi ex Epicuri mente triplex eſſe Criterium; cum autem ſenſus primarium ſit, deque eo diſtinguam quatuor Canones, en jam tibi illorum primum: *Senſus nunquam fallitur; ac proinde eſt omnis ſenſio, omniſque adeo apparentia vera.* Ne res porrò adeo abſurda, ac haberi ſolet, videatur, memento, quæſo, quemadmodum duplex diſtinguatur cognitionis genus, ut puta, ſimplex apprehenſio, qua aſſeritur, aut negatur nihil; & judicium, quo aſſeritur, aut negatur aliquid, quodque vel eſt præceps, diciturque *Opinio*; vel maturum, & dicitur *Ratio*. Etenim cenſet Epicurus non aliud cognitionis genus competere ſenſui, quam ſimplicem apprehenſionem, quæ ita eſt vera, veritate illa, quam exiſtentiæ diximus, ut falſitas ipſi opponatur nulla. Videlicet veritas illa, cui falſitas opponitur, enunciationis veritas eſt, atque idcirco ad judicium ſpectat, quo ſenſum deſtitutum vult. Hinc ratio ipſi prima eſt, quia ſenſus non ratiocinatur, & memoria caret; ex quo fit, ut non valeat duos terminos connectere ad faciendam enunciationem, ferendum-ve judicium; ſed in nuda rei apprehenſione conſiſtat, unde & falſum proferat nihil. Ita viſus, dum percipit alicujus rei colorem, nihil aliud, quam recipit ejus coloris ſpeciem, & mere paſſive ſe habens, non pronunciat rem eſſe, aut non eſſe ejus coloris; ſed ſimpliciter apprehendit colorem oblatum, ſpeciem-ve illius. Altera eſt, quia ſenſus quidquid demum ſentiat, reipſa afficitur, & qualiſcumque res appareat, reipſa talis ipſi apparet, & propter aliquam quidem cauſam, qua perſeverante non poſſit talis non apparere. Quamobrem ſenſus non fallitur, apparentiam percipiens, quæ revera eſt, quæque conſtante cauſa non poteſt non eſſe; qualis eſt etiam ſpecies turris, quæ procul ſita rotunda apparet, aut baculi, qui partim in aqua, partim in aëre conſtitutus apparet deflexus. Tertia, quia ſenſus non poteſt refelli, non idem a ſeipſo, quia ſemper æque afficitur, & non poteſt, aut dijudicare quandonam ſit melior, aut deterior ſenſio; non unus ab alio, quia unus objectum alterius non novit, nec apprehendere illud poteſt; non denique ab intellectu, quia intellectus poteſt quidem opinionem corrigere, at nullo modo ipſum ſenſum, a quo ſic dependet, ut quidquid cognoſcit, ejus interventu cognoſcat, & ſi aliquid corrigit, ab illo monſtrante addiſcat. Quarta, quia ſenſus proinde eſt regula prima, quæ ſi fallax ſit, nihil certi unquam haberi poſſit. Multa Lucretius ad hanc rem; ſed illud præſertim:

Denique, ut in fabrica ſi prava 'ſt Regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella, aliqua ſi ex parti claudicat hilum;
Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſum'ſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta,
Jam ruere, ut quædam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis:
Sic igitur ratio tibi rerum prava neceſſe'ſt,
Falſaque ſit, falſis quæcumque ab ſenſibus orta'ſt.

Poſtrema, quia fido ſenſibus detracta tollitur omnia vitæ degendæ, & rerum gerendarum ratio; ex quo præſtare ille ducet, reddere mendoſe apparentium cauſas:

Quam violare fidem primam, & convellere tota
Fundamenta, quibus nixatur vita, ſaluſque.
Nec modo enim ratio ruat omnis; vita quoque ipſa
Concidat extemplo, niſi credere ſenſibus auſis,
Præcipiteiſque locos vitare, & cetera, quæ ſunt
In genere hoc fugienda, ſequi contraria, quæ ſint.

Mitto, quæ poſſent congeri ex Tertulliano, & aliis, occaſione eorum verborum: *Mitte digitum tuum huc, & vide manus meas*, &c. Itemque: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt*, &c. Scilicet ab ipſis ad ſenſuum certitudinem provocatus, verum indicaſſe ſat eſt. Quod ſpectat ad experimenta, quæ ſolent vulgo obiici, ea ex Canone ſequente ſolventur. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, v. Non. Jul. M. DC. XLII.

EIDEM.

ALterum, opinor, Canonem expectas circa primum Criterium; ille igitur ita habet: *Opinio eſt conſequens ſenſum, in quam veritas, & falſitas cadit.* Ut exemplo manifeſtetur, peroret procul aliquis, & auditor tenuem duntaxat, confuſamque vocem percipiat, tum, ſi opinetur Oratoris vocem eſſe quoque prope tenuem, & confuſam, falſa erit opinio; ſi fortem, & diſtinctam, vera. Quid ipſa ſenſio interim, ſeu perceptio tenuis, & obſcuræ vocis? ex ſuperiore Canone illa falſa eſſe non poteſt, ſed vera plane; quia revera talis vox percipitur, neque poteſt auris percipere aliam; quando vocis maxima pars diſſipata eſt, deperditaque per aërem, prius quam ad aurem perveniat. Non convenit ergo ſenſioni, ut falſa aliquando ſit, ſed opinioni ſolummodo; ſeu, quod idem eſt, cadit falſitas non in ſenſum, qui ſimpliciter apprehendit; ſed in intellectum, qui præterea ſuum judicium adhibet, ac talem eſſe rem in ſe, qualis ſenſu apprehenditur, opinatur. Intelligere hinc licebit, quod eleganter Lucretius:

Cetera de genere hoc mirando multa videmus,
Quæ violare fidem quaſi ſenſibus omnia quærunt,
Ne quidquam; quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipſi;
Pro viſis ut ſint, quæ non ſunt ſenſibu viſa.

Solvit proinde experimenta, quæ numeroſa obiiciuntur, non negando quidem falſitatem illis ſubeſſe, ſed oſtendendo illam ad mentem, non verò ad ſenſum eſſe referendam. Primum petitur ex turri quadrata, quæ apparet procul rotunda; ſed nempe Intellectus eſt, non verò ſenſus, qui rotundam pronunciat, talemque viſum iri opinatur, ſi quis propius acceſſerit, cum ſenſus quidem nihil aliud, quam renunciet talem turrim apparere ob ſpeciem detritam, rotundamque in via factam, renunciaturus pari fide non rotundam, ſed quadratam, ubi propius aſtiterit; ſcilicet ob integram ſpeciem. Aliud eſt de umbra ſequente, imitanteque corporis geſtus; at ſenſus quidem nihil aliud, quam umbram videt, ubicumque, & quandocumque videt, opinio eſt autem, non ſenſio, ſive ſimplex viſio, quod obſervata ſuccedens umbra, eadem ſit cum antecedente. Quippe memoriam non ſenſui ad apprehendendum, ſed intellectui ad opinandum, connectendum-ve terminos, quibus affirmet quidpiam, neget-ve, inſervire perſpicuum eſt. Tertium de navi viſa immota, ac prætereunte littore. Sed cum viſus quidem nihil aliud, quam navim, littuſque, ubicumque ſe offerunt, percipiat, & memoria careat, qua res prius viſas cum poſterius viſis conjungat, manifeſtum eſt intellectum eſſe, qui opinetur quieſcere navim, cui ſemper ineſt oculus, & moveri littus, cujus partes oculo ſuccedenter exhibentur. Ut breve autem faciam; idem dicendum ad ea, quæ ille aggerit de Syderibus quieſcere viſis, cum tamen continuo moveantur; de montibus diſſitis, & procul tamen viſis conjunctis; de apparente pueris poſt gyrationem circumcurſatione; de Sole proxime monte viſo, cum immenſa tamen ſpatia interjaceant; de tanto ſpatio ſub aqua viſo, quantum a Terra ad Cœlum eſt; de flumine viſo, dum traiicitur, verſus caput ſuum relabi; de viſa abire in anguſtum porticu; de Sole nautis viſo ex undis emergere, & in undas demergi; de remis inflexis, ſeu refractis viſis: de viſis noctu Syderibus præter nubila properare; de rebus viſis geminis, pupilla leviter detorta; denique de rebus per ſomnium (adde & inſaniam) apparentibus, quatenus eſt etiam ſenſus interior irrationalis, nihilque aliud, quam ſpecies, motiones-ve earum percipiens. Scilicet eadem reſponſio accommodari omnibus poteſt, poteſtque de omnibus dici, quod Divus Gregorius Nyſſenus de remo, deque Turri habet: *Neque eſt*, inquit, *hic error viſus, ſed intellectus. Nam ille quidem videt, & annunciat. Intellectus autem repræſentatis non attendit* Idem habet Macrobius, rationem arguens negligentiæ, non incertitudinis ſenſum, quem dicit, *rem unam certiſſimam omnium*. Imo idem quoque videtur Ariſtoteles inſinuaſſe, dum non errare ſenſum dixit circa proprium ſenſibile, pronunciavitque eſſe ſenſui magis, quam rationi fidendum. Verum de his poſt-modum plura. Nunc, o Principum optime, bene, imo optime vale. Pariſiis, v. Eidib. Julii, M. DC. XLII.

Berenulio, & Bervilla ſalutem.

EIDEM.

VErſari te adhuc Taraſcone rebar, cum tuas accepi litteras nonis hujus menſis Aquis-Sextiis datas. Significaſti verò rem miram, pergere te Antipolin, quaſi aliquid ab hoſte metuentem. An Hiſpano enim ſatis animi, ut milite noſtro Iberum bibente copias in oram noſtram dimittat, opperiente te, & Regia claſſe

ſe inſequuturs? ſed mei captus iſta non ſont; quare venio ad nugas meas, qoas te non ingratas habere teſtaris. Peeſcriptum jam ſenſum non falli; perſcriptum opinionem eſſe, quæ, aut vera, aot falſa ſit. En de vera Canonem tertium: *Opinia illa vera eſt, cui vel ſuffragatur, vel non refragatur ſenſus evidentia.* Nimirum evidentia eſt ea ſenſoi apparentia, quæ in controverſiam vocari non poteſt, quæ fidem ex ſeipſis habet, qua probabilius nihil eſt; quare, ſi talis quæpiam ſit, quæ opinioni ſuffragetur, aut certe, quæ non refragetur, cenſet Epicurus opinionem veram. Suffragatoe autem, verbi gratia, ſi ob factam ex intervallo hominis apparentiam, opinio fuit Platonem eſſe, & ſublato deinde intervallo, apparentia fit evideos, qoæ Platonem eſſe confirmet. Non refragatur verò, ſi quis opinatus, verbi cauſa, Lunam eſſe infra Horizontem, nulla ſit deinde apparentia, etiam ſemotis nubibus, quæ eſſe illam ſupra convincat. Docet proinde Epicurus non ex qoacumque apparentia opinandum eſſe, ſive pronunciandum de re; ſed ex ea ſolummodo, cui contradici jure non poſſit. Ipſe eſt nempe, qui introduxit apud Laërtium τὸ προσμένον, quod eſt *expectandum* eſſe, ſive temere judicium non ferre; ut com Turri apparente procul rotunda, quæritor an rotunda ſit; preſcribit enim illum, qui videt, non debere ſtatim pronunciare, ſed *προσμεῖναι ϗ ἐγγὺς γενέσθαι τῷ πύργῳ, ϗ μαθεῖν ὁποῖος ἐγγὺς φαίνεται, expectare, & ad Turrim prope accedere, ac animadvertere qualis cominus appareat.* Colligis exinde quam immerito ſuggilletur Epicurus; quaſi non diſtinxerit inter id, qood apparet, & id, quod pronunciandum eſt, aot exiſtimaverit ex quacumque apparentia fereudum eſſe judicium de eo, quod res eſt, cum ex oppoſito docuerit non eſſe temere opinandum, ſed circumſpicienda diligenter omnia, expectandumque, donec evidentia, aot faveat, aut ooo reluctetur. Non immoror porrò in iis, quæ Cicero ſpeciatim habet; refero ſolum ex eo locum Canoni allato conſentaneum: *Meo*, inquit, *judicio ita eſt maxima in ſenſibus veritas, ſi, & ſani ſunt, & valentes, & omnia removentur, quæ obſtant, & impediunt. Itaque, & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum, quas intuemur, & intervalla, aut contrahimus, aut diducimus, multaque facimus, uſque eo dum aſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii, quod idem fit in vocibus, in odore, in ſapore; ut nemo ſit noſtrûm, qui non in ſenſibus ſui cujuſque generis judicium requirat acrius.* Hec ille, & plura; in quibus ſolom notandum eſt, quod judicium ſenſibus ex uſo loqoendi attribuit, eſſe ad meotem referendum. Idem notandum in Macrobio, ex qoo locum rurſus appoſitum ecce: *Nam ſi eminus, inquit, pomi, quod malum dicitur, figura viſatur, non omnimodo id malum eſt; potuit enim ex aliqua materia fingi mali ſimilitudo; advocandus igitur ſenſus alter, ut odor judicet; ſed potuit inter congeriem malorum poſitum aurum odoris ipſius concepiſſe; heic tactus conſulendus eſt, qui poteſt de pondere judicare, ſed metus eſt, ne & ipſe fallatur, ſi fallax artifex materiam, quæ pomi pondus imitaretur, elegit. Confugiendum eſt igitur ad ſaporem, qui ſi forma conſentiat, malum eſſe nulla dubitatio eſt.* Sic ille. Tu ubicumque fueris, optime Princeps, optime vale. Pariſiis, xv. Cal. Auguſti, M. DC. XLII.

E I D E M.

ERat Merſennus optimos mecum, cum tuas accepi litteras pridie Eidus, Cannis conſcriptas. Memorarem heic quid ille de te, & ſenſerit, & dixerit; ſed neque ferret animi tui inſignis moderatio, neque ignoras qoid ille fuerit publice teſtatus de tua virtute. Itaque in eo jam non moror, dicturus potius de Canone, qui ſupereſt quartus, atque oltimos de Criterio primo. Is ita ſe habet: *Opinio illa falſa eſt, cui vel refragatur, vel non ſuffragatur ſenſus evidentia.* Rem ex ſoperiore jam tenes. Quippe evidentia Lydius lapis eſt, qao opinionum ut veritas, ita falſitas exploratur. Si qois enim, exempli cauſa, opinetur ignem calidum oon eſſe, an non ideirco falſa ejus opinio convincitur, qood evidentia ſenſus refragetur? & dum vulgo opinantur eſſe ſphæram ignis inter aërem, & regionem Lunæ, an-non poteſt falſa haberi opinio ejuſcemodi, quod non ſuffragetur ſenſus evidentia? abſurdum profecto videtur ob ratiunculas aliquas, & leveis prorſus conjecturas, deſerere fidem manifeſtam ſenſuum; ac præſertim cum dogmatum ingentes moles ſuper-extruantor, ſic enim contingit, quod ait Lucretius:

Deinde adopinamur de ſignis maxima parvis,
At nos in fraudem induimus, fruſtramur & ipſi.

Exinde concludo partem maximam controverſiarum phyſicarum poſſe facile dirimi, ſi ad evidentiam ſenſus provocetur. Adderem plura, ſed jam non vacat. Tu id, optime Principum, boni conſole, & optime vale. Pariſiis, VIII. Cal. Auguſti M DC XLII.

E I D E M.

QUam glorioſum, quæſo, eſt hoc? naſci veluti in purpura, & poſſe tamen qoæ es ad me ſcribere dignatus de Aula ſentire? is ſane mihi eſſe videtur dignus Principe animus, qui ſuperior ſplendore illo, quo faſcinantur ceteri, mortalia omnia infra ſe videt, ac vere liber, ſuique compos, tribuit rei cuique legitimom pretium. Vive beatos hac indole, & non improbans tua illa ſtudia meis plerumque intercipi nugamentis, iſta jam habe. Criteriorum alterum eſt, quod Epicurus *πρόληψιν* dicit, Cicero *anticipationem, prænotionemque* interpretatur. Id non eſt alienum ab eo, quod Ariſtoteles, *προϋπάρχουσαν γνῶσιν antecedentem notitiam*, & Stoici *ἔννοιαν immanentem notionem* vocant. Vis autem declarem otcumque quid ſit? Ex quounſqoe tempore vidiſti, verbi cauſa, equos, impreſſa eſt menti, memoriæ-ve tuæ ea animalis ſpecies, quæ cogitationi ſeſe offerat, quoties equi vocem audis pronunciari. Qui fit igitur, ut ſi quis apud te diſſerat de equo, nullo labore illum percipias? nempe quia habes ante perceptam illius animalis ſpeciem, ad qoam refferas, qood ab illo audis. Itaque talis ſpecies, ſeu mavis imago præconcepta, mentique herens, & quoties opus eſt, occorrens, ipſa eſt prænotio, ſeu anticipatio, aut anticipata cognitio, *πρόληψις*, de qua loqoimur. En jam de illa Canonem primum: *Omnis, quæ in mente gignitur prænotio dependet a ſenſibus; idque vel incurſione, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione.* Id ipſum eſt, quod alii dicunt nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu; inſinoaturqoe interim, ot in ſenſo præfuerint, quæ videntur nunqoam tranſiiſſe per ſenſom. Inprimis quippe dobium non eſt,

eſt, quin Sol, Luna, Terra, Aqua, Homo, Lapis, & ſimilia omnia, quorum prænotiones in mente habemus, in ſenſus noſtros incurrerint, ac proinde quin prænotiones fuerint in nobis genitæ *κατὰ περίπτωσιν incurſione*. Deinde verò quæcumque aliæ prænotiones in nobis ſunt, illæ ex iſtis præhabitis, atque adeò ex iis rebus, quæ prius in ſenſus inciderint, pendent. Quæ enim, verbi gratia, Gygantis, aut Pygmæi eſt, ideò in mente gignitur, quod prius viſi homines fuerint vulgaris magnitudinis, alii majores, alii minores, menſque exinde anſam accipiat augendi, atque imminuendi præhabitam ſpeciem, ſeu prænotionem hominis *κατὰ ἀναλογίαν proportione*, juxta quam pergit illam augere, ac minuere, facereque quantumlibet prolixiorem, aut contractiorem. Quæ eſt aliunde Americæ, ipſa gignitur *κατὰ ὁμοιότητα ex ſimilitudine*, in mappis, ut vocant, Mundi delineata, ſpectataque ab oculis, adjuncta ſimul comparatione cum perſpectis a nobis terris. Quæ eſt chimæræ, aurei-ve montis, ea gignitur *κατὰ σύνθεσιν per compoſitionem*, quæ a mente fit, dum viſis Leone, Capra, Serpente, illorum ſpecies copulat, & viſis ſeorſim monte, ac auro, montem aureum inde compingit. Hæc jam ſufficiant; nam & quæ ſubiicienda forent de anticipata notitia Dei, Angelorum, cæterarum rerum, tum ad loca ſpecialia ſpectant, tum heic univerſe intelligi poteſt, quas habemus ſpecies hujuſmodi rerum, non eſſe abſque analogia ad res, ut corporeas, ſic ſenſu perceptas. Vale, o decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis Calend. Aug. M.DC.XLII.

EIDEM.

ALius περὶ προλήψεως Canon, de quo jam dicendum, hujuſmodi eſt: *Nihil quærere dubitare, intelligere, opinari, redarguere, ediſſerere ſine prænotione licet.* Ita Cicero, Empiricus, Laërtius, Clemens, alii non pauci commemorant. Idem autem pæne eſt, quod Ariſtoteles cenſet, cum docet, *omnem doctrinam, omnemque diſciplinam in cogitatione poſitam ex præexiſtente cognitione eſſe*. Tametſi, cum Ariſtoteles velit prænoſcendum, & quod res ſit, & quid eadem ſit, Epicuro ſufficiat prænotio quid ſit, ſeu quid voce ſignificetur. Quippe prænotio quoque haberi rerum non exiſtentium poteſt, ut chimæræ. & conſimilium. Ceterum, quod nihil quærere ſine prænotione fas ſit, manifeſtum penitus eſt, cum inquiri nulla res poſſit, de qua ſuſpicio quædam non ſit; & de illa eſſe ſuſpicio ſine aliqua prænotione, ſeu ut loquitur Cicero, informatione accepta non poſſit. Referre juvat quemadmodum Epicurus rem exemplo declaret: καὶ οὐκ ἂν ἐζητήσαμεν, inquit, τὸ ζητούμενον, εἰ μὴ πρότερον ἐγνώκειμεν αὐτό, οἷον τὸ πόῤῥω ἑστὼς, ἵππος ἐστιν, ἢ βοῦς? δεῖ γὰρ κατὰ πρόληψιν ἐγνωκέναι ποτὲ ἵππου, καὶ βοὸς μορφήν, οὐδ᾽ ἂν ὀνομάσαιμεν τι, μὴ πρότερον αὐτοῦ κατὰ πρόληψιν τὸν τύπον μαθόντες. *Neque verò id, quod quærimus, quæreremus, niſi illud prius haberemus cognitum, exempli cauſa, quod procul conſiſtit, equus-ne, an bos eſt? oportet enim equi, & bovis formam aliquando prænotione habuiſſe perſpectam. Quippe ne nominaremus quidem aliquid, niſi prius illius effigiem prænotione arriperemus.* Dicerem de ceteris, ſed res nimis clara. Itaque patiere, ut hinc finem faciam, cum etiam vocer ad alia. Tu bene vale, Principum decus. Pariſiis, VI. Eid. Auguſt. M. DC. XLII.

Iſthæc abſolvebam, cum ecce e Provincia adveniens Nobilis Pontifius Durbarum Toparcha, & inviſit me, & ſignificavit dolere ſe magnopere, quod te coram ſiſtere ſe in nupera Ordinis ſui convocatione non fuerit potis. Expetiit dolorem hunc ſuum innoteſcere tibi meis litteris. Ego negare id officii Vero amico non potui, ratus te, cui nihil non ingenue volo cognitum, boni conſulturum. Iterum vale.

EIDEM.

NIhil ſane ex litteris tuis addiſcere jucundius potui, quam te in illo aſſiduo (& hac præſertim tempeſtate) per Provinciæ oram diſcurſu, valetudine frui firma. Utinam id liceat in Neſtoreos annos; adeò e re eſt generis humani, ut tales vigeant Principes, qui regimine ſubditis, exemplo univerſis proſint. Non parum tibi interim debet nobilis ordo Provinciæ, dum, ut commendes illius fidem, iis majoribus dignum prædicas, qui Carolum Imperatorem olim inglorium expulerunt. De me quod habes, nimirum eſt; ſed illud nimirum pro tua bonitate. De Merſenno dici non poteſt, quantum illum beaveris; verum alia inſtant, quæ ad te jam ſcribam. Nempe expectas Canonem de prænotione tertium. En verò cujuſmodi ſit. *Habenda prænotiones ſunt quam-maxime generales, ut argumentari tutius in ſingularibus liceat.* Hic ſupponitur prænotionem tantò generaliorem eſſe, quantò eſt ſingularibus conditionibus denudatior; ſic enim cum ex prænotione, exempli cauſa, hominis detrahimus alborem, nigrorem, adoleſcentiam, ſenium, eruditionem, ignorantiam, & alia quam poſſumus multa ſingulorum quorundam propria, ac ea interim retinemus, quæ communia ſint omnium, vel quam-maxime licet plurium, veluti eſt animal bipes, implume, & ratiocinii capax; tum prænotionem hominis, quam-maxime licet, generalem aſſequimur. Vides obiter prænotionem hanc non differre ab eo, quod vulgò in ſcholis, & univerſale, & cujuſque rei definitionem appellant, cum aliunde quoque videatur nihil eſſe aliud, quam idea Platonica, quatenus ſic abducta eſt a rebus ſingularibus, ut nulla ſit tamen ſingularis res, quæ non ex illius participatione noſcatur. Ceterum quia argumentari nihil aliud eſt, quam ex generali intelligere, colligere-ve ſingulare, notum eſt tanto tutius, faciliuſque id fieri, quanto prænotio eſt generalior. Quæratur, verbi gratia, de Æthiope, an ſit homo, aut non. Unde colligas autem, hærebis, ſi eam hominis prænotionem habueris, ut album eſſe animal debeat; at dices, & vere, & incunctanter eſſe, ſi colorem detraxeris. Nempe hæc ſtatim in animo argumentatio intercurret. *Quod eſt animal bipes, implume, & rationis capax id homo eſt, eſt autem Æthiops hujuſmodi, igitur eſt homo.* Quo loco agnoſcis operoſas illas argumentandi formulas non eſſe admodum ſcitu neceſſarias; ſiquidem modo in mente ſit generalis prænotio, concluſio de re ſingulari ſponte ipſa colligitur, nullaque arte Dialectices, ſed lumine ſolo naturæ eſt opus. Experientia ſane id docet in omnibus hominibus, etiam in pueris, ac ruſticis, qui modo habeant animum generali quadam alicujus rei prænotione informatum, concluſiones ita elicient, ut ne Dialecticiſſimi quidem Dialecticorum id faciant melius. Prænorit enim Ruſticus animal eſſe id, quod ſentit, ſeu videt, audit, &c. cum ſi ex eo quæras,

eſt-ne

eſt-ne Plato animal? putas-ne, aut hærebit, ut eſſe reſpondeat? aut ſi puſcatur ratio, etiam et hoc addat, quia ſentit? & præſcribet quidem Dialecticus dicendum in forma: *Quod ſentit eſt animal, atqui Plato ſentit, igitur Plato eſt animal*; ſed totus iſte ſyllogiſmus jam ab eo factus ſupponitur, cum brevitatis cauſa reſpondit, Plato eſt animal, quia ſentit. Unde & tametſi dicere non poſſit quid ſit propoſitio, quid aſſumptio, quid figura, quid barbara, quid alia id genus ſimilia; rem tamen ipſam tenet, ac præſtat. Et Dialecticus ſupra ipſum habet ſolum verba, ac obſervationes circa modum intelligendi aliquas; cum ille interim rem eandem, & quo par eſt modo intelligat; quod unum eſt operæ-pretium. Tu bene vale, Principum decus. Pariſiis, XVIII. Calend. Septemb. M.DC.XLII.

E I D E M.

NIhil ſane eſt, quod adiiciam meditationibus illis tuis, quibus poſſe eo, quo es natus, ac poſitus loco, ſic incumbere: abſit ut eſſe, vel fructuoſius, vel laudabilius quidquam poſſe? Qui ſecus faxit, haud quaquam mirum, ſi quid intereſt, ſemper ignorat; ſi dedecus domus ſciat ultimus, imò & forte nunquam ſciat, ſed ad Criterium, cujus eſt poſtremus Canon attexendus is ita habet: *Quæ minime evidentia ſunt, ex rerum evidentium prænotionibus demonſtrari debent*. Sic demonſtravit Epicurus inane rem inevidentem ex motu, qui evidens eſt. Sic pori cutis inconſpicui ex ſudoris conſpicui diminatione oſtenduntur. Notandum verò rem evidentem, quæ ad probandum aliquid inevidens aſſumitur, quæque vulgò, & medium, & argumentum appellatur, dictam fuiſſe antiquis ſignum, græce σημεῖον, καὶ τεκμήριον. Tametſi verò Epicurus pro eodem fere habeat τὸ σημειοῦσθαι, καὶ τὸ τεκμαίρεσθαι; videre tamen licet Quintilianum ſic diſtinguere, ut dicat τεκμήριον appellari *ſignum*, ſeu argumentum *neceſſarium*, quod cum aliter ſe habere non poſſit, vix pertinere ad artis præcepta videatur. *Nam*, inquit, *ubi eſt ſignum inſolubile, ibi ne lis quidem eſt*; σημεῖα verò appellari *ſignum*, non *neceſſarium*, comprehendens nempe ea, quæ εἰκότα Græci vocant, *quæque*, inquit ille, *etiamſi ad tollendam dubitationem ſola non ſufficiunt, tamen adjuncta cæteris plurimum valent*. Cum tam pauca porrò τεκμήρια Quintiliani ſenſu occurrant; quanti putas faciendum eſt ſi τὰ σημεῖα occurrerint, quæ haberi εἰκότατα, ſeu *veriſimillima* poſſint? ejuſmodi habuit Epicurus quam ἰσονομίαν dixit, & Cicero eſt *æquilibritatem*, ſeu *æquabilem tributionem* interpretatus. Ea æquivalet vulgari effato, *poſito uno contrariorum in rerum natura* [quod ſcilicet evidens ſit] *poni debet & alterum* (nempe quod ſit inevidens.) Uſus autem eſt τῇ ἰσονομίᾳ, ut demonſtraret, ſi *Mortalium tanta multitudo ſit, eſſe immortalium non minorem; &, ſi quæ interimunt, innumerabilia ſint; etiam ea, quæ conſervant, infinita eſſe debere*. Et obiicit quidem Cotta, *iſto modo, quemadmodum homines mortales ſunt, ſint aliqui immortales, & quemadmodum naſcuntur in terra, naſcantur in aqua*, &c. Verum hæc ſolem arguunt demonſtrationem ejuſmodi conſtare ex ſigno minime neceſſario; neque obſtare, quin ſit ex iis, quæ adjuncta cæteris, ex Quintiliano plurimum valent. Quod ſi quis putet, demonſtrationem inſtituendam ſolum juxta Ariſtotelem ex ſigno neceſſario, dicunt Græci ἀποδεικτικόν, Cicero *inſignem, ac propriam percipiendi notam* appellat. Id in Geometria quidem eſt verum, at non perinde in Phyſica, in qua univerſa, ne Ariſtoteles quidem ſuæ illius demonſtrationis ullum proferre exemplum poſſit. Sed hæc ſatis. Tu bene vale, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis, XI. Calendas Septemb. M. DC. XLII.

E I D E M.

QUod exoptas, optime Princeps, ut ad Criterium prænotionis accedat aliud, quo liceat actiones vitæ dijudicare, ecce quam opportunum ſit. Nempe dicendum ſupereſt de Criterio illo poſtremo, quod Epicurus *paſſionem* vocat, & quo dijudicari vult quidquid eſt agendum in vita. *Paſſionem* τὸ πάθος appellat; quam alia voce *perturbationem, commotionem, & affectum* interpretantur; complectiturque eo nomine tam voluptatem, quam moleſtiam; quas ideò vocat τὰ πρῶτα πάθη, *paſſiones primas*, quod cæteræ omnes ad eas referantur. Eſt ergo apud Euſebium hæc illius ſententia, τῆς αἱρέσεως, καὶ φυγῆς ἀρχὴν, καὶ κριτήριον ἔχειν ἡμᾶς τὴν ἡδονὴν, καὶ τὸν πόνον. *Voluptatem, & moleſtiam eſſe in nobis principium, Criteriumque proſecutionis & fugæ*. Idem habet apud Laërtium, ſupponens quidquid agimus, rerum proſecutionem, aut fugam eſſe; ac docens, cum deliberatur voluptatem, & moleſtiam tam præſentem, quam conſectaneam eſſe ſtudioſe attendendam. Sunt hac de re Canones quatuor, tanquam generales quædam regulæ omnium actionum humanarum, quas unico ecce proſpectu exhibeo. Canon I. *Ea voluptas, quæ nullam habet adnexam moleſtiam, amplectenda eſt*. Canon II. *Ea moleſtia, quæ nullam habet voluptatem adnexam, fugienda*. Canon III. *Voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem moleſtiam parit, fugienda*. Canon IV. *Ea moleſtia, quæ aut majorem avertit moleſtiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda*. Fecunditas magna horum Canonum; nam profeſſioni etiam Chriſtianæ quam maxime accommodantur. Verum & res eſt per ſe nota, meditationeque ſola indiget, & cum univerſa Moralis Philoſophia hinc pendeat, non eſt quod multis jam dicatur. Vale Principum optime, & ita age omnia, ut quidquid demum evenerit, nulla te actorum ſubeat pœnitentia. Pariſiis, IV. Calend. Septemb. M. DC. XLII.

E I D E M.

BEne me noſti, optime Princeps, quando mecum agis tanta confidentia. Iſthæc ſunt, quæ pro more eſt, ut tanto magis diſſimulanter, quanto impenſius afficiunt; tuque longe ſapientior es, quam ut, quod ad te attinet, ipſa fieri propalam velis. Sed nempe tu me illum habes, cui poſſis, ut tibi omnia dicere; & cum ea prudentia ſis, ut temere nihil efferas, eo ſimul candore es, ut fidum pectus latere nolis. Hæc porrò alias; nam & ſi quando te reviſere dabitur, animos feciſti, qui tum exardeſcent. Nunc cum habueris hactenus varios Canones de Criteriis rerum, ſupereſt, ut & duos accipias de legitimo uſu vocum. Unus ad illum, qui loquitur, alter ad illum, qui audit, ſpectat. Videlicet fabula vitæ his eſt actoribus contenta. En ergo priorem: *Dum loqueris, delige voces communes, & perſpicuas, ne aut ignoretur quid velis, aut interpretando tempus fruſtra teras*. Præceptum hoc

videa

Digitized by Google

vides, ac rationem ſimul. Cum enim vox ſit homini conceſſa, ut audienti mentem declaret, quidnam abſurdius facere poteſt, quam voces ab uſu alienas, obſcuraſque ſic uſurpare, ut declarari ipſum debeat, quod declarando eſt deſtinatum, & [quaſi luci lux alia, qua videatur, ſit neceſſaria] illi, qui interpretem agit, opus eſſe interprete? Et vulgatis quidem excuſatiu eſt, quod non ſemper voces familiares ſuppetant; ſed aut falſum eſt non ſuppetere, ſi modo quis rem probe teneat, & linguam rite calleat; aut præſtat eas ſupprimere, quæ nihil aliud, quam crucem figant. Quæritur, ut exemplo dicam, ecquid motus ſit, reſonant ſcholæ *eſſe actum entis in potentia, quatenus in potentia*. Quod me attinet, mallem dicere eſſe progreſſionem de loco in locum, vel mutatione loci [&, ubi volueris ad alia quoque extendere, mutationes qualitatis, &c.] quam tradere definitionem longe obſcuriorem ipſo definito. Neminem certe reperias, qui audito nomine, motus, non concipiat mente, quid ea voce velis; neminem, qui audita primum ea ſerie verborum, *actus entis in potentia, quatenus in potentia*, ſuſpicari poſſit, intelligi motum. An non præſtaret igitur illam prorſus negligere, quam rem ex ſe claram per eam obſcurare? Sed, ut prætercam cæteras, ecce ut pulchre Cicero notet diligentiam inutilem, qua uſi fuere Stoici in repudiatione communium, & inductione novarum vocum: *Zeno*, inquit, *Metelli vitam negas beatiorem, quam Reguli, proponendam tamen, nec magis expetendam, ſed magis ſumendam, & ſi optio eſſet, eligendam Metelli, reiiciendam Reguli. Ego quam ille proponendam, &c. magis eligendam beatiorem hanc appello, nec ullo minimo momento plus ei vitæ tribuo, quam Stoici. Quid intereſt, niſi quod ego res notas notis verbis appello, illi nomina nova quærunt, quibus idem dicant. Ita quemadmodum in Senatu ſemper eſt aliquis, qui interpretem poſtulet, ſic iſti vobis cum interprete audiendi ſunt. Bonum appello quidquid ſecundum naturam eſt, quod contra, malum; ſed nec ego ſolus, ſed tu etiam Chryſippe, in foro, domi, in ſchola deſinis. Quid ergo aliter homines, aliter Philoſophos loqui putes oportere?* (Scilicet illi valetudinem, verbi gratia, non bonum, ſed præpoſitum, præponendum-ve appellabant, & dolorem non malum, ſed reiiciendum) pergit: *Quanti quidque ſit aliter docti, aliter indocti; ſed cum conſtiterit inter Doctos quanti quidque ſit, ſi homines eſſent, uſitate loquerentur.* Hæc Cicero. Tu bene vale, Principum decus. Pariſiis Non. Septemb. M. DC. XLII.

E I D E M.

PRæclarum eſt, optime Princeps, quod eleganter exaggeras de humanæ mentis imbecillitate. Ea nempe eſt, ut nihil noſſe præter rerum corticem liceat, & ne minimæ quidem rei intima natura introſpici poſſit. Oh! ſi vel hoc unum intelligeremus, quomodo eliciatur viſio, res familiariſſimæ, qualis ſit hæc videndi vis, & qui fiat, ut talem rerum faciem percipiat? cur ſeu foras quidpiam prorumpat, ſeu ingeratur aliquid, conſequatur hæc adeò pulchra, & amabilis actio; quam ſpecioſus cenſeri poſſet vanitati noſtræ quæſitus prætextus? Nunc autem cum alta caligo menteis noſtras ſic occupet, ut tale nihil perſpiciamus, an non ſuppudere jactationis debet, qua efferimur, dum tantopere de noſtra ſolertia, & ſubtilitate gloriamur? Quod ſapienter addis *verborum diſſidium, ſi conſtet de re, non eſſe curandum;* id tum in mentem revocat, quod litteris nuperis ſcripſi, tum admonet, ut poſteriorem circa uſum vocum Canonem ſubiiciam. En ut illum conceperim: *Dum audis, id enitere, ut vim ſubjectam vocibus teneas, ne te vel præ obſcuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant.* Regulæ ſcopum duplicem vides; cum enim dicentem audiamus, ut veri quidpiam ab eo diſcamus, danda nobis opera eſt, ut & pernoſcamus quid velit, & caveamus ne fucum faciat. Sufficit porrò hic unus Canon, ſophiſmatibus omnibus ſolvendis; cum ſi priuſquam reſpondeamus ipſum Sophiſtam, ſeu rogantem, ſeu ſyllogiſmum obtrudentem interpellemus, ut explicet, ecquid ſingulis vocibus, propoſitionibuſve intellectum velit, cogatur obmuteſcere, aut futilitatem ſuam propalare. Nam finge Sophiſtam, qui roget, *An-ne omnis canis latrare poteſt, annon?* Ac eſſe, qui viciſſim quærat, *quid intelligis hoc nomine Canis?* Tunc ſi intelligere ſe dicat animal illud quadrupes, domeſticumque, nulli non notum, erit, quod reſpondens affirmet, ſed ille ridiculus erit, ſi pergat aſſumere, *aliquod Sydus eſſe canem;* tale ſcilicet animal, ut latrare Sydus concludat. Sin dicat ſe ſua interrogatione comprehendere etiam Sydus, tunc erit, quod reſpondens neget; ille verò interea comprobabit ſe ſtulidum, qui in Sydere transferat latratum. Quod ſi non roget, ſed una ſerie ſyllogiſmum totum contexat, rogandus erit pari modo, quid in prima propoſitione nomine Canis intelligat, efficieturque, ut hærere in ipſo limine cogatur; & qui ridere alium volebat, fiat ipſe ridiculus. Dicerem plura; ſed ſufficit id attexere, quod Seneca habet, dum rem indignam Philoſopho Sophiſmatum ſtructuram docens: *Tu mihi*, inquit, *verba diſtorques, & ſyllabas digeris; ſcilicet niſi interrogationes vaferrimas ſtruxero, & concluſione falſa à verò naſcens mendacium adſtruxero, non potero à fugiendis petenda ſecernere. Pudet me; in re tam ſeria ſenes ludimus. Mus ſyllaba eſt; Mus caſeum rodit, ſyllaba ergo caſeum rodit. Putas me nunc iſtud non poſſe ſolvere, quod mihi ex iſta ſententia periculum imminet? quod incommodum? ſine dubio verendum eſt, ne quando in muſcipula ſyllabam capiam, aut ne, quin, ſi negligentior fuero, caſeum liber comedat; niſi forte acutior eſt illa collectio; Mus ſyllaba eſt, ſyllaba autem caſeum non rodit; Mus ergo caſeum non rodit. O pueriles ineptias! In hoc ſupercilia ſubduximus, in hoc barbam demiſimus; hoc eſt, quod triſtes docemus, & pallidi.* Mitto cetera, quæ ille præclare, ac ſpeciatim dum iſta confert cum præſtigiatorum acetabulis, calculiſque, & captiones dicit, quæ nec ignoranti nocent, nec ſcientem juvant. Et tantum de Canonica compendioſe perſcriptum eſto. Tu, meum dulce decus, & præſidium, vale. Pariſiis, poſtridie Eid. Septemb. M. DC. XLII.

E I D E M.

QUam abſum longe, optime Princeps, ab eo, quem poſtremis litteris deſcribis! Putas me eſſe ἀπαθῆ; ego verò me παθητὸν, pluſquam credi poſſit, agnoſco. Sed nempe tu eximie bonus per-humane interpretaris quidquid in aliis humanum eſt, ac in me præſertim, in quo amor tuus ſcit lumina ex nævis. Ac verum eſt quidem animi paſſiones acriores in his, leviores in illis, plus, minuſve

erum-

erumpere; ſed & contingit, ut plurimum tanto graviorem eſſe affectum, quanto interius concoquitur; & utcumque etiam interius perturbatio non magna ſit, veriſſime tamen illud dicitur; *Quiſque ſuos patimur maneis*. Hinc & verius dici nihil poteſt, quam quod dictum eſt præclare a te, *illos cenſendos eſſe perfectos, qui minus imperfecti ſunt*. Scilicet nemo eſt hominum, qui vitiis prorſus careat, beatuſque ille habendus eſt, in quo & pauciora, & leviora vigent. Quod de amicitia non jam primum habes, id ipſum pergit in me ruborem, paſſionemque adeò creare; quando is non ſum, qui cum, & te inter amicitiæ jus, quod æqualium eſt, verſari dicatur. Benevolentia erga me tua, obſervantia erga te mea, genere alio relationis, quam *æquiparantiæ*, ut Scholæ loquuntur, explicanda eſt. Enim verò tua erga me benevolentia modum neſcit; & me quod ſpectat, rem ſic accipio, ut tu cenſeas me, dum te veneror, eum eſſe, qui revera ſum, videlicet φιλαναλέτιον. Aggreſſurus fui ſcribere ad te de nobili illa Philoſophiæ parte, quæ Phyſica dicitur (nempe quæ de Canonica dici poterant, hactenus perſcripſi) verum id officii abs me inpræſentiarum exigitur, ut inhumanus plane ſim, injurioſeque ἀπαθὴς, niſi eo ſtudioſe defungar. Itaque ſtylum heic abrumpo, ſperans, ſi quid jacturæ vertas (licet profecto tanti non ſit) dandis proxime litteris id cum fœnore compenſare. Quæſo te interea, ſi vacet, eam Præfationem pellegas, quam libris quæſtionum naturalium Seneca Vir magnus præfixit. Legiſti jam illam haud dubie; at eum iteratò, eum attente, cum mei memor repetes, novam flammam haud dubie cum voluptate nova concipies. Vale Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, XIII. Calend. Octobris M. DC. XLII.

Bervillæ ſalutem.

E I D E M.

NOn diſplicuiſſe tibi priorem de vocibus Canonem, & placiturum quoque eum fuiſſe, qui ab illo ſupererat, res eſt mihi per quam jucunda. Agedum nunc relictis verbis, emergamus ad ipſas res, res ſcilicet, quas Phyſica, de qua recepi aliquid ad te ſcribere, contemplatur. Mitto porrò Phyſicam dici ἀπὸ τῆς φύσεως *a natura*, & cum ſit vox φύσεως ἀπὸ τοῦ φύειν, quod eſt tum *naſci*, tum *gignere*, ideò naturæ nomen complecti non modo quidquid naſcitur, ſed etiam quidquid eſt ejus cauſa, & quidquid proinde in Univerſo eſt. Ex hoc certe eſt, cur interdum, & univerſitas ipſa rerum, & univerſæ vis agendi, quæ in rebus eſt, natura vocetur; interdum & quævis ſingularis res, & quod ſingulare, ac internum eſt in *ipſa* agendi principium. Vides proinde cur Epicurus Phyſicam ſcientiam, ſeu φυσιολογίαν, ſic enim appellat, definiat, quæ τὴν περὶ φύσεως θεωρίαν πᾶσαν ἔχει, *univerſam de natura ſpeculationem continet*, ea videlicet tam naturæ rerum univerſæ, quam ſingularis cujuſque rei perſcrutari debet principia, parteis, cauſas, vireis, proprietates, actiones, effecta, & quidquid demum ad illam intime cognoſcendam ſpectat. Quamobrem autem quidpiam dicatur aliquando fieri natura potiuſquam, vel arte, vel caſu, vel arbitrio, vel divinitus, id ex iis, quæ alias ediſſerentur, fiet perſpectum. Nihil heic de origine, ſeu antiquitate Phyſiologiæ addo; quippe ea videtur eſſe cum ipſis hominibus nata; neque enim homines primi potuere oculos in Cœlum, aliaſ-ve res convicere, quin noſſe appetierint, requiſierintque unde quidque eſſet. Et quamvis Thales Mileſius dicatur Phyſicorum primus; id tamen duntaxat, quia expoſuit primus, quæ de natura perceperat, vocibus vulgò intellectis, non Deorum, aliarumve rerum fabuloſarum nominibus, ut Poëtis, qui ante id tempus philoſophabantur, mos erat. Certe & cum Thales Eclipſin prædixit, anteceſſores habere debuit, qui conſimileis plureis adnotaſſent; quod illum quoque non pernegaſſe apud Plutarchum legitur. Nihil addo etiam de Phyſicæ ſcopo, cum qui eſt alias univerſæ Philoſophiæ propoſitus, ut comparanda tranquillitas, tollenda admiratio, voluptas inde conſequens, id ad partem hanc præſertim attineat: Hoc ſolum admoneo corrigendum ſcopum, quem Epicurus præſtituit, dum eum fructum voluit ex Phyſiologia colligi, ut liberemur terroribus, qui partim ex Eclipſibus, Fulminibus, Cometis, ceterique ſimilibus; partim ex morte ipſa impendent. Non ſane quod ipſa terrorum depulſio, ſi præciſe conſideretur, legitimus ſcopus non ſit; ſed ille voluerit tum ſublimia illa (ita enim vocat, non eſſe timenda, quaſi nulla divina vi, inſtitutione, cura contingant) tum mortem metuendam non eſſe, quaſi animus ſuperſtes non ſit, & inferi ipſi ſint mera commenta. Videlicet poſſunt ſublimes affectus juxta inſtitutam a Deo rerum ſeriem contingere, & nos tamen non conturbare, qui noverimus Deum ſinere cauſas naturaleis ſuas agere vices, ac eſſe aliunde optimum parentem, qui nihil inſtituerit, nihil patiatur accidere, niſi in noſtrum commodum; tametſi id nos ut plurimum lateat. Poteſt quoque & immortalis ſupereſſe animus, & non eſſe fabula mera, quod proditur de Inferis; ac non ideò tamen perterrere nos, quibus ſit compertum ſupplicia infanda manere ſolos improbos, delicias verò æternas probos; quales ut ſimus ſtudendum ſit, ſi homines quidem dicamur, & ſimus.

Sic igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe'ſt
Non radii Solis, neque lucida tela diei,
Diſcutiant; ſed naturæ ſpecies, ratioque.

Ut iiſdem verbis, ſed alio ſenſu cum ipſo Lucretio concludam. Tu optime vale, decus Principum, præſidium, ac decus meum dulce. Pariſiis VI. Calend. Octob. M. DC. XLII.

Viro Amico, & Erudito Samueli Sorberio

PETRUS GASSENDUS S.

BInas abs te litteras habeo, ex quo te iſtuc recepiſti. Utriſque eum erga me amoris affectum teſtaris, qui ſit dignus tua indole; cum in me quidem nihil ſit, quod præter effuſam in te voluntatem ſuſpicere poſſis. Quod certe habes de comparatis ad aliquid nugarum mearum excudendum Typographis, officij tui totum eſt; quippe nihil veritus es tua commendatione illas prægravare. An non fuit tibi proſpiciendum, ne te pro Viro, qui ſolvendo non eſſet, præſtares ſponſorem? Quam putas enim levis rei eſt mea illa congeries Epicurearum Commentationum? Non auſim ſane committere, ut in apertum prodeant; abundeque eſt, ut amici, qui

ei, qui ferre nævos patienter poſſunt, illarum participes fiant. Prodromus Exercitatiunum Paradoxicarum libellus tanti non eſt, ut iterato lucem accipiat. Ad inſtantias quod attinet, conceſſi lubens Pratæo noſtro, ut licet res digna ea cura non ſit, appareat, quia vult, illarum exemplum. Quod aliunde habes de optimis Viris Riveto, Voſſio, & aliis, id & factæ abs te mentioni, & bonitati eorum eximiæ, quam ſum præſens expertus, debeo. Utinam forem pro viribus, ut me illorum benevulentia, & tua ſimul erga me propenſione dignum probarem. Dicere non poſſum quam fuerit res grata id accipere, quod ſubindicaſti poſterioribus litteris, fuiſſe te nempe illuſtri illa Rhingravij domo exceptum. Audio Riveti facinus eſſe, vertant illi proſpere omnia, quando bonis tam bene vult. Vale, mi Sorberi, & me ſemper ama. Pariſiis, v. Cal. Octob. M. DC. XLII.

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

PAuca ſum nuper ad te ſcribens circa Phyſiologiam præfatus. Addo jam duo capita, quæ non videntur prætermittenda. Alterum eſt de methodo, qua Epicurus philoſophandum in Phyſiologia cenſuit; alterum verò eſt de ordine, quo in ea procedendum innuit. Et circa prius quidem duæ ſunt præcipuæ ejus regulæ. Una, *οὐ κατ' ἀξιώματα κενὰ, καὶ νομοθεσίας φυσιολογητέον, ἀλλ' ὡς τὰ φαινόμενα ἐγκαλεῖται: Philoſophandum eſt de natura, non ex vana auctoritate, & quadam quaſi legis præſcripto, ſed prout d poſcunt, quæ nobis apparent.* Aurea, ut vides, ſententia, & quæ adjuvanda non ſit; quando conſtat illum non philoſophari, qui ex alieno nutu pendet, qui ducem habet non rationem, non obſervationem, atque experientiam, ſed placitum Magiſtri ſolum, in cujus verba juratum ſit: Altera, *τηρητέον τε, καὶ διαιρετέον ἅπερ μοναχὴν ἔχει τοῖς φαινομένοις συμφωνίαν, καὶ ὃ ἂν τι μαρτυρεῖται τοῖς παρ' ἡμῖν γινομένοις πλεοναχῶς συντέλεσται. Attendendum, ac diſcernendum quæ ea ſint, quæ ſingularem habent cum apparentibus conſonantiam, & quæ pluribus modis fieri conſonum eſt iis, quæ apud nos fiunt.* Scilicet, cum philoſophando de rebus occultis judicandum ſit ex iis, quæ apparent, diſtinguendum voluit inter ea, quæ apparent unico modo evenire, & ea, quæ contingit fieri pluribus; ut cum dicere liceat ea ſe habere certo modo, quibus reſpondent apparentia, quæ unico modo eveniunt, non perinde dicamus ea certo aliquo modo fieri, quibus apparentia reſponderint, quæ fieri pluribus contingit. Priora generis eſſe duxit *Inanis* exiſtentiam, & *Principiorum* inſectilitatem. Poſterioris ea, quæ *Sublimia* dixit, ut Phaſeis Lunæ, Eclipſeis, Cometas, Tonitrua, &c. quorum omnium adnixus eſt tradere modos, cauſaſque plureis. Cur ſic fecerit, audi Senecam, qui relatis cauſis Terræ motus multis, *Omneis*, inquit, *iſtas eſſe poſſe cauſas Epicurus ait, pluresque alias tentat, & alios, qui aliquid verum ex iſtis eſſe affirmaverant, corripit; cum ſit arduum de iis, quæ conjectura ſequenda ſunt, aliquid certi promittere.* Circa poſterius verò caput, videtur ille Phyſiologiam effeciſſe quadripartitam; quippe, quantum colligi poteſt ex iis, quæ reſtant monimentis, egit *Primum* de Univerſo, deque Atomis, & Inani, ex quibus illud compoſuit, & conſequenter de rerum omnium, quæ generantur, & corrumpuntur, principiis, cauſiſque, & de ipſo Ortu, ac interitu, de Motu, atque Mutatione, de variis qualitatibus, quæ mutationem conſequuntur. Egit *Secundo loco* de Mundo, tanquam de parte Univerſi; nimirum eſſe putavit plureis, qui noſtri hujus inſtar, ſint omnes, & ortui, & interitui obnoxii. *Tertio* de Sublimibus *περὶ μετεώρων*, ſic enim vocavit quæcumque viſuntur in ſuperiore regione Mundi; ſeu nempe in Cœlo, ſeu in Aëre, atque adeo non Aſtra modo, ſed Meteora etiam ſpecialiter dicta. *Denique* de Humilibus, quo nomine complecti licet, tum ipſum Telluris globum, ex Terra, & Aqua conſtantem; tum quæ ille putavit Inanima eſſe, hoc eſt, tam foſſilia, quam plantas; tum quæ prædita Anima, ſcilicet ipſa animalia, e quorum numero eſt homo. Et poſſet quidem alius præterea ex ipſo ordo colligi, cum & alium ſit ſequutus Lucretius, qui cetera inter ſublimia poſtpoſuit. Verum qui propoſitus eſt, commodus præcipue apparet. Pelagus immenſum, Princeps Optime, ſed pergendum tamen quouſque licebit. Hæc nempe ſunt ſtudia, quibus incumbendo *eſt aliquo prodire tenus, ſi non datur ultra*. Tu bene interea [u Decus meum] vale. Pariſiis v. Non. Octob. M DC. XLII.

E I D E M.

LItteras accepi geminas, ex quo ipſe dedi poſtremas; ſed Victuriani nempe Abbatis, Prudomique abſentia priores ſerius redditas fecit; utriſque & eruditionem, & benevolentiam erga me oppido ingentem teſtaris. Ego verò, ut illam revereor, hanc exoſculor; ita pudore plane ſuffundor. Profecto enim de me, & ſentis, & ſcribis magnifice nimis; eaque interim bonitate, ac induſtria rem temperas, ut ſive annuam, leviculus ſim; ſive abnuam, parum decore faſtidioſus videri poſſim. Abnuo tamen potius, qui plus mihi debeo, quam alius de me credere; neque hæreo, quin tu, qua ea indole, id candori potius, quam faſtidio vertas. Non facio aliunde, quaſi præſcripturus, qua mecum ratione debeas agere; id enim pleni tibi eſt juris, nimiumque eſt, quod ſic me ames, ut modo tandem quocumque agas; ſed facio ſolum, ut inſinuem agnoſcere me, & quantus tu ſis, & quantulus ego, quem tu ſic exornas. Sed age dum ad inſtitutum. Ex iis, quæ nuper deducta ſunt, colligis eſſe jam aliquid de univerſo perſcribendum. Ecquænam verò putas eſt vocis hujuſmodi notio? nomine quidem *Univerſi* nihil aliud intelligitur, quam ipſa rerum omnium complexio; at cum ex Phyſicis antiquis alii complexionem hanc ſtrictius, alii laxius acceperint, idcirco non omnes perinde univerſum intellexerunt. Plato, & Ariſtoteles, *τὸ ὅλον, τὸ πᾶν, totum*, ſeu *omne*, vel *univerſum* idem cum *Mundo* eſſe voluerunt, neque enim exiſtimarunt præter iſtum Mundum eſſe aliquid; quæ eadem videtur fuiſſe Heracliti, Thaletis, paucorum aliorum ſententia. Ceteri aliud univerſum, aliud Mundum eſſe cenſuerunt; nam univerſum quidem putarunt eſſe in immenſum diffuſum; Mundum verò, ut pote ſuis definitum limitibus, perexiguam eſſe univerſi partem. Cum iſti porrò opinarentur eſſe circumquaque

ultra

ultra iſtum Mundum ſpatium aliquod infinite ſparſum; fuere, qui illud habuerint omnino inane, ſeu vacuum, ut inprimis Pythagorici, qui neceſſarium eſſe duxerunt, ut eſſet, in quod, & ex quo reſpirare hic Mundus poſſet; ac Stoici etiam, qui id admiſerunt, ut eſſet, in quod Mundus olim conflagraturus diſſolveretur. Fuere qui materia oppletum totum habuerint; quemadmodum Empedocles. Fuere & qui partim inane, partim plenum poſuerint, ut quotquot præſertim aſſeruere plures, infinitos-ve eſſe Mundos, infinitaque principia, ex quibus poſſent Mundi compingi. Hujuſmodi fuiſſe perhibentur, tum Sectatores Thaletis ad Socratem uſque, ſi Anaxagoram exceperis, tum ex Secta Italica Xenophanes, Leucippus, Democritus, Metrodorus, Anaxarchus, maxime verò Epicurus. Ex hujus mente eſt, quod Lucretius univerſum appellat *Omne, naturam omnem, naturam rerum, ſummam rerum, ſummam totam, ſummai totius ſummam. &c.* Adnotari autem heic poteſt commendari Epicurum a Lucretio, quod non paſſus, animum iiſdem, quibus Mundum, coarctari anguſtiis, illius clauſtra confregerit, ſpatiatuſque fuerit liberrimis ſpatiis.

Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Proceſſit longe flammantia mœnia Mundi;
Atque omne immenſum peragravit mente, animoque.

Et vide ut admoneat:

Hiſce tibi in rebus late'ſt, alteque videndum,
Et longe cunctas in parteis diſpiciendum;
Ut reminiſcaris ſummam rerum eſſe profundam,
Et videas Cœlum ſummai totius unum,
Quam ſit parvola pars, & quam multeſima conſtet.

Tum non multo poſt:

Scilicet & fluvius, qui non eſt maximus eiſ'ſt,
Qui non ante aliquem majorem vidit; & ingens
Arbor, homoque videtur, & omnia de genere omni,
Maxima, quæ vidit quiſque, hæc ingentia fingit,
Quom tamen omnia cum Cœlo, terraque, marique,
Nil ſint ad ſummam ſummai totius omnem.

Cetera alias. Accipies una Epiſtolarum aliquot recens excuſarum exemplum. Forte ſatis animi erit, ut occaſione proxima aliud pro Bereculio mittam. Vale interea, Principum decus. Pariſiis VI. Eid. Octob. M DC XLII.

E I D E M.

EGregia fuit ſane tua illa diſtinctio, cum id ſeparans, quod Epicurus parum pie de Deo ſentit, id amplexus es, quod ex Phyſiologia conſequi licet emolumenti. Id pari modo jam facito. Dicebam nuper ex Viri mente aliud eſſe univerſum, quam Mundum; addo jam ex eadem, conſtare univerſum ex natura duplici, corporea nempe, & incorporea; & illa utraque eſſe infinitum. Natura corporea duplex ipſi eſt, ſimplex ſcilicet, & concreta, ſive mavis compoſita. Simplex eſt, quæ paſſim Atomus dicitur, pus ut illud minimum, in quod vi naturæ reſolvi quid poteſt. Concreta, quæ contexta eſt ex ſimplicibus, ſive Atomis, ut lapis, ut planta, ut Terra, ut Mundus. Appellat autem, tam ſimplicem, quam concretam naturam corpus. Naturam incorpoream ab voce *ἀνάφην intactilem* dicit, ac per ipſam nihil aliud, quam inane intelligit. Putat ſiquidem nihil poſſe incorporeum intelligi præter inane ſpatium, quod aliunde tale deſcribit, ut *neque agere, neque pati poſſit, ac præſtet ſolum, ut corpora moveri per ſeipſum poſſint*. Et dari quidem corpora in univerſo ex ſenſu probat; dari inane ex ipſo motu; nihil verò dari præterea ex eo arguit, quod præter naturam, quæ ſit ſolida, quæque tangi, vel tangere, pati, vel agere, pellere, vel reſiſtere, ceteraque id genus valeat; ac præter naturam, quæ nihil omnino ſoliditatis habeat, neque iſtorum quidquam præſtet, concipere tertiam non liceat. Concludit proinde Lucretius.

Omnis ut eſt igitur per ſe natura, duabus
Conſiſtit rebus, quæ corpora ſunt, & inane.

Atque hoc quidem loco peccatum Epicuri fuit, non quod appellavit inane naturam incorpoream; ſed quod non aliam propterea incorpoream agnoverit, qualem nos eſſe profitemur, & Divinam, & Angelicam, & Animorum humanorum, ut ſuis locis dicendum eſt. Objici Epicuro poſſet, præter illas duas naturas, dari gravitatem, levitatem, calorem, frigus, &c. Verum, ut Ariſtoteles iſta appellat accidentia, & non tam entia eſſe vult, quam Entis entia, ſeu modos Entis; ita omnino Epicurus ipſa appellans, *καὶ συμπτώματα, καὶ συμβεβηκότα*, ſeu ex Lucretii interpretatione, conjuncta, & eventa conſiderari illa non vult, ut aliquas per ſe naturas, neque, ut aliquid diſtinctum a duabus hujuſcemodi

Nam quæcumque cluent, aut his conjuncta duabus
Rebus ea invenies, aut horum eventa videbis.

Dicere deberem de infinitate; verum occaſione proxima commodius. Hac ipſa attexo exemplum, cujus ſuperiore jam commemini. An non vel ex eo boni conſules, quod id Bereculio noſtro deſtinetur? Vale, o decus Principum, o præſidium, ac decus meum dulce. Pariſiis XVI. Kal. Novemb. M. DC. XLII.

E I D E M.

BEas me valde, optime Princeps, dum tanti ducis meas litteras, ut ex ipſis ſemper aliquid retractes. Scilicet non majore poſſes argumento oſtendere eſſe eas tibi non injucundas. Pergo itaque quod ceperam nuper ex Epicuro dicere, univerſum nempe eſſe infinitum, tam multitudine corporum, quam magnitudine ſpatiorum. Et generatim quidem eſſe non poſſe univerſum finitum probat, quia quidquid finitum eſt, id concipi poteſt cerni aliunde extrinſecus; at cum univerſum complectatur omnia, atque idcirco omnem locum, nullus poteſt concipi locus, ex quo cernatur extrinſecus, quamobrem concludit non poſſe univerſum eſſe finitum:

Omne, quod eſt igitur, nulla regione viarum
Finitum'ſt; namque extremum debebat habere.
Extremum porrò nullius poſſe videtur
Eſſe; niſi ultra ſit, quod finiat, ut videatur,
Quo non longius hæc ſenſus natura ſequatur,
Nunc extra ſummam, quoniam nihil eſſe fatendum'ſt,
Non habet extremum; caret ergo fine, modoque.

Speciatim autem de ſpatiis probat, quia nullum eſt ſpatium aſſignabile, ultra quod aliud cogitari, aſſignarique non valeat. Nam ut dicas totum ſpatium occupari ab iſto Mundo; concipiatur, inquit, aliquis exiſtens in ipſa ora Mundi extrema, è qua telum extrorſum vibret; aut

procedet telum, & ſic erit ſpatium, per quod illud tranſvolet; aut non procedet, quia impeditur; & cum impedire nihil poſſit, niſi corpus, illud erit igitur extra Mundum corpus, atque adeo ſpatium, quod id occupet; quare & cum poſſit de qualibet ſpatiorum parte idem dici, ideo carebunt ſpatia extremis, ſeu, quod idem eſt, erunt infinita:

Hoc pacto ſequar, atque oras ubicumque locaris
Extremas, quæram quid telo denique fiat:
Fiet uti nuſquam poſſit conſiſtere finis;
Effugiumque fuga prolatet copia ſemper.

De corporibus verò probat, quia ſi cum ſpatia ſint infinita, finita forent corpora, hoc eſt, non tam Mundi, quam atomi, ex quibus ſunt Mundi; tunc quæ corpora in iis moverentur, in immenſum excurrerent, neque mutuo ſibi occurrere, ſeque apprehendere unquam poſſent. Quare neque fieret, ut coire poſſent, & ſive Mundum, ſive aliam quamlibet rem progignere:

——— Nunquam concreta creaſſent
Ullam rem; quoniam cogi disjecta nequiſſent.

Unde, & concludit, quemadmodum ſpatia magnitudine infinita ſunt, ita debere corpora multitudine eſſe infinita. Quo loco cum infinitudo ſpatiorum tolerari poſſit; ſi quidem, & noſtri plerumque admittunt eſſe ultra Mundum infinita ſpatia, quæ *Imaginaria* appellant, & in quibus fatentur Deum poſſe condere innumeros Mundos; non perinde tamen tolerari poteſt infinitudo corporum, quando adverſatur Fidei principiis, ut ſit quidpiam aliud præter Mundum hunc, qui finitus cum ſit, ex infinitis conſtare non poſſit. Hinc neque ea ratio concludit, qua infinitudo corporum probatur; quoniam neque Mundus, neque aliud quidquam ex fortuitu ullo atomorum concurſu fit, ſed Deo condente, atque diſponente originem habet. Sunt præter hæc duo alia quædam, quæ ille habet de univerſo, ſed cum jam non vacet, aliàs referam, quippe & hæc ipſa tumultuarie ſcribo. Tu interea vale, decus Principum, ac decus meum dulce. Pariſiis ix. Kal. Novemb. M. DC. XLII.

E I D E M.

QUam poſtremis litteris tuis, & teſtationem eruditionis, & ſignificationem affectus erga me demonſtrare pergis, non eſt, quod multis jam repetam. Satis eſto, eum eſſe te, quem maxime omnium mortalium ſuſpiciam, & colam. Ad illud, quod nuper conſcripſi, univerſum ex Epicuro eſſe, dicique infinitum, id inprimis conſequitur, ut centro, ſive medio careat. Non eſt verò opus id pluribus probem; cum ſatis conſtet non eſſe centrum, ubi circumferentia non eſt; nec medium, ubi non ſunt extrema. Hinc, quod vulgo centrum, ſeu medium vocamus, id dicitur reſpectu Mundi; eodemque pacto, qui alios eſſe præter hunc Mundos aſſerunt, ſuum cuique centrum, ſeu medium aſſignant; cum interim tamen ipſi univerſo, ſive rerum ſummæ, nihil ſimile tribuant. Quamobrem & non negant quidem, quin ſint partes Mundi undique cum centro revinctæ; & motus omnes, vel ad ipſum, vel ab ipſo, vel circa ipſum medium ſint; at non concedunt tale quidpiam in univerſo exiſtere, verſum quod omnia comitantur, aut cui illigata cohæreant:

Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium ſumma (quod dicunt) omnia niti,
Nam medium nihil eſſe poteſt, ubi inane, locuſque
Infinita; neque omnino, ſi jam medium ſit,
Poſſit ibi quidquam hac potius conſiſtere cauſa,
Quam qualis alia longe regione manere.
Omnis enim locus, ac ſpatium, quod inane vocamus,
Per medium, per non medium concedat oportet,
Æque ponderibus motus quacunque feruntur.

Obeſſe Epicuro videtur, quod atomorum explicans motum, tendere illas deorſum dicit. Si ſint enim in univerſo, quæ dicimus loca deorſum, ac ſurſum, ſeu ſuperum, ac inferum, neceſſe videtur, ut in univerſo detur centrum, ſeu medium, cujus reſpectu illa dicantur. Sed nempe loca ſurſum, deorſumque accipiuntur quidem juxta Ariſtotelem ex comparatione medii, extremique in ipſo Mundo; at non perinde juxta alios, Platonemque potiſſimum, qui docet in Mundo nihil abſolute ſurſum, deorſum-ve magis, quam prorſum, aut retrorſum, dextrorſum, aut lævorſum dicendum. Sed iſta omnia ſolum dici comparatione animalis, ac pro eo ſitu, quem ipſum in Mundo habere contingit. Unde & Mundi circumferentiam extremum quidem, ſed non ſupremum; ac centrum ipſum medium quidem, ſed non infimum locum vocat. Referam aliàs quomodo grave, & leve proinde accipiat, non reſpectu centri, ſed reſpectu loci, ad quem quidlibet ſponte fertur, aut a quo vi abducitur. Hoc ergo modo, cum Epicurus meminit locum ſurſum, ac deorſum, ipſa intellexit poſitione ſolum, comparateque ad animal, quod fingens ubivis in univerſo conſtitutum, habenſque hinc a capite, verſum quod atomus accedat; hinc a pedibus, ultra, quos diſcedat, lineam infinite protenſam; idcirco totam illam regionem, è qua atomus advenit, appellavit ſurſum, illam, in quam abit, deorſum. Id deinde ex univerſi infinitate conſequitur, ut cenſeatur immobile. Verum hac de re alia occaſione. Vale interea, optime Princeps, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis pridie Cal. Novemb. M. DC. XLII.

Quæſo Bereculia, ac Bervillæ ſalutem.

E I D E M.

DIcerem jam plura circa id, quod rogas de inani, ſeu vacuo; ſed ne aliquid anteverterem, faciet ſatis, quod jam perſcripſi in tranſmiſſis Epiſtolis *de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis*. Significaſti redditas fuiſſe, & [quæ tua eſt comitas] velle ipſas te legere non ſemel; quæſo vel ſemel legere digneris, quos *de vacuo* articulos interſertos habes ad paginam 62. itemque ad 196. & 198. Nempe quod abs me exigis, ita locis illis expreſſum comperies, ut non fuerim hic expreſſurus melius. Addo duntaxat Epicurum accipere inane, ſeu vacuum, non modo pro ſpatio, ſeu loco inoccupato a corpore; verum generaliter etiam pro loco, ſeu ſpatio, quod ſua natura inane eſt, quodque ſive in eo ſit corpus, ſeu non ſit idem invariatum, immotumque manet. Ac tale quidem ſpatium aſſeruit eſſe infinitum, totumque hunc Mundum puſillam ipſius occupare particulam; quippe, cum extra Mundum ſuperſit quoquoverſum infinite diffuſum, ſintque in ipſo alii Mundi, ac per ipſius immenſitatem atomi, ſeu corpuſcula infinita varie diſcurrant, quæ valeant in Mundos compingi, & in quos, aut conſimiles compacti Mundi reſolvi

Digitized by Google

vi poſſint. Hoc proinde eſt, quod jam ante ſcripſi, ex illius mente, nihil eſſe in univerſo præter inane [intellige ſpatium] & corpora [intellige atomos, Mundoſque ex ipſis compactos] ac univerſum, tam illius diffuſione, quam iſtarum multiplicitate eſſe infinitum. Ex his porrò intelligis, quod dicendum ſupererat ex ſuperiore Epiſtola, nempe univerſum ex Epicuri mente immutatum perſeverare, nam Mundum quidem, verbi cauſa, non vult immutabilem eſſe, quod extra Mundum locus pateat, unde plagam accipere, aut quo exſolutus excedere poſſit. At non perinde univerſum, quando neque locus, neque aliud quidpiam extra ipſum eſt, cum ſit infinitum, omniaque complexum. Huc ſpectat Lucretianum illud.

Nec rerum ſummam commutare ulla poteſt vis;
Nam neque quo poſſit genus ullum materiai
Effugere ex omni, quidquam 'ſt, neque rurſus in omne
Unde coorta queat nova vis irrumpere, & omnem
Naturam rerum mutare, & vertere motus,

Addit, tametſi intra univerſum varii fiant motus, poſſe tamen ipſum ſecundum ſe totum immotum cenſeri. Res eſt perinde intelligenda, ac dum quiſpiam ſtare cenſetur immotus, intra quem tamen cerebrum, pulmo, cor, arteriæ, humores ipſi varie moventur. Cum ille verò rem exprimat ſimilitudinibus aliis, illam quidem prætereo de grege ovium procul paſcente, immotoque viſo, dum interim oves ſingulæ varios motus obeunt. Sed continere me non poſſum, quin aliam attexam, quæ ut perelegnter exprimitur, ſic tuam attinet profeſſionem:

Præterea magnæ Legiones cum loca curſu
Camporum complent, belli ſimulacra cientes:
Et circumvolitant Equites, medioſque repente
Tranſmittunt, valido quatientes impete campos,
Fulgur ibi ad Cœlum ſe tollit, totaque circum
Ære renideſcit tellus, ſubterque virûm vi
Excitur pedibus ſonitus, clamoreque montes
Icti rejectant voces ad Sydera Mundi,
Et tamen eſt quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, & in campis conſiſtere fulgur.

Subiicere Anaximandrum, Xenuphanem, Metrodorum, alioſque complureis in eadem fuiſſe ſententia. Attingerem præſertim quidpiam de Parmenide, & Meliſſo ob ſugillationes Ariſtotelis; ſed & res præſtari aliàs poterit, & videtur jam adhibendus modus. Tu, o Principum optime, & dulce decus meum vale. Pariſiis, VII. Eid. Novemb. M. DC XLII.

E I D E M.

QUod poſtremis litteris tuis attigiſti de atomis, monet me, ut de iis dicturus, præmittam earum Aſſertores, ac Epicurum inprimis, non in eo peccaſſe, quod atomos eſſe ſimpliciter dixerint; ſed quod improductas a Deo, & [quod memoratum jam eſt] infinitas poſuerint. Nam ſimpliciter quidem dicere atomos, nihil aliud eſt, quam dicere primam materiam; unde & quod non improbatur in ceteris Philoſophis, qui ſub aliis nominibus materiam primam conſtituerunt, id non poteſt in Epicuro ſub eo nomine improbari. At aſſerere atomos æternas eſſe, ingenitaſque, hoc tam non ferendum in Epicuro eſt, quam non fertur in Ariſtotele, Platone, & aliis, qui pari ratione materiam æternam, ac ingenitam eſſe defenderunt. Ceterum, cum vulgo obſerves Ariſtotelis materiam admitti, ea præmiſſa caſtigatione, quod creata a Deo ſit, agnoſces poſſe atomos quoque, ſupponendo illas a Deo creatas eſſe, retineri. A notatione ut exordiar, notum eſt quidem ἀτόμους, ſeu ἄτομα dici, quaſi *individua*, ſeu *inſecabilia*, ſed vulgaris tamen hallucinatio eſt, quod atomi vulgo habeantur, quaſi mathematica puncta, quæ impartilia eſſe debent, quod partibus careant, magnitudineque omni destituantur; cum atomi tamen a ſuis Auctoribus, & habere parteis, & prædita eſſe magnitudine aſſerantur, ac eo nomine tantum appellentur, quod ſint adeo ſolida, ſeu, ut ita loquar, compacta, & dura, ut nulla ſit vis, qua ſecari poſſint. Perſpectam habes, optime Princeps, opinionem celebrem, ſtatuentem unumquodque corpus [etiam animalculum Acari, ſummam ve ejus pediculum] dividi poſſe in infinitum. Epicurus id non concedit; verum exiſtimat naturam ſic exſolvere poſſe omnia in particulas minutiſſimas, ut in aliquibus tandem minimis conſiſtat, quas exſolvere deinceps non valeat. Ita cum ex Acari, verbi gratia, fecerit natura millenas particularum myriadas, & ex unaquaque iſtarum, milleneis, ac pluréis, ſi volueris, contendit, fore ut poſtremum perveniatur ad minimas, quæ ſint ulterioris exſolutionis incapaces. Iſtæ igitur minimæ particulæ, atomi ſunt, de quibus ille loquitur; corpuſcula videlicet omnium minima, atque prima. Ad mitari proinde poteſt diſtingui ab ipſo triplex minimum, Matheſeos, naturæ, & ſenſus. Et minimum quidem Matheſeos eſt punctum, quod ex ſuppoſitione ſolum eſt fingitur ve a Geometria. Minimum naturæ eſt ipſa atomus, in quam omnis reſolutio deſinit, a qua incipit omnis compoſitio. Minimum verò ſenſus eſt, quo nihil minus cadit in ſenſum, cujuſmodi eſt Acari, exempli cauſa, reſpectu viſus. Ex quo atomus eſt veluti media inter minimum Matheſeos, & minimum ſenſus; quatenus ut in atomo ſupponere licet innumera puncta, ita in Acari intelligere licet innumeras atomos. Ne videatur porrò Epicurus eſſe, aut primus, aut ſolus, qui atomos defenderit, ecce invexit illas Moſchus, de quo Empiricus, & Strabo etiam ante bellum Trojanum, ac deinceps, præter Leucippum, Democritum, Metrodorum, alios; etiam Ecphantus Pythagoreus, qui eas appellavit σώματα ἀδιαίρετα, *corpora indiviſibilia*, etiam Empedocles, qui θραύσματα ἐλάχιστα, *fragmenta minima*, intellige Elementorum. Dixit etiam Heraclitus, qui ψήγματα ἐλάχιστα, καὶ ἀμερῆ, *ramenta minima, & partium*, ſive partitionis *expertia*; etiam Plato, qui Empedoclis inſtar, Elementa compoſuit ex particulis præ exilitate inconſpicuis, ac ſpecialiter figuratis, quaſque ſucceſſor Xenocrates μεγέθη ἀδιαίρετα *magnitudines individuas* vocavit; etiam Aſclepiades, cui ὄγκους *moleculas*, eaſdem eſſe cum atomis Epicuri monſtrat Galenus; etiam Heraclides; etiam Diodorus, Artemidorus, Mneſitheus, alii. Tu bene vale, Principum decus. Pariſiis, poſtridie Eid. Novemb. M. DC. XLII.

Litteras a Bereculio, & Ber-villa habeo; non vacat jam reſcribere, ſi interim illos valere heic jubeam, an-non te volente id faciam? Tu ipſe vale iterum.

EI-

EIDEM.

ID etiam, quod de atomis litteris nuperrimis habes, admoneret me, ut aggrederer earum exiſtentiam probare. Sed quia ſit ſpes de tuo diſceſſu, & ne hæ quidem litteræ te in Provincia forte convenient, ideo res differenda eſt, aut etiam coram edifferenda; cum huc nempe (quæ mea erit felicitas) acceſſeris. Interea, ne ubivis demum Epiſtolium ad te perveniat, & accedat abſque teſſera, quæ ceteris ſit conſentanea, ecce occaſione illius exilitatis atomorum, de qua nuper ſcripſi, attexo ex Anthologia duo quædam Epigrammata, quæ haud ſint tibi diſplicitura: Unum eſt:

Ἄγρον Μηνοφάνης ὠνήσατο, καὶ διὰ λιμὸν
  Ἐκ δρυὸς ἀλλοτρίας αὐτὸν ἀπηγχόνισεν.
Γῆν δ' αὐτῷ τεθνεῶτι βαλεῖν οὐκ ἔσχον ἄνωθεν
  Ἀλλ' ἐτάφη μισθοῦ πρὸς τίνα τῶν ὁμόρων
Εἰ δ' ἔγνω τὸν ἄγρον τοῦ Μηνοφάνους Ἐπίκουρος
  Πάντα γέμειν ἀγρῶν εἶπεν ἂν οὐκ ἀτόμων.

Agrum Menophanes emit; ſed ab arbore ſeſe
  Strangulat alterius, dum premit atra fames.
Nec fuit ex proprio, qua tellus injiceretur
  Vicini, at pretio conditus eſt in agro.
Agrum Menophanis ſi noſſet, plena Epicurus
  Omnia dixiſſet non atomis, ſed agris.

Alterum:

Ἐξ ἀτόμων Ἐπίκουρος ὅλον τὸν κόσμον ἔγραψεν
  Εἶναι, τοῦτο δοκῶν, Ἄλκιμε λεπτότατον.
Εἰ δὲ τότ' ἦν Διόφαντος, ἔγραψεν ἂν ἐκ Διοφάντου
  Τοῦ. καὶ τῶν ἀτόμων πουλύ τι λεπτοτέρου,
Ἢ τὰ μὲν ἄλλ' ἔγραψε συνεσθάναι ἐξ ἀτόμων ἄν,
  Ἐκ τούτου δ' αὐτὸς, Ἄλκιμε, τὰς ἀτόμους.

Ex atomis Epicurus ait conſiſtere Mundum,
  Alcime, quippe putans his nihil eſſe minus.
At ſi noviſſet Diophantum, conſtituiſſet
  Ex ipſo potius, qui minor eſt atomis,
  Aut alia ex atomis texens, ipſas potuiſſet
Ex Diophanto atomos compoſuiſſe prius.

Quod ſupereſt, ut pleno affectu te adventare deſidero; ita plenis votis, felix, fauſtumque apprecor iter. Tu avibus bonis id aggredere, proſequere, perfice; & ubicumque fueris, o dulce decus meum vale. Pariſiis XI. Calend. Decemb M DC. XLII.

Admodum Reverendo, & religioſiſſimo, doctiſſimoque Viro, Petro Cazræo Societatis Jeſu, Divionenſis Collegii Rectori ſapientiſſimo

PETRUS GASSENDUS S.

EXimia profecto humanitas tua, ut imperaris tibi patientiam percurrendi, cognoſcendique, quidquid illud fuit mearum ineptiarum; meque ſimul adeo ſolerti, elegantique diſquiſitione cohoneſtandum cenſueris. Et dies quidem ſunt aliquot, &c. Pariſiis VI. Eidib. Decembris M. DC. XLII. *Habetur ſub titulo de proportione, qua gravia decidentia accelerantur, Epiſtolæ.*

Viro nobiliſſimo Philiberto de la Mare, Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

SEro reſpondeo; nam ecce menſis, ex quo tuæ litteræ datæ; ſed in cauſa fuit, tum invaletudo, tum prolixa reſponſio, cui hoc attextum Schediolum habes, &c. ibidem, eodemque die. *Habetur ad calcem ſuperioris.*

Viro eruditiſſimo, amiciſſimoque Gabrieli Naudæo, Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini Bibliothecario

PETRUS GASSENDUS S.

VEni Eſcuenum, mi Naudæe, cum optimo Principe, ac mea in Provincia Prorege Ludovico Valeſio, Alenſi Comite, cui per Sacra hæc tempora, fugienti multitudinem, habere me ſui ſeceſſus religioſi comitem placuit. Et quia diſcedens, &c. *Habetur ſub titulo, Novem Stellæ circa Jovem viſæ.*

Philiberto de la Mare, Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

NIhil neceſſe profecto eſt meum tibi Robertum commendare pergam; quando tu illum obſtringere, ut ex ipſius litteris ſum certior factus, ultro pergis. Neceſſe eſt potius adhibeam novum actionis gratiarum genus, quatenus tu vota præveniens, non feciſti precibus locum; ſed ea eſt nempe bonitas tua, ut occaſiones benefaciendi provoces, potiuſquam exſpectes. Hoc ſaltem habe, gerere me animum, qui ſit, & gratitudinis, & reverentiæ erga te plenus. Vale: Pariſiis poſtridie Non. Decembr. M DC XLIII.

Ingenuo, ſtudioſo, ac magnæ ſpei puero, Joanni Bocharto Sarronio

PETRUS GASSENDUS S.

CAriſſimam habui, quam nuper tuis ad patruum litteris teſtatus es memoriam mei. Jucundiſſimum ſimul fuit tuo ex ſtylo agnoſcere quantum brevi profeceris; ſcilicet exinde auguratus ſum, quid ſis deinceps præſtiturus. Neque verò metuo, ne meam fallas ſpem; quippe qui nucibus relictis, nihil amplius puerile ſapias. Intelligis jam quanto ornamento cariturus ſis, niſi ſerio, alacriterque hac, qua es ætate, ingenium excolueris. Quamobrem non hæreo, quin ipſe-met tibi addas animos, & quin ex te ipſo maximum erga litteras ardorem concipias. Id ergo age, mi Sarroni, hoc eſt, quo pede cepiſti, perge. Si facias enim,

enim, ita te novi, ut auſim de te nihil non ſublime ſpondere. Vale. Pariſiis pridie Non. Mart. M.DC.XLIII.

Ludovico Decormio Bereculio, Regio generali Advocato in Senatu Aqui-Sextienſi

PETRUS GASSENDUS S.

Dignum profecto, Bereculi, ea perſona, quam ſuſtines; dignum eo cultu, eoque affectu, quo Regis longe maximi, ac piiſſimi Majeſtatem, virtutemque es proſequutos; cognoſcere ſtudioſe velle, quas ille memoratu dignas per extremum morbum voces fuderit. An tamen, dum illas pernoſſe ex meis potius litteris, quam ex vulgari fama peroptas, ſatis meminiſti quis ſim? Vir ſcilicet nunquam ad Regiam accedens, neque quid rerum in ea geratur, quidve dicatur, niſi id fuerit apud omneis paſſim evulgatum, callens? Ecquid ergo putas conſilii cepi, cum neque fruſtrare te votis, neque rem præſtare tuæ de mea fide opinioni incongruum ſuſtinui? Nempe optimum Principem, Pro Regemque noſtrum conſulendum cenſui, ut ipſe, quæ noſſet, mihi renunciaret, & ego ad te non rumuſculos, ſed excepta illius ore, ut dictata ex adyto Oracula perſcriberem. Is quippe, & complura novit, qui Regi frequens adfuit, & fallere neſcit, cui pudor, ac fides, veritaſque nuda non inveniunt parem; & ſic nos amat, ut nihil non ſit, ſi quid forte juvet, gratificaturus. Non prius certe quid in me velles, quid ego ipſum ſubinnui, quam ecce pectore effuſo, eò me provocatis, *inquit*, quo ſponte, imo impete feror. Siquidem verba illa aurea, quæ cedro digna Rex eſt loquutus, vel potius, ut Cycnus moriens cecinit, ita recurſant animo, ut nihil eſſe poſſit illorum, & veſtri cauſa potiſſimum, commemoratione jucundius. Paululum poſtea meditatus, ac ingeminatis illis verſibus, quorum Gallicus lepor eſt.

Ego, qui Athenis viſitavi Socratem
Incarceratum, quique vidi toxico
Ejus labores ultimos finiter, &c.

Jam faciam, quod vultis, ait; tametſi non eſt cur ſperetis, ut verba vobis, vel omnia, vel ordine quodam ſervato recenſeam. Tu poſtea, ut voles, illa digeras; ipſe referam, ut quæque occurrent. Inprimis verò, quam mox audiſti fieri mentionem de Socrate, ſcito eam mihi excidiſſe, quod pro certo habeam, neque Socratem, neque Canium, neque ſi qui fuerunt iſtis ſimiles, ſpectaſſe intrepidius mortem. Menſis pæne fuit integer, quo mortem pro foribus eſſe, renunciantibus Medicis, Sacerdotibuſque in confeſſo habuit. Tantum verò abeſt, ut illum interea dulcis vitæ amor tenuerit, quin potius moram longiorem trahens repetiit illud identidem, *Tædet animam meam vitæ meæ*. Et cum deductus aliquoties ad extremum anhelitum, veluti reviviſceret; *Per mirum*, inquit, *poſſe reos pronunciato ſibi capitali judicio vix paucis horis ſupereſſe; me mortis inſtantis redditum certiorem tot diebus ſupervivere!* Ac ne putes tamen dixiſſe id illum præ mero vitæ faſtidio, ecce imitatus Apoſtolum eſt, dum diſſolvi cupiit, & eſſe cum Chriſto. Nempe, cum primum fuit de vita brevi finienda admonitus, uſurpavit illud ex Pſalte: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*. Hinc mature voluit extrema confeſſione ſeſe probare, totam, ex quo regnare cepit, vitæ ſeriem retexere; quidquid emendatione dignum ſpeciatim foret, edoceri; Euchariſtico Sacramento, vero Viatico non deſtitui; extrema denique Unctione agens animam communiri. Hæc autem dum miniſtraretur, ſeſe ipſemet ad illam compoſuit; digitis ſuis capillitium dimovit a temporibus; attentus fuit, reſponditque ipſe ad precationes Antiſtitis; & cum videretur in altera manuum eſſe nimis tenue inunctionis veſtigium, ipſam exporrexit, innuitque, ut ſenſibilius illineretur. Cum treis exinde hebdomadas in ancipiti fuerit, interpellavit Medicum, ne ſe celaret extremam horam, cum illam haberet indubiam: Medico proinde unicam duntaxat ſupereſſe horam monente, *Bene eſt*, inquit, *ipſam igitur non ſine fructu tranſigamus*. Dum preces illæ recitarentur, quibus excedens è corpore anima Deo commendatur, quam attentionem potuit, collegit, & qua voce potuit, cum Miniſtris reſpondit. Expetierat, ſperaratque animam reddere feria ſexta, qua & ſuam Patri Servator Chriſtus reddidit. Cum jam verò quinta iniret, ipſaque menſis decima quarta, & Dominicæ Aſcenſioni ſacra, *Nihil grave*, inquit, *hac die mori; qua aſcendit Chriſtus in Cœlum; qua Corporis ſui myſterium inſtituit, & qua anniverſaria Regnum hoc terreſtre cum illo Cœleſti commutandum monſtrat*. Mirum interim, quam paterna fuerit ſollicitudine, ne quod dimittebatur Regnum, detrimenti quid pateretur. Quippe a morbi uſque initiis peragi cæremonias juſſit, quæ in ſacro Baptiſmate Delphini deſiderabantur, ut Succeſſori mox futuro nomen ſimul imponeretur. Tum Regni habenis Reginæ commiſſis, delectiſque Proceribus, quorum conſilio uteretur, quidquid eò uſque conſiliorum de Majeſtate Imperii, deque ſalute publica inierat, concredidit. Quod mirere autem, ipſis convocatis, & conſultare coram ſe, tanquam jam fatis defuncto juſſis, ſpectare voluit quemadmodum res peragerentur, cum amplius non eſſet. Voluit & deinceps continenter pæne, ac pridie etiam, quam obierit, cognoſcere ipſe, ac ſtatuere quidquid incidit rerum gerendarum. Accipiens ſub id temporis, aſſenſiſſe demum Hiſpanum, ut proximo Julio convenientes Monſterum Legati de Pace ineunda ſerio agerent. *O me*, inquit *felicem, qui beandum brevi meum populum futura pace provideo! O, ſi mihi tantum ſuppeteret vita, quam eò totis viribus, ardenterque incumberem? nunc quia me Deus ad ſe vocat, illum ſaltem coram orare, quo uſque exorem, pacemque obtineam, nunquam deſinam*. Idem & ſæpius alias repetiit, teſtatus, ſi optare ſibi diuturniorem vitam liceret, eo ſolum fine optaturum, ut & *Regno ſuo pacem quæreret, & ſibi Divinam clementiam pænitudine conciliaret*. Nempe inter has Regni curas, nunquam ſingularis, veræque pietatis affectum depoſuit. Sic ſtatas quidem horas negotiis cognoſcendis adhibuit; ſed & ſtatas etiam ſacris Martyrum hiſtoriis prælegendis habuit. Sic Liberos quidem Reginæ cum rerum ſumma commendavit, fratrique etiam, & Condæo, ac pro ſuo cujuſque gradu Proceribus cæteris; ſed & fauſta omnia a Deo apprecatus, Patriarcharum more ipſis benedixit. Sic & omneis ſeſe adeunteis, ſalutanteiſque reſalutavit; & bona ſemper verba, aut conſolatoria, aut admonitoria adjunxit. Teſtantibus lu-

ctum

ctum Forceo, & Caſtilioneo, Mareſcallis, *Ne mihi*, inquit, *condolete, qui ſum in procinctu, ut ad Deum pergam, ſed vobis potius, qui præter rectam ſalutis viam inceditis*. Parenti meo a tertiana convaleſcenti maciem oſtendit, & *Vide*, inquit, *ut hominem conditio Regia non eximat à conditione mortalitatis*. Eadem Lieucurio demonſtrata, familiare illud ſubjecit: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris*. Chirurgo quoque cubiculario, Bontano ſcilicet veſtrati, eo ipſo die, quo obiit, *congruum jam profectò, ut repetam terram, qui jam præter terram olere nihil videor*. Addam-ne alia, quæ ad eundem aliquoties dixit, aut etiam repetiit? *Si obſervaris*, inquit, *me in delirium incidere, tua eſto cura, ut mundus, compoſituſque ſemper inveniar, & ſtatim, atque obiero, memento obinere cadaver*. Ac rurſus. *Exſecuto me quidem*, inquit, *ſed jam penitus frigidum, triduoque etiam expectato*. Innuente verò illo, cadaver demortui morbo hominis non poſſe tamdiu aſſervari, *ut igitur*, inquis, *videbitur fiat*. Quid memorem verò reſpectantem ſæpius, qua feneſtris apertis licuit, Sandionyſianum oppidum, commeminiſſe, *ſe illeic ſuis Patribus appoſitum iri, & cum ſint viæ geminæ*, inquit, *qui cadaver meum illuc transferent, ea, quæ prolixior eſt quidem, ſed commodior tamen incedant*. Juſſit, & noctu transferri ſe, ac ſine pompa ſepeliri. Stupendum interea illum his de rebus ita ſermones conſeruiſſe, ut ſi ſe attinuiſſent nihil, ut ſi ſpectaſſent ad alios, ut ſi de familiaribus, ſolitiſque negotiis fuiſsent. Scilicet ea ſemper apparuit ſerenitate, tranquillitate, ſecuritate animi, ut perſuadear, quod ante dixi, poſſe mortalium neminem, aut conſtantius oppetere, aut imperturbatius opperiri mortem.

Hæc ſunt, Bereculi, quæ optimus Princeps, ſua illa oris ſuavitate, quantum quidem memoria complecti potui, enarravit. Prætereo enim, quæ ſubjunxit de exemplo Maximi Regis, ad quod ſeſe componere Orbem jam totum ſit conſentaneum. De Providentia, qua contigit, & regnare illum xxxiii annos, ſecundum menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & exquiſite adeo complere hujuſcemodi numerum, ut Magi fuerint ipſi juſtius, quam Platoni olim ſacrificaturi. De ſanctitate, qua par eſt credere Regem optimum evectum in Cœlum, ac promeritum adeo opportunam, inſignemque victoriam a generoſo Principe Enguenii Duce reportatam. De felicitate, quæ ſub tam auguſto Regimine ſperanda eſt, educato interim Rege ſub ejus Matris auſpiciis, quæ Senatori exaggeranti Infantis pulchritudinem, *Ego verò*, inquit, *dabo operam, ne minus ſit bonus, quam pulcher*. Plura ſunt, quæ ex ipſo coram audire brevi poteris, jam enim comparatus eſt, ut proximis feſtis exactis diſcedat. Habebis verò interim iſta, non quibus tibi fiat ſatis, ſed quibus reputare debeas nihil amplius ſperari potuiſſe ex me, licet obſequentiſſimo, & obſervantiſſimo tui. Qualiacumque ſint, ipſis fruere, & bene, imo optime vale. Scribebam Pariſiis xi. Calen. Jun. M. DC. XLIII.

Erudito, & amico Viro Samueli Sorberio

PETRUS GASSENDUS S.

FAcio tandem ſatis, Sorberi; mitto ſcilicet quem jamdudum efflagitaſti Codicem mearum adverſus Carteſii Metaphyſicam inſtantiarum. Niſi prius feci, &c. Pariſiis v. Eid. Jun. M. DC. XLIII. *Habetur ſub titulo, diſquiſitio Metaphyſica, ſeu dubitationes, & inſtantiæ adverſus Renati Carteſii Metaphyſicam.*

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

EN reſumo nunc calamum, quando te jam coram affari non poſſum. Facio verò, quia tametſi in itinere adhuc ſis, provideo tamen litteras meas tibi ſub ipſum met ingreſſum in Provinciam redditum iri. Hinc, ut ipſe proſperum iter, fauſtaque omnia apprecor; ſic litteræ meæ, quod feliciter acceſſeris gratulabuntur; ac ne inter acclamationes, quibus te concives excipient, ipſe ſolus videar tacere, præſtabunt. Accipies una exemplum meæ ad Naudæum epiſtulæ, agnoſceſque, eam ipſam eſſe, quam Eſcueni, dum dignareris cubiculum inviſere, me ſcriptitantem obſervitaſti. Erit & unum, quod Bervillæ, te volente, donabitur; reliquus ille faſciculus ad Bereculium deſtinatur. Is teſtabitur accepiſſe ſe, quem extremorum Regis verborum commentariolum ipſe dictaſti, & ut ad illum perſcribere mihi liceret, aſſenſiſti. Vive in annos Neſtoreos, ac bene vale, Principum decus. Pariſiis, pridie Eid. Jun. M DC. XLIII.

Godefrido Wendelino Condatenſi Canonico

PETRUS GASSENDUS S.

PAucæ horæ ſunt, ex quo datis ad F. Langerenum litteris, tum te redivivum ſum congratulatus, &c. Pariſiis Eid. Junii, M. DC. XLIII. *Habetur ſub titulo, Solſtitialis altitudo Maſſilienſis.*

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

SPes eſt, ut iſtæ litteræ te jam Aquis-Sextiis receptum conveniant. Faxit Deus ter-Maximus, ut inaudiamus totum iter tibi proſpere ſucceſſiſſe. Cum inviſiſſem nudius-tertius præclarum illum Abbatem tuum, ut ſi quid haberet abs te, renunciaret, is teſtatus eſt nihil habere ſe, ex quo fuit ad te Andreas remiſſus. Craſtina luce, Deo propitio, accipiemus quemadmodum Lugdunum ſuperaveris, & Campinius ne fuerit reliquum iter comitatus; an pau-

cos

Digitized by Google

cos dies aſſumpſerit, quibus ſit te conſequuturus. Noris jam quid rerum novarum, & heic, & iſteic contigerit. Felicem te, cui Deus finxit præcordia de meliore luto, quam ut caſibus hiſce temerentur. Eſt animus tibi, rerumque prudens, & ſecundis temporibus, dubiiſque rectus; quamobrem is ſemper ſui ſimilis, hæc per negotia liber emerget. Nulla tibi opus Sibylla, quæ non cedendum malis admoneat; ſed contra, qua fortuna ſinet, eundum eſſe audentius; quippe cum tibi fortunæ loco divina Providentia ſit, ipſi totum te [præſtans interim quidquid Virum bonum, generoſumque Principem addecet præſtare] committis. Id age ſemper, optime Princeps, & longum vive ac bene vale. Pariſiis, XIII. Cal. Jul. M DC. XLIII.

E I D E M.

REdiit nudius quartus in hanc Civitatem Hugo ille Ebredunenſis, cui ante duos annos jus Procurationis totius Cleri conceſſeram; quique ſpeciali nutu Regis, Cardinaliſque abire juſſus, revocatus a Clero eſt. Is, dum hæc ſcribo, eſt in procinctu, ut reſtituatur in integrum, ac deinceps procuratione inſequens biennium fungatur; & quia jus, faſque exigunt, ut quantum reſtat temporis, tantum me præſtet ejus jacturæ, quam ſimul ſum paſſus, indemnem, ideo præſtolor rei eventum, ut ſi quid forte ſerus veſper ſit in mei gratiam vecturus, experiar. Exopto certe, non alio fine, quam ut (quod alias ſum conqueſtus) alienoare me eximam, maximeque erga Campinium, in quo non poſſum profecto aliud, quam bonitatem nimiam cauſari. Habes Tolone juvenem egregium nomine Vitræum, cui copiarum navalium plurima, ut audio, eſt commiſſa cura. Quæſo ſi quæpiam ſe offerat gratificandi ipſi occaſio, illam mei cauſe non inſuavem habeas. Is & eximie eſt indole mihi a puero uſque perſpecta, & parentem habet, quicum mihi arcta, valdeque antiqua eſt neceſſitudo. Itaque, ſi quia tu me amas, ille ſe amari a me ſenſerit, res ſane continget, qua mihi eſſe jucundior ulla non poſſit. Tu bene vale, Principum decus. Pariſiis, VI. Cal. Jul. M. DC. XLIII.

E I D E M.

SPeramus tandem proxima occaſione accipere tuum in Provinciam appulſum. Faxit Deus ter Maximus, ut talis fuerit, qualem voveo; fauſtiſſimus videlicet. Hugonis inſtauratio, de qua ad te nuper ſcribebam, decreta quidem a Clero fuit; ſed ille tamen nondum voluit ſe in negotia ingerere, donec Regina factum probarit, quod ſeſe Prior Sandionyſianus decreto oppoſuerit, ac Sanitienſem Epiſcopum procuratione ad hoc tranſmiſſa, ſuarum habuerit partium fautorem. Litteras ecce habeo a Medicoclero, amiciſſimoque Davide Lautaretio, apud Dinienſeis Conſulum primo, quibus ardenter expetit, ut pergam tibi eam Civitatem, quæ & mea ſit, commendare. Ego verò nihil arbitror neceſſe commendationem repetere, cum ſic me ames, ut non poſſis, quidquid habere cordi me ſemel noris, non meminiſſe. Reſcribam tamen rem præſtitam, addamque me confidere, ut ſis non modo Civitatem, quæ mihi eſt cariſſima, ſed ipſum quoque Lautaretium, Virum & eximiæ virtutis, & ſingularis in me amoris, ſumma gratia proſequuturus. Optime vale, Principum decus. Pariſiis, VI. Non. Jul. M. DC. XLIII.

E I D E M.

NOndum accepi, optime Princeps, perveniſſe te Aquas-Sextias, ſed fuiſſe tamen in procinctu, ut Arelatis eò pergeres. Ita renunciavit Andreas, qui & omnia hic ſucceſſiſſe tuis pro votis certiorem fecit. Fortunet Deus omnia, teque inprimis per hoſce æſtus, eaque in regione incolumen ſervet. Campinius, quantum conjicio, debet jam conveniſſe te, Vir, quem tu ſic amas, qui te ſic obſervat. Eſt ſane cur Virum tibi gratuler, quicum poſſis omnia, perinde ac tecum. Diſceſſura hinc ejus uxor proxima hebdomade eſt, quæ te quoque, & totam familiam venerationi maximæ habet. Nihil de optimo Abbate, deque noſtro Luillerio dico; noſti enim quo cultu te ſuſpiciant, atque revereantur. Me quod attinet, quis erga te ſim vel innuere ſupervacaneum. Pauca ad Bereculium ſcribo; patere, quæſo, Bervilla norit, quam ipſi annuncio plurimam ſalutem. Tu & longum vive, & optime vale. Pariſiis, VI. Eid. Julii M. DC. XLIII.

E I D E M.

ACcepi demum, & aliorum, & ſuaviſſimis tuis litteris, te Aquas Sextias incolumem per medios æſtus acceſſiſſe. Quam id jucundum fuerit, ipſe vel ex eo, quo te veneror affectu conjicere potes. Quas viciſſitudines noſtas, admirabiles ſane ſunt; ſed ea eſt conditio rerum humanarum. Vix erit, cur Poſteri credant; ſed iis nempe, quibus perſpecta ipſa incunſtantiæ conſtantia non erit. Hinc tu omnia reputans nova, a Sapiente non diſſides, qui habens omnia vetera, etiam novitatem rem habuit non novam. Felix interim tua mens, quæ tot inter motus immota conſiſtit, & ſublimis, mortalia omnia, velut ex cœleſti arce deſpicit. Devinxiſti me nimium, cum meam commentatiunculam adeo avide pellegiſti. Si quid in ea fuit tuis oculis dignum, id ipſum fuit, quod tu meas aureis fueras dignatus permulcere. Ceterum meminiſti ne, qua te ante diſceſſum tuum de recogitandis meæum vitæ annis quæſierim interpellatione? Beabis profecto, ſi cœperis, a Natalitiis uſque exorſus. Suppetent haud dubie horæ aliquæ in ſingulas hebdomadas, quibus quid rerum egeris, aut quid tibi contigerit, intra talem unum, alterum-ve annum, & repetas mente, & chartis committas. Id vernacule fieri poterit, & ſive aliquod epiſtolium, ſive nullum adjunxeris, ut faſciculus litterarum mitti. Quæ recenſui coram heic non repeto; memento duntaxat te mihi annuiſſe. Juverit prima occaſione vitæ Parentum ſeriem ad te uſque natum vel breviter retexere, intexereque præ ceteris, & tempus Conjugii, & communem prolem. Succedente poſtea licebit commemorare circumſtantias temporis, ac loci, quibus natus es, quibus initiatus, quibus enutritus, ad id uſque tempus, quo agnoſcis eſſe in te memoriam antiquiſſimam tui. Cetera conſequentibus expedies quam facillime, ratus præſertim te non debere ſcrupuloſe contendere, ne quid prætereas, aut transferas; cum id, ſi quid fuerit, valeat poſtmodum per ſchedas ſuppleri, atque emendari. Aggredere modo, o Principum decus, memor, me cum eſſe

cui depoſitum ſit ſacratiſſimum futurum. Vale interea quam optime. Pariſiis, XVI. Calend. Aug. M. DC. XLIII.

E I D E M.

NE obliviſcar iterum, ecce auſpicor a ſalute, quam Merſennus, optimus ille, adnunciari tibi per me exoptavit. Quam Andreas dixit abs te, fuit longe jucundiſſima; & maxime quia conſtitit te ſemper optime valere. Niſi quod te nuper rogavi memoriæ ſatis hæreat, patere aurem tantiſper velli, ac te deinceps facilem da. Memento, niſi ſis hodie incipiendo idoneus, neque etiam cras, aut perendie fore; ac in hujus generis rebus procraſtinationem eò ducere, ut facienda omnia infecta relinquat. Perrumpendum itaque eſt, & quocumque modo admovenda manus; cum difficilius ſemper ſit incipere, quam emendare, ſi quid non bene ceperis. Cujus res ſit molis morandum non eſt, aggrediendum modò, neque cogitandum quam ſit operæ, quod reſtat immenſam. Nempe id ſenſim minuitur, ſi modo quid detrahi ceptum; & quod immane initio eſt, temporis progreſſu tandem evaneſcit. Multis ictibus deiicitur quercus, ut vetus habet adagium; ac memini aliàs propoſuiſſe me exemplum viatoris, qui nihil moratus, quam ſit exiguum, quod uno paſſu peragitur, ingreditur tamen, & nihil cogitans conficit poſtremo magna intervalla. Hinc eſt quamobrem te interpellem, ut cum te aliunde proverbium non lateat, ἀρχὴ ἥμισυ παντός, *dimidium facti, qui cepit habet*; ideo properes, neque te venturas differas in horas. Et forſan quidem nihil id neceſſe, quod tu jam te accinxeris; verum inculcaſſe, nec quidquam nocebit, nec tu non boni conſules pro eo, quo es erga me affectu. Vale, Principum optime. Pariſiis, IX. Cal. Auguſti M DC. XLIII.

Admodum Reverendo, & Clariſſimo Viro, Godefrido VVendelino, Condatenſi Canonico, & Paſtori Hercano

PETRUS GASSENDUS S.

NOn eſt mihi dicere promptum, Wendeline clariſſime, quam ſuaveis habuerim tuas litteras die menſis undecima datas. Ex iis ſcilicet didici, ut vivas, ut valeas, ut ſtudeas, ut me, quo non potes habere tui obſervantiorem, ames. Tametſi verò non ſatis agnovi, an ad me ſcribens acceperis quem circiter medium ſuperioris menſis litterarum faſciculum Naudæo noſtro credideram; eſt nihilominus cur mihi-met gaudeam, quod geminæ illæ meæ litteræ ante ſeptennium traditæ ſeu nuper, ſeu recens pervenerint in tuas manus. Demirari ſatis non potui, quem ſignificaſti ſtupendum conſenſum obſervatæ illius a me Eclipſeos Lunaris anno 1636. cum Lunaribus tuis tabulis; neque enim poteſt contingere, ut major in rebus hujus generis ſperari felicitas poſſit. Noſter quoque Bullialdus deprehendit hanc Eclipſin, prout eſt a me obſervata, non potuiſſe ad conditas a ſe Philolaicas tabulas ceterarum inſtar quadrare. Sed vide nempe quod negotium fuerit ipſi quoque Tychoni creatum circa Eclipſin a ſe obſervatam ſub finem Januarii, ex ejus epiſtola ad Longomontanum, quam retuli in ipſius Vita. An iſthæc verò fuit cauſa, cur ne ſuæ Lunari Theoriæ detraheret fidem, ipſam non inſeruit in Catalogum Eclipſium a ſe obſervatarum, ut obiter adnotavi. Quod ſpectat ad illam anni 1628. talis eſt prorſus ejus deſcriptio, qualem tecum communicatam Peireskius ab alio, quam a me non accepit. Ipſe nempe ſum, qui eam obſervavi, præſente noſtro Galterio, ac uſus quadrato, cujus ipſe coſtas tribus pedibus pariſienſibus cum ſemiſſe longas Tangentium more diviſeram. Deſignavi initium ex Sirio jam alto partibus tangent. 3870. hoc eſt, 21. grad. 9. min. Immerſionem ex corde Hydræ jam alto 2525. hoc eſt, 14. grad. 0. min. emerſionem ex eodem alto, 5440. hoc eſt, 28. grad. 33. min. Finem ex pede Sin. Orionis adhuc alto 5010. hoc eſt, 26 grad. 37. min. Neque in eorum deſignatione ullam rationem habui penumbræ, ſed patefactæ ſolummodo per Teleſcopium obſcuritatis. Tuum eſt meminiſſe, qua ratione ipſe, aut germani tui paria deſignaveritis; nam ego quidem, ſi quid vitii a me admiſſum fortaſſis fuit, qua ratione intelligam, corrigamque, non habeo. Quos de Eclipſibus libellos a Mæſtlino, Welperoque editos commemoras, non incidere in meas manus. Eclipſin illam menſis Maii anni 1631. nobis quoque nubes in hac Civitate prorſus eripuerunt. Quantitas Eclipſeos, quam obſervavi Diniæ anno 1623. ac die Aprilis XXIV. æſtimata fuit a me digitorum XI. ac ſemiſſis. Quoniam tametſi oculo nudo, atque etiam Radio falx lucis reſidua æſtimata fuit ſeſqui-digito; nihilominus Teleſcopio, & comparata ad diametrum ♃ cui habita æqualis fuit, viſa eſt debere digito integro deminui; idque ob Jovis diametrum vix quidquam minuto majorem. Si te forte præterea juvet noſſe quantitatem alterius Eclipſeos, quam obſervavi etiam Diniæ, anno 1634. & die 14. Martii, ſcito illam fuiſſe digitorum præciſe XI. Contigit ejus finis Procyone adhuc ad Occaſum alto 31. grad. 55. min. ac proinde hora 11. min. 2. Et quia ipſiſſimum initium obſervare non licuit; ex Phaſibus tamen per ſingulos ſemidigitos obſervatis ante, & poſt medium Eclipſeos, deduxi ipſum Medium contigiſſe hora 9. min. 21. cum dimid. Quod exigis verò Eclipſeis horum poſtremorum annorum, ac illam inprimis, quæ contigit anno 1638. & die Decembris 20. ecce eam exſcribo, prout eſt inſerta in meos commentariolos; hoc ſolum præmitteos, quod fuit a me obſervata Diniæ, apparatis pro more meo variis Phaſeon ſchematibus, in quibus ſemidiametrum umbræ eſſe ſuppoſui non jam triplam [aut proxime] ad Lunæ ſemidiametrum, ſed partim duplam, partim duplam cum ſemiſſe, partim proportionum inter has mediarum. Nempe experientia me docuerat arcum umbræ in diſco Lunæ eſſe portionem circuli, quam vulgo habeatur minoris; cum & nihil ſit opus hic inſinuem, quod aliunde pernoſſe potes, obſervatum fuiſſe a me Lunæ diametrum Apogææ quidem non niſi 0. grad. 26. min. 36. ſec. Perigææ verò 0. grad. 31. min. 6. ſec. ut diametrum quoque Solis obſervavi; Apogæi quidem 0. grad. 30. min. 12. ſec. Perigæi verò 0. grad. 31. min. 6. ſec.

Eclipſeos creſcentis Phaſes, &c. *Ut in commentariis*

Quod ad Eclipſin attinet, quæ contigit anno 1641. & die Octobris 18. accinxi me quidem

dem

dem, cum jam adveniſſem Pariſios, ad eam obſervandam cum Viro Clariſſimo Iſmaële Bullialdo; ſed inviderunt nobis nubes majorem ſpectaculi partem. Quidquid obtinere tamen ex ea licuit, en ut ſubinde fuerit in commentarios nostros relatum.

Cum Luna foret, &c. *Ut in commentariis.*

Quod ad Eclipſin anni 1642. ac diei Aprilis 14 (decem novennalis poſt illam, quam primam obſervavi Diniæ) accinxi me quidem quoque cum eodem Bullialdo, ac Religioſo optimo P. Georgio Furnerio Societatis Jeſu; quid tamen nobis contigerit, planius erit cognoſcere ex commentariorum excerpto. Sic ergo in illis inter cetera.

Sub horam XI. ipſum locum, &c. *Ut in commentariis.*

Quod ad Eclipſin ejoſdem anni 1642. ac diei 7. Octobris, [ſeu diei octavæ mane] præclare me-met comparaveram cum eodem Patre Furnerio ad illius obſervationem, ſed denſæ adeo fuere nubes, ut Luna ne minimum quidem ſe conſpiciendam præbuerit. Verſabatur per illud tempus juvenis induſtrius Antonius Agarratus Amanuenſis quondam meus inter copias Barcinonenſeis. Is autem fore Eclipſin præſentiens, & mihi gratificaturus ſeceſſit paulisper ab exercitu, & ſeſe, quatenus licuit, ad obſervandum compoſuit. Cum veniſſet poſtea Pariſios retulit ſe fuiſſe una leuca circiter ad ortum Ilerdæ [quæ vulgo *Lerida*, ſeu Leida], ac obſervaſſe quantum potuit; *Apparato nempe quadrante, habitoque una Teleſcopio, &c. Ut in commentariis.*

Tu ex his proficies quantum poteris, & affectum ſaltem, quo vellem quidpiam exhibere magis exquiſitum, probabis. Habeo adhuc in ſchedis fuiſſe initium obſervatum Lugduni, oculo ♉ alto 57. grad 45. min. hoc eſt, hora 2. min. 46. & totalem immerſionem Viziliæ [ubi Polus attollitur 45. grad. min. 5 cum dimid ad meridiem Gratianopoleos] Procyone alto 35. grad. XI. min. hoc eſt, hora 3. min. 27. quæ non congruunt quidem inter ſe ſpectata meridianorum differentia, & cum ſit farim potius Viziliano obſervatori, Lugdunenſis nihilominus cum Ilerdano, habita quoque meridianorum ratione, magis congruit. Tu tamen omnia videris. Dabo operam, Deo bene propitio, ut quæ Eclipſis proximo Septembri inſtat, obſervetur, quatenus Cœlum ſaverit, ac tecum ſtatim communicetur. Agnovi ex litteris tuis quam eximie bonus Vir ſit R. P. de Rheita, cum tantum abſit, ut propter meam cenſuram ſuccenſuerit, quin potius tibi ſignificarit, ſe & illam gratam habere, & valde ea mihi nomine ſuo dici, quæ me rubore ſuffuderint. Itaque velim, ſi tibi vacet, ipſi viciſſim ſignifices me pectore pleno, affectuque ſincero ejus virtutem venerari, ac in eo eſſe, ut ſi quid egi, quod diſplicuerit, devoveam, & quantum licet, velim non actum. *Lampadem* tuam non videram; quæ enim duo ejus exempla fuerant ad Naudæum tranſmiſſa, ita diſtracta fuerant, ut neutrum potuiſſet ad me pervenire. Obſtupui eam legens, & ſagacitatem, & ſolertiam tuam, exoptoque quam-maxime, ut quæ præclara paradoxa dudum concepiſti, ac jam parturis, fauſto denique Sydere naſcantur. Proh! quam terrificæ tuæ illæ in Judiciariam coruſcationes! quam expetit, ut etiam te fulminantem experiretur! Quod me interim tanti facis, dum innominatum non ſinis, id & nimium eſt, & nimil amoris. De lapidis caſu ex Terræ ſuperficie in centrum intra 12. potius, quam 20. horæ minuta, qui colligi valeat, non ſatis percipio. Extulerat Keplerus Solem ſemidiametris terrenis 13876. Tu 524. ſuperaddicis, hui, quo argumento? Reſalutat te optimus Patavinus, qui etiam redivivum te eſt gratulatus quam-plurimum; reſalutat quoque Præclarus Naudæus, qui etiam bis, terque, ne negligerem inculcavit. Saluta tu amicos eoſdem, quorum mentionem factam habes ſuperioribus litteris, & longum vive, ac ſemper vale. Pariſiis III. Cal. Aug. M DC. XLIII.

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

ET hæc adhuc vice in aurem obgannio, ut ſi id nondum occeperis, quod iterato rogatus es, memineris poſſis occipiendum eſſe. Non video profecto qui te differas, cum poſſis nulla fructuoſiore occupatione diſtineri. Nam, & quod jubet Oraculum, cognitioni tui vacabis, & diſquirendo quis fueris, agnoſcendoque moliri-ne aliquid melius potueris, intelliges quem eſſe te impoſterum ſit conſentaneum. Imitaberis & Principes Viros, qui de Vita, rebuſque geſtis ſcripſere commentarios, quibuſque non habet Historia, aut generoſiores, aut innocentiores. Id fiet per ſchedas; ſed interim tamen ego ſic compingam, ſicque adſervabo, ut ipſe tu olim rem cognoſcere, atque in ea agnoſcere ſis ſuaviſſimum habiturus. Tunc, & juvabit meminiſſe, & intexere ſi quid deerit, & detrahere, ſi quid efferetur, & transponere ſi quid non quadrabit; & membris, articuliſque congruo ſito diſpoſitis adhibere carnem, ac vitalem ſuccum. Id tamen, ut fieri aliquando poſſit, incipiendum mature eſt ab elementis rudiſſimis; neque enim fetus ullus conſummatur, qui non initio informis ſit; neque exquiſitum erit unquam opus, cujus ſperabuntur exordia perfecta. Mature ergo aggredere; nam donec mora moram trahit, ante initia conſiſtitur, & præſcinditur ſpes omnis provectus. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, pridie Cal. Auguſti M.DC. XLIII.

E I D E M.

HOc unum addo, optime Princeps, ad ſuperiores litteras, non eſſe quamobrem verearis, ne vanitati res vertatur, ſi non mihi modo, verum etiam aliis fortaſſis innotuerit. Nam primum quidem, ſi ita probes, res ita agetur te inter, & me, ut nemo futurus ſit conſcius, & quidquid mihi dixeris, lapidi fuiſſe dictum videatur. Deinde verò, cum te Deus ea gratia donaverit, ut haberi poſſis eximium virtutis exemplum inter Principes, non eſt profecto invidendum, ſi qualis es, talis non eſſe, & olim fuiſſe exiſtimeris. Sic autem loquor, ſecurus tantum abeſſe, ut exinde vana geſtias gloriola, quin deſcendas potius in te, ut agnoſcas gratus-ne ſis in divinam munificentiam. Hinc providendum quidem eſt tibi, quod & quantum novi, per-optime facis, ne animus tuus ob egregias dotes efferatur, & inſoleſcat;

ne te illas merito tuo potius, quam ex mera Dei dignatione habere præſumas; ne te reputes eſſe aliquid, & ſi qui ſunt tui diſſimiles, damnes; aliaque id genus, quæ divinum Verbum in Phariſæis improbat, quæque ſpem præſcindunt æternæ mercedis. Verum ſervatâ, quæ par eſt moderatione animi, noſti præceptum eſſe divinum, ut coram hominibus luceas, quò illi videntes tua opera bona, gloriam referant ad Cœleſtem Patrem. Quare & debes te exemplum; ne ſint, qui putent fieri non poſſe, ut cum ſplendore iſto Natalium, cumque hac tua tanta fortuna cohærere virtus perfecta non valeat; & teneris, cum ſentias te non tibi ſolum eſſe natum, adjuvare quam-plurimos qui ſe profecto comparabunt ad virtutem heroicam, cum te illum habuerint, cujus imitatione teneantur. Vale, decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, VII. Eid. Sextil. M DC. XLIII.

Litteras haſce jam obſignaveram, cum bona forte fuere ad me ſuaviſſimæ tua poſtrema perlata. De ipſis nihil aliud attexere vacat, niſi quod gratias plurimas ob te mihi annuentem habeo. Cetera, Deo bene, propitia proxima ſtatim occaſione.

Ad Venerandum Senem Joſephum Galterium, Doctorem Theologum, Priorem, ac Dominum Valletæ, Amicorum antiquiſſimum

PETRUS GASSENDUS S.

ECquid miraris, optime Senex, Morinum noſtrum remiſiſſe veteri amicitiæ nuncium, edito adverſum me libro, in quo ultro, inoffenſuſque, ſeſe infenſiſſimum geſſit? An non tibi pridem perſpectos ejuſce viri genios? is nempe, &c. Pariſiis, IV. Eid. Sextil. M. DC. XLIII. *Habetur ſub titulo, ad Librum Joannis Baptiſtæ Morini, cui titulus Alæ Telluris fractæ, epiſtola.*

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

GRatias jam egi ob pronam tuam in vota mea voluntatem. Eas jam repeto, ac te ſolum oro, ut quam-primum vacaverit, memineris ſtare promiſſis. Inaudieram jam aliquid de iſta, quam commemoras hominum noſtratium factione. Faxit Deus ter-Maximus, ut illi in viam redeant, & qua felicitate ſunt, dum te talem habent, agnoſcant. Dolui maxime noſtrum illum ad eorum parteis acceſſiſſe, neque potui alia ratione ejus mentem interpretari, quam ut voluerit apud illos pleniorem fidem quærere, quò poſſet ipſos facilius reſtituere in bonam frugem. Audio illorum præcipuos una cum ipſo huc adventuros; non capio tamen quid valeant, niſi te habuerint propitium, ſperare. Non norunt adhuc ſe altera, qua lactabantur ſpe excidiſſe; an-non fruſtrabuntur quoque altera, niſi id forte providerint, ut te geras interceſſorem. Gratulor tibi nova trophæa, quæ generoſiſſimus Princeps Conſobrinus tuus proximis diebus retulit ex *Theonis Villa* expugnatione. Glorioſiſſimus certe ille, & digniſſimus ſanguine utroque, quo cum ipſo communicas. Utinam illum Deus, ut unum ex præcipuis Galliæ columinibus incolumen ſervet. Tu, optime Princeps, & meum decus vale. Pariſiis, poſtridie Eid. Sextil. M. DC. XLIII.

Admodum Reverendo, Religioſiſſimo, & Doctiſſimo Viro P. Honorato Fabro è Societate Jeſu

PETRUS GASSENDUS S.

REddidit mihi germanus tuus, eximiæ comitatis Vir, quas voluiſti mihi per ipſum litteras raræ & doctrinæ, & humanitatis pleniſſimas dari. Cum omnia certe ſuſpexerim, tum inprimis illam effuſam, ſingularemque bonitatem, qua me ignotum, immerentemque, inexpectata adeo amoris teſtificatione obruendum cenſuiſti. Nam inſinuaram quidem germano ſuaviſſimum fore, ſi quando daretur tuas illas de Cœleſtium motuum phyſicis cauſis ſpeculationes per egregias cognoſcere; at te idcirco obſequuturum, & tam cumulate præſertim, ut jure non debueram, ita nec reapſe profecto ſperaram. Itaque gratias impareis quidem, ſed quales tamen poſſum habeo, confiſus te meum ſaltem erga te pronam voluntatem eſſe probaturum. Miratus jam fueram tuum illum tractatum *de coloribus*, tametſi, neque integrum, neque niſi curſim legendum conceſſum; nunc verò accipiens totam Phyſicam pari a te ſtudio excultam, & vel unicum *de motu* argumentum illuſtratum pluſquam triginta propoſitionum centuriis, & ſtupeo, & ſæculo noſtro prodiiſſe Virum gratulor, qui quam divinus Artifex Matheſin implicuit tanto operi, explicare ut generoſe, ſic feliciter aggrediatur. Quas te adverſus Copernicum excogitaſſe rationes dicis, dignæ erunt haud dubie tua illa ſolertia; ſiquidem, tametſi non ſatis perſpicio, quid ex tarditate ejus partis rotæ, quæ adverſam axi viam tenet, poſſit in ipſum colligi; auguror tamen te eamde rationem texuiſſe validiſſimam, vel ex eo, quod Terram quieſcentem ſupponis, ubi de motu Cœleſtium phyſica cauſa ſermonem inſtituis. Sane verò quiete Terræ in centro Mundi ſuppoſita, nulla potuit hypotheſis [quantum quidem poſſum mente aſſequi] ingenioſior excogitari. Hactenus enim permulti quidem Planetarum motus per ſpiras, celerioremque firmamenti circumductionem in Occaſum peragi autumaverant; at nemo perinde cauſam phyſicam ſpirarum iſtarum dicere tentarat; tuque rem ita aggreſſus es, ut ſimul ipſam reddidiſſe veriſimillimam videaris. Quippe tametſi ceteræ quoque ſuppoſitiones dubium patiantur; ille tamen ſpiralis motus, cujus ſint gyri anguſtiores ad Tropicos, expliciatiores ad Æquatorem, adeo perſpicue declaratur ex compoſitione recti accelerati, & circularis æquabilis, ut nihil ſit proclivius, quam exiſtimare, rem eo peragi, quo deducis modo. Quin etiam itus, reditusque ex Tropico in Tropicum eam habent Analogiam ad eos excurſus, recurſuſque, quos non improbabile ſit peractum ire lapidem in perforatam Terram dimiſſum; itemq; ad vibrationes, re-

vibra-

vibrationeſque ponderis funipenduli, ut rem non intellectu modo, ſed oculis pæne cernere videamur. Et quamvis ex tue poſitione acceleratio motus recti videatur futura ſecundum rationem, qua Sinuum verſorum incrementum fit, quæque non-nihil differe ab ea, quam Galilæus, Merſennuſque, &, ſi fas dicere, etiam ego, obſervitare viſi ſumus; attamen circa ipſa initia diſcrimen eſt adeo inſenſibile, ut poſſit pæne ad obſervandi difficultatem revocari. Siquidem, ut nuper ſcribebam ad amicorum aliquem, diligentiam prope omnem ſuperat, diſcernere an ſit progreſſio juxta numeros integros 1. 3. 5. 7. 9. An juxta hoſce 1. $2\frac{11}{18}$ $4\frac{1}{4}$ $6\frac{2}{3}$ $8\frac{1}{2}$, &c. Idem porrò dico de aſſerta a te conſtitutione Apogæi, deque ejus motu (& ne ipſo quidem æquabili) in conſequentia, de invariata excentricitate, & (quod mihi pæne probatum) de invariata ſimiliter obliquitate Eclipticæ; de præceſſione Æquinoctiorum, deque turbinatione Solis, & ſi quæ ſint alia, quæ hypotheſin ſolaris motus attineant. Quippe, quantum-vis nonnulla ſint tum operæ difficilioris, tum intellectus abſtruſioris; univerſa tamen demonſtrant quo ſis ingenio, & animo ad quidvis quantumlibet arduum exſuperandum comparatus. Quanquam enim tu is non es, qui moeum illum prodromum, quem ſupponi poſſe Galilæus cenſuit; ita ſerio accipias, quaſi revera, aut neceſſario in conditu rerum fuerit aliquis; nihilominus ipſum adeo ſcite, atque appoſite uſurpas, ut inde pæne tam facile Cœleſtium motuum originem, varietatemque explices, quam qui uſurpant fluxum puncti, explicare ſolent creationem, accidentiaque dimenſionum. Hinc devinxiſti me ſane nimium, cum reſcire voluiſti me quam hæc præclare excogitaris; ac proinde viam quaſi ſtraveris ad inveſtigandum uberius phyſicam cauſam, tum præcipuam, tum organicam motionum Cœleſtium. Nimirum ſpes eſt, ut pro tua ſagacitate, atque ſolertia, diſquiſitionem hanc promovens, facem præferas, qua quæ tenebræ adhuc ſuperſunt, diſcutiantur. Perge itaque rem facturus dignam præclariſſima indole, dignam non erudita minus, quam illuſtri familia; dignam ſocietate, quam quidquid eſt rarum, ſublime, magnificum decet. Sic verò habe me, ut honori, ſic felicitati magnæ vertere, quod fueris non modo cooptare me, ſed accerſere etiam in tui amicitiam dignatus. Quanto certe me tibi obſtrictiorem vel ex hoc uno capite ſentio, tanto daturus ſum operam, ne tua de me opinione, tuoque affectu me indignum probem. Vale, Litteratorum decus, & me, ut amare cœpiſti, ſic perge. Pariſiis, XIII. Cal. Septemb. M. DC. XLIII.

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

AN narrabo tibi, quod mihi (dormienti neſcio, an vigilanti) ſuperiore nocte contigit inſomnium? Meditabar qui fieri poſſet, ut, tot jam tentatis remediis, nullum non impar hactenus fuiſſet filio tibi cariſſimo, ac tantæ ſpei perſanando. Subiit verò me cogitatio curationum admirandarum, quas ad balnea, thermaſque noſtras Dinienſeis peractas cognoram; ac tum, quid-ni, inquam, ſi illuc deferretur illuſtris infans, ſanitatem recuperaret? An-non, ſi malignus eſt humor, qui meatus obſtruxerit, eamque, quam memorant, nervorum infirmitatem fecerit, adeſt tum aqua ad exſolvendum, tum Cryptæ ſudatoria ad educendum comparata? An non illeic innumeri, qui ſint nervorum, aut debilium, aut decurtatorum Paralytici, annis ſingulis convaleſcunt? Et non-ne opus duntaxat foret ſingulari prudentia in temperando uſu pro morbi, ætatis, virium conditione? Dicere non poſſum ſomnusne deinceps me juvaverit, an continens fuerit; at cum-primum fui poſt-modum ſub auroram expergefactus, ea cogitatio ſic rediit, ut cenſuerim illam, qualiſcunque foret, eſſe tibi ſignificandam. Itaque hoc ipſum jam præſto, & cum par non ſit, ut meis inſomniis, ac tanta præſertim in re fidem adhibeas aliquam, addo tamen te rem facturum paterno ſtudio non indignam, ſi Lautaretium Medicum accerſiveris conſulendum. Non ſane, quod iſteic deſint Medici, qui noſtri ejuſmodi Balnei, vaporariique ſint apprime gnari; ſed quod degens illeic Lautaretius, illaque præſertim, qua eſt ſagacitate, & diligentia, rem cognoſcere præ cæteris poſſit. Utcumque fuerit, ſaltem ad te hæc perſcripſiſſe nihil nocebit. Vale, Principum, vale meum decus. Pariſiis, XII. Cal. Septemb. M. DC. XLIII.

E I D E M.

BEaſti me, optime Princeps, cum iterato feciſti ſpem eorum, quos petii commentariorum. Comperta mihi jampridem fuerat animi tui moderatio, neque ego non ſenſi me tui pudoris pulſare fores; ſed nempe ideo non deſtiti, quod ratus fuerim, eſſe te de meo candore ſecurum. Aggredere itaque ſolum, & quo quidem modo ipſe inſtituiſti, is enim peregregius eſt. Hoc unum te quæſo, ne te ſingularis, de qua dixi, modeſtia ad celandum quidpiam, quod videri poſſit laudabile eſſe, compellat. Quipppe id in meum ſic effundes ſinum, ut cenſere poſſis in tuo conſtitiſſe. Commemini, exempli gratia, ſed non tamen ſatis diſerte, conſeruiſſe te neſcio quos ſermones cum Condæo Principe, tempore nuptiarum ipſius; cum Duce Monmorantio, quo tempore neſcio quid ipſi intervenit diſſidii cum Henrico Magno, dum te aliquando inter pueros quoſdam primores unum requireret; & alia id genus, quæ mihi noluerim omnino abs te reticeri. Hujuſcemodi quoque ſunt, quæ te tam carum cum cæteris, tum præſertim Avo tuo reddiderunt. Vale, o decus Principum, & quò lætus pergis, inde felix redi. Pariſiis, V. Cal. Septemb. M DC. XLIII.

PETRUS GASSENDUS

NEURÆO SUO S.

QUæcumque ſcribas idiomate, rem mihi perjucundam facis. Perſcripſit ad me optimus Campinius quantum ſe tibi devinctum ſentiat; ne dubita verò quin affectus ille, quo eſt erga te animatus, in dies exſcreſcat. Facia

cis profecto pro ſingulari animi tui moderatione, cum te ſic demittis, tuamque induſtriam, quæ quanta ſit, novi, ſic attemperas; facis pro eximia ſapientia, cum ſi quid poteſt tœdii, moleſtiæ-ve intervenire, hoc & ſale condis, & melle dulcoras; ſed tu cordatiſſimus nempe, qui pari ſtudio quamcumque Spartam nanciſceris, ipſam exornas. Chorezius nihil de caritate Teleſcopiorum ſuorum remiſit. Unum heic habebis cum geniculo. & mordaci cochleola, ſuſtentaculo ligneo inſerenda Eſt canaliculus præterea, cui adbibitum præſtare poſſis Microſcopii uſum; verum cum is ſit longior cubito, alia occaſione erit tranſmittendus. Vale. Pariſiis, v. Calendas Septembris. M. DC. XLIII.

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

DIci non poteſt, optime Princeps, quanta lætitia fuerim perfuſus, cum in faſciculo librorum, quos voluiſti miſſos ad me, tuas non modo litteras, verum etiam commentariorum quaſi primitias concluſas habui. Quam ſuave autem putas, fuit, candorem illum agnoſcere, quo recenſuiſti omnia, neque timuiſti, ne ea ſecus, quam ſe haberent, interpretarer. Hærere certe ex eo non debui, quin fiducia tibi foret de me plena, ac reputares, poſſe te mecum, perinde ac tecum, ſerere ſermones. Et quantum quidem poſſis, docebit te dies; exſcripſi interea ſchedam integram, ipſumque ad te jam remitto autographum, ut certior evadas nihil harum rerum tua ipſius manu ſcriptum remanere. Nec verò ſecus de ceteris, quæ deinceps ad me transdere dignaberis, agam; quæſo te ſolum, ne id præſtare, quantum per negotia licebit, omittas. Quippe plurima quidem ſunt, quæ te rogatum præterea circa primum iſtum commentarium velim; ſed nolo te interturbare, cum abunde interim ſit, quod rem per ſumma, ac præcipua pro temporum ſerie capita enarres. Scilicet hæc ubi fuerint abſoluta, retexemus ſpecialius omnia, & circumſtantias intertexemus, quarum licet tibi videaris oblitus, percontando tamen dabo operam, ut excitari memoria poſſit. Quam difficilia evaſerint tempora, mihi non ignotum; verum ſpes eſt fore, ut brevi miteſcant, & Cœlum hiſce nubilis varie turbatum ſerenetur. De libris tranſmiſſis id cœpi conſilii, ut res cum Viris optimis, Merſenno, Hilarione, Nizzerone communicetur; ij enim ut ſunt eruditi, & ſui inſtituti, ſodaliumque amantes, ſic opportune providebunt, per quos nam ex ſuis libri offerantur. Siquidem videri indecorum poſſet, & inſtituto injurium, ſi alienus quiſpiam ſe ingereret in rem ſpectantem ad hominem, qui nomen dedit ſodalitati. Concredam proinde illis ipſos libros, ratus te non male conſultum id ire. Nihil attexo rerum novarum, tametſi eæ ſint, quas noſſe interſit; ſed nimirum qui tua curant, noruntque omnia præclarius, iſto me ſublevant labore. Vale Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, pridie Non. Septemb. M. DC. XLIII.

EIDEM.

NIhil eſt novi, quod ad te ſcribam. Nam quod ſpectat quidem ad cariſſimi tibi Viri inſtaurationem, ob quam, ut tui cauſa lætor, ita impenſe gratulor, res fiet abunde perſpecta per tuos. Remiſi nuper id Schedion, quod dignatus fueras ad me mittere, ſperoque fore ut deinceps conſimilia recipiam, quantum certe tibi per ea, quibus diſtineris negotia, licebit. Libros commiſi Patribus, de quibus poſtrema occaſione ſcripſi. Dixit Merſennus ſe argumentum ex ipſis Auctoris litteris jam noſſe, omneſque ſimul receperunt deliberaturos ſe cum ſuo illo Virorum optimo Challovio, per quos & libri offerantur, & votis Auctoris ſatisfiat, ac mihi rem poſtea ſignificaturos, cujus poſſim te facere certiorem. Vale Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, III. Eid. Septemb. M. DC. XLIII.

Hæc jam ſcripſeram, cum reddita mihi poſtrema tua litteræ fuerunt. Et vix quidem vacavit ſchedium ipſis adiunctum exſcribere. Perfeci tamen, quare & ipſum cum hoc epiſtolio recipies. Condonabis autem, ſi de argumento litterarum nihil reponam; exſcriptio illa videlicet nihil temporis reliquum fecit. Vale iterum.

Clariſſimo, & Doctiſſimo Viro Hieronymo Burdio

PETRUS GASSENDUS S.

QUas ad me geminas dediſti ante duos menſeis litteras accepi ſolum nudius tertius. Commiſi verò ſtatim amico quas ad Petrum Fabrum una deſtinaſti, & commendavi ſollicite, ut Virum ad tibi reſcribendum inſtiget. Nimia porrò eſt bonitas, qua me pergis obſtringere, cum nihil tam diuturno oſtenſus ſilentio nihil de ſingulari tuo erga me affectu remittis. Et potes ſane eſſe de mea in te propenſione ſecurus; ſed interim tamen niſi prorſus bonus, non poſſes hanc meam negligentiam tantam conſulere boni. Pergratum fuit cognoſcere quem attexuiſti indicem præſtantiſſimorum tuorum operum; is quippe ut ſalivam movit, ita editionis impatientiam fecit. Mire interea me delectavit, quod unum verſari ſub prælo agnovi; utinam & id brevi prodeat, & cetera mox conſequantur. Quod renuncias de optimo, præclariſſimoque Liceto, novum mihi penitus eſt, niſi quatenus novi ex Naudæo noſtro editum pridem ab eo librum *de luce Lunæ ſecundaria in Galilæum τὸν μακαρίτην, ac partim etiam adverſum me*; ſiquidem neque quod exemplum, neque quas inſinuas litteras ad me pervenerunt. Beabis me verò, ſi libri exemplum tranſmitti ad me procuraveris; non tam profecto, quod in illo res agatur mea, quam quod ſit jucundiſſimum habere, atque aſſervare tanti amici monimentum. Id poterit, quantum opinor, Genuenſi internuntio tradi, & ad optimum Principem, inque mea Provincia Pro-Regem recta dirigi, involucro ſolum ſuperaddito, quod epigraphen iſtam præferat: *A Monſeigneur, Monſeigneur le Comte d'Alais Gouverneur, & Lieutenant general pour le Roy en*

Pro-

Provence. Ille ſcilicet ita amat me, ut & volens ipſum excepturus ſit, & juſſurus ſtatim, ut ad me transdatur. Interim, ſi quidpiam forte litterarum ad eximium Licetum des, quæſo te, illum jubeas, & ſalvere meo nomine, & reſcire neminem eſſe, apud quem poſſit ejus virtus, atque eruditio fieri commendatior. Velim etiam, ut plurimam Clariſſimo Medico Sebaſtiano Baldo annuncies ſalutem. Tu bene vale. Pariſiis, xiv. Calendas Octob. M. DC. XLIII.

Ludovico Valeſio, Principi optimo.

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

TErtium cum tuis litteris nuper datis accepi Schedion; id verò, ceterorum inſtar, exſcriptum cum hiſce remitto. Cumulas me gaudio, cum te tam conſtantem hac in re præſtanda experior; neque ſubeſt, quamobrem hæream, quin ſis deinceps, dum per negotia licebit, perſeveraturus. De Bereculio quod memoras, dolorem mihi renovat, quo illum a te defeciſſe accepi. Convenire ipſum aliquoties volui; ſed a ſuo ſemper diverſorio abfuit. Inviſit me ipſe ſemel, iterumque; pernegavit autem ſeſe aliquid, quod reputaret eſſe tibi diſpliciturum commiſiſſe. Nempe reſtitiſſe ſe quidem claſſis illius ſupplicum libellorum inſtitutioni; ac feciſſe ex munere, & non fuiſſe unquam abs te, ſi quid diſplicuit, ſignificatum; & cetera quod attinet, eſſe ſe conſtanter reverentem tui. Quid porrò ego repoſuerim, nihil eſt neceſſe commemorare; tu enim ſatis id conjicis ex veneratione, qua te, tuamque virtutem perſpectiſſimam merito complector. Cetera inter illi prædixi, quod & eventus jam comprobat, niſi & ipſe, & ceteri, eo, quo par eſt modo te propitium quærant, nihil eſſe, quod ſperent pro votis ceſſorum. Scripſi hodie Genuam ad quemdam amicum nomine Hieronymum Bardium, ut tranſmiſſurus ad me librum, quem Licetus in Galilæum, ac in me ſimul edidit, ipſum ad te cum involucro, & epigraphe dirigat. Si faciat, nullus dubito, quin & excipias, & transdas volens. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, xiv. Cal. Octob. M. DC. XLIII.

E I D E M.

NUperum, quod litteris tuis attexuiſti Schedium, cum hiſce recipies. Quos ad me libros miſeras, delecti ex ordine Viri, ut præſenſeram, obtulerunt. Ipſe Cancellarius Regii privilegii pollicitus diploma eſt; id ubi Viri Religioſi præ manibus habuerint, conſignaturi mihi ſunt, ut ad te, ſeu ipſum ad Auctorem transdam. Concedo rus craſtina luce cum Abbate Campinio [cujus ſumma ſemper in te obſervantia] & Mulæo Præſide mei etiam amantiſſimo, Lunæ Eclipſin, quæ perendie futura eſt, obſervaturus. Horizontem liberum quæro, ut quia Luna eſt oritura aliquantiſper jam deficiens dum Sol occubiturus eſt, experiar num uterque ſit (Terra interpoſita licet) ſimul ſupra Terram futurus conſpicuus. Scilicet quaſi vaporum Regio ita utriuſque radios refringere hinc inde valeat, ut quamvis demerſi infra Horizontem, immineere tamen ipſi conſpiciantur. Res obſervata aliàs eſt, verum non a me, qui ne auſim quidem, ut Cœlum ſit mihi futurum hac vice propitium ſperare. Iſta ad alium non ſcriberem; ſed nempe tu meas non improbas nugas. Vale, optime Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, VII. Cal. Octob. M. DC. XLIII.

E I D E M.

Una manus nobis vulnus, opemque tulit.

SCilicet quantum prima fronte litteræ tuæ conturbarunt, febrim renunciantes, qua teneatus es; tantum eædem te convaluiſſe commemorantes exhilararunt. Utinam hæc fuerit, ac etiam num ſit valetudo conſtans; teque porrò Deus incolumem ſervet in Neſtoreos annos. Id, quod me litteris poſtremis timere dicebam, evenit; quippe Eclipſeos tempore obſtitere votis denſiſſimæ nubes. Hinc non modo ſimul ſupra Horizontem conſpicere Solem, Lunamque non licuit, ſed ne deinceps quidem Lunam, dum in ſummo defectu fuit. Exitum duntaxat, Cœlo ſeſe poſtea aperiente conſpeximus, uno, altero-ve minuto poſt horam octavam. Verſabamur tunc Sueſii, quod oppidum noſti ſatis editum non longe a tuo, Parentis ve Gruboſio; quamobrem illinc, optimus Abbas, optimus Præſes Mulæus, & ego redire voluimus, loco egregio non per luſtrato. Eremum quoque Camaldulenſium ſacri cauſa adiimus, ac interim ſuſpeximus inſigne paternæ, cuæque pietatis monimentum ſuperſtiturum. Vale Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, poſtrid. Cal. Octob. M DC. XLIII.

Pe ſum remitto.

Admodum Reverendo & Clariſſimo Viro, Godefrido VVendelino, Condatenſi Canonico, & Paſtori Hercano

PETRUS GASSENDUS S.

QUas poſtremas litteras dedi, ſpem fecere obſervationis, ſi quam forte peragerem circa Eclipſin tunc futuram, quæ & deinceps contigit die XXVI. ſuperioris menſis. Fidem itaque iſtæ liberabunt, tametſi per-pauca obſervata ſunt, Cœlo ſcilicet invidente. Conceſſeram Sueſium, quod oppidum eſt tribus hinc leucis ad ortum diſtans, cum inclinatione tantilla in Auſtrum, [Meridianorum differentiam unius minuti temporarii habeo] ut quia locus editus eſt, experirer cum Sole adhuc ſupra Horizontem extante, Luna non-nihil tuo in exortu jam deficiens extaret quoque. Verum & dies fuit totus pluvius, & denſæ nubes non modo illud intercepere ſpectaculum, ſed maximam etiam, de qua maxime ſollicitus eram, quantitatem Eclipſeos. Cetera neq ta cum fuerint, felicitas ſaltem fuit aliqua, ſpectare defectum deficientem poſſe, & momentum id adnotare, quo Teleſcopium exhibuit oram Lunæ redintegratam. Id quidquid fuerit ut habeas, ecce hic illud tibi exhibeo.

Altitudo Lunæ, &c. *Ut in Commentariis.*

Prætereo autem Eclipſin deſiiſſe ad partem Lunæ ſuperiorem, non omnino ad verticem, ſed tantillum ad dexteram, ſeu verſus Occaſum, & qua-

quatuor, aut quinque poſt horæ minotia (nempe dum Luna ſuperſtitem ioumbrationem exueret) deſtitiſſe ♄, qui erat tunc Lunæ inter Auſtrum, & Occaſum, a margine quidem remotiore Lunæ 1. grad. min. 41. cum dimid. a viciniore verò 1. grad. min. 13. cum dimid. a centro autem 1. grad. min. 38$\frac{2}{3}$. nempe quantum Radio Aſtronomico aſſequi id licuit. Obſervavit per idem tempus in hac Civitate Iſmaël Bullialdus, ac ita ſe habuit ejus obſervatio.

Arcturo ad Occaſum, &c. *Ut in Commentariis*.

Adjecit Arcturo alto grad. 19. min. 42. ſeo hora 7. min. 19. ſec. 12. deſtitiſſe ♄ ab ora Lunæ proxima 0. grad. 45. min. Expecto ſi forte qui alii, quibus eandem curam commendaveram, feliciores extiterint. Interea nolui committere, ut hæc non reſcires quam primum. Tu quid tibi contigerit, ſi ſignificas, perjucundum erit. Vale, & amicos ſaluta. Pariſiis, v. Non. Octobr. M. DC. XLIII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

APpulſurus Monæcum es hoc ipſo, quo hæc ſcribo die, quantum quidem ex tuis, aliorumque litteris ſupponanti conijcere licet. Utinam fauſtis avibus eò acceſſeris, inde redeas, & omnia ad obſequium, tranquillitatemque comparata offendas. Perſpectum jam erat, quod dignatus es rerum novarum inſinuare; faxit Deus ter-optimus, ut quantus ad bene merendum de Provincia noſtra propendes, tantus habearis ab omnibus, & quæ conditio eſt temporum, temporum conditio eſſe agnoſcatur. Quos nouis mores hominum, novi; ſed ſpes eſt, ut illi deſcendant in ſe, ac potiſſimum, dum nequidquam ſe contendere obſervitabunt. Videlicet, ut præconcepta de tua lenitate opinio fecit audendi animos; ita generoſo honeſto incoctum pectus animos franget. Felices! quod tu adeo bonus, ut ſis reſipiſcentibus injuriam omnem condonaturus. Perſcriptum eſt ad Valaveſium, eſſe te in ipſum animo infenſo; is verò jurat nihil ſe aliud, quam obſervantiam teſtatum fuiſſe. Nam quod *Arearum*, hoc eſt, ſuam propugnatam cauſam voluerit, id & poſtulata abs te, & impetrata licentia feciſſe. Sua eſſe infelicitatis, quod te ſuis rebus, votiſque adverſum habuerit; at nihil idcirco de reverentia tibi debita remiſiſſe. Dolere ſe potuiſſe tuas aures accommodari malevolis, qui auſi fuerint neſcio quid tibi præter verum inſuſurrare. Nempe te quæri feciſſe ſe, quod ne ſomniarit quidem unquam; neque enim ſe unquam acceſſiſſe, aut in conſortium dediſſe iis, quos tu cauſaria tuis conſiliis, inſtitutiſque repugnare. Implorare ſe meam fidem, ſi cum norim qualis Vir ſiet, qua conſuetudine cum iis, qui tibi minus affecti ſunt, id vel ipſa ſpecie probabile ducam. Ego verò, optime Princeps, teſtari poſſum nobilem Virum, & venerari ſemper te, & quantum conjecturis mihi maxime evidentibus aſſequor, non feciſſe locum expoſtulationi. Quod ſupereſt, non latet te, qua me neceſſitudine Peireskius ille ὁ μακαρίτης, ſuæ familiæ devinxerit, qua me & ipſe Valaveſius Riancii Baro, & ejus filios teneant. Quare non improbabis ſane, ſi id præſtem ipſi erga te officii, quod recuſare, niſi deſertor amicitiæ habear, non poſſim. Præſto aliunde pro eo affectu, quo tibi, ſi modo liceret per virium mearum modulum, conciliare, aut ſiſtere quamplurimorum animos vellem; ratus nihil tibi eſſe jucundius, quam regnare in animis, ac nihil eſſe magis a tua indole, quam ſerenitatem teſtari, alienum. Certe & tua illa verba inſerta in epiſtolam, *paucorum culpa fuit, unius pœna*, &c. id revocarunt in memoriam, quod Ovidius cetera inter de Auguſto cecinit:

Multa metu pœna, pœna qui pauca coërcet;
Et jacit invita fulmina rara manu.

Sed hæc ſatis, optime Princeps; tu meum dulce decus, & præſidium, vale. Pariſiis, VII. Eid. Octobr. M. DC. XLIII.

E I D E M.

ACcipio diſceſſiſſe te uno, alterove poſt die, quam ſtatueras; ſed diſceſſiſſe expeditiorem. Redeas modo incolumis, quidquid eſt rei, perinde eſt; nam quod attinet quidem ad inducias, ſatis deinceps, Numine bene propitio, omnia ſupplebis. Dignatus fueras ante ſeſqui-menſem reſcribere ad me, non inſuave fuiſſe, quod de illuſtri, cariſſimoque Infante admonueram; ipſeque volueram, quid nam ſpei foret ex Lautaretio cognoſcere, ſi forte de morbo quidpiam inaudiiſſet. En verò litteras jam habeo, quibus ille ad me perſcribit ſe ſando quidpiam inaudiiſſe, & quantum experientia annorum triginta, quibus Balneorum, Thermarumque vireis probavit, ſuggerit nihil ſe Infanti ex illarum uſu metuere, quam-plurimum verò ſperare. Tempeſtatem jam præterlapſam, qua uſus aquarum conſentaneus eſt, opportunam fore Vere proximo, ſi & [quod vovet merito] optimus Deus agellum ſervet, & ipſe ea ſis voluntate, ut earum vireis experiatur. Id ego neſcire te nolui, tum ut ex facta ſpe recreeris, tum ut eò curam convertere poſſis. Futurum puto, ut Lautaretius proximis Comitiis interſit; poterit verò ea occaſione tum αὐτοψίᾳ explorare, quæ ſie morbi vis, & conditio, tum tibi ediſſerere quid facto exiſtimet opus. Utinam omnia proſpere, ac prout ſunt mihi in votis, ſuccedant. Tu, optime Princeps, quam optime vale. Pariſiis poſtridie Eid. Octobr. M. DC. XLIII.

E I D E M.

SPes eſt, ut fauſtum reditum epiſtolium hoc gratuletur. Scilicet debes, quantum conjicio, ſperoque, Monæco rediiſſe, & ab aliquot etiam diebus in ipſa orbe conſiſtere? An-non porrò aliquoties, dum fores ejus loci ſpectator, repetiiſti illa ex Virgilio?

——— *Quantas acies, ſtragemque ciebunt*
Aggeribus ſocer Alpinis, atque arce Monæci
Deſcendens gener adverſis inſtructus Eois.

Perſpecta nempe tibi hiſtoria? An meditatus aliunde es, quamobrem μόνοικος vocetur? Duplicem cauſam deſignat Servius, nimirum vel quod Hercules illeic pulſis omnibus, ſolus habitarit, vel quod in illius templo nunquam aliquis Deorum ſimul colitur; ſicut in Jovis Minerva, & Juno, in Veneris Cupido? At forſan-ne fuit cauſa alia, quod ejus loci ſitus præruptus habitationem ſingularem, & ſolitariam faciat? Forte-ne pro-

proinde, quod ſæculis priſcis eò ſe Piratæ reciperent. Hercules e loco ipſis repurgato cognomentum tulit, potius-quam donavit? Tenere me non poſſum, quin occaſione Herculis Ligariam quoque, dum ex Gallia [ubi *τὴν Ἀλησίαν* urbem condiderat] rediret, luſtrantis; auctor ſim tibi, ut perlegas, quæ pauca habet hac de re Diodorus Siculus *libro Hiſtoriarum quarto*. Præ ceteris certe admirabere hiſtoriolam, quam ille *παράδοξον* vocat de muliercula operas locante. Aliud quod ſcribam, nihil eſt. Tu, optime Princeps, quam-optime vale. Pariſiis x. Calendas Novemb. M. DC. XLIII.

E I D E M.

REdiiſſe te Monæco accepi, & cogitaſſe ſtatim Maſſiliam. Rumor fuit te ipſo Comitiorum Conſularium die, hoc eſt, nudius-tertius illeic adfuturum; hæſi ipſe, ac viſus ſum hærendi rationes utrimque habere. Precor ſemper divinum Numen, ut omnia tibi pro votis cedant; adeo ſum certus nullum te non legitimum concipere votum. Vereor, ne illa negotia obſtaculo fuerint penſo inſtaurando; quamobrem, & nihil abs te, ne proxima quidem occaſione, expecto. De inſequuturis melius ominor; dummodo quiete, ac otio, quod ſpero, majore fruaris. Interea verò, ſi modo valeas, bene, imo optime eſt. Vale ergo quam-optime, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis III. Calendas Novemb. M. DC. XLIII.

E I D E M.

ID, quod veritus fueram, evenit, ut gravia nempe illa negotia, ne aliquid commentariorum iſta quoque vice haberem, obſtarent. Id delectavit, cepiſſe omnia placide adeo ſuccedere; ac ſpem factam, ut ex ea urbe diſcederes votorum compos. Debebitur ſucceſſus felix, & ſingulari prudentiæ, & generoſæ indoli, quæ vinci, ac cedere neſcia, nihilque metuens, meruit timeri. Fortunet ſemper tua conſilia Deus Optimus Maximus; & cum ipſe finxerit cor, tribuat tibi omnia ſecundum cor tuum. Id ego voveo unice, ac ut te inaudiam optime valere. Vale igitur ſemper optime, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis poſtridie Non. Novembris M. DC. XLIII.

PETRUS GASSENDUS

NEURÆO SUO S.

QUæ per-eleganter ſcripſiſti de Spectro illo lucido, cognoſcere per-gratum fuit. Quod verò nomine non tam tuo, quam optimi Principis experiiſti noſſe quid de eo ſentirem, id non fuit perinde jucundum. Etenim & ille eſt nimium ſibi pollicitus de me, & tu non ſatis excuſaſti curtam meam ſupellectilem, cum ejus deſiderium ſuſcepiſti ſignificandum. Quippe ego quidem, ut in ceteris, ſic in hiſce rebus præſertim cecutio; in hiſce, inquam, in quibus aliunde periculum non leve eſt, ne quis aut nimium credulus, aut parum pius eſſe videatur. Enimvero, cum præferam ineptus videri potius, quam moroſus, ac ubi præſertim obſequium Principi tanto debitum [& a me quidem] exigitur; en quam non verear balbutire. In primis non inficior ſane, quin lucula illa, quæ per nocturnas tenebras, & cum nulla extrinſecus penetrare in lectum poſſet, intra ipſum lectum apparuit, potuerit eſſe divinitus ad ſignificandum aliquid immiſſa. Id probabile enim facit tum pietas eximia, qua tam generoſiſſimus Princeps, quam ejus Conjux Heroina illuſtriſſima, commendantur [tales nimirum ſunt, quibus cum communicare ille ſolet, qui una lux eſt in tenebris lucens] tum commemoratus a te blandus, plenusque dulcoris ſenſus, quo affectus uterque fuit. Is nempe eſt, cujuſmodi ab Angelis lucis creatur; cum horror incuti non modo a Poteſtatibus tenebrarum, ſed a ſpectris etiam naturalibus, qui fuerint improviſi ſoleat.

Porrò, cum is ſim, qui id non inficier, annon tamen dignum conſideratione, cur ſi id ſignum Deus immiſit, perſpectum ſimul non fecerit quid eo ſignificatum vellet? An reputare enim par eſt, Deum nihil aliud, quam luſiſſe, ut puta ſignum ludicrum ſolum, inutileque exhibens, cum intelligi ex eo non potuerit, quid nam ſperandum, aut metuendum; quid-nam proſequendum, aut fugiendum foret? An ſe Deum pejus geſſiſſe, quam Parentem, quam Principem, quam Virum prudentem, & bonum, qui ſi ſubditorum quidquam intereſt, illos non ænigmatice, ſed explicite commonitos facit? Ac difficile quidem eſt, imo vireis forte humanas excedit, ſi ea lux naturalis fuit, cauſam illius dicere; at æquum profecto non eſt notitiæ noſtræ modulo vim incomprehenſam naturæ metiri. Niſi forte ea vertigine ſumus, ut quaſi omneis naturæ vireis ad unguem perſpexerimus, nihil ſupra captum noſtrum ſit, quod non illico eſſe quoque ſupra naturam exiſtimemus? Et quæ nam tamen, inquies, ſubeſſe conjectura poteſt, ob quam opinemur naturam conſimile quidpiam interdum moliri? ego quidem non ſum tam ſolers, ut ullam intime pervideam; ſed, quantum tamen aſſequor, dici forte poſſet hujuſmodi lucem, aut ob affectum oculi, aut ob rem, quæ revera eſſet extra oculum, apparuiſſe.

Ut verò primum aliquid de affectu oculi dicam, videtur res contingere alterutro duorum modorum potuiſſe; uno, ſi temporanea in optimo Principe fuit, quæ in Tiberio Imperatore perpetua pæne fuit diſpoſitio. Is nempe, dum noctu expergiſceretur, aperiretque oculos, eam ex ipſis lucem fundebat, ut res poſitas in obſcuro, in quas obtutum dirigeret, ad certum tempus conſpicaretur; quod novi etiam nobili cuipiam feminæ contigiſſe. Altero, ſi oculos habuit, ut ipſe quoque aliquando in me experior, comparatos; ſcilicet interdum, cum expergeſio, interdum etiam cum ante ſomnum forte aperio oculos ipſos ea luce perfuſos habeo, ut ex improviſo immiſſam in lectum lucem ſuſpicer, & videre ipſum lectum clare videar; tametſi reipſa extra me nihil videam, quippe neque brachium exporrectum detegens, neque rem ullam manu contactam, ubi, aut qualis eſt, diſcernens.

Et poſſe quidem ex oculis lucem aliquam promanare, qua res objecta illuſtretur, quæque reflexa in oculos ſpeciem ipſius referat, nemo pæne ierit inficias; cum & fere ſit in confeſſo nocturna animalia luce uti propria, ut prædam conſpiciant, & animaleis ſpiritus, qui concervari intra oculum, ac deinceps effundi poſſint, naturæ eſſe igneæ, atque idcirco lucidæ [non iis certe minus, qui ex pilis affrictis vulgo promicant]

canr] varia argumenta perſuadeant. Poſſe aliunde oculum tepore ſomni, conelusioneque palpebrarum excalefactum lucem quandam concipere, quæ facultatem interiorem, imaginationem videlicet, moveat, nihil abſurdum invehit. Etenim ſi in variis lignis, in ſquammis, & fluore piſcium, aliisque hujuſmodi rebus excitatus potrefactione calor lucem in ipſis ſenſibilem creat, qoid-ni creare in oculo poſſit excitatus calor a concluſis, mobilibusque ſpiritibus; cum & in ipſo talis fieri temperies adventitia valeat, qualis in ipſis cicindelis, noctilucis-ve nativa eſt?

Quod autam etiam ex lucula intra oculum exiſtente imaginatio ſic percellatur, ut conſpectæ lucis apprehenſio fiat, vel illud arguit, quod dum inſpecto Sole oculos eoneludimus, videre adhuc videmur Solem, aut ſuperſtitem ejus lucem nobis veluti obverſantam; quæ etiam oculis ſubinde apertis, & in librum intuentibus, characteres aureos exhibeat; cum is tamen color, ſeu hujuſmodi lux intra ipſum oculum ſit. Nempe imaginatio id, quod intra eſt, eatrotransfert, quocumque viſus defigitur; quomodo ſolent quoque, qui ictero, aut hypoſphagmate laborant, res viſas habere lucidas, aut rubras, & nemo non imaginatur ſariem eſſe lacrymularum translatarum per aëram, quæ ſeries guttularum eſt translatarum per oculum; & qui ex Sole directe inſpecto contraxere noxam (ut ego certe aliàs) videre videntur in aëre medio quaſi congeriem graculorum gregatim volitantiom; cum ſit potius congeries norularum in oculo a radiis Solis inuſtarum. Atque id quidem, ne memorem eandem vim imaginationis non modo lucem, aut colores exiſtenteis in oculo, quaſi exterius in aëre exiſtenteis apprehendere; ſed apprehendere etiam ex ſolo motu imaginum, ſpecierum-ve in cerebro ex rebus uſque impreſſarum, ut furioſorum, delirantium, & ſomniantium viſa manifeſtum faciunt.

Ut dicam verò etiam aliquid de re, quæ extra ipſum oculum ſit, videtur potuiſſe ea lux eodem modo contingere, quo *Caſtores*, ignesque alii, luculæ-ve potius conſimiles ſolent. Quamobrem enim, ſi aliquando id evenit in navibus, ut poſtquam rudentes, cæteræque partes præ vehementia tempeſtatis incaluerint, ii excitentur halitus, qui concreſcentes conſpicui fiant, & citra ardorem colluceant; non poſſit interdum halitus humanus, & concluſus præſertim, ſic concreſcere, ut ſimilis ignis minime ardentis, ſed lucentis ſolum ſpeciem referat? Et non ne conſtat halitum non ex ceteris modo animalibus, ſed ex homine quoque tranſpiratus formari in ignem, luculam-ve hujuſmodi; quando non modo incaleſcentes poſt ſerotinas pluvias, equi viſi aliàs ſunt binas flammulas binis geſtare auriculis; ſed id ipſum etiam, quod eſt a Poëtis cantatum de Aſcanio, teſtati Hiſtorici ſunt de Servio Tullio juvene; ut nempe illi in regiæ dignitatis præſagium obſervata fuerit:

Lambere flamma comas, & circum tempora paſci?

Addere poſſem loci genium, e quo fundi queat talis halitus; quippe non ſola Cœmeteria illis fundendis ſont comparata; ſed loca etiam alia, cujuſmodi ſane memorandum eſt *Rogoni* Caſtrum in Provincia, ubi per nocteis vere hyemanteis illud perſamiliare eſt, quod ſingulare Seneca habuit de Stella viſa conſiſtere ſupra Gylippi lanceam, dum Syracuſas peteret, & Plinius de viſis a ſe ſupra militom pila inhærere. Illeic ſiquidem quotquot efferuntur haſtæ, baculi, digiti per atrium, aut præter feneſtram, totidem ſtatim igniculi, ſeu luculæ potius innoxiæ ſuperexoriuntur. Poſſem ſimul commemorare ſpecialia quædam Africæ loca, in quibus ſpectra varia non alia de cauſa familiaria ſunt, quam quia ventorum defectu varii glomeres vaporum formantur, conſiſtuntque per aërem, & cum ad motum accedentium, recedentium-ve ſolum moveantur, non aſſuetos indigenas, ſed advenas ſolum inaſſuetos perterreſeiant. Poſſem & ediſſerere, ut vapores lucidi fieri ob corpuſculorum, ex quibus texuntur variatam poſitionum valeant; citræque ſpeciem Auroræ borealis, qualem mirabiliſſimam obſervavi eo tempore, quo Mons Albanus obſidebatur. Poſſem poſtremo alia quoque hiſce affinia ſubtexere ad declarandum, qui potuerit intra illud cubiculum is, ſeu halitus, ſeu vaporis conformari glomerulus, qui abierit in luculam; ſed facicudus is denique eſt modus.

Jam, ſi requiras utra ratione exiſtimem probabile luculam illam apparuiſſe, nihil pronuncio; ſed dico ſolum, niſi ipſa quoque illuſtriſſima Heroina eandem loculam conſpexiſſet, futurum fuiſſe, ut haberem quaſi rem veriſimilem, apparuiſſe eam luculam propter affectum oculi, & poſterioris quidem modi. Nimirum inſtabilitas, & diſcurſio a te deſcripta, videri poſſet arguere mobilitatem oculi, eodem modo, quo illam arguit inſtabilitas, & diſcurſio lacrymularum memoratarum. Hæ quippe non alia ratione moveri apparent, quam quia dum viſionis axem verſum ipſas oblique ſitas convertimus, avertimusque, quæ guttulæ in oculo ſunt, unà cum oculo moventur, perpetuoque axem viſionis, aut antecedunt, aut conſequuntur. Sic umbellæ, quas memoraſti, videntur arguere craſſiuſculas aliquas parteis humorum ocularium, quæ interceptæ ſpeciem umbræ media in lucula crearent; eo fortaſſis modo, quo mihi contingit, qui ob craſſiuſculum vaporem intra pupillam oculi dextri, præfero ſemper umbellam lenticularis amplitudinis, quam & clauſis etiam oculis diſcerno, & dum oculo illo lego, characteribus interceptam habeo; ex quo & lego laborioſius. Sic dici poſſet inconſtantiam magnitudinis, & figuræ, quam ſimiliter adnotaſti, arguere illam luculam intra oculum mobilem, dilatari, contrahi, diverſimode figurari; quando quæcumque mutatio evenire interius poteſt, illam vis imaginationis fieri exterius apprehendit. Sic demum quod refers voce excitata, & exporrecto brachio luculam ſtatim evanuiſſe, arguere poſſet luculam contentam intra oculum, ea contentione velut diſcuſſam, diſſipatamque exceſſiſſe.

Verumtamen, cum Heroina illuſtriſſima eandem viderit, & neque aut loqui ad gratiam, aut ſibi ipſi imponere [qui ejus eſt candor, quæ virtus] voluerit, atque idcirco tale ſpectrum extra oculos fuerit [ſecus ſcilicet non potuiſſet utrique ſimul apparere] eapropter non video quid ſuperſit aliud, quam ut poſteriore ratione apparuiſſe exiſtimetur. Videlicet propter vaporis, halitus-ve glomerulum, qui & lucem conceperit, & diſcurrerit, & transformatus fuerit, & tandem evanuerit, quo ſolent modo *Caſtores*, aut genera alia conſimilia lucis.

Et hactenus ſit balbutiiſſe ſatis. Tu quidquid id eſt, boni conſule, & cum memorabis quid reſcripſerim, partim tua eruditione, tuoque judicio tempera; partim pro tuo in me amore, quatenus decere, aut condocere tibi videbitur, diſpen-

Digitized by Google

diſpenſa. Bene vale, ac noſtrum illum Galterium, Senem optimum, Bargemoniumque ſimul ſaluta. Pariſiis Eid. Novembr. M. DC. XLII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

PErſcripſeram jam ad Neuræum, cum redditæ fuerunt tuæ litteræ poſtridie Calendas conſcriptæ. Retexere heic nihil vacat ex litteris ad illum datis circa apparentem tibi luculam; id quidquid eſt, cognoſcere, eo referente, poteris, quando & ipſo intercedente innoteſcere mihi rem voluiſti. Quod ſolum jam vacat, tibi gratulor, & ob felicem reditum, & ob res omneis pro voto geſtas. Aliàs, Deo propitio, plura; & quæ præſertim attexere in animo erat, de dæmonio Socratis, de genio Bruti, & aliis, ſi per tempus quidem licuiſſet. Vale Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis Eid. Novembris M. DC. XLIII.

E I D E M.

REdiiſſe te Maſſiliam accepi; ubicumque fueris fauſta apprecor. Vereor, ne quæ ſemper negotia intervenire plurima ſolent, diuturno obſtaculo ſint commentariolis repetendis. At modo tibi res penitus e memoria non excidat, & cum primum vacaverit, curam illius non prætermittas, id hoc unum exigere fas. Addiſcam lubens eadem-ne ſemper tibi apparere lux pergat, & quod tuum-met de illius apparitione ſit judicium. Nam & nemo te melius quid id rei ſit definire, aut ſaltem conjicere valeat; & quod ego quidem de illo, te volente, balbutii, nullius eſt plane momenti habendum. Utcumque ſit tamen, tu optime Principum, & dulce meum decus vale. Pariſiis XII. Calendas Decemb. M. DC. XLIII.

Hæc, quæ vides jam ſcripſeram, cum fuere ad me tuæ litteræ cum Commentariolo perlatæ. Prævenit meum votum tua diligentia; quamobrem mihi tanto gratior, quanto inſperatior faſciculus fuit. Non remitto jam ſchedion, quoniam non vacat exſcribere; id verò proxima occaſione, nunc ſignificaſſe contentus, remittam. Interea vale iterum.

E I D E M.

EN remitto jam Schedion, quod occaſione ſuperiore non licuit. Quas es dignatus dare Maſſiliæ ad XIV. Calendas, accepi. Hem verò, quanta animi, & magnitudine ſimul, & moderatione conſcriptas! De tuo in Provinciam affectu, nemo, qui te novit, unquam dubitet. Quid enim tibi potius in votis, quam ut contueri florentem valeas? Infelicitas tua fuit, quod neque eam acceperis, quam tueri felicem poſſes, neque fuerint ea tempora, per quæ reddere licuerit felicem. Utinam verò Concives mei id ſatis intelligerent, & durare, ſemetque rebus ſecundis ſervare ſat noſſent? quippe quantum-vis aliquorum ingratitudinem querare; quantum-vis ſint, qui te invitum ad extrema remedia vocent; non idcirco tamen quam-primum rerum conditio tulerit, tuum illum affectum minus explicabis. Faxit modo Deus, ut tam appareas, quam bonus es, poſſis; nam etiam qui te adegerunt, ut dignitate temperares indulgentiam, experientur te indulgentia temperare dignitatem. Vive igitur in ſalutem omnium, & eum te ſemper, qui revera es, præſta. Vive, inquam, & bene vale decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis V. Cal. Decemb. M. DC. XLIII.

Samueli Sorberio ſuo

PETRUS GASSENDUS S.

QUas ad me dediſti ipſis Eidibus ſuperioris menſis litteras, accepi. Debui maturius, quas tantas debeo pro tantis officiis, gratias reddere; ſed tu tam amans mei cum ſis, etiam indulgens haud-dubie eris. Quem inſpiraſti mei amorem in Curcellæi optimi pectus, re, & verbis expertus ſum; nam quæ fuere tria prima folia diſquiſitionis meæ excuſa, & abs te explorata miſit; ac dedit ſimul litteras humaniſſimas, & affectus plenas. Reſcripſi illico ad ipſum, gratitudinem, qua potui, teſtatus. Ipſe, qui tua commendatione fecisti mihi benevolum, facito quoque tua ſponſione de mea obſervantia ſecurum. Doleo non potuiſſe me adhuc meæ illius qualiſcumque in Fluddum Exercitationis, quod ad te tranſmittam exemplum nanciſci; ſed enitar tamen, ſi qua potero, non rem ſane, ſed tuam illam erga me propenſionem ſpectans. Spes eſt, ut Bornius, eximius ille, ſi te Hagam jam recepiſti, viderit jam te, conſerueritque tecum ſermones. Deum immortalem! quum ſtatim alter alterum deperibitis, qua uterque indole eſtis? Sentio me ab illo amari; ſed tu, qui amplius noſti me, etiam erga ipſum te ſponſorem præſta. En quantum mihi de te permittam; ſed eſt nempe mihi tuus ille candor, ardorque apprime perſpectus. Perge modo amare me, cui hæres profecto in ipſis medullis. Haſce adhuc cum ſuis tranſdet officioſiſſimus Marcellus. Juvenis ſane omnibus nobis merito magno cariſſimus, meque, dum in hac civitate ſupereſt, potiſſimum beans. Vale. Pariſiis IV. Cal. Decemb. M. DC. XLIII.

Hæc jam ſcripſeram, cum ecce accipio inſignem faſciculum, in quo præter optimi Curcellæi litteras folia conſequentia ad uſque Alphabeti finem reperio. Munum hinc tollo, ut ad eum ſcribam; nolui autem neſcire te, ut ingeminare pro me grates poſſis. Vale iterum.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

QUæ de conſpecta lucula litteris ad Neuræum datis diſſeruerim, ipſe, dum una cum Campinio ad te redierit, commemorabit. Quæ conſtitueram de genio Bruti, & de dæmonio Socratis, ut celebrioribus dicere, attexereque litteris, eò fere tendebant, ut confirmarent luculæ ſpectrum nihil non humanum, naturale-ve extitiſſe. Quandoquidem verò exoptas, ut quæ de iis ſentiam jam ediſſeram, en paucis, ut de Bruti genio eſſe inprimis ſentiendum putem. Nox erat profunda, & ſilebant Caſtra, erant-

que lumina prope omnia extincta, cum Brutus ad ſomnum compoſitus, & tamen (quia parum propter inſtans bellum dormiebat) ſemi-ſomnians, non deſiſteret animo verſare quanto urgeretur rerum pondere; quo in diſcrimine Reſpublica foret, quæ Pompejum manſiſſet ſors; quid in extrema clade, & deſperatis rebus capiendum eſſet conſilii; ceteraque non abſimilia. Quare & nihil mirum, ſi aliunde anxiæ, ærumnoſæque complexionis cum foret; ſi cum ex Sectæ placitis tam multa animo hærerent de geniis, ac dæmonibus, iiſque tam bonis, quam malis, viſus ſibi fuerit videre accedens ad ſe illud ſpectrum, quod ſe, & malum diceret genium, & Philippis rurſus videndum; tametſi revera nihil conſpexerit, ſed ſpectrum fuerit ſolum in mente, & ex genere quidem eorum, quæ præ imaginationis vehementia, ac per incertum præſertim ſomnum ſolent nos dubios facere, vigilando-ne fuerint, an ſomniando conſpecta. Ac Brutum quidem fuiſſe dubium inde primum colligitur, quod ex famulis, quidpiam-ne vidiſſent, audiiſſent-ve requiſivit; videlicet ſibi non habebat fidem, eratque, cur ſubdubitarat, num fuiſſet revera res viſa inſomnium. Deinde ex eo, quod illi nihil ſe nec vidiſſe, nec audiſſe profeſſi ſunt; qui tamen niſi viderant, audierant-ve genium loquentem (ut qui potuiſſet oculis ſolum, oculiſque Bruti ſe accommodare) at debuerant ſaltem humanam, notamque Bruti vocem audire, ſi is quidem fuiſſet revera loquutus, cum viſus fuit ſibi & rogare genium quis eſſet? & ad illa ejus verba, *videbis me Philippis*, intrepide dicere, *videbo*. Rurſus ex eo, quod, cum rem die ſequente enarraſſet Caſſio, & Caſſius ex ſuæ Philoſophiæ principiis fuiſſe inſomnium ediſſeruiſſet, ſedatus ejus animus fuit, ut puta quaſi nihil amplius hærens, quia fuiſſet revera inſomnium. Quid, quod potuit quoque falſus eſſe rumor apparitionis; nempe ex eorum numero, qui occaſione magnarum cladium diſſeminari ſolent in vulgus, quod ſibi factum ſatis non putat, niſi aliqua præceſſiſſe, ſucceſſiſſe-ve prodigia narrentur. Plutarchum certe non aliunde hiſtoriam illam accepiſſe inſinuat ſatis vocula, *dicunt*; quam repetit quoque, dum apparitionem Philippis iteratam refert; & quod caput eſt, memorat Publium Voluminium, Virum Philoſophum, quicum ab uſque initio ipſi Bruto commilitaſſet, cetera quidem multa recitarit, de tota autem apparitione mentionem nullam fecerit. Atque hæc quidem de Bruti genio. De dæmonio Socratis aliàs. Nunc, ſi gratum fuerit ſavere optimorum, amicorumque Virorum deſiderio, quatenus Bervillæ id innui, rem & ipſi, & ego ſimul tuæ bonitati feremus acceptam. Non hæreo, quin Deus fortunet, quæ meditaris Comitia; quippe ſperari ſucceſſus alius, quam quem felicem cetera conſilia parturiunt non poteſt. Adorit ipſis Lautaretius: Tu, ipſo viſo, non poteris caræ prolis non meminiſſe. Vive diu felix, & vale decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis pridie Non. Decemb. M. DC. XLIII.

EIDEM.

QUod jam circa Socratis genium a me expectas, ſic accipe. Plutarchus quidem, & Apulejus, ſcriptis hac ipſa de re libris, conſentire in id videntur, ut verus dæmon fuerit, qui Socrati adſtiterit. At Xenocrates, qui pernoſſe Platonis, & Socratis mentem [ſi quis alius maxime] debuit, profeſſus eſt εὐδαίμονα, *bono dæmone præditum*, hoc eſt, *felicem* eſſe illum, cui obtigerit *bona anima*; adjecitque ταύτην ἑκάστῳ εἶναι δαίμονα, *hanc unicuique dæmonem eſſe*. Ex quo veriſimile fit, Socraticum dæmonem non aliud fuiſſe, quam animam, mentem-ve ipſius ratione, prudentia, ſolertia, ſagacitate, meditatione, exercitationeque inſtructam. Certe & Apulejus ipſe id non obſcure innuit his verbis: *Nihil æque miror, quam cum omnes & cupiant optime vivere, & ſciant non alia re vivi, quam animo, nec fieri poſſe, quin, ut optime vivas, animus colendus ſit, homines animum ſuum non colant. Nec aliud te in Ulyſſe Homerus docet, qui ſemper ei comitem eſſe voluit prudentiam, quam Poëtico ritu Minervam nuncupavit. Igitur hac eadem comitante omnia horrenda ſubiit, omnia adverſa ſuperavit; quippe ea adjutrice Cyclopis ſpecus introiit, ſed egreſſus eſt; Solis boves vidit, ſed abſtinuit*; Hæc ille; quæ commemoro, ne nimiæ vertas temeritati, quod videar in dubium revocare rem, quæ ſit apud omneis prope in confeſſo. Ac ne putes non alias quoque mihi ſubeſſe conjecturas, ecce inprimis Timarchus ille, qui, referente Plutarcho, in Trophonii antrum delapſus, interrogavit de hoc genio, nihil aliud reſponſi habuit, quam genios hujuſcemodi portiones eſſe animæ noſtræ, non ut ceteras depreſſas in corpus, ſed caput velut circumſtanteis. Nempe quaſi genius nihil aliud ſit, quam τὸ ἡγεμονικόν, *princeps illa animæ pars*, quæ in capite ſedem habet. Deinde Simmias apud eundem quæſiit diligenter ex Socrate ipſo, cujuſmodi foret ille ejus genius; at Socrates nihil prorſus reſpondit; ſcilicet quaſi mentiri nolens, ut ſi ſuum genium eſſe dixiſſet ſeparatam ſubſtantiam, & perſuaſionem tamen non tollens, ob quam ſalutaria conſilia [quod ſuggeri divinitus crederentur] arripiebantur; uti feciſſet, ſi eſſe nihil aliud, quam mentem prudentem dixiſſet. Adnota interim quam multi non inſequentibus modo ſæculis, ſed ætate quoque ipſa Socratis de veritate, conditioneque hujuſce genii dubitarint. Ad hæc memorabile eſt, nunquam dixiſſe Socratem ſe vidiſſe quidpiam dæmonium, ſed ſolum vocem dæmoniam, ut ſignum quoddam, inaudiiſſe. Nimirum quaſi prudentia foret, cujus dictamen exaudiretur. Ea nempe eſt, quæ inſuſurrat, ſecretam-ve gannit in aurem; & loquutio eſt familiaris, ut dum rationem conſulimus, dicamus, videri nos nobis aliquid audire, quod obmurmuret, perſuadeat, doceat, &c. Præterea notatu eſt dignum, eam vocem ejuſmodi fuiſſe, ut nunquam quid agendum foret, ſed quid non agendum monuerit. Niſi verò id non inſinuat pertam experientia prudentiam, quatenus videmus multos pœnitere ob id, non quod tacuerint, hæſerint, non egerint; ſed ob id, quod loquuti fuerint, aſſeverarint, fecerint. Hinc ſane, cum Socrates ipſe ſe apud Judices excuſat, quod a ſuo genio deterritus, ne ad Rempublicam accederet, fuerit, nihil omninò aliud videatur, quam præcaviſſe pericula accedentibus impendentia. Et cum dicit ſe eodem cogente obſtetricatum quidem fuiſſe, ſed nihil tamen generaſſe, nihil aliud, quam errores cavit, in quos incidunt, qui dogmata tradunt. Denique, ne ob id, quod dixi de ſalutaribus conſiliis exiſtimes illum coluiſſe perſuaſione falſa prodeſſe, ecce hoc ipſum eſt, quod illi, Platoni-ve eum inducenti ab Euſebio obiicitur; & ipſe met tum in Theage gloriatur quantum hac ratione profuerit; tum ſe excuſat

in Apo-

Digitized by Google

in Apologia, quod ſuam illam vocem multo rectius dæmonium vocet, quam alii faciant, qui Deorum vim, poteſtatemque avibus tribuunt. Sed hæc nimis. Tu bene vale, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis III. Eid. Decemb. M. DC. XLIII.

En baſce mox obſignaturus, tuas accipio litteras Calendis ipſis Maſſiliæ datas. Apparitionis conſtantiam miror; ſiquidem Neuraus ad me ſcripſerat obſervaſſe te fuiſſe primam lucem trajectam in cubiculum per rimulam quandam in laqueari factam. Spectanda res erit attentius; nam ad me quidem quod attinet, nihil eſt, quod pronunciatum velim; neſcius præſertim conditionum, quibus ea apparitio fit. Interea verò ſubeſt omninò, cur bono ſemper ſis animo (quemadmodum revera es) ratus te illi adhærere, in quem qui ſperant, non confunduntur. Quod ſupereſt autem, ita ſemper habeo, id quidquid apparet, ſi a Deo ſit, non diu paſſuram ejus bonitatem, ut quid te velit dubius pendeas; ſiquidem anguſtius ſentiendum de ejus majeſtate eſt, quam ut monendo non moneat, hoc eſt, moniturus illudat. Niſi ſit, evenire poſſe, ut diutius appareat, ſed naturali tamen ex cauſa, qua conſtante mirum non ſit, ſi pari modo perſeveret. Id verò obiter. Tu iterum vale.

EIDEM.

COmpenſabit prolixitatem ſuperiorum Epiſtolarum brevitas hujus Epiſtolii. Multa nugatus in illis ſum; ſed argumentum, quæ fuit natura, vix paucioribus expediri potuit. Res eſt & ſcatens ſcrupulis, & implexa ambagibus; an putas ſententiam poſſe arripi, quæ firmamentis ſtet inconcuſſis? Non mihi certe, cui ſatis eſt, ſi aliunde major quædam veriſimilitudo affulgeat. Hinc par eſt me eum ſemper habeas, qui, ſeu quidpiam dicam, ſeu dicere videar, nihil præjudicatum velim. Ac non hæreo quidem, quin aliunde me ſeſcentum ſeria nervi deficiant, animique; ſed & tu is es, qui nihil non meo erga te affectui condones. Utcumque profectò langueant cetera, at vigat ſemper ſtudium, quo ſum ad obſequendum comparatus. Tu vale ſemper quam-optime, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis XV. Calend. Jan. M. DC. XLIII.

Hæc perſcripſeram, nihil litterarum hac occaſione abs te expectans; & ecce tamen litteras, ſchediumque accipio ſatis tempori, ut ſignificem accepiſſe. Cum aliud non vacet, hoc ſaltem te volui. Vale iterum.

EIDEM.

VEniam dabis, optime Princeps, niſi ſuccedam ex die ſolemni, unde te morer pluribus. Schedion remitto, quod occaſione ſuperiore non potui. Convenis nudius tertius me, qui vere eſt ſumma in te propenſione, atque obſervantia præclarus, Legerius. Accepi fuiſſe te Salone. Utinam qui hodie [illegible] naſcitur, in ſalutem quoque infantis illuſtris naſcatur. Tu ſalve, ac vale ſemper optime, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis ipſo fortunatorum Chriſti natalitiorum die. Anno M. DC. XLIII.

EIDEM.

DUm me accingo, optime Princeps, ut fauſtum annum apprecer, ecce redduntur litteræ, quibus ipſe es prior apprecatus. Nec verba modo hiſce Calendis utrinque læta dicimus, *Et damus alternis, accipimuſque preces*; ſed tu, quæ tua eſt bonitas, apponis etiam Xenia, quaſi ſtipem, caricas, mel, *Inceptam peragat dulcis ut annus iter*. Donarem ipſe Tripodas, quæ præmia fuere Grajorum fortium, ſi & mihi foret hæc vis, & animus tibi talium rerum egens; ſed neque tu expectas aliud, neque mihi aliud ſuppetit, quam gratus in te animus, plenuſque votorum affectus. Ac videri quidem tibi poteſt ſatis, ſi rem agnoſcam in pectore, quam ipſe ne verbo quidem expreſſiſti. Quippe quod alii hominum contenti dixiſſe, non faciunt; tu contentus potius feciſſe non dicis; quodque alii utraque manu oſtentant, dum altera dant; tu ſic dextra das, ut ſiniſtram celes. At cum is ſit in te character bonitatis eximiæ, tum improbare ſane non putes, ſi ut collati beneficii conſcientia tibi ſufficit, non mihi perinde accepti ſufficiat. Videlicet quæ virtus eſt in conferente reticentia, in accipiente crimen eſt; illeque magis beneficium, quam ſuum benefactorem amat, cui non eſt longe potior fruitione teſtificatio. Et vide, ut etiam ter-Optimus Deus, a quo eſt omne donum perfectum, commemorari beneficentiam non modo patiatur, ſed etiam depoſcat. Depoſcat, inquam, non ſui cauſa, ſed ne qui ipſam experti ſunt, ſurdo veluti verbere ingratitudinis torqueantur. Tu ergo cum non exigas, patere ſaltem, referre me quas gratias debere me ſentio, ne videaris mihi rem longe jucundiſſimam invidiſſe. Et geſtit quidem pluribus ſenſus interior ſe prodere; ſed modum adhibeo, ne ſim importunus. Uno proinde verbo; ut tu dictam tibi putas poſteriorem partem, ita ego mihi priorem græci illius verſiculi, χάριν λαβὼν μέμνησο, ϗ δοὺς ἐπιλάθου. Vive, & vale in annos Neſtoreos, decus Principum, ac meum decus dulce. Pariſiis, Calend. Jan. M. DC. XLIV.

Reſcripturus Bervillæ eram; ſed cum jam per tempus non liceat, & res præſtanda, Deo propitio, occaſione proxima ſit, nunciabo illi interim, te bene volente, plurimam ſalutem.

EIDEM.

FEcerant poſtremæ tuæ litteræ litteras hac vice ſperandas: Cum nullas habeam, cauſam conjicio, quod Maſſiliam diverteris. Rumor heic fuit neſcio quid turbarum illeic contigiſſe. Ipſe, ſi quid fuit, leviſſimum fuiſſe ex eo auguror, quod tale nihil ex litteris optimi Campinii habeatur, quin etiam apud aliquos rem exaggerantes, ſic interpretor, ut tu tanquam communis parens, & Aquas-Sextias, Maſſiliamque pari affectu proſequens, partiri cum utraque Urbe feſtos dies volueris, ne altera neglectam ſe præ altera conquereretur. Scilicet rem eſſe non novam, ut utrobique alternis degas; ac nihil fieri poſſe prudentius, quam providere, ne quod opus ipſe ſtruxeris ſuffodiatur; teque idcircò præbere, & vigilem, & indefeſſum. Utcunque fuerit, expecto ſemper, ac Divinum veneror Numen, ut compos ſias votorum omnium, adeò certus ſum nihil te præter τὸ καλὸν, ϗ ἀγαθὸν ſpectare. Vale ſemper quam-optime, decus Principum, decus

cus meum dulce. Pariſiis vr. Eid. Jan. M. DC. XLIV.

Hac cum perſcripſiſſem, & jam litteras ad Bervillam abſolveram, recentiores ab illo babui, quibus, quia ſignificavit quid rei Maſſiliæ actum fuerit, animum plane ſerenavit. Adjecit quam tibi glorioſe, quamque pro votis omnia ſuccedant; ea verò res, Deum immortalem, quanta me animi lætitia perfudit! Vale iterum.

E I D E M.

Litteræ iſtæ, quantum conjicio, te aut jam Valletam appulſum, aut in itinere convenient; utinam, & incolumem, & proſpere omnia gerentem conveniant. Litteras habeo Dinia, quibus concives illi mei uberes habent gratias pro eo, quo recens a te cumulati ſunt beneficio. Nempe quod tuam, ac Monæceam cataphraſtorum centurias diverti aliò juſſeris, id tuæ erga me benevolentiæ referunt acceptum. Ego verò quas-nam propterea tibi agere potis ſim, qui me ultrò, ac non rogatus tot nominibus continenter obſtringis? Mirum certe, quam angerer, ſentiens me adeò imparem, niſi noſſem ſpectare te voluptatem ſolam, qua afficeris, dum rem agis, quam provides mihi exituram jucundam. Itaque nihil aliud mihi ſupereſt, quam ut vota continuò fundam, ac identidem illud repetam, *Dii tibi ſi qua pios*. Futurum ſpero, ut nunc demum Lautaretium non modo videas, ſed arcte etiam complectaris, tum ut merentiſſimum Virum, tum ut amantiſſimum mei, tum ut deſiderantiſſimum priſtinæ valetudinis in illuſtriſſimo Infante. Operam, quantum opinor, dabis, ut priuſquam monteis repetat, illum inviſat, exploretque, & quidquid ipſi ab exortu notatu dignum obtigit, exquiſite, & ad unguem addiſcat. Magna ſemper me complet ſpes reſtitutionis in integrum; tanta me in Viri induſtriam, eximiaſque aquarum dotes, ſecundum Deum, tenet fiducia; Deus utinam vota mea fortunet. Hæc dum conſcribo litteræ tuæ nonis datæ mihi redduntur. Quam verò tu bonus ſemper erga me, qui quaſi eſſem aliquid, grave non ducis teſtari te mei deſiderio teneri. Parum ſane abeſt, quin ſtatim prorumpam; ita ſubvereor, ne non videar ad minimam tuæ voluntatis ſignificationem ſatis comparatus. Ac non poſſunt quidem mea illa cum Hugone negotia [ex quibus factum iri ſatis optimo Campinio ſpes eſt] niſi anno ſequente componi; at ſi ſenſero te in eo eſſe, ut in Patriam redeam, meque tibi ſiſtam, nihil rerum eſt, quod valere non jubeam. Teſtor candide, & ex animo, ut & perſuaſiſſimus ſum tuis illis verbis nihil eſſe candidius. Vale, decus Principum, o & præſidium, & dulce decus meum. Pariſiis XVIII. Calendas Februarii M. DC. XLIV.

E I D E M.

Neque eſt, quod ad te jam ſcribam, neque, ſi eſſet, poſſem omninò id explicare pluribus. Aliò nimirum litteras do, ut fuſiuſculas, ita arduas ob difficilem, quam verſo materiam. Non debui tamen committere, ne verſiculis ſaltem paucis non dicerem, quam apprecor, continenterque voveo, ſalutem. Ipſam, ut opinor, accipies incipientibus Comitiorum fluctibus detumeſcere; exopto verò ſemper is ſis, qualem ſuum Mallium deſcribit Claudianus, *quem nec tot limina rerum, aut tantum turbavit onus, &c.* Tu porrò haud-dubie talem te præſtabis, cui præcordia ſunt de meliore luto, & virtutis ſtudium haudquaquam ignavius. Eſto igitur, ut Olympi vertex, perpetuum nulla temeratus nube ſerenum. Eſto per tanta negotia liber, ac ſimilis tui emerge, & vale. Vale, inquam, bene, imo optime, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis XI. Calend. Februar. [qui mihi natalis] M. DC. XLIV.

E I D E M.

Dici non poteſt, optime Princeps, quam jucundæ fuerint tuæ litteræ in ipſo procinctu ad Comitia datæ. De tuo in omneis Ordines affectu nemo dubitet, cum & natura, & ſtudio non poſſis ad benefaciendum, quam-plurimis potes, eſſe comparatior. Utcunque enim ea moveas, quæ videri ingrata poſſunt, & invitus tamen id facis, & idcirco facis, ne in eorum vicem longe ingratiora ſuccedant. Rem non agnoſcunt, qui ſolent omnia commodi, aut incommodi præſentia duntaxat metiri; at geri rem decet ex tua providentia, non ex illorum ignorantia, &, ſi qui forte, ſeu rerum gnari, ſeu ignari obmurmurent, meminiſſe Fabii illius cognominati Maximi, qui non ponebat rumores ante ſalutem. Verſiculum noſti, qui inſequitur: *Ergo magiſque, magiſque Viri nunc gloria claret*. Nempe conſequuntur ſemper tempora, in quibus qua mente quidque actum fuerit, perſpiciatur, & commendetur. Extorquet demum veritas etiam ab infenſis elogia, & plerumque ſuos, quos nimia alioquin indulgentia abalienandos, ſinceritas auſtera conciliet. Curandum modo, ut virtus ingenua, honeſtique ſtudium ſibi ſemper conſtet. Quod ſupereſt enim, ipſam ſuos honos ultro demum ambit, longeque veſtigat. Quod conventus cauſa Valletam concedens optimi Senis memineris, qui loci illius prior ſalutatur, dignum fuit tuo illo in bonos, eruditoſque Viros amore; dignum affectu, quo es in illum, vel mei ergo animatus. An-non vero conſulea boni, ſi id ego ipſum reſcire procurem, qui nihil habeo carius, quam ut, ſi qua ratione poſſim, felicem illius ſenectam oblectem. Nimirum cum maximi ducat a Principe tantæ virtutis amari, non poterit ſane non ſumma ſuavitate, tum affici, cum accipiet quam bonis verbis fuerit abs te cohoneſtatus. Perſcripſit ad me aliquid Neuræus de libro Patris Octuli, cujus duo exempla ad me Septembri menſe tranſmiſiſti. Significavi tum temporis, quibus ea, ut alterum Regi, alterum Cancellario traderentur, concrediſſem; ac me deinceps (fatebor enim) cepit ipſorum alta oblivio, ſecurum, ut puto, fuiſſe illis curam, quorum maxime interfuit, commiſſam. Nunc a Neuræo admonitus, ſchediolo provoco Merſennum, ab eoque viciſſim ſchediolum accipio, quod litteris hiſce habebis adjunctum. Habebis, inquam, tum ut perſpicias quatenus res proceſſerit, tum ut elicias quo pretio liber ille habitus fuerit, & penes Cancellarium, & penes illos, qui ejus verba exceperunt, recitaruntque. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis XV. Calend. Febr. M. DC. XLIV.

Erudita

Erudito, & Amico Viro Samueli Sorberio

PETRUS GASSENDUS S.

NOn putero ſane deinceps tecum agere, mi Sorberi, niſi opinionem de me abs te conceptam temperes, ac titulis parcas, quibus me exornas. Quorſum-nam verò tu levem illum, quo te donaram expunxiſti, ut non poſſem ſine rubore meam videre epiſtolam Epigraphe adeò jejuna vulgatam? Quorſum in ea, quam appoſuiſti Typographi nomine, fuiſti in meos adeò profuſus, ut donare libri exemplis, ſi quæpiam nanciſcar, auſim neminem, ne laudis immeniæ, ac immeritæ propalator videar? Eſto, quæſo, inpoſterum in te ſimul, & in me æquior; ac te majore, me oppidò minore modulo metire. Quod de natura temporis rogitas, ejuſmodi eſt, ut neque ſatis id aſſequar, neque aſſequutus exprimere poſſim. Cauſam conicio, quod mens noſtra ſit præoccupata notione vulgari, quæ efformatur, dum voces illæ tranſcendentales, ac ſynonymæ *ens*, *res*, *aliquid* proferuntur. Quippe cum, ut voces, ita & notionem applicemus ſolum ad id, quod ſubſtantiam, accidenſve concipimus, ea nos tenet anticipatio, ut quidquid eſt rerum, aut ſubſtantia eſſe, aut accidens debeat. Exinde autem efficitur, ut quia eſſe tempus in rerum natura babemus indubium, perſuaſi ſimus illud eſſe, aut ſubſtantiam, aut accidens, & definiamus ejus naturam iis vocibus, quas non-niſi ſubſtantiis, accidentibuſque inditas habemus. Ceterum tempus eſſe videtur aliquid ab omni ſubſtantia, accidenteque prorſus diſtinctum; & habere ſe ex pari cum loco, qui ratione conſimili, neque in ſubſtantiis, neque in accidentibus ſit habendus. Nempe ut locus quæpiam res eſt immobiliter perſeverans; ita & tempus res quæpiam eſt inimpedibiliter fluens; ac in rerum diſtributione aſſignanda eſſe videntur præter ſubſtantiam, & accidens, duo quædam quaſi genera rerum, *locus*, quo capiatur, & *tempus*, quo duret quidquid, vel ſubſtantia, vel accidens eſt. Utrumque genus ex ſe infinitum, ſive principio, & fine carens; illud ſecundum dimenſionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis; hoc verò ſecundum prioris, poſteriorisque ſucceſſionem; adeò ut ratione illius concipiamus Deum immenſum, & ratione hujus æternum. Utrumque etiam habens parteis inexhauſtas; illud quidem, ſecundum, quas & Mundus, & quævis pars ejus dicatur heic potius, quam alibi eſſe, cum ſuperſint nihilominus ultra Mundum immenſa ſpatia, in quibus perinde exiſtere poſſet. Iſtud verò ſecundum, quas & Mundus, & quævis pars ejus eſſe dicatur nunc potius, quam alias; cum duratio tamen interminata, & Mundum præceſſerit, & (ſi Deus deſtruat) ſequutura ſit, in qua exiſtere perinde potuiſſet. Eſt verò utrumque præterea, & ſecundum totum, & ſecundum parteis inalterabile, invariabileque; adeò ut ſive aliquid rerum creatarum ſit, ſive nihil, ſive quieſcat, ſive moveatur, & ſive feratur ocius, ſive ſegnius, illud nihilo ſecius conſtans, immotumque perſeveret, iſtud nihilo ſecus uno, eodemque tenore fluat. Dici hæc pluribus deberent; ſed erunt tibi tamen plus æquo, ut inde elicias quouſque meæ me nugæ perduxerint. Tua illa porrò ſeria omninò, ac relata potiſſimum non ad temporis exiſtentiam, quæ neque a motu, neque a quiete dependet, cum omnis potius motus, & quies in tempore ſit, ſeu tempore aliquo duret; ſed ad notitiam temporis, quæ profectò niſi ex motu, partibuſque ejus ſuccedentibus haberi non poteſt. Id autem præclare inſinuat tum illud de ſomno exemplum, quod eſt ab Ariſtotele, interpretibuſque ejus illuſtratum; imo & illud de inſomniis, deque cogitationibus, quæ ſuccedenter elicitæ, animadverſæque habentur pro motu tempus menſurante. Illud autem te videtur movere, quod ſi nullæ prorſus mutationes forent, tunc non modo reſpectu noſtri, ſed etiam reipſa nihil præteritum, aut futurum, ſed præſens ſolummodo eſſet. Enim-verò res illo caſu non præterirent quidem, quaſi deſinentes, cum fuiſſent; neque eſſent futuræ, quaſi exorientes, cum non fuiſſent, ſed durarent tamen, hoc eſt, immutatæ perſeverarent certo tempore, in quo ob invariatum fluxum liceret ſemper diſtinguere prius, & poſterius, ſeu præteritum, & futurum, non actu quidem menſuratum motu aliquo, ſed menſurabile tamen. Scilicet non tempus eſt menſura motus, ut vulgò definiunt; ſed motus potius temporis; utcumque motu cœleſti aſſumptu pro generali quadam menſura, videamur nobis non tam parteis hujuſce motus, quam temporis ad menſuram ceteros ſpecialeis motus uſurpare. An forte proinde videris res ipſas duranteis non durationem deſignare, cum dicis in ipſis nihil fore futurum, aut præteritum, ſed præſens duntaxat? Hæc ipſa certe tranſumptio eſt, quæ videtur mihi præcipuum circa æternitatem negotium creaſſe; cum quæ propria ſunt æternæ ſubſtantiæ translata in ejus durationem ſunt, cujus tale nihil eſſe proprium poſſit. Sed iſta plus ſatis. Salutem, quæſo, optimo Curcellio nuncia plurimam, ac ſignifica reſcripturum me, cum accepero, quæ ſex folia meditationum fecit ſperanda. Vale. Pariſiis III. Cal. Febr. M DC XLIV.

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

REducem te, quantum conjicio, hoc Epiſtolium domi comperiet. Utinam & incolumem, & votorum compotem factum. Audire ſpero Lautaretium in comitatum adhibitum, ut ſubinde inviſere, explorareque infantem poſſit. Faxit Deus ter Optimus, ut res denique optime ſuccedat. Quæſiit Merſennus ex me demandatam-ne ſalutem nunciarim; ego verò etiam ſchediolum, quo eam demandari, expetieratque translatum aſſerui. Noviſſe ex eo poteris friguiſſe heic magnopere tota decade φθίνοντες ſuperioris menſis; at τῇ νεομηνίᾳ, ſeu Calendis hujus, aëris temperies prope verna rediit, nec Sequana modo ob niveis quieſcenteis intumuit, ſed plenæ etiam aquarum viæ deduxere non ſemel τὸν γραμματοφόρον in vitæ diſcrimen non leve. Tu bene vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis Non. Februar. M. DC. XLIV.

EIDEM.

QUod exoptaram, hoc mihi tuæ ſignificarunt litteræ, nempe te vidiſſe, & complexum fuiſſe præclarum Lautaretium, & quod amplius eſt, illius induſtriæ, experientiæ, affectui plurimum tribuiſſe. Fore ſpero, ut, Deo propitio, nunquam te fiduciæ illi habitæ, commiſſæque curæ pœniteat; adeò ſagacem, ſolertemque, & ſedulum compertum habeo. Quod conventus primordia probe, & pro votis tibi ceſſerint, ſumme & lætor, & gratulor; neque tametſi illa præcipue tibi fuiſſe cordi conïiciam, hærere licet, quin cetera paris fuerint felicitatis. Res debetur, & providentiæ, & magnitudini animi, qua te invictum præſtitiſti, quæque præſtabit in poſterum, ut affectus ille in Provinciam tuus, qua par eſt reverentia, agnitioneque excipiatur. Vereor, ne non-nihil te permoverit, quod jam haud-dubie de parente illuſtriſſimo inaudiiſti. Non ſane, quod videri poſſit jacturæ quidpiam tua in re familiari eſſe timendum; ſed quod pro tenero amore, quo erga illum affectus es, nolles rem præter conditionis, ætatiſque decorum factam. At, quæ eſt in te natura, ſtudioque inſignis *μετριοπάθεια* non poteſt profecto non ſtatim ſic temperaſſe animum, ut motos fluctus compoſueris, & dicto citius, quod ille ait, tumida æquora placaris. Nimirum ſapientiæ tantopere amans, quid in tua facultate ſit, vel non ſit, meditatum tenes; paratuſque es, ſi quid accidat, quod avertere tuæ opis non ſit, excipere imperturbate. Et ſapientia certe non eſt, impotenter æque, ac fruſtra torqueri, & angor ille animi, cui ſe vulgus hominum dat, non valetudini modo obeſt, ſed etiam conſilio, ſi quod forte ſit tanquam in arena capiundum. At tibi quidem quod-nam heic ſit capiundum, abſit, ut præſcribam; res ingenii mei modulo eſt major, tuque tibi ipſi conſultor eſſe conſultiſſimus potes. Noſti quippe maxime omnium, neque monitore eſt opus, ut memineris quid-nam te, ut filium, ut Principem, ut pro-Regem, ut eum, qui es, quique audis, deceat. Mihi ſatis eſt æquam mentem arduis in rebus abs te ſervatam congratulari, commendareque; felici nimium, quod tu is ſis, qui ob ſermones hiſce de rebus tecum conſertos non offendare. Vale, o decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis prid. Eid. Febr. M. DC. XLIV.

EIDEM.

INaudio noſtrum quidem Campinium Aquas-Sextias jam reducem, at te una, aut altera hebdomade amplius domo abſuturum. Ubicumque fueris, Deus Optimus-Maximus te ſoſpitem ſervet. Inaudio quoque exacta fuiſſe Valletana Comitia, ut ea jam cepta perſcripſeras, fauſto videlicet ſucceſſu. Quam delectat verò fuiſſe pronam omnium in tua vota conſpirationem! Jam quippe rumpatur invidia, ſi quæ ſuperſit, neceſſe eſt, cum & turbarum concitandarum ſuccisa ſit ſpes, & ademptus color. Quam placet quoque ita potuiſſe comparari negotia, ut quo tempore ſubſidiorum graviorum metus incutiebatur, Provincia potuerit leviora ſentire? Hinc ſcilicet erit, cur tota Provincia te ut vere parentem habeat, eumque agnoſcat, abs quo liceat quam-maximum tempora patientur levamen ſperare. Vive igitur tanto noſtro bono, decus Principum, decus meum dulce, & vale. Pariſiis XII. Calend. Mart. M. DC. XLIV.

EIDEM.

QUi dicebaris Cotiniacum Religionis ergo iter inſtituiſſe, evocatus es, ut accipio, ſedandis Arelatenſium rixis. Sed nimirum pietatis ſolum commutaſti officia, memor voti abs te concepti pro publica tranquillitate. Agnoviſti Deo pacis Principi gratiſſimum fore pacis ſacrificium, & abs te præſertim, quem, ut vindicem, ſic Antiſtitem illius conſtituit. Diceris inde Maſſiliam quoque ad componendum diſſidia illeic ſuborta conceſſurus. Scilicet tanquam Angelus pacis eò confeſtim advolas, unde accipis ipſam exulare. Quam vovendum nobis, ut vivas, & valeas, præſtiturus te ſemper hiſce ſtudiis, ac laboribus indefeſſum? Vive igitur in annos Neſtoreos, &, ut tot negotiis ſuſtinendis par ſis, valentiſſimam valetudinem. Vale. Pariſiis poſtridie Biſſextilium anni M DC. XLIV.

EIDEM.

COnvenit me nuperis diebus præclarus Abbas Victorinus, & quæ te ſubierit de me cogitatio perſpectum fecit. Quis mentem ſtupor, quis faciem rubor invaſerit, ipſe perpende. Idem profectò etiam-num quoties repeto, advertoque, invadit. Agnoſco nempe quam ſim non dignus bonitate illa immenſa, qua ſic in me propenſus es; quam impar illi muneri, cui tu me parem pro inexhauſto in me affectu exiſtimaſti. Quid putas verò animi ſit, aut effari quid valeam, cum tu hac tua beneficentia ſic me pergas obruere, ut nullam amplius eloquendi facultatem reliquam facias. Ipſa quoque res, de qua agitur, putas-ne ejuſmodi eſt, ut ad ipſam conſilium afferre expeditum poſſim? an-non ipſam admittere fidentis nimium, nec ſatis conſcii quid vires ferant, animi eſt? an-non reiicere faſtidioſi, ac forte divinæ, tuoque utenti miniſterio diſpenſationi adverſantis? Ecquid proinde mihi ſit tutius, dum revereor tacitus voluntatem erga me tuam, animum ita comparare, ut neque affectando, neque recuſando laborem, Numini committam, ut provideat. Ipſum, tibique, & aliis ea conſilia ſuggeret, quæ & gloriæ ſuæ, & meæ ſaluti eſſe agnoſcet conducentiora. Vale, o decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis IV. Non. Mart. M. DC. XLIV.

EIDEM.

NOn potui profectò non movere me, qui te permovit nuperus dolor. Qui enim exopto nihil magis, quam videre te, ut rebus florentem, valentemque proſpere; ita præſertim ſerenitate, tranquillitateque animi fruentem; quam, putas, ab iis metuo rebus, quæ conturbare ſtatum hunc poſſunt? Quam verò magis metuerem, niſi perſpectam ſatis haberem, & generoſam indolem, & ſapientiam, qua provides, ne ſis caſibus humanis inferior; ita ſit nimirum, ut concuti quidem, quod hominis eſt, at non deiici, quod ſapientis eſt, valeas. Et humana certe imbecillitas vix patitur quemquam eò perfectionis aſſurgere, ut non primo eorum aſpectu moveatur; at ſapientia tamen ſic animum regit, ut illicò factam commotionem ſedet. Oſtendit nempe humanos caſus eſſe quaſi *μορμολυκεῖα*, ad

quorum

quorum aſpectum pavitare proclive ſit; varum id eſſe inter ſublimia, vulgariaque ingenia, quod eſt inter Viros, pueroſque diſcrimen. Ut enim pueri nunquam ſatis adverſus terrorem firmantur, neque animi ſatis habent, ut perſonam detrahant; Viri autem, qui norunt eſſe inania terriculamenta, neque ſubeſſe quidpiam larvæ, quod meritò metum incutiat, pavore ſtatim eximuntur; ſic ipſa e vulgo ingenia ad omneis caſus percelluntur, neque unquam ſatis, vel audent, vel poſſunt quid iis ſubſit, aut non ſubſit diſcernere; quæ verò ſeſe ſic evexerunt, ut mortalia omnia tanquam ex alta arce deſpiciant, norunt larvam eſſe quidquid territat, ac nihil veri mali, quod jure perturbare poſſit ſubtendi. Hinc, quia quidquid in iis eſt mali, non re, ſed opinione conſtat, id inprimis curant, ut ſanas de rebus opiniones habeant, congruaque ipſis pretia ſtatuant; quod niſi quis fecerit, degere imperturbatus non poſſit. Non ſane, quod apud eos homines, quibus-cum verſamur, non interdum Viri commoti perſona geri poſſit, aut debeat; ſed quod ſit longe aliud revera, ac intra pectus affici, aliud ſeſe eum exhibere, quem talem videri interſit. Nempe videri iracundum, miſerabundumque ſæpe expedit, licet improbum caſtigare, & ſublevare miſerum, abſque commotione interna ſufficiat. Sed noſti ipſe melius omnia, inſinuaſſeque ſatis eſt, quod ipſe penitus pervideas. Tu temet proinde ipſum conſule; & quod revera generoſum, erectumque tuum decet animum, præſta, ac tuere te ſemper his ſuperiorem caſibus, teque majorem reputa, quam ut ſuccumbas moleſtiæ, aut inutiſis te mæror conficiat. Vale potius, optime Princeps, qui præſidium es, & decus meum dulce. Pariſiis v. Eid. Mart. M DC. XLIV.

PETRUS GASSENDUS
NEURÆO SUO S.

PAuca pro multis, mi Neuræe, ſed duo nempe verba ſufficiunt, admiratio, & gratitudo. Quippe rapit me in admirationem tua illa Phocæ deſcriptio, adeò accurata, atque elegans, ut videre rem videar; & gratias habeo uberes [quales profectò debeo] pro ipſa mecum communicata. Optandum, ut ſæpiuſcule tibi ingeratur occaſio conſcribendi ſimilia, quando ea tui ſtyli felicitas eſt, ut nihil non graphice exhibeas; & dum verborum proprietas, collocatioque cum varietate, delectuque rerum contendit, inexhauſta interim quadam dicendi ubertate exundes. Delectavit mirifice deſcriptionis lectio, & Abbatem noſtrum, illum Virorum optimum, & Puteanos fratres cum toto conſeſſu, e quo tuus Bullialdus fuit. Viſa res illis fuit digna, quæ inſereretur in piſcium hiſtoriam, ipſeque excepi, ſi Ariſtoteles tam eorum, quos deſcripſit piſcium, quam tu hujuſce αὐτόπτης fuiſſes, non fuiſſe futuram Athenæo auſam jocandi ob res illi incompertas. Salutem tibi nunciat Bullialdus, felix jam ob Typographi operas graviter reſumptas. Commiſi ipſi quas copioſas Dantiſco habui litteras, ob obſervationes Eclipſeon, quarum mihi fuit facta illinc copia. Ex Hollandia nihil adhuc habeo. Hac in Urbe res litteraria nihil, quod ſciam, novi profert. Arnaudus Doctor Theologus a Cancellario accerſitus, juſſus eſt nomine Reginæ Romam quam primum concedere, rationem libri illius ſui *de Communionis frequentia*, coram Pontifice redditurus. Vale, & ſanem optimum meo nomine plurimum ſaluta. Pariſiis v. Eid. Mart. M. DC. XLIV.

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

HAud male fueram ominatus, te Arelatis educem Maſſiliam quoque conceſſurum. Nihil verò mirum, ſi ubique tibi pro votis omnia ſuccedunt, cum hoc unum in votis ſit, ut tranquillitatem ubique ſtabilias. Nihil mirum, ſi omnium regas animos, ſi omnium mulceas pectora, cum, miniſtrante arma furore, facibuſque, & ſaxis jam volantibus, oboriri nemo, conſpicique valeat, ut dignitate, & ſanguine, ita meritis, & pietate gravior. Ac optimum quidem Campinium tecum conſpirare mihi in confeſſo, poteſque ſane id, quod facis, fidum Achaten dicere; ſed interim tamen bonitatis eſt tuæ, quod, dum ob rerum proſpere geſtarum gloriam demeris, ipſum ita in partem voces. Is tecum haud dubie inſignem communicavit impoſturam, quas evincere auctor ſtuduit, ut illum inde abduceret; neſcimus verò tibi-ne ſimul parcere ſatis voluerit, ac ob rumores potiſſimum, quos (ipſo forſan vrotilante) inaudimus iſtic reſperſos. Quam es porrò felix, cui tot, tantiſque diſtricto negotiis, graves ij caſus, quos litteris inſinuaſti ſe ingerunt; & ſemper nihilominus animum invictum, & infractum geris. Macte eſto, optime Princeps; præbes te quippe hac ratione dignum Deo ſpectaculum, quale Seneca Virum fortem cum mala fortuna compoſitum dicit. Hac una re ſane evades te major, ſi teipſum, hoc eſt, humanam imbecillitatem ſuperaveris, non paſſus, puta animum ob hæc humana deiici, aut ignavè langueſcere; ſed generoſe temet obfirmans, ut ipſum non modò tranquillum, ſed & alacrem tuearis. Et, ſi quidpiam quidem prodeſſet dare ſe angori in prædam, tolerabile forſan foret labi animum ſinere; cum verò id nihil ſit aliud, quam malum malo aggerere, quid fieri poſſit laudabilius, quam ſic regere animum, ut quo par eſt pede conſiſtat, neque imbecilliter demittatur. Res ardua, paucíſque conceſſa; ſed videlicet vera virtus res vulgaris minime eſt, heroicæque eſt indolis difficultates perrumpere, & ad faſtigium contendere, de quo attingendo vulgus iners, & minima quaque occaſione animos deſpondens, ne cogitat quidem. Vale, o decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis XV. Cal. April. M. DC. XLIV.

EIDEM.

VEnerant Eidus Martiæ, cum Arelatem poſtridie diſceſſurus, id ipſum tuis litteris ſignificare dignatus es. Spes eſt, ut Deo bene juvante, confecta ex voto negotia illa fuerint, quæ, ut eam in Urbem redires, fecerunt. Iſthæc, qua hæc perſcribo, dies duplici ſacra nomine (ut puta, qua Chriſtus ſervator vitam morta-

mortalem induere, exuereque voluerit) attuliſſe iis debet finem; quare, & jam voveo fauſtum reditum, proximoſque dies, ut feſtos, ſic fauſtos. Ipſos, ut opinor, tranſiges Salone. Faxit Deus ter-Optimus, ut concinente illud Eccleſia *hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*, ipſe pleno exultationis, lætitiæque corde illi accinas הללו יה. Ceterum, cum per hoſce dies eximium Capellanum levi invaletudine laborantem inviſerem, is ſignificavit non neſcire ſe quid nomine meo poſtulatum foret. Ipſe obſtupeſcens, quia neminem alium, quem optimum, fidiſſimumque Abbatem Campinium (& præclaro quidem Victoriano volente) conſcium fecerem; ecquo nam, inquam, id noſti modo? Apud amicum, inquit, verſabar, cum ſuperveniens Sant-Angelus, ubi fortu fuit de te facta mentio, quid actum fuiſſet verbo nos docuit. Tum ego tuam erga me benevolentiam exaggerans, quid Chavinius in tui gratiam apud Cardinalem egiſſet expoſui. Ille verò non puto, inquit, inde reſciiſſe Sant Angelum; ſed ex Reginæ potius ore, qui-cum rem forte potuerit Cardinalis communicare. Et conſertis ſubinde variis de negotio ſermonibus, patere, inquit, tibi ſim auctor, ut optimum Principem tuum, quando rem seriò exoptat, roges, dignetur ipſe ad Reginam, Cardinalemque litteras dare, quibus fervorem ſuum teſtetur, & quis Vir ſies, explicet, ac ſimul deſtinare alias ad Condæum Principem velit, quæ eum animent, ut opus promoveat, amoliaturque obſtacula; ſiquidem provideo fore, ut res ſtet, & optimi Principis fide, & præſidio Viri in Aula potentis. Idem pæne cenſuerat optimus Abbas Campinius; ac niſi rem vellem ad te ſcribere, receperat ſe ad fratrem ſcripturum. Nequeo ſcio utrique ſatis, dum candide hæc ad te ſcribo; ſed nempe quaſi hiſtoriam nudam, &, quod te celare nihil debeam; alioquin enim neque conſilium, neque precationem adhibeo, qui expeto potius, ut illud demum, quod ſpiritus tibi Divinus ſuggeſſerit, agas. Quin etiam cum id totum fuerit cum prælato Abbate Victoriano communicandum, aſſenſi, cum cenſuit nihil eſſe neceſſe machinas novas adhibere, priuſquam gravius quid ingruat, illuſtrem enim Chavinium videri hactenus providiſſe. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VIII. Cal. April. M. DC. XLIV.

Viro Clariſſimo, ſapientiſſimoque Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Palæopoleos Scabino

PETRUS GASSENDUS S.

EA ſane fuit, Vir ſapientiſſime, humanitas erga me tua, ut grates dignas perſolvere non ſit omninò opis meæ. Vocaſti nempe ipſe me in partem amicitiæ, quam ego potius ambire debui, ac ultro ſimul donaſti ea, quæ exigere prohibuiſſet pudor. Decet proinde, ut non ſis minus in ignoſcendo liberalis, quam in præoccupando fueris; & agnoſcendi impotentiam, quam feciſti ipſe in me, non mihi vertas vitio, ſed tibi-met ipſi condonandam putes. Quin etiam, quod tarde reſcribam veniæ debetur, quod tarde prorſus litteras tuas acceperim, quippe duos prope menſeis cum ſemiſſe, ex quo es dignatus ad me ſcribere; ſubeſtque, ut ipſum quoque excuſationis partem faciet, niſi tibi hac occaſione ſatis copioſe reſpondeam; quando præſtare cenſeo, ut pauca, potiuſquam nihil, dem, ne ea, qua teneris per eſt, expectatione diutius fruſtreris.

Gratulor, quod potueris tot illas Fixas prius inviſas in Aquario ſic pervidere, ut factum tibi ſatis putaris in dignoſcendis iis quinque, quas optimus Vir pro Erronibus circa Jovem habuit. Quod ego certe de quinque Stellis pridem perſpectis rem expoſuerim, fecit conditio, & Stellarum, quas ille dixit ſe *Mediceis* multo majores inveniſſe, & Teleſcopii, quod ut ille novum, inſolitumque deprædicavit, ſic viſum fuit poſſe hujuſmodi eſſe, quod proſpectu foret duorum, aut trium graduum; alioquin profectò taleis ipſi viſas, quales tu poſtea, ſomme haud-dubie ſagacitate, & diligentia obſervando detexeris, ſatis inſinuavi, cum adjeci Jovem eſſe potuiſſe inter alias ſolo Teleſcopio conſpicuas; eamque cum Jove, ac inter ſe diſpoſitionem obtinenteis, quæ exhiberetur in Diagrammate; unde & exempla ſimilium configurationum adſcripſi. E diebus ſecunde, quarteque Septembris, quibus ipſe Jovem vidiſti in eadem Aquarii regione, in quam poſt menſeis quatuor redierit, adnotata mihi ſolum eſt ſecunda, de qua in adverſariis habeo ſic; *Hora quarta veſpertina cum ſemiſſe, priuſquam nubila occultarent Jovem, viſos fuiſſe Mediceos quatuor; duos ad Ortum, propiorem diſtantem ab illius margine diametris* 2½ *remotiorem diametris undecim, duos ad Occaſum, propiorem diſtantem diametris ſimiliter* 2½. *remotiorem, qui & omnium maximus fuit diametris quatuor*. De diebus ex ejuſdem, deque 26. Octobris nihil habeo; tametſi non deſit de circumſtantibus aliquid. Gratias verò interim habeo pro communicata illa in certas horas evariatione.

Debeo porrò ingenteis quoque pro adeò egregio Solis ſchemate, in quo aliquot maculas, faculaſque appinxiſti; lætorque te & obtinere egregium adeò Teleſcopium, & methodo uti, quæ videatur longe quam Scheineriana facilior; & pollere non modò viſu, qui poſſit ſane haberi lynceus, verum etiam manu adeò eleganti, ut depingi nihil accuratius poſſit. Facit hoc certe, ut non modo conſentiam, ſed quantum licet etiam exhorter, ut quam ego *Selenographiam* affectavi, ipſe perficias; ſiquidem, cum mihi pingendi ignaro utendum aliis fuerit manibus, potes tu rara felicitate tuis-met uti, & pingendo, &, quod maximum, æri incidendo. Et quantum quidem ego perfecerim, ut agnoſcere valeas, mitto ecce icones duas, alteram Plenilunii, alteram τῆς διχοτομίας, ſeu quadraturæ poſterioris, cujuſmodi ſoles inciſas, exculpſque habeo; ceteris affectatis quidem, ſed neque inciſis, neque, ut conjicio, unquam incidendis. Manum in utraque agnoſcas egregii Pictoris, Cælatoriſque Cl. Melleni; niſi quod cum oblitus fuerit apponere maculam pertenuem, quæ eſt ad limbum orientalem, prope aliam majuſculam, fitque perſæpe inconſpicua, ipſe calamo, nec bene appoſui. Quod ex icone Plenilunii decerptum eſt, conſpectum nihil turbat, quando ad eam partem nihil inſigne conſpicitur. In alia quidpiam eſt turbatum prope ipſam διχοτομίαν; ſed agnoſces fuiſſe vitium excudentis. Saniores mitterem, ſi ad manum forent; ſed aliæ prorſus nullæ ſunt, præter unam quandam Pleniluniarem, imperfectiorem; quales verò cumque ſunt, mitto, quoniam

niam non hæreo, quin ſis ipſas jucundiſſimas habiturus. Quod ſupereſt, quoniam in Peireskii vita quid de variis Selenographiæ uſibus concepiſſem, legiſti, nihil eſt, quod hoc loco ſubiiciam.

Quas obſervatas a te eum Solis, tum Lunæ Eclipſeis deſcribis, obſervare quoque mihi contigit; quare & non parum obſtrinxiſti me, cum me tuarum obſervatiunum, quas poſſem cum meis conferre, eſſe participem voluiſti. Solaris anni 1639. diei primæ Junii, fuit obſervata Aquis-Sextiis, ubi & cepit hora 4. cum min. 44. Finem obſervare non licuit propter ſuborta nubila; cum hora 6. min. 35. cum dimid. non deficeret amplius, niſi unus digitus cum min. 26. Sed interim ex adnotatis tam ante, quam poſt medium phaſibus 57. ratiocinatus ſum finem contigiſſe hora 6. min. 46. ac medium proinde fuiſſe hora 5. min. 45. exiſtente tum maximo defectu digit. 8. & min. proxime 13. Prætereo autem Eclipſin cepiſſe inferne, & ad dextrum reſpicientium Solem in diſtantia a perpendiculo grad. 60. ſecundum Solis marginem, & defectum increſcentem digitorum 6. fuiſſe exquiſite ad dextram; defectum decreſcentem iterum 6. fuiſſe exquiſite ſurſum. Eclipſis autem lunaris anni 1642. ac diei 15. Aprilis mane obſervata fuit in hac urbe, ubi & contigit illius initium hora a media nocte o. minut. 10. Totalis obſcuratio hora 1. minut. 11. Recuperatio luminis hora 2. min. 47. Finis hora 3. min 48 Ita porrò fuit nobis quoque evanida Luna ſub medium Eclipſeos, ut ne ullum quidem veſtigium illius apparuarit, niſi quibus fuit acutiſſimus viſus. Eclipſis verò anni ſuperioris, ac diei Septembris 27. obſervata fuit partim in hac urbe ab egregio Viro Iſmaële Bullialdo, cujus jam Aſtronomia Philolaica ſub prælo verſatur; tum a me quatuor ab hinc leucis gallicis ad ortum, quò nimirum diſceſſeram, ut ex loco edito, quid in Sole occidente, & Luna per Eclipſin oriente contingeret, obſervitarem. Obſtitere nubes ad uſque beſſem, dodrantem-ve Eclipſeos, ſed præter tamen aliquot phaſeis ante finem obſervatas perſpicue demum contigit finis; illi quidem hora 7. min. 59½. ex altitudine Ariadnes 30. grad. minut. 54. Mihi hora 8. min. 1. ex altitudine cinguli Andromedæ 38. grad. min. 25. vel hora 8. min. 2. Ex altitudine Lucidæ Arietis 21. grad. min. 5. & extremæ in ala Pegaſi 33. grad. minut. 5. Quæ quidem cenſui commemoranda, ut tu quoque poſſis obſervationum noſtrarum cum tuis inſtituere comparationem.

Et ut tandem communicem alias, en tibi ex Solaribus præter duas quaſdam typis mandatas, alteram anni 1621. ac diei Maii 21. alteram anni 1630. ac diei Junii 10. En, inquam, aliam obſervatam Diniæ anno 1633. ac die Aprilis 8. non quod ſpectar ſane initium [illud enim mihi nubes inviderunt] ſed quod ad phaſeis 27. acceptas partim ante medium, partim ante finem, qui cum contigerit hora 5. min. 45. ratiocinatus ſum ex Phaſium collatione contigiſſe initium hora 3. min. 40. ac medium hora 4 min. 42. cum dimid. cum foret maximus defectus digitorum 8. min. 18. Non tacendum verò fuiſſe tunc in Sole tergeminam maculam, præter duas alias minutulas, quæ occultari ceperit, creſcente defectu, digit. 7. & deſierit emergere, decreſcente defectu, digit. 7. min. 42. idque diſtando tunc a centro Solis verſus Auſtrum partibus ſexageſimis diametri ejus 22. Cum & primum apparuiſſet die menſis primo, & viſa poſtremum deinceps fuerit 12. Ex Lunaribus duæ poſtremæ ante illas tuas obſervatæ fuere; altera anni 1638. ac diei Decembris 21. mane, Diniæ, ubi contigit illius initium hora a media nocte o. min. 36. cum dimid. ex altitudine Aldebaræ ad occaſum grad. 49. min. 18. vel hora o. min. 37. ex altitudine Capellæ grad. 71. min. 29. Et poſt Phaſeis 34. Totalis obſcuratio hora 1. min. 38. ex altitudine Arcturi grad. 39. min. 21. vel hora 1. min. 39. ex altitudine Sin. Pedis Orionis grad. 26. min. o. Emerſio prima hora 3. min. 13. cum dimid. vel 14. ex altitudine Hum. dextri Orionis ad Occaſum grad. 30. min. 32. & poſt Phaſeis 38. Finis hora 4. min. 14 ex altitudine ejuſdem grad. 20. min. 3. Singulare autem fuit, quod dum penumbra occuparet adhuc marginem Lunæ occidentalem, orientalis e regione occuluerit Stellam, quæ eſt in extremo pede Caſtoris, antecedit-ve aliam in pede præcedente Geminorum, idque alto eodem Humero Orionis grad. 15. minut. 54. ac proinde hora 4 cum dimid. min 37. Altera anni 1641. ac diei Octobris 18. & Pariſiis quidem, ubi tamen non licuit præter paucas Phaſeis niſi ſolum finem videre, deduceremque ex ſola Lunæ altitudine (nullis comparentibus Fixis) ipſum contigiſſe hora 8. min. 50.

Quod de occultatione Saturni a Luna anno 1629 ac die Junii 19. a te ſubjungitur, poterit conferri cum excerpto illo ex litteris ad Keplerum meis, quod una cum Mercurio in Sole viſo editum fuit. Supereſt, ut ſi quid me velis, quod præſtare meæ facultatis ſit, libertate ſumma perſcribas. Sic enim velim habeas, eſſe me eum, qui, ut amicitiam ultro oblatam exoſculor, teque ex animo, affectuque pleno complector, ita ſim perpetuo maximi facturus, poſſe quopiam obſequio illam, qua me proſequeris benevolentiam demereri. Salutem tibi nunciat memoratus ante Bullialdus, non omiſſurus in ſuis illis Aſtronomicis Tabulis quas tuas cum ipſo communicavi obſervationes, ad eliciendum meridianorum, longitudinis-ve diſcrimen, Danticum, & Pariſios inter. Quæſo verò ſi inter te, & eximium illum Eichſtadium neceſſitudo intercedat, ſalutem illi dicere nomine meo plurimam velis; ac ſponſorem præſtare te gratitudinis erga illum meæ. Vale. Pariſiis, VII. Calendas April. M DC. XLIV.

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

EX litteris optimi Campinii ad te Arelaten pergentis didici, te ea in Urbe per dies feſtos adfuturum. Conjeceram, fore ut eos Salone cum familia exigeres; ſed ubicunque exegeris, utinam proſpere, ſuaviterque. Credere par eſt, Solem iſteic vernantiſſimum affulgere; quando heic illucere ſerenior, gratiorque non poſſit. Cepit hæc conſtitutio cum ipſo Æquinoctio; neque arbitror tempeſtatum fineis fuiſſe unquam adeo exquiſite compoſitos ad præſcripta Aſtronomorum. Scilicet pluviæ, nubila, nives frigoraque hiberna, quæ donec Sol verſatus eſt in toto Piſcium ſigno, viguerat, exceſſere cum Piſcibus, moxque ingreſſo in Arietem Sole, ſucceſſit verna temperies, qualis Mundo naſcenti

 fuit,

fuit, ſi verum ſit quidem, quod plerique volunt, Mundum conditum occupante Sole Arietis initium:

Non alios prima naſcentis origine Mundi
Illuxiſſe dies, aliam-ve habuiſſe tenorem
Crediderim. Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Ita nimirum Poëtarum Princeps; tametſi non deſunt, qui floribus Vernis præferant fructus Autumnaleis; & Mundum Autumno creatum probabile facit Hebræorum annus, quem nihil neceſſe fuerat jubere inſtituendo Paſcha deinceps inchoandum Verno Æquinoctio, Plenilunio-ve mox inſequenti, ſi id quidem initium prius, & ab ipſo Orbe uſque conditio fuiſſet. Verum hæc ipſe præclarius noſti. Vale ſemper quam optime, decus Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, Cal. April. M. DC. XLIV.

Clariſſimo Viro, Caſperio Gevartio, Scribæ Civitatis Antuerpienſis Primario

PETRUS GASSENDUS S.

AN-non par eſt, eximie Vir, te ex tempore illo tanto, quo nullas ad te dedi litteras, oblitum eſſe nominis mei? Ipſe quidem tuam illam raram adverſum me benevolentiam ex animo nunquam depoſui; at debui ſane præterea adhibere affectus mei crebriorem ſignificationem. Nam quod per noſtrum Wendelinum, optimum illum ſcilicet, dictam aliquoties ſalutem voluerim, id negligentiam in exarandis paucis verſibus non excuſat. Bene interim mihi vertit, quod de tua eximia humanitate non diffido; ex ea quippe quam non promereor, quamque tamen efflagito, conſequuturum me veniam ſpero. Ceterum quod jam torporem excuſſit, exemplum fuit per egregiæ optimi Wendelini *Eclipſigraphiæ*, quod Religioſus, eruditusque Franciſcus Nizeronus ex Minimorum Ordine non prius fuit nactus, quam id Viro clariſſimo Iſmaëli Bullialdo tabulas edenti Aſtronomicas committi quidem, ſed sua manu voluit. Ipſum ſcilicet cum percurrerem, animadverti rem mihi longe cognitu jucundiſſimam, Antoninum tuum ſub prælo verſari. Et quia noram præclarum Virum Ægidium Menagium, qui in eandem curam dudum incubuerat, cuique ego ſpem pridem editionis hujus tuæ feceram, rem quoque gratam habiturum, idcirco cum ipſo eam communicavi. Is verò lætitiam teſtatus, declaravit, ſe abdicaſſe inſtitutum evulgandarum in eum Auctorem conjecturarum, ex quo nuper prodiit editio Anglicana Caſauboni, qui earum partem maximam MSS. variis, quibus ipſe fuerat deſtitutus, comprobavit. Adjecit nihilominus, ſupereſſe adhuc circiter viginti ab illo intactas, eaſque tibi per me offerri perquam gratioſe voluit; ut, ſi qua ratione probares, iis pro libitu uterere. Egi ipſe gratias tuo nomine, ſignificandamque ipſius in te propenſionem recepi. Itaque hoc eſt, quod jam præſto. Tu præſcribe quod factum voles. Si putes enim te poſſe rem habere ſatis tempori, ut eam expendas, & ſi quid fortè tanti ſit, ad calcem apponas, dabo operam, ut brevi accipias. Quod ad Wendelinum epiſtolium do, curabis, ſat ſcio, volentiſſimus, ut in ipſius perveniat manus. Vale ſingulare litterarum decus. Pariſiis, poſtridie Cal. April. M. DC. XLIV.

Admodum Reverendo, & Clariſſimo Viro Godefrido VVendelino, Paſtori Hercano, Condatenſi Canonico

PETRUS GASSENDUS S.

QUonam in cenſu haberes me, præclariſſime Wendeline, ſi ad Gevartium tuum ſcribens, non adderem ſaltem ad te verbulum? Accepit ſingularis, & Religioſus Vir Franciſcus Nizeronus Minimus eximii illius tui *de Eclipſibus* operis exemplum, & tantam in eo mei nominis mentionem factam conſpiciens, voluit ipſum quidem cum clariſſimo Bullialdo, ſed mihi nihilominus non inviſum communicari. Ego itaque, occaſione memoratæ tibi editionis librorum Antoninianorum, quam Ocellus ille bonarum litterarum apparat, ad ipſum ſcribens anſam arripio deſtinandi ſimul ad te epiſtolium, cui prolixam ſane epiſtolam debeo. Quippe non poſſum unquam ſatis, quas debeo gratias commemorare ob affectum erga me tuum (ita tacere de me non potes) nec-non tenuior aliquid tecum conſerere de opere, cujus cauſa relaturam egregiam laudem. Sed nempe ſperandum eſt mihi, quouſque licuerit otioſius totum librum pellegere, qui nondum eſt mihi, niſi curſim viſus, aut Bullialdus mentem aperuerit, cui haud dubie nobilis illa Eclipſeon congeries erit uſui in ea, quam molitur, ac ſub prælo habet, *Philolaica Aſtronomia*. Hoc ſolum jam poſſum innuere, eſſe quod ſummopere mirer inſignem diſcrepantiam noſtras inter obſervationes duarum ſuperiorum Eclipſeon, quæ heic, iſticque fuere peractæ. Nam ſi finis quidem poſtremæ ad 17. Septembris ſuperioris diem contigit vobis adeo præciſe hora 8. aut tertio, quarto-ve ad ſummum minuto prætereà, qui fieri poteſt, ut idem nobis eadem hora contigerit, quod ante horæ circiter remotioribus in Occaſum? Bullialdo nempe in hac urbe contigit ipſa hora 8. ne integro quidem ſemiminuto minus ex altitudine Ariadnes 30. grad. minut. 54. Mihi verò Sucii, quod in Ortum diſtat decem proxime Italicis milliaribus, hora 8. cum ſeſqui-minuto, aut minutis duobus. Quomodo verò altitudo trium diverſarum Stellarum, quam continuò venatus ſum, facere mihi ludum potuit? Fuit enim Lucida Arietis alta grad. 21. min. 5. unde prodiit hora 8. min. 2. Extrema alæ Pegaſi grad. 33. min. 5. unde hora 8. min 2. & cingulum Andromedæ grad. 38. min. 25. unde hora 8. min. 1. Quomodo aliunde Agarratus meus obſervans Rarxi in eodem proxime mecum Meridiano, ac in latitudine obſervata 49 grad. 18. min. adnotare quoque eandem horam potuit, & ex altitudine præſertim ejusdem Stellæ Arietis 21. grad. 10 min. Unde prodiit illi, ſicuti & mihi hora 8. min. 2. Et ſi finis antecedentis ad XIV. Aprilis anni M. DC. XLII. contigit vobis, aut hora 16. min. 2. ex horologio, aut hora 15. min. 41. ex culminatione capitis Ophiuchi poſt minuta 4. qui fieri poteſt, ut idem nobis contigerit non hora 15. min. 23. ut tu ſupputas, ſed hora 15. min. 51. ex altitudine marginis Lunæ inferioris grad. 11. min. 30. aut ad minimum, & tutius quidem, hora 15. min. 48. ex ſerie altitudinum Arcturi antecedenter obſervatarum? Siquidem etiam, cum ſupereſſet unus tantum digitus, interlucens Arcturus fuit adhuc altus gr. 42. min. 0. unde hora 15. min. 41. Et cum

ſupe-

Digitized by Google

ſupereſſet adhoc fere ſemi-digitus, altus fuit grad. 41. min. 12. unde hora 15. min. 46. Ego certe plane cecutio, cum de tua ſolertia, induſtriaque non dubitem, & non videam tamen qui potuerint imponere variorum Aſtrorum altitudines conſentientes. Sed de his quidem per otium plura; nam & deſtino ad te mittere, ſi putes quidem e te fore, appulſus Lunæ aliquot ad Fixas aliquas inſigneis, ut poſſis ad ipſas uberius explorare tabularum fidem. Vale interea, inclyte Vir, cui multum mea Dinia (imo & tota Provincia) ego verò plurimum debeo. Dabam Pariſiis, poſtridie Cal. April. M.DC.XLIV.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

FAcile ſane conjectu eſt, quid rerum eventurum ſit, quocumque intuleris pedem. Scilicet ubique id exequeris, quod conceperis animo, Deuſque ſemper conſilia tua, ut quæ, niſi ejus auſpiciis non ſoleas inire, fortunat. Intererat publicæ pacis, cui inceſſanter advigilas, ut Civitatum principum, qui tuo e nutu penderent, moderatores crearentur. Id verò nunc demum aſſequutus es, exturbatis factionibus, & providentia pervigili, & diligentia indefeſſa. Utinam, ſi qui adhuc ſunt tuæ bonitatis immemores, ſua demum ſponte reſipiſcant. Quod & livorem aſpernaris, & calumniam flocci facis, rem, ut indole generoſa, ſic tua virtute dignam praſtas. Quippe grandi paſſu incedens, eſt cur, ut moloſſus ſuo robori fidens iſtorum quaſi occurrentium catellorum inſultus contemnas, factuſque ſublimis, ut Luna, ipſos, ut nequidquam latranteis deſpicias. Deo commiſſam ſibi vindictam volenti obtemperas volens; ipſe ergo vindex inimicos tuos pedum tuorum ſcabellum ponet. Hoc habet virtus ſua mole ſtans, ut quaſi rupes inconcuſſa pravorum minas non extimeſcat, quæ videlicet quaſi fluctus, dum allabuntur, colliduntur. Perge itaque heroico gradu, ſicque ſemper te compara, ut tametſi fractus illabatur Orbis, ipſæ te ruinæ impavidum feriant. Vale, optime Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, VI. Eid. April. M.DC.XLIV.

E I D E M.

REſcieram ex aliis, ac indigitaram ſuperioribus litteris, quod ipſemet dignatus es nuperis tuis ſignificare. Quam ſæpe verò, putas, ſubiere, dum te cogito, illa carmina:

Quæ non ſeditio, quæ non inſania vulgi
Te viſo lenita cadat? quæ diſſona ritu
Barbaries Medi, quam non reverentia frangat?

Scilicet quocunque adventas, quaſi Sol quiſpiam exoriris, caliginemque turbarum omnem, ſi quæ ſit ſuborta, momento diſpellis. Quod iſtheic autem aliquantiſper, compoſitis licet rebus, commoraris, paterni ſane affectus eſt; ſic enim concordiam, quam non ſine quodam labore parturieris, tanquam prolem foves, donec adoleſcat. Cogitas ſubinde univerſam illam maritimam oram luſtrare, tuaque præſentia, quæ eſſe Vallum non poſſit tutius, communire. Hoc verò providentiæ eſt, quam dicerem te eripere tibi, niſi ipſe ſolam agnoſceres tuam, quam aſſiduis laboribus tueris Provinciæ quietem. Gratias ſemper habeo immenſas pro eo, quo me dignaris amore. Victorianum quidem Abbatem, quia tibi ſic viſum, conveni, ſed nempe duntaxat, ut teſtarer me in eo aſſenſu perſtare, quem illi adhibueram opinanti nihil movendum, niſi quidpiam gravius urgeret. Sufficere quippe quod foret a Chavinio jam præſtitum, quodque præſtari, ac veluti refricari per vices poſſet; maximeque ſi bonus ille in ancipiti ſtatu pergeret, cum ſi alioquin melius haberet, uti habere fama eſt, abunde, ac plus nimio foret fuiſſe me ſingularem adeo benevolentiam abs te expertum. Vale modo, optime Princeps, vale o præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, XVII. Calendas Maias, M.DC.XLIV.

E I D E M.

BEatus es, optime Princeps, dum ratione temperas tædium ex amicorum abſentia, quam tuam ſolitudinem vocas. Nam poteſt ſane dici ſolus, quiſquis non habet qui-cum omnia, ut ſecum, loqui valeat, neque te minus ſolitarium hæc turba circumſtantium reddit, dum abſunt fida pectora, quam oliturem ſua olera, aut paſtorem oves, dum ſocii non adſunt. Verum quia ipſe didiciſti eſſe tibi inſtar multorum [videlicet perſpectam habens humanæ vitæ conditionem, quæ ſtabile eſſe nihil patitur, capitaque etiam cariſſima pro varietate caſuum abducit] idcirco beatum te habeo, quando germana hæc ratio eſt occupandi eos aditus, quibus fortuna tendere felicitati inſidias ſolet. Hinc eſt, cur gratias agere Deo immortaleis tenearis, quod cum fere alii mortales degere ſecum neſcii, magnam ævi partem cum ſui ingenti faſtidio traducant, provideris ipſe mature, ut poſſideres in teipſo, quod dies, nocteiſque faceret breveis. Quippe jucundius nihil eſt, quam animo eſſe ita comparato, ut neque aliorum comes, ſis illis oneri, neque ſolus tibi-met ipſi; ac ſaltem liceat dicere, tibi, ſeu quieſcenti, ſeu iter agenti nunquam injucundam ſolitudinem, injucundam ſæpe ſocietatem fuiſſe. Tritum eſt, quod Cato apud Ciceronem de Scipione majore ſcripſit, dicere nempe eum ſolitum nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus, nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet; ſed vide, ut ille excipiat: *Magnifica verò*, inquit, *vox, ac Sapiente digna, quæ declarat illum, & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, ut neque ceſſaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque*, pergit, *duæ res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium, & ſolitudo.* En autem quam præclare Ennius illum ceterorum languorem apud Agellium expreſſerit:

Otio qui neſcit uti, plus negotii habet,
Quam quum eſt negotium in negotio.
Nam cui quod agat, inſtitutum eſt, nullo negotio
Id agit, ſtudet ibi, mentem, atque animum delectat ſuum.
Otioſo initio animus neſcit quid velit.
Hoc idem eſt; neque domi nunc nos, neque militia ſumus.
Imus huc, hinc illuc, quum illuc ventum eſt, ire illinc lubet.
Incerte errat animus; præter propter vitam vivitur.

Sed

Sed iſta nimis. Tu & felix vive, & perpetuo vale, decus principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, x. Cal. Maii M. DC. XLIV.

EIDEM.

DIvinæ ſane eſt providentiæ, quod pleriſque Viris non undique bonis multa feliciter eveniant; quaſi ea cum actionibus, quæ proficiſci ex virtute videri poſſunt, ſint compenſanda; at quæ inſinuas, cum ad divinam quoque providentiam pertineant, ipſe ſecus interpretor. Quippe auctor quidem non ſum, ut timorem illum deponas, quo ut firmamento Chriſtianæ Religionis perfectio ſtat, (jubemur nempe cum timore, tremoreque ſatagere, ut tum etiam, cum nihil eſſe prætermiſſum conſcii ſumus, nos inutileis ſervos agnoſcamus) verum quæ tua vota Deus ſic fortunat, ad populi potius tranquillitatem, quam ad te ſpectant, quem Deus aliunde difficillimis, diuturniſſimiſque caſibus exercet. Quare ſubeſſe non videtur, ut a proſperitate hac timeas, quam optare ſemper debes maximam; utcumque pro tua pietate eſſe circa propriam expetendam ἀδιαφόρως poſſis. Id Age potius, ut cum omnia ad Deum Auctorem retuleris, ipſum habeas inſtar optimi Parentis, qui habet figmentum, hoc eſt, imbecillitatem humanam perſpectam, & facienti quod in ſe eſt, denegare gratiam non poteſt. Aggravat ſemper corpus hoc, quod corrumpitur, animam; nihilque unquam prorſus ſincere, & citra omnem ad nos reſpectum illius ergo agimus. At cum norit virium non eſſe noſtratum, ut omnem plane noſtri amorem, hoc eſt, naturam ipſam exuamus, quidni ſatis æquus, benignuſque ſit, ut præſtantes quod poſſumus, quo ipſum quam licet ſinceriſſime diligamus, non averſetur? Acceſſit huc tandem eximius Bervilla, ac delectavit ſummopere potuiſſe me non prorſus male diſceſſus illius conjicere cauſam. Gere modo ſemper incoctum generoſo pectus honeſto; p ctus Principe, ac teipſo dignum, ut quam es huc uſque laudem meritus, non tuearis ſolum, ſed etiam adaugeas. Vale, optime Principum, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, III. Calendas Maias, M. DC. XLIV.

Erudito, & Amico Viro Samueli Sorberio

PETRUS GASSENDUS S.

ULterius alias, mi Sorberi; nunc ne nihil reſcribam, pauca accipe. Quod ais Dogma eſſe Carteſii, nullum dari vacuum in rerum natura, expectandum eſt donec demonſtrarit; quippe id antiquum, ſed nondum probatum, ac iis præſertim, apud quos

——— *Natura duabus*

Conſiſtit rebus, quæ corpora ſunt, & inane.

omnem materiam eſſe extenſam, ſeu ut dicere illum ais, eſſe extenſionem eſſentiam materiæ, ſuo quodam ſenſu verum eſt; at viciſſim omne extenſum eſſe materiam, non ſequitur. Ego certe duplicem ſoleo extenſionem diſtinguere, corpoream puta, & incorpoream; illam corporis, ſeu materiæ; iſtam ſpatii, ſeu loci propriam; unde & moris mei eſt dimenſionum alias corporeas, alias ſpatialeis indigitare. Hinc cum ille, ut ais, dicit, ubicumque eſt ſpatium menſurabile, ibi eſſe corpus, vides quam abſim, ut id concedam, qui fateor quidem omne corpus occupare aliquod ſpatium, omneiſque ejus dimenſiones coæquari totidem ſpatii dimenſionibus; at non ſubinde ſpatium omne occupari a corpore; cum ſeu corpus ſit, ſeu non ſit, & ſeu continuum, ſeu interruptum, ſeu quieſcens, ſeu tranſiens, ipſum ſpatium ſemper immobile ſit, & cum invariatiſſimis dimenſionibus perſeveret. Quod ſubdis illum defendere, ne Deum quidem poſſe inducere vacuum in rerum naturam, non ſatis perſpicio, qui adeo fidenter limites præſcribat divinæ virtuti; quaſi ea non poſſit quidquid eſt corporeum intra ædem hanc, in nihilum redigere, obſiſtereque, ne in vicem ipſius aliquid ſuccedat. Nam quod deſtruendo aerem deſtrui quoque ſpatium oporteat, nulla ratione evincitur; & quod intervallum inane inter ædis parietes menſurari non valeat, ipſa eſt concluſio, quæ fuerit probanda. De calore quod ſubnotas, diſtinctiuncula ſolum eget. Siquidem, cum calor non ſit abſque motu corpuſculorum, quæ veteribus fuere ſphærica, ſi ipſa quidem corpuſcula per inane abeant, aut in corpus incidant, quod non temerent, nullus erit calor; at ſi in corpus ſubeant, cujus parteis diſcutere, ſemovereque valeant, tunc calor erit aliquis, cum is nimirum aliud nihil ſit, quam talis motus corpuſculorum, quatenus fit cum cohærentium invicem partium divulſione. Et quia iſta eſſe videtur generalis caloris notio, illi ſpeciatim additur ſenſus in animalis corpore, quando talis partium divulſio in eo fieri abſque ſenſione, hoc eſt, perceptione illius non poteſt. Quamobrem erit quæſtio de voce, ſi velis calorem ibi ſolum eſſe, ubi eſt ſenſus, ſive facultas partium divulſionem percipiens; ſcilicet ipſe ex ſubjecto ſpeciali rem definies, alii generatim accipient. Qui fiat porrò, ut hæc divulſio in animalis corpore cum ſenſu quodam doloris fit, natura facit, non ſumptorum ſeparatim corpuſculorum, ſed contexturæ, quæ eſt ex ipſis, quæque fieri perinde poteſt ex inſenſilibus ſenſilis, ac fit calida ex non calidis, humida ex non humidis; qualitatibus nempe ſubnaſcentibus ex habitudine compluribus. Sed hæc ſane nequeunt paucis explicari. Iſta dum ſcribo, nunciatur ecce adventaſſe demum exempla meæ illius diſquiſitionis. Id profecto appoſite, ut poſſis optimo Curcellio ſalutem dicens, ſignificare. Tu optime vale, ac me ſemper ama. Pariſiis, prid. Cal. Maii, M. DC. XLIV.

Viro Doctiſſimo, Clariſſimoque Adriano Heereboordo inclytæ Leydenſis Academiæ Profeſſori Philoſopho

PETRUS GASSENDUS S.

QUo me rubore, dum tuam lego epiſtolam, ſuffuderis, dicere promptum mihi non eſt. quippe non modo amicitiam, quam merito plurimi facio, ultro offerre dignatus es, ſed ea ſimul exhibuiſti benevolentiæ indicia, quæ mereri me potuiſſe non ſentio. Nam quod habes quidem de aliquibus, quæ excidere opuſculis, id tanti profecto non eſt, tuæque potius eſt comitatis, quod meas nugas aliquid putes.

tes. Quocirca rem potius acceptam in verba de me nimis bona optimi Bornii refero; ſat enim novi quam ille ſe continere potis non ſit, dum plenum amoris pectus efferveſcit. Utcumque ſit, tametſi impar tuæ illi de me opinioni ſim, is ſaltem ſum, in quo ſis nunquam, & animi erga te grati, & affectus reciproci candorem deſideraturus. Inaudii allatum eſſe in hanc Urbem unum, alterum-ve exemplum editæ Lovanii cenſuræ, quam commemoras in meam illam epiſtolam de detectis recens circa Jovem Stellis, quamobrem, vel te monitore, dabo operam, ut quid-nam rei ſit cognoſcam; interim verò pæne ſum certus, quinque illas Stellas eſſe inerranteis; ac niſi nudo viſu conſpicuas, quales indigitatæ ſunt, ſaltem [prout innui] ex numero earum, quæ Teleſcopio ſolum pateſcunt. Scilicet, ex quo tempore habitæ in Planetis ſunt, Jovem circumire non ſunt deprehenſæ; quod unum tamen ſuppetere Cenſori potuiſſe argumentum video. Perpendiculi inconſtantiam ipſe non aſſerui, ſed retuli ſolum; ac neſcio, an adverſus illam plura a Cenſore dicta fuerint, quam ipſe ego inſeruerim in alteram epiſtolarum, quæ in Bornii noſtri manus pervenerunt. Vale, Vir præclariſſime, & qui tam ſponte amaſti me, ne deſine, quæſo, rogatus amare. Pariſiis, pridie Calendas Maias M DC. XLIV.

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

QUanta ſit litterarum tuarum ſuavitas, dicere qui valeam? Iis videlicer præcordia ſic tangis, ut ſentiendo quidem, ſed exprimendo impar ſim. Ecquæ nam eſt verò hæc bonitas tua, ut affectum erga te meum, ardentiſſimum illum ſane, ſed qui non alium, quam obſervantiæ mereri poſſit titulum? Tu amicitiæ elogio, quaſi quæpiam foret conditionis paritas, dones; & quaſi id ſatis non ſit, etiam Petrum tuum amiciſſimum voces? Quid illud quoque, ut velut oblitus, quod in me habes imperii jus, & roges me, & non enixe modo, ſed enixiſſime etiam roges? Roges autem, ut impetres rem tanto jure debitam, tantopere pronam, ac tui recordatio eſt, quam ſi velim deponere, deponat potius ignis calorem. Idem de Bervilla teſtarer, niſi tu amplius illum noſſes, quam ut me teſte egeat, Vir ſane pretii ob excelſum, candoriſque plenum animum ingenii. Quam dolerem porrò eſſe eum abs te, niſi & cauſam utcumque noſſem; & generoſi animi tui vigorem perſpectum haberem, & conſcius forem ejus lætitiæ, qua ſupereſſe iſteic tibi optimum Campinium veluti exulras. En reddetur tibi cum his litteris exemplum ejus diſquiſitionis, quam noſti me pridem adverſus Carteſii Metaphyſicam inſtituiſſe. Mitto verò, non ut in ea bonas aliquot horas perdas, ſed ne quidpiam meum te lateat, maximeque, cum inaudieris voluiſſe Hollandos ipſam evulgari. Pudori eſt ſolum unà mittere, quod Typographi nomine præmiſſum elogium amici fecerunt. Sed ago nempe tecum ſimplicius, quam ut aut quæram, aut velle videar gloriam quærere ex gloriæ contemptu. Satis eſt, qualiſcumque ſim, non eſſe meum pectus tibi convelatum. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis prid. Non. Maii M. DC. XLIV.

E I D E M.

ID ſine verum, optime Princeps, experiri nos rerum vices, quas ipſe eximie declaras. Ecce enim Duces ad exercitus ex Hybernis jam eductos diſcedunt, ac repetunt Belgium, ex quo Heros ille Conſobrinus tuus ſuperiore anno ſpolia reportavit. Accipio quoque Hollandorum claſſem fore poſtridie comparatam, ut quò opus fuerit, ſtatim advolet, & Auraicum Principem fuiſſe nudius-quartus ad eam diſceſſurum. Fortunet Deus omnia, ut fractis hoſtium animis, de pace incunda ſerio cogitetur. Spes non eſt, ut ante Septembrim, qui Legati illius ergo convenerunt, de ea diſceptent, quippe quidquid jam agitur, veſtibulum vix attinet; ingreſſuſque in adyta ab Æſtatis fato momentum expectat. Hinc non hæreo ſane, quin cavere debeas a machinatione adverſus Provinciam, cujus fuiſti admonitus; ſiquidem, tametſi ſpes non ſit Hiſpano, ut ſi quam arcem invaſerit, tueri illam diutule poſſit; providet tamen rem opportune eventuram quo tempore inclareſcere, ponderiſque oſtentare plurimum poſſit; ac ſit de compenſatione potius, quam de vindicatione agendum. Quamquam non ſat video, qui bene conſultus aggredi rem auſit, cum neque tuam ſagacitatem, providentiam, animi magnitudinem, neque copiarum navalium vim qua reprimi poſſit, habeat incompertam. Utcumque ſit, quia fieri poteſt, ut quaſi in anguſtias actus, nullum non moveat lapidem, ſuntque alionde res hominum infidæ, & aleatum plenæ. idcirco totius nihil eſt, quam nullam vim hoſtium puſillam, infirmam-ve exiſtimare. Quid ego tamen noctuas Athenas? Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis III. Eid. Maii M. DC. XLIV.

E I D E M.

QUod nullas ad te litteras ante octiduum dederim, in cauſa fuit ruſticatio mihi tota hebdomade cum optimo Abbate communis. Ob eandem certe neque ille, neque ego ullas dedimus ad Campinium fratrem. Quod tu autem nullas abs te datas ob ſuſceptum iter excaſas, & nullas eſſe proxime dandas ob ſuſcipiendum occupas, id ſane eſt tuæ illius ſingulariſſimæ comitatis. Scribere enim me ad te officii eſt, quod intermitti citra culpam non valeat. Te verò ad me ſcribere, bonitatis eſt, a qua abſtinere citra excuſationem poſſis. Sed nimirum in te non eſt, ut evadas unquam diſſimilis tui; hoc eſt, ut eſſe deſinas Principum humaniſſimus, ac in me præſertim, qui cum agere effuſiſſimo affectu cepiſti. Id mire profecto etiam comprobat quidquid in tua reliqua epiſtola eſt argumenti; quippe id ejuſmodi eſt, ut ne gratias quidem auſim agere, ne laudes agnoſcam, quas commemorare ſine pudore non ſuſtineam. Quare neque erit, cur mihi vitio vertas, ſi dum ipſe tibi in me commendando non temperas, & me neque tuum cauſari judicium, neque meam ignorare imbecillitatem par eſt, plane, prorſumque obmuteſcam. Una eſt tua in me propenſio, quam neque neſcire, neque tacere unquam liceat. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VI. Cal. Jun. M. DC. XLIV.

EIDEM.

Digitized by Google

EIDEM.

QUi factum eſt, optime Princeps, ut cum donec ſuturus eſſes in itinere, nihil litterarum abs te expectandarum præmonuiſſes, litteras tamen Tolone tranſiens, ad me datas volueris? Scilicet tibi diem ſactum feriari ſolidum non licuit; nec de eo partem non demere, quo ex inſperato poſſes me beare. Itaque quam-maximas poſſum tibi grates merito habeo, maximeque cum argumentum litterarum eſſe volueris id, quod circa Antipolin, cui præſertim timeas, cepiſti conſilium. Ac ſuſpicatus quidem fueram Tolonem eſſe, cui hoſtes inhiarent; ſed eſt revera Antipolis expugnationi patentior; & utcunque poſſet deinceps longe facilius recipi, parum id Hiſpanus curaret, ſi eſſet modo quod obtenderet, tum eum univerſe de rebus componendis diſceptaretur. Timetur heic quoque, ne e Luxemburgo irruatur in Campaniam ob eas, quas illeic apparant copias Bekus, Lamboyus, & Vertbius, Lotharingoque potiſſimum, ut ferunt, fore cuſſuro, neque obtinente Enguenio, quantum opus, ſeu militum, ſeu tormentariarum machinarum foret. Sunt tamen, qui putent, eas copias evocatum iri in Flandriam; videlicet non modo noſtris oppugnantibus Gravelingam, quo eſt ante triduum Caleto diſceſſum; ſed Hollandis quoque aliunde negotium faceſſentibus, quos nuperrimæ litteræ mox irrupturos perhibuerunt. Quam interea claſſem nobis ſubminiſtrant e regione Dunkerkæ eſt, obſtitura, ne Gravelingam aliquid ſubſidii proſiliat, quare & neſcio, verum-ne ſit, quod ferunt diebus proximis prorepſiſſe illinc, & lembulis quidem, homines ſexcentos. Una fere hoſtibus ſpes in ipſo eſt Piccolomineo, Equitatuque, quo pollet. Utinam hunc quoque Deus ſic infringat, ut ſerio deinceps de pace agatur. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis III. Non. Jun. M. DC. XLIV.

EIDEM.

AN iſteic quoque frigus viget, quod fugari viſum, quo tempore feſtum ignearum linguarum illuxit; ab exactis tamen octavis, quaſi poſt liminiu ſic rediit, ut jam adhuc magna ex parte redintegratum perſeveret. Noſter certe exercitus, ex quo non pauci per æſtus illos interceptos ſiti perierunt, longe nunc abeſt, ut de ardure intolerabili conqueratur. Is, ut accipio, ex millibus Peditum quatuordecim, Equitum ſex reipſa conſtat; ſuntque ad ipſum præterea ex legione Palatina deſtinatæ cohortes decem, aut Centuriæ mavis XXX. Facta eſt ſpes, ut Eidibus circumvallatio perfecta ſit, ac urbs intra duos menſeis expugnetur. Utcumque ſit, labor præſertim futurus circa San-Philippeum propugnaculum, quod urbs non minus protegit, quam ipſum tutelæ eſt urbi. Fertur Piccolomineum tribus ſolum milliaribus a noſtro eſſe exercitu, cui nihilominus qua terra, qua mari ubertimus ſuppetit commeatus. Scribebam nuper eſſe Hollandos in procinctu, ut aliquorſum motu primo irrumperent; audio tamen nunc eſſe adhuc illos in eadem Litoyæ ad Moſam ſtatione. Lotharingus, diviſis copiis, earum partem ad Bekum mittit, partem verò ad Bavarum, cui reſtiturus Thurennius Rhenum trajecturus brevi perhibetur. Henricus Julius Dux Lavemburgi pergere Oſnabrugum fertur, Imperatoris nomine, ſperaturque proinde, ut Dux Longa villæ Regis nomine eò brevi contendat. Id ubi fiet, tum demum ſpes futuræ pacis firmior evadet. An quo iſta perſcribo die, Thomas Sabaudus exercitum in Mediolanenſeis educturus ſit, ipſe, quam nos, citius pernoſces. Pernoſti verò haud dubie fuiſſe Hiſpanum Venetis Cremonam oppigneraturum, ſi quam modo pecuniæ vim, cupiasque eorum impetraret, Mediolanenſeisque id habuiſſe, quaſi indignum facinus, ac prætuliſſe pecunias ex ſeſe ipſis corrogare. Cetera nos longe remotius attinentia prætereo, ut Tranſylvano non omnia pari feleicitate ſuccedere, & Konilmarkium aliunde quaſdam Imperatoris vireis fregiſſe; Galaſium accurrere Dano Gottemburgum nunc obſidenti; & Torſtenſonum ab Jutlandia Cherſoneſo ſcilicet illa Cimbrica, non diſcedere; Anglum continenter eſſe in anguſtiis, ac eſſe præſertim, quod merito timeat ab obſidione Eboracenſi. Ea etiam prætereo, quæ ad Aulam ſpectant, quæque ad heſternas Guebriani ad Deiparæ ſepulti ſolemneis exequias; cum quæ hujuſcemodi ſunt, par ſit omnino ex aliis te, quam ex me reſcire uberius. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis IV. Eid. Jun. M. DC. XLIV.

Ampliſsimo, & clariſsimo Viro Caſperio Gevartio, Scribæ Civitatis Antuerpienſis Primario

PETRUS GASSENDUS S.

CUm ſim neſcius, litteræ ne, quas ad te, & ad Wendelinum Aprilis initio conſcripſi, redditæ tibi fuerint, ſuggero ecce alias, quibus te certiorem faciam iterum, niſi editio Notarum tuarum in Antoninum ſit abſoluta, eſſe Viro clariſſimo Ægidio Menagio dignas notatu conjecturas, ipſi intactas Caſaubono; quas [noſſe modo deſideres] ſit tecum communicaturus. Hoc ſolum te volo, ac ut ames me. Vale, ò eximium litterarum decus. Pariſiis III, Eid. Jun. M. DC. XLIV.

Admodum Reverendo, & clariſsimo, doctiſsimoque Viro Godefrido Wendelino, Paſtori Hercano, Condatenſi Canonico

PETRUS GASSENDUS S.

QUas nuperas dedi ad te litteras, eæ deſtinatæ fuere Antuerpiam ad eximium Gevartium poſtridie Calendas Aprilis. Niſi eas forte acceperis, jactura levis, certus ſis modo eſſe ſemper me, & animo grato, & affectu prono pro ſingulari, qua erga me es animatus, benevolentia. Eam certe abunde es nuper teſtatus in eximio illo de Eclipſibus opere, cujus editionem gratulatus ſum, & de quo, quæ plura jam dicam, non habeo; quando exemplum curſim viſum meas in manus non recidit. Quia ſum verò pollicitus loca aliqua Lunæ ſingularia, exquiſiteque obſervata, ex quibus poſſis Tabularum Lunarium fidem explorare, deſcribo ecce occultationem quadrilateri Pleiadum, ad quam dum

furem

ſorem Aquis-Sextiis ante annos ſeptem, attendi. Deligo eam verò, quod videatur una habenda inſtar plurium, ipſamque exhibeo, qualis tunc relata in Commentariolus eſt; quò minus mirere, niſi ſupputarim omnia tempora, ſed quæ duntaxat cognoſcere aliis tum curis diſtracto ſat fuit. Cum reſumpſiſſem porrò nuper in manus tuas litteras ſuperiore Octobri datas, admonitus ſum, quod ſueram oblitus litteras dare Aquas-Sextias, ut impetrarem quam B. Marii ſcriptam per Dinamium popoſceras vitam; quoniam verò fecit abſentia Siſtaricenſis Epiſcopi, penes quem jam eſt Legendarium, ne ea vita exſcriberetur, mitto quod interea excerptum ex vetuſto Breviario eſt, ac litteras ſimul, quas ad me ſcripſerant tum Riantii Baro, qui Peireſkio ex fratre nepos, & in munere Senatorio ſucceſſor eſt; tum Decormius Bereculius generalis, Primariusque in eodem Senatu Regis Advocatus, quos, ut exſcribi vitam illam procurarent, interpellaram. Cum primum ipſam, uti ſpero auctoribus illis, obtinuero, ad te incunctanter tranſmittam. Subiit aliunde cogitatio, facturum me tibi rem gratam, ſi exſcriberem, & hac occaſione ad te mitterem, quod collegi aliàs de Sanctis Eccleſiæ Dinienſis Antiſtitibus, quorum meminiſti haud-dubie reliquias a te pridem viſas. Id ſcilicet, cum Atlanteo operis immenſi auctore communicare poteris, ut (ſi ita videbitur) Sanctorum quoque Præſulum noſtrorum memoriam illuſtret. Rem aliàs coram pollicitus optimo Roſvveidæ non præſtiteram, quoniam qua iſtcic fui Æſtate, quem bene valentem reliqueram Junio, cum in Hollandiam diſcederem, reperi defunctum, cum redii Julio. Tu, Wendeline, æternum vale. Pariſiis a. d. III. Eid. Jun. M. DC. XLIV.

Fortaſſis Viri eximii Caramuel, atque Vanlangrenus ſuave ducent cognoſcere pro ſuo uterque inſtituto quam ad te mitto Obſervationem occultarum Pleiadum. Id ſi ita ſit, haud-dubie communicabis cum ipſis volens. Vale iterum.

Admodum Reverendo, ampliſſimoque Viro D. Joanni Caramueli Lobkovvitzio

PETRUS GASSENDUS S.

LEgi, Vir præclariſſime, Cenſuram illam tuam mei qualiſcumque judicii de Stellis circa Jovem viſis. Perſenſi verò inter legendum me factum obſtrictiſſimum, reputavique non poſſe me abſque ingratitudinis nota non reſpondere aliquid, & provocatum potiſſimum humaniſſimo illo epiſtolio. Itaque gratias refero, non quantas debeo, ſed quantas poſſum. Primum, quod ipſe præoccuparis, ac adeo ſponte, gratioſeque amicitiam obtuleris mihi expetendam, mihi requirandam. Deinde, quod me iis elogiis, quibus prægravet, exornaveris; quippe quaſi amans jam me, licere putaſti, ſi meriti quidquam in me foret, exaggerare. Inſuper, quod tenuem opellam ſic retractare fueris dignatus, ut integram denuo evulgaveris, ac pleniore etiam luce illuſtraris; & me ea ratione cum religioſiſſimo, optimoque Rheita conſerueris, ut ille nihilo me minus habiturus ſit obſervantem ſui. Ad-hæc quod licet non agnoſcam, qui duo illa Theoremata deſcripto a me apparenti Stellarum motui adverſentur, id tamen, quod ex ipſo urges, quodque cetera attinet, ejuſmodi ſit, ut comitatem ſuſpicere, quam regerere quidquam malim. Scilicet vice omnium argumentum unum ſat eſt, ſi quinque illi novi Errones Jovis Sydus adhuc circomſtent, cum, niſi ita ſit, mea conjectura ſemper perinde vigeat, ſaltem quod attinet ad Stellas teleſcopio ſolo conſpicuas, qualeiſque a ſe obſervatas (unica excepta, ex cognitis pridem) Vir clariſſimus Joannes Hevelius Danticanus ſignificavit. Præterea, quod inſertas meas obſervationes aliquot non modo commendaveris, ſed & ſubinde tuo quoque ratiocinio nobilitaris; utcumque mea ex dictione facta fuerit anſa intelligendi conjunctionem Veneris, ac Solis ſpectare ad diem Februarii anni M. DC. XXXVII. decimam ſextam, cum profecto non ex Eichſtadio, cujus nullas noram, ſed ex Keplero, cujus tunc ſolas habebam Ephemerides, conjunctionem rejecerim in diem ſequentem decimam-nonam. Utcumque etiam velle videaris elevare illam Veneris latitudinem, cum non minorem præſcripta fuiſſe vel illud poſſit arguere, quod detecta Venus quad-ante horæ poſt occaſum Solem, gradibus adhuc circiter quatuor elevata extiterit, & dimidio horæ poſt Solem occidens Horizontem ſubierit gradibus proxime 12. borealius, quam ille ſubiiſſet.

Denique, quod obſervationem de reciprocante perpendiculo ita refutandam inſtitueris, ut & honorem nobili Viro ejus auctori habueris, & mihi id ſolum tribueris, ut bona fide retulerim qualem ille perſcripſerat, quando neque me rem nondum expertus, reciprocationis præſtiti ſponſorem; neque præſtiturus me deinceps fui, cum & experientia, & ratione nixus ſum argumentatus adverſus Morinum, qui ipſam ſcribens adverſum me, eſt per-avide amplexatus. Quod ſupereſt, duo gratulor, unum te eſſe adeo felicem, ut obſervare tuto poſſis increſcentem, decreſcentemque magnitudinem diametrorum, Lunæ quidem in ſingulos dies, Veneris, & Solis in ſingulas hebdomadas; ceterorum Planetarum in ſingulos menſeis; atque adeo etiam, dum illi circa Apogæja, atque Perigæja verſantur; quippe mirum dictu, quantum hinc ſubſidii ad perficiendum Aſtronomiam univerſam ſit acceſſurum, ob intervalla Planetarum, Terræque inde ſtabilienda, ubi res ſemel conſtiterit. Alterum, apparare te præclaram Selenographiam, & (quod nuper etiam perſcripſi ad memoratum Hevelium, quidpiam ſimile meditantem) ſublevare veluti me eo labore, quo ceperam ante decem annos defungi. Scilicet inſtitutum meum cognoſcere potes ex Vita Peireſkii, in cujus libro quinto expoſui quas agnovi fore præcipuas Selenographiæ utilitates. Cedo autem lubens curam integram, qui neque niſi paucas habeo Lunæ Phaſeis æri inciſas, neque in eo eſſe jam poſſum, ut cælatorem dirigam juxta Iconiſmos cælitus captatos duobus amplius annis per Pictores eximios; neque me habeo ſatis idoneum, qui nomina imponam congrua tot, tamque variis partibus per Lunaris Mundi mappam digerendis. Tu verò age, Vir eximie, poſitam in medio gloriam occupa, & immortale nominis decus tuæ pretium operæ puta. Vale. Pariſiis III. Eid. Jun. M. DC. XLIV.

Vir clariſſime, ſi cognoſcere forte voles, quam ad VVendelinum occultati a Luna quadrilateri Pleiadum obſervantiunculam tranſmitto, agnoſces ex ea aliquem Selenographiæ uſum. Quam maculam appello Caſpiam, eam pervidebis intelligi, quæ eſt ſolitaria ad limbum occiduum, cuique ex appoſito

pene reſpondet alla ſat ſimilis, ut dici Anti-Caſpia *poſſit. Quem verò* Homoncionem [aliàs Therſiten] *dictum videbis, dica etiam* Mare occiduum; *tum & Mare* Eoum *vocem majorem illam in Ortum effuſam*, Boreumque *refuſam in Boream; & interdum quoque maculam majorem imitatione antiquorum dicam*. Hecates Penetrale. *Ne quidpiam attingam de partium minorum indigitatione, ut* Selinarum, Vallis umbroſæ, Rupis niveæ, Amara montis, Umbilici, Lacunæ, *& ſimilium, quæ abs te haud dubie felicius indigitabuntur. Vale iterum.*

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

REdiiſſe te incolumem ex perluſtratione maritimæ oræ, quantum ſuave eſt, tantum gratulor. Perſcriptum eſt, tecum adventaſſe famam inſignis repulſæ, quam paſſi Hiſpani ad Ilerdæ muros ingentem non hominum modo, ſed commeatus quoque, & auri, quantum duo geſtarent veterina, fecerint jacturam. Res mihi in voto, potiuſquam in ſpe, quatenus eam fieri ratam non comperio. Conſtantior nobis fuga hoſtium ex arce San-Philippea, quam octiduo amplius tueri potuerant, niſi prætoliſſent Pyrium pulverem in orbem non ſatis inſtructam inferre. Exſcendere demum Hollandi ad Philippinam Flandriæ, neque procul Taſio, quod Gandavi dicunt, metati ſunt caſtra. Timent Flandri Dammæ, Hulſtiæve, Comeſque Iſemburgius magna peditatus cum parte adverſum occurrit. Hollandos eſſe non pauciores millibus octodecim ferunt. Turennius miſſis ſarcinis, ex improviſoque Rhenum ſuperans, paria Germanis, niſi jam caſtra movere cepiſſent, redditurus fuit; tametſi complureis ex iis interiecit, & adduxit captos, vel ab unico Roſeo, equorum pluſquam mille, hominum pluſquam ſeptingentos. Sunt reipſa Turennio equitum ſex millia, & peditum quinque; cum ſint Germanis equitum decem, & peditum octo, præter Lotharingi, quas expectant copias. Inaudii tamen Lotharingum (utcumque etiam Piccolomineus duo equitum millia ab illo expectet) in eo adhuc eſſe, ut deliberet, utrum nobis ſe, an Hiſpanis ſit dediturus. Ex quo Ragotskius in Tranſilvaniam ſe recepturus perhibetur, pondusque belli germanici transferendum in Daniam ſperatur, intolerabiliores ſunt, quas Legati Imperatoris Monaſterii proponunt pacis conditiones. Perſeverat adhuc in Anglis Eboracenſis obſidio; tametſi rumor de capta urbe admodum percrebuerit. Sed hæc nimis. Tu bene vale, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis XV. Calendas Julii M.DC.XLIV.

E I D E M.

GRatulor denuo quem es dignatus reditum felicem nunciare. Mira, dignaque te providentia, qua cogitaſti tam Tolonem, quam Antipolim communire; mira, & te digna, quæ ſollicitudo te habuit de rebus ad Ilerdam geſtis. Multum ſane eſt, quod tuæ curæ debent, quorum cauſa unum Centurionum eò deſtinaſti; at longe eſt amplius, quod debent elogio abs te reddito de ſtrenua, qua viros egerunt, virtute. Utinam ille referat hoſteis non modo in ulteriorem Iberi ripam receſſiſſe, ſed & coactos fuiſſe Hiſpaniam interiorem repetere. Gravelingana obſidio proſperrime ſemper ſuccedit. Erant jam noſtri ante dies quinque ad ipſam uſque foſſam promoti, parebantque inde tormentis viginti tum præſidia quædam murorum deiicere, tum reddere foſſæ trajectionem tutem. Diſceſſerat Piccolomineus, ut impetus primos Hollandorum retunderet; at poſtquam viſum eſt ab illis nihil metuendum ſummopere, rediiſſe fertur, & Dunkerkam, noſtroſque inter conſtitutus, Luxemburgicis copiis increviſſe. Ea de cauſa ferunt Enguenium ſecundum Moſam diſcedere, Leodiumque verſus properare. Convaleſcit jam Lotheringus; ſed verſatur ſemper in ancipiti, a quorum ſtare partibus debeat, ſtatoruſque potius a noſtris ſperatur. Hollandorum pro pace legati diſceſſuri mox Monaſterium ſunt, itemque, qui ad componendum Dani, Svecorumque diſſidia mittuntur. Sunt iſti tamen Dani ſuſpecti vel eo nomine, quod interim naveis quadraginta armatas conſcendunt. Sed nimirum timent Hollandi, ne quæ eodem vergit Hiſpanica claſſis fretum occupet, quod jurgiorum eſt non poſtrema cauſa. Eſt interea tam Svecica, quam Danica claſſis comparata ad prœlium; quid autem eventurum ſit, ſolus, cui omnia patent, novit. Imperatoris exercitus, dum Tranſilvano inſtat, ne ſibi inſtet Turennius metuit; ſicque inter ſaxum, & ſacrum, quod ajunt, quodammodo ſtat. Perhibent nihilominus Galaſſum Lipſiam obſeſſurum. Exceſſit Anglus Oxonio obſidionem metuens, expectanſque interim, ſi forte quidpiam proſperi Roberto Palatino ad ſolvendum obſidionem Eboracenſem miſſo contingat. Rumor fuit abiiſſe illum in Hiberniam; verum non ſunt ipſius res hactenus adeo deploratæ. Tu felix vive, ac ſemper vale, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis VIII. Calend. Jul. M.DC.XLIV.

Admodum Reverendo, ſapientiſſimoque Viro D. Joanni Caramueli Lobkovvitzio Abbati Diſembergenſi

PETRUS GASSENDUS S.

REddidit mihi nudius-tertius optimus Merſennus tuas litteras, quas cum ſcheda ſub involucro ad ſe deſtinato accepit. Oblitus es reſcribere ubinam, & quando illas dederis; ſed quantum conjicio eæ fuere ſcriptæ Crucinaci ante decem plus minus dies. Ipſe a diebus quindecim meas ad te Lovanium dedi, & neſcius tamen, illeic-ne fores, ipſas deſtinavi ad eximium Chiffletium Bellofontanum Balernæ Abbatem, qui illas ubicumque te verſari noſſet, tranſderet. Non potui verò ulla ratione maturius ad te ſcribere, gratitudinemque teſtari; quoniam non prius libellum tuum, conſcriptumque in eo ad me humaniſſimum epiſtolium pervidere conceſſum fuit. Nunc cum bonitate in me adeo effuſa extiteris, ut etiam manu exaratæ, eaque bene longa epiſtola præoccuparis [quippe nihil adhuc obtinens e me] non poſſum ſane me continere, quin prima hacce occaſione denuo reſcribam, gratiaſque agam, &, quod meam illam Diſquiſitionem Franco furti inventam tanti feceris, nimiæ erga me benevolentiæ tribuendum agnoſcam. Facio porrò quoque, ne me ſegnem habeas,

habeas circa id officii, quod comiter adeo abs me exigis; utcumque ſim impar, qui plane, prorſumque ea in te tibi faciam ſatis. Exoptas nimirum reſcire ex me, qui Auctores hactenus fuerint, & ex Pariſienſi quidem facultate potiſſimum, qui defenderint Pontificem Summum extra Concilium generale, hoc eſt ſolum, aut in Concilio Nationali; imo & ipſa Concilia Nationalia errare poſſe. Verum & ipſe interim ita enumeraſti multos, ut omnem prope diligentiam cenſeri poſſis antevertiſſe; & ego ex Avenionenſi, non verò ex hac omnium ſumma facultate ſum Theologus, ut tu videris ſupponere, cum ex me id rei perquiris. Ut tamen, quantum quidem poſſum, ac licet, tibi morem geram, non meam exponam ſententiam, ſed hiſtorice ſolum referam, ſi quid ex Auctorum lectione, aut ex Doctoribus eximiis, amicisque intimis, ac uno præſertim inclytæ hujus facultatis converſando addidici.

Ac primum quidem, ut ingenue agam, videris mihi non debuiſſe inter citandum auctoritates, Molinæi commeminiſſe; ſive enim ille *Carolus* eſt, noſti quam ſit ipſius nomen in Romana Curia exoſum; ſive *Petrus*, noſti eum eſſe manifeſte *ἑτερόδοξον*. & a Fide, communioneque Catholica longe alienum. Videris deinde opinionem Navarri debuiſſe non ex Widdringtono, ſed ex ipſomet potius citare, maximeque cum ejus Textus apud hunc Auctorem mutilatus ſit; & interſit ſententiam Viri, qui, & magni nominis eſt, & Romæ etiam vixit, ſcripſitque, ex ipſo ejus haurire fonte. Atque, ut diſcrimen agnoſcas, en ut Navarri textus ſe habeat in cap. Novit. notab. 3. num. 84. de judiciis: *Non eſt conſilium in præſentia definire, cui principalis Eccleſiæ poteſtas fuerit a Chriſto collata, an Eccleſiæ toti, an verò ipſi Petro; propter illam maximam diſcordiam Romanorum, & Pariſienſium. Illi enim tenent Petro, & ſucceſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, atque ideo Papam Concilio eſſe ſuperiorem. Hi verò, quibus Gerſon adhæret, totam datam eſſe toti Eccleſiæ; licet exercendam per unum, atque ideo in aliquot ſaltem caſibus Concilium eſſe ſupra Papam. Quarum illa ſcilicet Romanorum videtur placuiſſe S. Thomæ in 2. 2. quæſt. 11. artic. 2. & 3. & quæſt. 1. artic. ult. & in 4. diſtinct. 19. quæſt. 1. Thomæ a Vio in ejuſdem articulis, & in parvis Opuſculis, tom. 1. & in Apol. 2. part. cap. 1. & in 2. part. cap. 9. ubi altius omnibus, & profundius hoc demonſtrare conatur. Altera verò placuit Panormitano, qui pro Pariſienſibus eſt, in capite Significaſti, & in tract. ſuper Concilium Baſileenſe, quem frequentius noſtri ſequuntur, ut tradit Decius conſil. 115. quam mordicus tuetur Jacobus Almainus è Sorbona Theologus, qui reſpondit Thomæ a Vio, libello juſto, & Joannes Major in cap. 16. in Matth. idem facit, aiens Romæ nemini permitti tenere Pariſienſium, & Panormitani ſententiam; nec rurſus Academiam illam Pariſienſem pati, ut contraria opinio aſſeratur in ea.* En etiam, ut ſe textus habeat in Comment. in 7. diſt. de Pœnitentia, diſt. 5. pag. 492. col. 2. num. 32. *Ex hac concluſione primò infertur, Pontificem Romanum ad confitendum ſua peccata teneri, quia divina lege obligatur; quamvis verum ſit non ligari per caput illud, Omnis, & ita non teneri abſolute ad confitendum ſemel in anno. Quod etiam ſenſit Joannes Andreas, & Felinus. Quod procedit, tenendo illam, quam plerique omnes Italos audio tenere opinionem, quamque magnis viribus tueri conatur Thomas a Vio, ſcilicet Papam eſſe ſupra Concilium. Nam, ſi teneremus alteram ſententiam, quam Schola Pariſienſis cum tota fere Gallia ſequitur, Concilium univerſale ſupra Papam eſſe & (adeo quid in ſequitur, ut Jacobus Almainus ſcribens in hoc ipſo articulo, dixerit, eum, qui contrarium aſſereret in Francia, hæreticum judicatum iri) diceremus, ut ait ille, Romanum Pontificem ſtatuta Conciliorum ligari, ac proinde ad illud caput, Omnis, ſervandum teneri.* Sic textus Majoris a Navarro citati, ſcilicet in cap. 19. Matthæi, ac in prioribus quidem Commentariis editis anno 1518. ſuper illud, *Si peccaverit*, hujuſmodi eſt: *Hæc quæſtio quærit, an Pontifex Maximus ſit ſupra univerſale Concilium, vel ſuper univerſalem Eccleſiam. Super præfata quæſtione duo ſunt modi dicendi oppoſiti; quorum unus tenet Papam eſſe ſupra Concilium univerſale. Hunc modum aliqui Cardinales tenuerunt, & tenent, & communiter Thomiſtæ, & Romæ, ut aſſeritur, nulli fas oppoſitum publice tueri. Alium modum ſemper Univerſitas noſtra Pariſiana a diebus Concilii Conſtantienſis imitata eſt, ſit, quod in ea, qui prædictam tenuerit, in campo cogitur eam revocare.*

Jam, quod hic citatur Conſtantienſe Concilium, nihil agnoſco antiquius opinioni iſti favere, quam Epiſtolam Innocentii III. ad Philippum Auguſtum Francorum Regem, quæ reperitur numero 104. inter editas nuper a Boſqueto. Scilicet in ea hæc verba habentur: *Propter ſententiam Evangelicam, quam ipſe Deus expreſſit, ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, cum abſque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in his ſuffragentur; verum, ſi ſuper hoc abſque generali definitione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex hoc poſſumus incurrere, forſan ordinis, & officiis nobis periculum immineret; cum contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare.* Poſterius autem, quod habet Thomas de Corſellis Pariſienſis Theologus in Propoſitione an. 1440. facta a Biturigibus præſente Rege in Concilio Eccleſiæ Gallicanæ, his verbis, *Poſt hæc omnia Papa Martinus cum toto Concilio dedit litteras ad Prælatos, & Inquiſitores, in quibus continentur articuli Joannis VVicleff, & Joannis Hus, inter quos iſte ponitur articulus* XLI *Non eſt de neceſſitate Salutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. Super quod dicit Papa, approbante Concilio, Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares. Deinde in Interrogatoria in iiſdem litteris poſita, ſuper quibus haberent interrogari ſuſpecti de hæreſi Huſſitarum ponuntur ſequentia: Interrogetur utrum credat, quod quodlibet Concilium generale, etiam Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam repræſentet. Ex quibus manifeſtum eſt, quod per Papam Martinum, & Cardinales, qui tunc ibi communiter aderant viginti tres, una cum toto Concilio fuit approbatum, quod Concilium generale habeat ſupremitatem in Eccleſiam, & quod univerſalem Eccleſiam repræſentabat.* Quod verò dicitur Univerſitatem Pariſianam id imitatam eſſe a diebus Conſtantienſis Concilij, ecce proferunt Pariſienſes Epiſtolam ſcriptam ad pariſienſem facultatem Theologiæ ab Innocentio VIII. die Septembris 7. an. 1486. qua improbatum nihil fuerit, quod fuiſſet eo uſque ab illa defenſum, ſed compro-

batum potius hujuſcemodi verborum tenore: *Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem intelleximus non ſine magna cordis noſtri lætitia ſincerum animorum veſtrorum devotionem, quam ad nos, ſanctamque Romanam Eccleſiam, & Fidem Catholicam habetis; cum omne ſtudium, & curam veſtram pro ejuſdem Fidei defenſione, & hæreſium extirpatione, ſicut probatiſſimos quoſque Chriſtianos decet, inceſſanter adhibueritis.* Afferunt quoque non improborum facultatis ejuſdem Decretum de celebratione generalis Concilij diei Januarij 21. ac anni 1497. in quo ad quæſita a Rege reſpondendo inter cetera ſic habetur: *Reſponſum eſt, quod Summus Pontifex, & Pater Sanctiſſimus tenetur de decennio in decennium congregare Concilium generale, univerſalem Eccleſiam repræſentans, & maxime nunc, cum tanta ſit deordinatio in Eccleſia, tam in Capitibus, quam in Membris, quæ cunctis notoria eſt.* Inferius autem: *Dixit, & definit prædicta facultas, quod tempore urgentis neceſſitatis, ut nunc, vel poſt decennium ab ultimo celebrato Concilio, ut ſupra dictum eſt, poſt quam aliqua bona, & magna pars, & notabilis Chriſtianitatis, quemadmodum Regnum Franciæ, vel Rex Chriſtianiſſimus ipſius Vices gerens, rogaverit, ſummaverit, & exhortatus fuerit dictum Summum Pontificem, ceteraſque partes Eccleſiæ, de congregando dictum Concilium, & ad ipſum conveniendo, & de providenda neceſſitati Eccleſiæ. Ipſe verò Pontifex, vel aliqua prædictarum partium fuerint recuſantes, negligentes, vel differentes de veniendo ad dictum Concilium, nihilominus illi, qui aderunt, & comparebunt poterunt ſine aliis non comparentibus dictum Concilium celebrare, & neceſſitati Eccleſiæ providere.*

Ad ipſa majoris tempora ut veniam, id mitto, quod habet Senonenſe Concilium, anno 1528 celebratum, Cardinali a Prato S. Sedis Legato, Præſide, in Decretis Fidei, Decreto III. his verbis: *Proinde, cum certa ſit, & infallibilis Eccleſiæ regula, ne aliquando inviſibilitatis prætextu tandem eludi queat, ea profecto Sacris generalibus Conciliis auctoritas derogari non poteſt, quæ proxime univerſalem repræſentant Eccleſiam. His enim Conciliis, ſi ea decernendi, quæ ad ſinceritatem Fidei, & extirpationem hæreſium, Eccleſiæ reformationem, & morum integritatem pertinent, poteſtas adimatur; nihil certum, nihil ſtabile futurum eſt, nihil denique, quo Hæreticus ab Orthodoxo poſſit internoſci. Nec erat, quo veterum quondam retunderentur inſultus, niſi Eccleſiaſtici Proceres exemplo Apoſtolorum Concilia celebraſſent, quibus Sancti Spiritus auctoritatem ferocientibus illis, & humanarum rerum ſcientia tumentibus opponerent.* Mitto & quod habet Joannes de Celaia Pariſienſis Theologus, ac Valentiæ in Hiſpania natus, qui tametſi in Patriam redux, mutarit ſententiam, opinionis tamen Pariſienſium fidem fecit ſub Gallorum Doctorum nomine, ſcribens in 4. ſent. diſt. 25 quæſt. 5. de Symboli editione, his verbis: *Pro hujus quæſtionis enodatione eſt advertendum, quod mirabilis eſt controverſia inter Doctores Catholicos circa iſtam difficultatem, veluti de ſuperioritate Papæ ad Concilium. Nam Joannes de Gerſone, & Galli Doctores, & multi Almanorum tenent, quod ad univerſale Concilium pertinet edere Symbolum, & determinare ea, quæ Fidei Catholicæ ſunt, & non ad Papam.* Quo loco ubi ille addit, *contrarium tenere non modo Italos, ſed etiam Hiſpanos*, tuum eſt videre, teneat-ne etiam Abulenſis, quem ipſe poſt Adrianum Papam VI. Cardinalem Cameracenſem, Cuſanum, Panormitanum, Florentinum, citaſti, præter Franciſcum de Victoria profeſſorem Salmaticenſem, qui, ut Navarrus, probabilem utramque opinionem putat. En verò ex Gallis præter Almainum, alioſque citatos a te pauculos Adrianus Gualterus Pariſienſis Theologus, & majoris Monaſterij Monachus in tract. de primatu Petri, & Eccleſiæ hæc habet: *Sic ergo relinquitur, temere dici, veritatique maxime contrarium eſſe, quod Summus Pontifex in nullo caſu Concilio univerſali ſit inferior. Nec minus item falſum, quod in nullo caſu poſſit ipſe deponi, præterquam in caſu hæreſis; nam ipſe poteſt eſſe criminoſus, aut fautor alicujus criminis, vel intolerabilis erroris, tam pernicioſi Reipublicæ Chriſtianæ, quam pernicioſa eſt hæreſis. Cui crimini reſecando, ſi non poſſit remedium adhiberi, niſi per Summi Pontificis deſtitutionem, vere, & realiter deſtituendus eſt.* Et paulò poſt eandem doctrinam hocce diſticho comprehendit:

Petrus in Æde Sacra caput eſt, & quandoque membrum;
Paret, ut eſt membrum; præcipit, ut caput eſt.

Joannes Arboreus, pariſienſis etiam Theologus lib. 4. Theoſophiæ, cap. 32. ſic ſentit: *Decretales Epiſtolæ non exequuntur Canonibus Conciliorum, & definitionibus. Hanc facile ſuadebo aſſertionem. Minus auctoritatis habet Romanus Pontifex, quam tota, & univerſalis Eccleſia, quam repræſentat Concilium generale rite congregatum; nam Papa in Fide errare poteſt, ut dicit Innocentius hujus nominis IV. cap. 1. de ſumma Trinitate; & tota mihi abberrare via videtur, qui aliter ſentit; & plus veritati tribuendum eſt, quam amico. Aſſentantur ſane Romano Pontifici, qui faciunt eum immunem a peccato, & lapſu hæreſeos, & ſchiſmatis; cum non ſit divino munere confirmatus in gratia. At Concilia generalia legitime congregata non poſſunt in Fide aberrare.* Claudius Conſors ſimiliter Pariſienſis Theologus, in confutatione errorum Waldenſium: *Paucis*, inquit, *probemus utramque, & Eccleſiæ, & Petri auctoritatem: Eccleſiæ primo, ex eo, quod generalium Conciliorum definitione Eccleſia ſit ſupra Papam, quem inſtituere, & ex cauſa deſtituere poteſt.* Verum iſte ſcribebat jam anno 1548.

Ceterum ab anno uſque 1542. conditi fuerant celebri facultatis Decreto articuli *Pariſienſes* dicti, numero XLIX. quos juramento adhibito profitentur etiam-num quotquot in fine licentiæ ſunt Doctoratum adepturi. Ipſorum autem XXI. hujuſmodi eſt: *Eodem veritatis firmamento recipiendum, poteſtatem excommunicandi eſſe de jure divino, immediate a Chriſto Eccleſiæ conceſſam.* Et XXII. *Certum eſt Concilium generale legitime congregatum univerſalem repræſentare Eccleſiam, in Fidei, & morum determinationibus errare non poſſe.* Ex quibus minus mirum eſt, ſi ſcribens poſterius Dominicus Soto (utcumque oppoſitum cum ſua familia ſequutus) in 4. ſentent. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. ſic quærat: *Utrum poteſtas juriſdictionis in utroque foro fuerit collata Eccleſiæ, ut in toto corpore immediate reſideat, an verò in Prælatis ejus?* Et poſtea ſic habeat: *Nihil hic dicere molimur de illa moleſta lite, utrum Concilium ſit ſupra Papam: quæ cauſa eſt, ut nunquam Concilia eo candore feliciter celebrentur, quo antiquitus; ſed quia verum conſequentia hoc expoſcit, ne clavium tractatus mutilus maneat; quidquid ſit de illa quæſtione, pro noſtra tenuitate ſubjectum proximum Eccleſiaſticæ poteſtatis, & juriſdictio-*

dictionis explanare adoriamur. Enim-vero Gerſon in Tractatu Poteſtatis Eccleſiaſticæ, quem imitatur Almainus in ſuo libro de comparatione Papæ, & Concilii, cap. 6. atque alii fautores illius opinionis, quod Concilium eſt ſupra Papam, arbitrati ſuam opinionem ex hoc fundamento pendere, ajunt poteſtatem Eccleſiaſticam juriſdictionis in utroque foro reſidere in tota univerſitate Eccleſiæ, hoc eſt, in toto corpore, quod ajunt, Categorematice, inſtar Reipublicæ Civilis. Hoc tempore non video rem vocari amplius in controverſiam, fortaſſis ob juratos illos ab omnibus articulos; tametſi ſunt, qui opinionem utramque probabilem putent. Cumque neutra diſertis verbis defendenda proponi ſoleat, retineri tamen antiquam, juratamque intelligi poteſt ex ipſa ratione loquendi, tam eorum, qui libros conſcribunt, quam eorum, qui diſputant Theſeis. Quippe cum nihil ſimile obſervem pro oppoſito, facere tamen pro hac videtur, quod ſcribens Franciſcus Hallerius pariſienſis Theologus pro defenſione Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ſeu in vindiciis Cenſuræ facultatis Theologicæ pariſienſis adverſus Hermandi Loemellij ſpongiam, editis anno 1632. §. 2. ſic inſtat: *Legiſti in libello Richeriano Regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticum; an-non legiſti ſtatum eſſe Monarchicum?* Et poſtea: *Licet Epiſcopus hic, aut ille morte extinguatur; licet ob crimen expellatur, ſine Epiſcopo tamen Eccleſiam eſſe negamus, in qua ſemper remanet Epiſcopalis Cathedra, in qua viget ſemper Epiſcopi principatus.* Et rurſus: *Hoc ſenſu neque Eccleſiam univerſalem, nec particularem ullam perfectam ſine Epiſcopo eſſe poſſe pronunciavit pariſienſis Theologorum facultas, & contrariam ſententiam falſiſſimam, in conſequentia periculoſam, temerariam, ſcandaloſam, ordinis Hierarchici deſtructivam, Populo Chriſtiano nocivam, traditionis Apoſtolicæ, & ſucceſſionis Apoſtolicæ fundamentum convellentem; imo, & in hæreſim inducentem judicavit.* Facit verò etiam, quod Theſeis proponens Robertus Conſtantinus Baccalaureus Sorbonicus anno 1639. die Novembris 18. Sorbonica 29. Theſin hanc inter ceteras ultima columna repoſuit: *Promulgatio eſſentialis eſt legi, non acceptatio; tenenturque omnes Principum edictis parere, non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Pari iure quiſque fidelium, excepto nemine, Eccleſiæ Catholicæ, & Conciliorum decretis ſubditur.*

Atque hæc ſunt quidem, quæ recepi initio commemoranda hiſtorice, non dogmatice verò expendenda. Videlicet retuli ſolum, ut tibi quaſi fido amico rem exigenti gratificarer; non ut ſententiam dicerem, cui nullum ex me accederet pondus. Tu id totum, quodcumque eſt, quo do affectu excipe, & tanquam pignus quoddam meæ erga te obſervantiæ habe. Pariſiis, VII. Cal. Jul. M. DC. XLIV.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

QUæ de Ilerdæ obſidione, & vovisti, & providiſti, ea perinde prorſus contingunt. Quam times Claſſem Neapolitanam, comparatam audieram, quæ ſeſe noſtræ opponeret, ſi Tarraconem obſideremus. Nunc, quod Hiſpanus præoccuparit, proſpexeritque fore, ut Mortæus cogeretur pedeſtreis copias ab inſtituto divertere, id arguit Claſſem hujuſcemodi adverſus Provinciam deſtinatam fuiſſe. Præclare autem vertitur, quod tu, & ſagax præſenſeris, & indefeſſus perfeceris, ne noſtram in oram appellere, niſi ut in ſcopulum poſſit. De obſidione Gravelingana nihil non fauſtum accipimus. Piccolomineus, & Meloſius nihil hactenus attentarunt, & tametſi ſperent ad undecim millia, quibus jam præſunt, militum acceſſura, ex Beko ſex, & ex vicana coactione decem; nihilominus id noſtros nihil terret, quorum circum vallatio abſoluta eſt, & quinque regiis arcibus, ſeu mavis propugnaculis tuta. Tormenta interea, de quibus jam ſcripſi, dejecere Urbis præſidia, unicumque cornutum opus ſuperſtes in pomærio nuperrimis diebus occupandum fuit. Hollandi, quod mirum, nihil interim movent, &, quaſi minante Hamburgio, Aſſenedæ ſemper conſiſtunt. Deliberant adhuc eorum ordines, Claſſis-ne, de qua nuper ſcripſi, Danis, ſe, an Svecis addicat, an neutra remanſura ſit; videturque eventus belli Danici habiturus eſſe exinde momentum. Urget ſemper Galaſium Saxo ad obſidionem Lipſiæ; ignoratur tamen, facturus-ne ſit, an petiturus Daniam, an irrupturus in Pomeraniam. Acceſſere ad illum Coloredi vires relicto Hatsfeldio, qui ſit obſtiturus Koniſmarkio, ac Heſſis copiis coaſtatus. Conſtat Tranſilvanus viribus infractis, & utcumque Polonus ipſum ad ineundam pacem cum Imperatore inſtiget, non obaudit tamen, dum Turca non annuit. Redit per Poloniam ex Moſcovia Voldamarius infecto matrimonio, quod propoſitas conditiones amplexari renuerit; nempe profitendi Religionem gentis, juxta quam Baptiſmus iterandus fuit; & excedendi nunquam Moſcoviæ ditionis confinia. Fama eſt hunc fuiſſe quæſitum prætextum, ex quo illi Sauromatæ affictari Daniæ Regnum inaudierunt. Lotharingus Vormaciæ eſt (quippe jam redux Treviri) ſuaſque adhuc copias in ſtativis habet. Anglus continuo angitur, & Eboracum patitur extrema. Plura dicerem; ſed iſta plus æquo. Tu, optime Princeps, & meum decus vale. Pariſiis Cal. Jul. M. DC. XLIV.

EIDEM.

SEceſſiſſe Albaniam te per hoſce æſtus, quos maximos experimur, mire delectat; quippe & is locus videtur eſſe amenus præ ceteris, & aliunde eo ſitu eſt, unde momento valeas, quo vocare te præſertim negotia poſſunt, convolare. Id ſane eſt nuper a te probatum feliciſſime, cum Maſſiliæ vix prius fuit ſeditio ſuccenſa, quam abs te extincta. An non verò cum eò potueris tempeſtiva adeo diligentia accurrere, commeminiſti Corii, in quo lineum deligere, qui totum æque preſſum vole debet? Quid heic quoque rerum turbare operarii quidam

Digitized by Google

dam attentaverint perduxiſſe jam ad te fama poteſt. Id tamen fortaſſis non fuit; ſed Aulæ nihilominus redeundi in Urbem occaſionem fecit. Ferunt eam inde non diſceſſuram ad uſque Gravelingam captam. Ejus porrò urbis obſidio felici pede ſemper procedit. Tentarunt hoſtes nuperis diebus trecentos quinquaginta viros ex reformatis, ut vocant, militiæ præfectis delectos in ipſam Urbem intrudere; at ij incidere in noſtrorum Equitum quadragintos circiter, qui omnes ſtrenue, obſtinateque dimicantes interfecerunt, perpaucis exceptis, iiſque mano captis. Ipſi ſunt, qui Aurelianenſem certum fecerunt, Piccolomineum perquam graviter laborare, & Meloſium eſſe podagra correptum. Exercitum imparem eſſe, qui munimenta noſtra adoriatur; ac videri eſſe aliquid ab ipſis obſeſſis timendum. Hollandi nihil aliud, quam moverunt caſtra, quæ & metati ſunt Adegemii, loco Brugis milliaribus horariis tribus diſtante. Rediit Enguenius ad fluenta Moſæ, poſtquam parte exercitus in Luxemburgum penetrante, Beki copias ſic evocavit, ut parte alia interim trajectionem fecerit tutam, adducenti copias ex Leodienſi tractu Marcino. Aiunt Lotharingum moviſſe cum ſuis Luceburgum verſus, & fama tamen ſemper eſt ipſi nobiſcum convenire. Turennius obſervat ſemper Bavaros, Rhenum ut minantur, brevi trajecturos. Tranſylvani exercitus præcellit ſemper Imperatorio. Lente admodum incedit Galaſius. Torſtenſonus cogit, moxque educturus in aciem exercitum eſt. Nullum adhuc navale prælium in Balthico mari commiſſum. Commiſere Sveci Francofurtum, aliaſque Urbeis ad Oderam Marchioni Brandemburgico, qui & jam ſe ipſis penitus addixit. Sunt ſemper res Angli afflictiſſimæ; nam cetera inter Principem Rupertum memorant a Scotis fugatum. Leſita i ex Caſtellania inſignem tulere victoriam, ſed tu illam jam, ut opinor, noſti. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, poſtrid. Non. Jul. M DC. XLIV.

E I D E M.

QUam dignatus es ad me mittere exercitatiunculam tuam cum litteris accepi. Acceptiſſima verò mihi fuit, & quod tua, & quod ingenium, quantum eſt tuum, redolens. Quod poſtulas verò, ut pro meo candore quid de ea ſentiam, ediſſeram, faciam ſane, nec tamen dicam, quod de Henrici Engoliſmenſis Proavi patrui tui carminibus dixiſſe Malherbium ſubjungis. Scilicet iſta, quæ a Viris eum ſortis proficiſcuntur, pretioſiſſima habeo, neque exigenda ad eam limam duco, qua probari ſolent virorum umbraticorum lucubrationes. Res eſt adeo rara, Virum Principem ſe habere dignum, qui partem ſui nobiliorem, animum nempe, excolat, natalibuſque congruum exhibeat, ut qui ſe ſupra ceterorum veluti turbam evehunt, ſint commendandi maxime, & quos edunt partus ingenii, ſint quovis auro pretioſiores. Quippe, ut interdum non vacat, ita & plerumque non decet fetus lambendo ſic expolire, ut ſcrupuloſitatem magis, quam fecunditatem teſtentur; ſatiſque eſt, ſi qua erumpunt felicitate ingenii, exemplum ſiant, quo, & alii animati Principes poſſint, & privatos ſuppudeat, niſi ſtudioſe æmulentur. Memini rem ad te ſcripſiſſe de generoſiſſimi Regis Caroli IX. Avi tui carminibus, quæ cenſuiſſet pari ratione ſupprimenda Malherbius, & magnus tamen vir Ronſardus glorioſum habuit carminibus ſuis, ut nobileis gemmas inſerere poſſet. Itaque hujuſmodi cenſu lucubratiunculam tuam habeo, in qua utcumque aliquid poſſet, ſi ab otioſo, litteratoque prodiiſſet, deſiderari; nemo tamen non ſit abs te, ac inter tot præſertim curas, occupationeſque profectam unice exoſculaturus; & quoniam haud dubie requires, quid deſiderari poſſe judicem, inſinuabo ecce ſeorſim in ſcheda, ſchemate puta appoſito, ex quo ipſe retexere tua illa cogitata poſſis. Id nempe tale non contexam, in quo alia membra, aliaſque rationes, quam a te allatas exhibeam, aut aliquid etiam, quod videri poſſit ſupervacaneum reſecem; viderer quippe non tuam opellam ad Analyſin revocare, ſed ſynthesin quandam meam facere; verum id conficiam, in quo eadem omnia, ac ſola, quæ tibi venerunt in mentem, quaſi digerantur. Faciam verò, quo ſimul innuam, ſeu [quia bene id voles moneam] ut cum deinceps ſimile quodpiam aggredieris opuſculum, attente ſpectes argumentum, quod tibi propoſueris, & perſpecta ejus natura, duas, treis, aut plureis ejus parteis ſtatuas, & ſi opus fuerit earum unamquamque dividas, ac ſubdividas, referaſque omneis in ſchematis ſpeciem; ſcilicet inde fiet primum, ut nullam partem, quæ videri poſſit neceſſaria, prætereas; deinde, ut nullam præpoſtere colloces, ſed quo eſſe idoneo maxime loco poſſit conſtituas; tum, ut quid congruat ad cujuſque, aut confirmationem, aut illuſtrationem, & excogites, & dicas diſtincte. Ad hæc, ut neque quid perturbes, neque alienum quid inſeras, neque idem bis memores, neque, ut brevi faciam, aliquid in toto contextu ſuperſit, aut deſit. Sane ubi rem pertentaris, aliquotieſque perfeceris, mirum dictu eſt, quanta copia te affluere ſis obſervaturus; quando præter ſpem, tantum aberit, ut labores penuria, quin potius labor futurus ſit in habendo eorum delectu, quæ numeroſiſſima occurrent. Mirum, quam proinde brevi tempore id ſis præſtiturus, & omnibus quidem abſolutum numeris; quod alias non niſi prolixo ſpatio, ac ſemper deficere quidpiam ſuſpicatus, exequeris. Mirum denique, quam ſis facile perviſurus, agniturusve aliorum ne ſcripta, concioneſque ſe probe habeant, & poſſent ne res, aut conſcribi, aut dici appoſite magis. Verum ipſe interea modum excedo; neque ſatis caveo, ne Sus, quod dicitur, *Minervam*. Tu id, quidquid eſt, pro tuo illo in me amore conſule, & bene ſemper, o & præſidium, & dulce decus meum, vale. Pariſiis, Eid. Jul. M. DC. XLIV.

Remiſſa ectæ autographum exercitationis, retento exemplo, literarum novarum nihil ſcribo, tum ne te nimium morer, tum quia uti Campinium omnia jam perſtrinxi. Vale iterum.

E I D E M.

OPtime Princeps, nihil eſt opus inſinuatione, ut litteris meis reſticem memoriam tuæ illius adeo inſignia, incomparabiliſque jacturæ. Scilicet illa animi tui celſitudo, atque conſtantia mihi adeo perſpecta eſt, ut nullus hæream, quin ſis ad id generoſiſſime comparatus. Ac fieri profecto non poteſt, quin tam gravis caſus te commoverit, ipſeque inhumanus ſim, ſi excipere illum te abſque acerbo luctu dehuiſſe contendam. Sed par eſt nihilominus de tua virtute augurari, ut modum conſentaneum

dolori

dolori adhibueris, ac tempore brevi id evicetis, quod ipſæ e vulgo animæ prolixo demum conſequuntur. Quippe ea quidem non eſt imbecillitatis humanæ conditio, ut abdicare omnem moleſtiam, & ſi quæ præſertim ex naturæ ſenſu [qualis tuæ eſt orbitatis] profecta ſit, poſſit; cum & ipſe naturæ Auctor propenſionem iſtam in liberos tantam eſſe nequidquam noluerit; at non eſt tamen ipſum quoque divinum munus ſapientiæ fruſtra, ut non plurimum vehementiam perturbationum temperet, ut non maximopere omnem acerbitatem leniat; ut non placidiſſime animum ad Auctoris naturæ decreta componat. Felix es proinde, decus Principum, cui Deus mores ex hoc metallo, præcordia ex hoc luto finxit. Quamobrem age, ipſe te quoque dignum fingere Deo perge, dum cogitas effectum quidem præter naturæ ordinem, ut a quo efferri debueras, dulciſſimum filium præmatura hac abreptum morte extuleris; at non contigiſſe tamen præter inſtitutum æternæ Providentiæ, citra quam ne capillus quidem cadere ex capite poteſt. Videor certe mihi te identidem illud repetentem audire: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen ejus benedictum*. Videlicet in eo es, ne eſſe videare malæ fidei, quaſi invitus reddens id, quod commodato ſolum habueris; ne grati parum animi, quaſi nihili reputans tanti pignoris uſuram conceſſam. An-non verò etiam lucro deputas, exercitationem conſtantiæ, qua ille rerum Arbiter probandum te, Aquilæ inſtar, non degenerem cenſuit; dum oculos tuos in illam corpuſculi conflictationem tam moleſtam, tamque diuturnam inconniventer defixos voluit? An non vertis quoque ſummæ indulgentiæ, quod te orbaturus cariſſimo puellulo, animum tuum ſic præpararit, ut rem expedire, & cui, & illius gratia fuerit conſentiendum? Quod ſupereſt autem, an-non tibi ſatis perſpectæ res humanæ ſunt; ut noris quam dicunt *Fortunam* [ſed nos *Providentiæ* partem facimus] ita in ipſis ludere, ut inaneis curas proculcet, ludibrioque habeat? Cum ſane te illa orbitatis importuniſſima cogitatio ſæpius haud dubie ſubeat, vix hæreo, quin ipſi opponas illud ex Sacro oraculo: *Novit Deus cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt*. Nempe ij fere ſunt homines, qui generi, ſtirpi-ve ſuæ æternitatem deſtinent, ignari Deum conſilia hæc evertere, peſſundareque. Hinc, cum ipſe quoque interdum potueris hac cogitatione mentem paſcere, ac tanto quidem æquius, quanto in tuo illo Aſcaniolo ſpes inclinatæ recubuit propagandi ſuperſtitis ex Stemmate Regio rami ſingularis, ea tamen dubio procul fuit animi tui moderatio, ut te non lactaris inani hac ſpe, qua homines vulgo ſibi ſomnia fingunt. Niſi nos verò hiſtoriæ moneat intercidiſſe familias omneis prole olim beatiſſimas, nullaque illarum veſtigia jam-pridem agnoſci. Nulla unquam diuturnior fuit *Capetana* hac glorioſiſſima, cujus tu quoque ſurculus es; at quam pauci, quæſo, ex tam numeroſis ſuperſunt jam rami? Ipſos ego æternos voveo; at quis tamen juret eadem illos fata, quæ & ceteros, non brevi manere? Fac verò eſſe ſuperaturos non unum, non duo, ſed decem, & plura adhuc ſecula? quid demum, quæſo, id totum eſt, ſi cum totius temporis longinquitate comparetur? An-non dices guttulam aquæ collatam ad Oceanum, ac etiam cum Simonide, ne punctulum quidem æternitatis minutulum eſſe? Ut pridem certe evanuere tot illæ ſtirpium ſeries, ex quibus contextæ fuere Dynaſtiæ Ægyptiorum, Aſſyriorum, Perſarum, ceterarumque Nationum omnium; ita profectò ſpes non eſt, ut quæ nunc in honore ſunt, temporis progreſſu non attingat metam. Et, putas, ſi homines forte aliqui meminerint noſtri poſt unum, aut duo, tria-ve, aut quatuor annorum millia, memoraturos etiam poſt decem, poſt viginti, poſt plura, ſi Mundus quidem duraverit? o quam alta tandem oblivio, & nos, & res noſtras involvet! quam altum ſilentium hos ſtrepitus omneis, quibus jam per totam Europam obſurdeſcimus, obruet! Tempus veniet, ne dubita, cum Gravelingane, & Ilerda extiterint unquam ignorabitur; cum neſcietur Hiſpani-ne, & Galli, quales nos jam ſumus, ſpiritum vitalem unquam duxerint; cum iſtæ Svecorum in Germaniam, & Tranſilvanorum in Hungariam irruptiones reticebuntur; cum perinde erit, & Regi, & Parlamento Angliæ, ſeu viciſſe, ſeu ſuccubuiſſe, tanquam profunda caligine noſtram hanc lucem excipiente. Nimirum quæ hucuſque fuit rerum omnium viciſſitudo vices agere ſuas perget; & ex Regnis Reſpublicas, ex Rebuſpublicis Regna, & Anarchias faciet. Quippe inceſſanter commiſcens Imperia; fineis Provinciarum, ditionumque turbans; his addens, illis adimens; quaſdam diſpeſcens, quaſdam conſocians; omnia ſurſque, deque ſic conſtituens, ut ſi quempiam noſtrum fingas reducem, non ſit amplius rerum faciem agniturus, ac tanto magis, quanto ex eadem viciſſitudine rerum eſt, ut interdum litteræ vigeant, interdum barbaries ſic obtineat, ut præteritorum omnium memoria penitus deleatur. Ne memorem vetuſta omnia recentibus ſemper ita cedere, ut ſemper quæ ſunt omnium vetuſtiſſima, obſoleſcant. Iſthæc veriſſima cum ſint, facile tamen non capimus, quæ capere etiam pene averſamur; excæcati nempe vano gloriæ ſtudio, quo nomen noſtrum propagare, tranſdereque in univerſam poſteritatem ſatagimus, ac ſæculis paucis nos conſequuturis æternitatem ipſam metientes, exhorremus cogitationem in Chaos illud defigere, in quo omni luce ſimus carituri. Quorſum hæc verò, optime Princeps, certe, ut vel monente me, tametſi haud-dubie id facis, attendas, temereque ſolveris hoc dilemmate: *Aut Mundus brevi deſinet, aut immenſis adhuc ſeculis durabit*; ac ſi brevi quidem deſiturus ſit, cur me diſcruciet orbitas, quem alioquin nepotum ſeries poſt tempus non longum fuerit defectura; cui ad æternam vocato gloriam, perinde prorſus futurum ſit, floruiſſe poſteris, aut caruiſſe; ſin longiſſime ſit perduraturus, cur me adhuc ſanguine longo non cenſeri diſcruciet, cum fuerint alioquin, & nati natorum, & nati ex illis ſerius, ocyus agmen clauſuri; cum denſa nocte convelante, & mea, & omnium poſterorum, interfuturum nihil ſit, quiſpiam-ne ramum duxerit ex me milleſimum, an nullum. Enim vero, cum fieri nequeat [aut difficillimum certe ſit] ut hominem planè exuamus, hoc eſt, præſtemus, ne aliqua gloriæ cupiditas nos tangat; cumque ſuave proinde ſit per ora virûm, tam dum ſumus ſuperſtites, quam paucis illis ſæculis, de quibus dixi, volitare noſti, ut famam extendere opus ſit ſolius virtutis. Non Alexander certe, nec Cæſar, non Ariſtoteles, nec Tullius hanc, quâ vigent, gloriam a liberis habent; ſed ab iis, quibus incubuere illuſtribus factis, ſcriptiſque. Eſt in te utrumque, Princeps optime, qui & ſcribenda facere, & ſcribere facienda potes. Interim verò eſt jam ad manum, ut

parem teſtatus animi magnitudinem cum celebribus illis viris Anaxagora, Pericle, Xenophonte, Antigono, Paullo, Pulvillo, & ceteris, qui liberorum mortem, atque orbitatem conſtantiſſime pertulerunt, parem cum ipſis gloriam, nominiſque ſplendorem merearis. Itaque, poſtquam meditatus illud Menandri fueris,

Ὃν οἱ Θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος,

Nempe propter illud, *Optimum non naſci, proximum verò quam-primum mori*, ne, quæſo, te luctui committe:

Ἀλλ' αὐτὸς ἀεὶ μίμνε τὴν σαυτοῦ φύσιν
Σώζων βεβαίως, ὥστε χρυσὸς ἐν πυρί.

Sicque eſto diu ſuperſtes, ac vale. Vale, o decus Principum, o & meum dulce decus, vale. Pariſiis XI. Calendas Sextil. M.DC.XLIV.

E I D E M.

ABſit, Principum optime, ut quam nuper fui, tam nunc ſim prolixus. Habet certe me, dum cogito, pudor neſcio quis; quaſi opus tot verbis fuerit tuæ illi heroicæ, vereque cœleſti virtuti. Quippe tyrocinium jam pridem non ſpeculatione nuda perfeciſti, ſed animatiſſima etiam, exercitatiſſimaque conſtantia, qua excepiſti hactenus tam varios fortunæ inſultus. Id verò quis præſtet, niſi animum ſupra conditionem vulgarem poſſideat; niſi generoſe ſeſe erigens, indeflexeque continens, majoris ſe faciat, quam ut patiatur ſe deprimi, obviiſque paſſim caſibus proſterni? o felicem illum, qui cum Metrodoro poſſit dicere: *Occupavi te, fortuna, atque cepi, omneiſque aditus tuos interclusi, ut ad me adſpirare non poſſes!* Sed nempe ii plerumque ſumus, ut, donec proſpera ſunt omnia, mandemus malæ fortunæ laqueum, dum adverſi quid accedit, nihil poſſit ſtatim videri dejectius. Te verò non tenet haud dubie imbecillitas iſta tanta, grandioreque animo es, quam ut propoſiti immemor, temet neque habeas, neque oſtendas virum. Poſtquam naturæ id indulſiſti, quod ipſi negare in manu cordatiſſimorum non eſt, haud hæreo, quin te, qua par eſt, fortitudine excitaris, & ratione agens, ex te obtinueris, ne diuturnus te conficeret luctus. Et certe cum nihil ſit magis non inutile modo, verum etiam noxium, quæ-nam hæc foret ſapientia velle mœrore opprimi, recuſareque attollentis virtutis manum prehendere, emergereque in tranquillum ſtatum? Sed ſiſto, ne modum iterum excedam, memor te iſta, & melius noſſe, & animoſius exequi, quam ut tibi ſit monitore, hortatore-ve ullo opus. Perge modo præſtare te tua virtute dignum, & vale. Vale, o decus Principum, vale o dulce decus meum. Pariſiis XV. Cal. Sextil. M.DC.XLIV.

E I D E M.

MItto ecce, optime Princeps, quas a noſtro Luillerio litteras accepi ad te deſtinatas. Dici non poteſt, quanta is ſemper veneratione proſequatur; quanta quoque optimus Abbas, qui niſi etiam ad te ſcripſit, teneritudo affectus fecit, qua veritus eſt, ne vulnus attingens aſperitatem induceret, cui deliniendæ impar foret. Auſterior ego; ſed me nimirum, cui eſt perſpectior tua virtus, fecit ſecuriorem, ratum aliunde poſſe te, quod officii ſimul, & affectus fuit, merito abs me expectare jure. Nunc verò, ut vel animi divertendi cauſa aliud exequar, pauca ecce rerum novarum, quantum quidem habeo comperta, renuncio; utcumque ipſe aliunde plura, uberioraque ſis accepturus. Octiduum jam eſt, ex quo noſtri Gravelingâ potiti ſunt, deditione facta; cum jam & propugnacula occupata, & intra Urbem milites non plures octingentis ſuperſtites forent. Speratur Dux Aurelianenſis ab expeditione illa brevi redux, Mellereo, qui munimenta reſtituenda curet, relicto, & Gaſſione, qui aggreſſuros quidpiam Hollandos adjuvet, miſſo. Spes aliunde eſt, ut Enguenius collatis cum Turennio copiis Friburgum obſidione ſolvat; ut fama eſt (neſcio an rata) Odancurium jam ſolviſſe Ilerdam. Qui Monaſterii, Oſembrugique Imperatoris miniſtri ſunt, agere de pace ineunda, niſi interſit Danus, recuſant. Ferunt Imperatoris copias, dum a Tranſylvano ſe reciperent, fuiſſe peſſime ab illo affectas; adduntque ipſum Imperatorem admodum vereri, ne a Turca nihil impetret; imo ne etiam provocet quæ viginti hominum millia in procinctu eſſe ad Budam dicuntur. Commiſſum eſt navale prælium Danum inter, & Torſtenſonum a matutina nona in noctem, Femeram prope Inſulam. Hic paulò pejus habuit, ille paulò prius cecinit receptui; uterque in eo jam eſt, ut ſe comparet pugnæ inſtaurandæ. Perhibent interim Legatos Hollandorum eò perveniſſe, cum & aliunde acceſſerint Koniſmarkius Bremam, & Galaſius Mekelburgum. Res Angli afflictiſſimæ. Eboracum captum; cæſa hominum octo millia. Robertus Princeps in fugam actus; Novocaſtrenſis, & alii Proceres Hamburgum appulſi. Rex quoque ipſe, ut ajunt, exceſſit, recepitque ſe in Hiberniam. Regina verò ad nos diſcedens Breſtenſem Armoricæ portum Parlamentariis nequidquam inſequentibus appulit. Cetera mitto; quoniam hæc nimis. Tu bene vale, Principum decus, Pariſiis, Non. Sextil. M.DC.XLIV.

E I D E M.

AUguratus ſane nequidquam non fueram, te caſum longe aſperrimum ea excepiſſe animi lenitudine, & conſtantia, quæ virtutem heroicam, teque digniſſimam deceret. Id enim ecce vel ex tuis agnoſci litteris eſt promptum; quando non modo renovare dolorem ſcribendo averſatus non es, verum es præterea de eo temperando generoſe ratiocinatus. Quin-etiam accepi quam anxiam aliunde tibi procurarint rerum ſollicitudinem, qui levamentum debuerant, tum cum litteras exaraſti; ut tanto magis proinde mirer, animum tibi inter tot graveis occaſiones moleſtiæ conſtitiſſe imperturbatum. Perge modo, optime Princeps, erectum ſemper, infractumque adverſus hoſce quaſi fluctus undoſi maris te gerere; videlicet qui clavum tenens ſe graviter habet, procellis agitantibus, gloriam deinceps, voluptatemque æquore pacato, aſſequitur grandem. Quam Summi Pontificis mortem accepiſti, haud-dubie inaudiimus ipſi quoque. Complevit ille quamproxime tertium annorum ſeptenarium; ſed æqua demum neceſſitas ſortitur inſigneis, & imos. Par eſt, ut etiam noveris Ticinum, ne ſit, ut ajunt, a noſtris obſeſſum. Fama ſatis conſtans heic eſt, ſolutum eſſe obſidione Friburgum. Obſedere Hollandi tandem, quod Taſium Gandavenſe vocant; nec deſunt, qui jam captum cenſeant. Terror exinde Flandris ingens; ſed, ut opinor, Hiſpanis

nia major. Omini vertunt, quod Munſteri Ædes Hiſpanorum ictæ fulmine ingenti arſerint incendio. Graſſator Tranſylvanus liber (copiis nempe Imperatoris nondum refectis) Hungaria tota. Procedit Galaſus a Mekelburgo in Regionem Holſteniam; ſed illi tamen excipiendo ſeſe comparat Torſtenſonus. Prælium navale inter Svecos, Danoſque nondum inſtauratum. Ferunt Tuillerium ex Dania diſceſſiſſe in Sveciam. Non exceſſit Rex Angliæ in Hiberniam. Tranſiit jam Regina Nannetis, ſperaturque heic brevi adfutura. Reditus Ducis Aurelianenſis retardatior nonnihil eſt, ſic expetentibus Hollandis. Tu, o Principum optime, meumque dulce decus vale. Pariſiis, pridie Eid. Sextil. M.DC.XLIV.

Quam exercitatiunculam dignatus fueras tranſmittere, typis mandare congruum duxi; feci autem vel ex eo fine, ut pariore charactere expreſſa poſſet aſſervari. Excuſa ſunt verò pauca exemplaria, ut ſit quaſi non edita, ſi tu ipſam forte volueris ſuppreſſam. Aliquot exempla cum hiſce accipies, ſimulque agnoſces vix unum, alterumve fuiſſe interpoſitum verbulum, ut ſpeciatim de pœnitentia, ut conſequi poſſet, eam eſſe ſecundam poſt naufragium Tabulam; quando ipſa eſt, de qua dici id ſolet. Tu quidquid id eſt, boni conſule, affectuique tribue, ut ſoles, ſincero. Vale iterum.

Nobiliſſimæ, ac eruditione, virtuteque omnigena ornatiſſimæ virgini, Annæ Mariæ Schurmannæ

PETRUS GASSENDUS S.

DEvinxit me nimium optimus Ducheſnius exempla donans Diſſertationis, quam tu, o rarum ſæculi, o incomparabile ſexus tui decus, inſtituiſti nonis ſuperioribus de non incongruo Virginibus bonarum litterarum ſtudio. Nam hactenus quidem inaudieram, demiratuſque fueram virginem eſſe Ultrajecti, quæ penicillo, cælo, radio, acu, provocare artifices quoſque expertiſſimos poſſet; quæ præter linguas haſce vulgareis, etiam latinam, græcam, hebræam, arabicam, earumque lepores eximie calleret; quæ ad coronamentum ingenuarum artium adhiberet rerum etiam divinarum, etiam humanarum, etiam naturalium ſingulare ſtudium; quæ nihil denique non aſſequeretur ſubtilitate ingenii, nihil oris facundia non exprimeret, nihil manus induſtria non imitaretur. At me ſtupor jam occupat, cum ex paginis hiſce paucis, ut ex veſtigio Herculem, aut ex ungue Leonem, ſic perſpicere mihi videor, & maturitatem judicii, & modeſtiam animi tantam, quanta eſſe poteſt in ſpecimine commendatiſſimæ virtutis. O, quam te proinde, Virgo, memorem! nam eſſe quidem feminæ poſſunt, quæ & verborum elegantia, & ſententiarum pondere animi ſui admirationem pariant; at licet ſemper intervidere, ſive loquantur, ſive ſcribant, neſcio quid non ſpontanei, affectatique ſtudii; neſcio quid gloriolæ inanis, levitatiſque ingenitæ: in hocce verò opuſculo, inque ſubjuncta ad Virum illum eximium reſponſiuncula, ita mihi videtur candoris, ingenuæque ſimplicitatis fuiſſe expreſſus abs te character, ut nemo legens non internoſcat eminere æque in re, & meditatiſsimam peritiam, & compoſitiſsimos mores. Ad me quod ſpectat, non alium puto eſſe genium ſapientiæ, quo beari homines poſſint, unde & te felicem habeo, quæ talem nacta fueris, qualem via perfectiſsimi Philoſophorum ſunt aſſequuti. Neque verò ego is ſum, qui iſthæc legenda obiicerem tibi, niſi te eam agnoſcerem, quæ ob encomia non geſtias, quæ tuas laudes niſi invita, niſi vultu moderationem, pudoremque teſtante, non audias; quæ exinde potius occaſionem captes, & referendi omnia ad illum, a quo omnis perfectio eſt, & cavendi, ne quid indignum habita de te opinione agas, explorandique, ſi quidquam deſit ad conſummatiſſimam virtutem. Obiicio verò interim, tum quia ille ſignificavit, non eſſe meum nomen tibi inauditum, teque eo me habere loco, quem meritus ſane non ſum; tum quia, cum noſtrum hocce ævum te in exemplum extulerit, quo nullum huc-uſque habetur illuſtrius, viſus ſum mihi cenſeri poſſe in felicitatem ejus invidus, niſi tuæ virtuti tantæ teſtimonium hoc redderem, & commendatione mea qualicumque, meoque applauſu quaſi calculo comprobarem. Quod ſupereſt, tu perge modo eſſe ſemper ſimilis tui; quando alterius eſſe non potes, perge reputare tot præclaras doteis, ob quas efflореſcis, ac ſuſpiceris, ex eo maxime ſemper effulſuras, quod iam ſponte, tamque conſtanter fucatas haſce, & caducas aſpernata illecebras, delicias veras, perenneiſque in excolendo animo, hoc eſt, parte tui divina, immortalique poſueris. De me verò ſic, quæſo, habe, neminem eſſe, foreve unquam, qui eſſe poſsit obſervantior, venerantiorque tuæ virtutis. Vale. Scribebam Pariſiis Eid. Sextil. M.DC.XLIV.

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

AGnovi ex litteris optimi Campinii eſſe te Maſſiliæ, ac bene valere: Deum immortalem! quanto gaudio! nimiſquam enim metueram, ne ad tempeſtatis intemperiem accedentes tot, tamque graves ægritudinis occaſiones valetudini detrimento forent. Sed tua nempe eſt *εὐθυμία*, cui ſecundum Deum id debes; cum quæ Medici vocitare animi *παθήματα* ſolent, adeo frequenteis, adeoque graveis corporibus inferant noxas. Rerum novarum nulla eſt tibi renunciatu jucundior victoria memorabili, qua Duci Engueneio Conſobrino tuo longe generoſiſſimo obtingere ſane glorioſior non potuit. Varias ipſius circumſtantias prorſus ſingulareis aliunde accipies; mihi ſatis eſt non tacere, eum fuiſſe ardorem inuictiſſimi animi, ut nihil quantumlibet arduum inſuperabile reputans, & periculis, manifeſtis licet, ſeſe intrepide obiiciens illum Bavarorum profligavit exercitum, qui capto Friborgo, Briſacumque jam cogitans, obſtaculo quam-maximo paci ineundæ videbatur. Scilicet ratus Imperator fore, ut ipſius, Hatſeldianique interventu, res ſuas ad Rhenum reſtitueret, & civitates liberas, Proceraſque Germaniæ eo ſemper metu contineret, quo non auderent ad comitia Monaſterienſia accedere; utque aliunde miſſis in Daniam auxiliaribus copiis, Svecorum vireis frangeret, totamque proinde Germaniam

ſuum

ſuum ſub jugum mitteret; ideo viſus eſt hucuſque nihil minus, quam pacis ſtudium cordi habere. Nunc verò ſi exercitus victor irrumpat in Bavariam, illicque hyberna in ſtatione ſit, tum inſtante periculo ne germanicæ libertatis illuceſcente Sydere Urbes, principeſque animos reſumant, tum metu incuſſo, ne copiis, quibus Bavarus defenſetur, revocatis e Dania, res illeic, Oratore Regio intercedente, componantur, Svecique denuo irruant, ac Imperii res peſſum eant, videtur eſſe, cur Imperator ſerio de pace ſit cogitaturus. Quanquam meum ſane non eſt falculam mittere in hanc meſſem. Quod ſupereſt, ferunt Galaſum, Torſtenſonumque non amplius, quam unius diei itinere mutuo abeſſe; ſperaturque fore, ut brevi Davos inter, Svecoſque qua Terra, qua Mari prælium committatur. Urgent ſemper Hollandi Thaſium, Hiſpanique, necrati licet proxime caſtra, nihil tamen movent. Rumor eſt egiſſe Brugenſeis, Gaudenſeis, ac totam viciniam de redimenda penſionculis agrorum ſuorum libertate. Dimiſit Gaſſio quam Vattenſem Arcem, Abbstianique ceperat, difficultate communiendi. Illo relicto, rediit in Urbem Mellereus a diebus quinque, ipſeque Dux Aurelianenſis acceſſurus quoque dicitur poſt triduum. Adventura hodie Carinauea eſt; Regina verò Angliæ, niſi poſt menſem non expectatur, quod ſit diverſura ad Aquas Borbonias. Rex ejus Conjunx in magna ſemper rerum perturbatione eſt; & quia ſuſpendi neſcio quos Parlamento faventeis juſſit, ſcribunt ſtrangulandos hac hebdomade Cantuarienſem Archiepiſcopum, alioſque quosdam Regiarum partium. Enim verò nonne hæc nimis? Tu, o Principum, optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIV. Calend. Septemb. M DC. XLIV.

E I D E M.

CRaſtina luce, Deo propitio, mittam ad Luillerium noſtrum litteras, quibus beare es illum dignatus. Quas hodie ex eo habui, ſignificant ipſum medio matricibus reducem; eo ſcilicet cum ceteris ſui ordinis oratoribus ſalutaturus ierat adventantem primum Schonibergium Pro Regem. Speraram quidpiam de Enguenii inſtituto perſcriberet, nam ex quo Enguenius diſceſſit Friburgo, curamque ipſum ad deditionem cogendi Erlaco commiſit, fama eſt ſuſceptam ab eo magni momenti expeditionem; verum ea de re perſpectum nihil habuit. Ferunt quatuor hominum millia mitti in Alſatiam ex copiis, quæ ſunt relictæ ad Gravelinguam [rediit nempe Aurelianenſis in Urbem ante quatuor dies] ſed neſcio tamen verum ne ſit, quando accipio Meloſium deſtinaſſe quasdam ad Piccolomineum aliquid a noſtris metuentem. Dum ipſe interim Meloſius nihil adverſum Hollandos tentat, urgere illi pergunt Taſium, acriter, ut ajant, obluctans. Claſſes Svecorum, Danorumque non conflixere iterato; tametſi in procinctu ſint, neque pedeſtres Danorum copiæ Galaſo adbuc acceſſere. Habet is ſtativa proxime Torſtenſonum; quanquam pugnaturus fortaſſis non eſt; ac præſertim ſi verum ſit evocari ipſum in Hungariam, quod Imperator alias copias, quas obiicere Tranſylvano poſſit, non habeat. Dicuntur interea qui Munſteri ſunt Imperatorii Miniſtri oblatas a noſtris agendi de pace, ſeu voce, ſeu ſcripto, ſeu Oratorum Venetorum interventu, conditiones reſpuiſſe. Afflictiſſimus ſemper Anglus, maximeque ex quo detecta adverſus Eſſexium machinatio eſt; nempe Duces quidam militiæ præcipui ſi ventum fuiſſet in prælium, tradituri illum ipſi Regi erant. Quod perſcriptum fuerat de Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, & aliis ratum haberi jam non competio. Utcunque ſit, tu bene vale, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis VII. Cal. Septemb. M. DC. XLIV.

E I D E M.

LÆtor, cum mandari typis procuravi tuam lucubratiunculam, feciſſe me rem tibi non ingratam. Non hæreo verò, quin a viris, quibuſcum illam communicaſti, & a noſtro præſertim Sene optimo plauſum tuleris; ii quippe non poſſunt non eadem in illa, quæ ego ad te initio ſcripſi, ſuſpexiſſe. Suſpexit ſane etiam Neuræus; ita enim Tolone ſcribens citra ullum veſtigium adulationis ſignificavit. Fiet alias, Deo propitio, ſuſpiciendi occaſio plenior, cum aliorum opuſculorum fieri copiam volueris. De rebus Aulæ nihil ſcribo, quod ex aliorum litteris eas cognoſcere melius poſſis. De exoticis iſta pauca. Dum exercitus Bavarorum reparatur ad Neccarum, Hasfeldiuſque in Belgium deſtinatus, eò revocatur, Enguenius interea cum Turennio ſecundum Rhenum properat, obſeſſurus, ut fama eſt, & occupaturus, ut ſperatur, Philippo-Burgum. Taſium ſic ſemper oppugnatur, ut expugnandum brevi ſit, utcunque magna caſtrorum pars ſenſerit factam inundationem. In ea feruntur eſſe Hollandi, ut quia Legatis in Daniam miſſis abunde ſatisfactum non eſt, ſtatuant navaleis copias, quas in Mari Balthico habent, Svecicis in Mare digreſſis adjungi. Acceſſere jam ad Galaſum terreſtres Dani copiæ, ac fore ſperatur, ut brevi inter ipſum, Torſtenſonumque res decernatur. Koniſmarkius interea victricibus armis pergit propere, ut cum Tranſilvano in Moraviam irrupturo conferat vireis. Confirmari jam audio, quod penultimis litteris ſcripſeram de Parlamentariis Regis Angliæ juſſu ſuſpenſis, deque Cantuarienſi Archiepiſcopo Talionis pœnam jure metuente. Decretæ heic fuere diebus proximis quæ neceſſariæ impenſæ ſunt Vattenſi arci communiendæ, quando non illam Gaſſio, quod percrebuit, dimiſerat; ſed diſtulerat communiendi curam. Scripſit Campinius optimus ſolviſſe Brezeum Tolone Tarraconem verſus; utinam Ilerdæ jactura cum Urbis illius occupatione compenſetur. Vale, Principum optime, præſidium, ac decus meum dulce. poſtrid. Calendas Septemb. M. DC. XLIV.

E I D E M.

HAud injuria ſane tuo metuis Enguenio; ſcilicet periculum eſt, ne generoſus adeo cum ſit, periculis ſe plus æquo obiiciat. Quid facias tamen? Id in eum quadrat, quod noſti dictum de Cæſare: *Neſcia eſt virtus ſtare loco, ſolus eſt pudor non vivere; natus quocunque vocet mens acer, ac indomitus manum ferre, ferro nunquam parcere, ſucceſſus urgere, inſtare, quidquid obſtet, impellere; feciſſe ruina viam, gaudere.* Inaudiiſti nuper quid apud Friburgum; accipies quam-primum ut in expugnando Philippoburgo ſe geſſerit. Servet ipſum modo incolumem Deus. Ominatus fueram fore, ut ſi ille, exturbatis hoſtibus, in Bavariam irrumperet, tum Galaſus e Dania in Germaniam revocaretur. Nunc neſcio,

an

an extituaſcente, Imperatoremque implorante Bavaro, an Imperatore ipſo præſenticnte, ac metuente Palatinatui, Arcique ſamoſiſſimæ, an aliunde contigerit; ſed ferunt Galaſum revocatum fuiſſe. Addunt verò Torſtenſonum, re ex interceptis litteris perſpecta, illum ita præoccupaſſe, ut coactum confligere plane, prorſumque profligarit, & in Germaniam, Dania dimiſſa, victricia arma converterit. Id, ſi verum ſit [neque enim res habetur adbuc ſatis conſtans] Imperatoris res agitur, tempuſque eſt ſane, ut cogitet pacem. Bavaro jam exercitum Hasfeldianum conceſſerat; ſed erit profecto cur alio divertat. Enguenius interea potietur ſecurus, Deo bene propitio, Philoppopoli, ac perget toti illi regioni terrorem ereare oppido ingentem. Feruut Spirenſes expuliſſe, quod a Lotharingo habebant præſidiom, & ab Euguenio obtinuiſſe. Neſcias quid interea conſilii capturus Lotharingus ſit; adeo erunt illi deineeps pingula ſtativa parum tuta. Mitto uon eſſe propterea Danos liberos a Sveeorum metu. Nam præter relicta non-nulla a Torſtenſono præſidia, præterque Horni exercitum, ſupereſt ſemper ipſorum elaſſis, & jam quidem propter adjunctam hollandiesm ſormidabilior. Hæret Koniſmarkius in Saxonia, Torgavium vehementer urgens, dum Tranſilvanus præſtolatur in Hungaria exercitum ab Imperatore jam jam inſtauratum. Seribuot Taſii obſidionem proſpere ſemper ſuccedere, ae proximis diebus deditionem ſore. Rnunt ſemper in peius res Angli, Parlamentumque ſuſpendio demum multavit Viros oobileis, tametſi hactenus pepercit Archiepiſcopo Cantuarienſi. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis v. Eid. Septemb M DC. XLIV.

E I D E M.

ERit profecto, eur læteris, expugnatum fuiſſe ante dies ſex ab Enguenio Philippoburgum. Scilicet, cum maxima ſint quæ merito ex en ſperantur, neſcio tamen ſperari ne ſacinus illuſtrius, glorioſiuſque poſſit. Quippe dimidio vix amplius menſis potitus eſt Arce, quam Svecus, fulmen illod belli, vix anno obtinuit. Cumque ea jure haberetur Germaniæ propugnaculum, nihilque foret, neque nobis, neque hoſtibus hac obſidione inſperatius, obſtupeſeere omnino par eſt, & in audendo animum, & in exequendo diligeoriam, & in urgendo contumaciam, & iu potiundo felicitatem. Utcnnque ſane alia tam præelare geſta non ſuppeterent, tam egregia ſpolia relata uon forent; aliunde foret, ut ſalutari Germanicus, Imperatorque, & victor deberet. Enim verò cum iſthæc ſit futura tibi lætitiæ eauſa; quanta nam tamen Deum immortalem! moleſtiæ cauſa ſuberit, eum alterius illius tui laudatiſſimi Conſobrini Comitis Turnonii fatum innoteſcet! Is nempe fuit non injuria habitus tibi eariſſimus, quando & amantiſſimus tui, & ea omnino fuit Indole, qua eſſe generoſior, atque amabilior non potuit. An-noo verò ſolabitur, quod lieet in flore juventæ præreptus, conſummatæ tamen virtutis ſpecimina ediderit; & factis famam extenderit longe deinceps perennaturam. Ae dolendum quidem, eum ipſo occidiſſe illuſtrem adeo, totque ſæculorum familiam; ſed illi tameo obtingere glorioſius ſepulchrum non potuit; cum non poſſit ruinis illis, quas inter oecubuit, adeo fortiter, marmor ullum, aut elegautius, aut durabilius reperiri. Cogits interim, amabo, quam vere nuper ediſſeruerim, ſollicitus fruſtra eſſe homines de ſerie Nepotum perpetuo, longiſſime-ve producenda; quando vix ulla extat familia, cujus acta, mouumentaque monſtrari, quam bujus antiquiora valeant; & tamen cum ſuperſtes jam tot conſepultis aliis foret, ipſa quoque ſuum heic invenit fatum. Quid-ni verò? cum ea ſit rerum humanarum conditio, ut ob indeſinenteis motus iſti aſcendant, illi exſcendant, fiatque etiam temporis progreſſu, ut ex bubuleis Reges fiant, & bubulci ex Regibus? id autem qui contingeret, niſi aliqui intercciderent, ut alii exorirentur, ac niſi aliqui exorirentur, ut alii intercciderent? Sie verſat omnia viciſſitudo; & utcunque proſpera ſors aliquantiſper interdum conſtet, adverſa nihilominus in filiis, Nepotibus-ve ſerius, ocyus ſuas habet viees. Sed tu hæc omnia melius, qui es jam pridem omnia attentiſſime meditatus. Rerum novarum quid-nam adteram! cum hæc Philippopolitana ſit ex æquo cum pluribus; imo ſuo ſplendore ceteras prællinguat? magni momenti ſeenndum ipſam expugnatio eſt Taſii, quod ab Hollandis denique ante decem dies occupatum fuit. Non fuit Torſtenſonum inter, Galaſumque commiſſum prælium; ſed pergere ferunt utrumque, iſtum in Miſeniam, illum in Sileſiam. Incedit Torſtenſonus lentius, crediturque, eum illi ſe addidere Koniſmarkius debeat, magnum aliquid ab eo agitari. Alias de tuis litteris humaniſſimis, ae te dignis; funt enim jam iſta haud dubie plus æquo. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, XVI. Cal. Octob. M DC. XLIV.

E I D E M.

COmpertum quoque ex litteris optimi Campinii habeo, quod de tuis laboribus cum ipſo communibus ſeribis. Utinam finem det brevi Deus, ut quiete frui quietiſſima, qualem mereris tandem poſſis. Spes forte non eſt, ut ille in frugem ſe recipere, aut velit, aut valeat, qui mali cauſa, præter ſpem, præterque decorum iſtheic ſupervenit; ſed vertet omnia Deus in melius, neque aſpirante ejus numine ibunt res Aulæ ita turbatum, ut ſeditioſi voveat, jactantque. Nempe, quod momentum eſt viſum poſſe lancem deprimere, ſucceſſu rerum ſic temperatur, ut appareant deinceps omnia in æquilibrio conſtituta. Quam Tarraconis expugnationem aſſeverari heic audio, certa-ne ſit, tu melius noſti; de Santyaca res eſt dudum nota. Quandocunque illa continget [nam ſaltem babetur indubie futura] Odancurtius tanto majore cum fenore demetet gloriam, quanto non deſuere, qui probro illi verterint Ilerdam amiſſam. Enguenius interea, Tureonio dimiſſo cum millibus Equitum quatoor, & peditum tribus, Vormatiam in fidem recepit, ſperaturque fore, ut Moguntiam quoque, adverſus quam idem Turennius ſubinde conceſſit, recipiat; cum aliunde Bekus Bavari rogatu præſidiaria turma roboraſſet Francodalum. Enguenius, neſcio an Turennius, miſſo Tubatore, delerint ad unum octingentos equites, qui deduxerant pedites quadringentos. Tempetabuot iſta non-nihil geſtientem Imperatoris lætitiam, ob munera quædam a Turca, Moſcovitaque mutuo accepta, obque ſpem conditionum pacis, quas a Tranſilvano ſibi pollicetur. Qui eerte Miniſtri, legati-ve ejus Monaſterii ſunt non periode eſſe a pace alieni, ab

audita uſque Bavarorum profligatione perhibentur. Galaſus, murato conſilio, Albin trajecit non ſine magnis a Torſtenſono incommodis. Reſtitit verò & Torſtenſonus, ac dum præſtolatur Koniſmarkium, trajecit & ipſe; & vix a Galaſo dimidium, et ajunt, eſt diem. Ita verſaturi jam ſunt inter Albin & Viſurgim, regione ob Druſum, Varumque ſamoſa, duo inſignes exercitus; ſed neſcias, conflicturi-ne, quod imitatus Fabium Galaſus reſtituere rem cogitet cunctando. Vale, o decus Principum, vale o dulce decus meum. Pariſiis IX. Cal. Octob. M. DC. XLIV.

E I D E M.

RUti verſabar, optime Princeps, cum redditæ mihi tuæ litteræ amenum alioquin ſeceſſum ameniſſimum effecerunt. Suſpexit illas Præſes Molæus, cujus in villa prope Groboſium ſenos dies exegimus, & ſtudioſiſſimus librorum cum ſit, ſenſit ſe tanto tui exemplo fieri debere ſtudioſiorem. Redux in Urbem electum audio Cardinalem Pamphilium in Pontificem Maximum, ac ab eo aſſumptum Innocentii decimi nomen. Quo cum applauſo electio fuerit excepta in Aula, mihi incompertum; ipſe tu conjectabere. Dolendum prorſus obſidionem Tarraconenſem fuiſſe ſolutam; ſed nempe inde edocemur, quam vere dictum pridem ſit, nihil eſſe parte ab omni beatum. Aliunde quippe ſuccedunt ſemper proſperitate proſperrima, quæ Enguenius tuus agitat conſilia. Ecce enim accipio recepiſſe illum in fidem non modo Moguntiam, de qua ſpem nuper feceram, ſed etiam Crucinacum, Binghenium, Oppenhemium, aliaſque cum arceis, tum urbeis, quas inter non deſunt, qui Landavium numerent, cum alii dicant ſolum obſeſſum. Conſtantius perhibent Turennium obſidere Francodalum, arcem ſcilicet munitiſſimam, quæ unica, ſi expugnetur, eſſe operæ-pretium poſſit. Neſcio verum ne ſatis ſit, quod Electorem Moguntinum imploraſſe Regis tutelam, narratur; unum veriſimile eſt, fore, ut ſi res nobis conſtent, & Francodalo potiamur ante Hyemem, rerum germaniearum facies maximopere commutetur. Bavari nihil adhoc tentarunt; exercitum ægre cogentes, & Land-gravianis potiſſimum negotium faceſſentibus, ex quibus ajunt etiam quatuor millia ab Hecoins ad Enguenium miſſa. Ferunt Galaſum cum Cæſarianis, ſuperato Albi, tendere in Auſtriam, & Torſtenſonum cum millibus Equitum quatuordecim illum continuo inſectari. Cum rumor ſit fuiſſe pugnatum in Anglia, dicitur victoria a Rege ſtetiſſe; ſed circumſtantiarum circumfertur nihil; & cum ſcribatur ex Hollandia trajeciſſe inde Palatinum in Angliam, docebit nos dies, trajecerit-ne tanquam concordiæ arbiter, quod nonnulli interpretantur, an ut eligatur in Regni Vicarium, quod alii probabilius putant. Vale, optime Principum, vale o dulce decus meum. Pariſiis, prid. Cal. Octobr. M DC. XLIV.

Henrico Bornio, per-erudito, ac per-amico Juveni

PETRUS GASSENDUS S.

REddentur ecce, Rore dum redeo, litteræ tuæ ſuaviſſimæ ante dies XIX. datæ. Adeſt verò Martellus noſter, dum eas accipio, per-opportune, ut deſtinatas ad ſe habeat, verbulumque ſimul reſcribat. Nempe nihil aliud per tempus licet, quam raptim tibi ſignificare, litteras tuas redditas, ac reddere ſimul, dicereque paucis plurimam ſalutem. Aliàs, Deo bene volente, plura; nam etiam quod de Phyſica Carteſiana me rogitas, nihil eſſe poteſt, quod jam reſpondeam, cui illam viderem nondum contigit. Quippe nec proſtat adhuc venalis, nec Merſennus ejus exempli, quod per Veredarium obtinuit, copiam ante diſceſſum fecit. Neſcio alioqui de, an non poſſit videri nimis inurbanum, & e meo genio nimis alienum, pacatum diſſidium ultro renovare, & in librum, qui me ſpeciatim non attineat, inquirere. Utcunque ille jam in me non ſcriptis, ſed verbis inſultet; ac fuerit in iſto quoque opere, tacite, ut ais, me ſubnotaturus. Nimis me interim, & tu, & tot alii inſignes Viri, quos inſinuas, obſtringitis, cum me reputare eum dignamini, qui viri commenta retegere poſſim. Id ſcilicet affectui tribuo, certæ rei alioquin conſcius, ac non neſcius provinciam hanc ad vos longe potius ſpectare. Quamobrem & tibi, & illis gratias habeo quam-maximas. Tu & tibi habe, & cum iis partire, cumque ipſis vale. Pariſiis, Cal. Octobr. M DC. XLIV.

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

PErfudiſti ſane Neuræum, optime Princeps, inſigni gaudio, cum illum adeo humaniter, familiariterque excipiens, dignatus es quarundam tuarum elucubrationum ἀκροατὴν habere. Nempe illarum quaſi plenas litteras perſcripſit ad me, plenas profecto & ſtuporis, quo tuum ingenium ſuſpicit; & affectus, quo raram tuam bonitatem proſequitur; & lætitiæ, qua ſibi ipſi ob habitum abs te honorem gratulatus, vix temperat; & gratitudinis, quam non-modo coram, ſed etiam, ut vides, tam procul demonſtrat; & obſervantiæ, qua tot illuſtris excellentiæ notas in te veneratur. Id, quod miratur potiſſimum, tua illa ratiocinia ſunt in libros Nicomachios; & ſunt ea certe tuo delectu, tuoque ſtudio digniſſima; maximeque cum eò ſpectent, ut in exſerendis conſimilibus circa Politicos inſerviant. Videlicet notiones illæ de felicitate, de bono, de virtutibus, vitiiſque, de affectibus animi, quædam velut principia ſunt, ex quibus par eſt in publicis rebus adminiſtrandis philoſophari. Rerum novarum ut quidpiam addam, acceperamus jam Gaſſionem Arcem quandam denuo cepiſſe, & occupaſſe, profligaſſeque ſeſqui-mille Equites; ecce autem fama jam eſt, irruiſſe illum præterea in ſtationem hoſtium inſignem, quæ illis mire exturbatis cum ſarcinia

tota

tota ipſi ceſſerit. Expectamus, num ratum ſiat, quod proximis diebus percrebuit de capta ab Enguenio tuo Urbe, Arceque Heidelbergenſi; atque inceſſu in Bavaros, ſi qua provocari in certamen poſſint. Sunt, qui ferant illum ab expeditione in Aulam brevi rediturum; ſed neſcio, an ea ipſi mens, præſertimque, ſi cordi ſit, ut eſſe debet, pacta tueri. Siquidem ajunt Bavaros, Hasfeldianoſque in eo eſſe, ut cum primum Bekus, Lotharinguſque acceſſerint, aut Enguenii fortunam ſiſtant, aut etiam, quantum dabitur, eò, unde dejecti fuere, reſtituantur. Incedunt ſemper Cæſarei, Svecique per Germaniam. In Hungaria autem ferunt, Tranſylvanum, de concordia dum agitur, detrimenti neſcio quid paſſum. Diſceſſit Hollandica claſſis ex Balthico Mari in Germanicum; Danica verò, & Svecica, quaſi conflictura, in alto conſiſtunt. Fuit nuper, ut audio, in Anglia non tam commiſſum prælium, quam actus in fugam Parlamentarius Equitatus, factaque, armis poſitis, peditatus deditio; ſic tamen, ut aliqui fuerint Regiis turmis accenſiti; ceteri, qui prætulerint abire inermes, dimiſſi. Scribunt Palatinum ſic fuiſſe exceptum a Parlamentariis, ut laudatis curam, atque comprobatis Parlamenti conſiliis, decreta ipſi penſio fuerit, qua illeic degat non indecore. Vale, optime Principum, vale, o dulce decus meum. Pariſiis Non. Octobr. M. DC XLIV.

E I D E M.

PRæter litteras, quas dare ad me IV. Nonas dignatus es, accepi etiam alias, quas dederas V. Calendas. Eæ ſunt, quibus adeo conſtanter de cariſſimi Capitis Comitis Turnonii interitu philoſopharis. Hoc verò ſane eſt animum ita habere comparatum, ut fortunæ, quod ille ait, mandare laqueum liceat. Qui nempe ejus luſus novit, & proviſis caſibus variis, quibus ſolet impetere, animum firmavit, ac apud ſe ſtatuit fortiter illos qualeſcumque occurrerint, excipere, is eſt, quem cubo inſidentem fortuna exagitet fruſtra. Is eſt, qui dum volens, fata ſequitur, trahi ſe invitum ab illis non ſinit; dicique adeo poteſt inexorabile fatum ſubjeciſſe pedibus; quando illud jam, ut quidpiam impendens, horrendumque non extimeſcit. De gloria, quæ ratiocinaris, ejuſmodi profectò ſunt, ut dici nihil poſſe videatur præclarius; cum enim ejus appetitus innatus hominibus ſit, non tam eſt conandum, ut eradicetur ex illorum mentibus, quam opera danda, ut ad ea ſolum, quæ ſunt honeſta, convertatur. Illud ſcilicet foret attentare rem factu impoſſibilem, & cui tacite illi etiam, qui acrius in ipſam invehi videntur, teſtimonium dicunt. Iſtud eſt rem ἀδιάφορον in legitimum dirigere uſum, & de hominum, in qua vivitur ſocietate, bene mereri. Id peregregium interim eſt, quod poſitam omnem in hominum memoria gloriam eſſe caducam reputas; eſt enim revera tempus rerum edax, & quod illius refugit dentem per aliquot paucas chiliadas annorum, per myriadas certe non effugiet. Egregium & illud, quod conſequitur, rei ſaltem ſtudendum eſſe, qua durabilior nulla ſit; quippe nihil eſt magis ſecundum naturam, quam id bonum eligere, quod gradum præcipuum in multis obtineat. Litteris poſterioribus cetera quidem omnia digna tua ſagacitate ſunt; ſed nihil, ut puto, veroſimilius, quam proſperos hoſce ſucceſſus eliminare pacis ſpem; qui nimirum ſunt, Hiſpanorum mores. Adde verò quæ geſta nuper ad Ilerdam, Tarraconemque; exinde enim obiicient non recuperandæ modo totius Provinciæ ſpem factam, ſed & hunc fore quaſi gradum, quo evecti & Luſitanum ex uſurpato ſolio deiiciant; & tot, tamque variis in locis amiſſas Arces recipiant; & in nos demum, quos ſperant ſemper aut exhauriendos peculio, aut factionibus turbandos, graſſentur. Ex iis, quæ nuper ſcripſeram, obſeſſum quidem fuerat Laudavium, quod & fuit demum expugnatum; at non item verò perinde Francandalia (ita nominat, non Francodalum, qui inde ad me litteras Diſembergienſis Abbas dedit) Urget continenter Galaſum Torſtenſonus; & cum non parum illi negotii ad Salam fluvium fecerit, perhibetur, ipſo prope Magdeburgum relicto, in Bavariam cum Equitatu ſane ingenti irrupturus. Tranſiit per hanc Urbem diebus proximis rediens in Hiſpaniam Meloſius. Tutius-ne illi forſitan foret in Luſitaniam appellere, quæ maneant illum fata monſtrabunt. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, prid. Eid. Octobr. M. DC. XLIV.

Subverentur Concives mei, ne Pedemontanæ illæ copiæ hyematum in Provinciam redeant; unde & te exorem inſtaut, ut te miſereat Regiunculæ, quam major vis miſeram fecit. Mihi vel ſemel idipſum tibi ſubinſinuaſſe abunde eſt.

Erudito, & Amico Juveni, Abrahamo Prateo

PETRUS GASSENDUS S.

EXardeſcit nimium tuus in me amor, dum quaſi ſatis explicare pro votis affectum non valeas, in laudes erumpis, quibus prægraver, tanquam meritis longiſſime impar. Unum, quod agnoſco in me propenſiſſima eſt voluntas, qua non potui te, ex quo mihi perſpecta tua indoles fuit, non amantiſſime complecti. Quippe tua iſta lenitas morum, & cum eruditione conjuncta modeſtia fecere te amabilem; candor verò, ardorque ille, quo amori me abs te ſenſi, inſigni fervore pectus animarunt. Magnopere gaudeo, incubuiſſe te interpretando operi, cui præbere lucem non poſſis, quin ab eo ipſe inclareſcas. Præclarum Vallæum mei meminiſſe ſua illa in epiſtola humanitatis fuit ſingularis. Quod rogas autem, ut ſi quid habeam ad corroborandam ſententiam, a qua ille ſe non ſtare inſinuet, perſcribere velim ad te, non eſt ſane quorſum quid a me expectes. Agnoſcere ſcilicet potes me non tam ſententiam dixiſſe, quam obſervationem navaſſe, & ea quidem mente, ut non propterea voluerim quidquam ullam in partem præjudicatum. Hoc inculcare duntaxat poſſum, commeminiſſe probe me, tranſadacta Payani manu per ſeptum cordis ſpathola, obtuſiuſculo veſpicillo, animadverſum fuiſſe cum ab aliis, tum aba me curioſius ſpectante, nihil dilaceratum, aut effractum fuiſſe (poſtquam ille, cauſantibus nobis, ſecari juſſit ſeptum ſecundum, & ad uſque ſpatholam), ſed ſpatholam fuiſſe traductam per fluxuoſum quidem, ſed unitiſſimum tamen, politiſſimumque, non autem cruentum, ulla-ve ratione diſceptom meatom. Cumque id reperam, abſom tamen, ot vel notumem ſimileis meatus in

in omni corde reperiri, quandoquidem non modo Fluddus (Harveo etiam non inconſulto) ſcripſit eos non fuiſſe obſervatos in eliis; & deſcriptum illum a me eſſe potuiſſe ex ſpeciali illius cordis diſpoſitione; ſed etiam præclarus Vallæus ſcripſit in illa epiſtola, telela meatus, niſi fiant tentante mano, non reperiri; vel idcirco ſtatim edmittam mero ex caſu contigiſſe, ut illi reperti a Payano fuerint; ac volo rem ſolum ut nudam, meramque hiſtoriam a me recitatam. Rogas rurſus, ut ſi quidquam babeam de meatu Cholidocho, per quem noſti a me deductum ex ſtomacho in jecur chylum, priuſquam detectæ lacteæ venæ fuerint, id jam tecum communicem. Sed nempe nihil babeo, niſi quod inſerui in meditationes meas phyſicea; & curæ, quibus jam diſtineor, otii ſatis non faciunt, ut id pro votis exſeribere, tranſmittereque ad te poſſim. Cogitevi autem adverſaria mea, ſi res forte urgeat, Marcello noſtro committere, ut tum id exſeribat (faciet enim volens) tum etiem illud, quod ſequitur de ſenguinis circulatione. Videlicet, ut quædam monuo adverſus venas lacteas, uſum-ve ipſis attributum; ita cauſſs commemoro, ob quas fieri poſſit, ut quis longe minus illam ſanguinis circuitionem probet. Paucis ut dicam, nihil eſt, quod tibi de me, ſi modo quid poſſim, polliceti jure non debeas. Clariſſimis Medicis, Sponio, Guillemino, & plurimam reſcro ſalutem. Tu & bene vale, & me ſemper ama. Pariſiis, prid. Eid. Octobr. M. DC. XLIV.

Viro Clariſſimo, ſapientiſſimoque Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Palæopoleus Scabino

PETRUS GASSENDUS S.

NOn multum eſt, ex quo accepi litteras tuas ſuaviſſimas ſub Junii finem Dantiſci datas. Suaviſſimas dico, tum propter ſincerum, quem erge me ſpirant, affectum; tum propter adjuncta ipſis pignora merito mihi cara habenda. Accepi verò tempori ſatis, ut cum Bullialdo communicarem, quas Eclipſeon obſervationes impertiri dignetos es, tum e te peractas, tum e ceteris magnis illis Viris, una cum datarum ad te litterarum exemplo illo, in quo præclarus Linemannus comparationem Meridianorum juxta obſervare inſtituit. Scilicet ille, nundum perductis ed umbilicum tabulis, habuit unde obſervationes ſuum in locum inſerere, & veſtra illa loca plenius cum hiſce noſtris conferre poſſet. Mira aliunde lætitia, quas Phaſeon Lunarium Icones una tranſmiſiſti ſum exoſculatus; ſiquidem non potui non valde mirari, & oculi tui in obſervando perſpicaciam, & manus tuæ in penicillo, cæloque tractando induſtriam. Nam & cum ſit in te præteree tum affectus ad exequendum, tum conſtantia ad inſiſtendum, tum diligentia ad explorandum, ſunt in te uno ex dotes, quæ vix in alio ullo ſint unquam; quæque, niſi concurrant, fruſtra perfectio operis difficillimi expectetur. Etenim ſat novi, quod tu inſinuaſti, neminem intelligere, quanti id ſit laboris poſſe, niſi manum admoverit, præſtsreque quidpiam ipſemet tentarit.

Videris porrò titulo cujuslibet Phaſeos apponere, tempus debere, quo obſervata fuerit; v. c., anno 1644. die Aprilis 10. hora 8. e meridie, & hora 16. diei 4. a conjunctione. Quia enim quotics idem tempus a conjunctione eſt rediturum, non eadem Phaſis futura eſt, ſed umbræ ſectio oblique ſacta promovebit cuſpidem Boream, reducet Auſtrinam; vel promovebit Auſtrinam, & reducet Boream; ſicque parteis quaſdam tectas reteget, & retectas teget; neque proinde maculæ eædem apparebunt amplius in eodem lucis, umbræque confinio, quod aliunde magis, minuſve diſtabit a limbo, prout libratio illa Lunæ magis, minus-ve partem illuſtrem, viſemque e Terra, aut ampliabit, aut contrahet; idcirco fieri poterit, ut qui Lunam contemplabuntur, & cum Phaſibus tuis conferent, aut exiſtiment fuiſſe te quadantenus hallucinatum, aut non edjuventur ad intelligendum librationis tempus, ac periodos, quibus eædem Phaſes fuerint expectandæ. Quod ſupereſt, nemo te melius dijudicare valeat, ſit-ne, exempli gratia, macula illa, quam *Caſpiam* nominitare ſolco, tantillum æquo nigricantior; & debeet-ne pingi ejus circumductus paulo laceratior, ac ſurſum, deorſumque non proinde obtuſus? Univerſe certe videretur mihi & ſectionis umbræ, & macularum ſaltem majuſcularum linea exhibendus inæquabilior; idque præſtari forſen poſſet non prorſus infelicìter, ſi æs non ſcalpello, ſed aqua forti excavaretur. Prætereo autem in Phaſibus primorum illorum dierum videri frequenter, quantum memini, ultre Auſtrinam cuſpidem, ac in ipſo limbo, duo, aut trie quædam lucida puncta non parum diſſita ab ipſa, & a ſe quoque invicem, quaſi editos vertices vaſtis vallibus interceptos; verum non fuere illa forte in iis umbræ ſectionibus e te exhibitis conſpicua. Quanquam iſthæc ego ſolum attingo, ne cum ipſe petieris, ut ſi quid mihi videretur notatu dignum, ſignificarem, deſiderare poſſis candorem; elioquin enim tu potior judex, cui ipſe omnia conceſſerim.

Quod de Campanella reſcire peroptas, ſabula eſt mera. Ille neque de Teleſcopio conficiendo cogitavit unquam, neque unquam rerum cœleſtium obſervandarum ſtudioſus fuit. Circiter id tempus, quo rem inaudiſti, perſcriptum ad nos fuit ex Italie Neapolitanum quendam nomine *Foetaeam* adinveniſſe Teleſcopium, quod babita catenus omnia, ut canelis prolixitate, lentiumque amplitudine, ita objectorum adauctu, admonitioneque longe ſuperaret. Afferebatur in exemplum grandeſcere per ipſum Lunam, quantum *Platea*, ut vocant, *magna* Urbis Neapoleos grandis eſt; itemque Saturnum ovali forma ſic conſpici, ut binc inde e medio, ac verſus extrema perforatus eſſet, Cœlumque & Stellæ præter foramen, viderentur; Martis diſcum talem ſpectari, ut poſſet in uno ejus latere mons quidam diſcerni; Jovem non modo Satellites jam notos circumvehere, ſed etiam præ ſe quaſi ferre quandam trabem, aut ſaſciem, ceteraque hujuſmodi. Et quia contigit Campanellam hiſce de rebus aliquando coram quibuſdam rerum Cœleſtium inanibus differere, factum eſt, ut ſeu ipſe ſibi ejus Teleſcopii inventionem tribuerit, ſeu alii ex ipſius verbis interpretati ſic fuerint, ſeu ob quæſitum Viro nomen, rem ad illum retulerint, ipſeque non prorſus ebnuerit, factum eſt, inquam, ut pervulgata exinde fama fuerit de invento a Campanelle hujuſcemodi Teleſcopio, deque rebus ab ipſo viſis, ſed cum im-

muta-

Digitized by Google

mutatione quadam, ut uſurpatæ *Plateæ Regiæ, ſive Pariſinæ*, pro Neapolitana. Neque id modo, ſed & quia ille rogatos de cauſa inſignis æſtus, ſiccitatiſque, quæ per id tempus neſcio quid de Solis ad Terram acceſſu protolit in medium; ideo ſeu revera cnumciaverit [ac forte quoque ſenſerit] eccentricitatem Solis valde imminutam ab annis ſuperioribus, Solemque adeo ultra quadragena leucarom millia Terris admotum, ſeu illi, qui ex ejus ore verba exceperont, ſic acceperint, id ſic elatum in vulgus fuit, ot rerum ignari pro eetto habuerint deſcendiſſe admodum verſus Terram Solem, quo uſque frigora, ac pluviæ annorum conſequentium fidem fecerunt, aut remanſiſſe, aot reſtitutum fuiſſe Solem in ſuum locum.

Rogas ſuhinde, noverim-ne, an Teleſcopium ex ſphærica, an ex hyperbolica ſectione fuerit, præparatum; ſed fateor id mihi eſſe iocompertom, qui Teleſcopium minime vidi; utcunque inaudierim, cum uſurpatum Florentiæ fuerit, comprobaſſe illeic Viros eruditos inſolitum nihil ipſo demonſtrari, ſed ea ſolum, quæ videntur per Teleſcopia cetera, aliquanto majora ſimol, diſtinctioraque apparere. Interim autem ſuſpicor ſectionem eſſe ſphæricam, atque idcirco a ceteris magnitudioe, non ſpecie differre. Nempe quotquot novi induſtrios, ſolerteiſque viros hactenus conatos conficere vitra hyperbolica, operam plane perdiderunt; & qui præcellit ceteris, machinaſque nullas non commentus eſt, peraffabreque elaboravit Vir oppido, ot ſanguine, ita animo nobilis Daniel Auberios Maurerios, eò tandem pervenit, ot agnoverit, faterique Carteſiom hac tranſeuntem coëgerit, fieri non poſſe, ot exquiſita hyperboles forma per compoſitos quoslibet motus incidatur, quoniam orgaoum inciforiom ita inæquabiliter agit, ot una ſoi parte in unam; alia in octo parteis urgeator. Et, qoia is mibi eſt per-amicus, ideo poſtquam ipſum admonui, quid tua illa, & a teipſo elaborata vitra præſtarent; tum obſtupoit, tum me rogavit exorarem te, ut ſignificares alia-ne eſſet, & quænam forma, præter ſphæricam, uſurpata. Ego vero recepi qoidem me id perſcripturum ad te; ſed abſit tamen, ot exigam, ſi vel nimirum fuerit grave; qui ſic alioqoin ſom comparatus, ut nihilo ſim minus obſtrictus futurus, ſi certo forte conſilio rem nolueris communicatam. Id ſolum audeo mihi de tua benevolentia polliceri, ut tranſmittere digneris ad me tuorum illorum vitrorum par, quo rem experiri mirabilem liceat. Fixarum nempe deradiationem, diſcumqoe ſimul majoſculom, quem ipſe habui hactenus, etiam minorem, quam Galilæus. Si facias, noſti vitra eſſe tabellulis ligneis probe communienda; & aot faſciculi litterarum forma per Veredariom, aot libelli, per mercatorem deſtinanda eſſe ad Bibliopolam *Cramoiſium*, cujus ioterventu ea ſim accepturus. Vides quam agam tecum fidenter; ſed videlicet, ot peropto agere te mecum, ſi qoid forte ſit, qood ex me, bona mea forte, velis. Animos autem addit munus præclarum, quo me beare oltro dignaris, librom mittens futurum mihi merito jure cariſſimom, & tui caoſâ, & Auctoris, eximii ſcilicet Eichſtadii, quem velim per te ſic reſalutatum, ot intelligat eſſe neminem, a quo majore cum affectu & veneratione colatur.

Salutat porrò Bullialdus qooque pleno pectore te, & illum, exoptatque, quod ego prior, ut plurimam etiam ſalutem præclaro Linnemanno dicas. Quod is Maſſiliæ tribuerit, quam Eclipſeos obſervationem ipſe per-egi Aquis-Sextiis, non multum ſane intereſt; quoniam Maſſilia non eſt vel uno minuto horæ integro Aquis-Sextiis occidentalior. Cum nihil inaudiiſſem de libris, quos a claris Viris Gaulmino, Gaſſatelloque editos litteræ tuæ inſinuarunt, Auctores ipſos quæſii, ſi illos prælo jam commiſiſſent; pernegavit verò uterque, ac ſolum ſpem aliqoam fecit fore ut brevi committeret. Quod ſupereſt verò prodire nihil novi in re litteraria, quod ſcire te juvet; expectoque ſolum, donec memoratæ evulgentur tabulæ, ot ad te tranſmittam illarum exemplum. Incidit mihi caſu in manus typus quinque phaſeoo Lunatiom, quas ante annos 18. quidam Antonios Faber (Vir alioquin induſtrios) cælari, excudique curavit. Illas proinde bic adjungam eo ſolom fine, ut, ſi libuerit, profitearis quantom huc-uſque in vera Lunæ repræſentatione aberratum ſit; utcunque eò poſt Galilæum non-nulli adhibuerint coram. Adjungam verò etiam ſchema delineationis primariæ, quod ego incidi æri procuraram, ot partium ſitu, proportioneqoe, quanta fieri potuerat, accuratione præſignatis, phaſes deinde ſingulæ ad id relatæ conformarentur. Magnom id compendium, ac neſcio, tu-ne præpararis quidpiam ſimile: qooniam video maculas quaſdam, ut duas illas longiuſculas, quæ inter Caſpiam, ac limbum ſont, non fuiſſe eodem ſitu a te in utraque phaſi notatas. Tu quidqoid id eſt, boni conſule, ac eo affectu, quo ſincerior eſſe non poſſit, traditum habe. Vale, Vir præclariſſime, meque porrò amare perge. Pariſiis Eid. Octob. M. DC. XLIV.

Excidebat quod admonet, Stellam, quam ante dues annos, & die 2. Septembris obſervaram ad ortum Jovis, diſtantem ab ipſo diametris ejus XI. *Fixam fuiſſe non Mediceam, id deberi ſedulitati, qua in Cælum intentus es. Nempe id potuiſſe intelligere ex obſervationibus a te crebrius antecedenter, conſequenterque repetitis, tum me etiam facere cautiorem potuerit dies 7. qua rurſus Stellam in eodem prope ad Jovem poſitu conſpexi [diſtitit ſcilicet ab eo 10. diametris] quippe cum ea eſſe potuerit, quæ die 2. diſtiterat duabus, ac ſemiſſe duntaxat. Vale iterum.*

Admodum Reverendo, ampliſſimoque Viro; D. Joanni Caramueli, Lobkovvitzio, Abbati Diſembergenſi

PETRUS GASSENDUS S.

ACcipio ecce litteras tuas decimo Septembris Francandaliæ datas, ac doleo ſimul datas a me, etiam a Menſe Junio, ad te uſque non perveniſſe. Deſtinaram illas ex tuo præſcripto Cruciniacum; & ut poſſent tutius tranſmitti, credideram ipſas Equiti illuſtri, quicom Langerenus agere per litteras ſolet; pollicito nempe, perſcripturum ſe ad nobilem feminam, coi Veredariorum Bruxellenſium cura, ut ſtodioſe ſatagerer, earum ad te tranſmittendarum. Feceram ſatis tuis votis, qoantum quidum fuerat in me (qui ſcilicet Avenionenſis, non pariſienſis Theologus ſum, ut de alma hac facultate quantum ipſius alumni norim) ægreque jam habeo, fruſtratum te fuiſſe meo qualicunque

cunque officio, te me idcirco erga te videri poſſe indiligentem. Et vereor quidem ne litteræ (quibuſcum fuere aliquæ etiam ab optimo Merſenno datæ penitus interciderint; verum non propterea factum repeto; ſed præſtare duco paucos hoſce verſus exarare, & Langereno commendatos facere, ut ſi forte iſthuc penetrare valeant, qua de re eſt ut ambigam, certus reddaris habuiſſe me tuas utraſque litteras Cruciniaci, & Spiræ datas; ac ſimul monearis non incongruum fore, ſi amicum quempiam Bruxellæ, alibi-ve indigites, qui & litteras habere a me, & ad te transdere tuto poſſit. Id ſane ubi præſtiteris, ac ſimul innueris, necdum a te fuiſſe litteras meas recuperatas; tum iterato eadem conſcribam, numerum ſcilicet Auctorum, qualeis expetis, adauctiorem; ac ſententiam quoque de laudabili circa oſcillationes, diametroſque Planetarum conxtu. Vale interea, & ſalvus ſemper ex mediis hiſce turbis emerge. Pariſiis, Eidib. Octobris M. DC. XLIV.

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

PEr-egregie ſane diſtinguis inter quietem, & otium, quando comparare te licet cum Gubernatore, qui ut verbis dicam M Tullii, *clavum tenens ſedet in puppi. Non facit ea, quæ juvenes; at multo majora, & meliora facit.* Utinam ventus adeo ſecundus tuum conſpiret in regimen, ut feliciter in quem tendis tranquillitatis portum pervenias. Effíciere ſatis ab aliis de Enguenii reditu certior. Rediit & parens ejus in Aulam, quæ ipſa eſt per hoſce dies tota in procinctu, ut repetat Urbem. Rumor eſt non levis Galaſum fuiſſe tandem a Torſtenſono ad decernendum prælium compulſum; ac peditatu profligato, fugatiſque Equitibus, machinas belli, ſarcinamque penitus omnem amiſiſſe. Id ſi verum ſit [quod profecto difficile creditu eſt, perſpecta Galaſi ſagacitate, & providentia, eaque caſtrorum metatione, quæ fuerat, Sala ſuperato, opportuniſſime deleta] actum propemodum de rebus Imperatoris videri poteſt. Nihil certe poteſt obeſſe, quominus Torſtenſonus pergat ſecurus in Bavariam, eamque ut Daniam depredetur; neſcioque an-non Bavarus id forte præſentiens nuncium miſerit, qui Regem quæſit de neutrali ſtatu Is videtur ſaltem quas habet ad Rhenum copias evocaturus; quare & relictus ab Enguenio, Turennius non-modo nihil quæſitis metuet, ſed etiam ad aliquid amplius tentandum animabitur. Ferunt eum nuper ita irruiſſe in Equitatum Francandalianum, qui neſcio quorſum prodierat, ut ne nuncius quidem, qui poſſet factum narrare, fuerit ſuperſtes. Gaſſio aliunde ita excurrit, graſſaturque per Flandriam, ut, ſi Piculomineo nihil animi relictum foret. Nihil fere minus laborant Dani ob Svecos relictos cum Urangelo, quam dum totus exercitus cum Torſtenſono impenderet. Excitatæ recens in Scotia ſunt turbæ adverſus ordinem Nobilium, qui a Rege conſtiterant; Rexque interim non neglecta proſperi ſucceſſus, de quo nuper ſcripſi, occaſione, obſidet Plimuthum. Eo ſi potiatur, magna fiet ad vireis ipſius acceſſio, jam enim ſaltem poterit Maris dominium controverti. De Catalonia quod memorant, reſcire ipſe præclarius potes. Vale Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis XII. Calend. Novemb. M. DC. XLIV.

E I D E M.

QUod dignatus es optimi Merſenni ad te appulſum ſignificare, mihi oppido quam jucundum fuit. Facile nempe intellexi quanta tu lætitia perfuſus Virum exceperis, tam bonum, tam doctum, tam tui obſervantem; quanta ille quoque Principem convenerit, tam humanum, tam eruditum, tam & cognoſcentem, & amantem ſui. Animo jam conceperam fore, ut Maſſiliam ſub tempus Comitiorum concederes; quoniam tametſi non ignorabam eſſe in te, ut mero nutu, ac ſine Comitiis Conſules creares; augurabar tamen te ea bonitate auctoritatem temperaturum, ut ſi modo Cives meliora ſuadenti morem gererent, patereris ultro rem geri pro more. Non nequidquam interim notas vix fuiſſe olim Purpuram Romæ ambitu majore petitam, quam expetatur jam in Urbe, quæ illi Orbis capiti federe juncta fuerit; quippe homines, & ubivis gentium, & omni ævo homines ſunt, & cum varia ſint, quæ in ipſis pro variis conditionibus paſſiones efficiunt, ipſæ tamen interim paſſiones eædem, pares ve in omnibus ſunt; cum neque Rex, amiſſa Provincia, turbetur magis, quam ruſticus, amiſſo prædiolo; neque major in illo ſit iræ vehementia, dum indicit bellum, quam iſti dum intendit litem. Et habes certe ipſe jam in Provinciæ exempla multa, ex quibus ſit promptum intelligere, ſuum cuique Oppidum Romam eſſe; neminemque eorum, qui primas in unoquoque ambiunt, ſecus eſſe, quam Marium, aut Sullam, animo affectum. Rerum novarum ut quid attexam, ferunt Turennium Philippoburgo diſceſſiſſe Spiram, Wormatiam, Oppenhemium, & Francandaliæ imminere. Interim autem Bavari recepere Manhemium, ac præſidium interfecerunt trecentorum militum, ipſeque Roſa ægre evaſit, trajecitque lembo cis Rhenum. Falſum conſtat fuiſſe rumorem, qui tam opere percrebuerat de Cæſarianis profligatis. Ii conſtant ſemper ad Berneburgum, præſtolanturque Saxones, qui ubi ſemel acceſſerint, perhibent prælium a Galaſo detrectatum non amplius iri. Quanquam ferunt etiam Torſtenſonum ſic collocaſſe copias, ut neque Saxones, quin prius dimicent, accedere poſſint; neque Cæſariani, qui prius certamen ineant, diſcedere. Res ſemper Danos inter, & Svecos verſantur in ancipiti; ſpeſque eſt non levis, ut Tuillerio intercedente, componantur. Id memoratu interim dignum, conſtare ſemper Regem illius virtute, & canis venerabilem, infracto prorſus animo; ac adeſſe coram exercitui adverſus Hornium comparato; inque eo eſſe videri, ut oſtendat quam glorioſum ſit Imperatorem ſtantem mori. Anglum victoria illa ſua indiligenter uti ſcribunt. Addunt Vallerum ipſi inſtare, Eſſexium reparare vireis, Novocaſtri expugnationem paucos intra dies ſperari; ceptam interea neſcio quam aliam magni momenti obſidionem. Irlandos, qui in Scotiam irruperant, prorſus deletos; ac plura ejuſcemodi. Tu o Principum optime, & meum dulce decus, vale. Pariſiis, V. Calend. Novembr. M DC. XLIV.

EIDEM.

Digitized by Google

E I D E M.

SPero proxima occaſione accipere negotia illa, quæ affecta ſubindicas, confecta feliciter fuiſſe. O te felicem interea, qui potes in mediis hiſce fluctibus adeò tranquille philoſophari! Fidem certe uberem facis definitioni Platonicæ, qua Philoſophia dicitur eſſe exercitatio, ſeu meditatio mortis. Nempe hoc eſt ipſum, quod eximie præſtas, cum de hujuſmodi argumento ea & meditaris, & ſcribis, quibus non video præclariora, neque Socrati, neque Senecæ veniſſe in mentem. Perge modo, optime Princeps; neque enim hæ cogitationes vitæ jucunditatem turbant, ut ſibi vulgus hominum fingit; ſed eam tranquillitatem pariunt, ut exinde Vir Sapiens ſummum nec metuat diem, nec optet; verum patienter ipſum expectet, & curam factum ultrò excipiat. Scilicet memor frugalitatis nihil affectat præter fas; & vitam non prolixitate, ſed honeſtate metiens, ipſam moriendi neceſſitatem præſtito aſſenſu delinit. Agnoſcit hanc vitæ uſuram fuiſſe ſibi gratis conceſſam; quare & quantacumque eſt, ipſam in lucrum deputat; eaque fruitur, ut convivio, a quo invitus recedere, ut quieti ſe dedat, non debeat. Verum tu iſta longe melius; adnoto ſolum, ut mora ſui, illuſtribus ſemper exemplis nos moneat. Ecce nimirum inaudiimus obiiſſe Reginam Hiſpaniæ; quod etiam par eſt te jam accepiſſe. Ferunt Regem cum duabus horis ab ipſius obitu Madritum accederet, gravi morbo correptum fuiſſe. De Regina Angliæ, quæ eſt in hanc Urbem cras excipienda, vulgare eſt laborare ipſam hectico affectu. Lotharingiæ Dux ægrotare periculoſe dicitur, ac ingenteis interea querimonias profundere adverſus Duces Cæſarianos. An addam verò, ne quidpiam rerum novarum non communicem, ipſas ejus copias ad Moſellam conſiſtere, & Turennium ſemper circum Francandaliam verſari. Communiunt Bavari Menhemium, intereaque Haſſiaci Urbem neſcio quam obſident. Galaſus adnixus eſt fruſtra ſe Magdeburgum recipere; fruſtra accipere novas vireis; quippe proprio Caſtrametatu inter-fluviali quaſi obſeſſus, ac Torſtenſono non permittente, aut ipſi exceſſum, aut aliis acceſſum. In Baltico Mari nihil adhuc tentatum; & cum Danus perhibeatur Bredemburgum recepiſſe, fertur tamen neſcio quam gravem paſſus jacturam in Nurvegia; capto, abductoque Gottemburgum Pro-Rege. Ex Anglia nihil dignum memoratu habeo. Ex Flandria id ſolum, quod Piccolomineus de recuperanda Vattenſi Arce cogitat, illeque præſidiu, commeatuque Audomaropolim immittendo. Vale, Principum optime, vale o meum decus dulce. Pariſiis prid. Calend. Novemb. M. DC. XLIV.

Redit ecce ad te Bervilla, valetudine proſpera, ac ſemper tuo illo cordato, ſinceroque affectu dignus. Inviſens me proximis diebus Nobilis ille Turrium Baro, dici non poteſt quanta ſe teneri tui obſervantia fuerit conteſtatus.

Admodum Reverendo, Clariſſimoque Viro D. Godefrido VVendelino, Paſtori Hercano, Condatenſi Canonico

PETRUS GASSENDUS S.

DElectarunt ſummopere, quas repetito dare ad me [etſi priores non habui] ſuperiore menſe litteras voluiſti. Ex iis nimirum addidici, & valere te, quod præcipuum votum; & tradi abs te oblivioni tuas illas delicias non poſſe. Beabis profectò, & me, & poſteros rerum iſtarum ſtudioſos, Eclipſeis evulgans, quas commemoras; ipſeque lætor interea, quod adſtrui illis aſſeris præclararum tuarum Tabularum fidem. De illis a me obſervatis nihil aliud, quam fidem deſcriptionis ſpondeo; cum eſſe poſſit in me induſtriæ, at non voluntatis defectus. Ad tempora quod attinet, ſcito illa fuiſſe a me methodo eadem ſemper captata. Solitus ſum quippe ea ſemper venari ex altitudinibus Syderum, non quemadmodum ipſe conicis azimuthali ullo, ſeſſili-ve quadrante, ſed ſuſpenſo potius, & eo quidem modo, ut clavus ad centrum gravitatis quadrate infixus, & intra fulcrum teres liberam ipſi verticalem circumductionem faciat, ac ipſum-met interea fulcrum parte ſuperiore intra inferiorem verſatile liberam faciat horizontalem. Hac proinde ratione non cohæret amuſſis, perpendiculum-ve ad latus quadrantis, ſed ab infixo ad centrum cilindrulo libere, proximeque faciem quadrantis dependens, ac ſupra eandem leviter pulſans, ſecat, demonſtratque in arcu gradus, & minuta, prout pinnacidia alteri laterum applicita diriguntur in Aſtrum. Cum verò aliunde, quam-maxime licet, Aſtrum deligam non in ſitu humili nimis [metu ſcilicet refractionis] neque, aut in nimis ſublimi, aut nimis prope Meridianum (quippe veritus, ne aſcenſus, deſcenſus-ve tarditas moræ diſcretionem non ſatis pro voto ſenſibilem faciat) ſed in ſitu mediocri, & ad Ortum quidem, Occaſum ve, cum aſcenſus, aut deſcenſus intra minutum temporis admodum ſenſibiliter, obſervabiliterque variatur; non video ſane qui poſſit tempus methodo ulla, ut ſimpliciore, ita tutiore obtineri. Quæ certe obſervatio hac ratione peragitur, ſolam inſtrumenti elaborationem, obſervationiſque attentionem ſupponit. Quæ verò aliis, multa præterea, in quibus peccare nihil eſt proclivius. Nimirum inter cetera, uſus quadrantis Azimuthalis, tum libellatam ſupponit planitiem, tum cohæſionem ad Meridianam lineam, tum hanc eandem lineam probe adinventam, tum alia, quæ cujus ſint molis, teſtari ſoli experti poſſunt. Sic tua illa ad quampiam turrim procul poſitam collineatio ſupponit, & eandem Meridianam lineam, & ſitum faciei, anguli-ve turris omninò perpendicularem, & oculi conſtitutionem in ipſo Meridiani plano; & vel æſtimationem diſtantiæ ab ipſo Meridiano juſtam, cum Sydus in illo non eſt; vel oſcillationes ea chorda expreſſas, cujus longitudo invariata maneat, ac indubitato ituum, redituumque numero dimetiatur horam; ipſamque conſimiliter perſpectæ durationis, & alia, in quibus eſt opus, ac labor. Sic, ne de horologiis machinatibus quidpiam dicam, tua illa Sciotericà perſpectam ſupponunt, & declinationem plani, & directionem axis, & ſeu Meridianam loci obſervatam,

vatam, ſeu variationem Magneticam, & plura, quæ neque te latent, neque ſcrupuloſe agentibus, certitudinemque requirentibus non difficillima ſunt obtentu. Ingero hæc autem, non ſane ut tuis obſervatis fidem aliquam detraham, aut meis majorem aliquam conciliem; ſed ſolum, ut quo us candore, & erga veritatem ſincero affectu, dijudices ipſe ecquid rei ſit, quorſum inter nos non ſemper conveniat.

Quippe quod mones initium Eclipſeos anni 1642. ac diei Aprilis 14. debuiſſe Pariſiis contingere hora 11. min. 45. ac me, ſocioſque ideò illud falſo retuliſſe ad horam 12. min. 10. cogita, ſi horam venati appenſo quadrante, ut jam dictum eſt, potuerimus hallucinari, non paucis aliquot minutis in Cordis Leonis altitudine obſervanda; ſed totis quatuor gradibus; ac ne admoneri quidem erroris tam gravis in tota illa ſerie altitudinum conſequenter obſervatarum? Cogita etiam, cum inter horam appellatam tibi cœleſtem, & templi horiſonium diſcrepantia fuerit initio Eclipſeos minutorum 5. & in fine minutorum 21. num diſcrimen ſit referendum potius in reputati a te Meridiani deflexionem a vero, quam in irregularitatem horiſonæ machinæ; quaſi ea intra horas 4. horæ quadrante a ſe abſuerit. Non quod idcircò machina cenſenda ſit fuiſſe exquiſite compoſita cum ipſo Cœlo; ſed quod ex capite utroque potuerit error quiſpiam componi. Pari ratione quod attinet ad Eclipſin illam anni ſuperioris, ac diei Septembris 17. cogita, quæſo, cur debeas potius ad illos Bullialdi digitos attendere, quos ille, & incertos habuit, & nulla habitarum præ oculis Phaſeon directione determinavit, quam ad ipſum finem Eclipſeos, quem ille ratum unicum habuit; maximeque, cum idem finis fuerit Agarrstu obſervatus, ac mihi; & non modo obſervationes tres in diverſis locis habitæ conſenſerint, ſed etiam ex iis tribus Stellis, quarum altitudo obſervata fuit a me, duæ idem minutum exhibuerint, ac tertia diſcreparit unico duntaxat. Invitus ſane hæc inculcarem, quæ ante quoque innueram; ſed animos addit ſinceritas tua, cum & faciam ſolo veritatis ſtudio, & amore tui cordatiſſimo, quo tuam famam ſartam, tectamque in omnem velim poſteritatem. Ac durum quidem ſuſpicari, non eſſe tuas hypotheſeis, Tabulaſque omninò ratas; ſed durius eſt ſane vim facere Cœlo, obſervatiſque Phœnomenis; cum fas, & æquum ſit nos Cœlo, ſi quidquam comminiſcimur, non Cœlum nobis accommodare. Quanquam, cùm aurea ſit illa vox, præſtare Philoſophum Virum tuendæ veritatis gratis, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, non hæreo, quin ipſe comparatus ſis ad agnoſcendum te hominem, ac fatendum potuiſſe te quapiam in re hallucinari. Multum ſane præſtiteris, ſi condideris Tabulas, quæ propius ad verum collineent, quam aliæ ullæ ex tam multis, quæ conditæ hactenus ſunt; utcunque forſan aliquid deſiderari adhuc poſſit. Hac ſane ratione mereberis laudem, ſi illas ſolum extuleris, ut omnium vero proximas, non autem ut verum plane aſſequutas. Nam ſi alioquin taleis jactaris, & tales forte non fuerint, excides gloria, quam ij merentur, qui licet quidpiam undique abſolutum non proferant, præſtant tamen, quod in ſe eſt, eoque moderatione ſunt, ut commendationem ultra fas non quærant. Sin autem tales fuerint, tum nihil famæ addideris, quoniam & tales habebuntur, ſi tales quidem extiterint, & non quia ipſe dixeris, ſed quia verum erit, laudem conſequeris. Interim verò tantum detrahetur, quantum modeſtiæ deerit, & proclivis erit defectus alicujus ſuſpicio; quatenus commendatio propria eſt ſemper quaſi hedera, qua vinum, ut ajunt, generoſum non eget. Exemplum inſigne, recenſque habemus in Lansbergianis Tabulis, quibus extollendis id evicit Auctor, ut non ipſas modo incertitudinis, ſed proprias quoque obſervationes fidei non bonæ fecerit ſuſpectas. Scilicet videtur multas detorſiſſe, ut congruere poſſent hypotheſibus; cum laudabile potius fuiſſet eorum admonere, quæ forent incongrua, judicio poſteris relicto, qui in eo ſunt incubituri, ut alias fingant hypotheſeis, quæ ſint Cœlo conſonantiores; quique juvari ſentient ſe noſtris etiam erroribus, eoque nomine gratiam referent, ſi modo illos bona fide non erubuerimus propalare. Neque verò eſt, cur exiſtimemus conatus noſtros ultimos fore, ac ita a nobis laboratum iri, ut nihil ſuperſit operæ. Profecto nimirum ſupererit ſemper, quod nobis extinctis, ac in omne ævum homines moliantur, ut has diſciplinas perficiant; noſque abunde ſatis agemus, ſi quo vivimus ſæculo, transdamus illa ad poſteros, unde progreſſus perinde fiat, ac factus ad nos uſque eſt, ex iis, quæ majores nobis reliquerunt. Sed heus! quo abripior, optime Virorum? Tu condona affectui, quo eſſe erga te ſincerior, vehementiorque nullus poteſt. Vale. Dabam Pariſiis, invigilaturus proximæ Eclipſi, de qua admones, Non. Novemb. M. DC. XLIV.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NIhil fuit mihi præter ſpem factum, cum ſucceſſiſſe tibi pro votis Maſſilienſia Comitia ex litteris tuis addiſcere licuit. Noram ſcilicet tuam providentiam, neque hærebam, quin animis in te propenſis ſic utereris, & alienos tua præſentia, auctoritateque ita contineres, ut nihil non pro tuo deſtinatu, pacificeque perageretur. Summopere interea gaudeo, te eò deduxiſſe negotia, ut videaris poſſe deinceps longa quietius degere, tanquam, & turbis jam ſedatis, & rebus ſic compoſitis, ut ſuum ex ſeipſis tueri inpoſterum tenorem poſſint. Acceſſit quo prædixi die Regina Angliæ ad hanc Urbem, Rege, Reginaque tota cum Aula obviam progreſſis. Qui Hiſpanæ obitus fuit aliquantò poſt evulgatus, Aulam totam pullatam fecit. Rerum externarum, ac potiſſimum Germanicarum vix quidquam habeo; ſcilicet Curſorem præcipuum non ſpoliatum modò, ſed etiam trucidatum ferunt. Accepi ſolum Koniſmarkium partim occidiſſe, partim adduxiſſe Halberſtadium tria Equitum millia ex Cæſariano exercitu, qui deprædatum excesserant Halberſtadienſem, Anhaltinamque regionem. Ex Anglia etiam aliud nihil novi, quam moveri iterum cauſam Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, ac duorum ſimul neſcio quorum Hibernorum Nobilium, qui ſe ſubduxerant e Turri. Addunt quidem Parlamentarios in eo jam eſſe, ut de conditionibus pacis Regi offerendis deliberent; verum hæc jam vetus, & citra ſpem fructus repetita cautio. Tu, o Principum optime, & meum dulce decus, vale. Pariſiis 111. Eid. Novemb. M. DC. XLIV.

E I-

E I D E M.

HAud abs re fuit quod Neuræum recentium illarum turbarum delegiſti enarratorem. Is videlicet rem eo ſtylo, eaque ſimul fide deſcripſit, ut legens mihi videar meis oculis ſingula hauſiſſe. Delectavit autem præcipue intelligere, quanta tu, accepto tumultu, diligentia accurreris, quanta animi magnitudine, ſecuritate, conſtantia, ſeditioſorum conſilia, impetus, motus fregeris, quanta oris majeſtate, ſic lenitate, & gratia bonos demerueris, continueris, firmaveris; quanta poſtremò felicitate commotos fluctus ſedaveris, & ad tuum illud, *Quos ego*, conctus dicto citius, tanquam Pelagi ceciderit fragor. Utinam illi inpoſterum ſic reſipiſcere condiſcant, ut neque quidquam deinceps turbent, neque ſibi malum accerſant, ipſeque, qua es indole, & beneſacere omnibus, & ſævire in neminem poſſis. De exteris quas norim rebus, id tantum habetur, quod ſcripſeram nuper de Cæſarianis Equitibus a Koniſmarkio partim cæſis, partim manu captis, Halberſtadiumque abductis. Addunt Torſtenſonium cognita penuria, qua exercitus Cæſareus laborat, ita fuiſſe metatum caſtra, ut Galaſum oporteat, aut fame perire, aut prælio rem decernere; atque adeò ſibi non ſine diſcrimine facere viam. Memorant aliunde Navale certamen fuiſſe Svecos inter, & Danos Octobri ruente tandem initum; at quo ſucceſſu plane non conſtat, ita ſcilicet prioribus favent Hamborgenſes litteræ, poſterioribus Lubecenſes. Licebit fortaſſis proxima occaſione quidpiam certi perſcribere. Permirum interea, niſi Sveci victoriam reportaverint, quibus fuere, ut perhibent, naves quadraginta duæ, inque iis Præfecti magna parte Hollandici; cum Danis non plures, quam ſexdecim fuerint, utcunque inſignis in illis extiterit vocata *Draco*, una cum Theiſſone Navarcho eximio. Noſti fuiſſe jam pridem actum de contrahendis nuptiis inter Reginam Sveciæ, & Brandemburgicum Electorem; audio jam rem deliberatam, ac eſſe utrimque de pactis, conditionibuſque conventum. Incertus heic rumor percrebuit de morte Regis Angliæ; ille vero, ut ſcribitur, recepit ſe hoſpes Oxonium. Quæ litteræ id perferunt renuntiant fuiſſe Novocaſtrum poſt obſidionem quindecimeſtrem a Scotis tandem expugnatum. Quanto id Parlamentariorum emolumento contigerit conjicere ipſe quam optime potes. Tu, o Principum optime, & meum dulce decus vale. Pariſiis XIV. Calend. Decemb. M. DC. XLIV.

E I D E M.

REdiiſſe in Urbem te, jocundiſſimum fuit perculiſſe. Videlicet viſus es tuas reperiſſe delicias, Muſæum reviſens, ac libros. Perquam grate etiam accepi, quod de venatione ſcripſiſti; ſiquidem intellexi tibi relaxatorio animum, non ipſum modò Apollinem, ſed Dianam quoque propitiam fore. Id verò preſertim mire delectavit, quod ex aliorum litteris novi, fuiſſe nimirum multos, qui ſe in bonam frugem receperint; quippe futurum inde præſenſi, ut tranquillitatem demum ſtabilires. Faxit Deus ter-Optimus, ut quam generoſus, quam bonus, quam ſincerus es, tam intelligant, & profiteantur omnes; quo & illis optime vertat, & tibi ſuaviſſimum ſit, univerſorum animos habere tecum conſpirantes. De exteris rebus nihil video jam refragari famæ de victoria illa Svecorum in Danos nuper reportata. Quin etiam jam addunt haſce circumſtantias, ut majorum illarum Navium Danicarum captæ decem fuerint, auſtæ duæ, eæque præcipue, *Pelicanus*, & *Draco* vocatæ; duæ ſubmerſæ, & non plures, quam duæ, treſve ſuperſtites vix e periculo dilapſæ. Nihil neceſſe eſt memorare, quam multi proinde, ſeu Duces, ſeu milites fuerint cæſi, vulnerati, & capti; id verò memorabile, ex Svecorum exercitu milites paucos, Duces nullos cæſos, aut vulneratos fuiſſe. Ferunt Urangelum ſubinde Inſulam *Furneren* invaſiſſe, & claſſem, viribus reſumptis, altum repetiiſſe, neſcio quid denuò attentaturam; tametſi ſcribunt quoque, Gallum, Hollandumque Oratores impetraſſe octiduanas inducias. An non, ut veriſimile eſt, Danum procuratas ab iiſdem Oratoribus pacis conditiones non recuſaturum; ita videtur Imperator rebus ſuis haud-dubie publica pace conſulturus, quando ſi jam tantum negotii a Svecis, qui in Germanis ſunt, ſuſtinet, eſt cur valde metuat, ſi qui adverſus Danum occupati nunc ſunt, ſe quoque in ipſum convertant? Obiter portò pacis res eo ſolum promotæ dicuntur, ut cum Cæſarei, Hiſpanique Legati ægre conſenſerint res fœderatorum una cum noſtris diſceptari, in eo jam ſint, ut quos fœderatos intelligamus declaretur. De Koniſmarkio quod ſcripſeram etiam majus fama fuiſſe comprobatur. Continet ſemper ſe Galaſus non ſine ingenti penuria, neque ferendis ipſi ſuppetiis deſtinati Saxones Magdeburgo prodeunt, ſeu quod ſibi caveant, ſeu quod ipſe Dux prodire eos nolit, niſi Galaſus comparet ſe ad rem aperto Marte, inſtructaque acie decernendam cum Svecis. Perhibent tamen Haſfeldium diſceſſiſſe a Bavaria, ut ipſi ex illis anguſtiis exceſſuro opituletur. Neſcitur verò an Bavari ſint interea rerum quidpiam molituri; & quia nihilominus de Rheno traiiciendo cogitarunt, eam ob cauſam quæ Regiæ copiæ non procul Francandalia erant, Moguntiam verius diſceſſerunt, ac Roſa ſpeciatim cum tribus Equitum millibus in eo eſt, ut coitioni virium Lotharingum inter, & Gleenum obſtet. Eſt jam Regina Sveciæ pro comitiis Regni major habita, ac, ut nuper ſcripſi, brevi conjuganda. Res Angliæ nunc tandem prope deſperatæ, quippe vix ſecurus in parva, quæ poſt varias cladeis ſupereſt ipſi Regiuncula, ſalutem aliam, quam a Parlamento oblatam ſperare vix poteſt. Tu o Principum optime, & meum dulce decus, vale. Pariſiis VII. Calend. Decemb. M. DC. XLIV.

E I D E M.

SUmmopere gaudeo rediiſſe te valetudine proſpera in Urbem. Hujuſcemodi exercitationes, & animum recreant, & vires reficiunt, ac temperante potiſſimum, quæ tibi cordi ſemper eſt, cautione illa, *ne quid nimis*. Poterat ſane atrata Aula Reginæ Angliæ obviam prodire; quippe mors Reginæ Hiſpaniæ ſic renunciata jam fuerat, ut ne me quidem [quemadmodum ex litteris meis noviſti] latuiſſet; verum ne teſtandæ lætitiæ foret luctus impedimento, diſſimulanda ea mors fuit, neque in vulgus, niſi poſt unum, alterumve diem efferenda. Merito portò eximias doteis tantæ Reginæ commendas; nam quantum quidem accepi fando, legendoque cum alia, tum libellum, quo Olivarez exauctoratus

ratus deſcribitur, ea eſſe non potuit, & natalibus, & illa imperii majeſtate digniur. Timebatur nuperis diebus, ne invaleſcentibus Bavaris, relictæ apud Mediomatrices Enguenii copiæ, illine abduci, uſurparique ad Mottæ obſidionem nun poſſent; audiu tamen jam abſcedere illes, ac Darmſtadium verſus in hyberna concedere. Id ſi its ſit, in promptu haud eſt, ut Lotharingi copiæ cum Luxemburgicis, & Gleenicis coëant, ac promuto præſertim verſus Muſellam Roſa, qui in eo eſſe dicitur, ut obſtet, ne etiam deſtinata hyberna capeſſant. Ferunt Galaſi exercitum urgeri in dies maximis anguſtiis, & vix illi duo hominum millia ex Peditatu ſupereſſe, occupante Sveco umneis aditus, neque ullam interim rerum neceſſariarum penuriam patiente. Juſſus repetito Hasfeldius in auxilium accurrere, propeat quidem, ſed ſcribunt tamen obſtituros Haſſiacos magna vi, ne copias admoveat. Diſcedebat Hornus ex Dania in Sveciam. Danus id ſectum ſeriò accipiens inſequi illum acriter cepit; ipſe verò acie converſa, fudiſſe inſequenteis feraur, & aut cecidiſſe, aut manu cepiſſe eum Duces multos, eoſque inſigneis, tum milites ſupra bis mille quingentos. Adſunt ex Anglia litteræ, quæ nuperas illas Regis eladeis elevent, ac ipſum prodiiſſe Oxoniu Loodinum verſus, perhibeant, quaſi iterum conflicturum. Quid id rei ſit, eventus monſtrabit. Interea præcipuæ pacis conditiunes a Parlamentariis oblatæ dicuntur, ut qui Regis partes Viri primores ſequuti ſunt, ipſi Parlamento plectendi ſiſtantur; ſegniores tertia bonorum parte compenſandis belli expenſis mulctenaur; ut trienniu quoque Parlamentum cogatur, & per intermorium reſideant in Aula viginti quatuor quaſi *Ephori* (Commiſſarius illi appellant) ſine quurum arbitrio nihil a Rege decernatur. Ut vocata illa *nobilis cuſtodia* (qualem noſti eſſe in Normannia) abrogetur per Angliam, Regique ob remiſſum jus, centum Jacobæurum millia quotannis pendantur. Tu, o Principum optime, & meum dulce decus vale. Pariſiis, poſtrid. Cal. Decemb. M. DC. XLIV.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro Adriano Heereboordo, profeſſori Philoſopho in inclyta Academia Leydenſi

PETRUS GASSENDUS S.

PErgis, Vir præclariſſime, ea humanitate me obſtringere, ut verba me, quibus meam tibi gratitudinem inſinuem, deficiant. Quod certe cum optimo Bornio ſtodium conferens rem facere mihi gratam ſatagis, ejuſmodi eſt, ut dolendum ſit, illud, quidquid eſt opellæ meæ non eſſe tanti. Hinc quæſo, & te, & optimum illum, ne ſitis de ea tantupere ſolliciti, eum habentes me, qui affectus veſtri candurem exploratum habeam, ac certus ſim per vos non ſtare, quin illud, quod in mei gratiam eſtis aggreſſi, perficiatur. Et vere quidem auguratus eſt Bornies fuiſſe privilegium evulgandarum epiſtolarum nun Bibliopolæ, ſed mihi conceſſum; vere etiam cenſuit nihil veſtru illi ab eo privilegio, quod mihi in ſcriniis ſervatur metuendum; at neque epiſtulæ illæ editæ id ſtudii merentur, ut iterato excudantur; neque quaslibet adnectere ipſe tanti habeo, ut vel minimum veſtra hac ſollicitudine dignas putem. Si pergatis tamen, & mos iſti veſtro affectui tanto gerendus ſit, abunde mihi videtur eſſe, duas *de Motu impreſſo*, ipſiſque duas illas ineditas adjongere; ſic enim, & vulumen congruum, argumentique unius fiet; & qui habent jam exempla argumenti hujus, alteriuſque *de Solis magnitudine*, ex editione altera, minus gravabuntur habere ex iſta; & ſi quæ pauca forte ex illa Bibliupulæ adhuc ſuperſint, ea poterunt ob parem formam cum eliis non recuſis divendi facilius. Verum, ut vobis videbitur, quibus plenum competit jus, & in me, & ſi quid eſt meum. Vale, Vir præclariſſime, & me, ut cepiſti, ita ſemper ama. Pariſiis III. Non. Decemb. M. DC. XLIV.

Vere erudito, ſinceroque amico Henrico Barnio

PETRUS GASSENDUS S.

QUas ante menſem litteras ipſe, & eximius Heereboordus ed me dediſtis redditæ fuere ante octiduum. Non reſcripſi tunc, quud officiis neſciu quibus diſtraberer; nunc verò etſi ingruunt alia, ſuccidenda tamen brevis mora eſt, ne debitum tibi amplius differatur. Itaque quam-maximas poſſum gratias ago, ob tuum illum aſſiduum, profuſumque affectum; teſtatus nihil eſſe in me, quod pellicere illum poſſit; ac tuam eſſe bonitatem, genecroſamque indolem, cui ipſum referam acceptum. Scripſit quoque eximius ille de editione epiſtularum; ipſe autem ad eum reſcribo, nihil eſſe quidem a privilegio, quod ipſe mihi obtinui, Bibliupolæ veſtro timendum; ſed nun videri tamen rem tanti, ot veſtris hiſce curis ſit digna. Et quia tamen Martellus noſter conſentire non potuit, ut quas ad te transdiderat epiſtolas, remitterentur, ac ipſi aſſentiendum fuit, ut liceret vobis duas illas *de Motu* iteratò edere, qoò duæ ex eodem argumentu nondum editæ poſſent evulgari; ideò ad illom ſcribens ſubiiciu, id mihi quidem, ſi modò vobis videbitur, non ingratum fore. Hac nempe ratione Bibliupola noſtras, ſi qoa adhuc habet editionis ſuæ exemplaria, detrimenti minus patietur, potis ipſa divendere, ut conjugata cum ceteris, quæ ſolus de alio ergumento habebit, & qui hactenus exemplaria ex editione illa quæſierunt, minus ægre ferent ex recente hæc quærere, tanquam geminata habituri pauciora. Ne volumen eummemurem fore, ut unum, ita unius argumenti non invenuſtum; quamquam ue vobis gerere omnia pro arbitriu liceat vulo, & concedu: utcomque fiet, ſciru, mi Borni, me ſemper ſecurum de tua erga me voluntate eſſe, & ſic me habere, ut obſequentiorem, ac tui amantiorem neminem habeas. Vale, Pariſiis III. Non. Decemb. M. DC. XLIV.

Lude-

Ludovico Valeſio, Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

QUam eſt hoc verum, optime Princeps, quod æternitatem in ſplendoribus Sanctorum admones ſpectandam! Siquidem nulla poteſt lux in hoc tenebrarum Regno perennare; neque eſt, cur apud Mortaleis ſplendor aliquis nominis, fama-ve ulla non mortalis ſperetur. Beati proinde fuerimus, ſi hæc caduca flocciſacientes, ad ſole illa vere conſtantia, ac nunquam peritura bona converterimus animos, & vota. Appoſite verò memoras everſos Craſſos, Pompejoſque, & illum, *ad ſua qui domitos deduxit fræna Quirites*; ſcilicet ut ii admoneantur, qui rerum potiuntur, potiri-ve ſtudent, in quam lubrico illis res conſtet, edocti præſertim tot illuſtribus, quæ etiam-num ob oculos ſunt, viciſſitudinis exemplis. Errant ditionibus ſpoliati Lotharingi, Palatinique, & Principes Germaniæ plures. Anglus in eo pæne jam eſt, ut vel re, & nomine Regis, vel re ſaltem careat, ſi nomen tueatur. Idem pæne Dano timendum eſt, niſi mature ipſa pace, quam jam exoptat, & ſuggerunt Regni ipſius ordines, ſibi, ſuiſque rebus provideat. Nempe id confirmant, quod perſcripſi nuper, de fuſo ejus exercitu, amiſſiſque ſpecietim Equitibus mille, & quingentis. Vix evaſit ipſe Malmoyenum ſalvus cum mille ſuperſtitibus; & cum evocare eò ſatagat, quos præterea habet Gluchſtadii nongentos, accinctus eſt Urangelus, quo id armatorum quinque millibus inſtructus impediat. Quid tot memorem Regna, Provinciaſque ex Hiſpanica ditione tam in vetere, quam in novo Orbe reſciſſas; adeò ut, quæ Auſtriaca Domus affectabat nuper totius Orbis imperium, illius, quod jam obtinebat, amiſerit non minimam partem? Certe, ut reliquiæ ſerventur, & ad recuperandum amiſſa tutior pateat aliquis aditus, ferunt Hiſpanos, Cæſareuſque, qui Monaſterii ſunt Legatos, ſeriò nunc demum agere de pace nobiſcum ineunda. *Circulus*, ut vocant, Franconiæ eodem incumbere decrevit, miſſis ad Imperatorem Oratoribus, qui deliberationem renuncient, non ratihabitionem quærant; idque Imperator, ut ajunt, præſentiens, licentiam ipſi, cæteriſque per Germaniam Circulis, ut nominibus ſuis Monaſterium Legatos deſtinent, conceſſit. Quin-etiam addunt Bavariæ Ducem ad eum ſcripſiſſe, ſibi ſe privatim quæſiturum pacem, niſi ab ipſo grandeis ſuppetias, quibus nempe nos a finibus ſuis depellere poſſit, obtineat. Galaſus adhuc in anguſtiis, cum etiam nuper Torſtenſonus centum illi currus commeatu onuſtos interceperit. Et Haſſeldius quidem jam prope acceſſit, ſed prope quoque Haſſiaci, ut videatur nihil penitus ſine prælio poſſe tentari. Ex quo Bavari viſi fuere ſe in Franconiam recipere, exceſſit Rhenum Turennius, & munitum neſcio quod Oppidum obſidere nunc perhibetur. Tu, o Principum optime, & meum dulce decus vale. Pariſiis, v. Eid. Decemb. M. DC. XLIV.

E I D E M.

ECquis ambigat, ſi te quidem norit, quin tot ſemper eò vota tendant, ut Ordinum Provinciæ omnium, ſi qui ſunt averſi, animos concilies, & ſtabilita tranquillitate, pacifice, & per-amanter in illorum mentibus regnes? Is ſcilicet tuus eſt genius, ut mereri bene de omnibus velis, male verò de nemine; ac nemo eſt, qui tuum in pectus, intimumque cor penetrans, non deprehendat indolem incomparabilis bonitatis. Qui certe penetrare abnuunt, aut ſe noſſe diſſimulant, pauci ſunt, iique ſunt, qui privatis rebus, potiuſquam publicis ſtudentes, ſua intereſſe exiſtimant, ut tuum potius regimen, quam hominum mores, temporumque conditionem cenſeantur. Enim-verò ſpes eſt non levis, ut ipſi ſe quoque in frugem recipiant; ne, ſi dum regia incedis via, & ſinceritatis ſplendore perſtringis omnium oculos, tuæ virtuti manus non dent, ſe & exuiſſe hominem, & tigrides eſſe natos profiteantur. Nihil ex Aulæ rebus perſcribo. De exteris, ferunt Galaſum emerſiſſe tandem ex illis anguſtiis. Emiſſis nimirum delectis tribus Equitum millibus, juſſit Torſtenſonus majorem Equitatus partem illos inſequi; Galaſus verò, re perſpecta, movit propere, & parte duntaxat ſarcinarum in Caſtris relicta, ſtitit ſe prope Magdeburgum. Ita habetur ex litteris pridie Calendas Lipſiæ datis. Quod ad noto ob alias quaſdam, quibus ſcriptum eſt ad Cardinalem dicunt fuiſſe Cæſarianos ſub Galaſo plane proſtratos. Nempe id quoque verum eſſe ſcriptis poſtremis litteris poteſt. In Dania Rex ſemper urgetur a Regni ſui Ordinibus, ut aurem paci accommodet; & continenter potiſſimum, qua Terra, qua Mari infeſtantibus Svecis. Ex Anglia ſcribunt fuiſſe tandem Cantuarienſem Archiepiſcopum a Parlamentariis ſuſpendio damnatum. Ajunt Bavaros in Palatinatum reduces cepiſſe quoddam Oppidum, & Gleenum, Lotharingumque verſus Rhenum accurrere; quo ſucceſſu, dies docebit. Debet Motte obſidio ab aliquot jam diebus cœpiſſe. Tu, o Principum optime, & meum dulce decus. Vale, Pariſiis, XVIII. Calend. Januarii, M. DC. XLIV.

E I D E M.

QUod Veſpaſianum imitatus, ſi quid amici peccant, taces, ſi quid recte agunt, commendas, id ſane eſt tuæ illius imperio dignæ humanitatis. De optimo noſtro quid dicam non habeo; niſi quod dulci larium amore, & quietioris vitæ deſiderio allectus, mihi fuiſſe videtur ad cogitandum de reditu. Quod autem te æque, ac nos conſilium ſuum celaverit, feciſſe videtur, ne ulla ex parte ab inſtituto diverteretur. Ac tua quidem magis, quam noſtra rem cognoviſſe intererat; ſed hoc ipſo videtur mihi ad eam reſpexiſſe indulgentiam, quam jam erga ipſum teſtaris. Quantum porrò ego doluerim, ireque etiam obviam, ſi licuiſſet, voluerim (nam ut tue referre, ſic etiam illius, ne abs te diſcederet germana mea erat ſententia) dicere nihil attinet; præſtatque hac ipſa in re tui imitatione teneri. Scripſit ad me nuper ex Belgio ille eximie doctus, bonuſque Godefridus Wendelinus, cujus memini in Vita Peireskii, verſari ſe in eo, ut ſuam de declinatione Solis maxima Diatribam quadruplo auctiorem iteratò edat, &

quia

quia pars non parva Diatribæ innititur obſervationi, quam ipſe in ejus gratiam peregi Maſſiliæ, quamque compendioſe deſcriptam illis exhibui paginis, ſubjecit ſe illam S. P. Q. Maſſilienſi inſcripturum, ſi me auctorem habuerit; unde & iterarò rogat, ut ſuaſor, diſſuaſor-ve ſim. Ego verò, cum ſim ad illum craſtina luce reſcripturus, conſilii inops pæne ſum, quod Virorum in ea Urbe principum genium non ſatis norim. Non ſane, quod ille optimus Virorum aliud exigat, quam ſuam pronam in condecoranda Urbe voluntatem ab ipſis grate accipi [neque enim aut impenſarum in editionem erogandarum, aut alterius rei prorſus meminit] ſed quod ſim neſcius, quæ illis mens in excipiendo futura ſit, aut quid poſſim Viro, tam bono, tamque amico facere ſperandum. Cogito nihilominus animos ipſi addere, fretus illa commendatione, qua confido te, pro tua bonitate, eſſe illos animaturum, ut gratitudinem in ipſum teſtentur. Cum ſis certe in eruditos, bonoſque omnis adeò propenſus; eris profectò etiam in illum, quo neſcio an eruditiorem, melioremque uſquam invenias. De rebus novis, vanus non fuit, quem nuper rumorem eſſe poſſe verum de Cæſareorum clade perſcripſi. Nempe Galaſi Equiratus, Albi ſuperato, Wittembergam petebat, cum Torſtenſonus ipſum fuit ea inſequutus felicitate, ut totum plane fuderit, Ducelque, vel occiderit, vel ſauciaverit, ac ceperit vivos. Bene ceſſit ipſi Galaſo, quod Magdeburgi conſtiterit cum peditatu, & ſarcini; nimirum hoc eſt, quod ſupereſt ſalvum. Percrebuerat rumor de capto ab Imperialibus Olmutzio, at jam obſidionem memorant ſolutam, Cæſaremque ipſum laborare non parum, ut Tranſylvanum reprimat, qui acceptis octo Turcarum auxiliarium millibus, tum Urbem quandam nuper cepit, tum aliam denuò obſidet. Abſceſſere Rheno Gleenus, Lotharinguſque infecta re; & ad ſtativa Moſellam verſus, confluentemque ipſum redierunt. Turennius, qui non alio fine trajecerat Rhenum, quam ut Bavaros a ſuppetiis Galaſo ferendis revocaret, pedem retulit, ac jam ſeriò obſidet Cruciniacum. Danus eſt novas paſſus cladeis ob munitorum aliquot, eorumque inſignium locorum jacturam. Quod de conditionibus pacis Anglo oblatis memoras, admonet me, ut ipſaſmet, qualeis nudius-quartus accepi, tranſmittam. Audio Regem non recuſare omninò de iis agere; ſed in eo hærere, quod agnoſcere Parlamentum nolit, ut legitimum Parlamentum, niſi hac prævia cum conditione agere nolit. Tu, o Principum optime, & meum dulce decus, vale. Pariſiis, x. Calendas Januarii M.DC.XLIV.

Admodum Reverendo, Clariſsimoque Viro D. Godefrido VVendelino, Paſtori Hercano, Condatenſi Canonico

PETRUS GASSENDUS S.

Est ſane cur fata demirer mearum illarum litterarum, quas primum, & ante octennium, & repetito ante annum dedi; ut nimirum nuper duntaxat tuas in manus pervenerint. Sed miror magis, te nunquam mihi diſertis verbis ſignificaſſe, non fuiſſe tibi eas redditas, invitatus licet a me litteris conſequentibus, & viſo in Vita Peireskii earum ipſarum argumento. Id ego non aliò referre, quam ad ſummam moderationem, bonitatemque tuam poſſum; quaſi ſuetia ſubveritus, ne me fortaſſis importune ad iterandum operam videreris ſollicitare. Utcumque fuerit, ſumme delectat præſtitiſſe me aliquid, quod tibi potuerit eſſe non ingratum. Mea illa ratiocinia adverſus tuam, receptamque obliquitatis variationem eo ſolum fine congeſta fuerunt, ut ad ea attendens, providere poſſes de ea ſententia, quam defenderes, firmiſſime conſtabilienda. Abunde eſt verò, quod æqui, bonique meam libertatem conſulueris; neque etiam offenſus fueris poſtremis illis litteris, quarum mentionem quoque jam facis. Parum certe abfuit, quin litteris datis meæ me licentiæ pœnituerit; ſed quanto jure debuerim ſemper de tua bonitate bene ominari, feciſti ipſe perſpicuum; dum quidquid id fuit, ut a pectore candoris pleno profectum habuiſti. Hinc eſt profectò, cur nihil prorſus mihi ſuperſit ſcrupuli; quando utcumque hallucinatus in ſuggerendo conſilio fuerim, muneri tamen non defui, quod ſinceri eſſe amici eſt viſum. De tua κάτακλάσει aliàs; jam enim divertor, neque ea licet, quæ liberet attexere; hoc eſto ſatis interim vidiſſe me quidem ſæpe Lunam plenam tranſverſa nube, ceu trabe biſectam, & perpendicularem ejus diametrum non-nihil tranſverſa viſam prolixiorem; at mihi tamen prolixitatem, qualem memoras, nunquam viſam fuiſſe; quin etiam illa ſolum mihi ad oculum talis apparuit; ſiquidem dimenſio Organo peracta diametros prodidit æquales; retulique adeò τὸ φαινόμενον ad hallucinationem illam, quam me ſæpe docuit experientia, dum attendenti ad treis Stellas, quarum uni altera ſit ad perpendiculum ſubjecta, & tertia ad libellam ſita, ea, quæ eſt ſubjecta, apparet longe diſtantior; cum Organum tamen longe propinquiorem, quam eam, quæ ſita eſt ad libellam, prodat. Sæpe aliunde animadverti corniculatam Lunam in ſitu declivi, ac intra nubila, vapores-ve denſos, oſtentare quidem inferiorem cuſpidem, nimis ut elatam, ita & retuſam, ac rotundatam propemodum; at ſuperiorem tale nihil paſſam, ut pati debuiſſet, ſi tam κατάκλασις, quam ἀνάκλασις ſuas egiſſet vices. Sed aliàs plura, cum & hoc ſolum inpræſentiarum obiiciam, ut anſam ampliorem meditandi faciam. Quod ex me circa tui *Loxiæ* nuncupationem cogitas, citius feceto, ſi exſcribam, quod heſterna luce ea de re perſcripſi ad optimum æque, & generoſiſſimum, ac eruditiſſimum Principem Luduvicum Valeſium, meum in Provincia Pro-regem. Sic porrò eſſe agendum cenſui, quod & ille me ſatis amet, ut expetitam commendationem polliceri mihi potuerim, & cogitarim primores illos hac commendatione perſtrictos, teſtaturos haud-dubie gratitudinem uberiorem. Tu me ſemper ama, & æternum vale. Pariſiis, x. Calend. Januar. M.DC.XLIV.

Reſalutant te plurimum Clariſſimi, & eximii Viri, Petavius, & Bullialdus; abeſt Furnerius a Civitate. Salutem quoque Arnaudo tuo renunciatum in Provinciam miſi. Vale iterum.

Ludo-

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

AUſpicor a felicitate, qua ut inchoandus perendie annus tibi totus eat, Deum veneror. Plurimum ſemper te laborum, negotiorumque ſuſtinere incompertum mihi non eſt; ſed cum nihil in vita Mortalium omni ex parte beatum ſit, felix es tamen, quantum licet, donec tuo illo generoſo, atque infracto animo quidvis excipis, quidvis geris. Qui nimirum hoc inſtituto mentem ſemel non obfirmarunt, fluctuant, ſeu potius exæſtuant ſemper, & nunquam non rerum, ſeu jam exactarum angore, ſeu circumſtantium difficultate, ſeu impendentium metu torquentur. Ceteri verò, quibus ipſe prælucere exemplo potes, poſtquam id ſibi defixerunt, ut indecore nihil agant, ut quanta licet providentia, quæ ſint ventura ſubodorentur, ut impigre quidquid mature deliberarint exequantur, illi demum poſſunt otium in negotio, tranquillitatem in medio æſtu, ſerenitatem in ſtatu rerum etiam perturbatiſſimo nanciſci. Quippe neque prætéritorum diſcruciantur memoria, ut quorum nihil ſua culpa eveniſſe conſcii ſint; neque obviis præſentium difficultatibus offenduntur, ut ad quas ſaltem univerſim perſpectas ſeſe compararint; neque futurorum terrore, periculo-ve conſternantur, ut quæ niſi averti poſſint, fortiter ferre decreverint. Quod Hiſpanos ſeriò de pace non cogitare addubitas, jure, quantum aſſequor, facis, quando ipſis ſpes ſemper inſidet, ut vel noſtris rebus turbatis, exhauſtoque ærario, vel Cæſaris rebus in Germania proſpere ſuccedentibus, reſtitui in integrum poſſint; & velut ex æquo agere de pace, quam, ut res jam ſunt, niſi cum jactura, nominiſque dedecore ſperare poſſe non videantur. Si quid tamen ipſos compellat, metus erit, ne decipi pergant, & dum male de rebus noſtris, ac bene de Cæſareis ominantur, res in pejus ruere non ceſſent, fortemque tandem peſſimam habeant. Inſudies brevi, ut conjicio fore, ut valde percellantur, cum Principem unum, in quo habent ſpei collocatum quam-plurimum agere ſeorſim de pace accipient. Diſtulit Harcurius diſceſſum in Calendas Februarias; perhibeturque ejus exercitus haud-quaquam minor millibus militum viginti futurus. Clades Cæſarei equitatus, de qua ad te ſemel, iterumque ſcripſi, undique jam aſſeritur; additurque Galaſo Magdeburgi concluſo nihil amplius, quam equites mille, & duo peditum millia ſupereſſe, Tranſylvano aliunde acceſſiſſe Turcarum ferunt non octo, ſed quindecim millia. Danis, Sveciſque pactæ induciæ in Decadem Januarii primam, qua exacta futurum eſt, ut inter illos de pace agatur. Miſit Rex Angliæ ad Parlamentum, qui arbitrium ſignificent circa propoſitas conditiones. Diſceſſuri illinc ſunt Legati Hollandiæ, ut Parlamentariis non prorſus accepti. Acceſſit interim ex Svecia, qui de incundo fœdere cum ipſis agat Parlamentariis, ac eorum permiſſu vim militum cogat. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis, III. Calend. Januar. M. DC. XLIV.

E I D E M.

VOta repeto, inito jam anno, quæ pro tua felicitate, ruente, imò deſinente ſuperiore conceperam. Utinam exaudiat, faxitque Deus Optimus-Maximus; ita me ipſe adjuvet, ut non annum modo, ſed & totum ævum ſis beatiſſime exacturus. Exigea porrò, quantum quidem humana patitur conditio, ſi ad ejus nutum te attemperans, tuebere conſtanter, quam ſoles virtutem, atque honeſtatem; ac omnia gerens pro ea prudentia, & ſagacitate, qua præditus es, conſiliorum fata ejus providentiæ ſic commiſeris, ut quidquid demum eveniat, nullius pœnitentia, quaſi id non potueris melius inſtituere, ducaris. Comitia abs te convocata, ut proſpere ſuccedant voveo, ſucceſſura autem ex ea, quæ virtutem tuam circumſtant fortuna conjicio. Nihil de carcere Odancurii ſcribo, quando is tibi prius debuit, quam nobis innoteſcere. Miſeror duntaxat, ac miror quemadmodum *hinc apicem rapax fortuna cum ſtridore acuto ſuſtulit; hic poſuiſſe gaudet*. Laborare adhuc fertur Lotharingus in diſtribuendis per hyberna copiis, futurumque erat diebus nuperis, ut ſe per Regalia Bruxellam conferret. Perſeverat adhuc Turennius in obſidione Cruciniaci, ſperaturque fore, ut brevi arce expugnata potiatur. Torſtenſonus uno, alteroque captis, devaſtatiſque oppidis hyematurus dicitur inter Albin fluvium, Sylvamque Hercyniam, & Koniſmarkius interea ita deſtinavit cum ſuis, tum Haſſiacis copiis hybernam ſtationem, ut de obſidione Magdeburgica, concluſo Galaſo cum reliquiis exercitus cogitare videatur. Inſtare ſemper Tranſylvanum ajunt, & Legatum Cæſareum ne fandi quidem licentiam a Turca adhuc obtinuiſſe. Inſtigante continenter Dani ſummo vehementia ad pacem ſuum Principem, ac fuiſſe ferunt, qui vellet, nollet, ineundam eſſe conclamarint. Quod perhibent Anglum miſiſſe Parlamentariis ſignificatum, in eo eſt, ut quia agitur de regimine cum Politico, tum Eccleſiaſtico innovandis, de loco prius, in quo res tanta decerni poſſit conveniatur. Tu, o Principum optime, & meum dulce decus, vale. Pariſiis, ipſis Regalibus, hoc eſt, poſtrid. Non. Januarii M. DC. XLV.

Hæc abſolveram, cum allatum eſt ſchediolum de Anglicis rebus. Id qualecumque eſt, ut poſſis cognoſcere, hiſce concludam: Eo non continentur propoſita omnes a Parlamento conditiones; ſed reverentia interim, quæ ſunt oblatæ, notanda eſt. Addunt Cantuarienſem Archiepiſcopum eſſe quidem in ſuperiore illo conclavi facti convictum; ſed ſupereſſe quæſtionem juris, an nimirum idcircò ſit, ut Majeſtatis reus damnandus. Vale iterum.

E I D E M.

NUnquam es profecto non ſimilis tui, qui ſemper quam-optimus es. Nota boni germana eſt, quod ſpontaneam ſui diffuſionem faciat. Quam eſſe te bonum proinde par eſt, qui es in me etiam profuſus? Ecce enim cedente anno tua redit munificentia, & felicem anni decurſum dum mihi optas, etiam facis. Quippe virtus quidem utramque in felicitate complet paginam, ſed ſuperſunt tamen quaſi margines, quibus hæc, quæ vitam beatiorem, hoc eſt, commodiorem faciunt, adſcribantur. Nam eſt virtus quidem ſeipſa ad bene, beateque vivendum

vivendum

vendum contenta ; ſed utcumque illam externa non juvent ad vivendum melius, quatenus in nulla vitæ conditione alium, quam juſtum, & tenacem propoſiti virum eſſe patitur, conferunt tamen ad vivendum beatius, quatenus non ut probitas, ſic felicitas, quæ hujus eſt vitæ, latitudine, & gradibus caret. Ac geſtit quidem Porticus vocibus plane magnificis ; verum ipſis ſepoſitis, ſpectataque duntaxat re, nihil aliud, quam Hortus, aut Lycæum ſentit. Hæc tamen aliàs; quando jam iſtud a me ſolum attingitur, ne ab inſtituto diſceſſiſſe videar, eum te dico felicitatem verbo apprecatum, & re exequutum. Videris mihi interim Deum Optimum-Maximum imitatus, cujus verbum efficax eſt, ac nunquam quem præfert non præſtat effectum. Ecquid-nam verò mihi propterea ſubeſſe putes animi? Sane, ut tuam continenter bonitatem exauſculer, quam, immerens licet, continenter experior. Et quod pergas quidem tuis litteris nihil prorſus de munere abs te collato ſignificare, agnoſco te quoque perſtare in eo, ut ne gratiam quidem a me, commemorationemque expectes, ſed dum ita me hiſce radiis tuæ beneficentiæ perfundis, non potes jure habere me ἀφωνότερον illa ſtatua, quam Sole radios affundente effectam memorant vocalem. Hoc doleo, verba mihi deeſſe, quæ quidquid fibrâ latet arcanâ, non enarrabile reſignent:

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.

Dolerem verò longe amplius, niſi tu amplius noſſes me, quam ut pectus geram tibi, niſi verbis teſtantibus, immanifeſtum. Id unum teſtor, vigere in me eum gratitudinis affectum, quo exigere calentiorem non valeas, quique, quod tibi abunde ſit, eo nomine ſolum mihi facit ſatis. Gratias rurſus ago pro ea voluntate, quam in Wendelinum virum illum eximie bonum teſtaturum te recipis; ſi velle quod jam cœpit, pergat. Quæ de Anglis ratiocinaris, præclara prorſus, & generoſa tua indole digna ſunt; ſed facturusne ille ſit, ſi ad tantas modo redigatur anguſtias, ſummus rerum Arbiter novit. Nihil hebdomade hac habemus ex ora illa Britannica; nempe aliquando cavet Parlamentum, & rebus præſertim minus proſperis, ne navis ulla e portu ſolvat. Danicæ res ſemper turbatæ. Decumbit Magdeburgi Galaſus, corpore ægro, en mente proſtratior. Deliberare Cæſarem ferunt de ſubſtituendo ipſi Hasfeldio; interea verò Magdeburgum ea laborat penuria, Konismarkio puta, & Haſſiacis varie incommodantibus, ut deditionem factura ſit, niſi ſuppetiæ a Saxone intra ſeſqui-menſem ferantur. Quos Bavarus Legatos mittit ad Monaſterienſia Comitia, ſuperavere jam Franco-furtum. Ii, ut opinor, rem peragent, quam ſuperiorum litterarum aliquibus jam inſinuavi. Potitus demum Turennius eſt ea, quam obſidebat Cruciniaci Arce, ac deinceps copiarum partem Moſellam verſus in hyberna deduxit. Rediit ad Atrebates Gaſſio, proviſumque eſt, ne Vattenſis Arx glacie hoſtibus favente capiatur. Nimirum ita jam hyemat, ut ſupercruſtante gelu Sequanam, pletique nec pontes, nec lembos requirant. Tu, ò Principum optime, & dulce meum decus. Vale. Pariſiis Eid. Jun. M. DC. XLV.

E I D E M.

RErum viciſſitudinem eximie ob oculos ponis; &, quod cæcitatis Mortalium, qua ſunt conditione te miſereat, humanitatis eſt affectus. Subeſt interim, cur tibi des plauſum, ut unus ex iis, qui rari apparent in tam vaſto gurgite æqui rerum æſtimatores. Nam videas quidem plurimos hæc eadem ediſſerere; ſed qui propterea res humanas ut e ſpecula contemplentur, & ſuum cuique pondus tribuentes comparatum animum habeant juxta proprium arbitrium, *numero vix ſunt totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili*. Porrò, qui ſic affecti ſunt, ii ſunt veri illi Sapientes, qui judicio Pythagoræ ſic hiſce fortunæ ludibriis interſunt, ut qui ſpectatores accedunt ad panegyrium, & ſpectaculis abſque ulla ſollicitudine fruuntur. Ac te quidem Natalium, præſentiumque rerum conditio non patitur quaſi e Terra labores navigantium, aut quaſi e monte militantium motus intueri; ſed quantumvis tamen ſis rerum gerendarum ſtudio immerſus, is es, qui conatus tes tibi, non te rebus ſubmittere, quæcumque ſeu a ceteris, ſeu e te quoque ipſo geruntur, tanquam infra te poſita conſpicias. Ea, quæ de Anglis ſubinſinuare præſertim videris, ejuſmodi ſunt, ut conſentiente ad pacem Rege, nolint Parlamentarii cum illius Legatis, ſed cum ipſo ſolo de ea agere. Cepere ii recens quædam Oppida, juſſereque Londinum deduci conjuratos ſexdecim, qui Duroveri Arcem, portumque Regi tradere ſatagebant. Ea verò fuit cauſa, cur nihil ſuperiore hebdomade illinc addidicerimus; tanquam nulla navi e portu ſolvente. Tentarat Hasfeldius in Dania neſcio quid in Urangelum; verum infelici, ut ajunt, ſucceſſu: Cepta aliunde graſſari peſtis in ipſa Metropoli incolas non parum conturbat. Dicitur tamen hoc demum menſe illeic de pace ſerio agendum. Fertur Reginæ Sveciæ annos jam natæ octodecim cepiſſe Regni ſui habenas; audio tamen ejus conjugium cum Branſdemburgico Electore turbari a Rege Poloniæ, minitante fore, ut Pruſſiam Ducalem Fiſco applicet, ſi ille Pruſſiæ occaſione Vaſallus cum ſit, ad Regnum adſpiret, quod ipſe ad ſe pertinere contendit. Obſidetur ſemper Magdeburgi Galaſus; feruntque ipſi milites non ſupereſſe ultra nongentos: Addunt ejus urbis Archiepiſcopum in eo eſſe, ut procuret inter Saxonem, Torſtenſonumque ſtatum neutralem. Ipſe interim Torſtenſonus iterum in Bohemiam perhibetur irrumpere, ut Pragenſeis miro terrore percellat. Fore ajunt, ut Imperator pacem cum Tranſilvano ineat; ſed acceptis nempe, quas ille præſtituit, conditionibus, quarumque illæ eſſe feruntur, ut ſentiendi de Religione libertas in Hungaria ſit, & eodem ex Regno Jeſuitæ pellantur. Scribitur Bavarum miſiſſe Oratores ad Cæſarem, qui aut ingentem quandam pecuniarum vim, aut reſtitutionem Regionis ſupra Aniſanæ obtineant; quando non videtur de Palatinatu ſuperiore eſſe ſecurus. Atque hæc quidem ſunt, quæ jam, ut e ſpecula contemplari licet. Tu, ò Principum optime, meumque dulce decus, vale. Pariſiis XIII. Calendas Febr. M. DC. XLV.

E I D E M.

SUcceſſiſſe Comitia proſpere, proque tuis votis gaudeo, gratulorque impenſe; ſiquidem [quæ eſt temporum conditio] id pæne præcipuum incumbere munus Pro-Regibus in Aula putant, ut ex demandatis Provinciis importari vim pecuniarum quam-maximam licet, in ærarium curent. Videlicet alia ratione inutilem eſſe curam providentiam; quatenus fruſtra Provinciarum tranquillitati conſulitur, niſi eam fieri

tutam

tutam armis, ſola vi nummorum animandis procuretur. Nihil verò mirum te animos habuiſſe prorſus obſequenteis; quando, ſit licet penuria ingens, nemo tamen neſcit emunctionem hanc te invito fieri, ac parendum eſſe vel ex eo præſertim, quod incumbens neceſſitas tua bonitate temperetur. Utinam tempus demum adveniat, quo ſublevare populos ab hiſce oneribus poſſis; quippe voluptatem præſentio, qua humaniſſime perfunderis, ſi quando, Numine propitio, reflorescentem Provinciam tuo ſub regimine contuitus acclamationes exceperis affectus, & votorum plenas. Ferunt Cæſarem, Hiſpanumque ita ad pacem eſſe propenſos, ut deſtinaturi mox ſint Principes Miniſtros Monaſterium, atque adeo ipſe etiam Longa-villa ſit brevi ſeſe ad eandem expeditionem comparaturus. Faxit Deus, ut niſi res tempeſtate verna poſſit peragi, non differatur ultra Autumnum, quo vix ſperandum hoc anno bonum, ſaltem ſequuturo proxime alluceſcat. Deſtinantur jam in Picardiam copiæ, ne ſi forte Picolomineus, ut ajunt, tentet aliquid, aggredi imparatos poſſit. Verſari Moguntiæ nunc ferunt Turennium, & nuper quaſdam ejus copias eò rediiſſe ſpoliis onuſtas ex Darmſtadienſi Provincia, in quam, trajecto Rheno, irrepſerant. Hæret Galaſus ſemper Magdeburgi cum militibus non amplius quingentis; Torſtenſonus verò non movit quidem, ſed Equitatu jam instructo eſſe dicitur in procinctu, ac ſibi ab ejus incurſu ſuperiorem Palatinatum non minus, quam Bohemiam timere. Scribunt non potuiſſe Tranſilvano convenire cum Cæſare, ipſumque idcirco moviſſe denuo caſtra in Cæſarianos. Speratur adhuc Saxonem coiturum cum Svecia in neutralem ſtatum. Speratur & pax Danos inter, Svecosque proxime ineunda, apparante Sveciæ Regina terreſtreis, navaleiſque vireis, quæ niſi ea ineatur, bello inſtaurando comparatæ ſint, proſtrato aliunde ab Urangelo, quod dicere nuper volui, Hasfeldio. Ex Anglia quid ſperandum ſit, nemo facile divinarit. Nam cum Parlamentum delegerit locum decimo quinto ab urbe milliari, in quo de pace cum Rege agat, ſic tamen Legatis agendi tempus præfiniit, ut quæſitus eſſe in Regem prætextus, niſi abſque mora conditionibus ſubſcribat, videatur. Et aliunde id, quod appellant *Londinenſis urbis Conſilium*, decrevit (ſeſe nimirum gerens Parlamento quoque ſuperius) cum coitionem *Conclavium*, tum negara regi, ob pravum ejus regimen, obedientia, faciendam de novo regimine conſultationem; quæ res agitata, & ad præfinitum uſque illud tempus indeciſa remanens, argumentum eſt ejuſdem prætextus. Fuit miſer Archiepiſcopus vigeſima menſis capite plectendus. Tu, ô Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis vi. Cal. Febr. M. DC. XLV.

Nobiliſsimæ, ac eruditione, virtuteque omnigena ornatiſsimæ Virgini Annæ Mariæ à Schurman

PETRUS GASSENDUS S.

NOn id promerebar, ô Virgo longe incomparabilis, ut mei cauſa diſcederes a tuo illo inſtituto ſcribendi nihil ad exteros, nec mihi ſane ad te ſcribenti fuerat aliud in animo, quam ut tuæ virtuti tam raræ tabellam quaſi appenderem, & tibi quanta apud me eſſes veneratione ſignificarem. Itaque, quod meam qualemcumque conceptæ de te opinionis teſtificationem acceptam habueris, & dignata præterea fueris rem facere mihi perſpectam præclaris illis, & tua modeſtia, eruditioneque dignis litteris, beaſti me oppido non parum. Quod interim verò conſilium, moremque fueris prætergreſſa, intelligo factum me eſſe vel hoc nomine obſtrictiſſimum. Paucula porrò hæc jam repono, non ut parem rurſus gratiam provocem, ſed ut quam poſſum maximam gratitudinem ob acceptam teſter. Unde & exoro, ne, niſi quid forſan bona mea forte juſſura me ſis, præſcriptam tibi metam tranſilias; ac meminiſſe duntaxat velis, eſſe me eum ſemper, qui tuam virtutem conſtantiſſime, ſummeque reverear. Vale. Pariſiis v. Cal. Febr. M DC. XLV.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro Andreæ Riveto, Selectis Auraici Illuſtriſſimi Principis a Conſiliis

PETRUS GASSENDUS S.

QUanta putas me verecundia, ac ſimul lætitia tuæ litteræ perfuderunt, Virorum humaniſſime, cum & ſenſi me cultorem tam ſegnem raræ illius benevolentiæ, quam adeo ſponte, cumulateque es olim teſtatus in me; & te agnovi ea bonitate, ut amare conſtanter me nihilominus pergeres, ac litteris etiam conſtantiam facere teſtatam non dedignaveris. Id ſane tanti apud me eſt, ut ne elevetur, nullam negligentiæ excuſationem prætexere ſtudeam; ſed culpam ingenue profeſſus, ſolam, cujus tantam ſpem facis, abs te indulgentiam implorem. Ac teſtes ſunt quidem, quos citas, optimus Merſennus, amabiliſſimus Sorberius, itemque Dalleus eximius, aliique tecum communicantes, quam ſemper de te, tuaque virtute magnifice ſenſerim, ſed debueram ſane etiam aliquoties per litteras ſignificare qua te reverentia, quo affectu proſequerer; ac tum ſaltem, cum non fui neſcius te operam mihi navaſſe, intercedentibus amicis, quæ ſingularem animi grati teſtationem promereretur. Fuere mihi porrò tuæ litteræ vel eo nomine etiam perjucundæ, quod habuere comites alias ab incomparabili Virgine, quam profecto non ſine magno nominis ſplendore tuam dicis. Nempe qui illam tanti facio, ut exiſtimem, dono quodam providentiæ genitam fuiſſe, in qua natura, ſapientiaque totas vireis experirentur, non poſſum ejus litteras non habere quaſi cariſſimum pignus, ac tanto magis, quanto novi cepiſſe illam id conſilii, ut nihil ſcribens ad exteros, voluerit me tamen facere exceptum. Reſcribo ecce, ne inteſtatam ipſi gratitudinem faciam; ſed præſto id tamen paucis verſibus, ne velle videar exigere, ut prætergredi inſtitutum pergat. Tu epiſtulium curabis volens; fac verò, amabo, ut intelligat, ſentiatque de me, eſſe neminem, qui tantam illam ejus virtutem pretio æſtimet pretioſiure.

Quod ſcribis judicium, cenſuramque meam in opus Carteſii novum expectari; verum eſt quidem fuiſſe me ſollicitatum a plurimis, ut aggrederer Phyſices illius, quemadmodum aggreſſus fueram Metaphyſices diſcuſſionem; ſed

egu hanc ſpem feci nemini; neque pollicitus quidquam ſum; quin potius detrectavi ſemper, ac me multis nominibus excuſatum conſtanter feci. Reponere nimirum ſoleo, non ex meo eſſe genio, ut in alienа opera, nihil provocatus, inquiram. Nam quod Metaphyſicam viri pauló ſtudioſius diſquiſierim, factum ideo fuit, quod ille in me ſe geſſiſſet præter decorum. Compoſitum jam videri diſſidium; quando, tametſi ille dicatur me ſemper lingua laceſſere, calamo tamen prorſus quieſcit, & ne tria quidem illa verba, quibus ſe Phyſicam edentem reſponſurum receperat, uſquam operis illius appoſuit. Potuiſſe me gerere morem, ſi opus ab alio fuiſſet evulgatum, aut nihil prius inter me, Auctoremque interceſſiſſet; quippe tum pronum fuiſſet conſilium ad veritatis ſtudium referre; nunc autem nihil fore proclivius, quam ita rem interpretari, ut quidpiam fuerit, ac etiam-num quid alta mente repoſtum maneat; ſimque ut tenax propoſiti, ſic nimium amans contentionis. Poſſe aliunde videri me livore quodam id facere, ac nihil aliud, quam prodere, aut malignum nimis affectum, quaſi aliorum partubus illico ſuffocandis inhiem; aut animum ſterilitatis rerum bonarum minus conſcium; quaſi cum nihil in me ſit, unde gloriam promerear, quærere mihi aliquam ex detractione alienæ affectem; atque hæc ſunt quidem, aliaque id genus, quæ inſtigantibus objicio. Addo jam verò, ut putes me tecum agere confidenter, videri mihi hunc laborem eſſe ſupervacaneum; quando liber videtur eſſe Auctori ſuo præmoriturus. Neminem certe video, qui legere a capite, quod ajunt, ad calcem ſuſtineat; qui non tædioſiſſimum habeat; qui non miretur potuiſſe virum tam operoſas habere nugas. Me quod attinet, vereor admodum, ne quam ille gloriam præſumpſit, non adipiſcatur; ut nempe Ariſtotelem e Scholarum ſolio deturbet, ipſe imperium in iis obtineat; veluti tam multis contendit in ſua illa epiſtola ad P. Dinetum conſcripta. Fruatur tamen, ſi poſſit quidem, ſua illa bona fortuna; conqueri ſane non poterit obſtitiſſe me (ut conqueſtus eſt, obſtitiſſe optimum Virum) ne & prælegatur, quod expreſſum eſt in illa eadem epiſtola; & familiam ducat, quod ad alium ſcripſit; & Theologi etiam quas cudit novas opiniones antiquis præponant; quod quartis objectionibus reſpondens prædixit venturum. Id verò mirere, Geometram eximium potuiſſe ſibi tot inſomnia, atque chimæras fingere; &, quod eſt amplius divendere pro demonſtrationibus ratis. Nam Virum quidem ſolertem quis neget poſſe plurima comminiſci, quæ quadantenus inter ſe cohæreant, & eo ſtylo conſcribantur, qui altercando, rixandoque, ut in Scholis ſolent, comparatus ſit; ſed velle protinus commenta in rerum naturam inferre, & profiteri hujuſmodi, non alia eſſe rerum principia, ſic ſe non alio habere modo, primam materiam, proximas cauſas, nativos motus, &c. hoc jam eſſe nolle agnoſcere quid humani ferre humeri recuſent. Nihil neceſſe eſt ſpeciatim attingam; nam ab uſque hypotheſi, *quod corpus mundanum infinitum ſit, ſeu*, ut ludit, *indefinitum, quod ex ſe prorſus ſolidum ſit, neque a ſpatio differat, quod teri in fragminula loco varie commutabilia abſque admixto inani valeat*; aliaque ejuſcemodi; id quot trahat incommoda, contradictioneſque perſpicit non nemo. Non quod ille ſuis diſtinctiunculis ſubterfugere, ſacereque fucum non valeat, aut ſaltem nitatur; ſed nempe, non, ut imperiti, inaneſque verbis capiuntur, ſic Viri graves, ſtudioſique veritatis iis inhæreſcunt, neque non verbis ſepoſitis ipſas res ſollicite quærunt. Hoc unum duntaxat lubet adnotare, quoniam ad Metaphyſicam Diſquiſitionem attinet; cum ille prius nihil non egiſſet, tum meditando, tum reſpondendo ad Dubitationes varias, ſed ad primam potiſſimum circa Meditationem quintam, ut perſuaderet trianguli, rerumque aliarum ideas non fuiſſe unquam nobis per ſenſus illapſas, ſed ab ortu ingenitas; ac ipſe ſemper inſtitiſſem ideas hujuſcemodi illapſas eſſe nobis per ſenſus, quatenus ex uno, aut aliquibus ſingularibus perſpectis, ideas quaſdam, ſeu notiones generaleis effinximus, quæ ſingularibus poſtea omnibus accommmodarentur; ecce jam ita manus dedit, ut cetera inter ipſo primæ partis articulo 59. iſthæc legere verba liceat: *Eodemque modo, cum ſpectamus figuram tribus lineis comprehenſam, quandam ejus ideam formamus, quam vocamus ideam trianguli, & eadem poſtea ut univerſali utimur ad omnes alias figuras tribus lineis comprehenſas, animo noſtro exhibendas*. Paris obſervare mox ante circa unitatem temporis liceret; verum hoc, aliiſque dimiſſis, eum indicaſſe locum ſufficiat, quem, ſi tanti ducas, poſſis cum objectis, priuſque reſponſis conferre. Quo loco admonere poſſem, non fuiſſe, cur ille tanta jactatione gloriaretur ſe falſi nihil ex eo die admiſiſſe, quo omnia exuit præjudicia, & Deum, ut ſui auctorem, ita non fallacem agnovit. Nam nunc, verbi causâ, ſecus plane ſentit, quam ſenſerit in methodo poſt præjudicia abjurata, Deumque & ſui auctorem, & non fallacem agnitum, cum imaginaria admitteret ſpatia, in quibus Deus novam materiam novo Mundo componendo ſufficientem creare poſſet, ceteraque hiſce affinia. Sed finem potius facio, ne velle heic videar ipſam, quam recuſo, dicere ſententiam. Tu, quidquid id eſt, boni conſule, & loquacitatem hanc tantam cum diuturno illo ſilentio compenſa. Vale, Vir humaniſſime, & ſenectam haud viridem etiam ultra ſæculum profer. Pariſiis v. Cal. Febr. M. DC. XLV.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS

Εὐπράττειν.

EST cur gratuler iteratò, emerſiſſe te e fluctibus illis turbarum Comitialium, ac poſſe, dum jam Tolone quieſcis, luctantem cum Stœchadicis fluctibus Africum ſpectare. Ac tu quidem illos cum iſtis egregie prorſus comparas; verum addi poteſt, cum fabula ſit, quod de Neptuno tumida æquora placante, narratur; temperare revera te tumultuantium affectuum æquor, dum & conſiliis animos regis, & dictis mulces pectora. Delectat interim, quod homines noſtros eo dignatis elogio, ut prono obſequio erga Regem ſint; nam tametſi ad infimum præſertim ordinem id refers; eò tamen incumbet tua providentia, ut ſi quid Proceres delirent, non ideo Achivi plectantur. Rerum novarum vix quidquam eſt, quod ad te perſcribi mereatur; ac potiſſimum, cum ab iis abſtineam, quæ attinent, ſive ad Aulam, ut conſilium de repellendo Cardinali Valencæo ante oſtiduum huc appulſo; ſive ad Curiam, ut expoſtulatio ob inſoli-

tas

tas, crebraque a legitimo Tribunali evocationes. Non diſceſſit adhuc Harcurius, præſtolatus puta judicium circa Egulonium Ducatum. Sunt Turennii copiæ adhuc Trans-Rhenanæ, perhibentque oppidum quoddam ab ipſis occupatum fuiſſe. Turſtenſonus ſemper in procinctu ſtat, coëuntque interea in Bohemiam Cæſarei, ac futurum erat diebus proximis, ut Verthius eò appelleret, & cum Hasfeldio vireis conferret. Verſatur Galaſſus ſemper Magdeburgi cum Ducibus aliquot, ipſorumque uxoribus; dimiſſi autem in Bohemiam, qui ſupererant 500. aut 600. milites, in itinere cæſi memorantur. Ferunt aliunde Koniſmarkium, & Haſſiacos ab iis finibus exceſſiſſe. Acceſſit Oxeſternius Sueciæ Cancellarius cum duobus Senatoribus ad agendum de pace cum Dano; non deſinunt tamen idcirco, ac cis mare potiſſimum, obſidiones quædam, provocationesque hoſtiles. Qui vicus in Anglia delectus ad agendum de pace eſt, *Uxbridgium* vulgo appellatur, & quos Comites Conclave ſuperius eò deſtinavit, ſunt *Northumberlandus*, *Pembrekius*, *Dembighius*, & *Salisberienſis*, nomina octo deſtinatorum ab Inferiore non memini, neque de Scotorum, aut deſtinatione, aut nomenclatura aliquid accepi. Solvit interea Princeps Robertus, non abſque inſigni jactura, quam ſuſceperat Regis nomine, Abingtonenſem obſidionem; & quæ præſidia prope Plimmuthum occupata a Regiis fuerant, recepta jam eſſe produntur. Quinetiam ajunt Parlamentarios invaſiſſe neſcio quod Caſtrum magni momenti in Vallia. Expectantur tamen e Rege millia duodecim Hibernorum. Infelix Archiepiſcopus fuit tandem capite truncatus. Tu, ô Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Non. Febrar. M. DC. XLV.

EIDEM.

GRatulor tertium, optime Princeps, ſic peracta fuiſſe Comitia, ut plauſum etiam tuleris, cum te in urbem recepiſti. Ac præclare tu quidem Deo cordium ſcrutatori committis, veri-ne fuerint, an perſonati, qui vultus tibi occurrerunt; interim tamen qualeſcumque ii fuerint, augurari licet temperiem ipſorum effectibus factam; ac ſperare, ut ſeſe demum in bonam frugem ſerio recipiant. Quod ſupereſt, non multum te hacce occaſione morabor; videlicet accingo me, ut eventuram hoc veſpere Lunæ Eclipſin obſervitem, ſicque ſacris Uraniæ, a qua ipſe es non alienus, vacem. Nec verò aliunde perſpexi rerum novarum aliquid, quod magni videatur momenti. Ferunt Turennii copias non fuiſſe ſatis proſpere obſidionem quandam aggreſſas. Aggreſſi ſunt aliam Haſſiaci, aliamque item Koniſmarkius, Holſatiæ formidabilis; dum Torſtenſonus interim varie excurrit in Bohemiam, ac ejus irruptio nihilominus in Palatinatum timetur. Rumor eſt novæ cujuſdam cladis, quam paſſi Dani fuerint; tametſi bene ſemper de pace eos inter, Svecosque ineunda ſperatur; utcunque de ea non ante Calendas hujuſce menſis debuerit agi. Quæ Monaſterii diſceptatur, lento ſemper procedi gradu, Miniſtris Regiis, Cæſareisque procurationes inſtauratas indeptis, ac Hiſpanis adhuc præſtolantibus; debet nihilominus Longavilla illuc diſcedere ante menſem. Quæ in Anglia, dies nos brevi quò evaſura ſit docebit; ſcilicet debuit occipere die ſuperiore diſceptatio. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis IV. Eid. Februarii M. DC. XLV.

Admodum Reverendo, doctiſsimoque Viro D. Godefrido Wendelino, Condatenſi Canonico, Paſtori Hercano

PETRUS GASSENDUS S.

EN tibi, optime Wendeline, totam ſeriem obſervationis, quam ſuperiore nocte peregi; neque enim patiuntur temporis anguſtiæ, & interturbationum vices, ut agam tecum jam pluribus, ſi velim quidem hac expedita occaſione communicetam.

Phaſes Lunæ deficientis, &c. *Ut in Commentariis.*

Revocare cœperam ad calculos omnia; ſed toties fui interturbatus, ut vix potuerim tumultuarie vel unius Procyonis calculum abſolvere. Expende ipſe, & emenda omnia, ac vale. Dabam præpropere Pariſiis III. Februar. M. DC. XLV.

Recepit optimus Princeps præſtiturum ſe erga Maſſilienſeis quidquid rerum petierimus. Excuſatum habebit me eximius Langrenus ſi metuens, ne Curſor diſcedat, nihil jam ad ipſum dem litterarum.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NIhil eſſe poteſt, quod adiiciam ad tuam illam commendationem Viri manibus innocentis, & cujus menti infuſum aurum, non auri cupiditas eſt. Adderem ſolum, ſi id pati tua illa modeſtia poſſet, eſſe te vere hujuſmodi, tametſi nihil adderem ad eam, qua præluces, glorioſiſſimam, ac meritiſſimam famam. Me quod attinet, is ſane non ſum, quem, ut ſæpe dixi, cum deſcribis voces; utinam verò, vel umbra ſolum ejus, quam de me concepiſti, opinionis me dignum exhibeam. Obſervavi nuper, quam perſcripſi me obſervaturum, Lunæ Eclipſin, quæque tuos oculos quoque evocavit haud dubie, ſi fuit quidem, tam vobis iſthic, quam hic nobis Cœlum propitium. Cœpit ea nobis hora 5. cum minutis 34. Deſiit octava, cum minutis 40. ac fuit proinde tota duratio horarum trium cum ſex minutis, contigitque medium hora 7. cum minut. 7. Fuit maxima obſcuratio digitorum 9. cum quadrante, aut ſemiſſe ad ſummum. Cœpit autem inferne ad Boream, ac deſiit ſuperne præciſe, aut tantilla cum deflexione verſus Auſtrum; idque cum duæ cuſpides in perpendiculo eodem fuiſſent, defectu provecto ad digitos ſex cum ſemiſſe; ac fuiſſent plane ad libellam deducto defectu ad digitos treis. Linea ducta per diſcum Lunæ a marginis puncto, quo Eclipſis cœpit, ad illud, quo deſiit, non reliquit plureis ambitus Lunæ gradus ad partem lucentem, quam 25. aut 30 ſupra centum [Id verò, cum ſummo defectu obſervato non male congruit] & fuit aliunde arcus umbræ eundem diſcum temerans, portio circuli vix majoris, quam

qui diametro excederet ſemel Lunarem. Moleſtus forem, ſi adderam plura; niſi, quod adnotari poteſt, fututam uſui obſervationem Tabulis Cœleſtium motuum reformandis; quando nullæ non aberrarunt, neque nullæ non prolixiorem durationem ſperandam fecerunt, quam tevera contigerit, ut puta aliæ excedentes a verò totis ſex minutis, aliæ 10. aliæ 15. aliæ 19. aliæ 27. & amplius. Atque iſte quidem Cœleſtia. Ad res humanas quod attinet, diſceſſit Harcurius tandem nudiuſtertius. Turennius apparat Equitatum. Regii pro pace Legati in eo ſunt, ut cum Svecis deliberent, qua ratione ipſum de pace negotium promoveri valeat; qui autem illue Imperialium Civitatum jam acceſſere, in eo ſunt, ut obſtent, ne id promoveatur, quo uſque, qui a cetaris ſunt deſtinati, acceſſerint. An proinde tam cito, quam ſperatum fuit Longavilla (& cum eo noſter Capellanus, generalis rei gerendæ a ſecretis delectus) diſceſſurus ſit, eſt cur meritò vocetur in dubium. Deliberaſſe, aut ſaltem egiſſe de rebus momenti non parvi Torſtenſonum memorant cum Saxonico, Brandemburgico, & Haſſiaco Legatis; ingreſſus eſt autem, ac pergit paſſu jam grandi per Bohemiam cum univerſo exercitu, adoriturus, ut putatur, Cæſareum. Propterea certe Imperator Pragæ jam degens copias omneis cogit, ac dici poteſt ipſius res, exercitu illo Galaſi conſumpto, rediiſſe ad Triarios, & vel ex eo de ſumma agi, quod in ipſa Imperii ſede victorem exercitum inſultantem ſit excepturus. Ferunt res Danorum paulò erectiores. Ex Anglia aliud nihil habeo, quam ceptum eſſe agi de pace a die ante iſtum nono. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIII. Calend. Mart. M. DC. XLV.

Admodum Reverendo, doctiſſimoque Viro, D. Godefrido Wendelino, Paſtori Hercano, Condatenſi Canonico

PETRUS GASSENDUS S.

OPtime Wendeline, non abs re verebar, cum ante octiduum ad te ſcriberem, ne præ nimia feſtinatione, interturbationeque crebra præpoſtere quid ageretur. Ecce enim cum deinceps altitudines, tum Pollucis, tum Cervicis, Cordiſque Leonis revocaſſem ad calculos, & ſingulis ſua tempora, ut factum jam fuerat, circa Procyonem appoſuiſſem, facile deprehenſa ſuit ex uniformi diſcrepantia, tum geminarum cellularum inter Procyonem & Pollucem, quam ſingularum inter Leonis Cervicem, & Cor immutatum quidpiam circa ordinem fuiſſe. Evocato itaque Agarrato meo, quo in hac Urbe jam morante uſus fueram, ut altitudines captaret, ac deſcriberet, dum ego forem interea Teleſcopio in Lunam intentus, juſſi illum in ſuam ipſius deſcriptionem intendere, ac diſpicere quid rei id foret. Ac demonſtravit ille quidem, me non advertiſſe ductus quoſdam ductus, ob quos altitudines Cordis Leonis, ab octavo uſque decrementi digito fuerant reducendæ, reponendæque omnes una cellula ſuperius, una enim illa cellula vacua, cui poſtponenda foret altitudo Cordis Leonis præcedens, ac ſtatuenda illi è regione altitudo Cervicis. ſuperior in vicem altitudinis Procyonis 40. grad. 30. min. cujus lituram non advertiſſem; cum non aliud fuiſſet, quam altitudo 40. grad. 3. min. bis poſita; id quidem, inquam, demonſtravit, at quod ſpectaret ad Procyonis, Pollucisque altitudines, nihil comperit fuiſſe interverſum. Ego proinde ratus jam, errorem fuiſſe calculi circa Procyonem inſtituti, ſic ipſum cepi retexere, ut initio ſtatim deprehenderim fuiſſe me ſub ipſum principium una cyphra hallucinatum, ac totam deinde ſeriem calculi fuiſſe deinceps ex eo turbatam, idque præter ſpecialeis lapſus, qui ſub finem irrepſerant, quare & totam deſcriptionem ipſius Agarrati manu exſcribendam juſſi, & inſtaurato calculo, ſua altitudinibus ſingulis tempora adſcripſi. Juſſi & illum deinceps exemplum totius obſervationis conficere, quod hodierna luce ad te mitteretur, ut vel ſcrupulo te eximeret, vel labore etiam quodam ſublevaret. Id ipſum porrò eſt, quod heic habes, cuique hoſce verſus attexo, ut errorem excuſem, qui tibi haud-dubie negotium quoddam faceſſerit. Sed nempe facile agnoſces candorem ſimul, affectumque, quo rem gratam tibi facturus facere volui, nihil cunctatus, nihilque adeo veritus, ne tranſmitteretur quidpiam inconditum. Tu proinde quidquid id eſt, æqui, atque boni conſule, ac vale. Pariſiis XII. Calendas Martii M. DC. XLV.

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

HAud è nihilo eſt, quod præſentis ſure, ut Bohemia ſit quaſi theatrum, in quo bellum mox recrudeſcat. Ecce nimirum Torſtenſonus ferro, igneque omnia devaſtans, abeſſe Praga dicitur milliaribus non amplius quatuor; Ipſeque Cæſar, cum ea ex urbe Pilſenum verſus diſcederet, pedem referre coactus fuit. An recrudeſcet etiam in Dania, quo jam expugnato Homburgo, Albique trajecto, Koniſmarkius properat, vireis collaturus cum Urangelo, a quo Ripenum cum internecione cruenta memorant receptum: Longe hac ratione ſunt Cæſar, & Danus, ut ſuppetias invicem ferant, cum & aliunde negotium Danicæ pacis non promoveatur. De Anglicana potius eſt ſpes, modo Londinenſes non obſtent. Ad generalem quod attinet, accepere tandem Legati Hiſpani iteratam procurationem, adduntque Regem Hiſpaniæ deſtinaſſe præterea Medinam Torrexium, & Cameracenſem Epiſcopum ad Monaſterienſem conventum. An Torrexius ſit vice Pignerandæ, quem delectum audieram totius legationis caput, nondum mihi compertum eſt. Addam-ne ſperaſſe Gaſſionem, ut Audomaropoli, favente inteſtina civium conjuratione potiretur; eamque fuiſſe germanam cauſam copiarum nuper hinc mittendarum, ac ſpe fruſtratum, involaſſe Duacum inter, & Inſulam, cepiſſeque illeic Orchias, unde & deinceps ulterius graſſatur. Pluribus te jam morare non vacat. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VI. Cal. Mart. M. DC. XLV.

PE-

Digitized by Google

PETRUS GASSENDUS

NEURÆO SUO S.

UT fuerim uſus narratione Maſſilienſis expeditionis ſcribo ad optimum Campinium. Tibi debeo ſpeciatim gratias ob Lunaris Eclipſeos communicatam obſervationem. Ipſe jam meam ad te tranſmiſi, quem poſſes cum tua conferre; & quod adjeci circa illam heic poſſit, nihil ſupereſt. Attexo duntaxat horarum momenta altitudinibus iſteic obſervatis, ut ſi forte tibi, aut optimo Seni non vacaverit calculos ſubducere, comparationem temporum iſthæc inter loca inſtituere poſſis. Res igitur ſeſe in hunc modum habet.

Phaſes Lunæ deficientis, &c. *Ut in Commentariis.*

Conjicio ex temporum ſerie altitudinem Procyonis primam fuiſſe conſignatam a te non 26. grad. 30. min. uti exſcribendo irrepſit, ſed 46. grad. 30. min. unde poteſt deduci hora 7. min. 25. Hærendum autem puto initio, ac digitis primis; quoniam digitorum variatio redditur ſub medium Eclipſeos inobſervabilior. Nutat tantillum finis. Et niſi tamen calculos Lunæ nimis multa ſupponeret, ſupputatum ex ea tempus melius conſonaret cum initio, quam illud, quod deducitur ex alterutro illarum Fixarum. Quanquam & habui rationem centri, cum ipſe non expreſſeris, centri-ne fuerit, an ſuperioris, inferiorisve limbi altitudo. Sed de his alias; nam iſta ecce imminente nona præpropere do. Vale, & ſenem optimum ſalvere quam-plurimum jube. Pariſiis VI. Cal. Mart. M. DC. XLV.

Ludovico Valeſio, Principi optimo.

PETRUS GASSENDUS

Εὐπράττειν.

INaudiimus ipſi quoque, quem apparatum Turcicum narras. Utinam Deus Principum Chriſtianorum menteis illuſtret, ut, conciliatis affectibus, imminentem avertant perniciem. Ac non eſt quidem è nihilo, quod Melitenſes ſibi proſpiciunt; ſed ſi Turca forte cogitet Siciliam, unde-nam, quæſo, poteſt Hiſpanus abunde virium cogere, quibus-cum irruenti obſiſtat? ſin inducat in animum, ut Tranſylvano favere pergens, auxiliareis ipſi copias conferat, quomodo Cæſar Svecis aliunde impendentibus impetum retundet? Mirum profectò, niſi ille Chriſtiani oſor nominis ex hiſce proficiens occaſionibus, impietatem ſuam cum ditione promoveat. Quod dico porrò de Cæſare, confirmant litteræ poſtremæ, quibus ſcribitur, Torſtenſonum in eo eſse, ut Egram trajiciat, ac Imperatorium adoriatur exercitum, qui ad Pilſenum jam convocatus, vix accedere dicitur ad militum quindecim millia. Credunt Turennium, dum copias omneis prope Philippoburgum accerſit, mente agitare facinus inſigne. Dejiciunt Haſſiaci præſidium, quod dudum obſeſſum vi tandem ceperunt. Putant Koniſmarkium brevi irrupturum cum ſex hominum millibus in Archiepiſcopatum Bremenſem. Danicæ res ſemper ſe perinde habent. De Anglica pace pæne deſperatur, quod Rex præbere aſſenſum nolit, aut expungendo Epiſcopatui, aut juri regendæ militiæ in Parlamentum transferendo; quodque de pace dum agitur, Regii Wimuthum ceperint, qui Portus magni eſt momenti. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis V. Non. Mart. M. DC. XLV.

EIDEM.

SIc ſane eſt, optime Princeps, comparari magnates poſſunt cum magnis Luminaribus; Homines è vulgo cum Stellarum turba. Raro Sol, ac Luna deficiunt, raro intereunt Principes; crebro occuluntur Sydera minora, crebro populares moriuntur. Defectum in illis utriſque facit raritas celebrem; defectum in iſtis utriſque crebritas facit inobſervatum. Timetur ex utriſque illis deficientibus rerum perturbatio, deficientibus his utriſque alta viget ſecuritas: Nullum-ne igitur diſcrimen? illud profectò univerſe, quod de Eclipſi Solis, Lunæ, ceterorumque Syderum ad hominum omnium mortem comparata, dici idem poſſit, quod eſt a Poëta de eorundem occaſu dictum: *Soles occidere, & redire poſſunt; Nobis, cum ſemel occidit brevis lux, Nox eſt perpetua una dormienda.* Illud ſpeciatim, quod non ſit perinde a Solis, Lunæ-ve Eclipſi, ac a morte viri Principis timendum. Quippe qui defuncto Principi ſuccedit, alius homo eſt, aliaque conſilia agitare poteſt; et Syderi non aliud Sydus, ſed ipſum-met ſibi ſuccedit; ac novi nihil machinatur, quod ne per brevem quidem defectum eorum malorum cauſa eſt, quæ & vulgus metuit, & Aſtrologi inanes decernunt. An verò Solis luce privati per integras nocteis, Terra eum nobis præripiente, poſſumus nihil metuere, & ita præpoſteri ſimus, ut privati per morulam, Luna eundem intercipiente, æquum reputemus expaveſcere, quaſi magno quodam malo impendente! Quam ſapienter, quamque cordate dignus ille Præceptore Anaxagora Pericles, cum ob viſam Solis Eclipſin conſternato exercitu, militum animos erexit, Solem faciei pallio præripiens, ediſſerenſque nihil intereſſe, prope-ne, an procul velamen obtendatur Soli. Sed hæc alias; nunc, quod perſcribis iterum de apparatu Turcico, ratum habetur ex Imperio, quo Melitenſes Equites juſſi ſunt ſe in Inſulam recipere ante Aprilis finem. Turennius nihil adhuc movet. Torſtenſonus pontem perfecit, quo ſperatur mox Egram trajecturus. Dicitur Galaſus Pragam conceſſiſſe, ut caſum excuſet amiſſi exercitus; quo ſucceſſu dies docebit. Irrupit Koniſmerkius in Archiepiſcopatum Bremenſem, nec ſine ſtratagemate præſidia ad Albin conſtituta cepit. Graſſatur aliunde Urangelus in Danis non longe admodum Hamburgo. Anglicana pax prope deſperata. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VI. Eid. Mart. M. DC. XLV.

Admo-

Digitized by Google

Admodum Reverendo, & Religioſiſſimo, doctiſsimoque Viro, P. Petro Cazræo Societatis Jeſu, Metenſis Collegii Rectori ſapientiſsimo

PETRUS GASSENDUS S.

PEllegi, optime Caazræ, quam dignatus es ad me dare, ac publici juris ſimul facere demonſtrationem Phyſicam, qua ratio accelerationis in motu rerum gravium naturali determinatur. Agnovi verò inprimis, &c. Pariſiis Eidibus Martii M. DC. XLV.

Habetur ſub titulo, De Proportione, qua gravia decidentia accelerantur, Epiſtolæ.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

QUam verendum, optime Princeps, ne viresimmenſæ, quas apparat Turca, in Chriſtianorum Principum magnum dedecus comparentur! quippe res eò ſunt deductæ, ut nihil copiarum tranſmitti eò poſſit, ubi timetur impetus, & ne Hiſpanus quidem in eo eſt, ut facile petat, impetret-ve pacem, ac privato occurrens malo, alius ad commune arcendum invitet. Spectatores erimus ipſi; ſed neſcii interea quid ſecum vehat Heſperus; utinamque Polyphemus ille de nobis vorandis non cogitet demum, aut viſuri ſaltem non ſimus ipſum Summum Pontificem Avenione rurſus ſedere coactum. Niſi certe ter-Optimus, Maximuſque Deus proſpiciat, ſuamque ipſe cauſam tuetur, nihil non ſubeſt periculi, adeo eſt damno avertendo Chriſtianus Orbis imparatus. Nam quod ille quidem ſolam Melitenſem obſidionem cogitet non eſt admodum veriſimile; utcumque *cauſa mali tanti conjux iterum, &c.* dici poſſit, *Sed exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.* Ad res Germaniæ quod attinet, dicitur jam Spiræ agere Turennius, tranſlatis eò ſarcinis, quas dudum habebat Moguntiæ. Turſtenſonus trajectu Egra Pilſenum verſus recta contendit, Imperatorium exercitum illeic degentem adoriturus; verumtamen Cæſarei Duces mature caſtra inde moverunt; ac tametſi ille inſectari pergat, creduntur nihilominus ipſa quaſi Imperii fata prælii fortunæ non commiſſuri. Cepit Koniſmarkius Stadenum, Setedanum ve inſignem Urbem in Archiepiſcopatu Bremenſi; ſuntque etiam aliæ, quæ aut captæ jam, aut brevi capiendæ ſperentur. Mire aliunde Urangelus graſſatur ſemper in Dania, donec nimirum præſto non ſunt, quæ obſiſtendo vires ſufficiant. Anglicana pax deſperata, & viginti hominum millia a Parlamentariis decreta *Farfaxio*, quem totius militiæ Ducem, Imperatorem-ve jam delegerant. Cepere aliunde Parlamentarij Portum unum, aut alterum ex ijs, qui Regi ſupererant in Orientali littore, ac Plimmuthum ab obſidione inveterata liberarunt. Tu, o Principum optime, ac dulce decus meum vale. Pariſiis XVI. Cal. April. M. DC. XLV.

E I D E M.

NOn demiror, optime Princeps, evocaſſe Hiſpanum è Sicilia milites, quo tempore fuerant in eam deſtinandi. Nimirum cum ipſa Hiſpania ſit Imperij cor; cui paroxyſmis laboranti, dum Catalonia, Luſitaniaque velut Syſtolen, ac Diaſtolen creant, ſubveniendum præcipue ſit, idcirco potiorem Hiſpaniæ, quam Siciliæ rationem habuit. At, inquis, Turca eſt in procinctu, ut invadat Siciliam, forteque etiam ipſam Calabriam. Id incertum, excipiet ille, cum & Turca quoque vireis comparare in unam Meliten perhibeatur; certum autem eſt fore, ut in Hiſpania imperar, intereſtque aliunde, ut non obſiſtam modo hoſtibus inſultantibus, ſed hactenus etiam obtruſos expellam. Niſi verò cum impar ſim, qui Hiſpaniam ſimul, & Siciliam tuter, ſatius non eſt, ut alteram viribus compoſitis ſervem, quam ut utramque diviſis amittam. At periculum grande interim ne detrimentum graviſſimum Religio Chriſtiana patiatur? Id non mihi probro vertetur, ſed Gallis, qui ſuis irruptionibus effecerint me impotem ad avertendum tantam perniciem. Sed malum è Gallia acceſſiit affectatio Catholici, hoc eſt generalis in Chriſtianos imperij; at præſtabilius eſſet pœnas ambitionis patienter ferre, quam facere cauſam pietatis diſertam? Heic verò, an canetur ſurdo? an, ut vulgo objicitur, ille eſt ita excepturus, ut ad populum phaleras? an illud quoque repoſiturus Eheu,

Vare, reguſtatum digito terebrare Salinum
Contentus perages, ſi vivere cum Jove tendis.

Ἐπέχω, exoptoque ſolum, ut ſaltem flectat animum ad depoſcendum inducias, aut pacem potius, qua valeat Intima firmare, extima tueri. Quid eventurum porrò putemus, ſi verus ſit rumor, qui heic de accepta a Cæſare clade conſtanter crebreſcit. Ferunt ſcilicet Torſtenſonum inijſſe prælium cum Cæſarianis; ſolidum diem in eo conſumptum; cæſa hominum decem millia [ſunt qui perhibeant XV.] Pediratum totum Cæſaris proſtratum, interfectum Halfeldium; Goëſum, & Verthium manu-captos, Cæſarem ipſum Praga dimiſſa, vix ſe recepiſſe Paſſaviam. Ac tale quidem nihil habent Franco-furtenſes, Colonienſeſque ante dies decem datæ litteræ; imo nec quas vidi Pragenſeis, ſcriptæ a diebus novemdecim; ſed habent tamen ſcriptæ Ambergæ in ſuperiore Palatinatu, decimoquinto ante hunc die. An verò, ſi res ita habeat, æquum eſt, ut Auſtriaci ſibi plaudant, ac efferantur? Sane res ejus momenti eſt, ut non videatur, donec uberius conſtiterit, rata habenda. Addunt Tranſylvanum tendere Olomontium, ut obſidione eam liberet; ac ſi Imperator Oppida in Hungaria ab illo capta repetat, deſtinatum habere a Turca ſubſidium. Cepere ad-hæc Urangelus Arceis, & Koniſmarkius Urbeis inſigneis; ac ipſe Bremenſis Archiepiſcopus ſeſe in Inſulam recepit. Quare & nihil mirum, ſi Sveci eas Dano conditiones pacis proponant, ut triplicem amplius Coronam non geſtet, ut ſe amplius Regem Gothorum, Vandalorumque non venditet; ut vectigalibus mare ſolvat, ut præcipua quædam præſidia dejiciat, & alia ejuſcemodi. Futurum erat nuper in Anglia, ut convocato Londinenſi Conſilio, & hominibus Conclavis utriuſque Parlamenti aſſiſtentibus, recitarentur quæ acta fuerant circa pacis negotium, cum Rege non ita

qui-

pridem agitatum. Verendum autem, ne decretum in eo conſequenter fuerit, ut ejurata omni in Regem reverentia, obedientiaque, de regimine novo provideator. Recepere interea Parlamentarii Wimuthum, nec ſine magno fœnore prorſus, ut appareat nullam poſſe Regi felicitatem eſſe conſtantem. Tu conſtanter vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis IX. Cal. April. M.DC.XLV.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro, D. Antonio Franciſco Payeno, Juriſconſulto Avenionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

ACcepi ſolum nuperis diebus quas dignatus es ad me dare poſtridie Calendas Novembris. Significare id poterit, qui tradendas acceperat, ac eria ipſe ea æquitate, ut nihil mihi ſuccenſeas, ſi tardius ecce, quam debueriin reſcribam. Pervellem feciſſe maturius, vel gratiarum ergo, quas debeo, quaſque quam poſſum maximas habeo ob præclarum, quod litteris accedere voluiſti, munus. Id certe gratiſſimum fuit, quod ut ſymbolum tuæ benevolentiæ, ita ſpecimen fuerit ſingularis non modo tuæ, ſed fraternæ etiam, hoc eſt, gentilitiæ eruditionis, & elegantiæ. Addam-ne me fuiſse quoque delectatum ejus loci recordatione, in quo fui & ipſe ante annos unum, ac triginta inauguratus? Inclytæ certe Academiæ non poſſum unquam ſine affectu gratitudinis meminiſſe. Prodiit (quod requiris ex me) circiter id tempus, quo ad me ſcripſiſti, Bullialdi Aſtronomia: & quantum accepi, illius exemplum tranſmiſſum ad eximium Tondurum San legerium fuit. Tu illum, quæſo, meo nomine ſalvere quam-plurimum jube. Jube & Germanum, ac vale. Pariſiis IX. Cal. April. M.DC.XLV.

Reverendiſsimo Præſuli, ac Domino D. Joanni Caramueli Lobkovvitzio, Myſienſi Epiſcopo, & Sanctæ Eccleſiæ, Sediſque Moguntinæ Suffraganeo

PETRUS GASSENDUS S.

ACceperam jam tuas litteras Menſa ſuperiore Francofurti datas, cum diebus ecce nuperis priores illæ redditæ ſunt, quas ſcripſeras Menſe Januario. Haſce expectabam, ut poſſem tum cumulatius gratulari, tum meam uberius teſtari lætitiam ob novum, in quem es promotus, gradum. Facio jam autem, ac ſimul vuveo, ut quod dicitur, verè gradus ſit, nempe, quo ulterius ad quod uſque culmen es promeritus, evcharis. Quantæ nam interim virtutis eminentiſſimus eſſe Princeps debet, qui te ejus virtutis Virum ad id munus delegerit, ad quod plerumque Aulici, ambitioſique aſſumuntur. Beaſti me certe, innuens meum nomen non eſſe illi inoditum; pervelimque eſſe in me, unde & tueri, quam illi de me feciſti opinionem, poſſim; & fieri ea, qua erga cultores bonarum artium afficitur, benevolentia non indignum. Nullæ ſunt tuarum litterarum, quæ meminerint tibi redditam, quam quæſiſti ex me Doctorum facultatis hujus almæ conſcriptorum cunſenſionem; ſed habueris modo, id mihi ſat eſt; cui aliud nihil cordi fuit, quam ut tibi quocumque tandem poſſem modo, gratificarer. Ad nuperam Lunæ Eclipſin quod ſpectat, obſervavi illam ſatis diligenter; quippe fuere Phaſes a me proxime octoginta notatæ. Cetera inter principium Teleſcopio inſpectum contigit hora 5. min 34. ſcilicet Procyone jam alto 22. grad. 53. min. Finis autem hora 8. min. 40. nimirum Corde Leonis alto 34. grad. 35. min. & Cervice 38. grad. 35. min. ac ipſa ſtatim Luna inferiore, margine 34. grad. 19. min. Defectus promotus ultra digitos novem, ſemiſſemque non fuit. Tu optime vale, ac me ſemper ama. Pariſiis VIII. Calend. April. M.DC.XLV.

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

FAlſus haud fuit rumor ille, quem nuper ad te de inſigni clade ab Imperatore acceptа perſcripſi. Interfectus tamen Halſeldius non fuit, ſed captus una cum aliis pleriſque ex primoribus Ducibus. Goeſus non captus, ſed cæſus, & Verthius nec cæſus, nec captus, ſed elapſus incolumis cum parte Equitatus non parva; commiſſum prælium Janienſii tertio a Tabero milliari pridie Nonas, ſeu ſexta Menſis; & cruentum quidem præſertim a pomeridiana ſecunda in noctem; cum a ſexta uſque matutina velitationes leviores cepiſſent. Conſtabat Svecus exercitus millibus militum viginti, Imperatorius ſexdecim; feruntque ex his octo millia in ipſa acie trucidata. Erat tum Imperator Pragæ, & Galaſum mox tradere judicibus meditabatur, cum exercitus jactura accepta, tum Urbis tutelam Galsio commiſit, tum propere Viennam conceſſurus diſceſſit. An Torſtenſonus deinceps Pragam cogitarit, an in Moraviam contenderit, nondum habetur ſatis compertum. Pergunt continenter Koniſmarkius, & Urangelus quo ceperunt pede. Pacis negotium Danos inter, & Svecus agitari ceptum ab initio circiter Menſis. De Anglicana nulla amplius mentio; ſed cura eſt tota hinc inde in exercitibus comparandis, unde & miſiſſe dicuntur Parlamentarij ad Farfaxium librarum ſterlinarum octoginta millia. Regina verò conjux ad Regem quinquaginta millia, quæ & felicius perlata ſunt, quam piſtoletorum, ut vocant, tria millia, quæ fuere Vimuthum devecta, cum a Parlamentarijs fuiſſe receptum, ignoraretur. Munaſterii deprehenſum eſt Hiſpanorum procurationem non carere captionibus. Cæſarei verò agere de aſſerendo in libertatem Archiepiſcopo Trevirenſi in præliminaribus recuſant. Longavilla nondum eò diſceſſit, ſed Balneoli ſemper, quaſi in itinere commoratur; neque niſi noctu, & quaſi ignotus accedit ad Urbem. Quid rerum novarum in Senatu intervenerit ex litteris aliorum cognoſces; uti & futurum proxime diſceſſum Cardinalis Valencæi, quicum noſter eſt nudius-quartus Villa-Regij colloquutos. Inviſit me nuperis diebus eximius

Vir

Digitized by Google

Vir P. Petitus, quem natalium jure tibi ſubditum; & Matheſeos non practicæ minus, quam Theoricæ eruditione celebrem noſti. Cum ſermo autem incidiſſet de Provincialibus munimentis, & ipſe inſinuaſſem exoptare me, ut quæ potiſſimum Toloni, Stæchadicisque Inſulis deſone, ipſius ductu perficerentur, teſtatus eſt ille poſſe nihil ſibi jucundius contingere, quam ſi induſtriam tuis ſub auſpiciis explicare concederetur. Ego verò recepi ſtatim me hacce de re ad te perſcripturum, ratus, niſi alium deſtinaſſes jam, fore ut ipſum huic operæ, & deligeres, & præficeres lubens. Scribo proinde fiduciæ plenus, tum quia nullus hæreo, quin pro tuo in me amore licentiam hanc meam boni conſulas; tum quia ſum certus eventurum nunquam, ut te, ſi forte illo utaris, uſum fuiſſe pœniteat. Scilicet abunde illius ingenium, ac hiſce ſpeciatim in rebus experientia perſpecta eſt; neque ipſe opinor neſcis fuiſſe illi commiſſam curam a Cardinali Richelio abſolvendorum præſidiorum, quæ maxime habebat cordi. Vale, Principum optime, vale o meum decus dulce. Pariſiis, prid. Cal. April. M. DC. XLV.

Viro Clariſsimo, ſapientiſsimoque D. Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Palæopoleos Scabino

PETRUS GASSENDUS S.

AMplius menſe eſt, ex quo habeo non tuas modo litteras pridie Nonarum Januarii datas, ſed duos etiam recentiores Lunarium Phaſeon ectypos, ac ipſum exemplum Ephemeridum, quo tu, eximiuſque Eichſtadius eſſe me donatum voluiſtis. Tenuit me verò neſcio quis torpor, ne dum reſcribendi occaſiones procraſtinando prætereo, ad te maturius reſcriberem; ac parum abfuit, quin etiam jam oblatam prætermiſerim, Rus videlicet conceſſurus. Sed neſcius nimirum proximis-ne diebus, an nonniſi feſtis exactis, rediturus in Urbem ſim, committere nolui, ut tametſi ſperem uberius poſtea reſcribere, non paucis ſaltem verſibus res acceptas ſignificarem. Attexere autem par eſt, quas debeo, & tibi, & Viro magno magnas gratias, quaſque ut reſcire per te ille poſſit, fore confido. Cum nihil verò ſit ad manum, quod vobis fore acceptius putem, quam editam nuper a noſtro Bullialdo Aſtronomiam, credidi jam ecce illius exemplum eidem *Cramoiſio*, quo intercedente accepi Ephemeridas; ut cum ſe curaturum ipſius tranſmiſſionem receperit, fieri qualiſcunque compenſatio poſſit. Adjunxi autem exemplum libelli, qui *Ariſtarchus Samius de Mundi ſyſtemate* inſcribitur; quique, tametſi ſuppoſititius, induſtrius eſt tamen, & nullibi proſtat. Hæc ſuo tempore habiturus [lenta enim tranſ-vectio eſt] habebis heic interim, quod dum ad te ſcribo fieri exſcriptum jubeo obſervationis a me per-actæ circa Eclipſin nuperam, quod poſſis cum eodem Eichſtadio, aliiſque amicis facere commune. Io ipſo cum ille perſpiciet præſcriptam a ſe durationem toto pæne horæ dimidio ab obſervata diſcrepare; agnoſcet profecto videri non tam ipſius calculi, quam Tabularum vitium, vel ex eo, quod nemo non deduxerit durationem hanc æquo prolixiorem. Quanquam, ſi vobis quidem favit, ut ſpero, Cœli ſerenitas, id jam procul-dubio animadvertiſtis; ac pervidiſtis, quod Seneca ait, multum reſtare operis, neque adiiciendi adhuc aliquid occaſionem eſſe præcluſam. De Phaſibus nihil adhibeo ad ea, quæ ſunt a me perſcripta ſuperioribus litteris; quando ipſe es potior judex; & mihi, quid-nam videretur inſinuaſſe abunde eſt. Nam Caſpiam quidem maculam obſervatam pridem a me variantis configurationis, deprehendes ſatis ex illa, cum acceſſerit, Aſtronomia. Lapidi dixiſti, quod dignatus es de Teleſcopio admonere; etſi, ut verum fatear, partim pigreſcens, partim aliis occupationibus abductus, nondum ejus rei periculum feci. Si velis quidpiam ad cenſuram Lobkovvitzii reſpondere, tibi per me integrum eſt; quippe & initio conſtitui nihil adverſus illum inſtare, & ad ipſum quoque Auctorem, qui jam Moguntinus Suffraganeus, privatim reſcribens, verba hæc inſerui: *Adhæc tametſi non agnoſcam, qui duo illa Theoremata deſcripto a me apparenti Stellarum motui adverſentur; id tamen, quod ex ipſis urges, ejuſmodi eſt, ut comitatem ſuſpicere, quam regerere quidquam malim. Scilicet vice omnium argumentum unum ſat eſt, ſi quinque illi novi Errones Jovis Sydus adhuc circumſtent; tum, niſi ita ſit, mea conjectura perinde ſemper vigeat; ſaltem quod attinet ad Stellas Teleſcopio ſolo conſpicuas; qualeſque a ſe obſervatas (unica excepta ex cognitis pridem) Vir Clariſſimus Joannes Hevelius Dantiſcanus ſignificavit*. Beabor, ſi quando complecti præclarum Conſobrinum detur. Videbor enim mihi teipſum Complecti, coramque effari, & quæ pervellem fane tibi, obſequia ipſi exhibere. Plura alias. Vale interea, ac meo ſemper nomine clariſſimos Viros ſaluta. Pariſiis Calendas Aprilis M DC. XLV.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

VErum eſt quidem, optime Princeps, non omne malum ex Aquilone, ſed, jam ex Oriente impendere ingens; at noſti profecto horriferum Boream feciſſe occaſionem Euro, qui ad Perſida, & matutinis radiis ſubdita juga receſſerat. Nec verò eſſe dubium poteſt, quin Turcicus ille efflatus ſit Chriſtiano Orbi metuendus; ſed neſcimus ſane quò ſit evaſurus, qui labem in Catholicum ſpargere Svecicos cœpit. Optandum nobis fuerat, ut Auſtriacorum ambitio fræno quaſi coërceretur; ſuitque ipſi temperandæ non omnino inutilis irruptio illa Aquilonaris; interim tamen effera gens eò jam evaſit potentiæ, ut, ſi pergat, verendum ſit, ne ambitione detumeſcente, etiam cor ipſum labefactetur. Docebit dies an-non ex iis, quæ circa pacis negotium pæne inſuperabiles difficultates excitabuntur, futura non poſtrema ſit e victrice illa, ſuperbaque gente. Docebit & num Hæreſis, quæ ſerpſit jam tantopere, radices exinde firmiores, productioreſque ſit habitura. Deus Optimus optime omnia vertat. Scribitur Praga evaſiſſe ex nupero prælio Cæſarianorum millia quinque, cæſa quatuor, capta quatuor, atque ſemiſſem. Non obſediſſe Torſtenſonum, ut creditum

Digitized by Google

ditum fuerat, Taberem, ſed ſucceſsiſſe in Moraviam, ubi inaudita exercitus clade ſponte liberatum obſidione Olmuntium. Timeri, ne ille brevi ſubigat non totam modo Moraviam, ſed etiam Auſtriam, qua parte ipſam, Danubiumque interjacet, & accedente potiſsimum, quem advocavit, Tranſilvano. Exercitus regendi curam ab Imperatore Galaſo commiſſam, ac ituras in ipſum copias tum ex prælio ſuperſtites, tum quæ reductæ a Valſtenio ex Olmuntina obſidione. Interim porrò, ne Bavarus vireis iterum conferat, traiicit ecce Rhenum Turennius cum decem hominum millibus, negotium illi in Bavaria facturus. Diſceſsit Colomeſium Longa-villa ante dies ſex; conceſſurus inde Monaſterium illico a feſtis exactis; nempe quò Vir eòdem contendit ex Hiſpaniæ Primoribus, Burdigala tranſiit ante dies decem. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VII. Eid. April. M.DC.XLV.

E I D E M.

PLenæ ſacro hoc die aures rerum piarum, Divinarumque vix admiſere quidquam vulgarium, atque humanarum, quod ad te perſcribam. Inaudii ſolum Imperatorem ſe Viennam quidem (& non magno cum comitatu) recepiſſe; ſed Svecos, qui ſub Torſtenſono eò uſque ſic excurrere, ut, Tranſilvano aliunde accedente, periculum ſit, ne illeic tutus diu non conſiſtat. Recepit Verthium Bavarus cum millibus Equitum tribus ex nupera clade ſuperſtitibus, ac fertur quam-maximum poteſt exercitum cogere, quo fretus, niſi Imperator de ineunda pace generali ſerio cogitet, ſpecialem ſibi ipſe procuret. Id ſi contingat, mea, de que aliàs, conjectura non male cedet, quanquam eò redactæ ſunt Cæſaris res, ut tergiverſandum nihil amplius videatur. Trajecit quidem Rhenum Turennius; ſed quorſum iturus nondum exploratum. Urangelus Arce Margaritana capta, Gluſtadiem prope obſidet; & Koniſmarkius capta Rottemburgica nihil jam facit reliquum iis, quæ e Danis occupabantur in Archiepiſcopatu Bremenſi. Perhibent etiam oppidum neſcio quod ab Haſſiacis captum. Plura addere jam non vacat. Tu o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Eidib. Aprilis M.DC.XLV.

E I D E M.

NIſi nuper mentionem ullam acceptarum abs te litterarum habuerim, veſtigio-ve quaſi ſubnotaverim, fera nimis redditio fecit. Nunc etiam, ſi quid forte rerum ad me ſcribere es dignatus, in manus nondum incidit, ut poſſim proinde illius inpræſentiarum meminiſſe. Moveret me, quod inſinuavit præclarus Neuræus ſuis litteris, expertiiſſe te, ut conquereretur, quod deſtiterim ad te ſcribere; ſed nimirum, quod conſcius ſim nullam occaſionem a me prætermiſſam obtrudendi tibi garritus mei aliquid, rem ita ſum interpretatus, quaſi eum arguere pro tua comitate, taciteque velocria, quod non accederet ad te ſatis frequens. Auguror quippe quæ eruditio, virtuſque ejus eſt ſingularis, delectari non parum te illius conſuetudine, ac ipſum, qua moderatione, reverentiaque erga te eſt, nolle tua illa eximia affabilitate abuti. Rerum novarum ut quidpiam attexam, promovet ſemper Torſtenſonus victricia arma per Moraviam, Septentrionalemque Auſtriam, ac cæſis duobus millibus Cæſarianorum Equitum, tum arceis quaſdam alias, tum præſertim Cremium ad Danubium cepit. Cogit interim cetus Imperator per ditiones hæreditarias, ut calamitati inſtanti occurrat, liberique ipſius Gradiſcam cum Avia profecti, ſuppeditari milites, pecuniaſque paſſim depoſcunt. Offenſus Rex Daniæ conditionibus ſanciendæ paci præ-equiſitis; agere jam amplius de ineunda non vult, fretus copiis navalibus, quibus præeſſe ipſe contendit. Verendum eſt tamen, ne peſſime vertat, quando, niſi ineatur pax, inaudio Hollandos in procinctu eſſe, ut vim navium ingentem cum Svecica conſorant, neque ſatis liquet, quî obſiſtere generoſus ille Rex poſſit. Conſiſtit ſemper Durlaci ultra Rhenum Turennius; ac inſtituturus iter in Franconiam creditur, quò Haſſiaci quoque jam contendunt. Coacta certe ad Neccarum ſeptem Bavarorum millie perhibentur, quò illum, ſi traiicere fluvium meditetur, impediant. Acceſſit interim hoc a Bavaro duce, qui Vir e Societate Jeſu a confeſſionibus ipſi eſt, neque, ut par eſt credere, abſque procuratione ad pacem ſpectante. Ex Anglia aliud nihil habeo, quam exercitum Parlamentariorum ex quatuordecim Peditum, & ſeptem Equitum millibus conflatum, in pedes jam ſtare. Addunt cæſos in Scotia fuiſſe quotquot e Regia partibus erant illeic ſuperſtites; verum id non perinde conſtat. Tu o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, XI. Calend. Maii M.DC.XLV.

E I D E M.

JUre ludibrium demiraris, quo Galaſum nunc deprimit, nunc mutata vice erigit fortuna. Ecce illum denuo militiæ præfectum; licet Leopoldus Archidux ſit generaliſſimus creatus. Cogit ille exercitum quanta maxima poteſt diligentia; expectatque etiam eas copias, quibus Gleenus & Lambuyus præſunt; tametſi oportet, ut quidquid eſt pæne Equitatus ad Cæſarem mittat. Dicitur porrò Cæſar non modo ratam in multos annos obtinuiſſe a Turca concordiam, ſed iniiſſe quoque cum Tranſylvano pacem, ceſſis illi ſeptem, præter occupatos in ſuperiore Hungaria, Comitatibus, depulſis ex ea Regione Societatis Jeſu Religioſis Viris, & Lutheranis, *Proteſtantibus ve*, ut vocant, in ipſam inductis. Scribunt nihilominus Cæſarem non diu Viennæ conſtiturum [dimiſſis jam Matre, Liberiſque in Styriam cum pretioſa quaque ſupellectile] maximeque, ſi verum ſit captum jam ſecundo ab urbe milliari a Torſtenſono Cornemburgum, ac inde ad ipſum uſque Pontem excurri. inſignem ferunt apparatum, quo Sveci, qua Terra, qua Mari circum Stokolmium ſe comparant; & mox diſceſſurum ab hybernis Hornum grande neſcio quid meditari. Obſidet aliunde Urangelus Rogensburgum, ſuntque eò etiam nonnullæ copiæ deſtinatæ a Koniſmarkio, tanquam jam ſecure Bremenſis Archiepiſcopatus potiunte. Rediit ad ſeſe Daniæ Rex, ſpeſque affulget iterum, ut brevi pacem cum Svecis ineat; utcunque illi obex jam præcipuus a Cæſare ſit, qui ne ille conſentiat, ingentem pecuniarum vim ſperandam ex Hiſpania facit. Ac rumor eſt quidem Hiſpanicam claſſem eò jam contendiſſe, circum luſtrata magna Britannia, per Mare Deucaledonium; ſed is-ne verus ſit, dies brevi docebit. Trajecit Nec-

carum Turennius, præmiſſo Roſa cum Equitatu, qui & profligavit Equitatum Bavaricum, & quidquid ſuperfuit ex ſeptem hominum millibus excedere verſus Danubium coëgit. Qui Vir Religioſus in Aulam miſſus fuerat a Bavaro reſponſum tulit non heic de pace, ſed Monaſterii eſſe agendum. Diſceſſit Grotius heſterna luce, iterque inſtituit Hamburgum. Ex Anglia nihil aliud ſcribunt, quam omnia ad prælium eſſe comparata, facta Farfaxio licentia, ut etiam in exercitum, in quo fuerit Rex, depugnare poſſit. Qui nuper nobis ex Flandria irrepſerat timor, diuturnus non fuit. Mottæ obſidio promovetur, ac futurum eſt, ut hebdomade proxima ſectis ductibus tendatur ad muros. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, IV. Cal. Maii M. DC. XLV.

E I D E M.

COgitare Arelatem, & porrò maritimam oram tua dignum providentia eſt. Utinam, niſi Claſſis noſtra ſatis ſe habeat proſpere [videlicet aliquot jam triremibus male exceptis] Hiſpanica ſaltem, cujus apparatum ſuperiorem longe noſtro perhibent, negotii nihil tibi faceſſat! Utinam etiam, quod de Principum Ducum expeditionibus auguraris, eventu ipſo comprobetur; & tam Æſtate proxima ſint, quam ſuperiore fuere felices. Aurelianenſis adhuc abeſt, ſed Urbem tamen inſequente repetiturus hebdomade, & mox in caſtra ſe recepturus. Enguenius etiam diſceſſurus paucos intra dies in Campaniam eſt; ac forte priuſquam tendat in Germaniam, opperiturus Lotharingum, qui Mottæ cum manu non parva laturus ſuppetias putatur. Cepit interea Turennius Hallam non ignobilem Sveviæ Urbem, & jam inſtituere iter Danubium verſus dicitur. Cepit & Torſtenſonus munimentum *Pontis* vocitati *Lupi*, quod Viennæ e regione eſt; ac tum ſuperius Pontem extruxit, quo obſtet, ne copiæ Cæſareæ coëant; tum inferius tranſmiſit manum militum, qui occuparint, communierintque neſcio quod Cœnobium. Ferunt interea Cæſarem aſſeruiſſe Archiepiſcopum Trevirenſem in libertatem, adduntque pacem cum Tranſylvano non eſſe habendam penitus indubiam. Quæ diſceptatur in Dania, ſperatur brevi ſucceſſura; utcunque Urangelus ſemper Rogenſburgum ſic urgeat, ut jam captum eſſe credatur. Monaſterienſis negotium in eo eſſe jam dicitur, ut Miniſtri Regii Hiſpanis, Imperatoriiſque exhibuerint Regiorum jurium commentarios. Res Angliæ ſemper in eodem ſunt ſtatu; niſi, quod unus ille primorum, qui Regi favebat, cupiaſque inſigneis habebat in Scotia, profligatus eſt, & proſtratus nuper. Tu, o Principum optime, & meum dulce decus, vale. Pariſiis, III. Non. Maii M. DC. XLV.

Admodum Reverendo, & Religioſiſſimo, Doctiſſimoque Viro P. Petro Cazræo Societatis Jeſu, Metenſis Collegii Rectori Sapientiſſimo

PETRUS GASSENDUS. S.

QUod non improbatis, optime Cazræe, mandari typis meam reſponſionem, ſeu qualecumque judicium de tua illa demonſtratione circa accelerationem gravium decidentium, cujus autographum ad te miſi, ſi modo vindicias, quas intercedente eodem nobili Senatore, & amico ſingulari, Franciſco Luillerio, dediſti ad me, juberem attexi; ecce non alia conditione Typographo annui, dum meam opellam exigeret, quam ut tuam ſimul accipiens, tuo deſiderio faceret ſatis. Uſus ſum autem ea licentia, quam abs te, &c. Pariſiis, Nonis Maii M. DC. XLV. *Habetur ſub titulo de proportione, qua gravia decidentia accelerantur.*

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

REdditas tibi fuiſſe meas omneis litteras vehementer gaudeo, non profecto quod tanti ſint, ut non periiſſe quidquam interſit, ſed quod eſſe tibi quaſi continens obſervantiæ meæ argumentum poſſint. Spes eſt te fore, cum hæ reddentur, reverſum Aquas Sextias. Utinam verò licuiſſet tibi oram tuam inviſere, & tot curis ſepoſitis, animum tantiſper laxare. Quanquam haud-dubie ſemper in id pro tua incumbis ſapientia, ut quidquid rerum ſeu publicarum, ſeu privatarum acciderit, erectam mentem ſemper contineas, ſerenam, & tranquillam ſerves; angorem omnem elimines, ac perpetuo memineris, ut bene vivere, ſic lætari. Sat noſti gaudium unum eſſe ex fructibus Spiritus Sancti, ſatque reputas quanti ſit, ut honeſtatem proſequi, ſic hilaritatem tueri. Non fuit ſane ea vana fides, quam te non habere vanam es perſuaſus. Quippe datum eſt affari amicum, reſcireque ex illo id, cujus me tu quoque pro tua bonitate certiorem feciſti; eſſe nimirum ſemper te conſtantiſſimo in ipſum affectu. Magna animos tenet expectatio, quò Roſæ obſidio evaſura ſit: utinam tam feliciter, quam ardenter optas ſuccedat; ac in fumum abeat ex oppoſito, quam Melitenſes Equites non tam metuere, quam cupere pro juvenili ardore ſcribis. Ad res, quæ poſſint inpræſentiarum ad te ſcribi, quod attinet, rediit ecce hodie in Urbem Dux Aurelianenſis ex aquis Borboniis; Enguenius brevi diſceſſurus, præmittit interim Grandimontium. Turennius capto Gerneshemio, ad Danubium uſque penetraſſe dicitur, & compulſo in ſtationem Verthio, eamque eo mille Equitibus, machinas tranſlatitias ſex, cum trecentis Bavaricæ ſarcinæ curribus cepiſſe. Torſtenſonus munita arce, quæ Viennæ e regione eſt, ac dum Tranſylvanum expectat, excurrit repente in Moraviam, eaque occaſione Galaſus pedem retulit in Bohemiam.

Urge-

Urgetur adhuc magno conatu Rugeusburgum ab Urangelo, dum Sveci aliunde ſeſe comparant ad obſidendum Magdeburgum. Spes eſt pæne certa futuram Svecos inter, & Danos pacem; cum in conditiones jam conceſſerint difficillimas omnium viſas. Longe-villa nondum Munſterum diſceſſit; ſed diſceſſiſſe jam perhibent redeuntem Munſtero Devalſium. Dicuntur Regis Angliæ res in peius ſemper ruere; ac recens narratur defectio primorum Regni quinque, aut ſex, qui Parlamento dederint nomen. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis iv. Eid. Maii M DC.XLV.

E I D E M.

EX eo quod optimus Campinius acceſſit Aques-Sextias, coniicio te quoque illuc appuliſſe; quando poſtremis litteris dignatus es eum dicere ut fidum Achatem, ſic laburum ſocium. Utinam modo, cum ille quandam valetudinis jacturam ſit paſſus, tuo ſteterit incolumis, ac porrò conſtans perſeveret. Rerum novarum ſi quid eſt boni, id temperetur detrimento, quod eſt in Germania perpeſſus Turennius, circumſtantiarum vix quidquam novum. Aiunt interim ipſum nihil metuentem, tanquam hoſtibus procul diſſitis permiſiſſe exercitum oppidatim diſtrahi, & copias in caſtris habuiſſe non multas, cum ſuperveniens repente hoſtis, & caſtra cepit, & ipſum-met in Oppidum quoddam ægre aufugientem, brevique capiendum inſequutus eſt, & reliquas copias ſero accurrenteis, adhucque diſperſas, delevit, & Duces inter cæteros, Roſem manu-captum abduxit. Voveo ut dies meliora doceat. Interea proviſum dicitur in Aula, ut Enguenius eò diſcedat, ineunte ſtatim hebdomade; comparato jam Aurelianenſi, ut repetat Flandriam, imperaturo exercitui, qui minimum ex millibus Equitum ſex, & Peditum quindecim conſtet. Quod ſupereſt autem, Torſtenſonus capto in Moravia Niclaburgo, rediit ad Danubium, perhibeturque obſeſſurus una cum Tranſylvano Piſonium, quod vulgo *Presburgum*, in ipſis Hungariæ, Auſtriæque confiniis. Ferunt Galatum acceſſitum Viennam, ut Cæſari præſes Conſilii Militaris adſideat, ac regimen exercitus interim commiſſum Comiti Bukenio. Speratur Saxo coiturus cum Svecis in neutralem ſtatum, & Koniſmarkius interea nihil non comparat ad obſidionem Magdeburgenſem. Urangelus, relicta exercitus parte in caſtris Rogensburgicis, exceſſit nuper cum reliqua, Haſfeldium præoccupaturus. Remora iterum injecta negotio de pace Danos inter, & Svecos. Expectari ferunt Monaſterii Archiepiſcopum Trevirenſem, & Longa-villa dicitur demum eòdem poſtridie diſceſſurus. Mortæ obſidio ſic promovetur, ut fuerit jam ante dies octo ad ipſam uſque foſſam perventum. Hollandi in procinctu ſunt, ut ſex intra dies Dordracum concurrant. Ex Anglia nihil certi habeo, litteris puta, aut non advectis, aut nondum certe redditis. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale, Pariſiis xiv. Cal. Jun. M DC. XLV.

E I D E M.

EXiſtimabam nuper te regreſſum Aquas Sextias, quod & accepiſſem reverſum Campinium, & litteras nondum habuiſſem, quibus dignatus fueras ſignificare te conſtitiſſe. Nunc, cum poſterioribus tuis, & aliorum etiam litteris cognorim, te eò feliciter rediiſſe, tum id gratulor, tum quos dies commoraturum ſcribis te, ut auſpicato tranſigas voveo. Quod de Capellano noſtro inaudiiſti, & ex me ſcire deſideras, in hunc ſe modum paucis habet. Qui Miniſtri Principes regia, publicaque negotia curant, fore providentes, ut Longe villa quamprimum eſſet e Normania redux, Monaſterium diſcederet, facturos ſe gratum illi cogitarant, ſi Capellanum, quem ſumme amaret, cujuſque peritiam, prudentiam, ac fidem perſpectam haberent una cum ipſo deſtinarent futurum a Secretis illi, procuratoribuſque aliis, tutius de pace ineunda negotii. Id, & Longa-villa abſente, & Capellano inſcio, decretum, ut illum mire delectavit, ſic iſtum mire perculit; quippe quaſi foret obex poſitus, tum ſtudio valetudinis, qua non ſatis firma fruetur; tum generi vitæ tranquillo, ad quod ſe huc uſque compoſuerit; tum exercitationi ingenii, cui viribus parem ſe agnoverit, & addixerit; tum illi animi libertati, qua non ex præſcripto, ſed ſua ex ſententia, quæ agenda, dicenda, ſcribenda eſſe viderentur aſſueverit; tum ſaltem ſpei revertendi Monſterio, cum Longe-villa, ſi forte illum ante rem confectam regredi contingat, ac non remanendi cum Viris, quibus-cum agens, Mari flammam, aut Cœlo Terram fuerit mixturus. Itaque poſt effuſas varias in amicorum ſinus querimonias, in eo, qua pollet ſolertia, induſtriaque, incubuit, ac evicit demum, ut per Longa-villam, perque Miniſtros rem gratam habenteis, licuerit volenti renunciare muneri; quod niſi fuiſſet ea, quæ eſt, & moderatione ſimul, & magnitudine animi, non modo non reiicere, ſed & ambire jure potuiſſet. Et ſic res quidem iſta ſe habet. Diſceſſit interea tandem Longa-villa, debuitque heri agere Rhemis. Davalſius juſſus eum opperiri; diſceſſuri ſunt intra unum, alterumve diem Aurelianenſis, & Enguenius. Priorem anteceſſit Gaſſio, qui-cum abiit Strada recogniturus exercitum, & renunciaturus Hollandis, qui e tertia die Menſis proximi cincturi Urbem quampiam obſidione perhibentur. Evaſit ſoſpes Turennius, trajecitque Mœnum ad Herbipolim, & Caſſellas ad Landgravium cum duobus Equitum millibus acceſſit præter cohortes varias, quæ partim Briſacum, partim Philippoburgum, partim aliò ſe receperunt. Sunt qui perhibeant Verthium eo prælio interemptum fuiſſe. Bavari eſſe in eo dicuntur, ut recuperent oppida a noſtris nuper occupata. Cepit Torſtenſonus Urbem neſcio quam in ipſis Hungariæ confiniis, apparatque pontem, quo Danubium tranſmittat. Præmiſiſſe ad illum fertur Tranſylvanus Bacorgaborem cum inſignibus copiis, juſſuſque Koniſmarkius eſt verſus ipſum accedere millia militum duodecim collaturus. Urangelus, re feliciter geſta, captoque etiam Friderichſtadio, ſic Rogensburgum regreſſus eſt, ut jam ipſum compellere ad anguſtias extremas dicatur. Poſtridie, quam dedi ad te ſuperiores, accepi Regem Angliæ ſic fuiſſe Oxonii concluſum, ut vix ſine periculo pedem referre concederetur. Audio jam Principes Rober-

tum,

tum, Mauritiumque eò acceſſiſſe cum magna ſatia militum manu, vixque futurum, quin Parlamentariis pluribus accurrentibus, certamen, & fortaſſis quidem decretorium, brevi ineatur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VII. Cal. Jun. M DC. XLV.

E I D E M.

UTinam Turca ſic irretiatur lis, de quibus ſcribis, voluptatibus, ut de moleſtia Chriſtiano Orbi inferenda cogitet nihil. Audio tamen, licet jam forte intactam ſinat Meliten, eſſe quamobrem Siculi timeant, & recens acceptæ Roma litteræ renunciant, centum eſſe Naveis, quæ jam Oris illis Siciliæ, Calabriæque immineant. Id mihi ſemper in votis eſt, ut Deus optimus optime omnia vertat. Diſceſſere hinc, ut perſcripſi nuper, Enguenius poſtridie, & Aurelianenſis perendie mearum litterarum. Quò hactenus evaſerint, quid molituri deinceps ſint, eventus nos brevi docebit. Sunt qui putent Enguenium non prius reviſurum Rhenum, quam Motta ſub jugum data fuerit; neſcio tamen ardor-ne ille contineri adhuc per unam, alteramve hebdomaden poſſit. Dicuntur Bavari ovantes illum operiri ad alteram ripam; ſed cui abſenti minas intentant, ejus præſentis, irruentiſque impetum haud-dubie non ferent. Servet illum modo incolumem Deus. Fortaſſis etiam Bavari aliò gentium revocabuntur, maximeque ſi verum ſit, acceſſurum mox Koniſmarkium in Haſſiam, & collatis cum Lant-gravo, cumque Turennio viribus in Bavariam irrupturus. Urget Torſtenſonus Brini obſidionem, neque de futura brevi deditione, tametſi poſt tertiam repulſam, deſperat. Urget & ſuam Urangelus, poſtquam digreſſus iterum, tria Danorum millia interſecit, aut cepit. Scribunt aliunde Hornum obſidere Chriſisnoſtadium, & Claſſem Hollandicam, ſuperato Sundo, in Balthici Maris amplitudinem penetraſſe. Exiit Oxonio Rex Angliæ; interim autem Farfaxius Tautunica obſidione ſoluta, acceſſere dicitur Scotus, ut eorum inter exercitum, ſuumque, ipſum Regem concludat. Tranſiit Longa-villa Carolupoli, Moſa vehendus Leodium ultra. Qui Regis Luſitaniæ Legati Monaſterii ſunt, agniti non modo a noſtris, ſed etiam a Svecis, ceteriſque fuere, ipſis Hiſpanis, Cæſarianiſque vix quidquam murmurantibus. Hæc jam abſolvebam, cum inviſit me præclarus noſter Capellanus. Significavi illi quid nuper dignatus fuiſſes de eo rogare. Ipſe verò, quod tua dignum recordatione cenſueris, dici non poteſt quanto ardore expetierit gratias tibi per me agi; ac inſinuari quanta te veneratione proſequatur. Id ergo hiſce verſibus præſto, ſponſorem ſimul præſtans me eximii, quo niter candoris. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Cal. Jun. M. DC. XLV.

E I D E M.

PAucis te hac vice morabor, nam quod roſas quidem licuerit exeunte Maio carpere debet res tibi eſſe comperta. Quod ſupereſt, omnia in procinctu ſtant, ac prope diem eſt, ut multa erumpant. Brevi ſcilicet innoteſcet, quid conſilii Aurelianenſis, Engueniuſque ceperint; quid rerum Hollandi attentaverint; quo impetu Koniſmarkianæ, Lant-gravianæ, Turennianæ copiæ Bavaros repreſſerint; quo ſucceſſu obſidiones Mottæ Brini, Rogensburgi evaſerint; quid Parlamentarii Oxonium obſeſſuri præſtiterint; aliaque ſtatim renuncianda. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus. Vale. Pariſiis, V. Eid. Jun. M DC. XLV.

Fuere mihi litteræ tuæ redditæ, cum has obſignarem. Reſcribam, Deo bene propitio, proxima occaſione uberius. Memini interea fuiſſe ante unum, alterum-ve Menſem affixum Programma per Templorum valvas, perque compita, quo ſignificaretur adeſſe, qui Sclavonicum idioma doceret. Requiram illum, itaque, & quidquid reſciero, de ipſo perſcribam. Tu mihi perſcribe, ſi quid actum velis. Vale iterum.

E I D E M.

VErſatur adhuc in Civitate is, quem ſcripſi nuper docere poſſe Illyricam linguam. Quamobrem expecto, ſi quid ſorte ſit, quod ſis me juſſurus agere cum ipſo. Noſti ſcilicet, quanto jure ſim quidquid demum volueris me, ad obſequendum comparatus. Ingreſſus jam eſt Aurelianus in Flandriam, ac munimenta aliquot, quæ fuerant progreſſui obſtitura, cepit. Debent Hollandi jam exſcendiſſe; quòd tamen, nondum eſt compertum. Enguenius hæret adhuc Metis, obſidionem obſervans Mottæ, quæ per pyrios cuniculos ſubverti hac heſterna debuit. Dicitur ejus exercitus ex hominum millibus duodecim conſtare. Qui conflatus ex Turennianis, Koniſmarkianis, & Haſſiacis copiis eſt, non eſt minor millibus Equitum novem, Peditum quatuor. Bavaricus partim Equitum, partim Peditum millibus decem non eſt major. Quare & dicitur jam ſemel, iterumque in fugam actus, ac potiſſimum ad Kirchemium, cujus promotam jam obſidionem tribus cum tormentis bellicis dimiſit. Cepit tandem vi Torſtenſonus Brinum, ac in eo eſſe jam dicitur, ut Spilbergam perinde capiat. Acceſſit Gabor interea, Bukenio nequidquam obſtante, cum ſex Equitum millibus, ipſeque etiam Tranſylvanus ſperatur brevi cum viginti hominum millibus acceſſurus. Creduntur, viribus collatis, obſeſſuri una Presburgum; eamque ob cauſam Archidux immiſit recens partim in urbem, partim in arcem milites mille, & quadringentos. Cepere aliunde Sveci Torgavium in Saxonia. De obſidione Rensburgica ab Urangelo nihil accepi. Spes iterum non parva eſt pacis inter Danos, Svecoſque ineundæ. Obſidetur reipſa a Farfaxio Oxonium. Tendit interea Angliæ Rex in Regionem Eboracenſem. Receſſerunt ex ea Scoti, & prætextu eundi in Ceſtriam, per Cumberlandiam, regredi putantur in patriam. Nempe in ea Regis res habuiſſe ſe nuper non infeliciter dicuntur. Si ille, citra inſignem cladem, ſuperare Æſtatem poſſit; eſt cur non deſperet res poſſe reſtitui. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XVI. Cal. Jul. M. DC. XLV.

Iſta nondum abſolveram, cum inviſit me egregius ille juvenis, qui Illyricam linguam profitetur. Ipſum nondum fueram affatus; ſed revera mihi eſt viſus & probatis moribus, & eruditione inſigni. Requiſivi illum inter cetera, an ſi forte iſthoc concedendum foret, comparare ſe ad hoc poſſet; reſpondit verò ſeſe omninò, quidquid ſuaſero, præſtiturum. Tuum jam quid optes, explorare labor; mihi ſat juſſa capeſſere. Vale iterum.

EIDEM,

Digitized by Google

E I D E M.

BInas abs te habui heri litteras, datas ſcilicet tum poſtridie Nonas, tum Eidibus ipſis. Aderant, cum illas accepi, noſtri, Luillerios, Capellanus, & alii Viri eruditi, qui pellectas prius a me, cum legere quoque ipſi expetiiſſent, dici non poteſt, quam fuerint & eruditam ſententiam, & elegantem dictionem mirati. Vidit interim Capellanus ipſum ſui elogium; ac tum eſt erga te teſtatus ſingularem plane gratitudinem; tum commendandæ heroicæ tuæ virtuti finem vix fecit. Vacat heic jam regia Matheſeos profeſſio; ac ipſe urgeor undique, ne mihi oblatam, & jam aliquoties a me recuſatam reiicere pergam. Neſcio an ſim tandem me vinci paſſurus. Si faciam, ea erit conditio, ut renunciare non indecore quam-primum mihi libuerit, liceat. Scilicet te ſemper ita cogito, ut nullam mihi remoram, ſi quò me voces, factam velim. Rerum novarum ut quidpiam habeas, cepta ſuere Cleri Comitia, quibus Cardinalis Lugdunenſis præeſt, cum hac hebdomade ineunte. Tempore eodem, Reginæ juſſu, inquiſitionum claſſes curiam repetierunt. Trajecit Aurelianus Colmam, ſed non ſine cæde hominum, ut ajunt, circiter ſexcentorum. Sunt qui putent Picolomineum, ſeceſſione facta copiarum Lamboii, commiſſurum prælium noſtro cum exercitu; ſed neſcio tamen juſſus ne ſit talem experiri fortunam. Excendere Hollandi, ac ipſis dicitur Bekus obſiſtere. Quod autem Brederodius cum exercitus parte per Philippinam, & Taſium, occupare Regiunculam *Vaëſiam* dictam adnitatur, videtur omnino obſidio impendere Antuerpiæ, cum hac ratione Scaldis ſit quaſi in compedes iturus. Cuniculi ad Mottam ſucceſi, moleſque ingentes emotæ; at non eo ſucceſſu, quo noſtris aditus liber patuerit; quippe & huc uſque repulſam ſunt paſſi, & Magalotto ob lethale vulnus ad caput inflictum proſtrato. Diſceſſit heri Villa regius, qui, & ſuccedat, & rem conficiat. Pervenit Enguenius Savernam; & quas litteras habeo fide dignas ex illius exercitu, tribuunt ipſi omninò millia peditum ſex, Equitum tria cum ſemiſſe. Turennianæ copiæ una cum adjunctis numerum excedunt, de quo ſcripſi nuper. Bavari cavent, ne compelli ad ineundum certamen poſſint; idque præſtolari interea exercitum confederatum. Erigi non nihil res Cæſaris dicunt; nam & recepte eſſe Lupi munimentum, & tantum abeſſe, ut Sveci Brinu potiti fuerint, quin obſidionem potius ſolverint, metu Leopoldi Archiducis, inſigneis copias eò deducentis. Erigi etiam ajunt res Angli; nam, cetera inter, cepiſſe Leceſtriam Provinciæ cognominis caput, inque ea vim opum, armorum, equorum non exiguam. Dicitur tamen Farfaxius, relictis militibus paucis in Oxonienſi circumducto, ipſum e veſtigio ſic ſequi, ut, Scotis juſſis regredi, iri duos inter exercitus ſperet conclusum. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IX. Calendas Junii M DC. XLV.

E I D E M.

OCceperam jam ad te ſcribere, cum datas ad te litteras ad XXI. Calendas accepi. Declararam paulo uberius, quod inſinuatum duntaxat fuerat ſuperioribus litteris, ut Cardinalis Lugdunenſis, cui tanquam Magno Franciæ Eleemoſynario commiſſa eſt cura Regiarum in Academia profeſſionum, detuliſſet ultro profeſſionem Matheſeos, & quod ipſe ſatis conſtanter abnuerem, tum pæne adhibuiſſet preces, tum diploma quoque, ut liceret minus recuſare, domum miſiſſet. Adiiciebam, ut amici omnes non obteſtationibus modo, ſed pæne etiam dicam convitiis adegiſſent me ad dedendum manus; & victus tamen, ea conditione cum Cardinali pepigiſſem, ut liceret mihi quam primum luberet, renunciare muneri, integra ejus benevolentia. Auguratus ſcilicet fueram, quid fores ad me perſcripturus. Quanquam, ſi pernoſſe potuiſſem, quaieis dediſti litteras, in ipſo eſſe itinere, facilem adeo me non præbuiſſem; ac prætuliſſem prorſus agreſtis reputari, potius quam levis. Quid facto opus, quando res jam non eſt omninò integra, indecorum que adeo eſt canere palinodiam tam cito? Cogito ecce, quia ea negotia, quæ, te volente, in hac Urbe me detinuere hactenus, habitura finem alioquin non ſunt, niſi ipſis Cleri comitiis ad finem convergentibus; edere interea quoddam ſpecimen admiſſæ a me profeſſionis; ac tum, quia jam ſecuro ſidem profeſſionem non contempſiſſe, & fuero Cardinali, amiciſque, quantum potuero, gratificatus, nemini fore querelæ jus, ſi remitiam muneri nuncium, quem me remiſſurum fuerim conteſtatus. Id quantum conjector, ſub Hyemem fiet, ac ſaltem longe abero, ut, Deo propitio, diſceſſum differam in annum. Vive, quæſo, interea felix, animos ſemper erigens, & comparans ſemper ad lætitiam mentem. Significavit ſuis litteris præclarus Neuræus, quæ tua recens fuerit in meam Diniam bonitas; ſed nimirum ſic amas me, ut nullam mihi gratificandi occaſionem prætermiſſam velis. Rerum novarum ut pauca addam, obſidet ab aliquot diebus Aurelianenſis Mardikum, Gravelingam inter, & Dunkerkam urbeis. Dicitur & eò appuliſſe, quæ noſtrorum faveat inſtituto, Hollandica claſſis. Perhibent aliunde Enguenium trajeciſſe Rhenum ad Philippopolim; & cum Bavari nondum moverint, federatum exercitum verſari prope Francofurtum, conſtareque ex millibus Equitum decem, Peditum tribus. Memoratur quidem Archidux Leopoldus eò incumbere, ut liberet Brinum, at Torſtenſonus interim neque obſidionem, neque ſpem potiundi oppidu dimiſit. Pacis negotium Danos inter, & Svecos lente promovetur, ipſique Oratores Hollandi non interſunt amplius quaſi arbitri, ſed quaſi partes [non ſine Regis Danici ſtupore] ſe gerunt. Videntur illeic omnia ad navale prælium eſſe comparata; idque dum interim Rogenſburgum adverſus diuturnam obſidionem conſtat. Scribunt Regem Angliæ reverti Oxonium, ac permirum ſore, niſi occurrente Farfaxio cum ſeptemdecim hominum millibus, certamen ineatur, etiam procul adhuc abſentibus Scotis. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis prid. Cal. Quintil. M. DC. XLV.

EIDEM.

EIDEM.

INſinuavit mihi diebus nuperis eximius ille Graſſenſium Præſul eſſe hac in urbe Aquenſem Apparitorem, nomine Maorum, qui procuratione accepta a Vincienſibus, ut Epiſcopatuum unioni reſiſtat, abutatur paſſim nomine cum tuo, tum etiam optimi Campinii, ut favorem ſibi neſcio quem conciliet. Ego ſecurum eſſe eum juſſi, fieri id haud-dubie te cum-primis inſcio; adeo novi illum abs te majoris fieri, amarique, quam ut, ſi quos habeat adverſarios, velis ipſis patrocinari. Ac aſſenſit ille profectò fieri id ſine te auctore; ſed putavit tamen ſua intereſſe, ut rem tibi ſuggererem, quo eam improbare, ac non pati poſſes. Itaque ego hoc officii recuſare illi non potis, & maxime quidem fiduciæ ob tuum in me amorem plenus, tum recepi, tum exequor, quod me recepi præſtiturum. Sperabam, ut ſub veſperam Illyricus me conveniret, quo poſſem certi aliquid de ejus diſceſſu ad te ſcribere, ſed a die uſque craſtino procurare non deſinam, ut ſi fieri poſſit, poſt triduum diſcedat. Acceſſit mane ad me *Prudhominus* viſurus quid illi pecuniæ erogandum exiſtimarem. Ipſe verò cenſui ſufficere poſſe centum libras turonicas, aut ad ſummum centum viginti. De rebus novis, ecce, caſtra communire Aurelianus pergit; ſed quod naves Hollandicæ accedere propius ob vada, munimentumque ligneum non poſſint, ac Dunkercani proinde lembi facile ſubrepant noctu Mardikum, timetur jure, ne obſidio multos in dies protrahatur; niſi tamen forte Hollandi munimentum illud quam-primum evertant. Pergenti Enguenio poſt Rhenum trajectum, dicitur Turennios, Mœno ſuperato, ſic occurrere cum federato exercitu, ut ex conjunctis tot viribus magni aliquid ſit brevi ſperandum. Sunt qui Briuum jam occupatum dicant; ſunt qui Svecos repulſam paſſos cum inſigni quadam jactura perhibeant; adduntque Cæſareos, & Cremii arcem recepiſſe jam, & in eo jam eſſe, ut recipiant urbem. Quid id rei ſit, dies brevi docebit. Perſeverat adhue Rensburgi obſidio. Rex tamen Daniæ eò rerum compulſus eſſe dicitur, ut de ineunda cum Svecis pace, tametſi conditionibus parum æquis, cogitet ſerio. Commiſit Anglus prælium cum Parlamentariis, octavo Calendas; verum devictus, fugatuſque vix evaſit incolumis, dimiſſis una cum proprio curru, ſupellectileque cariore, omnibus ſarcinis, armiſque; & præter cæſos, captis abductis quinque hominum millibus. Quæ fata ſint illum deinceps manſura, Deus optimus novit. Nihil de Motta addo, cujus debuit hodie pactis conventis fieri deditio. Nihil de Harcurii duplici victoria, quæ non poteſt tibi eſſe incomperta. Tu, o Principum optime, ac meum um dulce decus, vale. Pariſiis, Eidib. Quintil. M DC. XLV.

EIDEM.

NOn potuit ſeſe Illyricus ad diſcedendum comparare totam intra hebdomaden; ſperat ſe nihilominus altero, tertio-ve inſequentis die comparatum fore. Inviſere recepi cras, perendie-ve cum ipſo Prudhomium, ut centum libras turonicas tuum juxta imperium numerandas curem. Inſignes profectò ſunt clades, quas ab Hiſpano ad Sienrim nuper acceptas commemoraſti; at quanti habes recentiorem expugnationem Mardiki, ipſamque præſertim adeo celerem, ut Galli jure ab hoſtibus, quaſi quædam belli fulmina habeantur. Spes eſt, ut brevi inaudiamus quidpiam ſimile ab Enguenio, quem fama eſt, accepto jam federato exercitu, Haliprunum [aliqui putant Heidenlbergam potius] ſtatim obſeſſurum. Perſeverare adhuc ſcribunt obſidiones celebreis Brini quidem a Torſtenſono, Rensburgi verò ab Urangelo, & Chriſtianopoleos ab Horno. Quod addunt autem fuiſſe Presburgum a Tranſylvano occupatum, ut non valde aſſeritur, ſic veriſimilitudine caret. Verſatur adhuc Trevirenſis Archiepiſcopus Francofurti, hæreturque, an Monaſterium (qui rumor fuit) ſit conceſſurus. Acceſſit tandem eò Longa-villa; utinam fauſtis avibus, ac eo ſucceſſu, quem multi ſperant; non pauci vix ſperant, cum expetant tamen. Rex Anglus poſt cladem acceptam, recepit ſeſe Briſtoviam, inſtaurareque illeic denuo perhibetur exercitum, quo prælium inire iterato poſſit. Ferunt poſſe eum cogere militum millia octodecim; ſed & Parlamentarios quatuor millia amplios; idque præter Scotos, qui jam acceſſiſſe Novarchiam dicuntur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, prid. Eid. Quintil. M. DC. XLV.

EIDEM.

EN diſcedit tandem ad te eruditus juvenis Joannes Ugevinius ex Ducatu Ruſſiæ, qui linguæ Illyricæ callens, eam provinciam obeat, quam ipſi præſcribes. Ipſe eſt, qui hoc epiſtolium reddet, quique & lenitate morum, & facilitate obſequii tibi carior brevi evadet, quam ut commendatione prolixa indigeat. Tu itaque illum pro ſolita tua humanitate ſic excipe, quaſi qui ſit tibi penitus addictus. Vale Principum optime, vale o meum decus dulce. Pariſiis, XII. Cal. Sextil. M. DC. XLV.

EIDEM.

DEdi jam mane epiſtolium, quod conſignaturus eſt tibi expetitus ille abs te juvenis, qui ex Ducatu Ruſſiæ oriundus perhibetur eximie callere Sclavonicam linguam. Is maturius diſcedere, quam hodierna luce non potuit. Diſceſſit autem curru Lugdunum, perventurus illuc decimo ab hinc, aut undecimo ſummum die. Exegeram ſolum a *Prudhomio* tradendas ipſi libras centum; ſed agnovi eſſe præterea illi erogandas viginti; & maxime quidem, ut ſi forte Lugduni aliquos comperiat ejuſce idiomatis libros (qualeis nanciſci heic potuit nullos) ſuppetat unde coemere abſque viatici detrimento poſſit. Aut verò fallor, aut eſt omnino probatiſſimis moribus, quantum quidem pernoſſe licuit ex conſuetudine non valde diuturna; & ex eo quod in ipſa facie, ut dictum noſti, legatur homo. Quod es dignatus meam parendi neceſſitatem non improbare, ſolitæ tuæ, ac præſertim erga me bonitatis fuit. Conditio autem illa, ut fuit duntaxat tui ergo appoſita, ita profectò quotieſcunque lubitum tibi fuerit, adveniet. Rerum novarum vix quidquam habeo, quod ſcribendi curam mereatur. Diſceſſit quidem Mardiko Aurelianus ante ſex dies; ſed præter Linkii munimentum adventantis metu ſuccenſum, deſertumque, nihil geſtum accipio. Sic inaudio Enguenium cum ſederato exercitu non longe Hali-

pru-

pruno, Bavariſque verſati; ſed fuiſſe aliquid ab ipſo tentatum nondum comperi. Ex Auſtria rumores incerti; niſi quod Brinum, uteumque extrema pati dicatur, reſiſtit tameo; & ſuſcepta a Tranſylvano ali|ua quidem, non ipſa tamen Præsburgica obſidio eſt. Res in Dania ſemper confuſæ. In Anglia verò Parfaxius expectare adhuc Scotos dicitur, ut unæ cum ipſis Regem adoriatur. Quid nuperrime ab Harcurio dum hoſtium commeatus varie intercepit, geſtum fuerit, noſſe tu prius, quam nos oportuit. Vale, Principum optime, vale o decus meum dulce. Pariſiis, eodem XII. Cal. Sextil. M.DC.XLV.

E I D E M.

AGet tibi haud-dubie optimus Præſul gratias ob tam effuſam benevolentiam. Id nempe cum ſumma affectus, gratisudioiſque teſtificatione præſtiturum recepit ſe; cum tuis fretus litteris, quam cum amares ſecurum feci. Quid heic præſertim novi ſit, ex aliorum litteris noſces. Expectatur Dux Aurelianus eras, perendie-ve adventurus; interim verò nata ipſi ſuperiore nocte eſt filia. Dicitur poſt aliquot dies repetiturus exercitum, præfecto, interim Rauzovio, donec Gaſſio a vulnere, quo ſaucistus eſt, convaleſcit. Speratur ſubinde grande aliquid moliturus in Flandria; nam & eò tendit, qui nuvus Ambiani apparatur exercitus, & qui a Villa-Regio dicitur eſſe deducendus. Ad munimentum Linkii quod ſpectat, id nuper ſolum captum eſt; & hoſtibus quidem non ſugientibus, ſed ſeſe permittentibus mero arbitratui victoris. De Enguenio rumor eſt quidem præliatum fuiſſe in Bavaros, & tum victoriam ab eo ſtetiſſe, tum cæſos confligendo fuiſſe hinc Verthium, inde Turennium; verum is plane certus non eſt; conſtantiuſque ajunt Enguenium in Franconiam contendere, hoſteis Bavariam tutaturos deflectere Danubium verſus. Ferunt Torſtenſonum parte aliqua exercitus ad Brinum relicta, accedere cum reliqua, eaque potiore ad Tranſylvanum, Cæſarianis videlicet jam jam invaleſcentibus; utcumque quaſdam illarum copias ſic iofregiſſe perhibeatur, ut ipſe quoque Archidux fuerit in diſcrimen non leve adductus. Creditur jam demum ineunda Svecos inter, & Danos pax. Ad generalem quod attinet conveniſſe Cæſarei, Electoreique dicuntur, ut convocatis etiam qui adſunt, adeſſe-ve poterunt, ex omnibus ditionibus, comitatibuſque liberis Germaniæ, ſingularum jura ſpeciatim diſceptent; quo ipſis pacis arbitris viam ſternant complanatiorem. Memorant Angliæ Parlamentum litteras poſtremo dediſſe ad Regem, quibus rogetur, ut ab ſe omneis turbarum auctores ableget, & Londinum repetat ſuam auctoritatem indepturus, quantam ſperare maximam per ipſa Regni jura poſſit; ni faciat, fore ſibi promptam apud omneis excuſationem, quod extremis denique malis adhibita fuerint extrema remedia. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis V. Cal. Sextil. M.DC.XLV.

E I D E M.

QUi ante dies quindecim diſceſſit ad te Ugevinius, is quæ ſit ſpes recuperandi Illyricos libros aperiet. Recepit nempe ſeſe Lugduni, ſi quos in hac Urbe non potuit nanciſci, valeat requiſiturum. Quod Turca in Cretam vireis experiatur, facit forte, ne cum deſperet de expugnanda Melite, videri poſſit exercitum nequidquam coegiſſe tantum. Nihil verò mirum interim, cogitare jam illum de occupanda Inſula; cum ſit mirum potius cogitare tam ſero; tametſi enim non videatur eſſe admodum magni, donec habetur a Venetis; ea tamen eſt, quæ comparata ad Maris [imo & Græciæ, quod pridem Ariſtoteles notavit] imperium videatur. Dignus ſane Harcurius iis, quibus eum exornas elogiis; ſed & felix interim eſt, qui talem ſit encomiaſten nactus. Non acceſſit huc Aurelianus; verum Borburgum obſidet, ſperaturque eo brevi potiturus. Nihil tamen movet Picolomineus, plane ut appareat nihil cum cetera, ſi modo Dunkerkam tuetur, curare. Id conſtabit clarius, ſi qui novus nobis apparatur exercitus, Audomaropolim, aut aliam inſignem Urbem impetat, neque ille tamen ſuppetias laturus accurrat. Non longe eſt Enguenius jam a ſuperiore Palatinatu; nam Rotemburgum ad Tuberam non procul a fontibus cepit. Diſceſſiſſe ab eo ferunt Koniſmarkium, ut opem Svecis, quos Saxones, Cæſarianique urgent, ferat. Sunt tamen, qui ſcribant miſiſſe eò ſolum Equites mille, & quingentos. Acceſſit tandem Tranſylvanus ad Torſtenſonum cum exercitu, qui militum vicies mille perhibetur; adduntque Bukenium, dum inſidias quaſdam ad Presburgum inſtrueret, cæſum; & Galaſi exercitum Pilſenum uſque in Bohemiam compulſum. Offert Danus Svecis, ut impetret pacem, aliquot inſignia ultra Mare loca; illi verò plura depoſcunt, quæ etiam fortaſſis tandem obtinebunt. Convenit ipſe cum Hollandis; ſed ſupereſt tamen Svecorum conſenſio. Angli res peſſum ſemper ruunt, neque modo Farſaxius obſidione Tamtonem ſolvit, ſed obſeſſorem etiam ſub Goringo exercitum fregit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, prid. Non. Aug M.DC.XLV.

Dum hæc abſolverem, acceſſit ad me qui renunciarit ſe inaudiiſſe pacem Danos inter, Svecoſque ſancitam; & fuiſſe Caſtelmum VIII. Calendas permiſſurum ſe arbitratui Harcurii, niſi ſuppetias experiretur. Vale iterum.

E I D E M.

NOn deſtitit ſane Neutæus, quod inſinuaſti commendare; neque ego ſegnis profecto in ſollicitando artifice fui; ſed nempe ille tum alia quædam opera præ manibus habuit; tum ea perfecit lentiſſime; tum me proinde continente procraſtinatione deluſit. Nunc, cum videatur ſerio tandem manum operi admoviſſe, ſpes eſt quidem, ut ſtet promiſſis, ac meis votis faciat ſatis; ſed quam cito id ſit futurum, minime auſim pollicari. Facere duntaxat certiorem te poſſum, futurum ut per me non ſtet, quo minus rem brevi abſolvat. Exequutus *Prudhomius* eſt, quod dignatus es illi demandare. Opinor verò Juvenem ad te jam demum acceſſiſſe. Rerum novarum vix quidquam habeo. Borburgi obſidio in dies promovetur; ſitque expugnationis ſpes hebdomade inſequutura. De Enguenio nihil certi, ac ne illud quidem, quod ferunt, in eo eſſe Bavaros, ut digreſſo jam Koniſmarklo, prælium adverſus illum inſtituat. Dicuntur jam Brinum, & A x Spilbergenſis extrema pati a Torſtenſono; ac miſiſſe ad Cæſarem cogi ſe, ut ſtatim, niſi opem ferat, ſe dedant.

De

De Bukenii morte dubitari non video. Pax etiam Danos inter, & Svecos vix quidquam in ambiguo eſt; Monaſterienſem quî putes promotam, cum necdum conſtet de titulis, quibus ſe Miniſtri Principum ornari depoſcunt. In Anglia dicitur Farfaxius obſidere neſcio quam arcem, in quam Goringus machinas belli, ſarcinaſque conjecerat. Dicuntur & Scoti, acceptis ſtipendiis, cum deſeruiſſe Vorceſtriam, tum iter in Walliam inſtituiſſe adverſus Regem. Tu o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Eid. Sextil. M. DC. XLV.

E I D E M.

QUi ad te pervenerat rumor de profligato ab Engueoio Bavarorum exercitu, is falſus quidem, ſed veri tamen quaſi prodromus fuerat; quippe tunc nondum prælium commiſſum; nunc autem ſic geſta res eſt, ut generoſiſſimo Heroi gloriam pepererit ingentem. Cognoſces ipſe ſatis aliunde quidquid circumſtantiarum eſt; mihi abunde eſt, quod tibi, qui ſic ad illum atrinea, hanc adeo illuſtrem gratuler victoriam. Id facio verò, dum interim deſiderio tangor cariſſimi capitis, quod eo in conflictu ſtrenue dimicando occubuit: Nubilis fuit juvenis Daniel Auberius Maurerius. cujus induſtriæ Enguenius ipſe profeſſus eſt debere ſe Philippoburgum expugnatum. Is ad indolem vere generoſam, tum Philoſophiæ ſtudium, tum bonarum artium adjecerat cultum, ac cetera inter eam appararat ſupellectilem organorum obſervandis Cœleſtibus, ut ſperaretur jure Hipparchus, Tychoque Gallicus futurus. Verum aliter eſt Superis viſum, illeque nobis præreptus eſt [Capellano verò, mihique inprimis, quibuſcum amore junctiſſimus fuit] ut ea ſpectet jam cominus, quæ eminus ſolum fuerat ſpectaturus Non exciderent iſthæc mihi, niſi cum te noſſem, qui volens meis condones affectibus, ut quocunque lubet ſe exſerant modo. Quod ſupereſt, heſterna luce gratiæ ſolemnes habitæ ſunt pro Borburgi expugnatione. Ferunt Tranſylvanum inſtructum myriadibus quatuor militum obſidere Presburgum, & Torſtenſonum cum equitatu ideirco ad eum diſceſſiſſe, quod Galaſus, & Archidux, dum eſſent ſuppetias Brinu allaturi, coacti fuerint divertere, tendereque Presburgum verſus. Conſtans ſemper fama de pace Danos inter, Svecoſque eſt. Obſident in Anglia Scoti Herefordium, cepitque nuper Farfaxius munitiſſimas quaſdam arceis. Venetos conſternatos ajunt, non modo quod actum de inſula putent, ſed etiam, quod ſe, qua terra, qua mari impetiendos præſentiant. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XV. Cal. Septemb. M. DC. XLV.

E I D E M.

ACceſſiſſe demum ad te optimum illum Juvenem eſt mibi ſane perquam jucundum. Scilicet tenebat me jam quæpiam de illo ſollicitudo, ob quinque jam hebdomadas ab ejus diſceſſu tranſactas. An fuit porrò iſtheic die Lunæ magis, quam heic Cœlum propitium, ut ſpectare vobis licuerit, quod contigit deliquium Solis? Nobis certe præter ejus initium, quod minuto quarto poſt matutinam decimam obſervavi accidere ad partem Solis Boream (& gradu quidem a verticali proxime trigeſimo) vix adnotari quidquam potuit, quod votis ſatisfecerit. Nam quod per vices quidem, raptimque interviſum aliquid fuerit, quouſque Eclipſis pervenit ad digitos quatuor cum beſſe, deficientibus interim ex ipſa Solis circumferentia gradibus circiter centum quinque; fuere tamen nubes deinceps ea opacitate, quæ & explorare maximum defectum non permiſerit, & ut cetera, ſic præſertim finem fecerit penitus inviſum. De rebus humanis, cum eo ipſo die habitæ fuerint gratiæ ſolemnes pro Enguemiana victoria, occupationeque Norlingæ, quæ poſtridie prælii facta eſt, non accepi quidpiam ne fuerit ab Heroe illo tentatum. Aurelianus Caſſelium montem de dedendo ſe ſic interpellavit, ut occupare eum jam credatur. Voluit Brinum ſe Torſtenſono certis dedere conditionibus; at ille paciſci ullas recuſavit; conſtanſque ſatis fama eſt, ipſum ea jam Urbe potiri. De Presburgenſi obſidione, aut jam cepta, aut imminente vix dubitari quidquam video; & quia narratur Bukenius neſcio quam cladem circa eam paſſus, falſum vides fuiſſe rumorem, qui de ejus morte percrebuerat. Quam jure verò tu de Danorum, Svecorumque pace hæſiſti; quando litteræ recentiores perhibent Claſſem Svecicam nihil non hoſtile moliri. Cepit Farfaxius novam arcem, aliamque rurſum obſidet; & Scoti obſidere non modo Herefordium, ſed aliam quoque Urbem dicuntur. Scribunt interea Parlamentum obtuliſſe Regi pacis conditiones, quas niſi accipiat, aleam plane jaciat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VIII. Cal. Septembr. M. DC. XLV.

E I D E M.

QUas dignatus es ad me dare pridie, quam Albania diſceſſurus eſſes, accepi. Gratulor Æſtatis fervores illeic feliciter exactos, ac in impendentem Autumnum parem voveo felicitatem. Quæ de rerum ſtatu in Chriſtiano Orbe ratiocinaris, digna te ſunt; & maxime quidem circa Venetos, quos ea vixiſſe ſecuritate, ut de tanto hoſte non magis metuerent, eſt prorſus ſtupendum. Siquidem videtur Reſpublica nulla conſiliis floruiſſe ſapientioribus; neque majore providentia caſibus variis proſpexiſſe; ſed perſæpe nimirum Deus ſæculi prudentiam confundit, planumque facit, niſi ipſe Civitatem cuſtodierit, fruſtra vigilare qui cuſtodiunt ipſam. Et de Creta ſane acta res videtur; neque minus Illyridi timendum eſſe perhibent ob traiicienteis per Styriam, Carinthiamque copias ingentes; verumtamen res curæ erunt Deo Optimo, Maximo, ſperandumque ex ejus bonitate eſt, ut non modo malum ſerpere non ſinat, ſed penitus etiam ipſum averruncet. Ad res noſtras quod attinet, Aurelianus non modo Caſellium, ſed Bethunam quoque, & alia loca munita cepit, ac plura ut capiat in procinctu eſt. Enguenius aliunde ſemper Bavaros obſidionibus, præliiſque infeſtat. Fama de Brino capto elanguit; imo ſunt, qui ſcribant veniſſe ſuppetias, leveis illas quidem, ſed aliquas tamen. Reviviſcit fama ex oppoſito de Danica pace cum Sveeis ineunda. Koniſmarkius reipſa ſe in Saxoniam rediiſſe demonſtrat. Anglus novas perpeſſus cladeis, tum Oxonium reverſus eſt, tum continendis populis Comitem Robertum Briſtulæ reliquit. Emerſerat quædam Ruſticorum factio, quæ ſeſe ab armis tam Regis, quam Parlamentariorum tueretur; ac incedebant jam armatorum circiter decem millia, cum Parlamentarii incompoſitam multitu-

titudinem exturbarunt. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis Cal. Septemb. M. DC. XLV.

E I D E M.

TEnes me ſane multis, magnisque nominibus tibi obſtrictum, at non eſt, quod putes eſſe in poſtremis illam, quaſi patentationem, qua meum Maurerium glorioſe ſuoſtum condecoraſti. Poterit olim tuus Enguenius quis ille fuerit, te edocere, ut minus proinde pœniteat te bona ipſi verba dixiſſe. Habent ſe porrò Germaniæ rea eo, quo perſcripſi tenore, niſi quod ſenſerit ne Brinum ſuppetias, multi dubitant; ac ſit iterum de pace Svecorum, Danorumque fama vacillans. De Anglicis vera profaris; Rex enim Walliam deſerit, quippe ipſam quoque non fidam expertus, & in Scotiæ monteis recipere ſe ad Montroſium dicitur, toto pæne Angliæ equitatu eum inſectante. Noſtras cur attingam non eſt; nam quid heſterna quidem luce in Senatu actum, aliunde pernoſces: Venit eò Rex, ac juſſit Edicta undeviginti in Acta referri; utcumque murmuratum ſit rem inſolitam hac Regis ætate. Ipſæ Inquiſitionum Claſſes movere quidpiam ceperant; ſed nihil aliud denique, quam Deûm, Hominumque in Præſidem primum implorarunt fidem. Diſceſſurus fuerat Condæus ab aliquot diebus ad Aquas Borbonias; reſtitit tamen hacce de cauſa; & Aurelianus interea advenit nudius-tertius, qui ipſe quoque Regi adſtaret. Vertat Deus optime omnia. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VII. Eid. Septembr. M DC. XLV.

E I D E M.

QUod hac vice neque abs te, neque ab optimo Campinio litteras ullas acceperim, per-facile conjecto eſt, fuiſſe a vobis in montanam noſtram regionem iter ſuſceptum. Quam verò putas doleo abeſſe me a Laribus, quos, quantum conjector, hoc, quo ad te ſcribo tempore inviſis. Scilicet te lætitiæ plenus paupere cavo exciperem, neque tu ad me, quaſi ad Philemonem divertere dedignareris. Gratulor porrò neſciiſſe te quanto cum vitæ diſcrimine Heros Enguenios laborarit. Scilicet, quo nuper veſpere ſcribebam, advenit Curſor ex Germania renuncians ipſum febre continua, alvique profluvio undecimum jam divexari diem; ac nocte ſolum ſuperiore advenere duo alii, qui eſſe eum jam a febre liberum retulerunt. Quantis itaque in anguſtiis tota fuiſſes hebdomade, ſi morbum reſciiſſes, de quo ad te ſcribi ante octiduum potuit? quanta jam debes eſſe lætitia, cum ægrotaſſe illum non prius, quam convaleſcere addiſcis? Captum jam ab illo fuerat Dunkelſpihelum, exercitusque ad Haliprùni obſidionem deducebatur, cum ipſe Philippopolin, ubi quietius decumbere liceret, comportatus fuit. Ferunt interim Bavaros ſe comparare ſollicite, ut caſtra noſtra adoriantur; utinam irrito conatu. Falſus omnino habetur rumor, qui percrebuerat de inita inter Cæſarem, & Tranſylvanum pace. Torſtenſonus parte copiarum Brinam obſidentium ſubducta, dicitur inſigne neſcio quid moliri. Koniſmarkius, Miſeno capto, Kemnitium petit; Saxoque interea cum Svecis coire in ſtatum neutrum expetit. Inita jam demum, atque promulgata Danos inter, & Svecos pax; unaque eſſe præcipuarum conditionum ea dicitur, ut Hallandiæ Provinciæ ſub Svecia remaneat in annos proxime quinquaginta. Non licuit infelici Anglò penetrare in Scotiam; ac præter Equitatum, quo ſemper urgetur, coguntur copiæ undique, quæ in anguſtias ipſum compellant. Briſtolam interea obſidet Farfaxius; neque potuit Princeps Rupertus equitibus mille ſtipatus ſeſe ex ea ſubducere. Migrat Aurelianus cum reliqua Aula bis ipſis diebus Fontem-Bellaqueum; neque eſt, ut ajunt rediturus in Flandriam. Cepere noſtri interea Lentium, & Armenterias; ac utcumque Inſulani noſtros hactenus non admiſerint; ſaltem neque admittere Hiſpanum præſidium voluerunt. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XVII. Cal. Octob. M. DC. XLV.

E I D E M.

QUas a Campinio litteras Taraſcone datas accepi, argumento fuere, diſceſſiſſe te in Ortum, illum in Occaſum; neque haud vere conjeciſſe, cum opinatus nuper ſum fuiſſe tecum iter ab eo inſtitutum. Debes jam haud dubie in urbem rediiſſe (cum & aliunde Conſularium Comitiorum tempus immineat) utinam & incolumi conſtanter valetudine, & animo quaſi jucunda quadam ruſticatione recreato. Advenit ecce tertium Curſor, qui renunciarit Enguenium ita convaluiſſe, ut de proximo in caſtra reditu cogitaret. Quanquam non modo ipſi licentia redeundi in Aulam eſt facta; ſed additum etiam abs Rege imperium, quod ejus Parens, quæ eadem eſt tua Matertera, procuravit. Tametſi porrò Bavari in procinctu eſſe, ut Haliprunum obſidione ſolvant, dicantur; nondum tamen ipſos aliquid tentaſſe adverſus caſtra accepimus. Conſtantior jam habetur pax Cæſarem inter, ac Tranſylvanum; feruntque omneis Cæſareas copias in Torſtenſonum ſe comparare, dum interim, & Koniſmarkius pactis cum Saxone induciis ſemeſtribus, ſe ad eum confert, & Svecì vires hactenus in Dania occupatæ eòdem contendunt. Pax illa Danos inter, & Svecos proclamata fuiſſe dicitur a decimo ante Calendas; & oppida hinc inde capta redditum iri concluſum eſt pridie Calendarum Novembris. Non Hallandiæ modo Provincia, ſed Regiunculæ etiam aliæ remanſuræ ſub Svecis ſunt in annos triginta, non ut ſcripſeram nuper quinquaginta, idque præter Gollandiam, Provinciolasque alias, perpetuo ipſorum dominio addictas. Id ſcilicet perſcriptum eſt unà cum morte illuſtris Grotii, qui e Svecia rediens non ſine inſigni bonarum litterarum damno, ipſo ſui anno Climacterico incidit in febrim, obiitque Roſtochii. Videntur Regia Angliæ res non-nihil melius ſe jam habere; ecce enim Monroſius Scotiam univerſam ſub jugum miſit; Scotique adeo, qui per Angliam, tum ipſum Regem inſectabantur, tum Herefordium obſidebant, omnibus dimiſſis, Patriam repetunt, ſi forte ſubſidii ferre quidquam poſſint. Penetravit Rex interea Oxonium, unde & unà cum Goringo ſperatur ſuppetias Briſtolæ laturus. Ex Flandria ſcribunt Inſulanos admiſiſſe demum Hiſpanum præſidium; verumtamen noſtros Baſſeam obſidere. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis X. Cal. Octob. M. DC. XLV.

EIDEM.

NOndum rediiſſe te in urbem, qol ſuit tibi Campinius occurſurus, ſignificavit. Interim verò ex litteris amicorum complurium non accepi modo fuiſſe Diniæ te, ſed illeic etiam teſtimonia ſolitæ tuæ erga me benevolentiæ exhibuiſſe. Quippe non modo es dignatus humileis caſas inviſere, ac te ſiſtere in Muſæolo mearum aliquarum vigiliarum conſcio; ſed hominibus quoque noſtris voce, ſcriptoque palam feciſti quantum eſſet cordi, ut ſarta, tectaque illa qualiacumque mea jura haberent; ac intelligerent ſimul me non poſſe abs te amari ardentius. Agnoſcis ipſe quam non valeam debitas grates rependere; ſed ipſe nempe in cauſa es, qui tantus cum ſis, tantulum me ita devincis, ut dum tibi non temperas, me prorſus obruas, ac penitus imparem agnoſcendo facias. Rerum novarum vix quidquam habeo; & ſi quid habeo, ecce vix quidquam mihi ſupereſt temporis, quo id perſcribere ad te poſſim. Convaleſcit ſemper, ſed lente Enguenius. An diſceſſerint noſtri Haliprunno, ut adoriantur Bavaros; an alio conſilio, dicere non poſſum. Conſtans eſt rumor de inita Cæſarem inter, & Tranſylvanum pace; conſtantior adhuc de inita ipſos inter Danos, & Svecos. Non differetur omnium arcium, oppidorumque reſtitutio in finem uſque menſis Octobris. Fore memorant, ut Urangelus quindecim millia militum in Germaniam illinc deducat; cum conſtet etiam rumor de ſemeſtribus inter Saxones, Svecoſque induciis. Ferunt Koniſmarkium diſceſſiſſe jam in Muraviam ad Torſtenſonum. Addunt miſſa a Tranſylvano ad Torſtenſonum tria equorum millia. Quod ſcribunt Legatos Cæſareos ſerio jam ad pacem propendere, valde optandum. Quod noſtri in Flandria non obſideant Baſſeam, cauſam eſſe ajunt interceptas litteras, quibus hoſtes admoniti egregie communierint locum. Plura ſcribere jam non vacat. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Cal. Octob. M.DC.XLV.

EIDEM.

GRatulor te demum in urbem rediiſſe; ac tuæ quidem litteræ eam fluxionem non memorant, qua dum ſcriberes, laborabas; ſed optimus tamen Campinius illius ita meminit, ut etiam pæne diffiderit, poſſe te ad me ſcribere hac vice. Sed tu ſcilicet nimis bonus, ut mei ergo nolueris valetudinis habere rationem. Inſinuatum ab illo eſt contraxiſſe te id incommodi ex mora paulò diuturniore in ſudorifica illa Crypte. Ego verò id non demiror, qui ipſe quoque aliàs paulò diutius in ea moratus, dentium dolorem non levem ſenſi. Id periculi iis non ſubeſt, quibus ſunt humores ex Balneorum uſu educendo diſpoſiti; at imparatis, inaſſuetiſque facile tota corporis œconomia perturbatur. Deum quæſo ter-Maximum, ut te in quam-optimum ſtatum, ni jam fecerit, quamprimum reſtituat. Noram jam dignatum te fuiſſe lareis meus inviſere, & ipſis-met Conſulibus mea illa jura commendare. Quare & gratias iterum habeo, quod & tam ſponte feceris, & grave etiam non duxeris ipſemet id ſignificare. Quæ mea heic erant negotiola peſſum pæne ruunt Hugonis perfidia. Siquidem poſtquam jam a Claro ſtipendia plena, & quaſi nunquam a procuratione abſuiſſet, obtinuit, ac honorarii etiam vice octodecim millia librarum conſequutus eſt; repetenti mihi mea jura, quæ & ipſe ſemper dum ſuis frueretur, ut jam fruitur, fecerat ſperanda, obſtinate negat ſe quidquam debere, ac, ut in jus vocem fidenter inculcat. Res mihi adeo inexpectata, maximeque ob præconceptam de ejus probitate, fide, moderatione opinionem, ut dubius pendeam, me-ne ipſum, qui illi nimis fiderim, damnem; an nihil aliud, quam malitiam, impudentiamque ejus deteſter. An faciam, quod ille inclamat, ſed me id nimirum abhorrere novit, ut vocem in jus, litem-ve ſcilicet intendam. Hæc ego ſane aut nullo modo, aut plane invitus ad te ſcriberem; ſed ipſe, ut faciam addis animos, dum quæ mea ſunt, ita habes cordi. Ut hæc mittam tamen, ac alia attexam, futurum ſperatur, ut Aula brevi in urbem redeat ob Legationis Polonicæ ad Caletenſem oram appulſum. Adventat Enguenius; & cum jam credatur perveniſſe Nancejum, paucos intra dies Cantillium accedet. Actum aliquid noſtros Inter, Bavaroſque nondum auditur. Scribitur duntaxat utroſque contendere Danubium verſus. Ferunt Cæſarem accedere Lincium, ac ſunt, qui id interpretentur, ut cum Bavaro colloquatur. Obſtat egregie Torſtenſonus, ne ipſius copiæ Danubium traiiciant, dum Koniſmarkius interim eò properat, ratis jam induciis. Hæſurus Tranſylvanus eſt in ipſis Hungariæ confiniis, quouſque ejus Regni comitia ratas habuerint conditiones, quas cum eo Cæſar pepigit; ſed quo ſucceſſu dies docebit. Danica pax, quod alia ſpectat, exequutioni demandatur, diſceptatioque ſupereſt ſolum de Archiepiſcopatu Bremenſi. Scripſeram nuper Monroſſium ſubegiſſe jam Regis nomine univerſam Scotiam, & Scotos, qui per Angliam, eò accurriſſe tanquam ad incendium; nunc autem, quantum hactenus reſcivi, is ſucceſſus fuit, ut Scoti Monroſſium Leſleo duce fregerint, eoque rerum adegerint, ut vix potuerit cum ducentis militibus evadere in monteis. Neque verò hæc una Regis clades; ecce enim Farfaxius cepit aliunde Briſtolam, dedecore etiam arcem Ruperto, ea conditione, ut tam ſibi, quam militi diſcedere cum armis, cumque ſarcinis pro more Oxonium liceret. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis pridie Non. Octob. M.DC.XLV.

Per-erudito Juveni Joanni Ugevinio Roxolano

PETRUS GASSENDUS S.

BInas jam abs te habeo litteras; tu abs me habes hactenus nullas. Ecquem-nam Virum haberes me, niſi me ſub cute, ac intime noſſes? non eſt profectò, cur ſuſpicere, aut propenſioni erga te meæ quidquam penitus deceſſiſſe; aut mihi ſatis non eſſe cordi quidquid rerum te attinet; aut tuas mihi litteras poſſe non gratiſſimas eſſe. Segnities eſt mera, cujus lenocinio dum ſcribendi differo tempus, etiam deſtinatum præterlabitur, re quapiam nove interveniente. Certe jam etiam parum abfuit, quin litterarum nihil darem; ac præclaro illi Neureo tui ſalutandi committerem curam. Videlicet tuo candori fidendum magis cenſeo, quam ut ſcrupuloſe amicitiam colam. Si quid expedier,

diat, aut ſit neceſſe, paratiſſimus ad officium ſum, ac ſic etiam me erga alios habeo, ut ſim licet in iis, quæ ſunt urbanitatis negligens; non vereor tamen, ne amici aut mihi minus amici ſint, aut me minus amicum putent. Scripſi jam nuper, ut expetiiſti; neque hæreo, quin ille Vir, qui adeo cordatus, bonusque eſt, omni officio te proſequatur. Tu bene vale, & ſic habe me nihil unquam prætermiſſurum, quod intelligam tua intereſſe. Pariſiis pridie Non. Octob. M DC. XLV.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

AUdio te adhuc tuo illo laborare ῥευματισμῷ. utinam brevi eum penitus evanuiſſe compertum ſit. Fluxionibus hiſce ſuæ periodi ſunt, quæ expectandæ potius a ſobrio, quietoque vitæ genere, quale tu haud dubie conſectatus es, quam a nimio uſu pharmacorum videntur. Nondum acceſſit qui adventat Orator ex Polonia, ac non mari quidem, ut creditum fuerat, ſed terra; neque rediit hactenus Aula, utcumque in dies reditura ſperetur. Pervenit tandem ſoſpes Enguenius Cantillium ante dies quatuor. Poſt admotos in Flandria noſtrum Hollandumque exercitus, poſtque circumventum jam Hulſtium, quod obſidere Hollandi pergunt, regreſſi noſtri non Udenardam, ut creditum fuit, obſident, ſed Baſſeam. Quanta Flandrorum conſternatione iſthæc peragantur, non facile dictu. Qui noſtri in Germania ſunt, immorari Hallæ Svevorum dicuntur. Ferunt Cæſarem Lincio Ratisbonam uſque venturum, ut convocatis Principibus amicis, & Catholicis, quid conſilii ſit capiendum provideat. Obſtat interim ſemper Torſtenſonus, donec præſtolatur Koniſmarkium, ne Cæſariani Danubium trajiciant. Perhibent Præfectum Hallandiæ, ac alium etiam neſcio quem hærere quæſito prætextu, ne Provinciam Svecis ut pactum eſt, dedat. Ruunt Angli res continuo in pejus: Clade nova affectus Monroſſius, concluſit ſe caſtro, quod jam obſidetur. Defecere recens inſignes aliquot urbes ad Parlamentum; & quæ obſidentur Voceſtria, & Novomarchia, deditionem mox facturæ ſperantur. Hæc abſolvebam, cum tuæ mihi redditæ fuere litteræ; delectavit ſummopere, quod inde agnovi te melius valere. Gratias habeo, quod ſis dignatus quis Comitiorum Conſularium eventus fuerit, ſignificare. Reſcieram jam Cauram captam, condolueramque ita eſſe Orbem Chriſtianum comparatum, ut naſcenti malo ire obviam non poſſit. Ecquæ enim, quæſo, periicies, ſi urbis inſignis jactura jacturam totius Inſulæ ſic trahat, ut damnis longe gravioribus inferendis ſit quaſi gradus? vertat Deus omnia in melius. Tu, ô Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Eid. Octob. M DC. XLV.

EIDEM.

HAbebis ecce cum epiſtolio exemplum trium epiſtolarum, quæ prodeunt nunc primum in lucem. Accipies autem lubens, ſat ſcio, quod utcumque magni momenti non ſint, meæ ſint tamen, & argumento cum iis cohæreant, quibus ipſe aliquam pridem anſam feciſti. Si ſuſtinueris vel ſummulas ipſis præfixas percurrere, neceſſe non eſt quidquam hic præmoneam. Multa ſunt in textu, quæ legi citra tedium minime valeant; ſed ea nimirum a me extorſit polemicum ſcribendi genus. Hinc quæſitum remedium eſt ex illis compendiolis, ut ſi liber alioquin nimius, coronideque ſera ſit longus, dictum putetur, *legito pauca, libellus erit*. Vota illa tua pro felicibus Chriſtianorum in Turcas armis, digna ſunt tua & pietate, & magnitudine animi; ac, ſi quæ Campinios Maſſilia perſcribit, vera comperiantur, votorum jam es quadamtenus compos. Invenit ægre heic res fidem, quod litteræ Venetiis datæ die menſis XXVI. victoriæ non meminerint, quæ obtenta tamen a die quarta perhibetur; quaſi res adeo proſpere geſta non potuerit tandiu Venetos latere. Aiunt interim verò eſſe heic Prophetam, qui Apocalypſin interpretetur, & magna quidem ſubtilitate, de futuro intra annum excidio tum ſtirpis Ottomanicæ, tum ſectæ Mohamedicæ; ac ea de cauſa bene multos, quibus Religio cordi eſt, aut in militiam ſacram conſcribi, aut in eam ſaltem opes erogare. Ipſe ἐπέχω, imo ἀπέχω, utcumque forte neſcio qua factus negotii particeps; qui quærere fugio quid ſit cras futurum. De præſentibus dicere ut pergam, dum Torſtenſonus Koniſmarkium ad Danubium adhuc expectat, accedunt interea Leopoldus, Galaſiuſque ad Bavaros. Turennius verò ut tot collatis viribus impar, repetit Rhenum. Perſtant Hollandi in obſidione; famaque eſt fore ut Hulſtium expugnent intra viginti plus minus dies. Noſtri non Baſſeam ſunt aggreſſi, ſed Lentium; ac non ipſum modo, ſed & alia quædam oppida ceperunt. Dicitur Enguenius perendie Cantillio in urbem venturus; ſperatur & Aula reverſura tota inſequente hebdomade. Legatio illa Polonica diverſura eſt nocte proxima Silvanectum. Neſcio an inaudieris Polonum Regem, dum uxorem magno apparatu ex Gallia accerſit, convocare interea Torunii Synodum quandam celebrem, in qua inter Catholicos, Lutheranos, & Calviniſtas de Religione ſic diſceptetur, ut, ſi fieri poſſit, in unam conſpirent. Tu, ô Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XI. Calendas Novembr. M DC. XLV.

EIDEM.

NOn neglexit ſane Neuræus, quæ tua fuerit ſententia de Hugone ſignificare. Ego verò, optime Princeps, nullam ejus erga me fidem cauſatus apud te non fueram, indignationem ut provocarem; ſed ſolum, ut qui ſe haberent mea illa negotiola, quæ tibi eſſe non parum cordi perſpectum erat neſcius non fores. Nihil erit profecto opus, ut te deinceps ulla earum commemoratione fatigem. Addo jam ſolum perſtare illum obſtinate ſuo in conſilio; & cum optimus Præſul Toloſanus ab eo extorſiſſet, ut res deſignatis hinc inde permitteretur arbitris, poſtquam ego quidem Prælatos illuſtreis, Pariſienſem Coadjutorem, & Sagienſem Epiſcopum, nomine meo indigitavi, tum illum pedem retuliſſe, abnuiſſeque rem per arbitros decerni; quin-etiam rogitante me nihil-ne conſcientiam revereretur; veritus non eſt coram eodem Toloſano Antiſtite, coramque noſtrate Gerenteo reſpondere, eam ſibi eſſe perſuaſionem, ut poſſit

 idcirco

idcirco non ſtare promiſſis, quod credat ceſſum ſibi a me jus fuiſſe ſibi a me favore præreptum. Ita videlicet prætextum quaſi lenimen aliquod adverſus conſcientiam percellentem quærit. Sed nimis tamen hac de re. Rediit tandem Aula in urbem etiam Dux ipſe Enguenius valetudine proſpera; & quæ Legatio Polonica acceſſit San-Dionyſium, ingreſſura urbem perendie inſigni cum pompa ſperatur. Cepere quidem noſtri in Flandris oppida quædam, quibus ſe illeic ſiſtere tuto per hyemem poſſint; at ferunt tamen Picolomineum recepiſſe montem Caſellium, & quidquid præſidii in eo reperit, internecione deleviſſe; idque, dum interim Hollandi Hulſtio potituri haud-dubie timentur. De Turennio an ſit ſtativa eis Rhenum, ac in Lotharingia habiturus, nondum compertum. Non ſunt Bavari longe Hailpruno, ajuntque interea Cæſareos regredi Torſtenſoni metu, qui ita movit verſus Bohemiam, ut dicatur etiam in altum Palatinatum excurſurus. Ingreſſus per Bohemiam Koniſmarkius ſic in Sileſiam penetravit, ut oppida quædam inſignia illeic ceperit, ac Uratislaviam obſeſſurus putetur. Ratihabitio Danicæ pacis eſt ultro, citroque data, & accepta; ac perhibetur Urangelus mox in Germaniam diſceſſurus. Dicitur Rex Angliæ tantillum erectior. Ajunt videlicet Monroſſium, neque tantam perpeſſum cladem, quanta jactata fuerat, neque diu fuiſſe, quin res in Scotia prolapſas reſtituerit. Memorant etiam Goringum quidem aliquam paſſum jacturam fuiſſe; ſed paſſos nihilominus Parlamentarios non minorem. Saltem ipſi Parlamentarii nondum rem eſſe adverſus Regem plane confectam profitentur; quando conſtare negotia ſeribunt, quæ in ſequentem annum ſuperſint. Tu, ò Principum optime, & dulce meum decus, vale. Pariſiis VI. Cal. Novembr. M. DC. XLV.

EIDEM.

NOn multis te moror, quia multa non habeo, neque ſuppetit multum temporis. Celebris heic fuit ante dies quinque Polonorum exceptio; futurumque eſt, ut perendie nuptiæ in Regia celebrentur. Nondum cepere Hollandi Hulſtium, ſaltem quod inaudierim, prope diem tamen capturi ſperantur. Noſtri interea futuram in Flandris hyemationem in dies ſtabiliunt. Turennius eis Rhenum, hoc eſt, in Alſatia, Lotharingiaque hyematurus putatur. Qui Cæſariani cum Bavaris ad eum adoriendum coierant, regreſſi jam ſunt. Rediens e Sileſia Koniſmarkius dicitur mox vireis in Bohemia cum Torſtenſono collaturus. Diſceſſit jam Urangelus, ac Albi trajecto, per Germaniam incedit. Ex Dania nihil habeo, niſi quod accipio Severinum Longomontanum, oppido grandævum, utpote, qui Braheo adjutor fuerit, vitam cum morte commutaſſe. Ex Anglia perſcribitur Regem acceſſiſſe Novarchiam, ac hyemem illeic tranſacturum. Sollicitant quidem Parlamentarii Scotos, ut urbem illam obſideant; ſed futurum potius videtur, ut ſint de patria ſollieiti, in qua iterum Monroſſius præpollet. Ferunt interim munitiſſimum neſcio quod caſtrum occupatum a Cromvvele Parlamentario; adduntque ipſum cum Farfaxio aggreſſurum eſſe Goringum, ut vel prœlium conſerere, vel dimittere obſidionem Plinimuthenſem cogatur. Scribunt Monaſterio Miniſtros Cæſareos tum viſitaſſe Longavillam, tum ad Miniſtrorum Regiorum poſtulata reſponſum dediſſe. Obliviſcebar rem ſatis novam, Cæſarem nempe, ut ſpecialius Tranſilvanum demereretur, deſignaſſe illum Pro-Regem Hungariæ (an non per-mirum, niſi ovem, quod ajunt, lupo commiſerit?) ac futurum brevi, ut etiam Sacri Imperii Principem creet. Res valde vulgaris; ſed mihi parum fida. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Non. Novembr. M. DC. XLV.

EIDEM.

TUarum illarum litterarum decimo Calendas datarum meminiſſe nuper non potui, quod non-niſi biduo poſt nuperas meas ad te datas fuerint acceptæ. Illæ ſunt, in quibus præclare ratiocinatus fueras, tum de vulgari Medicina, tum de eo, quod Tiberius cenſuit, debere unumquemque ſuam regere valetudinem, annos ſupergreſſum triginta. Nuptiæ inter Regem Polonum, & Mariam Gonzaguam celebratæ ſunt eo, quo prædixeram die; Rexque, & Regina ſponſam deduxerunt proprio inſignem Diademate, e Regia in Nivernam domum. Fuere honores varii deinceps illi habiti; in primis verò heſterna luce a ſummo Senatu, aliiſque Magiſtratuum Ordinibus, & a Clero etiam, Academiaque Pariſinis. Eam ſub initium hebdomadis inſequentis diſceſſuram ferunt. Cum litteræ variæ habeantur, quæ captum iri Hulſtium paucos intra dies perhibeant; tum legi quaſdam Caleto ſcriptas, quæ ab octiduo memorant captum. Sunt, quæ renuncient Bavariæ Ducem morbo extremum laborare; & Koniſmarkium, Torſtenſonumque ita inſtituiſſe colloquium, ut ille in Moraviam redierit, hic iter deſtinaverit in ſuperiorem Palatinatum. Addunt digreſſos e Dania Svecos Albi ſuperato ſenſim promoveri. An acceſſuri autem ſint ad alterutrum, vel utrumque, an conſtituri potius per ſe, eventus proxime docebit. Plura jam non vacat. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Eid. Novembr. M. DC. XLV.

EIDEM.

FUere rurſus litteræ tuæ biduo duntaxat poſt litteras a me conſcriptas redditæ; ut proinde agere gratias maturius non potuerim ob exceptum adeo gratioſe epiſtolarum mearum exemplum. Id profecto tanti non fuit, ut verba funderes tam bona, aut te aliud reciperes, quam vel ipſum titulum, vel quod ſummum fuit, ſummulas lecturum. Sed nimirum, qui tuus eſt erga me amor modum non tenet; & quam de me præconcepiſti opinionem, ejuſmodi eſt, ut, pace tua dixerim, non ſatis caveas, ne quid nimis. Delectavit magnopere habuiſſe te honorem tantum adventanti Antiſtiti; quando is non poteſt non augere eam, qua in Aula præpolles, gratiam. Inaudii verba, quæ in Senatu ille accepit, ac reddidit. Quæ futura heic ſit illorum interpretatio, tu conjicis probe. Nondum exceſſere Poloni ex urbe; ſed exceſſuri tamen dicuntur inſequente hebdomade. Quod de Hulſtio capto perſcribebam nuper, eventu ipſo fuit comprobatum. Paſſus eſt deinde Lamboyus eam a Gaſſiona copiarum cladem, quam futurum conceperat ut ille a ſe pararetur. Nunc, quod memoratu ſit dignum, Trevirorum Metropolis a Turennio ſic obſidetur, ut deditio ejus ſperetur intra decimum ab hinc diem. Torſtenſonus

urbe

Digitized by Google

urbe neſcio qua potitus perterret Bohemiam. Urangelos verò, dum majores adhuc e Svecia vireis præſtolatur, moras per Luneburgum trahit. Futurum ajunt, ut Magdeburgum neutrum a Svecis impetret ſtatum; atque idcirco ab obſidione eminus facta liberetur. Hæc inter verba redduntur ecce tuæ litteræ VII. Eidus datæ. Abbas Salvius eſt, qui eas ad me mittit, cum ſolitus fuerit mittere Prudhomius. Niſi id importunum ſit, rogatum te velim, ut eum ad me dare litteras dignabere, deferri ad Campioium jubeas; utpote cujus cum litteris domum recta miſſis eas ſim accepturus. De Hugone quod iterare tua dignatur bonitas, intercedit ecce rurſus Gerentæus, ſi ſtare ſorte ille velit aliquorum Prælatorum, Advocatorumque arbitrio. Facturus-ne ſit, eventus docebit. Tu, ò Principum optime, & meum dulce decus, vale. Pariſiis XV. Calendas Decembr. M. DC. XLV.

E I D E M.

SEro magis ex orbe redeo, quam ut morari te pluribus, tametſi deſiderem, poſſim. Habendæ a me gratiæ fuere, & Cardinali Lugdunenſi, & Pariſienſi Coadjutori, & Viris aliis Primoribus, etiam optimo tuo Conſobrino Duci Vantadoreo, quod convenire heſterna luce in Regium Collegium dignati, perorantem me patienter audierint. Itaque iſtud cauſæ eſt, cur animum tarde ad ſcribendum appellam. Rerum novarum pauca inaudii: Regina Poloniæ eſt cras diſceſſura. Conſtat Trevirorum obſidio. Leopoldus, & Verſhius nimis intentatis Torſtenſonum petunt. Ille interim & varie graſſatur, & ad hyberna ſe comparat. Idem molitur Koniſmarkius. Expectat adhuc Urangelus in Luneburgo Svecicas copias. Convenere Magdeburgenſes cum Svecis de neutrali ſtatu. Comes Trautmandorfius Cæſaris Achates Monſterium properans, aderat nuper Franco-furti. Facit illius deſtinatio, ut ſerio de pace cogitare Cæſar credatur. An demereri Germanos velit, ut pacem ſibi conciliet, permiſſa Proteſtantibus ſentiendi de Fide licentia, rei eventus brevi docebit. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VIII. Cal. Decembr. M. DC. XLV.

E I D E M.

GEminas abs te litteras eodem propè die accepi. Quod de Rege magnæ Britanniæ ratiocinaris, non conjectura, verum ipſiſſima res eſt. Felix erat ille futurus, ſi mature ſibi induxiſſet in animum, ut cum Parlamento rediret in gratiam; ſed nempe obſtitere ſemper qui adſtitere illi magnates, cum rati ſe eſſe præſertim exoſos, neque poſſe unquam incolumitatem prece, aut pretio redimere, prætexuerunt Ipſi, & Majeſtatis Immunitionem ex propoſitis nimium iniquis conditionibus, & ſpem prope certam vincendi, mittendique omneis Rebelleis ſub jugum. Interim verò dum illos audit, conſultoremque fidum non habet, peſſum in dies ruit, ac verendum eſt ne brevi non modo minutam, ſed etiam extinctam Majeſtatem videat. Supererant illi nuper quædam copiæ, quibus ſtipatus videbatur poſſe citra periculum incedere, conſiſtere-ve; ecce autem illæ ſic deletæ ſunt, ut, dimiſſâ Novarkiâ, Oxonium ſe receperit cum equitibus vix trecentis. Nihil amplius ipſi ultra Novarkiam, aut Regionum, aut virium eſt; & qui Goringus ad Ecceſtriam cum ſuperſtite exercitu eſt, ſic a Farfaxio cohibetur, ut pæne ad vorandum propria, quod ajunt de Polypode, acetabula adigatur. Scribunt Parlamentum feciſſe Roberto, & Mauritio diſcedendi licentiam; ac in eo jam eſſe, ut poſtremum deſtines, qui offerant Regi pacis conditiones. Niſi accipiat, non video ſane quis ſe tuto præſtet eventus ſponſorem. Ejuſdem porrò ponderis ſunt, quæ cetera ratiocinaris; ac de ipſa præſertim pace, ad quam uſque magnum oppido chaos interjectum; utcumque dicuntur Hiſpani petiiſſe quadrienneis inducias, ea conditione, ne Luſitanis rebellibus ſuppetiæ ferantur. Perhibent certe Cæſarem eo ſucceſſu animatum, quo Leopoldus frater noſtros cis Rhenum compulit, revocaſſe Trautmandorfium, quaſi nihil jam amplius timeat, neque eſſe ſollicitus de pace debere videatur. Quanquam hæreo, id ne ſit verum, cum ob cetera, tum quia Torſtenſonus, & Koniſmarkius in eo ſunt, ut collatis viribus irruant in ſuperiorem Palatinatum. Mitto captam fuiſſe Trevirorum urbem, Electoremque Principem reſtitutum in integrum. Mitto diſceſſiſſe ex urbe ante dies quinque Reginam Poloniæ. Mitto cetera, quæ aliunde noſces. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis Calendis Decembr. M. DC. XLV.

E I D E M.

LItteras habeo a Neuræo, quibus ait te gratioſe conqueſtum, quod occaſione nuperrima nihil dederim ad te litterarum. Ego verò, optime Princeps, & dedi ſane, & eadem via, qua ſemper dare ſum ſolitus; mirorque, qui fieri potuerit, ut qui debuerunt reddere, evaſerint negligentiores. Memini illas ipſas fuiſſe, quibus oratum volui te, ut quia ſemper nimis ſerò tuæ litteræ ad me provenirent, deferri illas ad optimum Campinium, Neuræum-ve juberes; ita nimirum fore, ut illas cum ipſorum litteris recta deſtinatis maturius haberem. An verò, cum tu id forte volueris ipſi Neuræo ſignificare, ille rem non ſatis percepit, & tuam ideò, quæ mea fuit, querelam eſſe eſt opinatus. Certe, ſi iſte quoque vice dare es dignatus ad me litteras, illæ redditæ nondum ſunt; non quod illos ideò incuſem, quibus eſt reddendi cura demandata, illi enim haud-dubie ſunt, quam ut citius valeant rem præſtare occupatiores; ſed vicem meam duntaxat doleo, quod ſi quidpiam forte interſit, non poſſum mature ſatis reſpondere. Utcumque ſit, delectat me, quod meas tibi per Neuræum litteras tradi præſcripſeris; ſic enim, & ipſi occaſio ſalutandi te ſæpius dabitur, & ipſe ſæpius Virum affari, quicum verba non injucunda conſeri valeant, poteris; quippe illum novi ejus indolis, ut niſi vocetur, aut quidquam inceſſit, ægre ex muſæo diſcedat. Rerum novarum vix aliud habeo, quam quod reſcitur Mardikum ab Hiſpanis recuperatum. Imbecillum præſidium norant, præfectumque etiam abſentem; quare & minus mirum eſt, ſi ipſo potiri intra horæ dodrantem, ea nocte, quæ feſtum D. Barbaræ præceſſit, dicantur. Qui rumor percrebuerat de revocato Trautmandorfio, comprobatus verus non fuit. Scribunt videlicet Munſtero expectari illum in dies, ſed mandatum tamen a Cæſare habens, ut, proteſtantibus Germanis, quidquid demum petierint annuat, ſi fœderibus modo Gallicis, Svecicisque nuncium remittant. Ferunt hyberna per Bohemiam

a Tor-

a Torſtenſono conſtituta; ac Urangelum grandi paſſu eò contendere, Luneburgo relicto. Addunt futurum, ut dimiſſæ a Dano copiæ nobis ſuccedant. Anglus nihilo melius habet. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, VI. Eid. Decemb. M. DC. XLV.

Clariſsimo Viro Petro Moneria Doctori Medico

PETRUS GASSENDUS S.

ERit cur mirere, Clariſſime Vir, me, cum ſim tibi, ut facie, ſic nomine forſan ignotus, id cepiſſe conſilii, ut quidpiam ad te litterarum darem. Sed nimirum & tua mihi humanitas fando innotuit, ut minus propterea verear ne ſuccenſeas, & quod volo te, ejuſmodi eſt, ut minus hæream, quin pro tuo erga res bonas ſtudio, æqui, bonique ſis conſulturus. Inſudii te, ex quo Philoſophiæ cepiſti dare operam, tantæ vertiſſe felicitati, quod eſſe te eximii illius, Reverendique Patris Honorati Fabri auditorem contigiſſet, ut captus ejus Sirenibus, ab illo non diſceſſeris; ſed contentis aliis collegiſſe ſemel curriculo [ſic enim vocant] pulverem philoſophicum, ipſe conſtans, ac indefeſſus colligendum cenſueris etiam iterum, & tertium, quartumque. Senſiſti quippe ex ejus ore tanquam ex Amaltheæ cornu, ut inexhauſtus, ſic novas ſemper promanare delicias; neque committere, ut illis genium deſraudares unquam potuiſti, Ajunt itaque penes te extare quidquid ab illo per octennium, novenniumque dictarum eſt; hoc eſt, tuæ facultatis eſſe theſaurum oppido inſignem, quo beare homines poſſis. Tertius ſcilicet prætercurrit annus, ex quo cum mihi conceſſum fuiſſet egregia quædam ſpecimina ſcriptorum ejus conſpicere, interpellare Virum cepi, ac non modo per litteras, ſed etiam per Viros vere nobileis Germanum ejus, ac Patruelem Valgelaſium ſollicitare, ut quæ tam multa, tamque præclara ſupra vulgare philoſophandi inſtitutum excogitaſſet, publici juris faceret. Enimverò ea ſemper fuit animi ipſius modeſtia, ut & hactenos cecinerim ſurdo, & pæne ut inpoſterum id ab eo obtineam, deſperem. Quamobrem rogandum te cenſui [& non meo quidem duntaxat, ſed etiam complurium, qui Viri ingenium pridem ſuſpiciunt, nomine] ut cum rei pretium ipſe noveris, ipſe evulgare quidquid ex ea tibi commodiſſimum videbitur, velis. Fortaſſis nempe aliquis fuerit hac in re delectus habendus; ſed quis ille futurus ſit, noſſe te melius nemo poſſit. Auſim interea, ſi apud te quantulacumque forte ſim fide, ſpondere fore, ut nunquam te ejuſce facti pœniteat; neque, ut tibi unquam vitio, quod rem clandeſtine curaris, vertatur. Siquidem officioſum eſt hac ratione fallere Viros, quorum eſt in præclaris rebus non tam moderatio, quam aut parcitas, aut diffidentia nimia; ac illi vere amicos agunt, qui tale quid, ipſis aut inſciis, aut refragantibus, moliuntur. Pernoſces verò ipſe haud dubie facturum te rem eruditiſſimis, & Viro, & familiæ, & Societati non indecoram; ac tum eſſe te de iis bene, imò optime meriturum; cum rem procurabis, quæ gloriæ non cedere ipſis non poſſit. Teſtabere autem aliunde, & in Præceptorem eximium eximiam gratitudinem, & ſingularem in hominum univerſitatem affectum; atque idcircò egregiam plane, quemadmodum merebere, ita profectò referes laudem. Ad me quod ſpectat, ſi me fortaſſis bona mea ſorte audieris, tum gratulabor ipſe mihi, quod præclari facinoris me ſuaſorem præſtiterim; ac talem voti mei fortunam non infeliciter tentarim; tum animo erga te vivam, ut penitus gratiſſimo, ita comparatiſſimo ad obſequendum, ſi quid me velis. Vale. Dabam Pariſiis, poſtridie Eid. Decembris M DC. XLV.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

EA fuit nuper præcipitatio, qua & ad te ſcripſi, & varie compegi litterarum faſciculos, ut confecto præterea uno ex aliquot meæ illius inauguralis orationis exemplis, non meminerim unum ne ad te ſpeciatim deſtinarim; quod ne litteris quidem meis ſignificaverim deſtinatum. Enim verò, aut illud tibi in manus ſponte inciderit, aut Neuræus ſaltem tibi conſignarit. Quod autem te eo donatum voluerim, non fuit ſane, ut in ipſo pellegendotereres tempus; ſed duntaxat id, ut haberes, cui nihil, quod meum ſit, non jure debetur. Ceterum habere Prælectiones pergo in auditorum frequentia pro ſolita ſcholæ ſolitudine ſatis magna; ſuntque illi maxima parte & rude donati, & ingenui Viri. Rerum novarum vix quidquam eſt, quod ad te perſcribi mereatur. Perhibent Trautmandorfium Monaſterium jam appuliſſe; quo ſucceſſu docebit dies. Quod ſcribebam nuper de Danicis copiis ad nos acceſſuris, rarum jam habetur; aſſeruntque eas ex ſex Peditum, quatuor Equitum millibus conſtare; ac fore, ut ipſi Turennii exercitui brevi accreſcant. Exceſſiſſe Torſtenſonus e Bohemia dicitur, ut collatis cum Koniſmarkio, quæ in Sileſia ſunt viribus, Turingiam verſus iter inſtituat. Vexatur ſemper Angliæ Rex eadem ſatorum iniquitate. Iſthæc dum ſcribo, ecce mihi tuæ redduntur litteræ ipſo die nonarum datæ. Fuere haud-dubie Viri amici, qui de oratione ſcribentes, meas eſſe nugas aliquid putarunt. Tu interim, & nimis bonus, & nimium mei amans es, ut illicò ipſis tantam fidem habeas. Utinam verò tam reipſa, quam tu me habes, eloquens forem, ut eſſet, quod in tuæ virtutis commendationem impenderetur. Vale, Principum optime, o dulce decus meum, ac præſidium, vale. Pariſiis, perendie Iduum Decemb. M. DC. XLV.

E I D E M.

FUere hac vice litteræ tuæ paulò maturius redditæ; quippe eas accepi maturinis horis. Quod expectare meæ illius oratiunculæ exemplum dignaris, tuæ humanitatis eſt, amoriſque erga me ſummi. Eam ſane ubi pellegeris, tanti non fuiſſe, ut a te expectaretur, deprehendes. Quæ de Germanis, Hiſpaniſque ratiocinaris, præclara ſunt; utinam verò illi de pace, induciis-ve ſic cogitent, ut dum ne ſeriò cogitare de illis videantur affectant, iis ipſis, quæ ſeriò haud-dubie concipiunt, non excidant votis. Nempe &

pe &

Digitized by Google

pe & noſtra eòdem tendunt; ſed non tamen conſimili artificio diſſimulata. Inaudies percrebuiſſe heic de futura illicò pace, aut de futuris ſaltem in annos xxv. induciis rumorem; ac auctores fuiſſe citatus tum Cardinalem, tum Cancellarium, tum & Præfectum, & Cenſorem Ærarii; verum quas licuit Monaſterienſeis litteras videre, tale nihil habent. Anſa fortaſſis ex eo facta, quod vulgaria perſuaſio fuit, Trautmandorfium ſeriò de pace acturum; ſed quidquid ab ejus acceſſu exactum huc-uſque fuit temporis, id totum pæne in ſalutando, reſalutandoque conſumptum exceſſit; ac aliunde, ne adhuc quidem qui profecturi ex Hollandia Monaſterium ſunt legati de pace, illinc diſceſſerunt. Ajunt Cæſarem hyematurum Lintzii, ac exercitum ejus longe eſſe, ut inſequatur Svecicum, & Koniſmarkium interim complura per Sileſiam inſignia loca occupaſſe. Angli res nihilo melius habent; feciſſe illum ſuorum partium Sectatoribus libertatem ſcribunt diſcedendi ad Parlamentum, ut rebus ſuis quocumque tandem potuerint modo conſulant; plane, ut ſi præſente jam, aut imminente naufragio, liberum ſuret accipere quamcumque tabulam primum occurrentem. Accipies cum his litteris tuæ Iconis Ectypum, qui unicus expreſſus eſt a quadrante horæ duntaxat. Typus ſcilicet nondum eſt omni ex parte abſolutus, ut tranſmitti hac vice poſſit Ectyporum faſciculus; iſteque interea ſufficiet, ut quid id ſit rei cognoſcere poſſis. Utinam ipſo Protutypo frui nobis liceat in Neſtoreos annos. Sic proinde vive, ſic vale, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis, xı. Calend. Januar. M DC. XLVI.

E I D E M.

Litteras ex Provincia hac vice accepimus nullas. Videlicet non potuit Curſor, quantum conicere par eſt, eniti per hæc frigora, quanta ſolitus fuit diligentia. Heic certe cum prius per aliquot dies hyemaſſet ſatis acriter, tum & pridie Natalitiorum, & totis feſtis ſic conglaciavit, ut Sequana denſo concreverit gelu. Rigor hic Melano fuit excuſationi, cur excudi mihi non curaverit quem Iconum faſciculum mittere ad te deſtinaram; verum id, Deo bene propitio, occaſione proxima fiet. De rebus novis, ſcribunt Munſtero ita cepiſſe Trautmandorfium cum Regiis Miniſtris agere de pace, ut ſit Cæſaria nomine ceſſurus quidquid illi competit juris in Metenſem, Virodunenſem, & Tullenſem Epiſcopatus, ut Landgraviæ Haſſicæ neſcio quid jurium relaxaturus, ut bona fide cum Palatino cauſa ipſius cognita, probeque diſcuſſa acturus, ut ipſis demum Svecis pecunia numerata ſatis facturus. Ajunt interim Cæſarem fidem Bavari habere ſuſpectam; ac ſubvereri, ne is nobiſcum quidpiam fœderis meditetur. Trajecit Albin Urangelus, & copiis incolumibus ad Torſtenſonum jam acceſſit; quò illi una cum Koniſmarkio evaſuri deinceps ſint, eventus brevi demonſtrabit. Cepit Turennius quandam arcem munitiſſimam ultra Rhenum, nec procul Moguntia; ac perhibetur tamen ſecundum Rhenum, quam ſecundum Moſellam eſſe hyematurus. Angli res pronæ ſemper ruunt. Cepere recens Parlamentarii urbem, arcemque in Lancaſtria. Petiit Rex ab ipſis in gratiam Ducis Richemontii, & quorundam aliorum liberi commeatus litteras, quas & conceſſerunt. Nondum accipio miſſas fuiſſe quas ajunt poſtremum ab illis offerendas Regi pacis conditiones. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, xv. Calend. Januar. M. DC. XLVI.

E I D E M.

Sicccine ergo, optime Princeps, obruere me pergis tua munificentia; neque redire Solem ad nos, quin tua ſimul redeant munera permittis? Sed ſedulò nempe Solem imitaris, qui benefaciendo indefeſſus eſt, illaque, ex quibus nihil reportat, fovet. Meruit porrò interim Sol & haberi Deus ab iis, qui ipſum Auctorem Solis ignorarunt, & ipſi τῦ Θεῦ *Dei* nomini cauſam facere, tam ἀπὸ τῦ Θέειν, quod perpetuo currat, quam ἀπὸ τῦ Θεᾶσθαι, quod *pervidens* omnia omnibus provideat. An-non ipſe ſaltem mereris haberi viva Dei imago, quando in Religione Sacra id, quod in Prophana audire non licet? Noſti quippe, quod ait Plinius: *Deus eſt mortali juvare mortalem, & hac ad æternam gloriam via.* Et ſtatim: *Hic eſt vetuſtiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales Numinibus adſcribantur.* Ac longe quidem abes ipſe, ut ſimile quidpiam affectes, qui pergis etiam largitionem habere quaſi clandeſtinam, dum ne litteris quidem tuis interſeris ullum de ea verbulum; adeò vereris, ne quod occultum eſſe expetis, retegatur; at ſorem profectò ego excuſatior, ſi minus in accepto dono commendando modum tenerem, in quo conferendo ipſe non tenueris; &, utcumque aliud non liceat, ſaltem hanc tuam beneficentiam pati invulgatam non poſſum. Id diſplicet, quod verba me, quibus mea in te gratitudo congrue exprimatur, deficiant; ac recreat illud ſolum me, quod meum tibi pectus eſſe non incompertum ſentio, neque ambigo, quin meum affectum candoris, venerationiſque erga te pleniſſimum probans, ſis pro ſingulari tua bonitate in ipſo regnare contentus. Ceterum, cum binas abs te hac vice litteras habuerim, tum non potui illas præſertim ſine rubore legere, in quibus meam oratiunculam tuo prægravaſti encomio. Quippe ea tanti ſane non fuit, quam cognoſcere totam ſuſtineres; quantò minus, ut tuo illo eulogio tantu eam exornares? Habebis heic tandem quem ſperandum feci Iconum tuarum faſciculum, ut ſi lubeat in ſelectiores diſtribuere amicus poſſis. Vereor ne qui cominus erunt, deſideraturi aliquid ſint ad ſimilitudinem exquiſitam; ſed Mellanus tui cauſatur abſentiam, ac vovet, ſi quando tuimet ipſius frui conſpectu liceat, adhibitum iri a ſe omne ſtudium, ut imaginem exprimat, qua non ſit ovum ovo ſimilius. Quamobrem ipſa uſus fuerim, fecit tum Viri celebritas, tum facta ante tuum diſceſſum, quam & aſſervarat, tui delineatio. Ad typi, tabulæve cælatæ magnitudinem, formamque quod ſpectat, agnoſces eſſe eandem aſſumptam, quæ ad effigiem Monmorantii Conſobrini tui τῦ μακαρίτυ uſurpata fuit. Habebis & Oden, quam ad te tranſmitti Capellanus ille noſter exoptavit, Haud hæreo verò, quin ea ſit futura tibi gratiſſima, & merito Viri, qui tui obſervantiſſimus ſemper eſt, & commendatione Enguenii, cujus laudibus Ode conſecrata. Rerum novarum nihil heic eſt, niſi quod falſus rumor fuit, qui de commiſſo in Bohemia prælio, cladeque a Svecia accepta percrebuit. Rediit Smkolmium Tuillerius, ac fuit Cancellarius Oxeſternius Comitis titulo donatus. Hæret ſemper Oxoniæ Anglus, ipſamque quaſi a Farfaxio brevi impetendam communit. Pacis negotium lente procedit. Turennius

nius partem exercitus in hybernis jam collocavit. Tu, o Principum optime, & hunc, & porrò Neſtoreos annos feliciter vive, ac vale. Pariſiis, Non. Januar. M.DC.XLVI.

E I D E M.

VEtebar ſane id, quod evenit, quodque Neuræus ſignificavit, ne ſcilicet miſſa effigies, tui effigies non ſatis foret. Noluiſti ipſe pro tuo illo in me affectu quidquam cauſari, veritus puta, ne mihi quidquam moleſtiarum ingereres; verum hoc ipſum magis me angit, quod tibi tam bono, tam mei amanti operam locarim tam parum feliccm. Et quam putas vellem, ut licuiſſet mihi hacce occaſione eſſe cælatori; neque pendere exprimendis hiſce lineamentis ab aliena manu? At mihi non cælum ſubtile, ſed rudis ſolum calamus eſt, quo utcumque poſſet illa tui melior, diviniorque pars deformari, eſt tamen adeò ſingularis animi tui moderatio, ut ne pudorem iniiciam, operæ eſſe parcendum putem. De Iconiſmo quid cogitem, ad ipſum reſcribo Neuræum; utinam ſint & ſapientiores, & fortunatiores δεύτεραι φροντίδες. Quod fueris dignatus tuas litteras tanta amoris erga me tui teſtificatione complere, pro tua illa fuit bonitate, qua, quod ad me ſpectat, temperare tibi, modumque tenere minime es potis. Ecquis nimirum non fuerit, ſi rem norit demiraturus, te, tantus cum ſis, cum tantulo me agere ex pari; & non qualem poſſum, ac debeo, obſervantiam exigere, ſed reciprocam petere amicitiam. Qualecumque ſit, quod tibi de me polliceri potes (nihil autem non potes, quod opis quidem meæ ſit) id omninò tuo ex nutu, arbitrioque pendet. Inaudieris jam appuliſſe huc Cardinalem Antonium, & filium Longavillæ natum. Perhibent agi jam de pace aliquanto ferventius; utinam verò etiam felicius. Addunt Torſtenſonum collatis cum Kuniſmarkio copiis Litomericum obſidere. Acceſſit a Turca, qui a Cæſare liberum commeatum exercitui adverſus Venetos comparato obtineat. Scoti Novarchiam obſident; Rex ipſe a Parlamentariis pacem poſcere renunciatur. Plura pluribus jam non vacat. Vale, Principum optime, vale, o decus meum dulce. Pariſiis, prid. Eid. Januar. M.DC.XLVI.

E I D E M.

ET parum vacat, & pauca ſunt, quæ impræſentiarum ſcribenda occurrunt. Nondum litteras ex Provincia habuimus; ſed, quantum quidem coniicere ex ſuperioribus fas eſt, eſſe oportet, quæ Comitiis tum indixeras jam perfecta: Deum veneror, ut in illis omnia tibi pro votis ſucceſſerint. Verſatur adhuc in Civitate Cardinalis Antonius; ſed diſceſſurus brevi, ut ajunt in Abbatiam Normanniæ quandam, unde Comitatu ex Italia recepto, duos poſt menſeis rediens, excipiatur ſolemnius, & ut nepotem Summi Pontificis decet. Rumor fuit admodum vulgaris abiturum hinc illum in Provinciam, & concedente Turrim Aquoſam inhabitandam Ledigueriо, immoraturum compluſculum. Id ſi verum ſit, non potes profectò ſuſpecti conſilii non particeps fuiſſe. Melius jam habet Dux Aurelianus a ſua illa Nephritide, calculos nempe emiſit duos, quibus fuit per duos dies maxime quidem divexatus. Illuſtriſſima ejus Conjux emiſiſſe partum immaturum dicitur, ac melius quoque ſe jam habere. Memini nuper felicis partus, quo Illuſtriſſima tua Conſobrina filium edidit illo ipſo die. Paucæ ſunt horæ, ex quo inviſens Capellanus me, retulit & matrem, & filium optime valere. Adjecit porrò litteras e Longavilla recens acceptas ſpem magnam pacis facere; quippe ſuperatas jam omneis præliminareis difficultates; ac ipſummet componendarum rerum negotium ſerio ſuſceptum. Procedere ajunt res Germanicas, Anglicanaſque eodem tenore; & quod ſpectat ad Flandricas, inaudieris jam, ut opinor, quemadmodum Gaſſio Legioni inſigni pæne integræ conficiendæ excurrerit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIV. Calend. Februar. M.DC.XLVI.

E I D E M.

QUam eleganter expreſſiſti rigorem illum hyemis, qui iſtic dum conſcriberes litteras poſtremas invaluit! Profectò tempeſtatis faciem non averſarer magnopere, ſi tam bella occurreret, quam eſt belle a te deſcripta. Nos hac in Urbe nihilo clementiorem experti ſumus. Videlicet a natalitiis in hunc uſque diem, quo cœpit degelare, ita deſæviit, ut glacies robuſtiſſima, qua tum Sequana obduruit, etiamnum perduret. Quam humaniter verò etiam doles vices infelicis Principis, qui dum majorum ſatagit, etiam minorum jacturam facit. Utinam ille tam cordate, quam tu, potuiſſet ratiocinari, neque enim ſeſe in eas conjeciſſet anguſtias, ex quibus revocare gradum, incolumiſque evadere, niſi æquus amet Juppiter, non poſſit. Iſthæc dum ſcribo, redduntur ecce, quas es dignatus Lambiſcii dare. Ita ne verò, optime Princeps, vacavit tibi litteras otio, quieteque digniſſimas inter negotia illa tam ardua, importunaque perſcribere? Nimirum accepi ex aliis quam intricatæ molitiones occupationem tibi faxint, & quantum inde ſuboriri impliciti laboris ſentias, unde levamen oneris, quod ſuſtines, fuerat ſperandum. Næ tamen fallor, qui cum te norim ea eſſe magnitudine, atque conſtantia animi, ut nihil hiſce gerris, titivilliciiſque movearis, reputare debeam te nihil propterea ex tranquillitate illa remiſiſſe, quam peperit tibi & animi candor, & morum integritas, & dictorum omnium, factorumque conſenſio. Audieris, opinor, futurum, ut Aurelianus in Provinciam tuæ conterminam diſcedat, & Tornonem Comitia, quibus interſit evocet, niſi ea forte votorum Aulæ ſeſe audientiora exhibeant. Adventare ajunt Turennium in Urbem, & vel hoc ipſo veſpere, vel craſtina die adfuturum. Hollandi pro pace Legati acceſſiſſe jam Monaſterium perhibentur. Ferunt Miniſtros Regios ſecuritatis titulo depoſcere, & Lotharingiam, Comitatuſque conterminos, & utramque Alſatiam, & cum Suntgoia Briſgoiam, & Philippoburgum, atque Hermenſtemium, & neſcio quæ inſuper alia; Svecos autem petere & univerſam Sileſiam, & ipſam Pomeraniam, & Mekelburgi maritima; & Harberſtadium, Oſnaborgum, quoſdamque alios Epiſcopatus. Interim verò ipſi Sveci non modò Litomericum, ſed etiam quædam alia circum loca expugnaverunt. Dicitur eorum exercitus, compuatis Urangeli copiis, ex ſexdecim Equitum, & quatuordecim Peditum millibus conſtare. Excurrit veredis Koniſmarkius Varſoviam; & cum Polono collocutus exercitum ſubinde repetiit. Quid id fuerit, rei eventus docebit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce de-

ce decus, vale. Pariſiis, VII. Calend. Februar. M. DC. XLVI.

E I D E M.

Accipis ecce litteras, quas iteratò e mediis Comitiis dignatus es dare. Fit verò ex ipſis occaſio ſuſpiciendi iterum, qui animum inter tot turbas adeò imperturbatum geras, & tam ſerena mente de pace, deque bello ratiocineris. Sed nimirum neſcius ad dextram, ſiniſtram-ve deflectere, & recto ſemper tramite, qua virtus demonſtrat, incedens, ipſis negotiis ſuperior es, ac illa tractas non negotioſus. Non fueram ego opinatus duratura tandiu Comitia; ſubvereor tamen, quid fuerit cauſæ, ac lætor eſſe te ea ſpe, ut feliciter denique ſuccedant. Significavit mihi Turnatur, qua in amicos illos meos bonitate extiteris; unde & quas poſſum gratias refero, quando quas par eſt, meæ non eſt opis. Haud hæreo verò, quin cogitaris totam etiam Urbem onere eximere, ſi in te quidem id fuerit ſitum; quare & grates etiam rependo ob pronam adeò voluntatem. Tametſi enim aliqui immemores beneficiorum, quæ mei cauſa conferre ſoles, non eſt tamen propterea æquum, ut affectum in Patriam exuam, & debiliorum, pauperiorumque propter aliquos potentiores, ditioreſque dimittam curam. Poſt datas ad te nuperas inviſens Capellanus me, ea legit, quæ dignatus es de condito Poëmate in Enguenii laudem inſerere tuis. Quam putas verò, Deum immortalem! ſeſe devinctum teſtatus eſt, quod tu, tantus Princeps, tam bona de ipſo fundere ſuſtinueris verba! Exoptavit certe, ut tibi ſuo nomine gratias agerem, ac ſenſum gratitudinis quam maximum ſignificarem. Nihil habet Aula recentius, quod ſciam, quam miſſum Curſorem a Cardinali Barberino, & Thaddæo fratre, quos cum tota familia, ac ſola Thaddæi uxore Romæ relicta, appuliſſe Leonem ajunt, ut fuit ſtatim tibi haudDubie perſpectum. Inſigne profectò temporibus noſtris ludibrii fortunæ, ac viciſſitudinis humanarum rerum exemplum, quo moneantur omnes, qui ſtant, ut juxta præceptum Servatoris, videant ne cadant, ac ne ita fidant volubili globo, quin ſaltem pedem alterum ſupra immotum cubum conſtituant. Exemplum aliud in Anglo Rege, qui cum tertium per litteras a Parlamento petierit, ut accedere Londinum liceret, & de pace ipſa coram agere, ita repulſam paſſus eſt, ut Parlamentum ſtatuerit, nulla ratione neque coram, neque per Legatos cum eo agere, ſed præſcribere ſolum ipſi conditiones, in quas concedat. Præter illa, quæ nuper ſcripſi a Miniſtris Regiis Monaſterii propoſita, poſtularunt ecce, ut tota Alſatia Franciæ adſcribatur, & Rex, quaſi ejus Land gravius in Comitiis Imperii tum ſedem habeat, tum ſuffragium ferat. De Lotharingi negotio agendum Monaſterii negant; ac contendunt eum Principem debere ab uno Rege dependere. Tendere ajunt Torſtenſonum in ſuperiorem Palatinatum; ac fore, ut cum Bavaris, ſi qua obſiſtant, prælium committat. An verò etiam aliquid cœleſtium rerum commemorabo? Ecce, cum nudius-tertius mane Lunæ Eclipſis contigerit, ſatis fui felix, ut ſaltem totam, quod ajunt, incidentiam obſervitare potuerim. Cetera inter initium fuit hora præciſa quarta cum quadrante, & immerſionis totalis punctum hora quinta cum parte quinta. Prætereo glaciem plane ſolutam, ac Sequanæ alveum admodum intumeſcere; tametſi frigus viſum eſt hocce ipſo die reſumere vireis. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Calend. Februarii M. DC. XLVI.

Admodum Reverendo, & doctiſſimo, Clariſſimoque Viro, D. Godefrido VVendelino, Condatenſi Canonico Paſtori Hercano

PETRUS GASSENDUS S.

Duo pæne ſunt menſes, optime Virorum, ex quo accepi litteras Bruxellæ abs te Langreno tuo conſignatas. Et ſtatim quidem præclaro Viro litteras mihi redditas, quo te certiorem ejuſce rei facere poſſet, ſignificavi; at non feci tamen reſponſionis ſpem, quouſque tibi reddere eorum, quæ per me curari in Provincia exoptaras, rationem poſſem. Tametſi verò reddere quampiam ab aliquot jam diebus potui; quod tempus nihilominus nuperæ Eclipſeos inſtaret, ac perſcripturus ad te forem, quam expertus fuiſſem in ea obſervanda probam, improbam-ve fortunam; idcircò, ut tibi unis litteris ſatisfacerem, differendum cenſui. Nunc igitur cum me fortuna circa Eclipſeos obſervationem non omninò deluſerit (nam totam ſaltem incidentiam dubio tempore conſpicuam reliquit) ecce de ea quidem aliquid dicendum; ſed prius tamen eſſe videtur ad capita illa præcipua litterarum tuarum præmittenda reſponſio. Itaque poſt illas acceptas, deſtinavi ſtatim, quas per me voluiſti ad nobilem Arnaudum tranſdi, conſcriptis una verſibus paucis, quibus & dicerem ſalutem, & quanti deberet tuum illum affectum ducere, facerem perſpectum. Scripſi autem ſimul ad Riantii Baronem Aquenſis Senatus Conſiliarium, & Peireskii τοῦ μακαρίτου, ex fratre nepotem, ac a tribus jam menſibus ex aſſe hæredem; quando qui hæres fuerat parens ipſius Valaveſius, terrena illi ſpolia, petiturus ipſe cœleſtia, dimiſit. Scripſi, inquam, ut tui cauſa duo quædam ex eo flagitarem; unum, ut vel tranſmitteret quem poſſem tecum communicare Babylonium laterculum; vel curaret ſaltem impreſſos in eo characteres ita ſcrupuloſe, exquiſiteque delineari, ut nihil intereſſet, an in ipſo-met latere, an in tabula effigiati conſpicerentur. Alterum, ut cum extare noſſem in ipſius ædibus antiquum marmor, quod Peireskius Maſſilia obtinuerat, erectum prius ad exteriorem *Templi Accolarum vocati* parietem, quodque ille eſſe opinabatur ſtatuam Crinæ Medici, habiti ſecundi Urbis fundatoris; ut, inquam, curaret id marmor per Pictorem, quam magna poſſet imitatione adumbrari, quia ſtatua eſſe, haberi ve tam Pytheæ, quam Crinæ valeret; neque ulla poſſe obtineri ſtatua inſtituto tuo accommodatior videretur.

Ceterum ex Arnaudo quidem nihil accepi hactenus; at illuſtris Baro dum faciendi ſatis poſteriori petitioni occaſionem præſtolatur, fecit jam ſatis circa priorem. Videlicet effigiem nactus, quam fieri Peireskius curarat una cum facta deſcriptione memorati laterculi, & miſſa quidem, quantum conjector, ad veſtratem Rubenium [Italice quippe ad ipſum ſcribebat] ad me eam effigiem, quam deſcriptionem miſit. Utramque proinde tranſmitto ad te, ac Baronis

etiam addo litteras, ut pronam ipſius voluntatem noris. Vereor interim, ne majorem eventu ſpem conceperis; ac potiſſimum cum Ægyptius potius, quam Babylonius lateat videatur [utcumque ipſi quoque Ægyptii potuerint perinde ſuas Syderum obſervationes conſcribere] verum quidquid id rei ſit, tu & pervidebis, & conſoles boni.

Næ verò & nimium es bonus, & mei amans nimium, dum, ut Pythea, ita mei mitti leonem poſtulas, ac eo præſertim, quo inſinuas fine? Abunde ſane eſſe poteſt, ſi qualiſcumque fiat mentio tum meæ in te obſervantiæ, tum adhibitæ diligentiæ, ut tibi qua poſſem ratione ſatisfacerem; niſi ſis etiam adeò profuſus, ut tua in me viſcera pro tuo erga me ardore effundas. Ac non ſum quidem adeò auſterus, ut, Amicis inſtantibus, tale quid negare ſuſtineam; ſed non poſſum tamen ea eſſe fronte, ut effigiem mei paginæ ulli appiĉtam videam. Cum Peireskius certe ex me extorſiſſet, ut Mellani manu æri incidi me paterer, dedi illicò operam, ut typus ipſe ſupprimeretur; ne videlicet res in alios, quam in intimos, fidoſque Amicos abiret. Hinc vellem quidem aliquis mihi ſupereſſet jam Eĉtypus, quo donare te poſſis ſotem [ſed eo ſolum fine, ut tibi haberes] cum non ſuperſit, operam dabo, ut ſi qua poſſim recuperare occaſione alia rem præſtem.

Adjungam hiſce litteris, quæ exaravit Merſennus tuptum de oſcillationibus tuis. Peregit ipſe experimentum quam-maxime fieri exquiſite licuit per brumam, chorda pariſinorum pedum 49. aſſumpta. Quam ſollicite in Solſtitium una cum variis clepſydris, quæ ipſi fuere uſui, aſſervat; ſed hac de re quidem ſuo tempore.

Ad Lunæ Eclipſeis annorum ſuperiorum quod attinet, tedii (te non ſemel, neque frigide poſtulante) ad Thuanas ædeis, in quibus peraĉta obſervatio anni 1642. qua dequereris, fuerat; verum nihil non circumſpiciens, adnotare prorſus nihil potui, quod ex parte Cœli impoſuerit, & tempore quidem initii præſertim, quo ſerenitas fuit, & Luna, Reguluſque extra omnem refraĉtionis aleam ſublimes, ac oculi noſtri loco edito ad libellam pæne cum teĉtis domorum vicinarum faĉti. Quamobrem ſi quid fuit erroris, id in culpam mei, qui potuerim eſſe non ſatis attentus, conjiciendum eſt. De alis anni 1643. idem plane dico; tametſi non poſſum ſatis demirari, ut Bullialdus Pariſiis, Agarratus Ræi, ego Sucii adeò præciſe circa finem, & tempore quidem cœlitus deſumpto, convenerimus; utque ſpeciatim mihi aſſumptæ trium diverſarum Stellarum altitudines idem exhibuerint minutum. Idem etiam penitus dico de alia ſuperioris anni; tametſi non licet quoque non mirari, qui fieri potuerit, ut non modo aſſumpta ad finem Lunæ altitudo, ſed altitudo etiam duarum diverſarum Fixarum mihi imponeret, dum ex ſingulis idem momentum venatus ſum, & conſpirante præſertim ſerie altitudinum præcedentium.

Ad Solarem verò Eclipſin ſuperioris Auguſti quod ſpeĉtat, fuit mihi quoque Cœlum infauſtum; potiſſimum verò ſub medium, ac finem. Acceſſit infelicitas deperditæ ſchedæ, cui aliquot Phaſes conſignaveram, dum nubes per initia aliquoties dehiſcerent. Memini duntaxat contigiſſe initium, cum juvenis pereruditus Joannes Picardus, & ſtudioſus adoleſcens Claudius Luillerius, quos una cum famulo aucupandæ Solis altitudini præſtitueram, idque, dum ipſe interea in ſceno vicina ſpecialem machinam moderarer, pronunciaſſent mox ante altitudinem graduum præciſe 46. ſicque horam fuiſſe decimam cum minutis quatuor, aut perparum amplior. Memini quoque cepiſſe Eclipſin in parte diſci Solaris Borea, cum inclinatione ad verticalem verſus Occaſum triginta gradoum proxime; & cum Sol momento interluxiſſet, ſub medium, aut aliquanto prius, fuiſſe Eclipſin digitorum 4. cum beſſe; ac deficientis limbi Solaris portionem 105. graduum adnotatam fuiſſe.

An addam vero perſcriptum ad me fuiſſe Gratianopoli a Valeſio, obſervatum fuiſſe Avenione Eclipſeos initium Sole alto 52. grad. 25. minut. ac proinde hora ejus diei XXI. matutina 10. min. 25. finem autem Sole alto 57. gr. 15. min. vel 56. grad. 50. min. hoc eſt, hora, vel 0. grad. 34. cum dimid. min. vel 0. grad. 41. min. a Meridie.

An perſcriptum Diniæ meis ab amicis, quibus demandaram, ut meis uſi organis id, quidquid poſſent, exequerentur, obſervaſſe ſe Eclipſeos initium Sole alto 33. grad. min. 8. hoc eſt, hora matutina 10. min. 35. finem verò alto 56. grad. min. 34. cum dimid. hoc eſt, hora a Meridie 0. grad. 40. minut. Ac non ampliorem viſum fuiſſe, quam digitorum 3. defeĉtum.

An miſſum fuiſſe Romæ ad Merſennum ſchedam, qua continetur geminam fuiſſe obſervationem illeic peraĉtam, altero quidem obſervatorum attendente ad horologium Sciotericum, quod eſt in Palatio Cardinalis Spadæ; altero verò ad ſimile aliud, quod eſt in Conventu Gallorum Minimorum in monte Pincio; ac obſervatum utrobique fuiſſe initium hora 11. min. 16. cum dimid. alto aliunde Sole 58. grad 30. min. in verticali 53. Eclipſin autem perveniſſe ad ſeptimam partem diametri Solis in parteis 24. diviſæ, hoc eſt, ad digitos 3. cum dimidio.

An denique fuiſſe perſcriptum Dantiſco a præclaro Hevelio obſervaſſe ſe in ea urbe, tum Scioterico, tum ex altitudine Solis, contigiſſe initium hora 11. min. 24. finem hora 1. min. 53. idque præter Phaſeis interjeĉtas complureis; ex quibus aliunde obtinuerit fuiſſe defeĉtum maximum digitorum 7. cum dodrante.

Porrò & Eichſtadium ſimilibus uſum Stetinæ Pomeraniæ, obſervaſſe initium hora 11. minut. 8. finem hora 1. min. 24. præter Phaſeis itidem varias, ex quibus etiam obtinuerit maximum defeĉtum digitorum 7½.

Et Lionemannum Regiomonti conſimilibus etiam uſum, obſervaſſe primum defeĉtus ſeſquidigitum hora 11. minut. 48. digiti verò ultimi ½ partem, ſuperſtitem hora 1. min. 55. idque etiam præter varias Phaſeis, ex quibus obtinuerit maximum defeĉtum digitorum 8. addenda hæc ſane, ut poſſent cum iis, quæ tu hac de re miſiſti ad me, compenſari.

Ut verò jam demum de Eclipſi Lunæ, quæ nudius-quartus contigit obſervationem meam attexam, vix ſane affulſerat ſpes intervidendi aliquid, aut tota die ſuperiore, qua nubes fuerant denſiſſimæ; aut noĉtis etiam magna parte, qua effuſiſſima eſt pluvia. Et verò, Deo bene propitio, cepere nubes ſub mediam noĉtem tum rareſcere, tum varie interhiſcere; ac res ita ſe habuit, ut paulo ante horam 4. Cœlum fuerit jam pleromque ſerenum, & ſerenitas fuerit conſtans ad uſque quintam cum ſemiſſe. Ab hora uſque ſeſqui-ſecunda conſcenderam alteram turrium, quæ ad ingreſſum *Templi B. Virginis*, cum iiſdem

adjuto-

adjutoribus, quos circa Eclipſin Solis memoravi; apertas nempe curarat fores optimus Canonicus, Abbaſque Campinius, quo etiam favente fuerant organa a die ſuperiore in turrim illata. Editum elegeram locum, ut, ſi ſors ferret, attenderem, num tempore exortus Solis hinc Sol, inde Luna deficiens ſupra Horizontem extaret; attamen fruſtratus ſpe ſum, quoniam apparuit quidem Sol; ſed Luna ob nubes minime comparuit. Ne longum faciam ſeriem ecce, qua obſervando progreſſus, &c. *Ut in Commentariis.* Brevi poſt ſubortæ ab Occaſu nubes Lunam penitus obtexerunt, neque intervidere ſunt paſſæ, niſi ſemel, idque tranſcurſim, præter hiatulum, cum viſa eſt recuperaſſe ex luce primaria digiti proxime dimidium, alta adhuc margine ſuperiore 4. proxime gradibus; atque adeò hora proxime 6. min. 55.

Atque ita quidem ſe obſervatio habuit. Videris ipſe, qui fieri poſſit, ut duo momenta præcipua 9 prope minutis abſint ab iis, quæ præſcripſeris. Aveo certe ſcire, quid tibi hacce vice contigerit, ut experiri liceat, num ſaltem aliquis defectus coniiciendus ſit in Meridianorum differentiam præſumptam.

Iſthæc vix abſolvo, cum ecce redduntur a Riantienſi litteræ una cum ſtatuæ delineatione, de qua ſum initio loquutus. Itaque illam etiam adjungo, ac lætor fore exinde tibi voluptatem cumulatiorem. Si juvet te quidpiam teſtari in illum gratitudinis, facies profectò erga Virum, qui & te pridem ſuſpicit, & de te bene mereri ſtudet. Vale, Virorum optime, ac eſto ſuperſtes in Neſtoreos annos. Pariſiis, III. Non. Februar. M DC XLVI.

Clariſſimo, ſapientiſſimoque Viro D. Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Palæopoleos Scabino

PETRUS GASSENDUS S.

DOnec pluribus ſcribere ad te ſpero, Virorum humaniſſime, committere interea nolui, ut juvenis nobilis, ac per-eruditus N. hacce occaſione daret litteras, quin participem te ſimul facerem meæ qualiſcumque circa Lunæ Eclipſin obſervationis [nam de Eclipſi quidem Solis dicere aliud nihil poſſum, quam contigiſſe nobis ipſius initium die illa Auguſti 21. hora antemeridiana 10. cum minutis proxime 4. & a Borea quidem cum inclinatione a verticali in Occaſum in ipſo Solis limbo graduum 30. proxime, ac exiſtente medio circiter defectu digitorum 4 $\frac{2}{3}$. defeciſſe ex circumferentia grad. proxime 105. cetera cum nubes, & caſus præripuit.] Ne verò morer, ecce totam obſervationis ſeriem, prout ſtatim, ſeu ipſo die Januarii 31. cujus mane, ſeu tempore antelucano per-acta fuerat, in Commentarios eam retuli.

Phaſes Lunæ. &c. *Ut in Commentariis.* Iſthæc ſunt, quæ exſcribo raptim; tu inelegantiam paginæ excuſa, ſi quidquid eſt modo pellegere poſſit. Brevi, Deo volente, & plura, & melius. Reſaluto Viros præclaros, potiſſimum vero optimum Eichſtadium. Ipſe & vale, & me amare perge. Pariſiis, III. Non. Februar. M. DC. XLVI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NÆ ego, cum nuper perſcriberem natum Longa villæ filium, feceram imprudens, non advertens ſcilicet te orbitatis tuæ admonitum iri? Næ tu verò jam ſic reſcribis, quaſi exinde occaſionem levandi dolorem orbitatis acceperis. Tu alius certe longe ab iis, qui ne ullum quidem veſtigium, & quaſi μνημόσυνον pignoris deperditi ferunt, ac rurſus ab iis, qui in vidua domo nulla, niſi triſtia ſigna ſuſtinent; e quorum numero noſti fuiſſe Herodem illum Atticum, in quem ob mortem filiæ nihil niſi atratum ferentem, jocatus Sextus Philoſophus: *Ecquid nam, domum infers*, inquit ad ancillam, *quos, quod albi ſint non ſit herus toleraturus*. Habes ea proinde, quæ ſponte mihi in mentem revocarint, quod de Fabio Maximo a Catone majore dictum, dum *multa*, inquit, *in eo Viro præclara cognovi; ſed nihil eſt admirabilius, quam quomodo ille mortem filii tulit.* Profectò ſi poſteri norint, qua animi moderatione hacce in re te geſſeris, erit, quamobrem tuam orbitatem cum ſimili gloria compenſatam putes; neque reputes te minus felicem, dum videris illum, quem propter filium ſuperſtitem nemo laudaſſet, ex eo etiamnum commendari, quod præreptum filium moderatiſſime tulerit, ut laudationem etiam ſetipſe it, *quam*, inquit idem, *cum legimus, quem Philoſophorum non contemnimus?* Sed de his alias. Nunc vix eſt quidquam rerum novarum, quod ad te ſcribam. Acceſſit ad Aulam Princeps Carinanius ab uno, aut altero die, ſicque poſt diem longiſſimum uxorem denique reviſit. Monaſterio nihil habetur, niſi quod Miniſtri Cæſarei deliberant adhuc circa propoſitas a noſtris ineundæ pacis conditiones. An Anglus oblatas a Parlamentariis excepturus ſit, an amandaturus, hinc abſurditas, hinc neceſſitas hærendi anſam merito faciunt. Obſtitiſſe ajunt Urangelo, Svecisque in Palatinatum tendentibus niveis, ne pro votis progrederentur; ſed captam tamen interim ab ipſis arcem *Brucum* vocatam, quæ magni oppidò momenti habeatur. Dicitur Koniſmarkius cogere novum exercitum, & Torſtenſonus miſiſſe Lipſia Oſnaburgum, ad impetrandum ſtipendia copiis Svecicis per Germaniam fuſis. Nupturam ferunt Sveciæ Reginam Conſobrino illi, qui diu ſub Torſtenſono militavit; adduntque Reginam Poloniæ eſſe Hamburgum jam prætergreſſam. Urgent impenſe Haſſiaci Marpurgenſem obſidionem; & Colonienſes a Melandro moleſtiſſime infeſtantur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis v. Februar. M. DC. XLVI.

E I D E M.

ADdi nihil poteſt ad ea, quæ de fortunæ inconſtantia, vicibuſque rerum improviſis habes. O te interim humaniſſimum, qui pro immenſa bonitate tanto es afflictis ſolatio! Qui tanta per æquora vectos, tantiſque periclis jactatos ea comitate excipis, ut illi non ſubiiſſe exilium, ſed commutaſſe lareis videantur. Qui genti noſtræ eam laudem quæris, ut nulla videri hoſpitantior poſſit; donec illi crudeleis terras,

Digitized by Google

ac avarum id littus fugiunt, in quo, ut Palinurum, ſic ipſos fata infanda excepiſſent:

Et gens crudelis madida cum veſte gravatos,
Prenſanteſque uncis manibus capita aſpera montis
Ferro invaſiſſet.

Quod vero perſcribis eos Viros æquiſſime, fortiſſimeque iſtam fortunæ iniquitatem, atque acerbitatem ferre, id tantò mihi ſit minus dubium, quanto ſum mihi ſemper viſus agnoſcere in Cardinali (nam germanus quidem haud perinde notus) ſingularem adeò virtutem, ut facile capiam vigore in ipſo & conſtantiam mentis invictam, & animi robur infractum. Heic ſane eſt, ubi ſapientia vireis ſuas explicans, quanti ſit in vita momenti declarat, quæ & ſtudioſorum ſui fida comes nunquam ipſos deſerit, ſed per Caucaſos, Syrteiſque ſectatur, ſimulque emergit, atque enatat, & deſpondere nunquam ſinens, illud identidem inclamat: *Nunc animis opus, o Socii, nunc pectore firmo*. Sed quonam evado? Rerum novarum nihil pæne eſt, quod ut noria valde interſit. Nondum movere Sveci caſtra, ſed prope Egram ſemper conſiſtunt. Cepere Haſſiaci denique Marpurgum. Monaſterii quæ tria ſunt Imperialia collegia eò ſolum vergunt, ut noſtrorum poſtulata temperent, dum Cæſarei inſtant, ut deliberetur quidpiam-ne, & quatenus ſit ex poſtulatis concedendum. Ajunt Hiſpanos eas Hollandis offerre pacis conditiones, ut permirum ſit, niſi admittantur. Angli res pejus ſemper habent. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, XIV. Calendas Martii M. DC. XLVI.

E I D E M.

ADegere me denique Amici, ut Hugonem in jus vocarem, qui ipſe in ſe dicere jus noluerat, ac arbitrio etiam bonorum, imò optimorum Virorum, de quibus ante aliquot menſeis quidpiam ad te ſcripſi, ſtare recuſarat. Qua fide Vir ſit vel ex eo noſces, quod dicere adactus, Sacramento adhibito, quam mihi ſummam promiſerit, ſe non meminiſſe, jurarit, dicam, an pejerarit; itaque in eo jam ſum, ut inchoata ſcripto probatione vixdum impetrem licentiam adhibendi teſteis omni exceptione majores, quorum ſit memoria tenacior. Id diſceptandum hodierna luce apud Palatii Magiſtros Libellorum Supplicum ſecerat; verum ille tergiverſatus vadimonium deſertum fecit. Perſcribo hæc porrò, ut tibi inſinuem quid me rerum hucdum occupatum habuerit, feceritque, ut vix ſuperſit paucis verſibus conſcribendis tempus. Quanquam & vix eſt aliquid rerum novarum, quod ad te ſcribam; niſi quod Strada præfeſtinanter, inexpectatoque diſceſſit in Hollandiam, ut neſcio quid rei inter ordines, Principemque Auraicum Regio interventu componat. Negotium de pace perinde, ac nuper. Conſiſtunt ſemper Cæſarei, Sveciique in Bohemia; ajunt tamen omnia ad prælium brevi committendum eſſe comparata. Angli res ſemper afflictiores. Cepere recens Parlamentarii hinc Darmuthum, illinc Ceſtriam; ac in eo jam ſunt, ut Vorceſtriam capiant. Id ſi fiat, vix ipſi duæ, tres-ve urbes ſupererunt, ac ipſas inter Novarkia, quæ eminus etiam pæne obſidetur. Scribit, reſcribitque, ac nullas non offert Princeps infelix conditiones; verum ſurdis canit, & cum iis agit, qui ſic in ſe ſummam rerum tranſtulerunt, ut illam aut exuere, aut cum eo partiri velle non videantur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, VII. Calend. Mart. M. DC. XLVI.

E I D E M.

PErgit Hugo tergiverſari, ac ejuſmodi nectit moras, ut neſcius in quam longam diem valeat negotium protrahere, doleam, quod interim tantundem meum verſum te reditum moretur. Quam vehementi enim me putas tui reviſendi ardore flagrare, vel ex eo, quod ipſe pro tua bonitate teneri te tanto mei deſiderio teſtaris. Enitar profectò quanta maxime licebit diligentia ab hacce lite me expedire; ac utinam mihi aliunde ſaciendi ſatis optimo Campinio facultas adfuiſſet; neque enim ex me, quantum reor, amici unquam extorſiſſent, ut ob conceptam erga Virum indignationem intenderem ipſam. Menſis eſt, ex quo ad te ſcripſi nihil habere Aulam recentius Barberinorum in Provinciam appulſu; nunc recentius nihil, quod ſciam, ipſo Cardinalis Franciſci acceſſu ad hanc Urbem habet. Heſterna nempe die adventavit, exceptuſque ad Carentonem fuit a Cardinalibus Lugdunenſi, Mazarino, & Prælatorum, Virorumque Aulicorum inſigni turba. Non rediit cum illo germanus Cardinalis Antonius; ſed eum perrexiſſe in Provinciam ajunt. Diſſeminatus rumor eſt de commiſſo in Bohemia prælio, quo profligati Cæſarei, Bavarique e Svecis fuerint; verum is ratus nondum habetur. Haſſiaci, capto Marpurgo, circum-vicina quæque expugnant. Admiſit Magdeburgum Svecicum præſidium. Excipienda Dantiſci fuit Regina Poloniæ ante duodecim, aut quindecim dies. Pacis negotium haud ſecus, quam nuper. Angli res nihilo ſaniores. Poſt occupatam Ceſtriam, etiam Novarkia cominus obſeſſa. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Calend. Mart. M. DC. XLVI.

E I D E M.

URgeri ſe præſentiens Hugo, aſſenſit tandem, ut lis arbitris dirimenda permitteretur. Perſtiti ipſe in deſignandis Coadjutore Pariſino, & Sagienſi Epiſcopo; Ille delegit Arelatenſem, & Xantonenſem Præſules, adfuturuſque eſt Toloſanus, a quo negotii ſeries, cujus ipſe fuit pars magna, narretur. Cum proximis diebus coituri ſint, comparo me, ut pari mente fauſtum, infauſtumque exitum opperiar; nimirum ſi forte cecidero cauſa, lucro non exiguo jam nunc deputo, quod mihi curarum immune reſtituetur tempus. Sin verò temperantibus, ut fere mos eſt, jura Arbitris [tametſi in eo ſemper ſum, ut totum, aut nihil ſummo jure adjudicent] aliquid fiat reliquum, tum ipſe mihi inſuſurrabo id, quod in ore eſt omnium: *Multum eum lucrari, qui a lite diſcedit*. Rumor eſt, ſed neſcio quam verus, mandaſſe Hiſpanum Miniſtris Munaſterii degentibus, ut mero Reginæ arbitratui conditiones pacis committant. Id, ſi verum ſit, timeo Danaos. Quid enim, ſi ille contendat aut Reginam, Aulamque noſtram vocare in invidiam! Si præoptare bellum pergat, reclamantibus populis, & Turca, quem ille prætexit, inſtante, aut texere eundo, ac redeundo moras; obſtareque, ne miles noſter nimis propere ex hybernis prodeat? Movere Sveci Bohemica caſtra; quorſum tamen nondum innotuit. Rediturus

Digitized by Google

diturus brevi Tuillerios, deducturus eſt miliaea, qui jam in Dania nomen dedere. Ex Anglia ſcribunt Farfaxium relicta parte exercitus obſidentis Eceeſtriam, occurriſſe Principi Walliæ deducenti ſuppetias, ac ipſum ita profligaſſe, ut ægre ſoſpes cum quingentis equitibus evaſerit. Cum ea urbs proinde capienda mox ſit, & aliunde Novarkia deditionem jam meditetur, vix ſunt aliæ præter Vorceſtria, & Oxonium ſuperfuturæ. Ac ipſe quidem Rex ſeriptitare, nihilque non offerre pergit; ſed conamine ſemper irrito. Tu, o Principum optime, ac meum dolce decus, vale. Pariſiis, VII. Eid. Mart. M. DC. XLVI.

E I D E M.

DEſtinat iterum ad te Capellanus noſter exemplum conditæ a ſe recens Odes, ratus te pro ea comitate, qua cetera ſoles, illud excepturum, ac venerationem ſummam, qua te colit, atque reveretur, non improbaturum. Nondum convenere Prælati, quos Arbitros delegimus, ſed diem nihilominus, quo rem diſceptent, jam condixarunt. Expetiit meus ille Arnulphus Draguinianenſis, quem dudum noſti, commendari tibi ab optimo Campinio, rogatu meo, neſcio quid rerum: Tu ſic factum intelliges, quaſi non potuerim id viro negare, cui præter jus affinitatis, etiam officia, meritaque non ſane parva me obſtringunt. Quod ſupereſt enim, ſi quid forte ſit, quod aut importunum videatur, aut ne accommodes aurem obſtet, ſcito id a me eſſe recantatum. Rerum novarum nihil pæne habeo; nam inter Svecos, Cæſareoſque nihil, quod memoratu dignum videri poſſit, actum novi. Negotium de pace quantum agitur quidem in propatulo, ſe perinde habet; ſed ajunt tamen arcana quædam colloquia intercedere, ex quibus ſit brevi aliquid ſperandum. Rediere in Hollandiam duo ex Oratoribus Monaſterium deſtinatis, ut ipſimet Ordinibus conditiones ab Hiſpanis oblatas ediſſerant coram. Menſis eſt, ex quo Regina Poloniæ excepta Dantiſci magnifice eſt; at Rex interim Warſoviæ ægrotat, neque quouſque convaluerit, illa exceſſura Dantiſco putatur. Angli res ſemper afflictiores, & quod caſum ejus deploras, humanitate tua eſt dignum. Quod Guiſius Eques retulit de apparatu Turcico, a nemine ambigitur: Utinam Deus omen avertat, & Chriſtiani nominis oſor incidat in laqueum, quem parat. Tu, o Principum optime, ac meum dolce decus, vale. Pariſiis Eid. Mart. M DC. XLVI.

E I D E M.

PErſcripſi nuper Arbitros proximo die conventuros; at cum in locum convenerint, non convenere tamen in ſententiam. Nam abs me quidem deſignati id totum deberi, quod promiſſum fuerat, ſenſerunt, quatenus Hugoni emolumentorum ob depulſionem nihil deperiit; deſignati verò ab ipſo deberi nihil defenderunt ob redditum chirographum ipſo tempore depulſionis. Et reclamabant quidem jura ſtatuentia poſſe id repeti, quod errore facti relaxatum foret; ſed illi nempe in eo hæſerunt, ut affectanti quidpiam remitti Hugoni gratificarentur, & meos ad aliquam ſpeciem temperamenti inducerent. Ac noluere quidem mei inconſulto me quidpiam de ſumma relaxare; ego verò, qui adeo invitus, ac tantas poſt moras intenderam litem, dimidium potius amittere, quam inſtaurare litem malui; ſicque aſſenſi, ut perſolutis quatuor librarum millibus, finis ipſi imponeretur. Id cum fuerit ſatis, ut me ære alieno liberarem, præſtabilius duxi reſidui jactura tranquillitatem redimere, quam evadere ditior miſero bonarum horarum impendio. Quin-etiam id ſum conſequutus, ut liceat ad te regredi quam-primum ceptis Lectionibus in Regio Collegio impoſuero finem. Rerum novarum quid memorem? nam & jam adhuc nihil ſunt moliti qui Sveci in Turingia ſunt, neque qui Cæſarei, Bavarique prope Noribergam verſantur. Apparari in Svecia ferunt ſuppetias oppido inſigneis, quæ in Germaniam brevi traiiciant. Dicitur Regina Poloniæ, tametſi Rex nondum convaluerit, diſceſſiſſe ad ipſum Dantiſco Warſoviam. Obſtant ij, quorum intereſt, ut jura Imperii illibata remaneant; ne alia ad nos transferantur, quam quæ ad treis Epiſcopatus, & Mediovicum, Pinarolamque attinent; nam ne aliuquin ipſa Alſatia nobis cedat, ſumme repugnant. Memorant Anglum, ut aliquas ab Hibernis copias obtineat, indulgere ipſis quidquid denique Privilegiorum expetunt, & ad Religionem maxime quod ſpectat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis X. Cal. April. M. DC. XLVI.

E I D E M.

VIx jam demum ſub veſperam in Muſæum redux calamum arripio, ut proxima feſta fauſta apprecer; nempe denere de ſolido die ne partem quidem minimam propter officia pietatis licuit. Non erit proinde cur a me expectes rerum novarum aliquid; quandoquidem nec cogitare, nec audire quidquam vacavit; & ſi quid mihi aliud agenti aureis fortaſſis perculit, id paucis attingo ad noſtrum Campinium, qui ſit omnia tecum communicaturus. Cetera inter, quod inſinuo de propoſito inter Regem noſtrum, puellamque Hiſpaniæ infantem conjugio, concedendoque in dotem Belgio, comprobat id ipſum, quod præclare ais, fallacem gentem, dum omnia offert, nihil donare, ac interim ſuſpiciones iniicere, quibus exturbet confœderatos. Profecto enim, ex quo Strada ſignificavit rem Batavis, mirum quam illi alienata a nobis mente evaſerint; quamque cogitare ſerio ceperint de componendis cum Hiſpano rebus. Quod de futuris Comitiis innuis, tuæ providentiæ eſt congruum, & maxime quidem, cum non ſit hærendum, quin abunde proſpexeris, ut commoda ex ijs ſperanda, ſic timenda incommoda, quæ ſæpe ex communicatis coëuntium Ordinum, factionumque conſiliis ſequuntur. Hæc dum ſcribo, novus Calator, quo peritiorem neminem ſimilitudini exprimendæ novi, attulit ad me ſpecimen ejus Iconis, quam expreſſit ex prototypo Monſteriano; videtur id mihi non omnino male, tranſmittoque ipſum, ut interim habeas, habiturus plura, ubi procuraro, ut exactis feſtis plura excudantur. Utinam res tibi non ingrata ſit, cui facere gratam fuit maxime cordi. Vale, o decus Principum, vale o dulce decus meum. Pariſiis III. Calend. April. M. DC. XLVI.

E I D E M.

QUa bonitate, quod te rogaram de Arnulpho exceperis, Neuræus mihi ſignificavit. Perſcripſit nempe te incunctanter quidquid id eſſet, factum juſſiſſe; ac miſiſſe etiam Stipatorum unum, qui & placitum renunciaret, &, ſi quid opus præterea foret, tuo nomine exequeretur. O meam licentiam erga te nimiam! o tuam erga me nimiam indulgentiam! Cum me invaletudo levis per hoſce dies habuerit, non vacavit quos Iconiſmos fueram pollicitus procurare. Ipſos proxima occaſione, Numine favente, accipies. Rerum novarum id non poſtremum, quod Walliæ Princeps, cum a Farfaxio verſus Cornubienſe adigeretur promontorium, ſubduxerit ſe, & in Aremoricam migrarit. Dicitur & Rex ejus parens migraturus fuiſſe in Hiberniam; ſed tutum-ne iter illi fuerit, qua terra, qua mari merito hæretur. Verti aliunde in dubium video, futuri-ne Hollandi ſint in ſuo nobiſcum fœdere conſtantes; adeo prætexunt varia, libellis etiam editis, ut pacem cum Hiſpano ineuntes, jure nuncium remittere initæ nobiſcum ſocietati videantur. Procedit interim utcumque Monaſterienſe negotium, ajuntque Cæſareos in id conſenſiſſe, ut Electoratus reſtituatur Palatino Principi, ſed ea conditione, ut Octavus ſit, & donec ipſi ſuperior quoque Palatinatus reſtituatur, perſolvantur Bavaro centies tricies centena millia. Germanici exercitus nihil adhuc moviſſe narrantur. Memorant Reginam Poloniæ perveniſſe tandem Warſoviam, ac futurum fuiſſe, ut circiter medium ſuperioris menſis nuptiæ agerentur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis poſtrid. Non. April. M. DC. XLVI.

E I D E M.

NOn fuit profecto ſine fœnore illa Epiſtolii jactura, quando tu ipſam poſtmodum adeo ſolide compenſaſti. Ceric & ipſe Capellanus ſe verbis tam bonis prægravatum conqueritur; & ad me quod ſpectat, quæ tibi idonea reponere valeam, non ſuppetunt verba. Cum non ſit meus reditus tanti, ut tibi cordi eſſe mereatur, eſt mihi tamen conſpectu tuo deſideratiſſimo frui tanti, ut pauci, qui ſuperſunt menſes evaſuri ſint annis prolixiores. Habebis heic quos Iconiſmos recepi nuper tranſmittendos. Cenſui autem ex iis texendum ſatis inſignem faſciculum, ut ſit unde valeas, ſi libuerit, quam plurimis gratificari. Noveris aliunde haud-dubie Aurelianum Ducem cum Cardinale Mazarino conceſſiſſe diebus nuperis Liancurium, & Gaſſionem eodem conveniſſe è Flandria, ad deliberandum quid mox facto opus. Pergens Turennius interim ad exercitum in Germaniam, tranſivit Nanceio, & Metis; ſcribitque Luillerius ejus equitatum per Regionem illam in hybernis relictum ex lectiſſimis cohortibus nonaginta conſtare. Monaſterii nihil aliud nobis offerri ab Hiſpanis ajunt, quam Damvillerium, Bapalmam, Hedinum, & neſcio quem præterea alium non minoris momenti locum. Nondum plane conſtat Valliæ Principem in Aremoricam tranſiiſſe; tametſi ex ea Inſula, in quam ſe Farfaxii metu recepit, tranſiturus ſperetur. Non tranſiit quoque Rex in Hiberniam; ſed continuit ſeſe Oxonii pæne jam inermis, ac potiſſimum a profligatis recens tribus hominum millibus, qui ad ipſum deducebantur, quibuſque excipiendis ipſe fruſtra cum alio filio Eboracenſi Principe, ac Palatinis, Oxonio exceſſit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis Eid. April. M. DC. XLVI.

E I D E M.

NOn eſto aliis, optime Princeps, at mihi certe, meiſque es Cæſar; dum quod ab illo in Imperio, abs te in Provincia præſtatur. Tenetur ſane meus ille ad dicendum tibi panegyricum; at niſi ſatis eloquio valeat, affatu tamen ſatis pollet, ut & pro accepto abs te beneficio ſentiat ſe obſtrictiſſimum, & ſi quid aut tu illum jubeas, aut ipſe tibi quomodocumque placiturum provideat, ſit tibi omni obſequio gratitudinem teſtaturus. Ego verò ad me quod ſpectat, quidquid mei ergo in eum contuliſti, ſic volo receptum in me, ut abs me deberi ſolidum profitear; ac patiar ex me olim repetas, ſi quid in illo deſideretur. De rebus novis nihil eſt conſtantius, quam quod tota Aula brevi diſceſſura in ipſa Flandriæ confinia ſit; neque, ut ſperatur quidem, ſine fructu. Monaſterii novæ ſemper difficultates ſuboriuntur; ſcribunt tamen ſpem eſſe magnam, ut pax anno ſaltem ruentē ineatur. Hyemant adhuc Sveci; ſed ad Cæſarem interim ſcripſit Bavarus propriis ſe copiis indigere, ut illas opponat Turennio, cujus ajunt exercitum ex ſexdecim militum millibus conſtare. Perhibent verò conſtiturum aliunde Haſſiacum ex duodecim millibus; ſed accedente nempe Koniſmarkio, qui jam ad ipſos properat; ut pote prorſus compoſitis inter Saxones, Svecoſque negotiis. Ex Anglia ſcribunt Parlamentarios invitaſſe Principem Walliæ, ut in ſuam ipſorum fidem ſeſe dedat; fore videlicet, ut omnia pro conditione experiatur; ac dicitur ſimul a parente juſſus, ut diſcedat potius mature in Franciam. Ipſe interim Rex ad Parlamentarios velle ſe Londunum accedere ſcripſit, non jam amplius, ut paciſcatur de pacis conditionibus, ſed ut eas, quas ipſi præſcripſerint, ſubeat. Reſponſum autem tulit, ſi prius accedat, quam oblatis ſubſcripſerit, conjectum iri totum ipſius comitatum in carcerem; ac proviſum ſimul iri, ne quiſquam, qui ſit Parlamento ſuſpectus, ad eum admittatur. Non addo Reginam Poloniæ fuiſſe exceptam Warſoviæ, & celebratas nuptias ἀπὸ τῆς δεκάτης menſis ſuperioris. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XII. Calend. Maii M. DC. XLVI.

E I D E M.

TOt, tamque bona ſunt illa verba, quibus dignaris, optime Princeps, commendare curam valetudinis, ut ad immenſas, quas debeo gratias nihil aliud poſſim addere, quam id, quod concipio pro tuæ conſtantia, perfectioneque ardentiſſimum votum. Ad meam certe quod attinet, vix eſt, quod illam magni habeam, niſi quia ſpes eſt, ut ſit ad præſtandum tibi obſequium comparata futura. Eſt ſemper Aula hinc diſceſſura ſub hebdomadis inſequentis finem. Rumor videtur ſatis conſtans de jam inita cum Cæſare pace; ſed is nempe eo argumento, quantum opinor, nititur, quod diſceſſurus Cæſar Preſburgum ad Comitia Hungarica, mandavit Miniſtris Monaſterii degentibus, ut eas offer-

offerrent conditiones, quæ viderentur non poſſe nobis, Svecíſque eſſe non acceptæ. Quas illi proinde offerunt jam, eæ ſunt, ut Briſacum nobis, itemque Alſatia, ac Diœceſes totæ trium Epiſcopatuum cedant. Ipſis autem Svecis cedat Pomerania, illaque adeo altera maris Balthici expetita ora. Sunt interim adhuc Sveci in hybernis; utcumque Bavarus dicatur ſuas ſeduxiſſe copias Turennii metu, ut nuper ſcribebam. Patitur Anglus pæne extrema, quoniam & exciſus illi equitatus, qui Oxonii ſupererat; & perhibentur Parlamentarii ipſum eminus ſtatim obſeſſuri. Plura ſcribere jam non vacat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis v. Calend. Maii M. DC. XLVI.

Per-erudito, ac per-amico Viro Samueli Sorberia

PETRUS GASSENDUS S.

QUod epiſtolium ad me Calero, vela mox facturus dediſti, accepi. Nihil opus fuit excuſare, quod vale coram non dixeris; nam præclarus noſter Martellus ſat declaravit, quam improviſa diſcedendi occaſio fuerit, & quam requiſieris me tamen; utcumque non adfuerim domi. Quod addis autem potuiſſe te ante diſceſſum extorquere ab eximio illo Hobbæo id exemplum libri de Cive, cui ipſe manu propria marginaleis notas appoſuit, ut cum iſthuc, ubi te voveo incolumem, perveneris, edi iterato procures, id ſummopere delectavit. Videlicet tam pauca fuere excuſa libri exemplaria, ut illa ſui ſitim potius ſecerint, quam expleverint. Siquidem innumeros video, qui librum ardenter, ſed fruſtra requirant, & liber certe eſt non vulgaris, digníſque, qui omnium, qui altiora ſapiunt, manibus teratur; neque, ſi illa ſepoſuero, quæ Religionem, in qua ſumus ἑτερόδοξοι, attinent, ſcriptorem agnoſco, qui hoc argumentum ſcrutetur, quam ille, profundius. Utinam verò cetera etiam, quæ ille verſavit, perinde extorſiſſes? quippe & ex ipſis in lucem prolatis ſumme beaſſes nationem totam Philoſophantium ſolide; eum ego quidem neminem norim, qui ſit inter philoſophandum magis a præjudiciis liber! quippe penitius quidquid rerum edifferuerit introſpiciat. Enim-vero tu Virum ſatis noſti, fruſtraque foret, ſi quid præterea in commendationem ejus adderem. Vale, & amicos optimos ſaluta, inprimiſque Curcellium, Hereeboordum, Bornium, & alios. Pariſiis IV. Cal. Maii M. DC. XLVI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

GRatum fuiſſe tibi, quem ad te tranſmiſi Iconum faſciculum, argumentum eſt bonitatis tuæ. Quod verò meam ſingularem erga te obſervantiam etiam amicitiæ nomine commendas, id affectus eſt erga me immenſi; jam enim ſæpius dicendum fuit, te in amore erga me teſtando non tenere modum. Cum neque fas ſit admonere, ut tibi ipſi temperes; neque, ſi quidquam ſtudioſe velis, ire adverſum liceat. Quod ſupereſt, Deum veneror, ut me faciat hac ſaltem tanta benevolentia non indignum. De rebus novis, prorogatus Aulæ diſceſſus iterum eſt in hebdomadem inſequentem; ferturque quin-etiam alteram Aurelianus expectaturus. Noris autem jam, ut opinor, Andegavum, ac una Condæum, itemque Cancellarium in Civitate remanſurus. Conſtans ſemper rumor de pace cum Imperatore ineunda; tametſi ille præſcribens modum oblatis conditionibus, depoſcit, ut Regiones illæ, deficiente Borbonia ſtirpe, in ſtatum redeant priſtinum, ac poſſideantur regio jure, non ut Germaniæ circuli ob jus ad Diætas Imperialeis. Urget porrò interea Imperatorem Bavarus, de pace alioquin acturus privatim, ac Regem etiam poſtulaturus tutorem filii honorarium, veritus ſcilicet, ne Cæſar vendicans ſibi tutelæ jus, bona pupilli faciat ſua, ac mobilia potiſſimum, in quibus eſſe dicitur auri, argentique vis ingens. Tenetur Rex Angliæ Oxonii concluſus; & cum, Eceſtria jam dedita, Farfaxius eò properet, vides quid illi ſuperſit ſpei. Parlamentarii, dum ſeditionem in Civitate metuunt, edicunt velle ſe nihil aliud, quam Monarchiam conſtabilire; ac illam quidem temperatiorem, ſed & florentiorem ſimul reddere. Walliæ Princeps ſe in Jarſæam Armoniæ Inſulam recepit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Non. Maii M. DC. XLVI.

E I D E M.

TAmetſi non prorſus pacatam Arelaten reliqueris, abunde eſt tamen, quod non valde commotam. Fieri videlicet non poteſt, quin in tanta illa ſtudiorum, animorumque varietate non ſit ſemper variarum partium, ſeu agitationis inteſtinæ quidpiam ſuperſtes; ſed, ut mare nunquam eſt adeo tranquillum, quin aliqua ſemper agitatiuncula teneatur, & tranquillum tamen non deſinit dici, donec inſignes fluctus non ſunt, quibus ſuſque, deque vertatur; ita nec civitatis ſtatus non quietus cenſendus eſt, donec factionum motus non ſunt, qui ſurſum deorſum omnia conturbent. Ex quo fit profecto, ut tu nihilo ſis minus Neptunus habendus, quam ille æquoreus, qui nunquam ſic placat tumida æquora, quin aliqua ſemper ſubagitatione affecta relinquat. Quod mones de Claſſis diſceſſu, facis, ut & ego bene apprecer, & votum addam, ne ex accidenti Turcæ negotiis hinc conſulatur. Diſceſſere hinc denique Rex, Reginaque nudius-quartus, & Cardinalis nudius-tertius, excipiendi a Condæo Cantillij, indeque poſt unum, alterum-ve diem digreſſuri compendium. Dicitur negotium de pace in dies promoveri. Ajunt ſiquidem & Imperatorem remiſſurum eſſe conditiones appoſitas, & Hiſpanum offerre adhuc hinc Ruſſilionem, & Roſæ portum, inde Gravelingam, & Theonis-villam. Feruntur Sveci reliquiſſe hyberna, ac Urangelum una cum Haſſiacis pergere obſeſſum Urbem ad Viſurgim. Nondum moviſſe tamen Cæſarei, Bavarique ideo dicuntur, quod noſſe prius pervelint quid rerum meditetur, moliaturque Turennius. Majores adhuc Angli anguſtiæ; futuræ omnino brevi

ma-

maximæ, niſi inſignis quiſpiam metus, aut ſeditionis in Civitate, aut defectionis in Scotia, Scotorumque exercitu frangat animos Parlamentariorum. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis v. Eidibus Maii M. DC. XLVI.

E I D E M.

SUſpecta habere, quæ circumferuntur de pace cum Cæſare, etiam prætermiſso Hiſpano, ineonda, ſagacitatis ſane eſt tuæ. Inaudiiſti porrò deinceps Hiſpanum etiam obtuliſſe conditiones non prorſus incongruas. Quid, ſi ex ejus ſententia fuit, quod Cæſar fuerit ſe abſque ipſo pacem initurum, quaſi minitatus? Videlicet eum rerum ſuarum neceſſitate eò adigatur, ut ipſe quoque in eam conſentiat, id providiſſe maxime poteſt, ut quam glorioſam minime licet, ſaltem non indecoram obtineat? An-non verò talem obtineat, ſi prætexere valeat maluiſſe ſe redimere pacem iniquiſſimis conditionibus, quam non mature ſalvum facere quidquid vitium poſſet, quod ut tremendo illi nominis Chriſtiani hoſti opponeret; ac tum maxime, cum aliunde ab illo conſanguineo deſereretur, a quo jure nihil non opis expectare debuerat. Utcumque ſit, rumor ille ſemper conſtat, & litteræ Monaſterienſes, quas legere recenteis licuit, facere ſpem pacis non exiguam pergunt. Diſceſſura Aula compendio inſequente hebdomada; ac ſtatim a feſtis exactis Ambianum verſus perhibetur. Aiunt Svecos jam obſidere Hoxteram, & Imperialeis caſtra moviſſe, perveniſſeque prope Marpurgum. Noriburgenſes litteræ poſtulaſſe ferunt Turcam a Ragotzkio, ut commeatum liberum præbeat Tartaris ad ſe acceſſuris. Quas ex Anglia habemus, variæ ſunt; cumque conſentiant omnes Regem habitu ſervili exiiſſe Oxonio, ſunt quæ perhibeant agnitum, captumque a Parlamentariis; ſunt quæ hac de re nihil prorſus habeant. Quid id ſit rei, brevi conſtabit. O caliginem interim, atque incunſtantiam rerum humanarum! Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis xv. Cal. Jun. M DC. XLVI.

E I D E M.

NOn debuit ſane ævum noſtrum ſuis carere prodigiis, tametſi ea ſunt, quæ ut recte ais: *Poſteri vix ſunt credituri*. Quippe nihil habent antiquitatis monumenta admirabilius, quam quod olim in temporum noſtrorum hiſtoria legetur. Succiſam tam brevi Auſtriacam potentiam, toti non Europæ duntaxat, verum etiam Orbi formidabilem. Regem Angliæ adeo florentem Regno ſpoliatum, eòque redactum, ut quo ſeſe tuto recipiat, non habeat. Luſitanum diſpendio tanto Monarchiæ Hiſpanicæ, tot jam annos nobile Regnum quaſi abs parente traditum, tueri. Galliam noſtram Rege, & Cardinali extinctis, ac pupillo tot inter hoſteis imminenteis ſuperſtite, non modo non fuiſſe proſtratam, ſed victricem quoque, & expugnatricem effectam. Tot inſuper, tantaque alia his contigiſſe temporibus, ut viſa fuiſſent non injuria haberi poſſe in fabulis, ſi quis eventura nobis prædixiſſet. Quid veſper adhuc ſerus vehat, nemo facile dixerit; ſed conjicere tamen licet nondum eſſe factum eventis inſignibus finem. Spes illa pacis, quæ fuerat fervida adeo, jam elangueſcit. Futurum fuit, ut hiſce diebus irrumperet Enguenius in Flandriam. Aurelianus hoc demum die diſceſſurus ex Urbe fuit. Hollandi ſub medium menſis inſequentis grande aliquid aggreſſuri ſunt. Hoxtera ad Viſorgim a Svecis jam capta. Pervenit Anglus incolumis ad Scoturum exercitum. Scripſere hi ad Parlamentum, quid facto opus videretur. Reſcriptum, ut Regem in carcerem conjicerent. Quid actum deinceps, hactenus neſcitur. Litteras habeo a tuo Roxolano, quibus enixe rogat me, ut diſcedendi veniam a tua impetrem bonitate. Ego officium hac in re meum ſupervacaneum exiſtimo, quando ea eſt humanitas tua, ut ſi ipſemet a te poſtulet, tu ſis cum ipſo illico, ut cum homine libero acturus. Mirum, quantum ille commendet quem experitur abs te affectum; & cum aliunde non explicet quanam abeundi cauſa moveatur, ipſe eam inquiſitam nolo. Quæſo ſolum te, ut condones, ſi quidquam forte egerit imprudens (vir alioquin minime malus) quanquam neque id opus eſt, cum tu tanta naturæ ſponte ad benignitatem propendeas. Vale, Principum optime, vale, o decus meum dulce. Pariſiis VIII. Cal. Jun. M. DC. XLVI.

Per-erudito juveni Joanni Ugevinio Roxolano

PETRUS GASSENDUS S.

SCribo, quod tuorum eſt votorum ad Illuſtriſſimum Principem, ſperoque futurum, ut tibi, qua eximia eſt bonitate, annuat. Quantum doleam animum tuum amaro hoc affici ſenſu, explicare ſane non poſſum. Vertat Deus omnia in melius, conditionemque ſic fortunet, ut quam virtus tua meretur, tranquillitatem conſequaris. Ad me quod ſpectat, is ſemper ſum, cui nihil ſit gratius, quam aliquo te pro modulo virium demereri obſequio. Talem me ſemper experiere. Vale. Pariſiis VIII. Calend. Jun. M. DC. XLVI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

QUod ad te nupera occaſione non reſcripſerim, invaletudo fecit. Nunc pauca reſcribo, quod illa emendatior quidem, ſed perſeveret adhuc tamen. Uſurpo autem calamum duntaxat, ut inſinuem die ab hinc quarto diſceſſurum ad te, quem abs me voluiſti Eleemoſynarium. Is alius eſt quidem ab eo, de quo ad Neuræum nuper ſcripſeram; ſed facta eſt haud-dubie commutatio in melius; nulloſque hæreo, quin, Deo propitio, res cedat tibi oblectamento. Viri doteis deſcripſi mox litteris ad Neuræum datis. Addo heic ſolum me ſic habere, reperiri vix poſſe alium, qui magis deceat tuam tam illuſtrem, tamque plenam pietatis domum. Deum veneror, ut rem experiare, qualem ſperandam facio, qualemque prior ipſe in ſpe, votoque, & affectu habeo. Nihil enim unquam erit

ju-

jucundius, quam præſtare obſequium, quod poſſit tibi eſſe acceptum. Vale, o decus Principum, vale, o dulce decus meum. Pariſiis VI. Eid. Jun. M DC.XLVI.

E I D E M.

EN diſcedit ad te Deſnoſius hoc ipſo, quem præſcripſi die. Tu illum ſic excipies, ut qui ſeſe totum devoverit tuo famulatui. Hiſce verſibus cum nihil aliud velim, ipſos nempe do illi ſolum, ut tui adeundi occaſionem faciam. Precor Deum ter-Maximum, ut teque, & totam familiam Illuſtriſſimam incolumem ſervet. Vale itaque, decus Principum, vale, o dulce decus meum. Pariſiis prid. Eid. Jun. M.DC.XLVI.

E I D E M.

PErſeverat invaletudo; tametſi videtur in dies, Deo propitio, decreſcere. Hinc neque multa, neque de multis. Precor ſolum Divinum Numen, ut tuam illam luſtrationem oræ maritimæ fortunet. Quidquid rerum novarum eſt, & quod ſpectat potiſſimum ad Aulæ regreſſum ex aliis accipies, Concludam heic ſolum quam ſchedam nactus ſum de rebus externis. Diſceſſit ad te ante dies treis Deſnoſius Eleemoſynarius. Futurum confido, ut omnino placeat; defert Epiſtolium abs me, cujus occaſione convenire te poſſit. Numeravi illi in viaticum centum libras Turonicas; quas hac tranſiens heri *Prud-homias* ſe nomine tuo redditurum recepit. Tu vale ſemper quam-optime, decus Principum, decus meum dulce. Pariſiis XVIII. Cal. Jun. M.DC.XLVI.

E I D E M.

COnvaleſco lente; ſed, juvante Deo, convaleſco tamen. Scilicet tuſſis inveterata, partim febri fuit deminuta, partim leniri ſenſim pergit, pulmoque, cui timueram, evadit in dies liberior. Victitabam parce, ut noſti; at nunc parcius adhuc vivendum aſſumpſi; neque id plane abſque ſucceſſu. Nempe hac ratione non fovetur amplius, ſed ſenſim potius abſumitur ſuperfluus ille, qui vexavit humor. Quæſivi ipſe mihi hoc remedium; ipſeque eſt fore, ut non pœniteat ipſum omnibus Medicorum, qui etiam ſunt mihi amiciſſimi, præhabuiſſe conſiliis. Apprecor tibi ſemper valetudinem ut vegetam, ita conſtantem. Futurum ſpero, ut cum ad te hoc Epiſtulium perveniet, acceſſerit jam quem Eleemoſynarium expectas. Stetit promiſſis *Prud-homius*; miſit ſcilicet nudius-quintus libras illas Turonicas centum. Diſceſſit nudius-tertius ex Urbe Conſobrina tua Longavillæ uxor Colomelium, conceſſura inde Monaſterium proximo die. Multus ſemper ſermo habetur de pace cum Cæſ3re inita, ſed quid id ſit rei Superi ipſi norunt. Coituræ mox dicuntur Turennianæ copiæ cum Haſſiacis, Svecicisque in ſuperiorem Haſſiam; neque procul illeinc Cæſareæ, Bavaricæque adfuturæ. Inaudieris obſeſſum in Flandria a noſtris Cortereacum; ac ſpem eſſe, ut, hoſtibus licet quam-proxime inſtantibus, paucos intra dies capiatur. Hollandi nihil adhuc moverunt, quod quidem acceperimus. Detinetur ſemper a Scotis Novucaſtri Rex Angliæ; ac, ut exarmari prius juſſerat in Scotorum gratiam Monroſſium, ita jam mandavit Præfecto Oxonii, ut Parlamentariis Civitatem dedat. Parlamentarii interim ipſi novas agitant conditiones, quibus Rex debeat ſubſcribere. An is ſit finis civilis belli Regioni futurus, incertum. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis X. Cal. Jul. M D.XLVI.

E I D E M.

NOn ſcripſi nuper, optime Princeps, quod a ſuperiore ſcriptione aliquanto pejus habuiſſem. Nunc, Deo propitio, præclarius valeo, ac ſentio, agnoſcoque me fieri in dies roboratiorem. Hoc ſcire te duntaxat volui, ne ut me haberem neſcires, atque idcirco anxius pro tuo in me affectu hæreres. Nam Aulam quidem poſt triduum diſceſſuram Fontem-Bellaqueum, expugnatum in Flandria Cortereacum, coëuntes Dordracum Hollandos, Walliæ Principem mox huc adventurum; parentem ejus æque a Scotia, ac Parlamentariis ad ſubſcribendum conditionibus, quas ipſi præſcribunt urgeri; & quidquid præterea rerum novarum eſt, abunde ex aliis accipies. Vale, o decus Principum, o meum dulce decus, vale. Pariſiis, prid. Non. Jul. M.DC.XLVI.

E I D E M.

SUmme delectat, optime Princeps, rediiſſe in Urbem te proſpera valetudine. Utinam fruaris deinceps eadem conſtanter. Plurimum haud-dubie tolerandum fuit in tua illa luſtratione ſollicitudinis, ac laboris; maximeque in maturanda illa Claſſis inſtauratione, quam fieri expedite operæ pretium fuit. Verum tu, quæ negotia ſunt Regia, publicaque adeo curas alacriter, ut dum iis incumbis, nihil moleſtiarum, quæ non poſſunt hac tempeſtate non maximæ eſſe, ſentire videaris. Ad meam quod ſpectat valetudinem, ea lente quidem, ſed ſemper tamen recuperatur. Domo nondum exeo, niſi Sacri cauſa; ſed ſpes eſt tamen, ut poſſim brevi etiam longius concedere. Rerum novarum vix quidquam habeo. Diſceſſit Aula proximis diebus, ut præmonueram, Fontem-Bellaqueum. Acceſſit quidem ad matrem ſuam, ſed non ad Aulam Walliæ Princeps: Rex ejus parens conſtat ſemper quaſi inter ſaxum, & ſacrum, Oxonii deditio jam facta. Non diſceſſit adhuc exercitus noſter Cortereaco, cui interim communiendo inſudat. Dicuntur Hollandi cepiſſe jam unum, alterum-ve munimentum ad Scaldim prope Antverpiam. In Germania nihil audio ab exercitibus patratum. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Eid. Jul. M.DC.XLVI.

E I D E M.

NOn ſum profecto tanti, ut quæ mea interdum eſt dubia valetudo, movere te debeat. Quare & tanto obſtrictior ſum, quanto ſum tuæ hujus tantæ ſollicitudinis immerentior. Potes porrò jam eſſe de meo ſtatu, Deo bene propitio, propemodum ſecurus; quippe jam fere ex integro recuperatæ mihi vires; niſi quod vox nondum plane libera; tametſi & ipſa ſit ſenſim, ut clarior, ita continuatior. Lætor

admodum non fruſtratum me ſpe illa, quam conceperam de Eleemoſynario tibi placituro. Profectò verò quæ bona verba habere de illo dignaris, ejuſmodi ſunt, ut vel ipſa ſola eſſe ſatis valeant illi extimulando ad omnem virtutem. Delectat etiam, quæ de optimo Roxolano commemoras, exoptoque ſummopere, quam ille tibi operam jam præſtat fieri non injucundam. Futurum erat, ut Walliæ Princeps heſterna, aut hodierna luce San-Germano digreſſus, & per hanc Urbem tranſiens, Aulam conveniret ad Fontem-Bellaqueum. In Anglia Vorceſtria de deditione agit. Princeps Ropertus, quod propius Londinum, quam condictum fuiſſet, venitaverit, juſſus dicitur ante dies decem tranſigere mare. Legatus Scotorum non alia de re cum Angliæ Parlamento egit, quam ut conditiones viſæ Scotis juſtæ ad Regem quam-primum mittantur. Non fuit comprobatum, quod nuper ad te de Hollandis perſcripſeram. Quin-etiam ſubinde per aliquot dies percrebuit rumor de pactis clam cum Hiſpano induciis, iiſque in annos unde-triginta. Nunc, an ſerio agant, an-non, quod plurimi interpretantur definire meum non eſt; admitto ſolum, quod perhibent excendiſſe illos, ac eſſe in Flandria, non longius a noſtris, quam Belgicis milliaribus ſeptem. Nec dum etiam jam movent aliquid Germanici exercitus. Dicitur duntaxat Turennius verſari cis Rhenum, ac videri velle obſidione cingere Artembachium. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIII. Cal. ſextil. MDC. XLVI.

E I D E M.

QUem non moverent litteræ teneritudine tanta edulcatæ? Utinam exhibere me hocce tuo affectu non indignum poſſim! Inaudii quam conſtans fuerit ille rumor de mea morte diſſeminatus; quando meum quoque Beneficiolum fuit Avenione impetratum. Sed ecce me tamen, Numine favente, & ſuperſtitem, & qui poſſim mox ad omne obſequium eſſe comparatus. Pauca jam ſcribam, tum quia jubes, tum quia, ſi velim, non licet per tempus. Videlicet coactus fui tam multa Diniam ſcribere, maximeque propter indignum primi Conſulis facinus, ut reliquum ſit temporis pæne nihil. Subiiciam proinde ſolum uno verbo, vigere heic ſemper quam-maximos æſtus; diſceſſiſſe ab exercitu noſtro in Hollandicum ſex hominum millia ſub Mareſcallo Grandimontio. Obſideri Antverpiam, ſed rumore dubio; eò ſeſe Picolomineum cum octo militum millibus recepiſſe. Longovitzium a Fertæo-ſeneterrio expugnatum, ac obſideri jam Montem-medium. Turennium non quam nuper ſcripſi, ſed aliam Coloniæ propiorem Urbem cingere, Trajecto illeic Rheno convolaturum ad Sveeos, & Haſſiacos, qui irruentes in ſua caſtra Cæſareos, & Bavaros cum inſigni eorum clade repulerunt. Eſſe in eo Anglum, ut vel iis ſubſcribat Scotorum conditionibus, quibus Rex pæne eſſe deſinat; vel Eccleſiaſticis cenſuris Regionis illius ſubjaceat. Palatinos Robertum, & Mauritium Caletum appulſos diſceſſiſſe illum quidem huc, iſtum in Flandriam ad exercitum noſtrum. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VI. Cal. ſextil. M. DC. XLVI.

E I D E M.

NIhil ſemper dulcius tuis litteris; nihil tuæ benevolentiæ ſignificatione humanius. Debet mihi ſane mea valetudo vel ob hoc ipſum eſſe curæ, ut & rem gratam tibi faciam, & ſubſit, quod pro te profundam. Ea mihi, Numine propitio, evadit ſemper corroboratior. Tametſi me adhuc ob æſtus perſeveranteis domi contineo; hi ubi deferbuerint, aſſueſcam paulatim me credere Cœlo, eoque comparare, ut tandem optatum ad te reditum inſtituam. Res inter novas, primas tenet Dunkerkana obſidio; eò ſcilicet convolarunt noſtri, cum perſuaſi hoſtes cinctum iri Antverpiam, ac potiſſimum ob tranſmiſſa illa e noſtro exercitu millia hominum ſex, totas pæne vireis illuc diverterunt. Et oppugnamus quidem adhuc Bergam Vinociam, quæ eſt Dunkerkæ veluti propugnaculum; ſed Gaſſio tamen interim munimenta ad Mare uſque ab Hiſpanis nuper molimine magno extructa occupavit. Trajecit Rhenum Turennius, & Haſſiacis, Svecisque jam adeſt: Cæſarei autem, ac Bavi caſtra moviſſe, & repetere interiorem Franconiam dicuntur. Miſſæ tandem ad Anglum ſunt conditiones a Parlamento, Legatis juſſis, brevi redire, neque apud Regem dies amplius decem commorari. Dimiſſam a noſtris Orbitellæ obſidionem inaudiſſe tu prior debes. Vale, Principum optime, vale, o decus meum dulce. Pariſiis III. Non. Sextil. M. DC. XLVI.

Audio curſorem adventaſſe, qui agere Bergam de deditione renuntiarit. Gratias quam poſſum maximas habeo pro favore, quo proſequi Draguinianenſem Conſulem in mei gratiam creatum pergis.

Per-quam erudito, & ſincero amico, Henrico Bornio

PETRUS GASSENDUS S.

ECquem me cenſebis, ſuaviſſime Borni, qui nihil hactenus ad tot litteras humaniſſimas dederim reſponſi? Tibi certe mens eſt candidior, quam, ut eam ob cauſam de meo in te affectu hæreas. Mihi longam prætexere excuſationem nihil eſt opus. Uno verbo; invaletudo, quæ me per menſeis complureis habuit, huic me officio imparem fecit. Quin-etiam cum nondum ab ipſa penitus liber evaſerim, erit cur boni conſulas, ſi labori parcens, pauca jam reſcribam. Cogito verò verbulum quoque ad illuſtriſſimum Revensbergium dare; tu, cui ſolidam debeo, maximique duco Viri amicitiam, fac ut quidquid deerit ſuppleas. Gratiſſimum erit quod ſperandum facis præclaræ Phyſicæ exemplum, quando vel ex paucis, quibusdam, quas videre mihi licuit Theſibus, veluti ex ungue leonem conjicio, augururque ipſum majora parente generoſæ indolis ſpecimina exhibiturum. De editione reſponſionis meæ ad inſtantias nihil adhuc inaudio. Tu vale ſemper quam optime, & cum præclaro Heereboordo, noſtrum etiam Sorberium, cujus conjugio omnia fauſta apprecor, plurimum ſaluta. Pariſiis V. Eid. Sextil. M. DC. XLVI.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro Jacobo Revensbergio in Ultrajectina Alma Academia Profeſſori Matheſeos Celeberrimo

PETRUS GASSENDUS S.

QUod exacto jam tertio menſe, & paucis ad litteras tuas comitatis plenas reſpondeam, excuſatum faciet quæ invaletudo tenuit me, atque etiam-num, licet facta jam emendatior, tenet. Id honoris non promerebar, quo me beare dignatus es, amicitiam offerens tuam, & cum ipſu ego eam prior ambire merito debuerim, tanto tibi devinctior ſum, quanto tu ultro præoccupaſti. Hinc te præeunte conſequor quidem, ſed volentiſſimus tamen; & cum ſpondeam fore, ut nunquam per me ſtet, quin omni officio amicitiam colam, ſecurum te jubeo, nihil omninò eſſe, quod tibi de me, quantum quidem vires ſuppetent, polliceri non poſſis. Quæ Solis Eclipſis ſuperiore anno, & die xxi. menſis Auguſti contigit, cepit in hac Urbe hora matutina 10. ac minuto proxime quinto. Altitudo ſcilicet Solis proxime ante fuerat graduum præciſe 46. Fuit autem initium defectus ſuperne, ſeu ad Boream in diſtantia a verticali graduum quam proxime 30. Cetera nubes invidere. Quæ Eclipſis verò Lunæ contigit die ultima nuperi Januarii, cepit nobis Polluce ad Occaſum alto gradibus 23 min. 10. atque idcirco hora matutina 4. cum min. 15. cum dimid. Captavi phaſeis ſubinde varias, quouſque totalis obſcuratio contigit alto Regulo grad 26. min. 50. hoc eſt, hora 5. min. $11\frac{1}{4}$ cum & ſtatim Pollux altus adhuc fuerit grad. 14. min. 25 & Caſtor ſubinde grad. 15. min. 30. hoc eſt, hora 5. minut. 13. Succeſſere brevi poſt nubes, quæ reliquo toto tempore Lunam obtexerunt, quouſque occubuit; niſi quod non-nihil interluxit, cum videretur jam circiter ſemi-digitus lucis reſtitutus, eſſetque ejus altitudo ſecundum ſuperiorem limbum 4. proxime grad. atque idcirco hora 6. cum 55. proxime minutis. An Luna prorſus evanida, in viſa-ve futura fuiſſet, ſub ipſum medium obſcurationis, tametſi nubes nihil obſtitiſſent, pronunciare non valeo. Ad Eclipſin illam anni 1642. quod ſpectat, evanuit mihi quidem Luna, cui jam evadit viſus hebetior; ſed qui adſtabant oculatiores, diſcernere ſe illam autumabant. Plura alias, clariſſime Vir: Tu perge rogatus, quod ultro cepiſti, hoc eſt, me amare ne deſine, ac bene vale. Pariſiis v. Eid. Sextil. M DC. XLVI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

MEa valetudo, de qua eſſe pro tua bonitate ſollicitus pergis, in eo ſtatu eſt, ut ſperem me poſſe, Deo bene juvante, ſacrum facere proximo Aſſumptionis die. Utinam Deus ter-optimus, quæ vota pro tua, totiuſque familiæ incolumitate, concipere pergam, exaudiat! De rebus novis, Berga quidem expugnata a noſtris eſt; at quia Hiſpani interim intruſere Dunkerkam hominum millia circiter ſex, ideo noſtri ab ea cingenda communis deterriti ſunt; ac deficiente præſertim claſſe, quæ mari ſubſidium prohibeat. Obſident tamen Mardikum a quarto uſque menſis die; utcumque Hiſpani eò propere injecerunt duo militum millia. Caſtrametari citra Scaldin, ac non longe Antuerpia. Hollandi illeic hærent, nec quidquam movent. An Turennius jam cum Haſſiacis, Sveciſque conjunxerit viteis, compertum penitus non eſt; neque inaudimus novi aliquid ab ipſo uſque Cæſareorum, Bavatorumque receſſu patratum. Excepit Longavilla Uxorem Monaſterii. Quod verò de pace negotium illeic diſceptatur, in eo eſſe dicitur, ut cum Imperator conſentiat, res germanicas in eum ſtatum, quo erant anno ſæculi XXIV. reſtitui, poſtuletur adhuc reſtitutio in eum, quo erant anno XVIII. Ex Anglia nihil habeo, niſi quod inter ceteras conditiones ad Regem miſſas, non poſtremæ ſunt, quibus & Religio Catholica [infandum.] plane aboleatur, & militiæ jus penes Parlamentum in xx. annos ſolidum remaneat. Si quid in Aula tranſigitur, id ex aliis cognoſcea melius. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale Pariſiis, IV. Eid. Sextil. M. DC. XLVI.

E I D E M.

NIhil eſt, Principum optime, quod tibi potius renuntiem, quam, Deo, propitio, non eſſe lethale inflictum luce heſterna vulnus generoſiſſimo illi tuo Conſobrino, Duci Enguenio, dum vis ſecta incedenti, granatum primum diſſiliens, feriit humerum, & capitis partem perflavit, potieſquam perruſſit; adeo ut, tametſi ſanandus ante viginti dies non ſit, ſanandus tamen plane cenſeatur. Ita ſcilicet me mox edocuere acceptæ a caſtris Mardikenſibus litteræ; utcumque rumor ante horam ſiniſterior fuerit reſperſus. Adderem nihil poſſe cogitari glorioſius, quam quod eſt ab illo nudius quintus patratum; cum tot circa ipſum perempti, aut vulnerati Proceres; niſi rem plenius ex uberiore facti narratione perſpecturus fores. Addo id ſolum, quod ex iiſdem intellexi litteris, neceſſe videlicet fore, ut ſi Hollandi ludere nos pergant, neque claſſem mittant, quæ communicare Mardikenſeis cum Dunkerkanis prohibeat, obſidio a noſtris ſolvatur. Id, ſi demum fiet, tuus ille interea, & convaleſcet, & ſeſe illis non exponet periculis, quæ ſuperſunt haud dubie ut creberrima, ita maxima; ſicque, Deo vertente in melius, eveniet, ut hocce caſu tanquam leviore graviorem alium redemerit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XVI. Cal. Septemb. M. DC. XLVI.

E I D E M.

COnceſſiſſe Brinoniam te declinando æſtui ſum valde lætatus. Quantos profecto Aquis-Sextiis viguiſſe fervores conſentaneum eſt; ubi ego quidem non commemini ſenſiſſe me ullum eo, de quo non-nemo heic conqueſtus eſt, intenſiorem. Utinam verò per negotia licuiſſet tibi maturius; ſed præſtat tamen reliquias, quam nihil, Æſtatis amenitate hac temperare. O felicem aliunde te, qui ſic habes Mundi hiſtrioniam perſpectam! Siquidem tametſi pro tua indole nihil tibi ſit candore antiquius, & grave ſit non poſſe omnia, nec cum omnibus aperto pe-

ctore agere; id nihilominus agere, quod agas, in rectum collineando finem, & quod conditio temporum, publicaque utilitas ita exigat, hoc ad ſapientiam pertinet, cujus ſemper eſt poſſeſſio jucunda. Secus ſane illis evenit, qui ambitione, aliiſque occecati paſſionibus, neque æqui ſervantes ſunt, neque veri amantes, dum, quod ſua intereſt, duntaxat attendunt. Rerum novarum vix quidquam habeo. Nam diſceſſiſſe tandem iſthuc rei tormentariæ Præfectum, ipſe abunde pernoveris, & rediturum hodie ex Aula Walliæ Principem ſua cum Parente, id minoris refert. De Rege ejus Patre hoc ſolum accepi, quod conditionibus oblatis ſubſcribere noluerit, tum quia parum æquis, tum quia nihil ſecum de iis fuerit actum. Quò res porrò ſit evaſura, magnæ expectationis eſt, ipſo ſpoliato, inermique, & ſi fas dicere, captivo. Significavit Aurelianus fore, ut ante exactum menſem Mardiko denique potiatur, capto jam ab Hollandis, eò demum appulſis, propugnaculo ligneo, & obſtructo a noſtris canali, quo Dunkerkam inter, Mardikumque erat commercium. Dicuntur interea Hiſpani recepiſſe Mehenemium, ac univerſum præſidium internecioni dedidiſſe. Illa Enguenii tui aduſtio curationis quidem lentioris, ſed periculo tamen ſemper vacat. Iſthæc dum ſcribo accedit ecce, qui mihi renuntiet adventaſſe mox ab Aureliano Curſorem, a quo perhibeatur illum rediturum, hucque acceſſurum una cum Enguenio die penultima hujus menſis. Scilicet ſpem indubiam eſſe captum iri Mardikum die ab hinc ad ſummum quarto. Ad ſummum, inquam; nam etiam hodie ſubvertendum fuit cuniculis pyriis præcipuum propugnaculum, ac ſtatim ingreſſus tentandus. Adiicit ille naves Hollandorum appuliſſe non amplius ſex. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IX. Cal. Septemb. M. DC. XLVI.

E I D E M.

OPtime profecto res habet, quod claſſis noſtra eſt in procinctu. Quippe, niſi aliud, id ſaltem præſtabit, ne Hiſpanica quidpiam aggredi adverſus oram Provinciæ auſit. Niſi aliud, inquam; nam & ſpes heic eſt, ut uſus ea Melletæus inſigne aliquid moliatur. An verò ſucceſſus pariter ſperandus videtur vel ex eo, quod ſcribis totam Provinciam milite ſcatere? coniiciendum certe hoſce milites exercitui maritimo inſtruendo eſſe comparatos. Deus optimus bene omnia fortunet. Acceſſit ad Urbem, ut præſcripſeram, heſterna luce Aurelianus; verum remanſit tamen, qui imperet exercitui Enguenius; videlicet intra quatriduum melius omnino habiturus. Captum Mardikum eo ipſo, quo ad te nuper ſcribebam, die, ſuperſtitibus adhuc licet tribus militum millibus, qui & ſe victoris permiſere arbitrio, &c. ut manu-capti ſunt in Galliam adducti. Nemo heic non putat Enguenium eò incubiturum, ut Mehenemium reciperet, quod alioquin vix liceat Cortereacum facere tutum. In Germania dicunt Turennium, & Svecicarum copiarum partem antevertiſſe Cæſareorum, Bavarorumque exercitum, ac neceſſe fore, ut ille, aut prælio, aut fame [aliunde jam valde afflictatus] pereat; ſicque eventurum, ut noſtri, Svecique hyemare ſecure in Bavaria poſſint. Ex Anglis nihil habeo novi a Legatorum reditu. Parlamentarii ſiquidem deliberant adhuc quid ſit facto opus, quando Rex ſubſcribere oblatis conditionibus recuſavit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, prid. Cal. Septemb. M. DC. XLVI.

E I D E M.

ID timendum ſane, quod tu Enguenio times; quandoquidem ille dum omnis is animi verè generoſi implet numeros, id-ipſum non timet. Utinam eum ſervet incolumem Deus, qui ornamento tanto eſt & Regno florentiſſimo, & glorioſiſſimæ Familiæ. Cum pati jam currus vectationem poſſit, dicitur non cepiſſe modo deducere exercitum, ſed cingere etiam Baſſeam obſidione. Hoc tamen nondum, quod ſciam, conſtat, uti neque conſtat de Grandimontii reditu cum ſex hominum millibus, quos obſidendæ Antuerpiæ prætextu Hollandi nobis ſubduxerunt. Ajunt Cæſareos, Bavaroſque defectu commeatus, viæque tutioris ſic deflectere, ut etiam Rhenum trajecturi ſint, ac fieri vix poſſe, quin plane eant peſſum. Addunt Turennium, Fœderatoſque interea cepiſſe varia oppida, munimentaque non contemnenda; ac eſſe in procinctu, ut Haliprunum obſideant. Negotium de pace pæne intermiſſum inſtaurari jam dicitur. Faxit Deus ter-Optimus, ut proxima hyems, cetera ſterilis, fetum tantis votis expetitum parturiat. Degit Angliæ Rex ſemper Novocaſtri, ac paruit tandem juſſis Monroſſius, armis poſitis, ac itinere mari deſtinato. Parlamentarii eſſe nuper in eo dicebantur, ut deliberarent, an paterentur accedere non-nihil propius Regem Londinum. Heic novi nihil, quod norim quidem, niſi quod die ſuperiore acceſſit Legatus a Regina Sveciæ, quodque Aurelianus eſt Fonte-Bellaqueo Bloſium diſceſſurus. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, VII. Eid. Septembr. M. DC. XLVI.

E I D E M.

QUod dignaris perſcribere de exercitus noſtri apparatu, bene ominari de ſucceſſu jubet. Id vix perſuaderi bene multis potuit, ut quidpiam denuo aggrederemur, aut ut res, & tempora ſunt, exequeremur feliciter; ſed ſpes jam tamen eſt plurima in ipſo Imperatore ſita; ac in iis copiis, quibus illum iri inſtructum inſinuas. Heic, ſi quid rerum novarum eſt, paginam utramque tuus Enguenius facit. Ille de Baſſeæ obſidione ſpargi rumorem curaverat, cumque tendere illuc crederetur, VVernam divertit, occupavitque, hoc eſt, præcluſit aditum, qui ſolus Dunkerkam ſupererat hoſtibus liber. Dicitur ſubinde aggreſſus Urbem cominus cingere, Hollandorum claſſe interim appellente, advehenteque Grandimontium cum abducta militum manu. Videtur fama ſatis conſtans de Halipruni obſidione a noſtris, Svecisque ſuſcepta; ſed interim tamen regreſſos Haſſiacos cladem neſcio quam perpeſſos eſt rumor. Nihil adhuc eſt, quod audierim quidem, a Parlamentariis in Anglia decretum. Ajunt tamen illos per-moleſte tuliſſe effectum Regis indulgentia, ut jam Hibernia pæne tota Anglicanum excuſſerit jugum. Diſceſſit ad Aulam Svecorum Legatus, ac Aurelianus, qui huc redierat, eò reverſus eſt poſt aliquot dies Bloſium conceſſurus. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis poſtrid. Eid. Septemb. M. DC. XLVI.

Digitized by Google

E I D E M.

HAud hæreo quidem, quin bene multiiteratam expeditionem averſati illud obtendant;

——— *Quia nos veſtigia terrent;*
Plurima te adverſum ſpectantia pauca retrorſum.

At non hæreo quoque, quin multis præſtantia Ducis animos addat, ratis puta, quid vel Caprarum ducente Leone exercitus poſſit. Fortunet Deus omnia; ac utinam tandem tua illa vota de convertendis in communem hoſtem chriſtianorum armis compleantur. O, quid non poſſent vel ipſi Galli, collatis in unum totis viribus, & accedente ad animos ea, qua jam vigent, bellandi peritia!

O quantum poſſet Terra, Pelagique parari!

Conſtans ſatis huc-uſque fama de obſeſſa ab Enguenio Dunkerka; ſed utcumque tamen circumvallatione cingere Urbem ceperit ſectis ire viis aggreſſurus non eſt, quo-uſque videat, quid referat quem nuncium petiturum miſit, & quidpiam nummorum animandis militibus, & Prætorianas aliquot tam Gallicas, quam Helvetias Cohortes. Non redicere a Grandimontio niſi ſoli Pedites; verum advenere interea quatuor Polonorum millia meritura. Minime viſum Turennio eſt immorari ad Haliprunum, ſed illius vice obſedit, cepitque Schorendorſium, quo fretus tuto valeat in Virtembergenſi Ducatu hyemare. Qui hoſtes fuerant verſus Rhenum digreſſuri crediti, Danubium verſus diverterunt, ac Ratiſbonam jam properant, ut Bukenium ſibi adjungant. Veruntamen accurrunt ſimul Turennius, & Urangelus, ut præoccupent, & ad prælium cogant. In Anglia res adhuc eadem confuſione; atque hæc quidem publica. Ipſe differo in dies diſceſſum, præſtolando quonam evaſura ſint, quæ mihi primus Conſulum Diniensium nomine *Jeremias* fraude inſigni negotia fecit. Interim verò, quia, tranſeunte nuper manu militum Dinia, non potuere ejus Collegæ litterarum tuarum reverentiores obſtare, quo minus eorum aliquot ſaltem, & uni meorum affinium, & emptori meorum qualiumcunque redituum deſtinaverit, divertendos. Ideo veritus ne ſi deinceps, quod abſit, incidat ſimilis occaſio, ille teſtari odium pergat, ſcribo ad meum Tornatorem, ut elenchum eorum, quos velim exemptos, ad tuum a Secretis mittat, quò tuo juſſu diplomata illis neceſſaria conficiat. Tu, qui jam ultro, ac pro tua illa incomparabili bonitate ire obviam volueras, annues haud dubie, licet non utar uberiore comprecatione. Vale, Principum optime; præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis XI. Cal. Octob. M. DC. XLVI.

E I D E M.

QUam ſum recreatus, Deum Immortalem! litteras ſuaviſſimas legens, quas dare ad me Belgenſcrii dignatus: Reſtituiſti mihi memoriam cari illius capitis, cujus, niſi cum voluptate deſiderio mixta recordari non licet! Utinam verò illi per fata eſſe licuiſſet ſuperſtiti, ut poſſet te hoſpitem tantum hortis illis, quos ſua cura nobilitarat excipere! Utinam, & tibi licuiſſet ab ipſo, quo erat genio, excipi!

O qui complexus, & gaudia quanta fuiſſent!

Verum deſiderio, & pudor, & modus adhibendus eſt, ac leniendum patientia, quod durum cum ſit corrigere eſt nefas. Audio te deinceps repetiiſſe Urbem, ac voveo, ut te in illam ſanus, incolumiſque receperis. Quod de diſceſſu claſſis perſcribis, expectationis magnæ eſt; utcumque ea fortaſſis aliò, quam quò rumor ipſam dirigit, contendat. Occepit Enguenius ſectis ire viis, ac ſeſe ſub Eidus menſis proximi Dunkerka potiturum ſperat. Cenſeri poſſunt Duces Hiſpani, ut inter ſaxum, ſacrumque ſtare; nam ecce interim Hollandi cingunt, oppugnantque Lierium, Arcem, ut munitiſſimam, ita momenti maximi Mechlinium, & Antuerpiam inter; illi autem non poſſunt aut vireis partiri, quin reddant prorſus inefficaceis; aut in alteros incerto eventu ſe convertere, quin alteri locum expugnent. qui Provinciæ jacturam trahat. Sollicitat Hiſpanus Anglos; ſed illis eſt ſatis negotiorum domi, nec dicuntur hactenus aliud, quam pulveris pyrii quidpiam impertiti. Cepere noſtri in Germania Donawerdam ſupra Danubium; irrumpenteſque in Bavariam, conſternationem pariunt ingentem. Ferunt Auguſtam Vindelicorum de deditione agere; & Bavarum ipſum relictis, ut potuit, munitis Monaco, atque Æniponto, Ratiſbonam diſceſſiſſe. Literæ poſtremum Monaſterio acceptæ perhibebant pacem cum Cæſare prope concluſam; jam verò timendum non eſt ut ille vel a Bavaro inſtigatus referat pedem. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XV. Calend. Octobr. M DC. XLVI.

Admodum Reverendo, clariſſimoque Viro, Godefrido VVendelino, Condatenſi Canonico, Paſtori Hercano, Amico longe optimo

PETRUS GASSENDUS S.

QUas duodecimo, quartoque Calendas dediſti ad me litteras interventu nobiliſſimi Equitis a Scala accepi. Cum non vacet jam pluribus ad utraſque reſpondere, pauculos ſaltem verſus tranſdo, ut & acceptas ſignificem, & me, propitio Numine, non vivere modo, ſed etiam valere renuntiem. Saltem plurimum jam convalui; & ſpes eſt, ut brevi quidquid reliquiarum morbi ſupereſt, plane, prorſumque evaneſcat. Utinam verò idem fatum contigiſſet morbo optimi illius, cariſſimique Erycii Puteani:

——— *Cui pudor, & Juſtitiæ ſoror*
Incorrupta fides, nudaque veritas
Quando ullum invenient parem!

Litteras certe legenti tuas, & cogitanti Arcem illam, in quam videbar mihi aliàs ut in Parnaſſum aſcendere, ac, illo præeunte, muſarum choro intereſſe, ſubiit illico exclamare: *Exceſſere omnes! verum deſiderio ſit pudor, ac modus.* Unus jam, alterve eſt annus, ex quo Bullialdus diſceſſit Venetias, menſiſque eſt, ex quo perſcripſit petiturum mox Romam ſe, neque diu fore, quin ſoluturus Conſtantinopolin ex ora Hetruriæ navi Anglica, eòdem, occaſione accepta, contendat. Si illi propitium, quod voveo, Salum, Solum, Cœlumque fuerit, obſervabit illic haud-dubie quam commemoras Januarii Eclipſin. Salutem

illi

illi abs te nunciabo; & ſi quid a ſe obſervatum ex ea Eclipſi tranſmiſerit, id, quid ſit, te diu latere non patiar. De illa, quæ ante annos quatuor, nihil eſt, quod addam ad meas nuperas; niſi quod tibi integrum eſt, ut quo ſumus uſi organum cauſeris. Quadrans fuit ejusdem Bullialdi, cujus fides penes eum eſt, neque enim ipſe illum exploravi. Reſalutant te Viri optimi Merſennus, & Petavius. Ad Furnerium quod attinet, ille jam-pridem ab urbe abeſt. Tu, & vale diutiſſime, & vale ſemper quam-optime, & me, quod facis, æternum ama. Pariſiis III. Non. Octob. M DC. XLVI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

QUod inaudiiſti, optime Princeps, de inſtituta adverſum me lite a Dinienſibus, dum facti a ſe uſurpationis jurium mei Beneficiuli conſtabiliundæ ſatagunt, comperitur nimis-quam verum. Quod potiſſimum diſplicet, ipſa eſt meo illo optato reditui ad te remora injecta. Dabo operam tamen, ut ea perrumpatur quam fieri cito poterit; fiet autem, opinor, ſi Conſulis primi iniquitatem repreſſero, qui Civitatem non commovit, niſi ut patrocinium ſibi publicum quæreret, poſtquam quæſitum a ſe fundum a meo, mei-ve beneficii dominio maligne ſubduxit. Eſt certe, cur illi præſertim ſuccenſeam; nam & ſecundus Conſulum, & alii quidam Primorum Urbis, qui e factione ejus non ſunt, conantur, quantum quidem poſſunt, [vaferrimus nimirum eſt] ejus artibus obviam ire. Verum quid te tricis, apiniſque moror! Ecce de aliis rebus ut dicam, acceſſit ante dies quatuor Thaddæus Barberinus cum uxore ad Aulam; idque poſt acceptum jam nuncium de reſtituta in integrum, motu proprio Pontificis familia tota Barberinorum. Dicitur Aula eſſe Urbem ſub initium hebdomadis inſequentis repetitura. Percrebuerat rumor ante paucos dies de jam occupata ab Enguenio Dunkerka; ſed is fuit duntaxat prænuncius illius, qui brevi verior, Deo propitio, ſuccedet. Conſimilis reſperſus fuerat de jam occupato ab Hollandis Lierio; & deinceps tamen dubitari cœpit, neque omnino conſtitit revera-ne obſideretur. Excurrere noſtri, Svecique in ſuperiorem Bavariam pergunt; neque jam de facta Auguſtæ deditione dubitari video. Conditiones pacis, de quibus nos inter, Cæſareoſque convenerat, ratæ haberi non debebant, niſi ſuperiore Septembri exeunte, cum Confœderatis etiam conveniſſet. Quid verò idcirco profectus Oſnaburgum Longavilla evicerit, reſciri nondum a nobis poteſt. Mortuus in Anglia Eſſexius Comes; interim verò ambigitur Scoti-ne ab Anglis in Regis gratiam ſint diſceſſuri. Tu, o Principum optime, o meum dulce decus, vale. Pariſiis, III. Non. Octob. M DC. XLVI.

E I D E M.

DIſceſſurum te ruſticandi, ſeu ut ipſe interpretaris, oblectandi animi gratia, fuit profecto mihi ſcitu perjucundum. Nam cum norim te tot, ac tanta ſuſtinere negotia, quid poſſim accipere dulcius, quam te interdum curis gaudia, ne iis conficiaris, interponere? Quanquam, qui tuus genius eſt, vix eſſe unquam potes, quin muneri continuo vacans publicis commodis inſervias; ex quo fit ſane, ut verear, ne non mera recreatio ſit, quæ te ab Urbe evocet; ſed ea prætextui ſolum ſit, aut certe non præcipua, ſola-ve diſcedendi cauſa. Utcumque ſeſe habeat res, faxit Deus domum incolumis redeas. Regreſſa demum Aula in Urbem ab ineunte hebdomade, neque diu admodum fuit, quin tota perſtrepuerit de felici armorum Enguenii ſucceſſu. Scilicet invictus, glorioſuſque ille Dunkerka tandem potitus eſt; & cum de conditionibus deditionis ipſis Nonis pepigerit, earum una fuit, ut in Urbem quinto Eidus admitteretur. Itaque debuit heſterna luce victor, triumphator in eam ingredi; & nuncius die craſtina, qui factum narret, expectatur. Non perſeverat jam amplius, qui tantopere percrebuerat de deditione Auguſtæ rumor. Conſtantior eſt longe, certiorque, qui de capto ad Lycum Ranio, deque excurrente in totam Bavariam noſtro, Svecoque milite, hoſtium nemine uſquam obſiſtente. Rediit Longavilla Oſnaburgo poſt diem decimum; at Svecos hortatus, ut cum Cæſare, imitatione noſtri, convenirent, nihil aliud reſponſi, quod perhibeant, tulit, quam illos ſeſe Stokolmio ecquid facto ſit opus expectare. Dicuntur aliunde, qui ſunt Germani Catholici, nolle jam amplius ſtare iis, de quibus ante conſtiterat ipſos inter, & Proteſtanteis. Aiunt Scotos fieri in dies ad coëundum cum Anglicanis Parlamentariis difficiliores; ſpemque eſſe Regi, ut experturus non ſit ab Aquilone omne malum. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Eid. Octob. M DC. XLVI.

E I D E M.

INaudieram jam Claſſem noſtram oppugnare Arcem Ilvæ inſulæ, cui nomen inditum *Portus-longus*; at neque circumſtantias, quas perſcribere es dignatus, perſpexeram; neque tempus, quo coniicis fore ut expugnetur, noram. Id ſi contingat, tempus erit, quod tum Enguenius præter-propter in expugnatione Dunkerkæ conſumpſit. Quippe, qui ad cingendam Urbem XIII. Calendas acceſſit, agere præſidium coëgit de deditione ipſis Nonis, ac Urbe demum potitus eſt, quo prædixi die, puta V. Eidus. Rex, Reginaque, & tota Aula nudiusquartus ritu ſolemni pro tam expedita, imo pene dicam, pro tam improviſa, inexpectataque, & tanti momenti occupatione gratias egerunt. Quid ille deinceps ſit facturus, neſcitur; nam cum ſint qui domum reverſurum dicant, ſunt qui fore coniiciant, ut aliquid adhuc priuſquam milites in hyberna mittat, moliatur; maximeque, ſi verum ſit, quod video increbreſcere, obſidere Hollandos Venloüm ad Moſam. De capto Ranio nullum jam dubium. De Auguſta verò nihil aliud eſt, quam fuiſſe in eam minas intentatas certum. Non coiere adhuc in unum Cæſaris, ac Bavari copiæ; noſtræ, Sveciçæque ad prælium eas illicere meditantur. Arduum ſemper illud, ingentiſque molis de pace negotium; tametſi neſcio quid Hiſpano futurum jam animi ſit, nobis Dunkerka potientibus, niſi conditiones ab ipſo, quas accipere liceat, offerantur. Nihil in hunc diem, quod ſciam, a Parlamentariis Anglicanis decretum eſt; ſed difficilem nempe cardinem,

Digitized by Google

dinem, ut cui rerum ſumma inoitatur, verſant. Proſperam tibi apprecor ruſticationem, venationemque. Vale, o decus Principum, vale o præſidium, & decus meum dolce. Pariſiis xiv. Cal. Novemb. M. DC. XLVI.

EIDEM.

NOndum rediiſſe te in Urbem, ſed proxime tamen rediturum fuiſſe perſcripſit Neutæus. Apud nos novi nihil eſt, quod equidem ſciam, cujuſpiam mumcoti. Nam qui percrebuit iterum rumor de capta Auguſta, iterum evanuit; & qui invaleſcit de pace ſive inita, ſive mox ineunda neſcio quam ſit rata. Unum eſt duntaxat memorabile, conſentire denique Scotos, ut Rex permittatur Parlamentariorum arbitrio, ac Parlamentarios in eo eſſe, ut deliberent, quo ille ſit modo deducendus Londinum. Ex Flandria nihil certius habeo, quam pluiſſe Bruxellæ pluvia purpurea, ſeu rubeſcente, quam vulgus dicit ſanguineam, pridie Eidus hujuſce menſis, ſeu pridie, quam de deditione Dunkerkæ actum, pactumque eſt. Illius hiſtoriolam deſcripſit, typiſque mandavit præclarus ille VVendelinus, de cujus arduo opere Maſſilienſibus dedicando memini ad te aliquid ſcripſiſſe. Summa eſt, ut oſtendat quid diſcriminis inter ipſam, & deſcriptam illam a me in Peireskii Vita interſit; & cauſam ejus eſſe declaret Chalcanthi copiam, qua regio ſubterranea Scaldin inter, Moſamque ſcatet. Plura jam non vacat; ſic me totum diem, qui me inviſere Germani, Angliqne aliqui tenuerunt. Tu, o Principum optime, ſeu ruri, ſeu domi, ſeu ubivis ſis, bene, imo optime vale. Pariſiis VII. Calendas Novembris M. DC. XLVI.

EIDEM.

PEr-jucundum fuit accipere te valetudine proſpera in Urbem reverſum. Quæ pro Enguenio tuo voves vota, ipſa ſunt, quæ concipere omneis par eſt, quibus Patriæ gloria eſt cordi. Cum parens illum excepturа progreſſa jam Cancillium ſit, an non abunde videtur dignus, quem ipſa quoque ſuis humeris referat Gallia univerſa. Inviſens me heſterna luce præclarus Capellanus Decatetraſtichon Epigramma, quod in ejus laudem, ac in monimentum Dunkerke capte compoſuit, ad te transdendum conſignavit; idque in pignus venerationis, qua te ſemper proſequitur, ac ratus aliunde fore tibi rem, pro eo, quo Conſubrinum tantum deperis amore, pergratam. Cum poſt datas litteras tuas conceſſuros Maſſiliam fueris, ut adeſſes quo tempore Conſules creari pro Comitiis ſolent, inaudio ecce neſcio quid turbarum illeic interveniſſe. Tametſi verò nondum ſatis, quid id ſit rei compertum habeam; accipio tamen nihil potuiſſe ex magnitudine ſimul, moderationeque animi tui deſiderari. Id verò mihi haud-quaquam novum, cui perſpectum jampridem eſt, quam generoſa ſis indole; quam pacis amans, quam æqui ſervans. Rerum novarum nihil prope habeo. Invaluerat jam tertium rumor de occupata a noſtris Auguſta, & ecce tamen jam perhibent etiam ſolutam obſidionem. Sic poſt famam quoque de Venloo capto, diſceſſiſſe exinde, re infecta, Hollandus ferunt. Aiunt & iterato Scotos nondum convenire penitus cum Anglis; ſed rem jam maturius Comitiis convocatis deliberari. Monaſterienſes litteræ ſpem multam pacis facere pergunt, etiam cum Hiſpano ineundæ, a capta Dunkerka; verendum tamen, ne quæ Infantis Hiſpaniæ intervenit mors, negotium non-nihil ob ſpem Cæſari factam, interturbet, ſed quid ſit venturum cras fugio quærere. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus vale. Pariſiis, poſtrid. Cal. Novemb. M DC. XLVI.

Admodum Reverendo, clariſſimoque Viro, Godefrido VVendelino, Condatenſi Canonico, Paſtori Hercano, Amico longe optimo.

PETRUS GASSENDUS S.

ELecto ſcribo, optime Wendeline, ſed ferre nimirum diutius non poſſum, quin quas debeo rependam grates pro præclariſſimo libello. Is per doctas virûm manus volitavit, nemoque eum legit, qui non ſibi habere illius exemplum expetierit. Ad me quod ſpectat, ſummopere gaudeo rem obſervatam, deſcriptamque a Viro amico, & fidei pleno, qui ad rem accurate explorandam nihil non contulerit ſtudii. Itaque non hæreo, quin purpurea pluvia, qualem deſcribis, deciderit, alia ſcilicet a præſumpta illa, quam a me deſcriptam in Vita Peireskii commemorare dignatus es, nec ſine veſtigiis amoris adverſum me tui. De cauſa, fateor dici nihil poſſe, quod allatam illam a ſolertiſſimo Chifſletio, cui ipſe ſubſcribis, non immerito veriſimilitudine vincat. Tametſi enim ne ille quidem, quo candore eſt [ac probe memor quanta ſit humanarum mentium circa hæc naturæ arcana caligo] juraturus ſit, rem ſe haud dubia ita habere, ut ſe habere ſecus non valeat; attamen nemo alius, opinor, facile quidpiam proferat, quod cum ipſius ratiocinio videri poſſit comparandum. Nam, utcumque poſſet opponi non rubere, ut roſæ folia, ita Aſphalticam materiam, quæ macerata intra nubem ex Chalcanthinæ affuſione ruborem pluviæ perinde creet, ac creant roſæ illius aquæ, qua maceratæ fuerint, Chalcanthi oleo ſuperinfuſo, neque ſufficere, quod ex Aſphalto eliciatur oleum obſcuriore purpura ſplendens, quo arguatur vis rubeſcendi intra Aſphaltum contineri; quoniam idem Chalcanthi oleum nullum ruborem exprimit in aqua, qua fuerint folia ex ſena macerata; licet ruborem quoque latentem illud videatur arguere, quod is ex infuſo tartari oleo exprimatur. Utcumque, inquam, ſive iſtud, ſive aliud quiſquam opponat; nihilominus & aliquid ſemper deprehendetur diſcriminis, & probabilitas ſemper ſua ratiocinio ſimul, experimentoque conſtabit. Mira ſunt præterea quæ de igne illo ſubterraneo ratiocinaris, quamquam ego ſemper ἐπέχω, tanquam perſuaderi non potis, poſſe flammam ullam in loco obturato, aut excitari, aut perdurare; nam quod alioquin Ætnam, ſimiliaque loca quaſi caminos habeas, illa videntur ſane imparia tanto incendio ſpiramenta; creduque quas flammas ea loca eructant, non ex imo prorumpere, ſed quo momento materia inflammabilia in aërem erumpit, creari. Verum hæc longioris ſunt diſquiſitionis. Quod habes de pulvere pyrio, qui ex

auro

Digitized by Google

auro paratus vocitari ſolet *aurum fulminans*; facit admonitam, poſſe quoque hujuſcemodi pulverem ex aliis metallis parari; ſaltem ex ære, atque ferro, de quibus, quo dubites minus, concludam hiſce litteris ex utroque aliquantulum, ut experiri tutemet poſſis. Scripſi ad Bullialdum ante dies quatuor, ac illi a te ſalutem nunciavi; & quidquid fuit tuorum votorum expreſſi. De mei effigie quod pergis eſſe adeo ſollicitus, faciam tandem [tametſi ſane non abſque verecundia] ſatis, quam-primum melius habuero. Spes enim eſt, ut, Deo propitio, ex invaletudine hac brevi emergam. Tu interim mi Wendeline, bene; imo optime vale. Pariſiis v. Eid. Novembris M.DC.XLVI.

Ludovico Valeſio, Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NUllas ad te litteras dedi ſuperiore hebdomade; quoniam non prorſus bene habebam. Valeo nunc melius, Deo propitio, tametſi me committere in aliquod tempus aëri prohibeor. Quam me delectat interim te proſpere ſemper valere! Utinam in annos Neſtoreos. Acceſſit denique ad Urbem tuus Enguenius ante dies quinque. Digreſſorum aliò rumor fuerat; ſed hærent omnes merito, generoſior ſit, an prudentior. Acceſſit quoque ejus parens ad Aulam oudius-tertius. Fama rurſus eſt, initam pacem etiam cum ipſo Hiſpano eſſe; cum totis votis eam expetam, vix tamen adduci eò poſſum, ut credam. Turennius, Svecique in procinctu ſunt, ut inferiores numero licet decem hominum millibus, prælium cum Cæſareis, Bavariſque committant. Ferunt nondum Scotis, Angliſque de Regis dedendi forma, modoque convenire. Nollent nimirum iſti emiſſe, illi vendidiſſe videri. Docebit nos dies, & eventus omnia. Quod de Portu-longo occupato ſcribis, nondum inaudieram; extremus quippe nuncius dicebatur nihil aliud retuliſſe, quam obſides datos. De Ilerda video rumorem, qui ſiniſter fuerat, mutatum in melius. Scripturus ad te nuper fueram de Draguinianenſi negotio; veruntamen, ſi faciam jam, factum erit tempori ſatis. Sex ſunt, puto, menſes, & amplius, ex quo pro tua bonitate, & ut mihi gratificareris, deſignaſti Conſulem, meum illum affinem Arnulphum. Nihil non deinceps illi egerunt, qui regendæ urbis jus invaſerant, ut quod feceras, redderent infectum. Negotiis turbatis, ego hic incubui, ut in Auguſtiore Conſilio fieret Placitum, quo rei totius informatio Campinio noſtro permitteretur. Quippe reputavi eſſe neminem, qui ardentiore ſtudio quidquid egeris ratum curet. Tu, quæſo, ſi quid opus ſit, illi ſic fave, ut quod cepiſti aſſerere, conſtabiliatur. Fidenter ſane, ſed novi nempe, quanta tua ſit bonitas, quantus amor erga me tuus. Vale, o decus Principum, vale dulce decus, & præſidium meum. Pariſiis XVI. Cal. Decembris M.DC.XLVI.

EIDEM.

PRæclara ſunt adeo, quæ de obitu Principis Hiſpani præmaturo ratiocinaris, ut accedere ad ipſa nihil valeat. Satis mihi proinde eſt attendere, quam tibi ſit rerum humanarum conditio perſpecta, quam egregie noris virtutem, in quam mancea ruat ſemper fortuna, unicam eſſe. Valetudo mea, Deo bene propitio, habet ſe ſatis proſpere, tametſi domo, niſi Sacri audiendi cauſa, nondum excedo. Rerum novarum vix quidquam habeo. Acceſſurum brevi in Hollandiam ferunt Marchionem Brandemburgicum, ducturum illeic in uxorem Principis Auraici filiam. In Germania ſunt ſemper noſtri, Svecique in procinctu, ut cum Bavaris, Cæſareiſque prælium committant; niſi obſtent, qui illuc miſſi Monaſterii Legati ſunt metu eventus, qui, jam promoto pacis negotio, remoram injiciat. Non ſunt quidem fauſta, quæ iſtheinc de Ilerdenſi obſidione audio; ſed de ea heic ſemper eximia eſt ſpes, maximeque propter ſuppetias, quæ fuere Harcurio ferendæ inſignes. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IX. Cal. Decembr. M.DC.LVI.

EIDEM.

CUm tanta ſit illa affectus erga me tui teneritudo, haud abs re deficiunt me verba, quibus exprimam, quo idcirco ſenſu arcanis in fibris afficior. Quæſo ſolum ſemper ter optimum Numen, ne me patiatur hoc amore, quem ſatis ſentio hærere tibi in intimis viſceribus, medulliſque fieri indignum. Valeo jam, Deo propitio, melius, ſpeſque eſt, ut ejus adſpirante gratia, vitæ ſatis ad id complendum, quod tua ſpectant, vota, ſuperſit, Si quidquam ſane foret ex ipſa natorius diſcedere grave, illud eſſet potiſſimum, quod non liceret tuæ de me expectationi facere ſatis. Servet modo te incolumem Deus. Rerum novarum nihil jam habeo; nam qui rumor quidem vagatur de quaſita noſtris, Sveciſque adverſus Cæſareos, Bavaroſque victoria, nullum habet certum, quem norim auctorem. Quod heic perhibent de receſſu Hiſpanici exercitus ab Ilerdenſibus caſtris, poteſt tam tibi eſſe, quam nobis perſpectum. Debes jam ipſe eſſe complexus Melleræum, inclytum illum famæ gallici nominis in Italico orbe vindicem; quando tanto cum fœnore res noſtras in illo reſtituit. Vale, o decus Principum, o dulce meum decus, & præſidium vale. Pariſiis prid. Calendas Decembris M.DC.XLVI.

EIDEM.

PRofuſus nimium amor tuus, cui mea valetudo tantopere cordi. Ea fit in dies corroboratior, donec memet domi contineo; ac interim laboribus, ſtudiiſque operoſis parco. Dum ſuperſit, quod mihi liceat tuum in obſequium profundere, erit, cur cum fructu ingenti recuperatam putem. De lite quod rogas, Conſules Dinienſes, vel potius eorum primus *Juramius*, Procuratorem Regium Aquenſis rationum Curiæ implorarunt; iſque obſtitit, ne illa heic gentium, ut poterat fieri, compendioſe dirimeretur. Itaque lis ad Curiam illam proximis diebus remiſſa fuit; eritque ea mihi iſtheic agitanda. Quod maxime doleo, eſt illa grandis

jactu-

jactura temporis, quod melioribus impenderem curis, ac potiſſimum, dum provideo, qua me illi ſint divexaturi prolixitate, exiſtente *Juramis* litigioſiſſimo mortalium, & totam iſtam camarinam non alio fine commovente, quam ut inſignem injuriam, qua me, beneficiumque meum affecit, texiſſe videatur. Quin etiam doleo ſummopere, quod poſtquam ad te, Deo propitio, conceſſum fuerit accedere, ſit mihi continuo a tua illa jucundiſſima conſuetodine diſcedendum, ut hiſce me occupationibus omnium importuniſſimis dedam. Verumtamen hæc vitæ ſors, & rerum conditio. Cogitationes haſce ut mittam, & rerum novarum addam aliquid, redux ecce in Urbem eſt ab heſterna uſque luce Mellereus. Laborat Nemoruſius Dux Inſolita quadam Apoplexiæ ſpecie, a qua parum ſpei ſuperſit: Princeps haud parvum, ut video, factutus ſui deſiderium, ac iſta præſertim ætate, iſto habitu corporis, cui tale nihil videbatur timendum. Non conflixare in Bavaria, ut ferebatur, exercitus; nec perſeverat etiam rumor de Monaco a noſtris obleſſo. Perhibent tamen omnia ſemper proſpere noſtris ſuccedere; cum & hoſtium horreum Lansbergam occupaverint, & unum, alterum-ve copioſum commeatum intercoperint, & hactenus hoſtes fluminis objectu ab ingreſſu in propriam Regionem Bavariam prohibuerint. Aiunt aliunde Haſſiacos Colunienſeis copias, quibus præerat Melander, fudiſſe. Elangueſcit jam iterum, quantum audio, pacis negotium; at nulla ſane illius facies nova, inopina-ve ſurgit. Nondum penitus inter Anglos, Scotoſque convenire ſcribunt. Adduntı vereri Parlamentarios, ne Londinenſis Civitas affectum In Regem reſumat, memor nempe felicitatis, quam cum illo amiſerit. Et ſane ſi illa a parte Scotorum Regem inſtaurare cum legitima aucto itate conantium ſtaret, Parlamentarii haud dubie a præſtituto eciderent fine. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, VII. Eid. Decembr. M DC. XLVI.

Admodum Reverendo, Doctiſſimo, clariſſimoque Viro D. Godefrido Wendelino, Condatenſi Canonico, Paſtori Hercano, amico longe optimo

PETRUS GASSENDUS S.

MEnſis eſt, plus minus, optime Wendeline, ex quo ad te ſcripſi, amicos, quibus pellegendi tuam illam *de pluvia purpurea* hiſtoriam copiam feceram, expetiiſſe ſibi ipſius exempla. Commiſi ſubinde, quod fueras dignatus tranſmittere ad me meo Bibliopolæ, iſque non modo curavit illud typis novis exprimi, ſed plurimis etiam, qui latine neſciunt, rem pernoſſe cupientibus, gallicam illius velut compendioſam edidit interpretationem. Mitto ad te proinde editionis utriuſque exemplum; teſtatos abeſſe Librarium, ut jacturam inde ullam experiatur. Mitti latinum potuit ante quindecim, gallicum ante octo dies; verum diſtuli, quo uſque licuerit opera eadem transdere, quam repetitis, ferventibuſque votis tuis non potui negare imaginem mei. Una igitur illam jam tranſmitto; tu ſic accipe, quaſi nihil ſit, quod tibi de me, ſi meæ ſit opis, & quantumvis cogar, erubeſcere, polliceri non valeas. Vale, & me æternum ama. Pariſiis, poſtrid. Eid. Decembr. M DC XLVI.

Vere nobili, eruditoque Viro D. Jacobo Alexandro Tenneurio, Patritio Pariſino

PETRUS GASSENDUS S.

ACcepi una cum litteris Gergoviæ Arvernorum datis tuam illam diſputationem phyſico-mathematicam, cujus me lectione recreare voluiſti. Dicere profecto non poſſum, quam me mirifice delectarit, cum ſuſpendente animum, acumine neſcio, an elegantia magis, eam ſic prægustare non potui, quin, valetudine licet parum firma, uno tenore hauſerim totam. Eccur interim tu es erga me ea bonitate, comitateque, ut mihi hocce in argumento plenam meſſem deferens, tibi ſpicilegium duntaxat attribuas? Inverten la ſane hæc ſunt, cum & aliunde ſint in meo illo alioquin patentiore campo inanes ſolum ſpicæ enatæ; ager hic tuus, anguſtior licet, gravidis ariſtis caneſcat? ut verbo dicam, eſt cur exoptem rem fieri quamprimum juris publici; tum tui ergo, ita nihil eſt tua ſolertia non dignum; tum mei, ita eſt honori adſtipulatore tanto aſſeri; tum veritatis, ita intereſt, ut adverſum Ingenia hæc ſimileis tui fautores habeat. Optimus ille nihil iterato, quod ſciam, in me edidit; reputare autem par eſt, fore ut ſi ſemel tuum iſtud quaſi totius controverſiæ coronamentum conſpexerit, quidquid forte illi præ manibus fuerit machinamenti dilabatur. Vale, præclariſſime Vir, ac me, quod facis, porrò ama. Pariſiis, poſtrid. Eid. Decembr. M. DC XLVI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

HAbuiſſe ſe omnia Maſſiliæ pacifice, ac pro tuis votis delectavit ſummopere. Utinam omnia ſemper tibi proſpere perinde ſuccedant, evaneſcentibus perinde, ſi quæ tuas adverſum curas forte comparentur, conſiliis. Demiratus ſum, tam brevi momento tam pugnantia fuiſſe tibi de Ilerdenſi obſidione renunciata, ut prioribus litterarum verſibus fauſta ſcripſeris, poſterioribus infauſta narraris. Subiit certe ſtatim illa cogitatio:

Ipſa dies quandoque Parens, quandoque Noverca.

tanta eſt inſtabilitas, incertitudoque rerum humanarum. Jure interim, ut opinor, amici tui vicem doles, cum te, utcumque ſe, qua de re hæret nemo, generoſiſſime geſſerit; vitio tamen ipſi vertatur, quod ſuapte ſponte id negotii ſuſceperit; & ſi qui In Aula ipſi male affecti in illum ſunt, anſam declamandi in ipſum hanc habeant. An verò hinc erit retardandæ pacis, vel occaſio, vel excuſatio? Video jam certe de illa brevi jucunda pæne deſperari. Quid, ſi Hi-

ſpani hocce ſucceſſu elatiores facti quidpiam inſuper, nec infeliciter tentent? Meditari nempe eos ajunt obſidionem triplicem; Cortereaci [dicunt etiam aliqui Dunkerkæ] in Belgio, Plumbini in Hetruria, Balaguerii mu Catalonia. Quid ſi interim Dux Bavariæ, quem morbo extremo laborare ferunt, diem obeat? Fortunet Deus nobis omnia. Tu modo, o Principum decus, vive ſemper felix, & vale. Pariſiis poſtrid. Eid. Decembr. M. DC. XLVI.

E I D E M.

NIhil ſane gratius mihi poterat, quam quod eſt expreſſum tuis litteris abs te, ac de te renuntiari. Ecquid enim poſſim audire jucundius, quam, & bene valere te, & facere te ea, quæ tueri conſtantem, diuturnamque valetudinem poſſint? alterum quippe præſente bono, alterum ſpe futuri delectat; & cum interſit te vivere, intereſt tamen magis valere. Felicem diem, quo te ſubiit cogitatio ejuſmodi, ut non modo priſtinas illas exercitationes repeteres; ſed aliis etiam adhibitis efficeres continentiores. Scilicet ἡ γυμναστικὴ nobiliſſima τῆς ὑγιεινῆς pars eſt; meritoque inter tria illa ſanitatis tuendæ παραγγέλματα poſitam habemus πανὸς ἀρχὴν. Perge proinde, optime Princeps; memineris modo, quod eſt e Sapiente jam olim dictum, μηδὲν ἄγαν. Rerum novarum vix aliud habeo, quam quod perhibent Fœderatos inter, & Bavaros, Cæſareoſque initum conflictum. Stetiſſe victoriam a noſtris [quatuor millibus hoſtium cæſis] addunt; idque præter cladem non mediocrem a Werthio mox ante acceptam. Sed id ne totum verum ſit, vadem me præſtare non auſim. Cum noluerint Sveci de pace Monaſterii agere, ne videri poſſent quidquam cum Legato Pontificio habere commune; diſceſſiſſe jam ceteros Oſnaburgum memorant; futurumque, ut tam Cæſarei, quam noſtri eòdem brevi concedant. Fuere Hagæ ipſis Calendis celebratæ nuptiæ inter Electorem Brandemburgicum, & Principis Auraici filiam. Ex Anglia nihil, quod ſciam, novi, niſi quod Farſaxius Londini exceptus aliqua cum ſpecie fuit. Vale, Principum optime, præſidium. & decus meum dulce. Pariſiis XII. Cal. Jan. M. DC. XLVI.

E I D E M.

NUllus hæreo, optime Princeps, quin quotquot hac vice litteras accipies, obitum renuntient illuſtriſſimi Principis, quem demum nudius-tertius ſub horam nonam veſpertinam ſua illa, qua toties divexatus fuerat, στραγγουρία abduxit e vivis. Ipſe caſum commemoro duntaxat, ut ſignificem quam tibi ob factam jacturam condoleam. Nimirum præter inſigneis illos cognationis, agnationiſque, quibus cohærebatis gradus, tu te illum dicto, factoque ſic amare teſtatus es, ut non poſſit tibi non relinquere ſingulare deſiderium ſui. Id me erigit, quod provideo te tuam illam conſtantiam advocaturum in ſubſidium, neque paſſurum, ut animus, qui ſe hactenus adeo grandem, invictumque adverſus tot alios luctuoſos caſos præſtitit, ad renuntiationem hujus dejiciatur, ſoles quin-etiam ſic omnia tela fortunæ habere proviſa, ut iſtud præſertim te non fugerit, ob repetita identidem ejuſce morbi ſymptomata; dicturuſque proinde ſtatum, ipſo audito, haud-dubie ſis:

Hæc quoque percepi, atque animo mecum ante peregi.

Et cum ſint, qui ſatis ſe accommodent, ut quod corrigere eſt nefas, patientia levius faciant; id tibi ſapientius eſt moris, ut omnia permittens arbitrio æternæ providentiæ, perſuaſus ſis nihil poſſe melius, utiliuſque contingere, quam quod illa [cui etiam caſus capilli eſt curæ] diſpenſante contingit. An non verò etiam id ſolabitur, quod ille hæredem reliquit, magnum, celebremque Enguenium, qui cum, ut tibi hactenus vehemens amor interceſſit, ita eſt ſane inpoſterum ardentior adhuc interceſſurus. Servet vos modo incolumeis Deus Optimus in Neſtoreos annos. Cum nihil ſit, quod inſuper rerum novarum abs me expectes, addo ſolum antecedente ejuſdemmet diei, quo Condeus interiit, mane natam fuiſſe Aureliano prolem, quæ ſi fuiſſet maſcula, tum exclamare de hiſce aureis Regiæ ſtirpis ramis licuiſſet: *Uno avulſo non deficit alter*. Quia ſecus viſum Superis, ſubiit ſaltem cogitare, quam vere dictum ab illo fuerit:

Nec nox ulla diem, neque noctem Aurora ſequuta'ſt,
Quæ non audierit miſtos vagitibus ægris
Ploratus mortis comites, & funeris atri,

Tu iterum vive, & vale, decus Principum, o & dulce meum. Pariſiis v. Calendas Januarii M DC. XXVI.

E I D E M.

HAud eſt par ſane, optime Princeps, ut hanc labentis tacite anni abire patiar originem abſque votis ardentibus pro tua, totiuſque familiæ incolumitate conceptis. Cauſæ ſcilicet publicæ, privatæque inſignes ſunt, ob quas intereſt ſalvum te quam diutiſſime ſuperſſe. Ac novi quidem ſingularem animi tui moderationem, non modo, quod ad cetera, ſed etiam quod ad ipſius vitæ diuturnitatem attinet. Verumtamen quod tuæ virtuti, id non perinde ἀδιάφορον illorum deſiderio eſt, qui te, ut obſervantia, ita amore proſequuntur. Tametſi æquum profecto eſt, ut omnes vel tui exemplo permori noſmet admoneamus poſſe fieri, ut qui jam ineuntem annum vidimus, exeuntem non perinde videamus. Nempe, cum nobis in decurſu unius annorum, quem cepérimus deſinendum ſit, nemine utimur ſponſore, quo liceat nobis de hoc potius, quam de alio eſſe ſecuris. Nam quod plerumque Aſtrologi, ceterique id genus Vates annos tam facile largiuntur, impudentia, impoſturaque intolerabilis videtur; ſed querela hæc alterius eſt loci. Utinam modo quæ tibi fauſta, fortunataque apprecor, Deus rer. Optimus concedat. Significavit mihi Neuræus, ut dignatus fueris ad meos illos ſcribere; ſed iſthæc nimium familiaria ſunt tuæ illius erga me benevolentiæ argumenta. Rerum novarum nihil pæne habeo, niſi quod *Servientus* Plenipotentiariorum noſtrorum unus ſimul cum uno ex Cæſareis acceſſere jam in Hollandiam, ut cum Marchione Brandemburgico de compenſatione Pomeraniæ, quam Sveci ab Imperatore depoſcere dicuntur, agant. Quod Ulmæ autem coituri noſtri, hoſtiumque Duces feruntur, ut agant de induciis, id nondum ſatis perſpectum eſt; uti neque id, quod Turennius millia hoſtium duo cecidiſſe dicitur; aliaque id genus non-nulla. Quam præclara interim ſunt, quæ ipſe de rebus Catalonicis, deque Harcurio ratiocinaris. Vale, Principum optime,

Digitized by Google

me, o dulce meum decus, ac præſidium vale. Pariſiis, prid. Non. Jan. M DC. XLVII.

E I D E M.

QUæ anni novi occaſione ratiocinaris, optime Princeps, ejuſmodi profecto ſunt, ut niſi te alia, tam multa ſupra vulgus eveherent, poſſent abunde genium grandem, & curantem quidquid dignum ſapiente, bonoque eſt demonſtrare. Quam abunde apprecationem mei cauſa inſtituis, ea eſt, quæ niſi te abunde noſſem, ampliſſimam fidem poſſet facere incomparabilis tuæ bonitatis. At quam voluiſti quaſi appendicem litteris tuis eſſe adjunctam, ipſa eſt, quæ pergit ruborem creare, adeo mihi continens eſt cum non modo benevolentiæ, ſed beneficentiæ quoque argumentum. Gratiam itaque, quantam quidem maximam poſſum, habeo; ſed quæ tamen ſit, & tuo dono, & affectui, quo per-velim teſtatam facere gratitudinem impar. Tu, qui adeo conſtans in me demerendo, obſtringendoque perſeveras, conſtantem ſaltem hunc affectum, quo eſſe non poſſit ardentior alter, acceptum habe. Habebis autem dubio procul, ut vel id mihi ſolatio ſit, qui etiam priuſquam ad te veniam, in illud ipſum inciderim, cujus metu Socrates olim accedere ad Perdiccam renuit. Rogatus nimirum cur id faceret, ἵνα, ἔφη, μὴ τῷ κακίςῳ ὀλέθρῳ ἀπολώμαι. Quod quidem declarans M. Antoninus, τουτέςι, inquit, μὴ εὖ παθὼν ὑδυνηθῶ ἀντευποιῆσαι. Sed neque ego Socrates ſum, neque tu is es, cui prona voluntas videri non poſſit ſuperque, & ſatis. Vive, & vale Principum decus. Novi nihil attexo, quia nihil jam eſt, quod quidem ad te perſcribi mereatur. Inſultant ſemper Confœderati, dum interim hoſtes ſeſe in interiora recipiunt. Negotium de pace nihilo promotius; neque innotuit adhuc, quid Servientus penes Hollandos profecerit; pactis, conventiſque conditionibus de daturis pecuniam Anglis, diſceſſuriſque ex Anglia Scotis expectatur adhuc, quid Regi, de quo nihil eſt pactum conventum, ſit eventurum. Quid rerum Italia molitur, quid ex ea nuncietur ipſe melius noſti. Vale iterum dulce meum decus. Pariſiis III. Eid. Jan. M. DC. XLVII.

E I D E M.

JUre obſtupui, optime Princeps, parem tibi fuiſſe hacce occaſione, & cogitando animum, & conſcribendis litteris manum. Scite dictum ab illo eſt, curas leveis loqui, ingenteis ſtupere; an non ergo ſapientia fuit, quæ fecit, ne, perculſus licet graviſſimo caſu, hæreres tamen attonitus, ſed te ipſum ſtatim tibi redderes, tuique ſimilis conſtares? Quippe fieri quidem non poteſt, quin tam acuto, validoque fortunæ telo impetitus, inflictum vulnus ſenſeris; at præſto tamen fuit lenimentum, quo & dolorem temperare, & inducere cicatricem valueris. Sic age ſemper, optime Princeps, hoc eſt, paratus ſemper eſto æquo perferre animo quidquid ferus Veſper ſit demum vecturus. Rerum novarum nihil eſt, quod ſciam, niſi quod Princeps Auraicus dicitur extremo laborare morbo; & Rex Angliæ extremo pæne auctoritatis detrimento. Rogarat nuper Parlamentum, ut liceret ſibi Londinum, circumvicinamve aliquam Regiam domum accedere, è qua de pace agere poſſet; at Parlamentum cavit, ne de pace agatur; ſed conditiones ſolum ad Regem, quibus ſubſcribat tranſmittantur. Ac poteſt ille quidem, ſi velit, recipere ſe domum neſcio quam viginti leucis Londino diſtantem: ſed commoraturus tamen cum ijs duntaxat, quos Parlamentum deſtinarit, & quatenus id ad ſalutem, tum Regis, tum Regni conducere videbitur. Obſcurius forte rem enuncio; ſed illi non-nihil ambigue decretum ſuum expreſſerunt. Quo fine eventus docebit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XV. Cal. Febr. M. DC. XLVII.

Admodum Reverendo, clariſſimoque Viro D. Godefrido Wendelino, Condatenſi Canonico, Paſtori Hercano Amico longe optimo

PETRUS GASSENDUS S.

HUi, quam fuiſti, mi Wendeline circa Eclipſin nuperam felix! Ecce enim contigit nobis Teleſcopio attendentibus, pluvia opportune ceſſante, attenuatiſque nubibus illius initium hora 8. minut 8. Procyone videlicet alto 32. grad. 45. minut. & ſtatim 32. grad. 50. minut. ac Jove 33. grad. 45. minut. Finis autem hora 10. minut. 16. Corde Leonis nimirum alto 35. grad. 50. min. ac ſtatim poſt, Cervice Leonis 40. grad. 25. min. cum & ſtatim ante fuiſſet altitudo Cervicis 40. grad. 10. min. Cordis 35. grad. 45. min. De interceptis digitis nihil admodum certi adnotare licuit, ac ne potui quidem præciſe æſtimare quantitatem maximam, quod denſæ præſertim per id tempus nubes non permiſerint limbum obſcuratum ullatenus diſcernere; adeo ut dicere ſolum poſſim, conſtitiſſe Eclipſin infra diſci dimidium; neque acceſſiſſe, niſi ad digitum præterpropter quintum. Cetera prætereo, ut cepiſſe Eclipſin in parte limbi infima [ſive minimum vergendo ad dextram, hoc eſt, in Meridiem] qua parte terminabatur linea per mediam faciem *Homuncionis*, ac Lunæ centrum concipi ducta; hoc eſt, qua parte Langerenus noſter habet *Sanedriam maculam*, deſiiſſe autem ad limbi dextram octoginta proxime gradibus, nempe qua parte circiter, Langerenus reponit *Carolum Lotharingum*. Præterea hæc, inquam, ut ſubiiciam voluiſſe me advigilare, valetudine licet nondum firma, ut attenderem, ſi qua Luna occultatura Jovem foret. Occultavit porrò parte ſuperiore, ac ſubiit illum margine citra Teleſcopium conſpicuo, hora 14. min. 10. Arcturo nimirum ad Ortum jam alto 39. grad. min. 5. Cum Teleſcopio verus margo tantum adhuc a Jove abeſſet, quantum eſt dimidium longitudinis *Caſpiæ* maculæ, ut reputare exinde liceat, quantum per Pleniluuium, nocteque intempeſta lux illa ſpuria nobis imponat; quantumque æquo citius ineunte Eclipſi ſpurius ille margo temerari incipiat; & exeunte tardius deſinat, quam verus, atque adeo quantum potuerint majores noſtri Teleſcopio deſtituti hallucinari. Verum ſpectata Teleſcopio Luna cepit denique occulere Jovem, Arcturo alto 40. grad. 17. min. ſive hora 14. min. $17\frac{1}{2}$. Deſiit verò Jove, nempe viſo ad Occaſum emergere, Arcturo alto 46. grad. 55. min hoc eſt, hora 15. min. 0 $\frac{1}{2}$. ſeu hora matutina diei 21. tertia. Pars autem limbi, qua Jupiter mire eſt viſus, fuit è regione medii illius quadratuli lucidi, quod eſt ad de-

ætram cuſpidis niveæ, ſive qua parte Langerenus reponit *Sinum Principis*; qua exire è regione genæ ſiniſtræ *Homunctonis*, ſive aliquanto ſupra maculam Langerenu *Hugeniam* vocatam; exitu diſtante ab initu gradibus 72. Expendes ipſe ſingula, quæ ego mitto jam ſupputare. Adnoto duntaxat occultationem Martis a me in hac urbe obſervatam, deſcriptamque ad calcem *Mercurii in Sole viſi*, fuiſſe ad eandem plane regionem, & Joviali iſta perparum minorem. Quippe initu, exituque intra hujuſce limites proxime hinc inde contentis, complectentibuſque circumferentiæ partem non ſeptimam ſolum, verum etiam ſextam, ut tunc adnotavi. Vale, optime Wendeline, ac me, quod facis, perpetuuo ama. Pariſiis VIII. Cal. Febr. M. DC. XLVII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

PErſpicit abunde ſagacitas tua, quo dicere ſenſu cum ſapiente potuerim, *Nihil eſſe ſub Sole novum*. Quare & lubens tibi ſubſcribo, dum argumentaris nova eſſe omnia ob continentem, quæ in rebus obſervitatur, mutationem. Nam verum quidem eſt rerum ſummam eandem generatim conſtare; ſed verum eſt quoque, ſingulareis rerum circumſtantias in dies variari. Non poteſt res graphice magis, quam abs te eſt factum, circa mutes exprimi; adeo mihi ſum viſus illud Poëtæ audire:

Diſſidet ambiguis ſemper mens anxia votis,
Nec voluiſſe homini ſatis eſt; optata recuſat;
Eſſe in honore placet; nunc diſplicet, & dominari.
Ut poſſint, ſimile volunt, &c.

Ad naturam verò quod ſpectat, non ſola ſane lucernæ flamma perſeverare eadem viſa, alia, aliaque ſemper eſt. Non ſolus fluvius habitua idem, ex aquis tamen indeſinenter ſuccedentibus, ruſticoque fruſtra expectante, dum defluant, conſtat, ut proinde Heraclitus jure dixerit, *Eundem fluvium bis non tranſiri*; & Cratylus adjecerit, *Ne ſemel quidem tranſiri eundem, quando ſecundam partem tranſeundo, prima jam dilapſa, tertia nondum allapſa eſt*. Ipſi nos quoque in pari fluxu propter nutritionem verſamur; & quod ferunt de navi Argo, in qua tabulis ſenſim ſubſtitutis, nihil non novum fuit, cum Græciam repetiit; quod de populo quolibet, in quo nemo non alius poſt centum annos intervenit, idipſum poteſt & de noſtrûm unoquoque exiſtimari; quando licet iidem ſenes dicamur fuiſſe, qui juvenes; ob particulas tamen noſtri abſcedenteis, accedenteiſque, tales ſenſim evadimus, ut iidem dici, niſi, quod ajunt, æquivalanter non poſſimus; ſed hæc ut mittam, addamne cum ante annos novemdecim obſervaſſem iſtheic lunarem Eclipſin die Januarii vigeſima obſervaſſe me heic nuper eadem die aliam, cujus initium contigerit hora 8. cum minutis 8. Finis hora 10. cum minutis 16. Quantitas autem acceſſerit ad digitum proxime quintum. Rerum novarum nihil adjicio, niſi quod conſobrina tua Longavillæ uxor diſceſſiſſe jam Monaſterio debet, ut parentem ſuperſtitem conſolatura in urbem redeat. Quod Marchio Brandemburgicus abiiſſe ex Hollandia ante duodecim dies dicitur propter utriuſque Pomeraniæ, de qua Monaſterii, Oſnaburgique agitur, negotium; quod ſcribunt conveniſſe demum Hiſpanos inter, & Hollandos; ſed Ultrajectenſi Provincia excepta; conditioneque appoſita, ſi modo cum Gallia, conveniat. Supereſt pergenti ad Comitia tibi, itum, reditumque apprecer felicem; exoremque, ut quando illa Draguiniani es habiturus, haberi ratum id jubeas, quod ſemel de meo Arnulpho ſtatuiſti. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VIII. Cal. Febr. M. DC. XLVII.

Clariſsimo, ſapientiſsimoque Viro D. Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Palæopoleos Scabino

PETRUS GASSENDUS S.

EXcedebat ſuperior annus, cum tuas accepi litteras perendie Iduum Novembris datas. Reddidi ſtatim quas adjunctas reperi optimo Merſenno, qui & illico reſponſionem ad te tranſdendam conſignavit. Diſtuli verò mittere, quod eſſem meam attexturus, ut ſignificarem una opera, ſi quam Eclipſeos nuperæ exequerer obſervationem. Nunc autem demum, quia bona ſorte ea mihi tota non periit, initium, atque finem do; quantum per Cœlum licuit (quod tota die pluvium, & ad tempus uſque Eclipſeos invisum, iis tamen momentis potuit conſpici) quantumque per meam valetudinem (quæ eſt jam toto anni beſſa parum firma) attendere grave non fuit. Itaque cepit nobis Eclipſis die hujus menſis vigeſima, hora 8. min. 8. ex altitudine Procyonis 32 grad. 45. min. Deſiit hora 10. min. 16. ex altitudine Reguli 35. grad. 50. min. Maximus defectus definiri præciſe ob denſitatem nubium non potuit. Addo porrò Eclipſin Jovis poſt aliquot horas a Luna confecti. Subiit ſcilicet illum Luna parte ſui Boreæ. Arcturo alto 40. gr. 17. min. ſeu hor. 14. min. 17$\frac{2}{3}$. dimiſit Occidua, Arcturo alto 46. grad. min. 55. ſeu hora 15. min. 0$\frac{1}{2}$. cum interſtitio graduum in ipſo Lunæ margine 72. Mitto dicere utramque Eclipſin, quatenus deſignatur heic, ſpectatam Teleſcopio fuiſſe. Expecto quid tu de utraque; ac ſuſpicor quidem poſteriorem iſtheic nullam fuiſſe; operæ tamen pretium erit noſſe quonam Luna infra Jovem tranſierit, ſi fuit a te quidem diſtantiola illa proxima adnotata. Salvere ſemper quam maxime clariſſimum Eichſtadium jubeo. Diſceſſit Bullialdus Byzantium: Utinam eò ſoſpes pervenerit, illeicque Eclipſin obſervarit. Tu quam-optime ſemper vale. Pariſiis VII. Cal. Febr. M. DC. XLVII.

Ludo-

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

EXimie noſti, optime Princeps, qualis Iberorum ſit genius; at damno certe ſuo jam no.unt, non eſſe Gallos ita leveis, quin, ſicut poſſunt quærere, ita ſciant parta tueri. Faxit modo Deus, ut quas mari, terraque copias in illas Hetruriæ arceis comparant, eludamus; ac ſponſionem prope dem me, fore ut ab ijs; quas obtulerant conditionibus non referant pedem; nempe conſilii inopes ſint, niſi agnoſcant, ut hactenus nihil ſibi æque nocuit, ac melioris fortunæ ſpes; ita eventurum, ut in ea perſtantes, deteriore ſemper conditione ſint; ac forte quoque ſibi malum denique maximum acerſant. Nondum redicre Longavilla, & Trantmendorfius Oſnaburgo; ſpeſque eſt, ut priuſquam redeant pacis negotium Cæſarem inter, Svecoſque, & nos valde promoveatur. Quam putas id verò urget Bavarus, dum videt milites, tam ſuos, quam Cæſarianos graſſari jam in ſuperiorem Palatinatum! Scilicet eò digreſſi ſunt, trajecto Ingolſtadii Danubio, dum terga vertunt noſtris, Sveciſque, qui interim capto ad lacum Acronium, Conſtantienſem-ve Bregentio, perhibentur Lindavium quoque, quod oppidum eſt muniţiſſimum, brevi occupaturi. Accepi heri tuam illam Illuſtriſſimam conſobrinam, non tam mature diſceſſuram, quam ſpes, rumorque fuerat, quod ſe prægnantem compererit, nec ſe credere itineri auſit. Ex Anglia nihil habeo hac hebdomade; ut ſe res tamen nuper habebant, verendum eſt ſemper, ne omnia Regi optimo peſſime vertantur. Significavit mihi Neuræus fuiſſe te tandem ad Comitia poſtridie tuarum diſceſſurum. Dicere interim non auſim, quanto ille ſemper affectu litteras de te ſuas compleat, quanto candore de te ſentiat; quanto cultu te veneretur. Potes tu nempe id coram noſſe. Vale, Principum optime, vale, o decus meum dulce. Pariſiis Cal. Febr. M.DC XLVII.

E I D E M.

NUllas hac vice litteras, neque optimos Abbas, neque ego iſtheinc habuimus, quod Curſor partem faſciculorum reliquiſſe Lugduni dicatur. Sed bene eſt, ſi modo tu, & quos ipſe amas valetis. Rerum novarum vix quidquam eſt, niſi quod Turcæ nuncius exigit recens a Cæſare, ut pedeſtrem trajectionem ad ditionem uſque Venetorum liberam faciat. Obſidetur ſemper Lirdavium a confœderatis exercitibus. Agitur adhuc de negotio Brandemburgici Electoris. Evicit apud Hollandos Servientus, ut quod jam pane cum Hiſpanis ratum fecerant, infirmetur. Qui miſſi Londino ad excipiendum Regem a Parlamentariis fuerant, creduntur jam illum deducere Hombeium, Regiam nempe domum, leucis gallicis viginti Londino diſtantem, ubi commoraturus ſit, quomodo, & quamdiu Parlamento commodum erit. De quodam negotiolo ad me attinente ut quidpiam attexam, cum diebus proxime elapſis nobilis Rinatii Baro de Romularum Prioratu ſermonem haberet cum Puteanis fratribus, admonitus ab illis fuit, factam coram Vice-legato reſignationem invalidam eſſe; quod Beneficii collatio ad Lerinenſem Abbatem ſpectet, & Celſiſſimus Contyæus Princeps indultum habeat Cardinalitio par, quo talis collatio ipſi vindicetur. Itaque & ipſe, & illi, amicique ceteri in id conſenſere, ut Beneficium hujuſmodi meo nomine peteretur; ac tum Illuſtriſſimus Præſul, Pariſienſis Coadjutor, rem communicavit cum Celſiſſima Heroina matertera tua, tum optimi Patres Petavius, & Burdinus de eadem egerunt cum Celſiſſimo Principe, tum Burdelotius, ut faceret fidem, quantum tu me ames, quantumque proinde res grata tibi futura eſſet, habere quaſdam voluit ex tuis ad me litteris, illamque delegit, in qua præclare adeo teſtatus es luctum ob mortem Celſiſſimi Principis, quamque & ipſi Principes, & plerique alii ſunt jure admirati. Ut paucis dicam, res hactenus pro amicorum voto ſucceſſit; ipſeque tibi illam inſinuo, ut niſi incommodum ſit, digneris Epiſtolia abs me reddenda tranſdere, quibus tam Celſiſſimæ Materteræ tuæ, quam Celſiſſimo Conſobrino teſtatum facias factam rem ab ipſis erga me tibi gratam fuiſſe. Videlicet tum nomen tuum, quo mihi jure merito gloriari licet, intervenit, tum alterius opem, quam tuam teſtandæ gratitudini, cui ſum plane impar, implorare non poſſum. Vale, Principum optime, o & præſidium, & decus meum dulce. Pariſiis VI. Eid. Febr. M.DC.XLVII.

E I D E M.

SCribebam nuper, optime Princeps, eatenus probe ſucceſſiſſe, quod de Romolarum Prioratu amici certatim curarant. Bullam quoque mihi deinceps Celſiſſimus Princeps jam conceſſerat, ſupereratque, ut de adeunda poſſeſſione provideretur; cum ecce ſubortus Indultarius eſt, qui & amicorum conatus, & Principis gratiam eluſit. Nempe illius privilegium quæſito mihi jure eſt potius; & utcumque amici ſuſtinendum velint, donec ut ſe habeant illius acta conſtiterit; ipſe tamen ab uſque initio pollicitationi fortunæ diffiſus, nihil eſt, quod ſperandum ducam. Non me interim res admodum movet, qui etiam identidem amicis optimis oppoſui, quod eſt præclare ab illo dictum: *Cur a fortuna potius impetrem, ut det, quam a me, ne petam?* Ipſiſſimum hoc exarabam, cum tuas accepi litteras, ſub menſis initium Draguiniani datas. Quam-putas verò ſum demiratus, te in iſto hoc negotiorum tanto delibare poſſe quidpiam temporis, quod ſive Philoſophiæ, ſive conſcribendis litteris impendas. Me quod attinet, habebo etiam gratias, ſi, quouſque redux in Urbem evades, intermittere hanc curam digneris. Sane & quas nuper expetii ad Celſiſſimos Principes, aderunt ſatis tempori, ſi modo a te fuerint non incommodo tempore conſcriptæ. Porrò, ut quid novi habeam jam perſcribam; perhibent ecce nuncium illum a Turca ad Cæſarem miſſum, poſcere ab eo reliquiarum nomine trecenta auri dolia; hoc eſt, ut puto, trecenties centum millia, trigintave milliones Turo icarum ut vocamus librarum. Conſtat ſemper obſidio Lindavienſis ad lacum Acronium. Negotium illud Electoris Brandemburgici circa utramque Pomeraniam abſolutum jam dicitur; atque adeo poteſt germanica pax cenſeri admodum promota. Fecere Hollandi infectum quidquid cum Hiſpanis actum fuerat; & cum Plenipotentiarius Hiſpanus ad illos accedeos;

Digitized by Google

dens, vix abeſſet jam ſextum lapidem, miſſi ſunt, qui illum pergere ulterius prohiberint, ac reduxerint Monaſterium uſque. Nondum accepi, Rex ne Angliæ Hombejum deductus a Parlamentario comitatu fuerit; audivi duntaxat recuſaſſe illum eò contendere, ac elegiſſe pati potius non inultum violentas manus, quam amittere ſponte libertatem. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis xv. Cal. Mart. M. DC. XLVII.

Vere nobili, eruditoque Viro D. Jacobo Alexandro Tennevitio Patricio Pariſino

PETRUS GASSENDUS S.

Reſcribere diſtuleram ad binas illas litteras, quas fratres tui nobiles, atque perhumani abs te reddiderant, quo uſque ad manum iterum haberem tuam illam *Diſputationem Phyſico Mathematicam*, in qua ſcribis te lapſum agnoviſſe. Cum illorum itaque alter ipſam ſuperioribus diebus ad me referre dignatus ſit; facio ecce ſatis primæ occaſione, pellecto rurſum opere, ac ijs maxime Corollariis, circa quæ es ſubodoratus, quid tibi Cæſareus reponere valeat. Porrò non quadrant quidem ſpeciatim, & niſi facta accommodatione, Corollaria hujuſmodi ad factam continuo, æquabiliterque accelerationem; ſed nimirum tu definiendum quid eſſet motus æquabilis, æquabiliter-ve acceleratus, non aſſumpſeras; verum quid eſſet alterum motum eſſe altero velociorem; quod potuit ſaltem *ad hominem* [ut facturus deinceps eras] argumentando uſurpari. Quamquam, cum iſta, aut ſimilis ſuppetere exceptio poſſit, tui profectò erit candoris, ſi quid ſupereſit ſcrupuli, fateri ingenue, ex iduſſe ſibi præ feſtinatione membrum alterum argumento accommodatius. Videlicet, ut bona fide, per quam homines nos eſſe agnoſcimus, nihil poteſt præſtabilius, laudabiliuſque reputari; ita & lucro eſt deputandum, quod vel nobis infenſi rectum quid admonentes, ut ſi quid hiet, ſi quid protuberet, ſi quid amuſſis, ut ille ait, deliret, emendare valeamus. Facies tu hoc eò, detrimento tanto minore, quanto in te ipſe jus dicens, hoſtem præveniens, & alioquin præoccupaturum exarmabis. Quod alter ille, cujus mentio a noſtro Merſenno eſt facta, adnixus iterato ſit oſtendere emenſa decidendo ſpatia æqualibus temporibus non numerorum imparium, ſed unitatum ſeriem inire, tradita tibi lampas jam eſt, ut hunc quaſi curſum abſolvas. Ego certe, quantum nunc quidem per invaletudinem licet adhibere animum ſtudiis, ita divertor ad alia, ut ad haſce curas reverti, ſi velim, non poſſim. De Caramuele, & Rheita quod rogas, reſcripſi quidem ad priorem, poſtquam iterum illam meam velitationem edidit; verum privatæ litteræ fuerunt, quibus aliud nihil conteſtatus ſum, quam unicam adverſum me valere experientiam poſſe; nempe *ſi qui quæ illi Errones præter Mediceos inducti, circumpoſiti etiamnum, circum-euntesque Jovem deprehendantur*. Nihil ad hoc reſponſi datum; ſed interim optimus Rheita volumen ingens ediddiſſe de Cœleſtibus rebus dicitur, titulo *Oculus Enoch, & Eliæ*, ac in eo eum fuiſſe conqueſtus, egiſſe me præpropere, cum edixiſſe mihi jam ſatis a Caramuele fuiſſe reſponſum. An verò ſibi experientia ſuffragaretur, ne verbum quidem. Tu & bene vale, & me ſemper ama. Pariſiis XI. Cal. Mart. M. DC. XLVII.

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

Debet jam eſſe adhibita extrema Comitiis manus: Utinam verò pro tuis votis. Quam tu es cauſatus ab illis abſentiam, ipſe demiratus non ſum, qui geminam illis fuiſſe cauſam putarim; alteram videlicet ſtandi promiſſis impotentiam; alteram invidiæ conflandæ occaſionem. Futurum fuerat, ut Princeps Condæus conſobrinus tuus in Italiam contenderet; ſed ecce jam in Cataloniam, revocato Harcurio, concedet. Nempe, ut exercitui Pedemontano Carinanius; ſic navali imperitabit Princeps Mathias, quem eſſe noſti Magni Hetruriæ Ducis germanum. Erit porrò brevi Condæus ad expeditionem accinctus. Quippe mandavit Comitatui, ut ſe compararet in Nonas menſis inſequentis. Futurus dicitur in Flandria ſub Aureliano Princeps Nemurius (quem recidiſſe audio in morbum valde periculoſum) una cum Gaſſione, & Rantzovio, illeicque propugnando potius, quam impugnando conſtiturus. Subſcribi debuit pactis conventis inter Brandemburgenſem, & Svecos Eidibus ipſis hujuſce menſis; & quæ poſtremæ Oſnaburgenſes, Monaſterienſeſque litteræ id habent, maximam nobis, ſi quam unquam germanicæ pacis ſpem faciunt. Sunt certe, qui fore eam citius perfectam, quam expugnatum Lindavium putent. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VIII. Calend. Mart. M. DC. XLVII.

EIDEM.

Quas dignatus es dare litteras ad Sereniſſimus Principes, una cum datis ad me accepi. Habeo verò tibi pro illis immenſas, quales & debeo, gratias; felix, niſi eas ſcribere mediis in negotiis fuit importunum. Non reddidi ipſemet illas, quoniam proximis hiſce diebus fuit unde timerem, ne in meam illam invaletudinem reciderem; ut proinde neceſſe fuerit, ac etiam nom ſit, me aliquantiſper continere domi. Commiſi tamen eas Burdelotio, qui ſe redditurum, & captata quidem per-opportuna occaſione recepit. Nondum retulit fuiſſe redditas; non hæreo verò quin pro eo, ac mereris ſint excipiendæ. De reditu, quod ſubinſinuas, nihil mihi ſane magis eſt cordi; ita ardenter expeto, ſtatim atque verna temperies, meaque valetudo fuerit confirmata, ad te convolare: Spero id autem, Deo propitio, non longe ab ipſis Paſchalibus fore. Dicebatur heſterna luce Nemurius è vivis proxime exceſſurus. Scribunt aliunde Auraicum ad Æquinoctium vix perventurum. Verſatur adhuc illeic Servientus, &, ut ajunt quidem, re nondum confecta. Oſtendit Capellanus a Longavilla litteras, quibus pax cum Cæſare, Hiſpanis nequidquam obſiſtentibus, promotior in dies fieri perhibetur. Conditionibus inter Svecos, & Brandemburgenſem ſubſcriptum, appoſitumque, nonniſi parta generali pace,

ce, eſſe valituras. Accepimus hodie litteras Nanceio, quibus ſcribit Luillerius non eſſe Lindavium a Svecis obſeſſum; & pleræque tamen ſunt aliæ, quæ ſingulareis obſidionis circumſtantias renuncient. Recepit ſe, & quod ſupereſt, hyemat Turennius in Virtemberga. Debet jam Rex Angliæ perveniſſe Hombium. Libertate excepta nihil non honoris a Proceribus Anglis experitur. Ajunt, cum ex eo quæreretur, an non cum Anglis degere, quam cum Scotis duceret ſatius, reſpondiſſe, malle ſe ſane cum ipſis ſui emptoribus, quam cum venditoribus eſſe. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis Cal. Mart. M. DC. XLVII.

E I D E M.

DEum immortalem! optime Princeps, ſic affici te, quod mihi fortunam non arridere exiſtimes, ut totis pæne litteris nihil aliud, quam conqueri de iniquitate illius videaris! Ego ſane tuum illum tantum erga me affectum ſuſpicio, & exoſculor; interim autem neque mihi non arridere fortunam duco, quæ hactenus mihi non paucarum rerum, quas pro jure ſuo abſportare poſſet, uſuram permittit; neque ullam prorſus iniquitatem ejus agnoſco; quæ mihi nihil pollicita, rea agi non poteſt, quod non ſtet promiſſis. Ipſe ſum potius in eam iniquus, dum, ut amicis gratificer, fores illius importune pulſo; adeo proinde, ut, ſi repulſam patiar, debeam non ipſam nimis auſteram, ſed me inſtituti parum memorem, parum quoque tenacem cauſari. Verum, ne tibi plura de me (niſi quod nondum valeo melius admodum, quam ante octiduum) dictus fuerat Condæus Princeps diſceſſurus initio ſtatim inſequentis hebdomadis; nunc autem ejus finem dicitur eſſe expectaturus. Sarcinas interim præmiſit ab uno, aut altero die; tranſiturusque per Burgundiam (neque illeic multum commoraturus temporis) acceſſurus in Cataluniam ipſis Paſchalibus perhibetur. Scribunt Monaſterio agi jam negotia, tum Lant-graviæ Haſſiacæ, tum Palatini Comitis; ac in eo eſſe, ut quam primum ſint coronidem adeptura. Cogitant interim Hiſpani, quid ad quinquaginta plus minus, quas ipſis propoſuimus, conditiones ſint reſponſuri, quodque potiſſimum queruntur, induciæ ſunt, quas Luſitania partas, rataſque voluimus. De Anglo aliud nihil audio, quam eſſe ipſi charta, calamoque inte dictum; neque ipſi, aut famulos, aut cuſtodes alios, quam a Parlamanto præſcriptos, adeſſe. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtridie Nonas Martii M DC. XLVII.

E I D E M.

QUam verendum ſemper, ne quod ſubvereris de pace, ſit nimis, quam verum! Ecce enim cepit hebdomade hac, quæ ſpes illius ſuperiore incaleſcebat, decaleſcere; adeo nihil videtur lucis, niſi extinguendum, exhiberi. Dicitur Condæus quarto ab hinc die Regi, ac Reginæ vale dicturus; utcumque deinceps dies aliquot commoraturus in Urbe ſit; inaudioque ejus germanam paucis poſt diebus adventuram. Obſidetur ſemper Lindavium; cepitque interea Turennius Tubingam. Trajecere Rhenum Lotharingi copiæ, acceſſuræque Landgravio Darmiſtadenſi auxiliares dicuntur. Conſtat ſemper Anglus in eo, ne aut abrogationi Epiſcopalis ordinis, aut eorum, quos eſt expertus fidos, partiumque tenaceis, damnationi ſubſcribat. Hæc publica: Ad me quod ſpectat, aliquanto melius, Deo volente habeo; ſcilicet dum me in lecto contineo, crudus ille, ac acerbus humor longe jam decoctior, mitiorque evaſit. Tametſi porrò proximis diebus prodire ipſe foras non potui; non deſtiti nihilominus eò per amicos incumbere, ut Draguinianenſe negotium, quod in mei gratiam pro tua ſingulari bonitate occeperas, auctoritate demum regia poſtremam acciperet manum. Illuſtriſſimus nempe Cancellarius id me exoptare non neſcius, caveri voluit Placito quidquid viſum jam fuerat optimo Campinio cavendum, imo & cenſuit quædam amplianda, quæ vixdum ille indigitarat. Expetii porrò ita fieri, non tam profecto, quod mei illius Arnulphi aliquid interſit, quam quia agitur de rato præſtando, quod ipſe conſtitueris; de protegendo viro, quo in ea Urbe, neque fideliorem, neque cordatiorem habiturus ſis; confirmandis partibus, quas ſis probaturus, factione oppoſita multis nominibus potiores. Exhibebit tibi Placitum Campinius, ut plenius agnoſcas quid id rei ſit; neque interim opus eſt, ut ſi quid in illo exequutioni demandando auctoritate tua indigeat, rogem te, ut annuas, faveaſque. Vale modo, Principum optime, o meum dulce decus, ac præſidium, vale. Pariſiis, Eid. Mart. M. DC. XLVII.

E I D E M.

VAleo in dies melius, Deo bene propitio, ſperoque ſemper fore, ut ſim poſt dies a Paſchate non multos ad diſcedendum comparatus. Scilicet hoc unum mihi eſt in votis, ut poſſim tandem itineri diſcrimine nullo me committere, & natale ſolum repetens tuos ſimul in amplexus ire. Non poſſum certe fando explicare, quanto me rubore ſuffundant, quantoque ſimul ſenſu permoveant repetitæ illæ, & ſinceri affectus pleniſſimæ invitationes, in quas, ut ſi aliquis forem, ut ſi tecum eſſem ex pari, tua bonitas eſt adeo profuſa. Ad res novas quod attinet, dicitur denique Condæus luce craſtina diſceſſurus. Quod ſcribebam Calendis menſis Auraicum Principem non producturum vitam ad uſque Æquinoctium, eventu ipſo eſt comprobatum; nimirum occubuit Hagæ biduo ante Eidus; illas, inquam, Eidus, quæ venere quidem, ſed non exceſſere, ſalvo Cæſare. Ajunt Hollandos interim non convenire neque de eo, cui dignitas eadem imperatoria deferatur, neque de pactis conditionibus cum Hiſpano ratis habendis. Ferunt Bavarum in eo eſſe, ut pacem nobiſcum ſeorſim ineat, ac induciarum negotium, de quo agitur Ulmæ, probe ſucceſſurum. Turennius interea, relicto Tubingæ præſidio validiſſimo, repetiſſe dicitur Danubium. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XI. Cal. April. M. DC. XLVII.

E I D E M.

PRæter litteras, quas ad me tua bonitas eſt dare dignata, accepi etiam alias ad Riantii Baronem conſcriptas. Pleniſſimæ priores ſunt continentis illius tuæ de mea valetudine ſollicitudinis, & ſinceri illius deſiderii, quo meum reditum præſtolaris. Dolui id egiſſe veterem amicum, quod tibi diſplicuerit; ſed eſt

jam,

jam, quod gaudeam, fuiſſe tibi factum in Aula abunde, & ſatis. Ad poſteriores quod attinet, ago ſane tibi quam maximas poſſum pro tam effuſo affectu gratias; verum quæſo ſimul, ne id improbes, quod cepi de ipſis, deque Alliandi litteris minime reddendis conſilium. Quippe non ſuſtinui Baronem in eas conjicere anguſtias, ut aut mihi, tibi-ve potius, quod poſceretur, denegaret, aut ex conſanguineo id exigeret, quod detrimento ipſi foret. Satius mihi longe, faciliuſque fuit id negligere, quod in meam rem eſſet, ac ſemel abjectam non reſumere habendi beneficii curam. Succurrit mihi ſemper illud: *Satis multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum*; ac interim Dei in me benignitatem exoſculor, qui in re tenui animum paucis contentum eſt largitus. Non tam proinde illum precor, *det vitam, det opes*; quam ut mihi parare, ſervareque pergat æquum animum, quo ut evadam ditior, non divitiis adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum cenſeam. Habebis heic exemplum Odes, quod Capellanus, optimus ille, ad te deſtinandum mibi conſignavit. Rerum novarum vix quidquam habeo; nam Condæi quidem diſceſſum, quo prædixeram nuper die, ipſe abunde noveris, & quod Generalis triremium Præfectus clam non Amita modo, ſed domeſticis etiam ſuum ad officium diſceſſerit, diu te latere non poteſt. Pacis negotio remoram iniicere Sveci dicuntur quatenus ut ſuperior etiam Palatinatus reſtituatur, inſtant: Koniſmarkius interim, & Haſſiaei cepere Kirchemium. Ajunt obſidionem Lindavii ſolutam, & pactas tandem Ulmæ inducias. Conſenſere Hollandi, ut filius Auraici Principis iiſdem omnibus, quibus Parens, muneribus, juribuſque potiatur. Quod Angliæ Rex in eo pergat, ut nolit neque in Religionem, neque in amicos ſuos peccare, Parlamentum eſſe in eo perhibetur, ut ſeveri neſcio quid ſanciat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Cal. April. M. DC. XLVII.

EIDEM.

REcruduit tantillum, qui me vexat humor; ſed & brevi poſt matureſcere nonnihil occepit. Ita fiet demum, ut, Deo propitio, poſt tentamenta varia ſenſim infirmata penitus miteſcat. Vergit eò ſemper mea ſpes ſummo animata deſiderio, ut ad te quamprimum & diſcedere, & pervenire incolumem liceat. Delectavit ſummopere, feciſſe me rem tibi non ingratam, cum ſum adnixus negotium illud Draguinianenſe promovere. Sunt interim verò immenſæ, quas tibi ob tantum favoris in re exequenda præſtiti, debeo gratias. Id profecto Neuræus quoque cum inſigni affectus tui teſtatione ad me perſcripſit; ipſeque interim ſum ex eo felix, quod & illum talem, qualem tu deſcribis amicum experiar; & tu ea bonitate ſis, ut teſtimonium dicere amoris illius erga me digneris. Ad publica quod attinet, debes ipſe jam in procinctu eſſe, ut Condæum Principem per ipſa Provinciæ confinia tranſeuntem convenias. Auraicus Princeps pro ætatis fervore, ac genio familiæ, aliud nihil, quam Martem ſpirat; ſed Fœderati ordines majori ex parte nòn adhibent aurem. Urgent continenter Svecici Miniſtri rem difficilem, ut nempe fiat penitus ſatis, tum Palatino Comiti, tum Haſſiacorum Land-graviæ. Scribunt Ulmenſeis Arbitros conveniſſe, ut Bavarus in neutralem ſtatum admittatur; ac ratihabitionem hinc ab ipſo Bavaro; inde a Longavilla in dies expectari. Addunt illius exercitum ea ratione iri dimiſſum, ut ſit ad Venetorum copias adverſus Turcam acceſſurus. Haud difficile, quidnam interim cogitare Cæſar valeat, divinare. Anglus in iiſdem ſemper anguſtiis; futurum enim erat nuper, ut Angli, Scotique Legati conjunctim cum eo poſtremum agerent de ſubſcribendo conditionibus, quarum hactenus memini aliquoties. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis Non. April. M. DC. XLVII.

EIDEM.

PErgit mihi miteſcere, Deo bene propitio, importunus humor; ac neque jam tuſſis adeo aſpera eſt, neque expectoratio adeo difficilis, neque reſpiratio adeo vehemens, neque oris ſomno adeo laborioſus. Videor mihi proinde, Numine favente, eſſe in proclivi, ut in meliorem ſtatum reſtituar; ſicque poſſim brevi in procinctu eſſe, ut, quod pergis expetere, valens non male, ad te regrediar. Rebar nuper ſcribens ad te, eſſe te in eo per id tempus, ut legentem tunc conſinia Provinciæ, Condæum Principem convenires; verum id, ut accipio, biduo jam ante præſtiteras; adeo ille ſupputationem vulgarem dierum, ac itinerum ſua prævertere diligentia ſolet. Ex Aula nihil habeo novi, niſi quod Aurelianus heſterna luce cum conjuge ad Aquas Borbonias diſceſſit. Quod ſupereſt, conſtans habetur, quod de Bavaro nuper ſcripſi. Addunt autem ab eo concedi Lavvingam quidem, & Haliprunum nobis, Memmingam verò, & Uberlingam, Svecis dimiſſuris viciſſim ipſi Donaverdam, & Ravium. Reſtituturum etiam Witembergenſi perhibent quidquid ex ditione ejus occupavit, ac ipſos Roſam, Sundbergumque liberos ad nos remiſſurum. Meditari ſemper Lotharingum ajunt irruptionem in Palatinatum, & qua præſertim ditio eſt Archiepiſcopi Trevirenſis; unde Fertæo mandatum, ut copias in eum colligat, & Turennio etiam, ut aliquas mittat. Monaſterio nihil ſcribitur, quod exſcribi multum interſit. Proceſſiſſe jam debet admodum conſobrina tua Longavillæ uxor, quam exceptura parens diſceſſit proximis diebus Cantillium; & excepturus frater Contyæus diſceſſurus eſt tertio ab hinc die. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, pridie Eid. Apr. M. DC. XLVII.

EIDEM.

NOn jam brevis eſſe laboro, ſed cogor potius, optime Princeps; adeo mibi temporis parum ſacra diei officia reſiduum fecerunt. Ago proinde ſolum gratias, tum nomine meo ob illum amorem, quo temperare tibi non potes, quin nimis de me magnifice ſentias; tum nomine etiam noſtri Capellani, qui ſe devinctiſſimum tibi ob illa tam bona verba profitetur. Ex rebus novis ſeligo unam, quæ plurium inſtar merito ſit, ſi ut ſpes eſt quidem, vera comprobetur. Ajunt nimirum Cæſarem, ex quo accepit Bavarum Ulmenſibus illis conditionibus ſubſcripſiſſe, ſubſcripſiſſe & ipſum pactis conventis Monaſterii ante aliquot jam, ut inaudiiſti, menſeis. Forte, qui in gratiam Hiſpani manus dare abnuerat, ſenſit paratam ſibi non levem apud ipſum excuſationem. Res ejuſce momenti eſt, ut tametſi illam a viris fide dignis acceperim,

expe-

expectandum tamen, quouſque uberiore fide conſtiterit, cenſeam. Interim autem, ſi vera ſit, haud-dubium videtur, quin Hiſpanus quoque brevi tempore in pacem conſentiat; An-non verò, ſi id contingat, ac aliunde Ottomannus ille nihil aliud, quam ſanguinem ſpirans, diem, ut perſcribunt, extremum obierit, an-non, inquam, ſpes magna eſt, ut Orbi Chriſtiano pax demum quæratur? Utinam! Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIII. Cal. Maii M. DC. XLVII.

E I D E M.

FElix Condæus, qui te, ut Conſobrinum, ita & Encomiaſten habet! non Achilles talem Poëtam, non Alexander talem Pictorem nactus. Quod obſervaſti nihil in eo eſſe præter ætatem juvenilem, quam cito, quæſo, per-quam eximio comprobavit ſpecimine? Inaudio nempe, eum omnem pompam a Barcinonenſibus recuſaſſe; ac auctorem fuiſſe, ut impenſæ amplificando bellico apparatui deſtinarentur. Servet illum modo incolumem Deus, ac tibi ævum ita propaget, ut florentem immenſa illa, quam meretur gloria diutiſſime videas. Quod ſcribebam nuper fuiſſe proditum de ſubſcriptione Cæſaris, votum ſolum fuit, ac ſpes pæne certa. Videlicet ſcripſit Davalſius, rem ita eſſe in proclivi, ut pro confecta haberi poſſit. Adjecit verò urgeri ſe, ut Monaſterium repetat, quod mediatores inſtent, ut etiam cum Hiſpano res peragatur. Quæ cetera habeo, non magni momenti; aut ſi quidquam eſt, id, niſi aliunde, ſaltem ex Campinio pernoſſe licebit. Jam enim amplius nihil vacat, quam tibi gratias agere ob litteras commendatitias ad Divionenſes Conſules in illorum gratiam, quos habeo in ea Civitate cariores; hæc ſcilicet tui erga me amoris argumenta ſunt plane continentia. Mea valetudo eò jam evaſit, ut, Deo propitio, Luillerius acceſſurus prius non ſit, quam ſperem fore me omnino ad diſcedendum heinc comparatum. Cum ille verò expetierit, ut niſi ſe coram ſalutato non abeam, ſcripſit ſe nihil aliud deinceps, quam militarem comitatum, quò viarum pericula tuto declinet, præſtolari. Tu interim, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VI. Cal. Maii M. DC. XLVII.

E I D E M.

SIgnificatum jam memini ſuperioribus litteris, nihil pæne eſſe, quod amplius me, præter noſtri Luillerii, quem expecto, adventum, poſſe remorari. Quippe tametſi ſum nudius-tertius levicula febri tentatus, & tuſſis mihi non-nihil crebrior, aſperiorque effecta eſt; attamen & ecce dies jam exactus, in quo tertianæ paroxyſmum, qui, Deo propitio, nullus fuit, metueram; & illa in pectus defluxio nihil ſenſibilis cepit incrementi. Cauſam novi ſymptomatis non ſane in mutationem victus, quæ vix aliqua in me fuit, conjicio; ſed in mutationem potius aëris, qui toto jam octiduo ventis, frigoribuſque ſic infeſtatur, ut plane oportuerit diploidas reſumere, & Vulcanum perinde prorſus, ac per ipſam Brumam propitium habere. Spes eſt verò, ut ſaltem ſtatim ac Cœlum evadet clementius, redintegrare, confirmareque occipiam valetudinem, de qua nuper fuit, ut non modo bene, ſed etiam optime ſperarem. Nimio me interim rubore ſuffundere pergunt tuæ litteræ, quibus profecto humaniores, ſuavioreſque eſſe non poſſunt; adeo te delectat, ut natura bonum, ita ratiocinio optimum probare; inprimis verò erga me, quo non eſſet quiſquam mortalium felicior, ſi obtinerem vel minimam earum, quas in me reputas virtutum. Utinam verò ſit aliquid, quod in tui obſequium impendere liceat. De rebus novis dicitur Rex tota cum Aula pridie Nonas diſceſſurus Compendium. Aurelianus verò ex Aquis Borbonis ipſis Eidibus acceſſurus. Ex quo Bavaris convenit nobiſcum, ſunt ipſos inter, & Cæſareos in ſimultatem omnia proclivia. Colonienſis proxime eſt, ut Germani ſui exemplum ſequatur. Davalſius adhuc Oſnaburgi, itemque Trautmandorfius, qui-cum Sveci ſemper contendunt pro ejus Urbis Epiſcopatu; pro Amneſtia, pro Autonomia Regionis-ve libertate. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Non. Majas M. DC. XLVII.

E I D E M.

CLementius jam effectum Cœlum, cepitque mihi interim tuſſis non-nihil miteſcere; ipſi deliniendæ, aut etiam eliminandæ penitus Medici Amici aſininum præſcribunt lac. Forte hac vice, donec Luillerium expecto, illos audiam, quibus hactenus levem habui fidem. Verendum mihi, ne ſi faciam, ὄνος πρὸς λύραν efficiar; ſed mihi nempe inſuſurrabo, εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνε ὄνον. Diſceſſere externa luce Rex, & Regina Cantillium, unde mox Compendium, & brevi Ambianum. Dicitur Regina diſcedens, teſtata, ſe non ſine pace comite reducem futuram. Id dulcius, quam quod ſcribitur, Trautmandorfium offenſum nimia Svecorum contumacia, & exceſſiſſe Oſnaburgo, & Monaſterio etiam re deſperata exceſſurum. Quamquam, ut res Cæſaris ſunt, non video quid facturus ſit. Graſſantur Sveci in Franconiam; ajuntque Turennium, occupato Darmſtadio, cum Lant-gravii familia, etiam Marpurgum, quò ille aufugiens ſeſe recepit, obſidere. Ut Colonienſis jam amplexus, ſic amplexurus mox dicitur Moguntinus neutralem ſtatum. Plura attexere jam non vacat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale, Pariſiis, VI. Eid. Maii M. DC. XLVII.

E I D E M.

QUam longe ſum, optime Princeps, ut ea mihi ſuppetant voces, quibus tum exprimam affectum, quem mihi tuæ litteræ mellitiſſimæ accendere pergunt; tum moram excuſem, qua habitam abs te mei reditus expectationem etiam-num fallo? Solatio eſt mihi, quod te adeò bonum, adeò candide de me judicantem, adeò mei amantem ſentio, ut etiam tacenti de affectu credas, &, niſi quidpiam exequar, quod præſtandum receperim, in defectum non voluntatis, ſed facultatis culpam conjicias; ac, Deo quidem bene propitio, non prorſus male habeo; ſed non eſt ſane facta mihi, quantam ſperaram, virium acceſſio; neque polliceri ipſe mihi poſſum, ut me adhuc itineri abſque diſcrimine committam. Repugnant aliunde tantopere Amici ſtudio ſuo meæ valetudinis, ut eorum amori indulgendum ſit, quod mei amore exigi heic adhuc proximos fervores depoſcunt. Voluit quin etiam nomine omnium, qui eſt obſervantiſſimus tui,

optimus Abbas Campinius hæc de re ad te ſcribere, fidem facturus quam impatienter procraſtinationem tam diuturnam feram. Nihil ſane id fuerat opus; ſed amori nempe, quo eſſe non poteſt ſincerior, condonandum fuit. Luillerius quoque, cui negotia remoram iniiciunt, idem fuit facturus; verum neceſſe nihil eſt te excuſationibus onerare. Hæc retardationis tantæ cogitatio ſic mihi mentem occupat, ut vix quidquam rerum novarum, quod ad te ſcribam, in illam ſubeat. Id ſolum percellit, quod ajunt Leopoldum Archiducem cum totis Flandriæ viribus cingere obſidione Armenterias, illucque ideò confluere quidquid virium licet ex his regionibus corrogare. Quin perhibetur etiam mandatum Torennio, uti ſuperiore relicta, in inferiorem veniat Germaniam, ac ſolitam prius præſtari ab Hollandis operam ſuppleat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, XVI. Calend. Jun. M DC XLVII.

E I D E M.

SUſcepto demum conſilio, quod valetudinis meæ ſtatus effecit neceſſarium, trahendi videlicet adhuc in menſem uſque Septembrem moras, cepi ecce hodierna luce, quod ſcripſi nuper ἔκδοτον fieri. Felix, niſi & tandem [illegible]ci quam inſignem emendationem ſperandam fecerunt, hinc conſequar, non prætermittam ejus te, quando ſic dignaris de me ſollicitus eſſe, facere certiorem. Ex rebus novis aliud nihil habeo, quam acceſſiſſe Aurelianum ad Urbem ante dies treis, ac eſſe poſt treis diſceſſurum in Aulam. Nondum expugnatas audio Armenterias; tametſi poſſe copias noſtras coire ſatis tempori, ut ſuppetias ferant jactari non video. Expectatur brevi Turennios in Luxemburgum irrupturus; nec cunque non deſint, qui ipſum eſſe obſeſſurum Françandaliam putent. Advenit Curſor nudiusquartus, qui renuntiavit certo certios initam cum Cæſare pacem. Utinam tam ſit, quam dicitur verum. Anglus in eodem ſemper ſtatu. De Ilerda obſeſſa vota equidem pro expugnatione concipio; verum concipio maxime pro Condæi tui incolumitate. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, IX. Calend. Jun. M. DC. XLVII.

Haſce obſignaram, cum tuas pridie Eidus datas accepi. Serum adeò eſt, ut non liceat aliud, quam condolere ob lugubrem erepti tibi Amici caſum. Felicem te, qui ex te ipſo conſolationem quæſieris! Felicem illum, cui dederis litteraleis baſce inſertas. Tu, & diu vive, & iterum vale.

E I D E M.

PErculit nos ſane renunciatus ille optimi Campinii morbus; verum erexit animos, quod ſignificante Neuræo, remitti cepiſſe ejus vehementiam, addere ipſe dignatus es id factum ab uno jam die. Utinam inaudiamus brevi evaſiſſe optimum illum tam tui venerantem, tam noſtri amantem, niſi valentem penitus, at ſaltem diſcrimine immunem. Quam opportuna interim, quamque rationi conſona tua illa querela eſt? Revera quippe animalia ſuo illo naturæ inſtinctu certo requirunt, inveniunt, uſurpant conſentanea remedia, quæ homines ſuo ratiocinio nuſquam, incerto ve aſſequuntur. An verò cum ſit ratio hac in parte inſtinctui impar, & non poſſit tamen natura fuiſſe noverca in homines, par eſt credere, noſtra fieri culpa, ut conceſſus nobis inſtinctus nihilo, quam illis inferior, ſic miſere labefactetur, ut vix, aut ne vix quidem ullum illius veſtigium in nobis remaneat. Nempe ipſa Bruta illibatum ſervant, dum alimentis uſa naturalibus, non immutant temperiem; nos victitantes adulteratis, temperiem plane immutamus; neque mirum proinde eſt, ſi animalia non abducta a naturæ tramite, ferantur recto quaſi ductu ad id, quod ſibi congruum eſt; nos ab eo averſi, erremus, &, niſi caſu in id, quod expedit, ipſa etiam ratione prælucente, non incidamus. Verum hæc longioris ſunt diſquiſitionis. Quod optabam nuper tam eſſe, quam eſſe jactabatur verum, nequidquam non fuiſſe eventus probavit; optandum nimirum, ſeu orandum potius, ut Deus ter-Optimus det, quam Mundus dare pacem non poteſt. Ajunt non eſſe ex Germania diſceſſurum Turennium, Weimarianis abnuentibus, niſi perſolutis ſtipendiis. Verſatur adhuc Aula Ambiani, Aurelianuſque eò diſceſſit duntaxat nudius-tertius. Inexpugnatæ hactenus Armenteriæ; ajuntque noſtros interim eſſe ſperam obſeſſuros. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, prid. Cal. Jun. M. DC. XLVII.

E I D E M.

QUas ad Abbatem optimum dignatus es litteras dare, eodem modo me cum iis, quibus me beaſti, obſtringunt. Nempe utræque præſeferunt bonitatis erga me tuæ characterem oppidò inſignem. Nequidquam verò ſane non eſt, quod noranti ſemper valetudini proſpiciendum ducis; ecce enim cum ante dies quinque exire in Urbem tentaſſem, invaſit me febricula, ac triduo habuit continenter; neſcio an viæ non longæ labor, an aëris fervor pæne immodicus, an lactis uſus, de quo ſcripſi ad te aliquoties, læſerit temperiem. Utcunque ſit, ſum jam omninò, Deo propitio, febre immunis: utinam verò perinde ſit, de quo iterum ſcripſiſti, Campinius. De rebus novis, dicitur Aula Ambiano digreſſa, hodie acceſſura Compendium. Scribunt Aurelianum non illinc aditurum exercitum, ſed in hanc urbem regreſſurum. Armenteriæ expugnatæ quidem, ſed ajunt tamen ſpem noſtris eſſe, ut illas brevi recipiant; neque id verò improbabile, ſi ea modo vera, quæ hiſce ſubiiciunt; nempe acceſſiſſe Turennium, & cum eo millia militum octo: Hollandos id tandem cepiſſe conſilii, ut exercitum pro more educant; hoſteis in eo eſſe, ut copiarum vim in Urbium præſidia diſtribuant. De Ilerda nihil inaudio. Utinam illeic proſpere omnia. Appulſus Princeps Carinanius ad Urbem nudius-tertius, die ſuperiore diſceſſit in Aulam. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, VII. Eid. Jun. M. DC. XLVII.

E I D E M.

DEum immortalem! quantum delectat, valere melius optimum Campinium! Utinam tandem quam-optime! De mea valetudine quid mihi pollicear vix habeo; quando ecce mihi acris ille humor tuſſim aſperam denuo inſtauravit. Sequela hæc eſt quædam ejus febris, qua me nuper tentatum ſcripſi. Nondum reſumpſi lactis uſum, ejus occaſione intermiſſum; in eo verò ſum, ut deliberem, ſim-ne omninò reſumpturus. Verum quid de me tam ſæpe, &

tam

tim multa. Præclarum profectò tuum illud de Hollandis judicium. Qui de illis nuper ſpargebatur rumor, is fuit, de quo merito dubitarim. Turennii etiam adventus dubius; tametſi, niſi venturus ſit, dicitur ſaltem copiam miſſurus. A captis Armenteriis hærere etiam num Cominis coram hoſteis ajunt. Quod gloriati fuiſſent Aulam noſtram deſtinaſſe præ metu redire Compendium, Aula non modo conſtitit, ſed deſtinavit etiam, ut perſcribitur, pergere Caletum. Sunt nihilominus, qui perhibeant, Aurelianum ſolum eò conceſſurum. Exercitus interim noſter fertur reipſa ex viginti hominum millibus conſtare. Cæſarei deſiderio pacis nihil non concedunt Svecia, & Haſſiacis, nobis quoque; niſi quod Cæſar abſtinere, qua Auſtriæ Princeps, a ſuppetiis Hiſpano ferendis non vult, rogatque, quo potiore jure nos a ferendis Luſitano abſtinere decreſtemus. Hiſpani ipſi interim manifeſtò jam ſubterfugiunt. Scribunt Anglorum exercitum eſſe Regi melius, quam Parlamento affectum. Id ne ſit quidpiam pariturum, brevi, ut opinor, edocebimur. Quod ex Italia, Cataloniaque inaudimus, tu melius noſti. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, & præſidium, vale. Pariſiis, poſtrid. Eid. Jun. M. DC. XLVII.

E I D E M.

ADhuc illud unum de me, optime Princeps, præclarius valeo; nempe, ut tibi id noſſe gratum, ita mihi non prætereundum. Quo pæne momento hæc ſcribo, ipſum Solſtitium tranſigitur; id monet tibi apprecer totam, quam inimus, tempeſtatem felicem. Adventat nunc demum Turennius; & cum foret, ut perſcriptum eſt, ante dies quinque meras appulſurus, prope eſſe jam debet, ut copias Flandrico exercitui jungat. Ajunt proinde exercitum ex triginta duobus militum millibus conſtiturum; ac fore, ut moliatur brevi aliquid, quod Archiducis victorias obſcuret. Scilicet etiam poſt Armenterias, Cominaſque, occupatis Lentiis, quibus inſtat nunc temporis, ejus cunctus repreſſum iri; futurumque, ut de propugnando, non oppugnando ſit cogitaturus. Ex Aula aliud nihil habeo, quam Aurelianum huc rediturum; unde diſceſſurus hac die in Sabaudiam Carinanius fuit. Quod ſcripſi nupera occaſione de Anglicano exercitu erga Regem melius, quam erga Parlamentum affecto, eo fuiſſe ſucceſſu fama conſtans eſt, ut Regem & adierit, & a cuſtodia exemerit, & quaſi triumphantem deduxerit Londinum. Id ſi verum ſit, o plane, prorſumque humanarum rerum mirabilis vices! Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, XI. Calend. Jul. M. DC XLVII.

E I D E M.

BInas ſimul litteras habui, quas ad me dare, & tertio Eidus, & decimoquarto Calendas voluiſti. Quod ſapienter adeò in prioribus de Leopoldo ratiocinaris, ſimile prorſus vero eſt; ac potiſſimum, quia facta deinceps acceſſione Turennii, nihilo fore exercitum noſtrum exercitu hoſtium inferiorem ſcribunt. Ilerdenſis obſidio nimis quam ſane difficilis; ſed nempe tuo illi Heroi τὰ καλὰ χαλεπὰ duntaxat. Tuetur modò illum in tantis periculis Divinum Numen. Haud abs re perſtas in tua illa, quod ad pacem ſpectat, ſententia. Nimirum Auſtriaci Cæſarei non muſſitanter inſinuarunt, quid forent reipſa facturi. Factam accipio Longavillæ revertendi licentiam: quanquam addunt ea conditione, ut ſit poſt menſeis aliquot Monaſterium repetiturus. Quæ poſterioribus litteris appulſus Bullonii occaſione philoſopharis, digna te ſunt; ac ipſe ea legens viſus mihi ſum in ipſa Senecæ lectione verſari. De Angliæ Rege quid ſubiiciam? niſi quod hactenus nihil aliud, quam commutaſſe cuſtodiam videtur? Quippe nondum eſt Londinum deductus; ac parum abeſt, quin exercitus, Scotorum inſtar, illo potitus, videatur ipſum ſimilibus conditionibus proditurus. Sed erit forte ille felicior, quam ut experiri hanc tantam fortunæ iniquitatem pergat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, IV. Calend. Jul. M DC. XLVII.

E I D E M.

DIci non poteſt, quantæ vertatur Condæo tuo prudentiæ, quod mature Ilerdenſem obſidionem ſolverit; ſpectatis nempe circumſtantiis, planum fecit, ſe animi conſilio, magnitudineque ex æquo pollere. Venerat in Urbem, cum nuncius ab eo huc adventarit. Aurelianus; deinceps autem biduo ſolum commoratus Aulam repetiit. In Belgio cœperat Leopoldus obſidere Landrecium; veruntamen illi tutando dicuntur nudius tertius milites immiſſi mille, & ducenti, una cum Manicampio; adduntque Gaſſionem partim neci, partim mancipio ſex pæne millia hoſtium dediſſe. Inaudieris jam, opinor, regreſſum in Germaniam Turennium, quod Weimarianis progredi, niſi perſolutis omnibus ſtipendiis, in Flandriam recuſantibus, præſtiterit exercitum ultra Rhenum integrum, quam citra mutilatum habere. Extant litteræ ex Hollandia, quæ rem cum Hiſpanis nondum confectam renuncient; ac ſpem faciant fore, ut brevi exercitus illeic campis eat apertis. Res Angliæ adhuc in incerto; exercitu ſignificante, contendere ſe, ut unicuique plena ſentiendi de Religione libertas ſit; ut ſoluto Parlamento, quod nunc obtinet, inſtituatur aliud, die præſtituto ſolvendum, ut in eo de legitima, quæ Regi permittenda ſit, poteſtate deliberetur; ne ſit, exceptis pauculis, præteritorum ἀμνηστία. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, III. Non. Jul. M. DC. XLVII.

E I D E M.

QUod probaris, optime Princeps, renunciatum tibi litterarum initio valetudinis meæ ſtatum, facit heic quoque jam præmittam, me, Deo propitio, valere in dies præclarius. Profectò ſic habeo nunc me, ut, ſi modo Deo fuerit viſum, ne in deterius recidam, grata ſumpturus manu ſim, tametſi in melius deinceps non promoveat. Hinc, ſi ritu illo antiquo, cujus meminiſſe es viſus, litteras ad te meas non exordiar, *ſi vales, bene eſt;* non illud ſane mihi eſt cauſæ, quod non videar poſſe ſatis vere ſubiicere, *ego quidem valeo*; ſed quod bene valere te tam abſolute deſiderem, ut rem cum conditione efferre non ſuſtineam. Falſum fuit, quod nuper non modo abs me, ſed ab aliis quoque haud dubie accepiſti, de allatis Landrecio ſuppetiis. Perſeverat adhuc obſidio, nec video ſpem fieri, ut diu protrahatur. Ajunt Weimarianis ita factum ſatis, ut Turennius illos redu-

ſtutus ſit. Si faciat, non eſt cur hæreamus, quin omnia vertantur, Numine favente, in melius. Sit-ne Aula brevi in Urbem, ut celebre fuit, reditura, non eſt quamobrem aſſeverem. Rumor tamen eſt, Materteram tuam proxima luce huc acceſſuram. De rebus Angliæ aliud nihil habeo, quam quod Regi melius ſperandum videatur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, IV. Eid. Jul. M. DC. XLVII.

E I D E M.

QUod hærebas propter rumores, qui de Condæo ſpargebantur, gratulor optime vertiſſe. Lucro profectò deputandum, quod ſoluta obſidio incolumem emiſerit, cui producta vix poterat [quibus ille eſt animis] non eſſe admodum fatalis. Acceſſit huc ipſius parens Matertera tua ante dies ſeptem. Hæſit verò Aula, hæretque etiam-num conſtanter Ambianis. Landrecium nondum expugnatum. Gaſſio interim Beſſeam obſidet, & Rantsovius Dixmudam jam cepit, dum Sveci Egram obſident. Expedit Turennium in Germania verſari. Audio Lotharingum obſidere Longovvitzium. Data, acceptaque ab Hollandis fides, ut ſi Hiſpanus, confecta pace, quidpiam in confinia alterutrorum moveat, utrique junctim occurramus. Angli negotia nondum perfecta. Debet tibi non novum eſſe, quod de novo Siciliæ Rege ad nos uſque percrebuit. Debet & quod de Venetorum navali in Turcam victoria, quam Cydonis, ſeu Caneæ deditio fuerit inſequuta. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, XXV. Cal. Auguſt. M. DC. XLVII.

E I D E M.

CAlamum jam aſſumpſeram, ut paucos ad te verſus exararem, cum binas accepi abs te litteras, priores ante menſem, poſteriores Eidibus datas. Illis admones, ut Walterium de valetudine conſulam; ſed cum ille abeſt, tum, Deo propitio, melius jam valeo; nullumque eſt febris hecticæ, quam times, veſtigium. Iſtis facis me de proximo tuo Brinoniam diſceſſu certiorem. Deum ter-Optimum veneror, ut illeic & te, & totam familiam per hoſce æſtus incolumem ſervet. Tuæ eſt providentiæ, quod etiamde ſis maritimæ noſtræ oræ proſpecturus; at quis Hiſpano animus, ut cogitare valeat de occupanda Arcula, ſi verum ſit quod perhibent, defeciſſe ab eo florentiſſima Siciliæ, & Neapoleos Regna? Sextus hic eſt dies, ex quo, ut Landrecium, ſic Beſſeam quoque expugnatam accepimus. Hinc compenſatio inſignis facta; ajuntque exercitum noſtrum eſſe jam hoſtili potiorem. Quin-erit etiam longe amplius, ſi quod memorant, non Lotharingus modo ſuas abduxit copias, a quibus Longovvitzium fuiſſe obſeſſum non conſtitit; ſed Bekum quoque alias, quas una cum illo in Turennium deducat. Videlicet ferunt Turennium adventare jam iterum, & trajecto Rheno, Divionem Lotharingiæ appuliſſe. Verendum interim, ne Sveci ægre obſidionem ſolvere tenteantur; properante eò Cæſare cum inſigni exercitu, & concurrente Werthio cum Bavarico equitatu. Angli negotia ſemper incerta. Rumor eſt Aulam Calecum primùm, tum Rhotomagum conceſſuram. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, VII. Cal. Aug. M. DC. XLVII.

En cum his litteris exemplum inſtitutionis Aſtronomicæ, nunc primum e prælo prodeuntis. Tu id accipe, non quaſi mereatur tuas in manus incidere; ſed quaſi cum meum opuſculum ſit, par non ſit, ut diu te lateat. Salutat te optimus Merſennus. Vale iterum.

E I D E M.

NOn quò rumor fuerat Aulam conceſſuram, ſed poſt dies omninò paucos huc receſſuram fama jam eſt. Ipſe interim Aurelianus acceſſit nudius tertius. Perrexit iterum Rantzovius cum copiarum parte ad maritima, ac obſidere arcem Neoſtendam, quæ inter Neoportum, Oſtendamque eſt, perhibetur. Gaſſio cum ſuperſtitibus prope Baſſeam caſtrametatus hæret. Compulſus prece, ac pretio Inſulanorum, Archidux perrumpere caſtra tentavit; repulſus autem cum inſigni jactura a Gaſſione eſt. Non Turennius denuò trajecerat Rhenum, neque ipſe Divionem pervenerat; ſed miſſus ab eo Lametus cum duobus hominum millibus. Ajunt ipſius milites detrectare imperium Ducum; ac delegiſſe neſcio quem Comitem Gulielmum, cui parere velint. Egra a Svecis occupata; & neque Cæſar tempori accurrit, nec pro voto concurrit Werthius; quippe quem Bavarus revocato equitatu, exauctorarit. Diſceſſit Monaſterio Trautmandorfius; pergunt tamen Miniſtri Regii diſceptare negotia cum ſuperſtitibus Cæſareis. De Anglo nihil audio melius. Quò Neapolitana ſeditio (neque enim rebellio fuit) evaſerit, ſcire avent multi. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Calend. Aug. M. DC. XLVII.

Dum has obſignarem, litteras accepi e caſtris Beſſeanis, quibus circumſtantiæ magis ſingularis tentamenti deſcribuntur. Illas ad Campinium ſic tranſdo, ut moneam ipſas pellegat tantum, mox una cum hiſce tranſmittat ad te. Vale iterum.

E I D E M.

QUamobrem adeò bonus es, ut ſi intermiſeris ſemel reſcribere, temet excuſes? Nimium foret, ſi ſingulo, aut ſeno etiam quoque menſe ſcribere, vel paucos verſus dignarere; nunc, cum ſeptено quoque die bees me tuis litteris, niſi interdum facias, cauſam dicis, quare non facias; ſed nempe non cavere modo humanitas tua eximia non poteſt. Adeſt jam occaſio, qua illa abutar; ſed, non quia ego temerarius, tu ideò eris minus indulgens; conſtans rumor eſt, fore, ut in Aulam ante hyemem proximam venias; optimus etiam Pater Bizotus, cum vale nuper diceret, retulit te ſibi dixiſſe, dum in hanc Urbem diſcederet, fore ut ea quoque huc brevi adventares. Ipſe hactenus aſſenſum continui; nunc autem, quoniam tempus inſtat, quo de diſceſſu cogitem, norim intereſt, ſisne reipſa ad nos adventurus; quippe niſi ſis, ipſe brevi me uti pollicitus jam ſum, ad diſcedendum comparabo; ſin autem ſis, nihil movebo, ſed te præſtolabor attente, ut tranſacta heic tecum hyeme, tecum, Deo propitio, poſt hyemem diſcedam. Itaque velim rogatum te, ut, ſi moleſtum quidquam non ſit, digneris me quid hac de re ſtatueris, facere certiorem; ſiquidem ipſe, prout res erit, deliberationem inſtituam. Vides quam agam confidenter; ſed facio, ne ſi iſthuc tendam, quo tu excedes tempore, cogar ibi diutule, te non præſente, facere moram.

Cum

Cum ad te nuper ſcriberam, ſic Aula denuò cœperat cogitare Rhotomagum, ut tunc non longe illinc abeſſet. Redit huc autem hodierna luce, Rex, Reginaque videlicet, nam Cardinalis heri acceſſit. Nihil memorabile, quod ſciam, a nuperis meis narratum in Flandria. Roſa a Turennio in carcerem actus, utpote tanquam proditor, & ex citatæ ſeditionis cauſa. In Anglia ſi quid novi eſt, ſumma eſt poteſtas, quæ jam reſidet penes exercitum, ac Ducem Farfaxium. Quod de *Magnis Bibliis* rogas, quæ ſunt in hac Urbe nuper edita, quadringentis libris turonicis væneunt, atque ea quidem incompacta; cum ipſa compactio (decem ingentia volumina ſunt) ſuperaddat pretio circiter dodrantem. Quæ verò Antuerpienſia fuere haſtenus *Magna* vocitata, ea trecentis libris, plus minus venduntur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus vale. Pariſiis, v. Eid. Sextil. M. DC. XLVII.

E I D E M.

QUam nuper prolixus, tam nunc ero brevis. Non repetam certe, quam fiduciæ plenam precationem nuper adhibui; quando tu adeò bonus es, & in me quidem maxime, ut nulla tibi opus ſit, ſi quid te rogem, incolcatione. De Aula quid novi perſcribam, nihil habeo; niſi quod Dux Aurelianenſis Divam Carnutenſem [quam etiam olim parituram regia illa coluit] veneratum ivit. Ex Flandria id ſolum accipio, quod noſtri dicuntur obſidere Lentios. Ajunt jam Turennium inſequi perduelles. Qui percrebuit rumor de accepta quadam poſt Melandri obitum a Cæſareis clade, non valde eſt certus. Londini quæpiam quidem ſeditio in Regis gratiam excitata; ſed ille-ne ideò felicior, quam haſtenus fuerit, porrò futurus? Verendum ſane, ne magna adhuc ea in Inſula rerum perturbatio ſequatur. Quippe ex duabus, quæ illeic vigent religionis factionibus, obtinere quidem videtur, quæ dicitur *Independentium*, propter Farfaxium, & quos is voluit in Parlamento ſuperſtites; at quæ eſt *Presbyteranorum*, tum numero vincit, tum milites jam alio titulo in Urbe conſcribit; cum adſtantis habet in Regnorum confiniis decem, plura-ve Scotorum millia. Tanti eſt ſemel camarinam moviſſe. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, XVII. Calend. Septemb. M. DC. XLVII.

E I D E M.

ERo jam etiam, quam nuper brevior, quod mihi totus pene dies ab inviſentibus ſuccedenter ejuſce conditionis Viris, quos non debuerim pro arbitrio dimittere, fuerit præreptus. Renunciabo ſolum, fuiſſe heri mihi redditas abs te binas litteras, priores quidem Nonis, poſteriores verò pridie Eiduum datas. Addam nihil mihi eſſe jucundius, quam quod ex utriſque accipio; te ſcilicet probe valere, & præter negotia, ſtudiaque, etiam venationi, ac iſtis excurſionibus eſſe ſatis. Quod de cepto, ſed non perfecto negotio ſubinſinuas, Numen veneror, quam optime vertat. Ne verò anxium animum teneat, mature ſemel deliberandum, ac deinceps tenenda conſtanter ſententia. Siquidem opus ſolum heic animis, & pectora firmo. Sed tu iſta melius; ego innuo ſolum, ut ſignificem, quam mihi ſit cordi, sa, ut valentem corpore, ſic animo hilarem eſſe. Lentios noſtri non obſederunt, ſed duntaxat invadere ſtratagemate affectarunt. Cum id non ſucceſſerit, ſucceſſit tamen, quod Equites octingentos circum venerunt. Cetera momenti non magni. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, x. Calend. Septemb. M. DC. XLVII.

E I D E M.

GRatias habeo, optime Princeps, quod mihi adeo confidenter deſcribere dignatus ſis, quid cogites de proximo, vel ſperato potius in Aulam adventu. Cum res ſic habeat, accingam me, ut ipſis Remigialibus, aut non longe poſt, Deo propitio, diſcedam. Quod dignaris autem facere mentionem adornati cubiculi, quo me exceptura tua bonitas ſit, quæſo, ut mihi liceat per te divertere, proxime quidem, ſed extra tamen ipſum palatium. Non ſane, quod mihi non ſit ſupra merita honorificum hoſpitio abs te excipi; ſed quod eventorum provideam, ut tibi liceat tanto diuturnius, quanto e ſimilis minus videbor adhærere. Nihil eſt neceſſe cauſas inſinuem, quæ dici niſi coram non poſſunt; ſatis eſto, nihil fore unquam mea erga te obſervantia, ut ſincerius, ita conſtantius. Ex Aula, ſi quid novi eſt, ipſa eſt valetudo Germani Regis, Andium Ducis, qui febri tentatus diebus nuperis, habet nunc, Deo favente, melius. Conſtantior jam fama, Præſulem Aquenſem brevi in Cataloniam titulo Pro-Regis iturum. Quas illinc vidi litteras, diſceſſum Condæi ad Eidus menſis proxima ſequuturi notant. Quas Romà, ipſam etiam Sardiniam rebellaſſe memorant; ſed, quod tu nihil ea de re, vereor admodum ne vera non ſit. Quas Monaſterio, Longavillam in ipſo procinctu, ut huc redeat, deſcribunt; unde & ſunt hinc aliquot ad ipſum præmiſſi Abbavillam currus. Quas e Germania, perhibent cecidiſſe Svecos duo Cæſareorum millia, ac Cæſarem ſe Pragam recepiſſe. Addunt Turennium, receptis duobus, qui defecerant, militum millibus, Rhenum rurſus traiicere, contendereque Luceburgum verſus. Quas ex Anglia, ferunt Farfaxium in Urbem admiſſum, occupaſſe turrim, collocaſſeque in ea præſidium. An autem, & quando, quaque conditione admittendus Rex, dies edocebit. Quas ex Hollandia, admonent Claſſis, quam ſex militum millibus inſtructam illi in Occidentalem Indiam deſtinant, ut ea loca recuperent, unde fuere nuper a Luſitanis expulſi. Tu, o Principum optime, o meum dulce decus, vale. Pariſiis, III. Calend. Septemb. M. DC. XLVII.

E I D E M.

JUre profectò demiraris Hiſpanicum illud Imperium, quod toti pene Orbi compedes nuper intentabat, ita jam prolapſum corruere, ut inſtaurari, niſi facto quopiam inſperato non poſſit. Nemo ſcilicet, ſi quis prædixiſſet, donec res illius florebant, id non habuiſſet in fabulis; tametſi eventus nos docuit, ipſum opinione, ac fama, potiuſquam vigore interno ſtetiſſe. Nondum res ad metam deducta; ſed forte tamen deducenda, niſi pacis ope brevi provideatur. Qui degunt illi procurandæ Monaſterii, Interceſſores adeò obnixe ſunt obteſtati, ne ante dies aliquot Longavilla diſcederet, ut ille ſit adhuc aliquantum hæſurus; & quod aliunde Oratores Hollandi eò conceſſerunt, ſpes eſt bona multis, ut non ſine fructu negotium pacis jam inſtau-

inſtauretur. Diſceſſit Gaſſio a ſtatione; ſed nempe, ut cujuſpiam Arcis obſidionem averteret. Creditur Turennius jam in Lucemburgo, ac aut ipſam Metropolim, aut Montem-medium obſeſſurus. Perſeverat rumor neſcio cujus prælii, quod inter Cæſareos, Svecoſque commiſſum, Svecis probe ſucceſſerit. Rex Angliæ nondum melius habet. Ferunt interea Catholicos in Hibernia plane proſtratos, cæſis nimirum quinque, aut ſex uno conflictu millibus; ac fore, ut victores adverſus Fairfaxium revocentur in Angliam, Scotis jam teſtatis ſcripto publico, ſe adverſus eundem illicò adventuros. Id ſi contingat, quanta nam adhuc Inſulanos illos manet internecio. Quod de Finalii obſidione, aliiſque ad Italiam attinentibus memorant, pernoſſe ipſe melius potes. Vale, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Non. Septemb. M DC. XLVII.

E I D E M.

PAucula ſcribo ob parvulam, quæ reſidua eſt, ad ſcribendum moram. Pluſcula, Deo bene volente, hebdomade proxima, quam ruri ideò deſtinavi, ut aſſueſiam aëri, qui a menſibus uſque ſexdecim vix ultra Eccleſiam ſum quidquam progreſſus. De rebus novis, Aula perendie Fontem Bellaqueum eſt diſceſſura. Flandrico noſtro exercitui accreſcere vireis in dies dicuntur. Diſtribuere hoſtes peditatum in Arcium, Urbiumque præſidia. Turennius obſidet Harlonem; Sveci levem neſcio quam cladem accepere a Verthio. Farfaxius in ſua illa rerum novarum molitione perſtat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, Eid. Septemb. M DC. XLVII.

E I D E M.

ARripiebam jam calamum, ut pauca ad te ſcriberem, cum litteræ binæ abs te redditæ; alteræ poſtridie Calendas, alteræ quinto Eidus datæ. Significabas prioribus, te niſi menſe inſequente non profecturum Maſſiliam; at ſignificas poſterioribus eò te evocari maturius. Conjector, fore ut eòdem redeas, poſtquam Aquas-Sextias te receperis. Utinam ubicumque fueris, & quocumque conceſſeris, ſervet te Deus incolumem, tuaque conſilia fortunet. Scribo hæc non rure, ut ſperaveram, ſed ex ipſa Urbe, propter levem febriculam, quæ me, cum jam pæne in procinctu forem, invaſit. Cum ſim verò, Deo propitio, ab illa jam liber, ac ſuperſit ſolum, quæ recruduit tuſſicula, ſpero intra biduum, triduumve quod deſtinaram exequi, ut ſit mihi quaſi virium tentamentum, præexercitamentumque in longiorem viam. Quintus hic eſt dies, ex quo diſceſſit Aula Fontem Bellaqueum; niſi quod Dux Andium in Urbe remanſit. Nihil audio novi ex Flandria. Suſpecta ſit Bavari fides. Koniſmarkius dicitur brevi ad Urangelum profecturus; idque duobus hominum millibus, qui a Turennio defecera, receptis. Monaſterii negotium de pace cum Hiſpano ſic inſtauratum, ut brevi pervidendum ſit, quid ſperare ex illo liceat. Illinc non procul Padeborna obſeſſa ab Haſſiacis. Angliæ Parlamentum non alias, quam veteres Regi conditiones obtulit; quo conſilio dies docebit. Quas Aquis Sextiis litteras habeo, triſte nuntiant funus optimi illius, & antiquiſſimi amicorum Joſephi Galterii, Prioris Valletæ, quicum mihi videor animæ dimidium meæ amiſiſſe. Utinam valeat aliquando perſpectum Mundo facere, quam illum ſapientem, quam bonum, quam mei amantem tot haſtenus annos licuit experiri. Tu, o Principum optime, & vive in annos Neſtoreos, & vale. Pariſiis, XII. Calendas Octob. M. DC. XLVII.

E I D E M.

QUid animi ſubeſſe mihi exiſtimes, optime Princeps, cum tanta pridem reditus mei, & concepta, & facta ſpe, ſignificare tamen jam cogor quid de me amici Medici cenſuerint. Nempe apud me ultrò convenerunt, ut exprobrarent quam dixerunt nimiam diſcedendi pruriginem; ac tantopere exaggerarunt, quod mihi vitæ diſcrimen ſubeſt, niſi vacillante adhuc ſanitate memet per Autumnum contineam, a quo cavendum præſertim eſt, ut manus pæne dederim reſiſtendi heic adhuc in pauculos menſeis. Ac illi quidem probe conſcii teneri me potiſſimum tui reviſendi deſiderio, volebant ad te valetudinis meæ ſtatum, ac rationes ejus, quas in me ſunt uſi dehortationis perſcribere. Volebat & optimus Abbas teſtem ſe illis adhibere, veritus quippe, ne non ſatis, quo habitu ſim tibi manifeſtem; ſed abnui ipſe, ſecuros jubens, re mihi ſatis fidere; neque enim hærere quin quamprimum mihi ad te ire incolumi licebit, alacer concedam. Sic verò fiet, & brevi quidem, quantum ſpero, optime Princeps, quando me ſic habere ſentio, ut pergendo me domi continere, rationemque victus ſuſceptam tueri, valeam, Deo bene propitio, tum Autumnum hunc abſque ullo gravi ſymptomate tranſigere; tum ſub ipſum Veris initium proſpere valeris te convenire. Ipſe interim quam proſpertime, o meum dulce decus, vale. Pariſiis, V. Cal. Octob. M. DC. XLVII.

E I D E M.

RUre advenio, optime Princeps, & Sucio quidem, quod prope Groboſium. Degi illeic toto quatriduo, niſi quod nudiuſtertius invitante ſerenitate, qua & prius carueramus, & deinceps caruimus, ivi tantiſper exſpatiatum in præclaris illis tuis ambulacris. Dum currus conſcendo, en mihi redduntur humaniſſimæ abs te litteræ octavo Calendas Aquis-Sextiis datæ. Pergit ſemper bonitas tua valetudinis meæ curam, quam non promereor, gerere; ipſa verò tametſi nondum reſtituta penitus eſt, videtur ſemper nihilominus, quantum quidem ſentio, progredi in melius. Aut nihil certe, aut parum eſt, quod experior incommodi ex hacce brevi ruſticatione. Quare neque hæreo, quin Θεῶ διδόντος, ſic poſſim ad te denique Vere ineunte diſcedere, ut ſim non jam ægrotabundus, ſed perfecte ſanus ad te acceſſurus. Quantum doleam te carituram ſuaviſſima illa Campinii, quem toties Achaten dixiſti, conſuetudine, conjicere ipſe quam-optime potes. Eſt etiam, quod doleam, & mihi, & univerſæ Provinciæ; verum id, quod avertere non licet, leviter ferendum. Rerum novarum nihil accipio præter vulneratum Gaſſionem in obſidione Lentii. Sunt, qui etiam mortuum ex vulnere dicant; confracta nempe cranii portione; ſed res non plane aſſeritur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, IV. Non. Octob. M. DC. XLVII.

EIDEM.

E I D E M.

INaudieram jam variolarum morbum iſthic magnopere graſſari; quare pro tua fuit providentia, ut luſana Illuſtriſſima degeret procul a contagio. Servet illam tibi incolumem Deus, faciatque, ut florentes videas, de quibus potes dicere: *Debes mihi nata nepotes*. Rumor fuerat Aulam brevi redituram; ſed jam conſtituta in unam, alteram-ve hebdomadem perhibetur. Mandatum dicitur Turennio, ut in Germaniam redeat, iterum cum Svecis vires collaturus. Quippe jam demum Bavarus ita fœdus initum fregit, ut pars exercitus illius acceſſerit ad Cæſarem, pars conceſsam Svecia Memningam obſideat. Et conteſtatur ille quidem ſe pactis conventis cum Svecis duntaxat non ſtare; velle autem manere fide cum Chriſtianiſſimo Rege illibata; ſed mere nimirum dat verba, quaſi debeat Rex interim Confœderatos deſerere, expectareque, donec iis fractis, arma in nos deinceps vertantur. Ceterum hocce fœdifragio pacis negotium pervertitur; quatenus, ut audio, periculum eſt, ne Comitia brevi diſsolutum eant. Scilicet non modo Cæſarei, ſed Hiſpani etiam Miniſtri novos reſumunt animos; & recuſatis, quæ prius fuerant admiſsæ, conditionibus, facta omnia eſse infecta inſinuant. Neſcio tamen ecquidnam adhuc ſpondere certo ſibi poſſint, ſi verum ſit, quod ſcribitur, Koniſmarkium ita fregiſse Lamboyanum exercitum, ut acceſsurus Urangelo, ſit adhuc non parum negotii facturus. Ex Flandria a recepto Lentio, & mortuo Gaſſione nihil habetur novi. Nam de Dixmudæ quidem obſidione dicitur in Aula non magnopere laborari. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, v. Eidus Octob. M.DC.XLVII.

E I D E M.

QUam es ſemper ſimilis tui, dum ſic pergis amare me, ac meæ valetudinis plenam tanti affectus rationem habere! Ego verò optime Princeps, leve ſemper ſpero de me, ac tanto magis, quanto iſthæc tempeſtatum mutatio, nihil mihi, quod ſentiam, infert detrimenti. Exinde certe auguror fore, ut, Deo bene propitio, hyemem illæſus ſuperem, ac ſimul ſuperſtites omnes morbi importuni reliquias deponam. Id interim tempus vel ea de cauſa peralacriter tranſigam, quod ſim, te volente, hanc nexurus motam. Speratus Aulæ reditus proxima luce fuerat; ſed is eſt dilatus in biduum, triduum-ve. Debet quidem Dixmuda jam aut occupata ab hoſtibus, aut ab obſidione eſſe libera; ſed res tamen nondum, quod norim innotuit. Qui rumor jam ante de commiſſo in Bohemia prælio percrebuerat, compertus eſt vanus. Koniſmarkius quoque nondum eò diſceſſit, verum hæret adhuc cum Haſſiacis, quouſque Lamboyus fame preſſus deſerat ſtationem. Ajunt Londinenſem Majorem conjectum fuiſſe in carcerem, adduntque conditionum Regi mox offerendarum has eſſe præcipuas, ut contentus deinceps ſit Regiorum fundorum proventu; ut abolendo penitus Epiſcopatui conſentiat, ut quoſcumque habuit Sectatores partium, Parlamenti arbitrio permittat. Quò evaſerit ſub Condæo tuo Agerenſis obſidio; quò Cremonenſis ſub Mutinæ Duce, & quidquid præterea in Italia moveri pergit, tu melius noſti. Quod ſcribis de inſigni ſtrage, quam paſſa claſſis Hiſpanica tempeſtatum ſævitia eſt, id videri poteſt divinitus factum; ac ſi præſertim illi fuit, qui a te præſumitur ſcopus. Licet hoc ſane ſuave habere,

> *Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas,*
> *Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave 'ſt.*

Eſto proinde ſemper felix, ac ſemper, o Principum decus, bene, imò optime vale. Pariſiis, XV. Calend. Novemb. M.DC.XLVII.

E I D E M.

NOn obſtitiſſe venæ ſectionem, quominus ad me dextra ſcriberes, amoris tui ſingularis, quo dignaris me proſequi. Summe verò interim delectat, fuiſſe id prophylacticum, non therapeuticum remedium. Si valeas modo, bene eſt; ego licet non multò melius, pejus ſaltem haud quaquam habeo. Quod lætaris me Groboſianis tuis ambulacris delectatum, cogites velim delectationem uberiorem factam ex ſpe præconcepta, quod aliquando, σὺν Θεῷ, forem ea tecum emenſurus. Acceperamus jam, quod perſcribis de Aquenſi Archiepiſcopo in Purpuratorum Collegium adſcripto. Inaudio verò præterea Pontificem Summum ſcripſiſſe ad Regem, exoptare ſe, ne ille a ſuo latere diſcedat. Recepta ab hoſtibus Dixmuda, perhibent Cortracum minus ab iiſdem obſeſſum. Remiſſæ ad Turennium ſunt, quas commodarat copias. Ille verò repetens Rhenum, creditur in tranſcurſu recepturus Wormaciam, ſi verum ſit, quod memorant, eam ab Hiſpanis occupatam. Creditur & non procul deinceps abſuturus Moguntia, donec in locum demortui novus Archiepiſcopus ſufficiatur. Ceteræ in Germania res, ac etiam in Anglia haud admodum ſecus. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, VIII. Calend. Novemb. M.DC.XLVII.

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro D. Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Paleopoleos Scabino

PETRUS GASSENDUS S.

ACcepi nunc demum, Clariſſime Heveli, quem faſciculum exemplarium nobiliſſimi Operis tranſdere ad me tuis cum litteris ab Eidibus uſque Juliis es dignatus. Reddidi ſtatim ſuum cuique, Merſenno primum, tum Robervallio, poſtea Bullialdo [ad nos nunc demum reduci] ac mihi id habui, quod voluiſti meum, & pro quo tibi gratias refero quam-maximas poſſum. Id compactori traditum ſtatim, ac mihi redditum fuit, adfuere Amici, qui ipſum avide legendum abſportaverint, ipſeque vix potui ex eo quidquam curſim perſtringere, ut donec in manus rediturum foret, ſignificare tibi poſſem non fuiſſe mihi plane inviſum. Itaque quantum quidem licuit percurrendo cognoſcere, dignum profectò viſum eſt opus, quod in ſeros poſteros tranſeat, nominique tuo, donec perennabit bonarum rerum ſtudium, afferat immortalitatem. Quam in eo mei mentionem dignatus es facere, grato, ut par eſt, habeo animo, ac tanquam ſingularis tui erga me affectus argumentum complector.

plector. Obſervationem tranſitus Lunæ prope Jovem die ſexta Junii abs te peractam, quam ari incliſſam mittere te ſcribis, nuſquam reperi in faſciculo; verum poterit alia occaſione, niſi incommodum ſit, tranſmitti. Delectavit interea pervidere aliam in librum inſertam diei Aprilis 12. quippe ipſe quoque eandem heic peregi; ſed Phaſi plane alia, quoniam, cum tibi Juppiter tocit ſex minutis a cuſpide Lunæ ad Boream adſuerit, mihi in ipſamet cuſpide dimidio ſui diſculi ſuper-extitit; dimidio delituit. Fuit Arcturus id temporis altus gr. 49. exhibuitque adeò horam 10. cum min. 4. Præterea autem dum plane emerſit, tantum a cuſpide eum adſuiſſe, quantus dodrans eſt longitudinis vocatæ mihi maculæ Caſpiæ, quam tu Mœotidem dicere maluiſti; & Arcturo quidem alto 49. gr. min. 50. ſeu hor. 10. min. 9. cum dimid. quid circa Lunæ Parallaxin, ac Meridianorum differentiam colligi hinc poſſit, pernoſſe eſt promptum. Cum primum Bullialdus ſuas ſarcinas explicuerit, tum ad te ſcribet, tum ſi quid fuit cœlitus venatus, tecum communicabit. Ego ex ipſo nihil aliud habeo, quam obſervatam Smyrnæ Eclipſin Lunæ nuperam, hoc eſt, Initium hora 9. min 55. finem hora 12. minut. 7. itemque Jovis occultationem conſequenter cœptam hora 16. min. 37. finitam hora 17. min 10. Aliquid forte ad præciſionem deeſt; ſed rem per otium cum eo expendam, præſertim verò, ſi faxit Deus, ut quam mihi videor valetudinem recuperare, conſtanti eat pede. Proxima occaſione Merſennus, & ego contexemus faſciculum rerum ad te tranſmittendarum. Reſaluto millies clariſſimum Eichſtadium. Tu me ſemper ama, ac optime vale. Pariſiis VIII. Calend. Novemb. M. DC. XLVII.

Admodum Reverendo, & clariſſimo, cariſſimoque Viro D. Godefrido Wendelino Condatenſi Canonico, Paſtori Hercano

PETRUS GASSENDUS S.

HAud male ſane es ominatus, Wendeline cariſſime, gaviſurum me, quod dolueris tantum. Ecquid enim, putas, eſſe mihi poteſt, quam te valere, jucundius? ecquid acceptius, quam noſſe te, pertoleratis his caſibus, ſoſpitem adhuc ſupereſſe? Ipſe, tametſi infirma ſemper valetudine diem traho, videor tamen, Deo propitio, aliquanto melius habere; ſpeſque adeo non parva eſt, ut demum plane convaleſcam. Hoc ipſum repono, ut ſit, quod gaudere viciſſim valeas; tametſi aliunde ſubiicio, quod uterque jure doleamus. Scilicet obitum renuncio amiciſſimi capitis, optimi puta illius Galterii, Prioris Valletæ, quem uterque colaimus; qui, ut me ſemper impenſe amavit, ſic te & ſuſpexit, & amavit ſane quam multum. O qualem Virum! Deum immortalem! Sed te coram nihil eſt opus de ingenii acumine, de judicii maturitate, de animi celſitudine, de morum candore, de cæteris eximiis dotibus verba facere; quando is fuit tibi abunde perſpectus. Abiit e vivis ὁ μακαρίτης, prope octogenarius, Nonis Septembris nuperis; corpore quidem valde afflictato, ſed vegeta mente, & conſtantia ſumma. Rediit ſoſpes noſter Bullialdus diebus proxime elapſis Byzantio. Narrat verò ſeſe captandæ ea in urbe Poli altitudini deſtitutum fuiſſe organo idoneo; ſed fando tamen a quodam Patre Societatis Jeſu accepiſſe, fuiſſe eam obſervatam graduum 41 cum ſemiſſe. Ad Eclipſin quod attinet, obſervavit illam cum Joanne Fabro Maſſilienſi (cui ligneus quadrans aderat) Smyrnæ, cujus loci ἔξαρμα ex meridianis Solis per Januarium menſem altitudinibus grad. 38. min. 11. obtinuerat; tametſi jam referet ſex ex ſolſtitiali altitudine eam deprehendiſſe grad. 37. min. 45. Contigit ergo illis initium Regulo jam alto 35. grad. 10. min. ſeu hora 9. min. 55. finis eodem alto 58. grad. min. 40. ſeu hora 12. min. aut 7. aut 9. Attendere porrò illi quoque ad occultationem Jovis, adnotaruntque ſubiiſſe eum Lunam alto Procyone grad. 9. min. 45. ſeu hora 16. min. 37. dimiſiſſe Capellâ altâ 5. grad. min. 50. ſeu [correcta refractione] hora 17 min. 10. tametſi Capellam in tam declivi ſitu adhibere haud valde tutam. Addo eundem Fabrum, referente Bullialdo, obſervaſſe finem Lunaris Eclipſeos, quæ anno ſuperiore die 27. Julii contigit; quamque nos occidentaliores non potuimus conſpicere, obſervaſſe, inquam, ibidem [& horologio quidem ad Solem compoſito] hora 8. min. 30. Quod doles autem nuperam nuſquam fuiſſe, quod innotuerit, obſervatam in Belgio, ecce eam Dantiſci obſervavit præclarus Hevelius, adnotato initio hora 9. min. 19. fine hora 11. min. 28. De occultatione Jovis per illam noctem nihil habet, ſed viciſſim prodit a ſe obſervatam emerſionem Jovis e limbo Lunæ occiduo die menſis Decembris ſuperioris anni 14. hora 8. min. 39. cum aliunde immerſio fuerit a Linemano obſervata Regiomonti, hora 7. min. 53. Quoniam verò Hevelius in ſua illa, quæ nuper prodiit e typis, *Selenographia* delineavit tranſitum Lunæ prope Sydus Jovis ad diem ſuperioris Aprilis 12. retulitque in proximo tranſcurſu diſtitiſſe Jovem a Borea Lunæ cuſpide min. 6. idque, cum foret hora 11. min. 15. ideo attexo non fuiſſe mihi hunc tranſitum inobſervatum. Verum [quæ tum fuit inſignis ob diverſitatem locorum Lunæ parallaxis] ſalutavit mihi Juppiter ipſo ſui centro ipſam met Lunæ cuſpidem; quippe diſculi dimidio occultus, dimidio ſuperextans fuit margini Lunæ ſuperiori, pulcherrimo ſpectaculo. Fuit autem in cuſpide ipſa hora 14. min. 4. Emerſit integer e limbo hora 10. min 9. cum dimidio. Gratias ago pro indicato nomine *Joannis de Lineriis*, qualem Aſtronomum Pariſiis ante annos trecentos floruiſſe incompertum habueram. Rem communicabo proxima occaſione cum ipſo Bullialdo, cui, ceteriſque etiam amicis, quod hactenus non præſtiti, ſalutem tuo nomine dicam. Dabo operam, ut quam primum exemplum aliquot nugarum, quæ nuper ex me prodierunt, accipias. Tu interim, ô carum caput, & diu vive, & bene vale. Pariſiis Calend. Novemb. M. DC. XLVII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NOn vacat quidem ſcribere multa, & tarde præſertim redeunti ex divinis officiis; verum committere non poſſum, quin teſter ſaltem me ſuſpexiſſe egregium ratiocinium, quo familiaris rei curam non eſſe abiiciendam probas.

Nam

Digitized by Google

Nam niſi præſcinderes quidem tum πλεονεξίαν, cui nullus præſcriptus eſt modus, tum μικροψυχίαν, rem adeo alienam a virtute heroica, hærere aqua, quod ajunt, poſſet; ſed hac cautione adhibita, nihil poteſt ut fieri, ſic dici ſapientius. Nimirum cum ſapientiæ ſit proventibus impenſas metiri, ne aut præ nimia parcitate quid illiberale geratur; aut præ nimia profuſione neceſſitas fiat emendicandi; contrahendi alienum æs; fallendi fidem; rapiendi non ſuum; & quæ id genus ſimilia ſunt; quonam modo poteſt dimenſio hæc fieri, diſpenſatioque rite inſtitui, niſi res ſuas quis noverit, ac ſuis etiam œconomis, ne licere ſibi nimium reputent, ſe eas noſſe ferent fidem? Non eſt Cortercacum obſeſſum. Perveuit Turennius, ut ajunt, Moguntiam. Memninga fortiter reſiſtit. Bavarus ait ſe eo fine fœdus fregiſſe, ut pacem promoveat. Dicuntur ejus copiæ cum Cæſareis nuſquam coiiſſe. Angli in eo pæne ſunt, ut res & Civileis, & Eccleſiaſticas Hollandorum ritu componant. Quid in Catalonia, quid in Italia geratur, ipſe melius noſti. Vale, Principum optime, ò dulce meum decus, ac præſidium, vale. Pariſiis Calendas Novemb. M.DC.XLVII.

E I D E M.

HOc ſatis novi, optime Princeps, non quærere te quæ ſunt tua. Utinam in quos, & in quorum gratiam operam impendis, id ſatis agnoſcant. Quod de valetudine mea continenter adeo ſollicitus es, ex nimio illo amore eſt, quo me immerentem beare dignaris. Ea tentata potius, quam labefactata diebus hiſce nuperis fuit. Nam quæ me quidem ſebricula per unum diem ſolidum habuit, tuſſim non-nihil inſtauravit; at non ea exaſperatione, Deo bene propitio, qua conſueverat. Si faxit Deus, ne ruens Autumnus nihil amplius noxæ inducat, eſſe videtur, cur de me mihi ominer, ſpondeamque non male. Ut illi tamen, in cujus manibus ſortes meæ ſunt, videbitur, fiat. Ex rebus novis nihil æque auditur, ac illa in dies pejora, quæ patrantur Neapoli ab ipſo uſque Joannis Auſtriaci appulſu; verum debes ipſe, ut prius, ita plenius illa pernoſſe. In Germania acceſſere tandem Bavaricæ copiæ ad Cæſareas, quæ & jam inſectari Svecicas dicuntur. Ut oppugnari, ſic propugnari generoſe Memningam ferunt; adduntque Turennium obſeſſis eas miſiſſe ſuppetias, quæ poſſint hoſteis ad ſolvendum obſidionem compellere. Ex Flandria nihil habetur novi; nihil etiam ex Anglia accipio, ſaltem quod valde ratum ſit. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Eid. Novemb. M.DC.XLVII.

E I D E M.

NUllas hac vice litteras ex Provincia accepimus; ſcilicet debent ſeu Druencia, ſeu flumina alia nimium exundaſſe. Si valeas modo, bene eſt; ego quidem melius, quam nuper nunc valeo. Laborat jam Rex Chriſtianiſſimus variolarum morbo; prodeunt tamen feliciter, ac propemodum ſine ſebri exanthemata a die ſuperiore. Videntur hoſtes iteratò velle eminus Cortereacum obſidere. Cepit Tureunius Falkeſtemium, expectatque adhuc, quò Haſſiacorum, Svecorumque negotia vocent. Diſceſſere a Lamboyo, qui in anguſtiis eum continebant; Urangelus autem quaſi a Cæſareis, Bavariſque, trajecturus mox dicitur Viſurgin. Propugnatur ſemper fortiter Memninga, obſeſſique nullas conditiones audiunt. Anglicæ res ſemper confuſæ. Quid egerit nuper Condæus, & an ſe viæ commiſerit, latere te minime poteſt. Magnæ expectationis eſt, quid vecturus ſit dies craſtinus de Neapolitanorum rebus. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XVIII. Calendas Decemb. M.DC.XLVII.

E I D E M.

OB eam, quam nuper ſignificavi Veredarii retardationem, binas jam abs te habeo litteras; alteras Nonis ipſiſmet, alteras pridie Eidus datas. Pietate ſane tua eſt dignum, quod occaſione inſtitutæ Mortuorum commemorationi, de animabus, quæ a funere purgari debeant, ediſſeris; mirumque eſt Heterodoxis placitum abnuere, cujus fidem adſtruat non Sacer modo Codex, cum eo, quem inſinuas, tum aliis etiam nonnullis locis, ſed ipſum quoque naturæ lumen, quod ſequuti Ethnici, ac in iis quique Sapientiores, ut Pythagoras, Plato, alii hujuſcemodi purgationis neceſſitatem agnoverunt. Rex dicitur hodie præclare pro conditione morbi ſe habere; tametſi non ſeſe perinde die ſuperiore habuerit. Ajunt Condæum ſuiſſe Divione hac ipſa die diſceſſurum, & huc acceſſurum perendie. Eques Guiſius eſt in procinctu, ut ad fratrem Ducem diſcedat, ex quo accepit Neapolitanos delegiſſe illum in Imperatorum. Apparet jam paulò inconfuſius, quò videantur denique res ejus Regionis evaſuræ. De rebus Angliæ tale nihil, ex quo Legionum aliquot a Farſaxio facta receſſio. In Germania eſt, cur Land-gravia ſuæ deditioni timeat; utpote cui dicatur Cæſar cum Equitum quindecim, & Peditum novem millibus inſtare. Videor mihi, Θεῷ διδόντος, non multo quidem melius, ſed aliquanto tamen melius, quam ante octiduum valere. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, quam-optime vale. Pariſiis X. Cal. Decemb. M.DC.XLVII.

E I D E M.

OPortet jam, quantum coniicio, cepta eſſe Comitia eo in oppido, quod obtinuit ut faceret nomen *Civitatum* ſuum. Commendat locum Apiana vitis, e qua expreſſum vinum ejuſmodi eſt, ut ex quo in hac urbe præſertim innotuit, & Frontinianum, & Hiſpanienſe, & cetera ante deprædicata obſcurarit; verum celebriorem jam facient, quæ in eo calata Comitia, & te quidem potiſſimum præſente, haberi voluiſti. Ea ut tibi pro votis cedant, ac ut deinceps tibi ſit proſper in urbem reditus, voveo. Habet ſe jam Rex, Deo propitio, melius, dieſque tertius elapſus eſt, ex quo evaſiſſe dicitur diſcrimen. Acceſſit in urbem nudius-quartus Condæus tuus incolumis. Acceſſit etiam Belleuræus ex Anglia, ubi ſunt res ſemper haud-ſecus turbatæ. Imminui ferunt in dies hoſtium apud Flandros exercitum; ac Neapolitanis præſertim deſciſcentibus, ex quo celebrem ſuæ nationis defectionem acceperunt. Quin in ea geratur ipſe melius noſti; neque ignoras, quod litterarum ad ipſum Summum Pontificem ab ea datarum ſit argumentum. Ad Germaniam quod attinet, Herbipolenſis Epiſcopus in Archiepiſcopum Moguntinum pro Regis votis electus eſt, ac diſceſſit

ſtatim Turennius Memningam, cujus tamen obſidionem fatigatus a præſidio Bavarus dicitur ſolviſſe. Ajunt Koniſmarkium, & Urangelum ſic contuliſſe copias, ut obſtent, ne Lamboyus ſuas conſerat cum Cæſareis. Scribunt Monaſterio Miniſtros Cæſareos conditionibus pacis ſubſcripſiſſe. Valeo nunc paulò, Deo adſpirante, melius. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Cal. Decemb. M DC. XLVII.

E I D E M.

ACcepi quas dignatus es *Civitate* litteras dare. Faxit Deus, ut quæ te illuc deduxere negotia, tam ſint eventu ſuavia, quam eſt ipſum vinum *Civitatenſe* potatu ſuave. Quod de valetudine mea voves, ejus eſt erga me amoris, quem ſane ut merear longiſſime abſum. Ea porrò, quando es adeo bonus, ut quo ſit ſtatu noſſe delectet, non jam prorſus male, Deo propitio, habet; quippe febricula evanuit, tuſſisque evaſit longe mitigatior. Convaleſcit in dies Rex, ac Regina Parens, quam eodem morbo teneri fuerat creditum, ſic brevi convaluit, ut omneis liberarit metu. Novi nihil accipio ex Flandria. Scribitur ſemper Monaſterio pactas conventas conditiones nos inter, & Cæſareos eſſe; nec deſunt, qui adiiciant etiam Cæſareos inter, & Svecos. Memningam ferunt adhuc obſeſſam; ſed ſtrenue ſemper obluctantem. Non eò profectus Turennius eſt, ſed ad Koniſmarkium, & Urangelum, quos ob collatas in unum vireis, fore perhibent hoſtibus potiores. Pernoſſes aliunde, ut Rex Anglus ſeſe ex Anglia ſubduxerit, ac in Inſulam noſtris oris propinquam ſe receperit, exul vivere, quam captivus præoptans. Inaudivimos quidem Claſſem noſtram Neapolin verſus diſceſſiſſe: verum quo ſucceſſu adhuc incompertum. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis poſtridie Nonas Decemb. M DC. XLVII.

PETRUS GASSENDUS

SAMUELI SORBERIO SUO S.

MIſit nudius-quartus ad me optimus Merſennus tuas litteras IV. Eidus menſis ſuperioris datas. Longum jam tempus eſt, ex quo aliarum quoque debitor ſum; ſed non eſt profectò, quod me ideo habeas minus memorem, veneratum, amantem tui. Inſignis nimirum de tuo erga me amore confidentia eſt, quæ me ſegnem oppido fecit, ne culpæ quidpiam conferam in eam invaletudinem, quæ me a ſeſqui anno, ac amplius jam habet. Quanquam mihi nihil eſt neceſſe excuſationem pertexere, adeo de tua bonitate, benevolentiaque ſecuro. Quod meam illam de trajectione chyli, deque ſanguinis circulatione Diſſertationem gallice redditam, & nomine meo ſuppreſſo, committendam typis cenſuiſti, improbare ſane non poſſum, neque non boni conſulere, cum ipſe ſis, qui feceris. Tibi ſiquidem plenum in me jus, &, ſi quidquam eſt, quod proficiſci abs me poſſit, id totum tui eſt arbitrii. Unum vereor, ne ſcilicet ſi edatur forte aliquando in lucem Tractatus de animalibus, cujus ea Diſputatio pars aliqua eſt, deſumpſiſſe illam fide non bona videar ex alienis operibus, aut fruſtra, ineptèque tentaſſe aliquid novi invehere; tametſi res fuerit meo marte, & fortaſſis non ſine quadam novitatis ſpecie conſcripta. Quippe & iſta edita fuiſſe antecedenter comprobabuntur, & meo nomine tacito, illepidum foret, neque mei genii, aut ipſa mihi vindicare, aut de editis conqueri. Utcunque ſit, ne ideo putes feciſſe te rem mihi parum gratam; tum quod hæc omnia minoris ducam, quam ut debere me de ipſis eſſe admodum ſollicitum putem; tum quod perſuaſiſſimus ſim, cum eſſe tui in me affectum, quo non poſſit eſſe ſincerior; ac te nihil meum attingere, niſi ut mihi, quammaxime abunde potes, gratificeris. Itaque hanc mitte de pectore curam, ac operam ſolum, niſi grave eſt, da, ut quo noſſe valeam quid id rei ſit, illius ad me exemplum tranſdatur. Si iſtheic forte Pratæus eſt [fruſtra nempe volebam nuper cum ſalutari abs me Lugduni] ſalvere illum jube abs me, uti & amicos cæteros, quos eſſe nobis communeis noſti. Tu, mi Sorberi, me amare perge, cui hæres in ipſis medullis, ac vale. Pariſiis Eid. Decemb. M DC. XLVII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

QUam bene noſti hominum mores, dum ſic deſcribis genium iſtorum oppidatim delegatorum, qui ſingillatim quidem adnuunt, ſed univerſim deinceps abnuunt! Non ſane, quod non idem prope ſocietatibus aliis uſuveniat (obiici certe ſpeciatim quoque noſtris, quæ dicuntur Capitulis, ſolet) ſed quod hocce hominum genus τῇ δυσωπίᾳ ſeorſim laboret, ut imbecillitatis conſcium, & turmatim τῇ αὐθαδείᾳ inſoleſcat propemodum, quod ſtipantibus aliis roboretur. Hinc vulgaris facta illa comparatio virgularum complurium, quæ fragiles ſingulæ cum ſint, diffringi congeſtæ in faſcem non poſſunt. Rumor crebreſcens de excepto Neapoli Duce Guiſio utramque heic paginam facit. Tenet interim omnes expectatio eventus prœlii duplicis, alterius pedeſtris inter ipſos Civeis Neapolitanos a Guiſio eductos, & collectam nobilium manum, libero ciborum commeatui obſtantium; alterius navalis noſtram inter Claſſem eò verſum recens provectam, & Hiſpanicam illeic commorantem. Scribunt Memningam denique occupatam a Bavaris; adduntque Haſſiam a Cæſareis maximopere infeſtari. Rex Angliæ ſeſe in Inſulam non oris ſane noſtris vicinam, ſed in nobilem illam Vectam oræ Anglicanæ proximam ſubduxit. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis Eidibus Decembr. M DC. XLVII.

E I D E M.

NEceſſe eſt hic quoque vicc flumina exundaverint, quando Provinciæ Veredarius ὁ γραμματοφόρος nondum huc acceſſit. Tametſi verò nullas proinde iſtheinc habemos litteras, conjicere tamen eſt promptum, & jam perfecta eſſe Comitia, &, niſi in orbem te receperis, proximum eſſe, ut te recipias. Nempe dies ſacri pro foribus ſunt, quibus abeſſe domo non ſoles. Utinam ſoſpes cum ſoſpite Illuſtriſſima Fa-

ma Familia nos ducas. Valeo ipſe jam, Deo propitiò, melius; ſpesque eſt, ut poſſim per eoſdemmet dies ſacrum facere, quod ne facerem, obſtitit per ſeſqui-menſem invaletudo. Res inter novas illud heic eſt, quod ſcriptum eſt Romæ poſtridie Calendas fuiſſe eum diem tertium, quo Summum Pontificem gravis *δυσουρία* cum febre vexaret. Sunt qui addant Guiſium inſignem victoriam ex Nobilibus Neapolitanis retuliſſe. Monaſterienſes litteræ pridie Eidus datæ perferunt, recuſare Hiſpanos pactis conventis ſubſcribere, niſi Rex ſuſceptæ Neapolitanorum tutelæ renunciet. An verò contingere id poſſit reputandum eſt? Conceſſit Haliprunum Turennius, ejusque Nepos Doraſius Regis nomine miſſus eſt, qui bellum Bavaro indicat. Pars Cæſareorum Haſſia exceſſit, pars illam adhuc occupat, idque non valde procul Caſellis. Dicuntur tamen minui, & Sveci contra increſcere, dum ſe ad hyemandum in Brunſuicenſi Regione parant. Degit ſemper (niſi enectur potius) in eadem Inſula Angliæ Rex; ac mitiores nihilo ſunt, quæ ipſi offeruntur pacis conditiones. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIII. Calendas Jan. M.DC.XLVII.

Hæc abſolvebam, cum allatæ ad me litteræ quædam ſunt, quæ appulſiſſe huc denique veredarium fecerint fidem.

E I D E M.

RErum novarum quod hac vice abs me expectes nihil eſt; quippe litteras nullas habeo, niſi a quibuſdam eruditis, quibuſcum ſoleo, ut in Republica ab hiſce mundanis aliena, verſari. Ee me amici quidem nonnulli per iſthæc feſta inviſerunt, quibus curæ eſt, quid obivis gentium geratur rerum non ignorare; at ipſi tamen profeſſi ſunt, nihil ſibi præter pauca de rebus Neapolitanis eſſe perſpectum. Verum debes ipſe profecto ea noſſe, veluti fuiſſe, auſpice Guiſio, educta ex urbe viginti quatuor Civium millia, qui tripartitò progreſſi, triplicia Nobilium præſidia ſic everterint, ut liber omnino jam ſit ciborum in urbem commeatus; itemque quaſdam urbis regiones fuiſſe a Civibus receptas, quod Hiſpanica Claſſis, noſtræ metu, præſidii partem inde evocaſſet; ac rurſus Archiepiſcopum, Cardinalemque Philomarium fuiſſe ab Hiſpano reum Majeſtatis conclamatum; univerſamque ejus familiam municipii jure privatam, quod inviſentem ſe Ducem Guiſium, & admiſerit, & reviſerit ipſe. Inſuper eoſdem Neapolitanos minas Genuenſibus intentare, quod adverſum ſe, Hiſpanis faventes ſeſe gerant pro hoſtibus; & quæ ſunt id genus ſimilia. An enarrabo inſigne furtum in Lucceburgenſi Palatio per ipſa nocturna Nataliriorum Sacra patratum? Diverſabatur ecce in Villa Rivierius Abbas, cum ingreſſi fures in illius cubiculum, quod ipſi Heroinæ cubiculo imminet, ſingularem famulum id aſſervantem trucidarunt, fruſtularimque in ipſam ſeceſſus foveam dejecerunt; & quatuor *philippeorum duplorum*, ſeu *piſtollarum* millia, effractâ arcâ, abſportarunt. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VI. Calendas Januar. M.DC.XLVII.

E. I. D E M.

FUere ad me heſterna luce geminæ allatæ abs te litteræ; alteræ quidem *Civitati*, alteræ verò Aquis-Sextiis datæ. Cum condoluerim propter priores, quod illis Comitiorum turbis ſucceſſuras alias in ipſa urbe præſenſeris; conſolationi tamen fuit, quod negotiorum difficultates, quæ es ſolertia proſpiciens, ſic te ad illas compares, ut ſapientis, bonique Viri officium nunquam deſeras; & tum in mediis eorum procellis pacatum animum tuearis, tum ob infelicem ſucceſſum pœnitentia non diſcrucieris; quatenus agnoſcis, nihil fuiſſe contra prudentiæ leges peccatum, & non fuiſſe tui arbitrii fortunam, quam plerumque humanæ res, potiuſquam ſapientiam ſequuntur. Cum etiam propter poſteriores, quod abs te diſcedens optimus Campinius tantum tibi ſui deſiderium reliquerit, id mihi quoque ſolatio fuit, quod agnoſcens eſſe non poſſe illius præſentiam perpetuam, præoccuparis animo ferendam leniter abſentiam; ac repuraris virum ſapientem maxime quidem amicorum conſuetudine delectari; verum, ut poſſunt intervenire, qui eam interturbent caſus varii, ſic debere illum ſemper in ſeipſo reponere ſpem maximam ſui. Quid itaque majus novo hocce anno vovere tibi valeam, quam ut hoc ſemper animo ſis, ac ſimul bene valeas, quando ex antiquo ſenario:

Ὑγίεα, ϗ νῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.

Sunt ſanitas, & mens gemina vitæ bona.

De rebus novis, verſari adhuc ajunt in Alſatia Turennium, ac Briſaco brevi trajecturum Rhenum. Pars Cæſareorum ſe ad habendum hyberna in Franconia parat; pars in Haſſia adhuc graſſatur, & Marpurgo capto, arcem obſidet. Sveci ſemper ultra Viſurgim, ac in Brunſuicenſi ditione præſertim Equitatum reficiunt. De pace nihil ſani renunciant. Anglicæ res ſemper turbatæ. Ea a Parlamento exercitus petit, ex quibus meditari diſceſſionem exiſtimetur. Oblatis conditionibus detrectat Rex ſubſcribere, niſi quibus rerum ſumma componatur. Tu, ò Principum optime, hoc anno, Neſtoreosque porrò & vive, & vale. Pariſiis III. Non. Januarii M.DC.XLVIII.

E I D E M.

ITa eſt ſane, optime Princeps, ea conditione naſcimur, ut confecto hoc brevi quaſi curriculo denaſcamur. Quin-etiam eo ipſo momento, quo vivere aggredimur, mori quoque incipimus (quando incipimus parte quadam conceſſæ nobis vitæ privari, & vitæ privatio mors eſt) adeo ut, quæ vulgo appellatur mors, non tam ſola ſit, quam extrema dicenda. Non luſere proinde nos, qui nos dixere naſcenteis mori, pendere ab origine finem, ac illum ipſum, qui primus datur vitæ dies, dare extremum. Inſigne interim diſcrimen inter extremum hunc vitæ diem, & anni extremum, qualis ille fuit, quo dignatus es ſcribere. Quippe nobis quidem dat primus extremum; verum ipſis annis extremus dat primum; egregieque Ægyptii illud ſerpente, qui in caput caudam inſerat, adumbrarunt. Quare neque nos etiam luſit, qui cauſatus eſt poſſe Soleis ita occidere, ut redeant; nobis cum lux brevis ſemel occidit, unam eſſe noctem perpetuam dormiendam. Tibi certe non infrequens in ore eſſe memini illud:

Nos ubi decidimus,

Quo pius Æneas, quo Tullus dives, & Ancus.
Et:
Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria.
Verum ab hiſce temperandum, ne velle videar lucernula Solem facere illuſtriorem. Ad res novas quod attinet, nibil aſt, quod dicere jam poſſim. Angliæ res haud-ſecus quam prius. Germanicæ nondum emendatæ. Hollandi in procinctu, ut pacem cum Hiſpano ratam declarent. Longavillæ, ne Monaſterio diſcedat, redeat-ve mandatum. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Eid. Jan. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

VErendum prorſus, optime Princeps, ne quod augurâris eveniat; ut nempe hocce adhuc anno bella in Chriſtiano Orbe recrudeſcant. En quippe Cæſar, ac Bavarus proſperioribus paulò rebus non jam perinde pacem reclamant; & Hiſpanus in Cæſaris fortunam faciens ancoram, ac emergere non deſperans, illi ſanciendæ moras trahit. Quare eventurum omnino videtur, ut & tota Germania, & quidquid ditionis Hiſpanicæ eſt proxima Æſtate armis perſtrepat; cum & aliunde in eo ſint Angli, ut videri poſſint ſe ſuis diſcerpturi unguibus, & Veneti eſſe videantur in eo, ut ab extraneis ſint lacerandi. Ecquid nobis in iſta rerum perturbatione aliud ſuperſit, quam ut divinum precemur Numen, ne ea, quæ pro furibus ſunt, contingere mala patiatur, ac tot miſeratus inſonteis, illis etiam ignoſcere, qui ſunt tantæ noxæ auctores, dignetur. Abunde pernoſſe haud dubie ex aliorum litteris, ſediſſe in Senatu ſacram Majeſtatem nudius-tertius pro Tribunali; juſſiſſeque cetera inter referri in Acta Diploma, quo Libellorum Supplicum Magiſtros duodecim conſcripſit. Qui ex hoc ordine jam ſunt, quod naſcio quid non ſatis gratum ipſi Principi egerint, evocati luce heſterna in Regiam, tum objurgati ſeverius, tum muniis fuere interdicti. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XVI. Cal. Febr. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

INcrebreſcit quoque heic rumor inſtituendi iſtheic Senatus ſemeſtris. Ac ipſe quidem, ut audio, pro tuo in Provinciam, ejusque Ordines affectu, nihil non præſtitiſti, ut poſſes inſignem adeo innovationem avertere. Verum conſilio quid opus ſit, ubi eſt parere neceſſe? In eo ſemper ſum, ut apprecer tibi feliciora tempora, quibus facere tibi liceat bonitatem explicatiorem. Quod de glorioſo Claſſis noſtræ commemoraſti prœlio, confirmatum illico fuit litteris a Richelio datis, quibus reditum, appulſumque ad Leornem ſignificavit. Scribitur ex Germania, Svecos admodum invaleſcere, ac Turennium brevi ipſis acceſſurum. Excedere proinde non modo ex Haſſia, ſed etiam ex Franconia tam Cæſareos, quam Bavaros; ac illos quidem jam Marpurgenſem, hos verò Norlinguenſem obſidionem ſolviſſe. Inire fœdus Saxonem, Brandemburgicumque, & Danum, ut Lutheraniſmum fartum tectum ſervent, Germaniamque in eum ſtatum, qui fuit anno ſæculi hujus XVI. reſtituant. An Sveci perſentiunt id fœdus reipſa adverſum ſe pangi? An ſerio eſt, quod Bavarus quaſi ex prætextu illius ſibi metuens, Imperatorem urget ad pacem? Hollandi jam ſatis conſtanter nihil ſine nobis obſignaturos conteſtantur; maximeque, ex quo Archidux deſtinavit Gualdriam Lotharingicis copiis in hyberna. Peſſime omnino res Angli ſe habent. Subducti recens ab eo ſunt omnes omnino domeſtici; communita quoque Inſula uberiore præſidio, neque illum emittere, neque admittere ad eum quemquam poteſt; quin-etiam, ex quo quatuor illis inſignibus adeo conditionibus recuſavit ſubſcribere, ſanxit Parlamentum, ne quis quovis modo cum ipſo communicet, neve amplius de componendis cum eo rebus verbum injiciat; ſecus agentem tanquam reum Majeſtatis multatum iri. Inſtaurata mihi cum febricula ab ineunte uſque hebdomade tuſſis, quæ licet adhuc perſeveret, attamen jam pæne abſque febri eſt. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VIII. Calendas Februarii M. DC. XLVIII.

E I D E M.

VErſaris jam, quantum conjicio, inter non parvos inſtituendi Semeſtris Parlamenti æſtus. Qui a Curia huc adventarunt, juſſi dicuntur diſcedere, neque ex Aula quemquam ſalutare. Fortunet Deus Optimus omnia, ac tibi tribuat quam exoptas, quamque mereris tranquillitatem. Quod de Neapolitanorum ominaris rebus, quantæ eſt, amabo, probabilitatis? Nondum profecto res eſt ipſis adverſus Hiſpanos confecta; &, ut confecta concedatur, quantis deinceps factionibus miſera regio turbabitur, priuſquam quietum, conſtantemque aſſequatur ſtatum? Quanquam quid in poſterum ipſis, Hiſpaniſque ſit eventurum, *caliginoſa nocte premit Deus;* ac videtur poſſe duntaxat ſperari, fore, utcumque res ceſſerit, remoram Hiſpanis inſignem, ne adverſum nos grande quidpiam tentent. Ajunt interim illis danno cum Hollandis ſic conveniſſe, ut ſtatuti omnino ſint pactis conventis. Quare & creduntur nobis belli ſtudia in Belgium præſertim deinceps convertenda. Si pergant modo Svecorum res proſpere in Germania geri, ſpes eſt, noſtræ quoque in Belgio proſpere ſuccedant. Evaſi, Deo bene propitio, a febri, ſolaque mihi jam hæret tuſſis. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis pridie Calendas Februarii M. DC. XLVIII.

E I D E M.

LÆtor admodum omnia pacifice adeo in Semeſtris Curiæ inſtitutione ſe habuiſſe, ac es dignatus perſcribere. Id tuæ providentiæ haud-dubie debetur; tametſi non hæreo, quin factum gravamen te graviter affecerit. Sed publica nempe neceſſitas fecit, cui & te, & quorum interfuit, parere conſentaneum fuit. Commendari heic ſaltem debet noſtrorum hominum moderatio, quos nemo ſibi perſuaſerat poſſe tantam hanc ſine gravibus querelis perferre jacturam. Hac in civitate Senatus deliberat adhuc de Edictis, quæ ſedente nuper pro Tribunali Rege juſſa fuere in acta referri. Expectatur adhuc quo ſucceſſu exceptum fuerit Monaſterii, quod Rex ante quindecim dies innoteſcere palam voluit, & Nuncio Pontificio, & Oratori Veneto Hiſpanum eſſe, per quem ſtet, quò minus pax ineatur quam-primum; quatenus ipſe quidem ſtare jam conventis paratus eſt, Hiſpanus autem tergiverſatur, conditioneſque novas apponit, ac potiſſi-

Digitized by Google

potiſſimum circa Lotharingum, cui jam ampliora poſtulat iis, in quæ prius conſenſerat. Anglus paris ſemper infelicitatis. Repoſita ſpes aliqua in Scotis; ſed verendum ſane, ne illi, ſi forte velint, non multum poſſint. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VII. Eid. Februar. M.DC.XLVIII.

E I D E M.

QUam mihi fuit primus litterarum tuarum inamœnus verſiculus, tam profecto fuit ſuccedens amœnus. Scilicet ille temeratam, hic redintegratam valetudinem renunciavit tuam, qua jure mihi carius nihil. Utinam Deus ter-Optimus eam ſartam, tectamque tueatur. Mea, de qua dignaris ſollicitus eſſe, eodem pæne in ſtatu eſt. Hæreſcit videlicet adhuc importuna tuſſicula; tametſi ſpes eſt, ut, Deo propitio, Vere ineunte evaneſcat. Rerum novarum vix quidquam habeo, niſi quod rata habita in ſupremo conſilio eſt ſub initium hebdomadis, quæ fuit iſthic Parlamenti Semeſtris facta inſtitutio. Deliberat adhuc Senatus circa Edicta nupera, ac ſe periode ſemper Magiſtri Libellorum Supplicum habent. Noris jam, opinor, ut Bekus repulſus Cortereaco fuerit, quod mane quopiam invadere ex improviſo attentarit. Diſceſſiſſe Monaſterio Longavillam perhibent, ab uſque die III. Nonas, hanc in urbem ut redeat. Tranſduci ajunt Angliæ Regem ex Inſula Vecta in Lundiam ad oſtia procul Sabrinæ fluvii, ac e regione confinii Cornubiæ, Devoniæque ſitam. Sunt qui addant, ipſum haberi Majeſtatis reum apud Parlamentum, quod diſceptare accuſationem quadripartitam inſtituerit. Tu, ò Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis poſtridie Eidus Februarii M.DC.XLVIII.

E I D E M.

BEne vertit, optime Princeps, quod multa, quæ ſcribam non habeo, quando vix quidquam ad ſcribendum mihi ſupereſt temporis a dictamine quarumdam nugarum, quas excepiſſe auribus amici optimi non contenti, etiam conſcriptas, ut referre domum poſſent, efflagitarunt. Incumbit Senatus iiſdem ſemper ſtudiis, & Aula quidem inſtigante, ut finem tandem faciat. Nondum acceſſit Longavilla, ac Heroina illius uxor dicitur jam ſolum eſſe in procinctu, ut pergat ipſi obviam. Diſceſſurus eſt in Burgundiam Condæus tuus proximis diebus, ut brevi redux ſe ad Flandricam expeditionem comparet; quippe renunciatus Imperator ſummus. Dicuntur Sveci in Germania proſperiore uti fortuna, dum quæ hactenus fuit Anglo adverſa, labitur ſemper in deterius. Unica ſalutis ſpes in Scotis ſita, ſi illi irrumpant, ut ferunt, in Angliam, propter futuram acceſſionem ex univerſo populo, qui & deſiderio Regis teneri, & Parlamento admodum eſſe infenſos creditur. Miſſurum nuper fuit Parlamentum alias neſcio quas conditiones, ac decrevit interea *Presbyterium Eccleſiaſticum regimen*, quod quidam ſic interpretantur; quaſi fucum facere Scotis, ac quodammodo demulcere, velit. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis X. Calend. Mart. M DC. XLVIII.

E I D E M.

NUdius-quartus fuit, cum litteras tuas tertio Eidus datas accepi; & nudius-tertius eum datas poſt octiduum, ſeu decimo tertio Calendas. In utriſque agnoſco, ac ſuſpicio, tum quam ubique ſpiras pietatem, tum quod es ſolitus maturum promere de rebus judicium. Nihil ex Aula, quod ſciam novi; nam illa quidem relaxamenta, quibus ad noctem uſque ſuperiorem indulſit, nec te audire juvat, nec commemorare me decet. Acceſſit primum Longavilla Triam, hoc eſt domum, quam habet ultra Pontiſaram, decimo-quarto abhinc lapide, unde in Urbem demum die ſuperiore adventavit. Perhibent Turennium acceſſiſſe ad Svecos cum octo hominum millibus; ac ideo eſſe exercitum ex triginta jam militum millibus conflatum. Fide non caret, quod fore addunt, ut quidpiam inſigne brevi adoriatur; ac præſertim, ſi verum ſit, quod ſupponunt, hoſteis eſſe numero longe inferiores. Non heic ſubiicio, quod Dinienſes amici mei conqueruntur, ſe Conſulum fraude fruſtrari ea gratia, qua volueras exemptos. Hoc potius quæſo, ut ſi quidpiam peccetur a Conſulibus, id populo non imputes, ac ſublevare miſeram Urbem gravamine illo digneris. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, ac præſidium, vale. Pariſiis III. Calendas Martii M.DC.XLVIII.

E I D E M.

QUid hoc eſt rei, optime Princeps, ut tuæ ſemper erga me munificentiæ non immemor, diſtuliſſe eo ſolum fine videaris xenia ſolita, ut eſſet, cur quodam quaſi fœnore ea cumulatiora præſtares? Sane, cum tibi ſuppetat, unde benefacere pergas, me tamen verba, quibus pergam gratias agere idoneas, deficiunt, ut hac proinde occaſione liceat mihi dicere, *inopem me copia fecit*. Quo unoabundo, ipſe eſt affectus, quem, ut venerationis, amoriſque plenum, ita & gratitudinis intimo in corde conſtanter retineo. Ex Aula novi nihil habeo, niſi quod Senatus reſpondere juſſus quid ſe habere juris præſumeret in ea edicta, quæ ipſe Rex coram referri in acta mandaſſet, reſpondit ſe aliud nihil præſumere, quam modum quempiam, ſi viſum fuerit; ſed pro ipſius tamen Regis beneplacito illis adhibere. Diſceſſit ſolum nudius-quintus Condæus tuus in Burgundiam; interea verò diligenter apparatur exercitus, quem ex millibus octo Equitum, & Peditum quinque ſupra viginti conſtiturum ajunt. Id jam confirmatur, quod perſcripſi nuper de Svecorum exercitu; ſcilicet perhibent Cæſareos illum adventantem nuſquam opperiri. Timere ajunt Bavarum, ne in ſuam rurſus ditionem pœnas de perfidia ſumpturus irrumpat. Detentus ſemper rigide Anglus in Arce Vectæ Inſulæ, donec propalare Parlamentum pergit præcipua illa quatuor criminationis capita, quibus hactenus eum inſimulavit. Pergunt conqueri Dinienſes amici de immanitate Conſulum, a quibus etiam longe iniquius, quam Civium ceteri excipiuntur. Tu, o Principum optime, dulce meum decus, ac præſidium, vale. Pariſiis, prid. Non. Mart. M.DC.XLVIII.

Quoniam, ut accipio, tuus ille optimus a Sacris invaletudine laborat, quæſo immenſam tuam bonitatem jubere digneris cuipiam famulorum, ut red-

Digitized by Google

reddat manu propria quem litterarum faſciculum, te bene volente, his facio adjunctum.

Viro Clariſſimo, ſapientiſſimoque Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Palæopoleως Scabino

PETRUS GASSENDUS S.

INviſit me ecce Juvenis eximius, concivisque tuus Georgius Fhelavius, ut abs me referat, unde noſter Merſennus valeat ſatisfacere præclaro Hartlibio, qui ipſe exinde ſit facturus ſatis tuis illis litteris, quibus noſſe aves ſit-ne verus rumor, quo perhibent Patrem Societatis Jeſu accepiſſe a Cæſare, ac habere præ manibus, quas commiſſurus prælo ſit Tychonis Brahei obſervationes. Reſcribo itaque ad illum quidquid mihi eſt ea de re perſpectum, unde & ſpes eſt, ut brevi accipias, quid id rei ſit ab ipſo Hartlibio. Subinde autem, quia juvenis eximius monet ſe litteras ad te proxima ſtatim luce daturum, non poſſum, quin uno tenore haſce conſcribam, ac illi tradam, tum ut ex me quoque quam optas rem noſſe breviter addiſcas, tum, ut poſcam te aliquid, quod occaſione tuarum ad Hartlibium litterarum mihi venit in mentem.

Inprimis itaque Dodrans prope eſt anni, ex quo Neoburgi ad Danubium Dux miſit in hanc Urbem Religioſum quemdam Societatis Jeſu, qui a confeſſionibus illi eſt. Is me inviſere dignatus ſalutem dixit a Patre Andrea Curtio, Neoburgenſis ejuſdem Societatis Collegii, quantum commemini, Rectore; ac renunciavit illum habere concreditas ſibi ab Imperatore obſervationes Tychonicas eo fine, ut illarum editionem curet. Rogatus quam, multas; compactas reſpondit in XVIII. Tomus; ac typis mandatas poſſe duo inſignia in folio volumina conficere; adjecitque optimum Curtium non ita pridem conceſſiſſe Tubingam, ut, ſi illeic quæpiam extarent Meſtlini, Schikardi-ve obſervationes, referret eas poſſet. Quæſivi an-non ille ſe ad editionem accingeret; excepit egiſſe jam illum cum Guilielmo Cæſio Typographo Amſterodamenſi; ſed non fuiſſe pacta conventa, quod foret quidem Cæſius ad editionem comparatus; at miniſtrare pecuniam nollet, quam ab eo Curtius exigebat, tum exemplo obſervationum, quod tranſmitteret, exſcribendo; tum incidendis æri neceſſariis operi figuris circiter 60. Quanquam Cæſius vice pecuniæ exempla editionis neſcio quot offerret. Subjunxit, ſe iter facientem Lugduno egiſſe cum Librario, qui-cum non magis convenerit; ac requiſiiſſe, ſi qui in hac Urbe rem aggredi vellent, neque reperiiſſe. Et tantum eſt quidem, quod hac de re novi. Cum lætatus porrò fuerim admodum extare apud egregium illius nunquam ſatis laudati Joannis Kepleri filium earumdem-met obſervationum, vel autographum, vel certe exemplum, quod octo in Tomos compactum ſit, miratus ſum ſolum, qui uterque ſe dicat habere ipſum-met Tyconicum autographum, cum Tycho ex Dania diſcedens, & ſub finem anni 1597. ſcribens, perhibuerit geſtare ſe obſervationes Uraniburgi viginti, & uno annis habitas, eaſque in Tomos totidem, viginti unum nempe compactas.

Deinde, cum me mire delectarit inaudire ſuperſtitem eſſe illum tam dignum tanto Parente filium, perſuaſi mihi poſſe te, pro ea, quæ intercedit tibi cum illo amicitia, duo quædam ab ipſo in mei gratiam impetrare. Unum eſt, compendioſa vitæ optimi Parentis deſcriptio. Nempe, ubi, quando, ex quibus Parentibus natus; ubi, & a quibus præceptoribus inſtitutus; quando, ubi, quoties addictus conjugio; quos, ubi, & quando liberos ſuſceperit; qui ſuperſtites ex iis fuerint; ac etiam-num, & qua ſorte vivant. Ubi, quando, & cum qua regionum, profeſſioniſque commutatione vitam egerit. Quonam præciſe tempore, & unde evocatus ad Imperatorem, ac Tychonem fuerit. Quo die per Comitia illa Ratisbonenſia obierit; & quæ id genus ſimilia ſunt, quæ ille poteſt ſigillatim, diſtincteque, aut quadantenus habere perſpecta. Alterum compendioſa quoque eorum, quæ de Tychonis vita, illiuſque liberis, aut cognoviſſe ipſe poteſt, aut ſando a Parente, aliiſque audiviſſe, narratio. Ac pervellem quidem id præciſe tempus, quo natus Tycho, addiſcere; ſed cum admodum verear, ne ille dicere id non poſſit, velim ſaltem noſſe, ſi reſcire id valeat, quo præciſe tempore Tycho ad Cæſarem acceſſerit; & an ne ex Rantzoviano illo prope Hamburgum hoſpitio, an alio ex loco, in quo ſe poſt annum jam memoratum 1597. recepiſſet. Niſi id tempus præciſe norit, conjicere ſaltem poterit utcumque ex iis obſervationibus, quas Tycho in Bohemia, ſive Pragæ primas peregit. Cum Tycho apud Rantzovium degens, haberet uxorem, & liberos ſex, velim quoque ſcire, quæ fata tum uxorem, tum liberos manſerint; qui ex illis ſuperſtites, qui, ubi, & qua conditione etiam-num ætatem traducant. Ut paucis dicam, quæ cetera potuerint in ejus venire notitiam, ac potiſſimum circa mortem, ſi quidquam habet ſimile iis, quæ fuere a Snellio conſcripta. Ille me ſane quam-plurimum, ſi hæc me reſcire, te intercedente, voluerit, devinciet; ac ſi digneris ipſe te ſponſorem meæ erga illum gratitudinis præſtare, præſtabo ſane ipſe te, quantum mihi quidem dabitur, indemnem. Dic, quæſo, ſemper clariſſimo, optimoque Eichſtadio plurimam ſalutem, ac vale. Pariſiis XV. Eid. Mart. M DC. XLVIII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

INaudiaram jam aliquid de ſubinſinuata abs te proſcriptione; & demiratus quidem ſum fieri occaſionem a proſcriptis potuiſſe, quando ipſe perſcripſeras pacifice adeo fuiſſe omnia peracta; verum facile intellexi, & hominum noſtrorum mores, & cauſas, quæ eos perpulerunt. Quod unum doleo, ille eſt labor, quem ſuſtineas neceſſe eſt, dum hinc grave imperium eſt, illinc contumax obſequutio. Sed dabit Deus his demum finem, ac tantæ agitationis vice placidam quietem, quod voveo, concedet. Ex Aula nihil, quod ſciam, novi; niſi quod Condæus hebdomade ſtatim proxima rediturus ſperatur; ſcilicet ut brevi diſcedat in Flandriam, aut in procinctu ſaltem ſit, hoſtibus meditantibus prodire ex hy-

bernis

bernis maturios. Timeri video, ne Lotharingus, Lamboyuſque viribus junctis in ea oppida, quæ ad Rhenum occupavimus, irruant, ipſamque Moguntiam ſpeciatim obſideant. Id ſaltem ſe exinde evicturos ſperant, ut, coactu regredi Turennio, Svecorum vires imminuantur. Qua occaſione neſcio an Sveci nihil non molituri ſint, ut priuſquam ille diſcedat prælium cum Cæſareis, Bavariſque committant. Recruduit mihi nonnihil tuſſis cum duorum dierum febricula; verum ſpes eſt, ut illa rurſus, Deo propitio, brevi leniatur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Eidib. Mart. M. DC. XLVIII.

Jubeat etiam quæſo hac vice uni famulorum tua bonitas, ut heic concluſum faſciculum illi, ad quem transdo, manu propria reddat.

E I D E M.

QUam febriculam reputabam ante octiduum evanuiſſe, revixit ſubinde, ac me jam quartum diem in lecto habet. Adnui hodie, quod toto pæne jam biennio abnueram, venæ videlicet ſectionem. Fortunet eam Deus pro amicorum votis. Id mihi præſertim doloris incommoda hæc repetita creant, quod tametſi forem plane ab iis liber, ſub finem menſis proximi, quantum tamen diuturna ſunt, tantundem faciunt neceſſario meum diſceſſum retardatiorem. Videlicet varios tractatus amicorum hortatu, ſuaſuque inſerendos operi illi, quod Lugduni ſub prælo eſt, abſolviſſe non potero, ut bona ſpe fretus mihi fueram pollicitus; neque potis ſum eos abſolvere, niſi hacce in Civitate, ubi librorum abunde eſt. Præſtabo nihilominus quidquid per vireis mihi licebit, ut quod exopto, poſſim te quam citiſſime convenire. Tu interim, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIII. Calendas April. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

SCribo quidem adhuc e lectu; ſed habeas me longe, Deo propitio, melius. Non modo enim febris pæne jam evanuit, ſed ab heſterno etiam die lenior fieri tuſſis occepit. Ita fore ſpero, Numine favente, ut poſſim proxima occaſione me convaluiſſe ſignificare. Accepi interim abs te cariſſimas mihi binas litteras, quibus eximia exprimere pro more ratiocinia pergis. Quod de negotio pacis coniicis, verendum nunc quoque, ne nimiſquam verum. Anglo nulla ſpes, niſi ab ipſis Scotis; an tamen, & quid præſtituri illi ſint, nondum exploratum. Inſectantur ſemper Sveci Bavarum, quem ferunt in propriam ditionem graſſatum, ut irruentibus commeatus deficiat. Cepere illi interea Furchemium, oppidumque, in quo feſtinans Bavarus reliquerat majora tormenta. Aiunt non ſatis bene Turennio, Urangeloque convenire. Cum nudius-tertius Rex, Reginaque Divam Carnutenſem ſalutaverint, mox reviſuri Urbem ſperantur. Hocce veſpere duo illi nefandi, qui ipſa Natalitiorum nocte furati aurum Rivierii fuerant, luerunt immaneis ſceleris pœnas. Noſti enim non ſimplex furtum, ſed horrendum quoque homicidium ab iis patratum, dum Rivierii famulum ideo biſecuerunt, ut deiici poſſet in ſeceſſus barathrum, ac nuſquam comparens, & auſugiſſe creditus ſuſpicionem furti ſolidam ſubiret. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VI. Cal. April. M. DC. XLVIII.

Balduinus ille, de quo quæris, non eſt aggreſſus, quantum audio, neque Plutarchi, neque Xenophontis interpretationem.

E I D E M.

PErvagatus jam rumor fuerat a primis tuis litteris de infando facinore, quod dignatus es poſtremis ad me paulo uberius deſignare. Inaudieram etiam, quam probata fuiſſet in Aula tua diligentia, ſagacitaſque in criminis reis, auctoribuſque detegendis; quam ſevera fuiſſet tibi demandata in utroſque animadverſio. Delectat me jam ipſam Civitatem tam promptum voviſſe obſequium, ac eſſe tibi integrum, ſic te in eos gerere, qui non ſatis te reveriti ſunt, ut ſeriu deinceps tuam opem implorent. Nam jam ne quidem audiendi ſint, noſti ipſe melius, an tibi expediat; uti & an transferre Parlamenti ſedem, quemadmodum plena tibi conceſſa facultas eſt. Incipio jam, Deo propitio, valere paulo melius; ſcilicet prorſus a febri liber; tametſi tuſſis nondum lenita. Mira ad me de tua illa bonitate immenſa perſcripſit Tornator; faxit Deus ter-optimus, ut teſtari obſequiis magis, quam verbis gratitudinem poſſim. Rerum novarum vix quidquam habeo. Diſceſſurus Condæus tuus illico a feſtis ad exercitum eſt. Diſceſſit Mellcræus heri, & Gaudimontius ante aliquot dies. Parum abfuturum exercitum ferunt a triginta quinque militum millibus, ac in iis fore equitum, ut minimum duodecim millia. Aiunt Archiduci non bene cum miſſo ex Hiſpania Saldanio, quaſi cenſore, convenire; adduntque eſſe quatuor ex fœderatis Provinciis, quæ rata habere pacta Monaſterii conventa recuſent. Ingens ſemper Bavaro timor, cui jam curæ eſſe ſolum dicitur, ut Danubii trajectioni obſtet. Scoti, quidquam-ne adverſus Anglos, an in Regis gratiam molituri ſint, nondum declararunt. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis III. Non. April. M. DC. LVIII.

E I D E M.

NIhil eſt neceſſe, optime Princeps, Tornator mens huc accedat, ut meum diſceſſum ſollicitet; ſum quippe ex me ſatis comparatus, ut quam-primum fuerit per vireis licitum, diſcedam. Et per-quam urbane profecto vi quadam opus eſſe cauſaris; at non ambigo, quin perſuaſus ſis, vim nullam eſſe majorem poſſe pleniſſima illa ſinceri amoris, qua te proſequor obſervantia, quaque flagrantiſſimo ſum deſiderio reviſendi tui. Id verò fiet, Deo propitio, ſtatim ac mihi valetudo permiſerit coronidem quibusdam, de quibus jam ſcripſi, tractatulis imponere, ac fidem obſtringo, ſeu impoſita, ſeu non impoſita, & quomodocumque tandem valeam, diſceſſurum denique me, niſi prius, at ſaltem ſimul, ac majores calores deferbuerint. Apprecor tibi interim proſpera, quæ ſunt pro foribus Feſta. Rerum novarum id præcipui momenti, quod aiunt Svecos, Turenniumque non trajeciſſe modo ad Donsverdam Danubium; verum etiam, capta Landſperga munitiſſima, ſuperaſſe Lycum. Hac ratione Bavarus eandem ſuo fœdifragio jam concitavit, quam fœdere prius inito ſedarat procellam. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Eid. April. M. DC. XLVIII.

E I-

Digitized by Google

EIDEM.

QUæ te adhuc curæ exerceant mihi nimiſquam perſpectum eſt. Det ipſis Deus optimus finem. Conceſſurum aiunt Neapolim Lambertum cum Peditum millibus quatuor, & Equitibus mille, ac ducentis. Diſceſſit, ut audio, Condæus Cantillio, ac in exercitum properat, Melleræo Atrebatis morbo articulari graviter laborante. Perhibent Svecos, quod Bavariam devaſtatam reperiant, eſſe in Auſtriam penetraturus. Scoti nondum deliberarunt, etſi facturi in dies credantur, quod in Regis gratiam ſperandum fecerunt. Paucula hæc ſunt, quæ mihi narrantur. Tuſſis facta mihi non nihil moderatior, ac incipio jam iterum verſari cum libris. Spes eſt proinde, ut poſſim brevi, Deo bene propitio, abſolvere cepta, & cogitare de reditu. Significavit Scriba claſſis criminalis *Orcinus*, quam multum ipſum devinxeris; quare pro antiqua, quæ mihi intercedit cum illo, amicitia, & gratias ago, & quæſo etiam, ut ſi occaſio iterum gratificandi ipſi occurrat, pergere dignetur tua bonitas parem erga illum teſtari affectum. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, ac præſidium, vale. Pariſiis xv. Calend. Maii M DC XLVIII.

EIDEM.

QUas, & ſeptimo, & poſtridie Eidus literas dare dignatus es, redditæ fuere nudius-tertius. Ut æque eximiæ; ſed illæ præſertim, quibus tu bulenta confuſio hujuſce o bis deſcribitur. Ipſe id ſum boni ex mea invaletudine conſequutus, ut biennio prope integro nihil ſenſerim tantarum turbarum; nempe cum hoc tempore toto vix quidquam in Urbem exierim, nolli quo ſitu domus ſit, in qua Deus mihi otia fecit. Eſt quippe a ſtrepitu omni urbano ſepoſita eſt, ac in media urbe pæne extra orbem. Hoſpite aliunde tam mei amante nihil ut humanior, ſic placidior eſt; ut proinde in mediis procellis tranquillitate vigoerim ſumma. Pergit mihi tuſſis, Deo bene propitio, mitior in dies evadere; adeo ut, cum liceat ex ſtudiis verſare ſerium aliquid, ſpes jam ſuccreſcat, finiendarum brevi lucubratiuncularum. Ex rebus novis, ſperatur Aula diſceſſura Compendium ſub hebdomadis inſequentis finem; ajuntque proinde Regem, Reginamque conceſſiſſe San Germanum hodie Anglicæ Reginæ ſalutandæ cauſa. Melleræus ſe melius habet, ſpeſque eſt, ut brevi explicare animum, ac induſtriam poſſit. Regreſſi Donaverda Sveci, non verò ingreſſi in Bavariam, progreſſi dicuntur in Superiorem Palatinatum, & Turennius ſuis cum copiis ab iis digreſſus Rhenum repetiit. Nondum a Scotis factum decretum, ſed interim Walliæ Provincia in Parlamentum facta rebellis. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, VIII. Cal. Maii M. DC. XLVIII.

EIDEM.

UT pergo in dies valere, Deo bene propitio, melius, ita pergo me alacrius dare iis occupatiunculis, quæ ſolæ mihi injicere, ut præſcripſi, remoram poſſunt. Non eſt certe, optime Princeps, quamobrem eſſe aliam cauſeris, nam quod de ipſis amicorum quaſi Sirenibus inſinuas, nemo eſt eorum, qui non me ſpe facta firmioris valetudinis, verſum te, abs quo me amari ita ſentiunt, volens dimittat; ipſeque aliunde me illis agnoſco hactenus ſatis credidum, ut hoc, quod unum ſupereſt, ſuperato obſtaculo, mihi eſſe omninò erumpendum putem. Itaque quam primum, Numine favente, id ſubmovero, ad te convolabo: utinam verò ipſum licuiſſet per valetudinem citius tollere; ita me Deus adjuvet, ut vel apud te, vel in itinere jam forem. Rerum novarum vix quidquam eſt, niſi quod omnia perſtrepunt de capto ab Hiſpanis Guiſio, atque adeo de turbis illis Neapolitanorum ſedatis. Diſceſſus Aulæ in inſequentem hebdomadem dilatus eſt. Adfuere diebus ſuperioribus, tum Aurelianus computorum cameræ, tum Contyæus ſubſidiorum Curiæ, Edictorum novorum in acta referendorum gratia; cum & pridie, quam ſuperiores darem, reſponſum Parlamento fuiſſet, placere Regi, ut ad unguem, quæ penes ipſum relata fuerant, exſequutioni demandarentur. Perhibent Turennium, & Svecos, latis Ægræ ſuppetiis, fuiſſe iterum cohortos. Scribunt eſſe demum a Scotis decretum ingredi in Angliam cum exercitu militum quadraginta millium. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, Calendis Maii M. DC. XLVIII.

EIDEM.

NEſcio quo contigiſſe poſſit, ut redditæ tibi litteræ meæ non fuerint; cum decimoquinto Calendas & reſcripſerim, & per Veredarium tranſdendas more ſolito conſignarim. Ac non fuit quidem jactura tanti; ſed doleo interim quam illa creare ſuſpicionem potuit facta infirmioris valetudinis, quæ fuit nihilominus, Numine favente, proſperior. Illa certe eò jam evaſit, ut acced nei nudius-quintus Tornatori occaſio fuerit lætandi maximopere, cum valentem me etiam longe melius, quam fuiſſet Lugduni ſpes facta, invenit. Ægre duntaxat admodum ducit, non eſſe comparatum me, ut quam cito optaret, diſcedam; ſed nempe eum ſatis præmonueram, niſi moræ paulo impatientior fuiſſet. Ad te quod ſpectat, confido ſemper fore, ut boni id conſulas, & donec plene convaleſco, hanc pauculorum menſium ultro condones moram, quam mihi aliunde occaſio ſæpius repetita neceſſariam fecit. Non dicitur jam amplius Aula diſceſſura Compendium; ſed conceſſura ſolummodo ad aliquot dies Ruellum. Perhibent Condæum, dum copias perluſtrat, acceſſiſſe Atrebatis diebus mox elapſis Peronam: conſtanſque eſt fama, illius exercitum non pauciore omninò eſſe militum numero, quam millium Equitum undecim, Peditum quam viginti quatuor. Conſtans eſt pari ratione Scotos irrupturos in Angliam; & pergere Walliæ Provinciam ceteris non exemplo modo, ſed hortatu etiam præire, ut arma pro Rege capeſſant. Addunt Farfaxium cogere exercitum totum in planitiem, milliaribus decem Londino diſtantem; ac Parlamentum convocaſſe omneis, qui a certo aberant, in diem proxime ſequentem Calendas. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Non. Maii M. DC. XLVIII.

E I D E M.

QUanto rubore, putas, ſuffundor, dum pergente conſtanter te meum ſperare reditum, ipſe tamen meum Tornatorem diſcedere abſque me patior; & quam occaſionem ſæpius jam reperii, remoratur me ad proximos uſque calores exactos. Sed nempe bonitas eſt tua, quæ pergit in me fovere fiduciam, præſtatque, ut auſim conſtare in propoſito, quod, ut ſcribebam nuperrime, ſpeciem habet neceſſitatis. Quod caput eſt, & Deo propitio, valeo ſemper in dies melius, quod etiam Tornator coram referet, & utcumque ſe mea valetudo tempore præſcripto habitura ſit, nihil amplius eſt, quod mihi ulteriorem inducere remoram poſſit. Silentium jam eſt de Aulæ diſceſſu; ipſeque aliunde pernoſces, uti & Parlamentum, & computorum Camera, & ſubſidiorum Curia, & Magnum Conſilium ſocietatis ſpeciem inierint, quo agere de ſtipendiorum reſtitutione conjunctim poſſint. Acceperamus jam Condæum cum exercitu incedere; nunc autem rumor effuſus eſt de Ipera ab eo obſeſſa. Cepere Sveci Dunkeſpiellum; an verum ſit, quod perhibent Nordlingam a Cæſareis obſidione cingi, dies nos docebit. Nundum conſenſere Zelandi in eas cum Hiſpano pacis conditiones, quæ placere Confœderatis ceteris Provinciis dicuntur. Perhibent Angliæ Parlamentarios ob bellum prope imminens ſollicitudine non levi teneri. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, Eid. Maii M.DC.XLVIII.

E I D E M.

QUæ pauca vacat, paucis perſcribo. Conſiſtit Aula, ac perſeverat de ejus diſceſſu ſilentium. Qui nuper fuit de Iperenſi obſidione rumor, nunc certa eſt fama. Condæus inſtitutum ſuum, hoſtibus deluſis, eximie celavit. Sperat ſe intra paucos dies tam civeis, quam præſidium ad deditionem coacturum. Sveci, noſtrique munimentis Dunkeſpielli dirutis, tendunt in Sveciam, ſed Cæſareis, Bavariſque eſt ſtantibus; adeo ut non pauci ob vireis inter utroſque pene æquas initum iri prælium conjiciant. Quod de Germaniæ pace innuis, probabile æque, ac timendum eſt; obſtat nihilominus, quod Svecis omninò depoſcentibus, ut qui ex Cæſaris ditione hereditaria profugi ſunt, æques conditiones accipiant, Cæſar id audire nullatenus ſuſtineat. Exiiſſe dicitur Farfaxius cum toto exercitu in Walliam; Parlamentum verò, illo jam abſente, alia, quam præſente iniiſſe conſilia. Quod certe Scoti cepere nuper non Carlilam modo, ſed etiam Barvvicum in ipſis Angliæ confiniis, ſunt, qui id non ſine auſpiciis Parlamenti reputent factum. Quorſum omnia ſint evaſura, alta adhuc caligo eſt. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XI. Calend. Jun. M DC. XLVIII.

E I D E M.

DEvincit me nimium tua bonitas, cum gratam habet diſceſſus mei dilationem in paucos menſeis. Spero interim me intra id tempus, Deo bene propitio, ſic convaliturum, ut modo tuſſis, quæ adhuc hæret [ſed remiſſior tamen facta] evaneſcat, videar mihi ad te non vegetus minus, quam abſceſſerim, accedere poſſe. Nihil eorum perſcribo, quæ in orbe geruntur, dum ſupremæ Curiæ imperatis Aulæ de non ineundis conventibus ſatis perſpicue refragantur; & partim ſunt, qui in munimenta procul poſita tranſvehuntur, partim ſunt, qui idem-met ſibi, aut aliquid gravius impendere putant. Urget Condæus obſidionem ſuſceptam quam ſedulo poteſt; utinam perficiat ſatis tempori, ut Arci Cortereacenſi ferre ſuppetias valeat. Pernoris videlicet urbem, ſubducta parte præſidii, fuiſſe ab hoſtibus occupatam. Perſcribunt ex Anglia Farfaxium cum majore exercitus parte adverſus Scotos procedere; ac ſunt, qui adiiciant Cromvvelem profectum in Walliam, cum reſiduas copias, quæ jam in Regis gratiam coactæ erant, debellaſſe. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IV. Calend. Jun M DC XLVIII.

E I D E M.

ARripueram jam calamum, ut paucos ad te verſus exararem, cum ecce ingreſſo optimo Merſenno, & cum eo aliquot amicis, quos non licuit excludere, id detractum eſt temporis, ut vix ſuperſit, quo vel hoc ipſum tibi ſignificare vacet. Bene eſt proinde, quod aliunde noris & deditionem Iperæ ante octiduum Condæo factam; & Cæſareorum extremam aciem internecioni a noſtris datam, & acceptam demum hinc inde ratihabitionem conditionum Hiſpanos & Bavaros inter, Zelandis exceptis, pactarum; & Bel fortii evaſionem e quinquennali illo ſuo carcere; & non ſolum plane cohibitas Curiarum Summarum querelas; & Davalſium triduo in Urbe [ſed quaſi latenter] exacto, Rociacum dimiſſum; & ſi qua ſint alia, quæ tibi enarrare uberius potuiſſem. Omittere verò interim non debeo, quam recepi me optimi Merſenni nomine dicturum ſalutem. Tu illam ita accipe, ut quam meo dico ampliſſimam putes. Vale, o decus Principum, vale, o dulce decus meum. Pariſiis, Nonis Junii M DC.XLVIII.

E I D E M.

PRo ſolita, hoc eſt, immenſa erga me bonitate facis, quod mihi auctor es, ut labori parcam. Ego verò & parco ſatis, neque enim tam ſum, quam vulgo habeor ſedulus; & fiam tamen iſta tua admonitione cautior, mihi illud identidem inſuſurrando, *ne quid nimis*. Quod attingis de Antiſtite, non nihil me ſollicitum reddit, quando non ſatis ſum perſpicax, ut qua de cauſa periclitetur, & quo in diſcrimine ſit pervideam. Pernoſces aliunde, quid tum in Senatu, tum in Summo Regis Conſilio hodierna luce actum ſit; quid porrò novi craſtina ſit allatura, ipſa docebit. Ex Flandria aliud nihil audio, ex quo capta Ipera eſt, quam Ranezovium graviſſime ægrotare. Sveci, Turenniuſque trajecere Lekum, ac ſunt qui addant Bavarum Monaci tuendi dimiſiſſe curam. Percrebuit rumor minatos Svecos fore, ut niſi treis intra menſeis in pacem conſenſerimus, ipſi ſeorſim ineant; & Monaſterienſes tamen litteræ pollicitos perhibent Svecos ſe nihil penitus de pace cum Cæſare cogitaturos, niſi ille, quod nos attinet, tum Lotharingi tutelam abiiciat, tum fidem præſtet ſe neque palam, neque clam Hiſpanis ſuppetias laturum. In Anglia dicuntur res eſſe in procinctu, ut par-

tim Scotorum imminente exercitu, partim irritatis Provinciis, Parlamentariis quidem male, Regi verò præclara vertat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, prid. Eid. Jun. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

QUam pulchre noſtros perſtringis mores! quippe, cum adeo verum ſit, poſſe nos longe difficilius, quam quærere, parta tueri. Utinam verò quæ cætera tanto impendio quæſivimus, pari ratione non amittamus! Nihil adhuc novi, quod ſciam, ex Flandria, niſi quod Condæus movit Iperâ, & movere etiam a ſuis ſtationibus hoſtes. Rumor fuit eos obſediſſe nunc Capellam, nunc Caſtellum, forte quod in ipſa confinia copias quaſdam dimiſerint augurati; ſed falſo tamen, ut nobis quidem vovendum eſt, futurum, ut res apud nos turbentur ob federatas mutuo, & ineuntes Comitia Curias, utcumque id Regis nomine vetetur. Perſeverare adhuc ferunt quem Cæſarei, ac Bavari cepere eerrorem a nupera clade; adduntque Svecos hinc Ranium, inde Amsbergam obſidere. Res Angliæ in eo ſemper ſunt, ut videatur Regi præclare ſperandam; quippe, vel ſola Cantium Provincia adeo numeroſo milite jam eſt, ut Farfaxius non ſine ſtrage tentarit illam reprimere, cum & poſtulatis ab Urbe ſeptem hominum millibus, qui auxilio forent, tulerit repulſam. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIII. Cal. Julii M. DC. XLVIII.

Significavit mihi felix Creſſeti Toparcha, & in Divieſi Proſeneſcalia Conſiliarius, quanta abs te humanitate mei ergo fuerit exceptus. Gratias itaque, quantas poſſum habeo, exoroque, & quæſo, ut ſi quid negotii illius perficiendo deſit, favere ejus votis tua bonitas pergat. Vale iterum. Dum obſignarem litteras, advenit qui retulerit, Dixmudam a Condæo captam.

E I D E M.

HOmines noſtros non excuſo, quod Sacris prophana commiſceant. Miſeret me potius humanæ, qua laboramus, infirmitatis; tantæ ſcilicet, ut divina noſtro metiamur modulo, & quibus capiuntur rebus homines, iiſdem delectari Deum reputemus. Utinam modo pura mente hæc, qualiacumque ſint, peragantur. Decrevit hodie Parlamentum Comitia Claſſium continentia; ac delegavit, qui Reginæ id factum præter imperium quidem, at non tamen præter jus, probent. Quod nuper jactatum de Dixmuda fuit, ex eo cauſam habuit, quod Condæus ſe eam obſeſſurum ſimularit, ut faveret Rantzovio occupare Oſtendam ex improviſo meditanti. Acceſſit deinceps Condæus ad Atrebates, receſſareque hoſtes a confiniis, ultra quæ excurrens eorum Equitatus oppida aliquot expilarit. Rumor interim eſt Lamboyum cladem accepiſſe inſignem ab Haſſiacis; & Cæſareos, ac Bavaros [quorum Dux, ut aiunt, graviter laborat] eodem continenter terrore teneri. Cum Rex Poloniæ obierit, ajunt Caſimirum Germanum non eſſe Electionis admodum ſecurum. Pridem jam eſt, quod inaudieris Bremenſem Archiepiſcopum eſſe in Regem Daniæ, Parente demortuo, electum. Res in Anglia ſemper incertæ. Quam ſtragem nuper commemorabam, non tam ex Farfaxii, quam ex parte adverſa fuit; & Scotis diffidentibus, vix quidpiam Regi inde ſperandum. En tamen nihilominus Princeps Walliæ diſcedit in Hollandiam, ut opportuno loco ſit, unde, ſi fors ferat, ſe in Angliam recipiat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VI. Calendas Julii M. DC. XLVIII.

E I D E M.

DElectavit me admodum, quod dignatus es ſcribere capitalis formulæ litem, quæ Antiſtes meus iſtcic tenebstur in ordinariam controverſiam [neque, ut aliunde accipio, citra tuam opem] commutatam fuiſſe. Quod ſignificavit Tornatur intra paucos menſes diſceſſurum me, id, ut litteris quoque ad te datis pollicitus non ſemel ſum, Deo favente, peragetur. Viſa eſt quidem nuperis diebus remora quæpiam regredienti valetudini injici; verum & illa, Deo propitio, ſuperata proſpere eſt, & hæc adeo belle procedit, ut ſi ſemel, quæ dudum viget, hyemans tempeſtas recaluerit, iri ipſam omninò recreatum ſperem. Quam Leonis immanitatem inſinuas, valde eſt inſignis; ecquidnam tamen facias genti, cui ſolemne eſt, omne jus poſſe regnandi gratia violari? Significavit Regina Parens grata ſe habere Claſſium Parlamenti, & delegatorum Curialium comitia; ac pergunt in iis varia de inſtauratione rerum diſceptari. Nondum diſceſſit Walliæ Princeps; neque aliud habeo ex Anglia, quam quod aiunt Farfaxium ſatis male exceptum in Eſſexia fuiſſe. Conſiſtunt ſemper in confiniis noſter, hoſtiumque exercitus; ac videantur plane alter alteri, ne quidquam moliantur, obſtaculo eſſe. Proſpere adeo in Germania fœderatorum ſuccedunt res, ut ignorare Bavarum, quo ſe poſſit tuto recipere, ſcribant. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, V. Non. Jul. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

PUlchra profecto Antitheſis, qua mentis humanæ inconſtantiam depingis. Verum eſt, quod ais, recrudeſcere paſſim fructum. An Hiſpani in causa? Certe Pigneranda Plenipotentiarius: *Quod petiit ſpernit, repetit, quod nuper omiſit*, ex quo quid rerum heic agatur, rumore perlatum Monaſterium eſt [quaſi ſit futurum, ut res apud nos perturbentur] illinc exceſſit. Nihil hactenus Parlamentum ſanxit, niſi, ut qui rei Judiciariæ in Provinciis Præfecti præter ordinem ſunt, abrogentur. Ex quo Aurelianus Senatui pridie Nonas interfuit, occepere res non male componi. Depulſus fuit heſterna luce e Summa Ærarii præfectura Eſmerius, ac Melleræus illi ſubſtitutus. Pergunt ſemper exercitus in ipſis Flandriæ confiniis, neque quidquam novi utrim-vis auditur. Ceperant Fœderati obſidione Vaſſerburgum cingere; verum ab incepto brevi deſtitere. Expectat Urangelus Palatinum Sveciæ cum decem hominum millibus, cumque illo in Bavariam dicitur irrupturus. Heri denique VValliæ Princeps diſceſſit San-Germano Caletum, facturus exinde vela in Hollandiam. Ajunt interim neque Farfaxio in Eſſexia, neque Cromvveli in VVallia, res ſatis proſpere ſucceſſiſſe. Ut ſe Italiæ, Cataloniæque res habeant, ipſe melius noſti. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, vale. Pariſiis VI. Eidibus Julii M. DC. XLVIII.

E I-

Digitized by Google

E I D E M.

PErgit me tua bonitas miro pudore ſuffundere, cum & dignaris reditus mei tanta expectatione teneri, & tantam de meo erga te affectu (ſed nempe lemma eum obſervantia) tantam de candore teſtaris fiduciam. Ego verò, optime Princeps, ad meum diſceſſum quod attinet, exequar haud-dubie, Deo bene propitio, quod ſum ſæpius pollicitus; & quod ſupereſt (etiam non juranti credas) ita Deus me adjuvet, ut me φιλαλέξανδρον habes. Novæ habeo pauca; nam quæ Aulam inter, & Parlamentum, ceteraſque Curias intervenere negotia, pæne compoſita jam ſunt, Aureliano intercedente. Ajunt Reginam Angliæ, dimiſſo ſamolitio, in Religioſo aliquo γυναικείῳ commoraturam. Obluctatur ſemper Eſſexia Farfaxio, feruntque Cromvvelem, relicto Pambrokio, eſſe illi ſuppetias laturum. Plebs nempe male animata militiam amplius non reficit. Qui in Flandriæ confiniis perſeverant exercitus, ita ſemper ſtationes tenent, ut non videatur ulla poſſe bello hoc eſſe pax tranquillior. Prætexit Pigneranda ſe non rediturum Monaſterium, quod cum viro, qui inferioris, quam ipſe, conditionis ſit, agere de pace inpoſterum nolit. Urgetur ſemper Bavarus; ſed nuncium tamen fœderi cum Cæſare inito remittere abnuit. Tortoſæ obſidionem per moram, Cremonæ affectam, Neapoleos dimiſſam, ipſe melius noſti. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis xvi. Calend. Sextil. M. DC XLVIII.

E I D E M.

NÆ tu Vates optimus es de Condæo cum ominaris! videlicet
Μάντις ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς:
Ac jam fama eſt, eſſe illum ex Candidatis Triumviris, qui futuris ſuffragiis Polonorum ſunt deſtinati. Quippe memorant præter Cazimirum Regis vita functi germanum, & Palatinum Neoburgicum, Condæum tertium advocari. Ac merito ſane id jure; ſiquidem ex factis nuper Tartarorum, Moſcovitarumque irruptionibus admoniti Poloni ſunt, tali ſe Duce, qualem Condæum omnes celebrant, indigere. Venit ille nuper in urbem, & commoratus pauculis diebus, exercitum nudius-tertius repetiit; ſcilicet renunciatum eſt, hoſteis interea caſtra moviſſe. Quo fine, nondum ſatis compertum; niſi quod creduntur copias aliquas ſepoſituri, quas Erlacho opponant. Ille nimirum mox adventurus cum quatuor, aut quinque hominum millibus in Lucemburgum perhibetur. Succedunt ſemper proſpere adverſus Bavarum Fœderatorum arma. Conveniſſe jam Monaſterii ajunt de forma, deque tempore, quo Svecí a Cæſareis illa quinquies millies millia Thalerorum accipiant. In Anglia ſit ne quidpiam novi peractum, mihi nondum conſtat. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis IX. Calend. Sextileis M DC. XLVIII.

E I D E M.

COmmodum accepi tuas litteras, ut appulſo pridie Campinio traderem, quas ad eum dediſti. Is eadem ſemper veneratione, eodemque affectu adverſum te eſt; dignus ſane, quem, ut cepiſti, ita amare perſeveres. Cum ſit ſub Octobris finem rediturus, amicorum quidem ſunt vota, ut donec diſcedat, expectem; non faciam tamen, Deo propitio, tum præ ſumma tui viſendi impatientia, tum ne me in itinere, quæ plerumque ſolent per ea tempora ingruere, frigora intercipiant. Quos hoſtes nuper moviſſe ſcripſi, deflexere deinceps VVernam obſeſſuri; idque ſociis, qui non procul eo hæſerant fine, prævertentibus, ut Urbem cingentes, Rantzovio præſidium firmaturo obſtarent. Ac inſequutus quidem Condæus; ſed ajunt vix eſſe, ut ſperandum ſit, poſſe ab eo locum ſuſpicem præſtari. Scribitur ex Germania non potuiſſe Confœderatos iturus ulterius, ſuperare Ænum; tanta fuit & aquarum vis, & hoſtium ex adverſa ripa occurſitantium reſiſtentia. Addunt Lamboyum viribus refectis in Haſſiam redire. In Anglia res ſemper perinde turbatæ. Apud nos, actæ nudius tertius pro Tortoſæ expugnatione, Rege præſente, ſolemnes gratiæ. Hodierna luce conſedit Rex in Senatu pro tribunali; ac tum rata fecit complura, quæ jam Senatus decreverat, tum haberi deinceps vetuit quatuor ſupremarum Curiarum Comitia. Quid ſit futurum cras, fuge quærere. Vive autem in annos Neſtoreos, o dulce meum decus. Pariſiis prid. Cal. Sextil. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

QUid rerum nuper ſuſtinueris, ut te non generoſe minus, quam moderate geſſeris, incompertum fieri fama non permiſit. Pergratum fuit autem, quod ſimul accepi, abſuturum mox ejuſcemodi irritamentorum patientiæ fomentum. Evicit heic Aula, ut Senatus ad medium uſque menſem exactum intermittat Comitia; conſenſitque, ut liceat deinceps de Regio Placito, quod nuper fuit promulgatum, deliberare. Quoad uſque VVerna ſit reſtitura; quo proceſſurus Erlachus ſit; quid Lamboyus cum Gexio, Sveci cum Bavaris geſſerint, avide expectant non pauci. VValliæ Princeps in Hollandiam appulſus navibus decem majoribus, quas *Rambergas* vocant, conſcenſis, ſeſe cum fratre mari commiſit. Farfaxius perſeverat ſemper in obſidione Colceſtriæ. Cromvvel, expugnato Pembrokio, diſceſſit in Boream, obſtiturus Scotis, qui Hammiltone Duce tandem proruperunt. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis VII. Eid. Sextil. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

SUnt ea profecto, quæ commemoras, dijudicatu perdifficilia. An verò potuit Bavarus ſpem in vaſtatione a ſe facta in fluminum obicibus, in præcipuarum urbium præſidiis, in amplificandis abs Cæſare copiis [uti & revera eæ jam perhibentur, quæ niſi diſtrahendæ ſint, ut ſuccurratur Bohemiæ non deſit, quod Sveci per Bavariam timeant. Denique in Germaniæ pace, quaſi ea brevi ineunda ſit? An aliunde hujuſmodi pax ſuffragiis etiam noſtris promovetur, quia inìicere remoram non licet? neque tametſi Svecus cum Cæſare, Germaniſque convenerit, conditiones propterea ullæ, quouſque & nobiſcum conventum, & pax publica fuerit promulgata, ſunt demandandæ? An demum Parlamentum pervidit fore, ut niſi jam eam reformationem, quam Aula probavit, ſanxitque ſuaderet, non oppor-

tonius ipſi tempos inpoſterum occurreret, quam occurrerit hactenus; imo & fortaſſis diei illud poſſe:

Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Ad te nuper cum ſeriberem, adventabat qui occupatam ab hoſtibus VVernam nunciaret. Aliud nihil ex Flandria deinceps accepi, niſi quod noſtri metuont, ne-non diu Iperam tueamor, ac præclare futurom ſit, oiſi hoſtes, quos apparare inſignem Claſſem memorant, qoidpiam cogitent de Dunkerka. Damnatos ajont Majeſtatis ab Anglicano Parlamento Scotos, & quotquot ipſis ex Anglis favent, quales præſertim ſont Proceres Hollantus, atque Bukingamius. To, o Principom optime, ac meom dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Eid. Sextil. M DC. XLVIII.

E I D E M.

COntinere non poſſum me, qoin paucos hoſce verſos incipiam a gratulatione, qoam debeo ob inſignem victoriam abs tuo Condæo in Archiducem reportatam. Commiſſum prælium dicitur Atrebates inter, & Baſſeam; obl hoſtes plane proſtrati; capta tormenta ſupra triginta cum univerſis ſarcinis; & com Archidox ægre elapſus, ægre ſe in Caſtrum neſcio quod receperit, dicitur Condæus illom obſidere. Ut paucis dicam, victoria hæc noo minor, nec minoris momenti, quam Rocroyana reputatue. Qoid poſſit hoſtibus deinceps eſſe animi, ipſe judicabis; &, cum ſimul quidem potiſſimum acceperint, quam cladem Cæſar paſſos eſt ob Pragam inſperato captam, direptamque a Koniſmarkio. Scribunt Bruno procurationem ab Hiſpano miſſam conſimilem illi, quam Servientus habet ad ineundum pacem. Quo-uſque ea demum ſit producenda, dies docebit. Accepi porrò magno dolore non eſſe tibi turbarum finem, &, quod de moliminibus in Comitatu ſubindicaſti, perſcriptom fuſius ab aliis eſt. Spes eſt, ut brevi totam banc caliginem plane diſcotias. Faxit Deus ter Optimus, quo tibi demum ea, quam mereris, quamqoe ardenter voveo, tranquillitate froi liceat. Bene interea, optime Princeps, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XII. Cal. Septembris M. DC. XLVIII.

E I D E M.

QUanta fuerit illa, qoam nunciavi noper Condæi tui victoria, abonde jam perſpexeris. Actæ pro illa apud Deiparæ nudius-tertios ſolemnes gratiæ; at, qood ſubinde juſſu Regis abductos Senator, coi *Bruxellæ* nomen, ideo populus, qui illum habet, qoaſi jucioem ſuorum Patronum, ſic tota Urbe commoeus foit, ot nulli pro more ſub veſperam colluxerint, oui dici ſolent *lætitiæ ignes*. Fuere deinceps inſignes turbæ; verum, quia reductus eſt mane Senator, pacata ecce omnia jam ſont. Non hæreo profecto, quin bonitas tua, quæ poterat lenire tigres, rabidoſqoe leooes, quantam deſcribis, extiterit. Id doleo, quod ea, ut par eſt, quorum intereſt oon utantor. Docebit tandem illos dies, quanti ſit tuam indulgentiam, lenitatemque experiri; & qoalis abs te exhibetur, ſinceritatem, fidemqoe præſtare. Ego id ſemper onice voveo; ita mihi eſt cordi, ut fruentem te tranquillitate videam, ſine qua oneri eſt vita. Faxit itaque ter-Optimus Deus. To interea, optime Princeps, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis V. Cal. Septembr. M DC. XLVIII.

E I D E M.

ERit haud dubie, optime Princeps, quod coodoleas ereptum nobis nuperis Calendis optimum Merſennum, qui & te donec vixit tantopere colpit, & per morbi etiam extrema, cum inviſeretur abs me, commeminit tui. Duodequadraginta dies pleuritide ootha ad dextrum latus laboravit, continenter dolens, perpetuo inſomnis, difficile anhelans, & niſi in partem affectam jacere non valens. Crebro illi ſanguis, ac potiſſimum per morbi initia, ſed nequidquam miſſus; Cauterium etiam adhibitum, ſud parca nimis exſudatio. Denique & latus apertom; verum ſucceſſu non felici; nam paucis poſt horis animam efflavit. Vir corde ſimplex, innocens, mundos, in quo dolus non fuit. Vir, quo nullus unquam curioſior, ſcrutantior, experientior. Vir, quem omnes Artes, & Scientiæ, qoibos ſemper, qua explorando, qua conſultando, qua alios inſtigando, promovendis ſeſe præſtitit indefeſſum, merito lugeant Et vis ſiogulare illius, qua fuit erga bumanum genus, beneficentiæ argumentom? Ecce jam pæne moriens Medicis mandavit, ſuum ut cadaver diſſecarent, quouſque morbi foi cauſam, qoam ignoraſſent eo fine addiſcerent; ut iis, qui deinceps morbo ſimili tenerentur, ſuccurrere poſſent. Vivat, o ille, ut animo in Cœlis, ſic fama in Terris, inter homines; cui, ſi qua illis etiam mortuus prodeſſe poſſet, curæ fuit. Quantum mihi ſit Viri deſideriom, ipſe, qoi nos noras, conjicere potes. Vix certe ſuſtineo tibi quidquam aliud hac qoidem vice perſcribere; adeo mihi unica pæne capitis tam cari effigies aoimo obverſatur. Werna mox a Rantxovio occupanda ſic creditoe, ut Dixmudæ occupatio conſeqootura brevi ſperetur. In Germania res ſemper ſe proſpere admodum habere dicuntor. Agitur jam cum Anglo benignius; ſpeſque eſt, ut illi res non male cedant. Reditum Claſſis in Provinciam ab irrita Neapolitaoa expeditione accepimus. Ea, quæ heic contingunt, ex aliis addiſcea. Ruri Campiuios noſter eſt. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, valo. Pariſiis prid. Non. Septembr. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

FElix Condæus, cui tu, taotus Princeps, iſthæc tam præclara cood a ἐπινίκια, nampe, ut magna ſont, qoæ perugit; ita magnum profecto eſt, tantum, quantus ipſe es, Encomiaſten nanciſci. Obſidet ille adhuc VVernam; ſed nimirom loci præſidium longe amplius eſt, quam facta initio ſpes fuiſſet. Sparſus rumor eſt neſcio quis de inita eum Cæſare pace; ſuſtinendum tamen, donec certioe fiat. Nihil adhuc molitos accepi, qui in Bavaria exercitus; an verò Sveci in Bohemia Taborem, ot ajunt, occupaverint dies ſuccedentes docebunt. Qoam verendum, ne Angliæ Rex degere infelix perſeveret! Mitius jam eum eo agebatur, meto Scotorum videlicet; at quid ſuſpicemur poſt tantam a Scotis acceptam cladem factum iri! Ecce enim Cromvvel ſtipatos non amplius, quam oovem bominom millibus, illos duplo plores ita eſt adorſus, ut fugato Equitatu, oon ſane in Scotiam [poſtico enim occurrerat] ſed ipſam verſus VValliam,

unde

Digitized by Google

onde vix poſſit evadere; peditatus ſe deſertum videns, ſui deditionem fecerit, & pauci interfecti cum ſint, mancipatorum oumerus eſſe novem millium dicatur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis prid. Eid. Septembris M. DC. XLVIII.

E I D E M.

QUo die ad te nuper ſcribebam, Condæos VVerus potitus eſt; idque, cum glaedem moſqueto exploſam, ideo bubalino thorace excepiſſet. Feliciter, quod in appendiculam caſu replicatam, ac reſiſtentiorem proinde incidiſſet. Is ſperatur die proxima, aut ſaltem perendie adfuturus Ruellii, quo nudiusſextus Aula diſceſſit. A Scotorum clade, & Gloceſtria capta, nihil habeo ex Anglia, niſi quod Hamiltonus, qui cum Equitatu aufugerat, dicebatur mox intra Oppidum neſcio quod ad ſe dedendum cogendus. Addunt Parlamentum a conditionibus Regi proponendis non deſiſtere; ac eſſe in eo Regem, ut illas, qoaleſcumque demom offerantur, accipiat. Fit ſemper pacis aliqua ſpes; ſed credi, ac probari, niſi eventu vix poteſt. Fuit vero, quod ais, Dei digitos, ut tanta commotio ſedaretur tam cito. Utinam deinceps tale nihil contingat, ne Deus ob ingratos mores eſſe tam propitius non pergat. Tu, o Principom optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis XIII. Cal. Octobr. M DC. XLVIII.

E I D E M.

NOn poteras, optime Princeps, juſta facare magnificentiora, quam eum tam egregio *εὐωδίᾳ* dignatus es Merſenni noſtri piis Manibus parentare. Oblitus fueram perſcribere, fuiſſe illi, pectore deſecto, non qua dolorem ſenſerat, quaque ad ioſimas notharum coſtarum apertum latus fuerat, ſed duobus ſupra digitis Apoſtema inventum; adeo ut, ſi ad illam partem facta fuiſſet inciſio, creditum fuerit potuiſſe illum incolumem evadere. Attameo ſic fata tolere. Pereodie, quam noper dedi litteras, Condæus Ruellium acceſſit. Ajuot fuiſſe illum deinceps Thalaſſiarcham, Admiraliumve factum; ſed rem ex aliis, quam ex me, certios exploratam habebis. Cardinalem San-Cæcillanum Aquenſem Archiepiſcopum Romæ mortuum accepimus. Quid Parlamentum heic rerum moveat aliunde haud-dobie pernoſces. Fuit illud heri Invitatum a Regiæ ſtirpis Principibus, ot poſſent ad San-Germanum, quò Aula erat conceſſura, ſermones mutoo conſerere. Ivere eò mane ex Curia Legati; ſed redierint-ne, aot quid egerint, mihi hactenus incomperrom. Novitas hæc rerum aliam quamlibet foris advenientem obſcurat. Nempe exceſſus Aulæ ex Urbe, circumſtans miles, quorundam carcer, aliorum abactio, populi murmur, plurium aufugium, utramque pæne paginam facit. Profectis Sarronem in Campaniam in dies X. aut XII. Campinio, & Luillerio, ipſe eorum tantum reditom, qoo ad te diſcedam, expecto. Tu, o Principum optime, ac meom dulce decus, vale. Pariſiis VII. Calend. Octobris M. DC. XLVIII.

E I D E M.

QUod tam amanter conquereris, nihil me de meo diſceſſu ſcripſiſſe, antevertiſſe me comperies ſuperiore hebdomade, qua ſignificavi nihil aliud me, quam noſtrorum Campinii, Loilleriique reditum, ut vale iis coram poſſim dicere, expectare. Nondum rediere, & non dio tamen commoraturi amplius ſunt; ipſe interea non deſinam inſequente hebdomade ſarcinulas colligere, qaò præmittere eas Lugdunom poſſim. Inſequar deinceps, *σὺν Θεῷ*, quam potero primom, & quam longiſſimum. ſpero me Lugduni adfore pridie *πανηγυρίας* Calendas. Hinc nihil erit amplius neceſſe, ut tua bonitas deſtinet huc ullas ad me litteras; quippe quas his acceptis dares, non offenderent me amplius in Urbe. Ipſe proxima occaſione faciam te, Deo bene propitio, de die præfinito diſceſſus certiorem. Diſceptatio Principes inter, & Parlamentum nondum abſoluta. Spes eſt tamen fore, ot brevi, ac pacifice exitum inveniat. Cepere Sveci qoidquid reſiduum ex Civitate Pragenſi erat; ſicquo univerſam jam tandem vaſtarunt. Ajunt Svecos, noſtroſque eo fine repetiiſſe Bavariam, ut Vaſſeburgum ſerio obſideant. Fama eſt Bavarum nunc demum obiiſſe, ac egiſſe Deo gratias, quod vidiſſet ſe, & ceteros Principes, Civitateſque Germaniæ nobiſcum, ac Svecis in conditiones pacis coiiſſe. Noſti ſcilicet utrinqoe ſubſcriptom, ac invitatum Cæſarem, ut & ipſe intra menſem, ſi videatur, ſubſcribat; ſecos enim eo prætermiſſo, pacem promulgatum nihilominos iri. Et litteræ certe Monaſterio acceptæ ferunt Legatos Cæſaris incombere ſerio in id, ot illius quoque nomine ſubſcribatur. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Pariſiis, poſtrid. Cal. Octob. M DC. XLVIII.

Haud memineram facere te certum, fuiſſe ad Campinium, quas ad eum dediſti, per Abbatem fratrem litteras tranſmiſſas.

E I D E M.

QUod ſcripſi nupera occaſione me hac hebdomade collecturum ſarcinulas, id hoc demum die, Deo propitio, peregi. Tradidi quin-etiam jam illas comportandas vectoribus; quò dubites minus me nonc denique, Cœlo largiente, diſceſſurom. Et noſter qoidem Loillerius rure eſt jam redox; verum Campinius adhuc hæret, nec ſe ſperandum, niſi iotra proximam hebdomadeo facit. Ipſe ſolidam præſtolabor, at ſi ille longiorem moram, quod tamen vix eſt ot credatur, trahat, non eo minus, Numine favente, ita ſub initium alterius diſcedam, ot ſim Lugdonum quo proxime prædixi die appulſorus. Interim vix ſupereſt tempus, quo perſcribere vel hoc ipſom vacet; eſtque proinde, ot condones, ſi nihil adiiciam, neqoe de iis rebus, quæ partim in Aula, partim in Senatu geruntur, neque de negotio, in quo eſſe te dicis *ἀλγεινῶς*, cujoſqoe otinam eventos is ſit, qui brevi te in oppoſitam perſuaſionem convertat. Vale, o decos Principum, vale, o dulce decos meum. Pariſiis, VII. Eidib. Octobr, M. DC. XLVIII.

Viro erudito, & induſtrio Ægidio Matropto

PETRUS GASSENDUS S.

GRate complector, quod voluiſti tuam mihi Sphæram oſtendi; ac probo quam machinationem converſionibus ſecundorum mobilium repræſentandis commentus es. Optarim ſolum, productiorem Terrenum axem fieri; ut melius idem eſſe, qui Mundi totius axis intelligatur. Perge his modo te dare curis, quibus adeo es feliciter natus. Pariſiis Eid. Octobr. M. DC. XLVIII.

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

POſtremæ hæ litteræ ſunt, quas ad te ex Urbe, Deo propitio, ſcribam. Nondum quidem rediit Campionius; ſed, ſeu redierit, ſeu hæſerit, ſpero ipſe diſcedere non ſerius, quam quarto ab hinc die. Proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum. Proxime in Aula, ac Urbe res ſunt, ut quietiſſime peragantur. Faxit Deus ter-optimus. Litteræ Monaſterio acceptæ renuntiant Miniſtros Cæſareos fuiſſe intra biduum ſubſcripturos pacis conditionibus inter Germaniæ ordines, noſque, & Svecos pactis conventis. Ea re peracta, ſi nihil modo inteſtini mali vigeat apud nos, ſpes ſit multa, fore, ut brevi generalis pax inſequatur. Reſcribam ad te, Numine favente, Lugdunum cum appulero, ubi interquieſcam per quinque, aut ſex dies. Servet te interea incolumem Deus, ut proſpera fruentem valetudine reviſere te denique, & complecti pleniſſimo venerationis affectu liceat. Pariſiis poſtridie Eid. Octobr. M DC. XLVIII.

E I D E M.

EN me Lugduni, optime Princeps, & ab eo quidem, quo præſcripſeram, die. Fuit verò mihi hactenus, Deo bene propitio, iter proſperum, eademque prorſus, qua Pariſiis diſceſſi, conſtat valetudo. Cogitaram non amplius heic, quam hebdomade hacce commorari; at vereor, vix fieri, ut excedere niſi poſt Martinalia poſſim. Nempe Cardinalis hujus urbis Antiſtes dimittere me, niſi prius in villam ſuam deduxerit, & dies in ea pauculos detinuerit, minime vult; ac ipſe ea fronte non ſum, ut, qua ille id exigit comitate, negare ſuſtineam. Utcumque tamen forte adhuc hæream tota inſequente hebdomade, conſtitui ſaltem initio ſtatim conſequentis alterius abire. Quare & ſpes eſt, ut, Deo favente, ac modo ſecunda navigatio ſit, accedam ad te circiter beſſem hujuſce menſis. Interim verò optime Principum, ac dulce decus meum, vale. Pridie nonas Novembris, M. DC. XLVIII.

E I D E M.

POſtridie, quam ſcripſi nuper ex hac Urbe, cepit me levis invaletudo, quæ hactenus quidem me in lecto habuit; verum, Deo propitio, ſic jam evaneſcit, ut conſurrecturus mox ſim, & nihil obſtiturum ſit, quominus præſcripto tempore diſcedam. Nam quod optimus quidem Cardinalis me deducere in villam conſtituerat, id ſic meo permiſit arbitrio, ut cum fuiſſet heſterna luce dignatus me inviſere, tacite excuſarim, niſi facerem ſatis. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Lugduni, III. Eid. Novembr. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

SPeraram hodierna, craſtinave luce Taraſconem appellere, currumque pro tua bonitate eo deſtinatum uſurpare; & ecce adhuc tamen ex hac urbe ſcribo, quia res per me ſolum non ſtetit, cum forem nudius tertius [ac non penitus refragante præſertim valetudine] ad diſcedendum comparatus. Scilicet præclarus Nauta urgenti, mihi conquerentique non aſſe apparatum navigium, cujus in ſe totam receperat curam, ſignificavit demum fraudem, qua uſus erat ſcribendo iſthuc, & ad Tornatorem inprimis, non eſſe adhibendam meis litteris de die, ac loco appulſus, fidem. Siquidem non paſſurum ſe, ut quidquid moliret, me flumini committerem; ſed evicturum, ut quam Lecticam tua bonitas fuerat miſſura, expectarem. Cumque ego, fraude cognita, vehementius expoſtularem, quippe & ob nimiam erga te fidentiam, & ob diſceſſum præter ſpem, pollicitationemque meam retardatum, excepit Præfectum Curſorum potuiſſe, quo eſt genio, non tradere ſtatim noſtras litteras; ac fore, ut perendie reſponſum ad ipſas haud dubie habeamus; &, niſi habeamus, ſe quam-maximo incubiturum ſtudio, ut, nulla amplius protracta mora, initio ſtatim hebdomadis proxime inſequentis diſcedam. Iſthæc enarro, ut excuſem, niſi promiſſis ſteterim, ac ut te exorem, ne niſi forte jam feceris, Lecticam huc deinceps mittas; quoniam cum, Deo bene propitio, diſceſſurus ineunte ſtatim hebdomade indubie ſim, ea me prætermitteret, neque hinc digreſſum comperiret. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, vale. Lugduni XIV. Cal. Decembr. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

APpuli demum, optime Principum, ad ripam Taraſconicam, ubi & accepi diu commoraram, quam dignata fuerat tua bonitas ad me deſtinare Lecticam. Significavit quin etiam hoſpes, fuiſſe curam ſibi mandatam, ut quamprimum forem allapſus, ſi allaberer quidem, nuncium mitteret, quò Lectica reduceretur. Et cogitaram quidem equos, imo & jam conduxeram, ut poſſem hoc, quod ſupereſt itineris, perficere; ſed inſtanti illi denique aſſenſi; tum ne rem facerem tibi parum gratam, tum ne proritarem leviculum quidem, ſed morbum nihilominus, a quo nondum plane convalui. Præſtolor proinde, quod pro tua illa erga me voluntate eſt; voveoque ſemper, ut liceat mihi venerabundo te brevi complecti. Interim verò, Principum optime,

ac

ac meum dulce decus, vale. Taraſcone IV. Cal. Decembr. M. DC. XLVIII.

E I D E M.

Litteras habui, optime Princeps, quas a nupero Curſore acceptas tua bonitas tranſdi ad me voluit. Hæreo in Urbe, neque Diniam in proxima feſta concedo, quod hyemis rigor perſeveret, quod opellæ incumbam, cujus abſolvendæ mihi otium illeic non ſuppeteret; quod te hîc ſecurius excepturus ſim, ut tibi eſſe cordi es teſtari dignatus. Tu, ſeu Maritimam oram luſtres, ſeu conſiſtas alicubi, vive ſemper ſimilis tui, hoc eſt, eo vitæ tenore, ea mentis ſerenitate, qua hactenus te caſibus omnibus humanis ſuperiorem præſtas. De Civitatis ſtudiis, quæ ſemper ſunt varia, nihil eſt, quod dicam; cætera ipſe melius noſti. Vale, Principum optime, & cum generoſiſſima Heroina, cumque tota Familia, tum ſacros hos dies, tum ætatem totam quam feliciſſime exige. Aquis-Sextiis, Cal. Aprilis M. DC. XLIX.

Exciderat pene tibi renunciare Capitis longe cariſſimi, Spinoſæ nempe, hominum candidiſſimi, ac optimi mortem. Inaudire rem jam potuiſti; ſex enim ſunt dies, ex qua obiit, at illud poteſt tibi in tanto deſiderio eſſe ſolatio, quod in profeſſione conſtantiſſima Chriſtianæ, & Catholicæ Religionis clauſerit diem. Ita perſtripſere ad me, qui ipſi extremum morienti adfuerunt. Molliter oſſa ejus cubent: Tu verò vale iterum.

E I D E M.

Tametſi nondum acceperim quas aba te litteras expecto; non deſino tamen ad te ſcribere, & hac præſertim occaſione, quia is, qui tibi hoc ſchedion tradet, obſervantiſſimus eſt tui; neque alio fine ad te adit, quam ut ea tecum communicet, de quibus adhibere ipſi fidem potes. Verſor adhuc in Civitate ob eaſdem, quas nuper ad te ſcripſi, cauſas; unde & neque Diniam diſcedam ante illud tempus, quo feciſti ſpem, ut te complecti hîc adhuc poſſim. Dum id opperior, ipſe interim, o Principum optime, ac meum dulce decus, quam optime vale. Aquis-Sextiis, VIII. Eid. April. M. DC. XLIX.

E I D E M.

Quas hiſce adjunctas litteras habebis, id confirmabunt, quod ſcripſi nuper dictum ab illo iri, qui litteras meas ad te pertulit. Spero hinc demum diſcedere ab exactis Nonis menſis inſequentis. Voveo interim, exoptoque tibi omnia proſpera; maximeque, ut diſcuſſas omneis haſce nebulas feliciter videas. Inprimis verò, & vive, & vale, o Principum decus, o decus meum dulce. Aquis-Sextiis XI. Cal. Maias M. DC. XLIX.

E I D E M.

Haud ſane par eſt eſſe me officii adeo immemorem, ut tot miſſis aliis occaſionibus, non ſaltem convenienti te Patri optimo, paucos verſus dem, quibus abs me ferat pleniorem ſalutem. Utinam ille ſalvum te, incolumemque renunciet a Maritimæ oræ luſtratione, a qua te fore hodierna luce reducem conſtans fama eſt. Ipſe, ut reliquiſti valentem, ſic valere pergo; ac in eo ſum, ut brevi abſolvam quod ſuſceperam operæ; ſicque Diniam demum ante Eidus menſis inſequentis inſtituam iter. Significavit mihi Neuræus dediſſe ſe nuper ad te litteras, exoptareque, ut ſicut plenæ ſinceri affectus, obſervantiæque ſummæ fuerunt, ita fuerint acceptæ abs te. Ego verò juſſi eſſe eum ſecurum; adeo perſpecta mihi eſt tua, ut erga omneis bonitas, ita in illum ſumma propenſio. Quod ſupereſt, id ſemper voveo, ut illius verbis fidem adhibueris, qui litteras primus detulit Tolonem. Vale, o decus Principum, o & dulce decus, & præſidium meum. Aquis-Sextiis XV. Calend. Maias M. DC. XLIX.

Admodum Reverendo, & Clariſſimo Viro, D. Claudio Alvernio, Hebraicæ linguæ Profeſſori Regio, & Collegæ clariſſimo

PETRUS GASSENDUS S.

Quam beaſti me, Vir præclare, cum significaſti fore, ut eximia Simeonis Muiſii Opera brevi in lucem prodeant; & procurante quidem te, ut tam hactenus edita, quam nondum conſpecta prælo ſubiiciantur! Scilicet, qui commemini quantum me lectio eruditi in Pſalmos Commentarii, cetera inter, recreavit [ut puta propter litteralem, hiſtoricamque declarationem, quæ mihi cordi cum-primis eſt] in ea ſum ſpe, ut mire delectet Interpretatio tot aliorum Veteris Codicis locorum, quæ ſe feciſſe explanata ὁ μακαρίτης teſtatus eſt, & de quorum non-nullis a me, dum ſuperſtes foret, rogatus, Deum immortalem, quibus me tenuit quaſi Sirenibus attentum! Perge itaque urgere, ut ſoles, Typographicas operas; quoniam rem facies non mihi ſolum, ſed quibuſcunque etiam aliis genuinum Sacri Textus ſenſum curæ eſt aſſequi, per-gratam. Facies verò ſimul rem tibi decoram, dum gratitudinem erga illum, qui & te inſtituit in his litteris, & te ſucceſſorem, ut vovit, ita habuit, teſtabere; ac id aliunde ages, quod ſit & tuæ profeſſioni conſentaneum, & dignum tanto illo ardore, quo ad hujuſcemodi ſtudia promovenda es animatus. An-non verò id coherenter præſtabis, quo de te toties interpellavi; ut nimirum denique edas tuas illas ſacræ hujus linguæ Inſtitutiones grammaticas, quibus vidiſſe nihil memini, ut captu expeditius, ita memoratu facilius; adeo familiares, ac paucæ; adeo generales, atque cohærentes. Regulæ illæ ſunt, ad quas inaudita complura, nec-dum tantam molem præceptionum refera? Eſt, crede mihi res abſolutior, quam ipſe pro tua animi moderatione fateri velis; eaque, ex cujus evulgatione reportaturus ſis inſignem, & commendationem, & gratiam non a tyronibus modò, ſed ab iis etiam, qui longum tempus hac in lingua contriverint; ut quibus non pauca ſis demonſtraturus, quæ non fuiſſe prius a ſe animadverſa deprehendent. Suaderem quoque editionem egregiorum opuſculorum doctiſſimi Maimonidæ, de quibus egiſſe tecum memini, cum ea nobis coram interpretaretur Nobilis ille puer Bignonius, tot rerum ſupra ætatem ſciens, ac tanto Parente dignus filius; ſed nihil eſt ante-

ver-

vertendum, præmature-ve efflagitandum; ac erit cur hacce de re agam tecum uberius, ubi, Deo bene propitio, reverſus iſthuc fuero. Ex quo vale dixi, nondum domus meæ ſalutare limen eſt datum; ſed mea illa invaletudo partim me aliquandiu remorata Lugduni eſt, partim huc appulſum hærere coëgit, ac vigente præſertim Hyeme, quæ vix elapſa etiam-num eſt. Cogito porrò proximo die lareis demum reviſere, plurimum, ex Cœlo, ſoloque, quod mihi natale eſt, ſperans. Tu cum illo per-erudito, optimoque Fratre, abs quo etiam amari me, ut ſentio, ita lætor, vale. Dabam Aquis-Sextiis poſtrid. Eid. Maii M. DC. XLIX.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NE mihi præceps iſta occaſio ad te ſcribendi elabatur, aliud nihil ſignifico, quam me, & veniſſe in hanc Urbem, & fuiſſe in ipſa ut benevole, ſic honorifice exceptum; idque intuitu beneficiorum, quæ eſt mei ergo tua bonitas in homines noſtros conferre dignata. Tuſſis mea nonnihil recruduit; ſed &, Deo propitio, ſenſim matureſcit. Tu, o Principum optime, o meum dulce decus, bene ſemper vale. Diniæ raptim III. Cal. Jun. M. DC. XLIX.

E I D E M.

SChediolum hoc eadem via, qua & ſuperius, deſtino. Scilicet tutum jam non eſt Aquis-Sextiis tranſmittere, ubi res in dies turbari accipio. Nihil verò aliud ex me nunciabit, quam quod febrilis paroxiſmus ſic me ſuperiore die habuit, ut quando hoc die, qui jam pæne totus eſt elapſus non rediit, ſubverear admodum, ne ſit Tertiana ſebris expectanda. Ut viſum Deo erit, ſic fiat. Tu verò, optime, Principum, ac dulce decus meum, vale. Diniæ VII. Eidib. Jun. M. DC. XLIX.

Viro longe Illuſtriſsimo Petro Seguerio, Franciæ Cancellario

PETRUS GASSENDUS S.

OFferet tibi, Magne Segueri, ſingularis Vir Joannes Capellanus, quod deſtino ad te exemplum mearum illarum *in decimum Laërtii librum Animadverſionum*. Attexo verò tradendas ſimul mea exaratas manu litteras, qui ſi fuiſſet mihi tantum animi prætexere typis expreſſas maluiſſem. Scilicet opus tibi dicare ſæpe numero cogitavi; at ne facerem obſtitit, quod ducere ipſum tanti non potuerim, ut tam illuſtri nomine in ipſa fronte decoraretur. Quippe nihil aliud mihi eſt viſum, quam ſcopæ quæpiam diſſolutæ, varieque, & ſine ordine nunc heic, nunc illeic intertextæ, prout ſum paſſus, nunc hæc, nunc illa varie extorqueri a me, de quibus longe abfueram ab initio, ut cogitarem. Sane, ſi habere id dignum potuiſſem, quod magni alicujus Viri inſcriberetur nomini, non poterat alius in mentem, quam tu, Vir tantus occurrere, & duplici quidem maxime ex cauſa. Una, quod me ſentiam affectu non levi amari abs te; ac tenear, ſi quo modo poſſim, ſingularem, ut obſervantiam, ſic gratitudinem teſtari. Nempe, ex quo primum voluiſti, ut eximius ille Puteanus ad te ſalutandum me deduceret, ea fuiſti in me propenſione, ut nihil potuerim humanius, benevolentiuſque experiri. Siquidem non ſtetit per te, quin & diverſorium tuas intra ædeis, & nobiliſſimæ etiam Bibliothecæ ſpecialem mihi clavem habuerim, ac nunquam non mihi patere ad te voluiſti aditum, nunquam non conceſſum, ſi quidquam in mei, amicorum ve gratiam rogavi. Teſtatum quin-etiam feciſti non ſemel, quam ægre duceres meam illam invaletudinem diuturnam, cujus reliquias etiam num traho; ceteraque inter argumenta illud facio meritò magni, quod mihi id voluiſti innoteſcere per tuum illum Cubicularium, & nominis tanti Medicum Cambræum, a quo etiam acciperem invaletudinis levamentum. Altera, quod me ſæpe ſæpius hiſce de rebus interrogaris, & num forem ipſas in lucem brevi editurus requiſieris; dignatus non rarò, ſeu conſidens domi, ſeu me ad tuas illas extra Urbem deambulationes deducens, non audire ſolum, ſed etiam tua illa oris facundia amplificare, illuſtrareque, quæ ipſe preſſius & mea illa ruditate edisseruiſſem. Quoties nam interim me eſſe demiratum commemorem te, cum ut, ac tanta ſuſtineres negotia, cum res non modo publicas animo agitares, adminiſtrareſque; ſed privatas quoque mille hominum ad te dietim accedentium ita calleres, ut cum ſingulis colloquens ſcite, ac appoſite magis, quam ipſi de illis, verba faceres; te, inquam, poſſe momento poſt, multitudinem declinando, & cum delectis Eruditorum familiariter ſecedendo, eos commiſcere de Philoſophia, de Theologia, de humaniorum litterarum, aliiſque ſtudiis ſermones, quibus nonnemo recens paratus ſeſe imparem agnoviſſet. Hiſce ergo de cauſis non poterat alius præter te venire in mentem, cui meas haſce qualeiſcumque lucubrationes publice offerrem, ſi impetrare ex me valuiſſem, ut eas reputarem tuo nomine dignas.

Enimverò, ut hoc exemplum tradi tibi privatim curem, facit tua illa humanitas, qua grate adeo complexus es quidquid meum unquam ad te acceſſit. Tametſi quippe minime ſubſit, ut quemadmodum es dignatus cetera mea pellegere, in quibus partim brevitas, partim ordo potuit levare faſtidium; ita ſuſtineas ex tam prolixo, inconditoque opere vel pauca quædam delibare; cum & eſſe abunde videatur, ſi ipſum vel : angulum tanti illius tui librorum theſauri extremum recondi patiaris. Nihilominus vix erit, ſat ſentio, ut propter vehementem illum, qui Philoſophiæ nomen fecit, ac in te tantopere viget, amorem ſapientiæ, continere te valeas; quin cognoſcere ex eo quidpiam velis, cum deprehendes & opus eſſe philoſophici argumenti, & eo contineri doctrinam Philoſophi, cui labem fuiſſe ob ſententiam de voluptate injuria reſperſam, dum aliàs te coram ediſſererem, memini rem tibi feciſſe per-gratam. Et quod philoſophicum quidem argumentum pro tuo genio ſit vel id planum facit, quod jam attigi, quando animus ille tuus nunquam ſic eſt rebus agendis immerſus, quin ſerenitatem ſuam tueatur, & conſtanter ad contemplandum, complectendumque veri-

Digitized by Google

veritatem, quod ipſum eſt philoſophari, comparatiſſimus perſeveret. Quin-etiam haſce res tot, ac tantas, quibus gerendis es deſtinatus, non quaſi ex ipſis conſoerit, ſed quaſi ex ſpecula ſublimi, quæ veluti Arx Philoſophiæ ſit, proſpicis; omnia ſcilicet non tam ex quibusdam apparentibus circumſtantiis, quam ex rationibus a natura intima petitis dimetiens. Quo fit, ut cum aliis, quid agatur, conſtet, teneas ipſe cauſam, cur quidque agatur, ac ſpeciatim Legum vindex, & cuſtos, Legum-latoribus paria facias, quos idcircò cum Architectis Ariſtoteles comparat, quod rationem æqui, bonique generaliorem proſequantur, Magiſtratus alii ex præſcripto agant. Eſt verò præterea in te ſingulare, ut nemo felicius connectat duo illa ſumma ſtudia, quæ ſciſſa, habitaque ut plura, magni Oratores conqueſti ſunt, cum fuiſſent ab initio quemadmodum juncta natura, ita copulata officio, ut iidem Sapientes, atque Eloquentes haberentur. Nam partim quidem inertia, partim morum pravitas fecit, ut alii dicendi ſtudium, quaſi nihil ad ſapientiam; alii philoſophandi curam quaſi nihil ad eloquentiam conduceret abjecerint; tu verò omne tuliſti punctum, qui reputans multum hæc inter conſtituendum eſſe divortium, aſſuetus es, quidquid prufatis, ſuavitate illa Neſtorea condire. Certe & videris non alià de cauſa illam de nitore ſermonis fovere Academiam, quam ut exinde prodeant, qui poſſint res maximas, pulcherrimaſque eleganter exprimere; neque enim, tametſi illinendus rebus ingenuis fucus non ſit, non illas potius nativus ſplendor, quam ſqualor, & barbaries decet.

Quod autem Philoſophiæ genus, quo de agitur, diſpliciturum tibi non ſit, vel illud ſuadet, quod uni licet inutritus Sectæ olim ſoeria, animo tamen eam libertatem deinceps aſſerueris, ut ceteras æque triviſſe videaris; neque ſic illi addictus ſis, quin ſis paratus quidquid aliæ ſimilius vero habent, complecti. Et ſane, cum omnes Philoſophiæ Sectæ ad unum tendant, eundemque ſcopum, veritatem nempe, & eam, quæ ex illius adeptione conſequitur, felicitatem, par eſt habere illas omneis non quaſi plureis regias vias, quarum aliæ aliò deducant; ſed quaſi unius, ejuſdemque viæ diverticula, ſemitaſque, quibus denique eòdem perveniatur. Quid-ni verò, cum attendenti ſit in promptu agnoſcere, eſſe plerumque earum diſſidia non tam de ipſis rebus, quam de vocibus; adeò ut, ſi quis modo norit appoſite diſtinguere, is facile omneis in unam, eandemque ſit conciliaturus. Ac invitaret quidem occaſio, ut compararem Epicuream potiſſimum cum Stoica, quod ipſi quaſi oppoſita e diametro vulgo habeatur, maximeque, quod attinet ad Philoſophiam de Moribus; verum apud te id nihil eſt opus, niſi velim *noctuas*, quod ajunt, *Athenas*; cum & res abunde ex germana Epicuri ſententia perſpecta intelligi poſſit.

Huc ad te ſcribens, Vir maxime, ante menſem perveneram, cum ea febris corripuit me, quæ de abſolvenda epiſtola ne cogitare quidem permiſit. Nunc verò paroxyſmi quidem leviores, brevioreſque facti conſidere me aliquantiſper in lecto patiuntur; at non, ut citra periculum irritandi illos contendere animum poſſim. Quare, cum abſim, ut proſequi ea, quæ occeperam, aggrediar, paucos ſolum hos verſus addo, & qualiſcumque eſt, chartam hanc tranſmitto, ne Libri exemplum tuas ad manus ſine ſpeciali meæ erga te obſervantiæ teſſerà accedat. Fiet deinceps, Deo propitio, ut quando hæ res te ſumme delectant, agam de illis pluribus. Quæſo interim, ut pro illa ſingulari humanitate, qua beaſti me hactenus, iſtud, quidquid eſt, boni conſulas, & quaſi profectum a Viro, quo tui non ſit venerantior, habeas. Vale. Diniæ, Nonis Quintilibus M. DC. XLIX.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

OPtime Princeps, ex quo me recepi in hanc Urbem, bis duntaxat dedi ad te litteras, eaſque, quando alia via tutum non fuit, Avenione tranſmiſſas. Dedi verò prinſquam febri importuna corriperer, quæ a Nonis uſque ſuperioris menſis in Nonas hujus ſic ſævivit, ut vix jam plane evaſerim ab ipſius reliquiis liber. Certe ab altero ſolum die exire in Eccleſiam licuit, & ſeu lectionis, ſeu ſcriptionis ægre patiens ſum per horæ ſemiſſem. Ac rogavi quidem jam ante, ſchediolo miſſo, Ramefortium, ut ſi qua ad te ſcriberet, remiſſiores mihi fieri paroxyſmos renunciaret; at deinceps ſcribere ipſe niſi hac occaſione non valui; quam & arripere tamen debui, ut diſcedente potiſſimum verſum te nobili Pontiſio, non modo viva ejus voce, ſed exarato etiam mea manu charactere, certior fieri, quantum hactenus convaluerim, poſſis. Referet porrò ipſe, ut ſeſe Urbanæ noſtræ res habeant, ſed qua animi eſt moderatione, non commemorabit haud dubie quidquid ſive ipſe, ſive optimus frater, ſive generoſus ex fratre nepos Durbeſius, ut Civitas in eo, quo decuit officio contineretur, egerint; ego verò teneor teſtimonium apud te illorum fidei, conſtantiæ, ac diligentiæ dicere, quæ tanta eſt ſane, quanta in ipſis deſiderari major haud valeat. Utinam verò licuiſſet mihi, cum ille ad te ſcripſit Maſſiliam, verſus paucos, ut rem maturius ſignificarem, adjungere; ſed nempe mihi per illud tempus quidquam ſcribendi defuerant vires. Suppar illis fuit nobilis Vallevorius Cadaſalcius, qui una cum Durbeſio ex cœtu eſt Civium per haſce turbas res moderantium. Suppares fuere Conſules, & bona etiam ipſorum Civium præclare affectorum pars, at mihi præter ordinem ſummopere commendandus nobilis Peruſſia Viguerius Illuſtriſſimi, Reverendiſſimique Siſtaricenſium Epiſcopi ex ſorore frater mei tam amantis occurrit, cujus generoſos conatus, indefeſſoſque labores dicere ſi velim, non poſſim. Poteris ipſe ſpecialius omnia, ipſummet rogare Pontiſium; cum & indicaſſe mihi ſatis ſit, & me ſcribendi facere finem ipſa laſſitudo admoneat. Fortunet Deus conſilia tua; te verò cum-primis incolumem ſervet. Vale Principum optime, o meum dulce decus, ac præſidium, vale. Dabam Diniæ, x. Calendas Sextil. M. DC. XLIX.

E I D E M.

PRoxima hæc occaſio eſt a diſceſſu Pontiſii, quo ad te dare litteras licet. Nihil tamen de me, quod perſcribam ſubeſt; niſi me magis, magiſque in dies, Deo bene propitio, convaleſcere; tametſi nondum neque lectionem, ne-

 que

que ſcriptionem diutiuam feram. Nihil etiam, quod de rebus his noſtris; cum omnia niſi ex Tabellario, ſaltem ex Pontiſio cogniturus ſis. Addo proinde ſolum, illos, qui commendati jam abs me ſunt, cordate adeò pergere, ut commendari ſatis nunquam poſſint. Digni illi ſane, quos ames, quorumque curam ſpecialem geras. Audio te jam valde florentem coegiſſe exercitum: Tribuat tibi Deus ſecundum cor tuum. Inprimis verò, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ Nonis Sextil. M. DC. XLIX.

Hac jam ſcripſeram; cum neſcio quid novi rebus his noſtris interceſſit, cujus cauſa mutatum eſt de tabellario mittendo conſilium. Deſtinatur ergo ad te illius loco nobilis Vir, qui referre ipſe quidquid rerum eſt, poſſit. Ego verò hoſce verſus ſubjicio, ut certiorem te faciam eſſe illum dignum, cui omnem fidem adhibeas; &, ſi quid mandatorum eſt, quod eſſe videatur committendum, concredas. Vale iterum.

Qua occaſione factum fuerit, ut Vir nobilis, cujus facta in ſuperiore poſtſcripta mentio, te verſum non diſceſſerit, at jam Tabellarius rurſum deſtinetur, cognoſces uberius ex iis litteris, quæ ad Pontiſium perſcribuntur; cognoſces & quidquid deinceps peractum. Ipſe nihil aliud, quam hoc tibi ſignificandum ſumpſi. Pridie Eidus, iterum vale.

EIDEM.

QUod dicereris, optime Princeps, acceſſurus propius ad nos, ea fueram ſpe, ut ſi modo per valetudinem liceret, & convenirem te, & coram dicerem optatam ſalutem. Nunc quia ſemel ac San-Paulinum illud præſidium dejeceris, regreſſurus eſſe, & cincturus Urbem obſidione perhiberis, ipſeque recidi in febrim, quæ me in lecto detinet [tametſi ea, Deo bene propitio, & ſuperiore mitior eſt, & non eſt, Lautaretio quidem ſponſore, futura diuturna] ideò Tornatorem ad te deſtino, qui & fidis oculis hauriat, & fido ore referat, qui te conſpexerit valentem. Hæc ſcribebam ipſe, cum manus hærere, reſtitareque ob paroxyſmum febris obrepentem occœpit. Is, cum jam incipiat defervеſcere, prohibet imbecillitas, ne manu calamum reſumam. Tu verò boni conſules, quod Amanuenſis ille meus Antonius Poteria & ſuperiores verſus exſcribat, & me dictante excipiat, quæ fueram porrò conſcripturus. Ea ſunt præſertim, quod idem Tornator gratulabitur quidquid proſperæ eſt fortunæ, quam magnitudo animi, ſapientiaque tua conciliat; cujuſque adeò non alium, quam te agnoſcere artificem licet. Quo magis ſane pergendum eſt generoſos hoſce conatus urgere, & cogitandum te jam in ore, oculiſque non modo Galliæ, ſed & Europæ totius ſtare; adeò proinde, ut nunc præſertim ſit animis opus, & pectore firmo ad complendum opus, quo non potes toto ætatis decurſu glorioſius moliri. Enarrabit idem Tornator ecquid rerum obſtiterit, ne litteræ, quas heic attexo, fuerint ipſis temporibus, quibus eas ſcripſi, tranſmiſſæ. Recenſebit quoque, quis apud nos verus rerum ſtatus hactenus fuerit. Qui ex noſtris hominibus affectu propenſo in te, qui alieno extiterint; ac eos, qui fide ſincera, conſtantique animo perſeverarint memorans, aliquos etiam referet, qui geſtiunt redire ad te, ac denuò quam videri poſſunt violaſſe, obſtringere fidem. Adjicier, qui meam implorarint opem, quid ipſe illis objecerim, quatenus factum excuſarint. Quod verò te velim maxime exoratum, eſt, optime Princeps, ut Alarici ſenis optimi, quem milites tui Valentiolæ manu-ceperunt, miſerearis. Is tum patruus eſt præclari Peruſſiæ, quem Viguerium adeò erga te bene animatum pernoſti; tum amicus meus ut valde antiquus, ita omninò ſingularis, & quamvis quidpiam deſiderari in ejus filio valeat; ipſe tamen ſemper de te digne & ſenſit, & eſt loquutus. Quod demum Pontiſius, Durbeſiuſque ſunt acturi tecum de eo Oppido, cui tanto jure infenſus es, dicere aliud nihil poſſum, quam eſſe illos revera dignos, quorum precibus non parum flectaris. Homines certa Oppidi illius longe ſunt, ut propoſita, pactave ulla tecum conditione ſub jugum eant; quacunque enim mulcta eos plectes, illam ſubire parati ſunt; tantum vellent devaſtatione militari eſſe immunes. An verò cum id Oppidum lapide ſolum quarto hinc diſtet, ſi illeic milites graſſarentur, continere ſe ſatis poſſent ne ad nos uſque excurrerent? Tu, optime Princeps, quid expediat noſti. Vale autem ſemper, & ſucceſſibus quam-proſperrimis fruere, o & præſidium, & dulce decus meum. Dictabam Diniæ e lectulo, XIII. Caleud. Septemb. M DC. XLIX.

EIDEM.

QUid meum Tornatorem a poſtremis meis conſcriptis remoratum fuerit, quid rerum intervenerit, ipſemet ſatis renuntiabit. Quæſo te ſolum, ut ipſi fidem, qualem mihi habes, adhibeas; & quidquid addet, detrahet-ve ſuperioribus litteris, id abs me additum, aut detractum putes. Plura jam non poſſum, neque parvi duco, quod dum paroxyſmum expecto, iſtæc ſcribere licuerit mea manu. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ, meo e lectulo, XII. Caleud. Septemb. M DC. XLIX.

EIDEM.

REdiit Tornator abs te, ac me, Deo bene propitio, comperit febri jam immunem. Quam avide eum expectarim, quanto gaudio exceperim, haud eſt ſane facile dictu. Inaudieram jam aliquid de proſtrata ad tuos pedes cum Ordinibus tota Civitate; ac de ea manſuetudine, qua temperaſti victoriam; verum lætitiæ maxima fuit ex ipſomet addiſcere, qui ſe omnia habuerint, ac præterea intelligere, quam bene, proſpereque valeas. Et commendabere quidem ſemper, quod factionem tantam, ac tam variam tam generoſe repreſſeris; at illud tibi potiſſimum laudi immortali vertetur, quod cum poſſet ad uſque excidium in Urbem tam male affectam, hominеſque adeò infenſos ſævire, malueris tamen illam ſalvam, iſtos eſſe incolumeis; ac eò potiſſimum deductos, ut quem injuria offenderant, a quo ultionem jure timuerant, ejus clementiam implorarent, bonitatemque agnoſcerent, ſuſpicerent, venerarentur. Hac certe ratione non modo inimicos, ſed teipſum quoque glorioſe viciſti, ac planum feciſti, neque tutum eſſe in animi tui celſitudinem, præter fas, & æquum peccare; neque non tutum ad lenitatem, placabilitatemque tuæ mentis, quo decet modo, confugere. Ceterum ecce ad te Tornator mox idcircò revertitur, quod noſtræ hujus Urbis comitia expetierint, eum comitari quos primores Viros ad te deſtinant, ut & gratulentur proſperos ſucceſſus,

Digitized by Google

ſuis, quos exultatione tanta accepimus; & quam maximas tibi agant gratias pro iis, quibus nos cumulare favoribus non deſinis; & offerre pergant quidquid eſt obſequii, quod abs Urbe in te propenſiſſima, devotiſſimaque exigere potes. Latabere verò haud-dubie, cum in illis conſpicies & Peruſſiam Viguerium, quo eſſe non poteſt alius erga te, reſque tuas cordatior; & Eiclangonium Conſulem primum, quo deſiderare potes neminem in procurando, ut omnia tibi pro votis cedant, vigilantiorem; & nobilem Durbeſium, Pontifii illius, quem nuper vidiſti ex optimo fratre Nepotem, cujus conſiliis, animiſque peracta huc uſque omnia ſunt; & Juramium Juriſconſultum, a quo ſum quidem, ut ipſe noſti, non levem paſſus injuriam, eamque mihi nondum reſarciri ceptam; ſed quem tamen dicere poſſum unum eſſe ex Civibus, qui fuere tuas erga res præclariſſime animati. Unum adiicere heic teneor, Urbem nimirum Sedenam ad noſtræ mores, ac regimen adeò ſtudioſe ſe compoſuiſſe, ut & in fide manſerit conſtans, & nihil, quod ſciam, egerit, quo promerita duriuſculam illam, qua taxata eſt, animadverſionem videatur. Forſan non-nulli in eam infenſi ipſam apud te traduxerunt; at inauditum nobis eſt, quod aliquanto vel latum unguem ab officio diſceſſerit. Nam non defuere quidem in ea perturbatores, ac mali cives, ut non defuere etiam nobis, qui ſuſque deque omnia evertere tentaverint; verum major pars fuit ſemper ſanior, atque idcireò ut melior in deliberando obtinuit, ſic in exequendo commune nomen tulit. Hoc autem non alio commemoro fine, quam ut inſinuem e re tua eſſe, animadverſionem ita temperare, ut dum æquitatem tueris, eum te omnes habeant, qui diſcrimen amicos inter, inimicoſque ſtatuas; neque, quod aliqui pro te, aut te contra ſtent, ἀδιάφορον putes. Vale, Principum optime, præſidium, & decus meum dulce. Dabam Diniæ, III. Calend. Septemb M DC XLIX.

E I D E M.

QUanta lætitia homines noſtri, Tornatorque meus inprimis, abs te redeuntes acceſſerint, ipſe, qui tanta humanitate eos exceperis, conjicere potes. Quod præ ceteris delectavit me valetudo fuit, qua vigere te, tuamque familiam Illuſtriſſimam retulerunt. Ego, Deo bene propitio, ita in dies convaleſco, ut ſpe non levi tenear videndi tui, complectendique, niſi hoc, ſaltem proximo menſe. Qui juvenis hoc Epiſtolium reddet, ille eſt Felix a Creiſſeto, patre optimo dignus filius, quem Marchio Grimaldicus Bidenarum Arci præpoſuit; quique ad te aſſignandorum ſtipendiorum cauſa proficiſcitur. Auctor illi ſui, ut quampiam, quam habet præ manu Epiſtolam monſtret. Attexam porrò heic exemplum veteris ejus Diplomatis, quo beare Chanterecerium, meos nataleis, dignatus es; declarans nempe velle te eſſe ipſum prorſus milite immune. Facio verò, ut bonitas tua dignetur illi ſubſcribere, & *Juvenali* uti ſubſignet, ſigilloque muniat mandare. Nimirum qui nos milites circumſtant, ita illi inhiant, minaſque intentant, ut vix huc-uſque obſiſtere, quominus in ipſum deflecterent, licuerit. Cauſam prætexunt, quod Diploma vetuſtatis nimiæ jam ſit, ac eæ res ex illo uſque tempore intervenerint, quæ reddiderint irritum privilegium. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, ac præſidium vale. Diniæ, pridie Eidibus Septembr. M. DC. XLIX.

E I D E M.

DEdi quidem heſterna luce ad te litteras per Creiſſetum; at non debeo committere, ut Civitatis nomine Charambonus ad te diſcedat, quin ſchediulo ſignificem, & eſſe illum mihi amicum, parentiſque, qui olim fuerit mei amantiſſimus, filium; & fuiſſe in eo ſemper tuarum partium cordatum, ac vehemens ſtudium. Niſi Creiſſetus tam citò redeat, referre ipſe poterit, quod exemplum Diplomatis renovandi ad te tranſmiſi; ac ſimul narrabit quid mihi laboris ſuſtinendum ſit, ut obſiſtam, ne milites Chantercerium meum invadant. Adſuit nempe Thoardi operam daturus, ne illinc Sant-Andreana legio, quod jam ceperat, eò irrueret; & donec expectat, ut ſchedam hanc tradam, redit ecce quem ad Artaudum Latrunculatorem eo deſtinavi fine, ut ne Santonæa, quam deducit legio, eòdem involet, aut excurrat, caveat. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, ac præſidium vale. Diniæ Eid. Septemb. M DC. XLIX.

E I D E M.

NOn diſceſſit deinceps ad te Charambonus, morbo ſcilicet in ipſo procinctu ex inopinato correptus. Habebis autem ejus loco nobilem San Petreum, ac ipſius manu accipies cum hocce Epiſtolio, quem litterarum faſciculum deſtino ad meum Luillerium, quemque velim tua bonitas, ut per quempiam ex dimiſſis iſtheinc veredariis deferri jubeat. Præſtitit porrò quidem Artaudus, ne deſtinatæ quatuor cohortes ex Santonæa illa legione Chantercerium deflecterent; at metus gravis ex eo impendet, quod qui Sant-Andreani Sedenæ graſſantur, minentur ſe huc reverſuros, & devaſtaturos redeundo quidquid populati eundo non ſunt. Et certe id faciant pæne eſt neceſſe, cum quacumque ſemel tranſierint, efficiatur, וָבֹהוּ תֹהוּ, hoc eſt, nihil reliquum fiat, quo rurſus ibidem conſiſtere poſſint. Mirum dictu, optime Princeps, quam deſolata, infelixque Montana hæc regio evadat, ab hiſce commorantibus, progredientibus, regredientibuſque tot legionibus. Id ſane præter tuam mentem, voluntatemque omnino fit; ſed militarem licentiam noſti, quæ conſumptis miſerrimorum Oppidorum cibariis, abreptiſque, & conjecta in immenſas ſarcinas una cum abductis jumentis paupercula ſupellectile, torquet ipſos quoque cruciatibus diris, quouſque etiam exhauſerit quidquid corrogari pecuniarum poteſt. Utinam tibi adſit facultas; nam de affectu non dubito, ut nos, regionemve hanc noſtram tot hiſce malis eripias; ne tot inſontes animæ luere pœnas pro ſontibus adeo immaneis diutius pergant. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, ac præſidium, vale. Diniæ XVII. Cal. Octob. M. DC. XLIX.

E I D E M.

HÆc ad te ſcribo, optime Princeps, è meo Chantereceriolo, quod dignata eſt tua bonitas novo afficere beneficiò; ac id ſane peropportune; nam tuas litteras cum accepi, aderant jam Equites ſex deſignatum hoſpitia

ſpitia pro Sant-Andreana legione. Sautonæa ab uno, alterove die jam abſceſſerat; ac teneor tibi ſignificare, debere me multum generoſo Marcuſſiæ, quatenus cum foret pæne in procinctu, ut Seiis huc deflecteret, ut honorem haberet tuo nomini, ſic litteris meis per-humane reſpondit. Qui haſce ad te defert, unus eſt ex meis non incognitis tibi famulis. Habere autem ipſas voluit, ut libertatem fratris obtineat, quem Autraguea legio traducere vinctum ideo dicitur, quod Barolenſis Conſul cum ſit, teneri illum de pecunia ab eo Oppido poſtulata contendat. Id quid ſit rei probe non capio; ſed conjector præter voluntatem tuam fieri, ac te ideo tanto facilius clementem aurem precibus accommodaturum confido. Quæ me heic aliquot jam dies apud patrios lareis detinet occaſio, gravis morbus eſt, quo quæ mihi eſt ſoror unica, ſic laborat, ut vix ullum majus levamen, quam ab ipſa mei præſentia ſortiatur. Id incommodi ſi abeſſet, poſſet opinor, brevi, quæ mihi nondum plane eſt integra, valetudo prorſus reſtitui natali hocce in aëra; verum expectare par eſt, quid de nobis proſpexerit, conſtitueritque Divinum Numen. Ceterum quas litteras tuas cum immunitatis Diplomate accepi, Deum immortalem! quanto me voluptatis ſenſu affecerunt? Hui enim, tibi tot, ac tanta ſuſtinenti negotia, tantum licuiſſe temporis, quo prolixas adeo illas dares, ſuccidere, ac me ſimul tanta amoris teſtificatione beare? Quippe non præclara ſunt modo, quæ de amicitia in iis diſſeris, ſed etiam, quæ ſimul facto ipſo præſtas; adeo nihil unquam commendas verbo, quod opere non exequaris. Quam verò es gratioſus, dum rebus publice jam compoſitis, ſuboriturum tamen civile, ſingulare-ve quoddam bellum te inter, ac me minitaris, niſi ego tui rationem in amicitia habeam? Videlicet, quaſi oblitus quantus ſis ipſe, quantulus ego, congredi mecum velle digoaris eo certaminis genere, quod Athletas exigit pareis; ac pergis non alio donare, quam amicitiæ nomine, quam ego ſoleo, ut tui ex parte benevolentiam dicere, ſic mei ex parte obſervantiam. Utcomque ſit, minime hæreo, quin me habeas vere φιλυαλέτιον, quando ſum revera, ut obſervantiſſimus, ita & amantiſſimus tui. Quod ſi quam me habere rationem depoſcis, eò forte ſpectat, ut de meo ad te reditu cogitem. Sancte conteſtor nihil eſſe, quod mihi magis cordi ſit, adeo vel ob hoc unum expeto fieri bis morborum reliquiis immunis. Tu interea bene, imo optime, o meum dulce decus, & præſidium, vale. Diniæ IX. Cal. Octob. M.DC.XLIX.

E I D E M.

QUi Amalricus te verſum tendit, fuit mihi a teneris annis, & parentum merito, & indole ſua per-carus. Tendit verò, quod inaudierit Heſmitium San-Joanneum ſibi ex ſorore nepotem apud te, producem-ve tuum, traduci, ut reum deſertæ militiæ; ac in eo ſit, ut fidem tibi excuſationis faciat, veniamque, ſi quid eſt ab illo ætatis inſcientia peccatum precetur. Dederat adoleſcens nomen legioni primariæ tui Equitatus, ac fuerat etiam per turbas illas San-Sebaſtiani commilitans. Cum diſcedente verò deinceps, & non procul hinc, tranſeunte legione domum divertiſſet, ut ſibi de quodam, quem eſſe heic norat generoſo equo provideret, contigit, ut equus, caſu neſcio quo inter probandum, conciderit, & Equiti ſuo, San-Joanni nempe, perfregerit tibiam. Quare & hoc ipſi obſtaculo fuit, quominus ſe ad cohortem ſuam, ut exoptarat, reciperet, & poſtulante occaſione, ſuo officio defungeretur. Et ſegnior quidem fortaſſis fuit, aut in caſu hujuſmodi, cui oportuit, ſignificando, aut in petenda, a quo decuit, abſiſtendi licentia; ſed quod facere, nondum rerum ſatis expertus, potuerit, ut condonandum ætati eſt, ita tua eſt indulgentia dignum. Reverſus mox meo Chautereerio, ſororem reliqui gravi ſemper morbo periculoſe laborantem, tametſi Lauraretius bene ſperare me ſemper jubet. Debemus Deo nos, noſtraque הוּא : הַטּוֹב
יְהוָה : יַעֲשֶׂה בְּעֵינוֹ. Ipſe, Deo bene propitio, videor mihi in dies convaleſcere; ac eſt ſolum, quod verear, ne quæ tuſſis ante remiſſior, primis hiſce frigoribus non-nihil recruduit, ingraveſcat. Admoneor proinde vel hac ipſa re, ut Cœlum clementius experiar; ſicque quamprimum potero ante Hyemem te conveniam. Vale interea, optime Princeps, o meum dulce decus, & præſidium, vale. Diniæ III. Non. Octob. M.DC.XLIX.

E I D E M.

HAud debeo ſane committere, ut meis ſine litteris Præſul meus ad te diſcedat. Optaram ego una cum ipſo ad te reviſendum inſtituere iter; neque per illum profecto ſtat, quominus me eadem lectica convehendum dem comitem; at non licet mihi eſſe tam felici, quod Germana mea ſic adhuc laboret, ut de deſerenda, quo-uſque non-nihil melius habeat, cogitare minime poſſim. Spem facit Lautaretius fore, ut niſi ante finem menſis, ſaltem brevi poſt diſcedere liceat. Quare &, Deo bene propitio, illico ἀπὸ τῶν πανηγύρων, redire ad te dabitur, ac uti ſpero, ob illuſtris Infantis nuptias gratulari. Nimirum ſponſus ille eximius pæne jam, ut audio, pro foribus eſt, reſque in ipſo eſt procinctu. Utinam è Cœlo adſit Hymenæus, qui

——— *Et ſolemnia verba*
Et lætos vultus, & felix adferat omen.

Reverſus ad nos Amalricus dici non poteſt, quantis præconiis immenſam illam bonitatem in ſe effuſam exaggeret. Ipſe, qui tibi ſolidam debeo, rubore ſuffundor, quod illi teſtandæ continentem pæne occaſionem faciam. Ad valetudinem quod ſpectat, eſt ea jam, favente Cœlo, ſatis propitia; niſi quod importuna tuſſis, quam mihi pæne evanidam poſterior febris reddiderat, quaſi poſtliminio regreſſa, ſuas videtur actura vices. Verum, ut lubet Numini, ita par eſt nos eſſe comparatos. Tu, o Principum optime, ac dulce meum decus, quam optime vale. Diniæ XII. Cal. Novemb. M.DC.XLIX.

E I D E M.

REferent, qui ad te contendunt ex noſtris Conſulibus duo, alter quidem, ut Comitiis abs te convocatis interſit, alter verò ut, quantum licet, teſtatam Urbis nomine gratitudinem faciat; referent, inquam, idcirco me in dies pauculos diſceſſum differre, quod quæ mihi negotia cum ipſa Civitate ſunt, nondum plane confecta fuerint, & in eo ſint tamen, ut brevi abſolvantur. Optandum fuerat

ipſos

ipſos adeſſe; verum quod abeundi neceſſitas fuerit, demandata eſt cura, tum collegæ eorum in Urbe ſuperſtiti, tum aliis quibuſdam Civibus primariis, ut cepta perficiant. Spes eſt proinde, ut niſi hac tota hebdomade res peragatur, id fiat ſaltem primis inſequentis diebus; ſicque ad te diſcedere, aut mediis, aut poſtremis liceat. Exopto certe quam-maxime; quoniam tum adeſſe non licuit, cum generoſus Princeps acceſſit:

——περὶ δ' ἴαχε δῶμ' ὑψόροφον,

Saltem & brevi convenire, & coram bene apprecari:

χαίροις, ὦ νύμφα, χαίροις εὐπένθερε γαμβρέ

Tu bene interim ſemper vale, o & Principum, & dulce meum decus. Diniæ III. Non. Novemb. M. DC. XLIX.

E I D E M.

JUxta litteras, quas poſtremas dedi, conſtitueram perendie, ſeu pridie Eidus diſcedere; verum eo ipſo, quo ſcripſi die, eadem me cepit infirmitas, quæ anno ſuperiore, eodemque hoc menſe detinuit Lugduni. Continui me proinde in lecto, nec potui, niſi heſternâ luce ex eo ſurgere, ut mea ea bibliothecula, quos præmitto libros ſeligere poſſem. Hinc quia nolueram tua illa indulgentia nimium abuti, mihique equum compararam, quo non incommode veherer, conſilium capio jam de Lectica, de qua juſſiſti, non recuſanda; ſcriboque ad Delnoſium tuum a Sacris optimum, ut eam heic adeſſe XI. Calendas procuret. Videlicet ſpero me, Deo propitio, eas interim vireis recuperaturum, ut me itineri impune, ac eo præſertim genere vecturæ committere valeam. Qui haſce tibi litteras reddet, Orſonius eſt, filius ſcilicet optimi in ſede hujus urbis Seneſcallica Conſiliarii. Is ad te contendit, quod cum prædium habeat in Oppidulo vocato *Archail*, permotus aliunde ea miſeria fuit, qua pauculi illi, qui cum loculum incolunt, miſere laborant. Sunt in eo familiæ ſolum pauperculæ quatuordecim, neque enim plura ſunt, ſeu aggeſta, ſeu in villulas diſperſa tuguria. Cum res verò ita ſe habeat, ecce homines Marculfenſes indignati, quod Santonæa legio illis prætermiſſis, ad ſe, aliaque oppida divertiſſet, tuæ impoſuere Celſitudini, dum obtinuere ab ea decretum, quo miſeros illos poſſent cogere ad ſolvendum facta in legionem expenſa. Fuere autem adeo immites, ac ferrei, ut impetu facto in eos irruerint, & omneis omnino, quos habebant βόας ἀροτῆρας, omneis omnino aſinas, omneis omnino oviculas, capellaſque abduxerint; ac id quidem pridie, alterove die ante Nundinas, quibus infelices ſperabant ejuſce peculii commerciolo ſibi in Hyemem providere. Ij ſequuti ſunt prædatores illos, fœnum comportantes, quo armenta, hoc eſt, ſuam ſpem totam alerent; acerbe autem ab iis repulſi, acceſſere omnes ad Civitatem ſupplices, & bonorum omnium, ut commiſerationem in ſe, ſic in feros illos, atque barbaros indignationem concitarunt. Barbari profecto audiere, ex quo præſertim admittere vadimonium nullum voluere, ac petiere ſibi reipſa libras quater mille, atque quingentas numerari; cum miſeri illi vix ſint totidem denariis perſolvendis pares. Rem itaque, optime Princeps, tua bonitate dignam facies, ſi reddi illis miſeris totam eam prædam mandaris, ac juſſeris quoque Auctores tantæ ſævitiæ increpari. Pete, amabo, ex Artaudo, cujuſmodi ſit ille viculus. Nempe, cum fuiſſet abs te extortum, ut eò diverti legionem memoratam præſcriberes, ipſe præiens fuit omnino præſcripta mutare coactus; & Marcuſſia quoque te coram ſpectata, ne momentu quidem hærere ſuſtinuit. Demiratus nuper ſui admodum, cum tuis ex litteris agnovi fuiſſe ex noſtris hominibus aliquos adeo pervicaceis, ut fuerint de Creiſſeto apud te recentius conqueſti. Quippe ex quo ille abs te rediit, ſemel duntaxat petiit, non quidquam a ſe aliunde expenſum; ſed ducenias duntaxat libras erogatas in milites, quibus eſt tutatus Bedencoſem arcem. Sed nempe illi, ut ne eas quidem ducentas libras ſolverent, querelam illam inſtituerunt; puduitque eos plane, cum rem mihi ingratitudinem exprobranti, perſpectam noverunt. Diſceſſurum me e infecta cum Civitatis hominibus, Conſulum abſentiam cauſantibus, provideo; diſcedam tamen lætus ea ſpe, quod ad te demum ſim acceſſurus. Vale interea quam-optime, o & Principum, & dulce meum decus. Diniæ IV. Eidib. Novemb. M DC. XLIX.

E I D E M.

ACcepi, exoſculatuſque eximium Epiſtolium ſum, quod ſtatim ἐν δευτέρῳ σαλῷ ſcribere ad me tua honitas eſt dignata. Id obſtupeſcerem, niſi qua in me animi propenſione ſis, tot jam argumentis haberem perſpectum. Sperabam, uti & par erat, ad te litteras prior dare; tu verò, ne foret amoris τεκμήριον, quo non vinceres, id, quod omnino mei fuit officii, præoccupaſti. Hoc ut honori mihi eſt, ita de te non conqueror; neque meam cauſor ſegnitiem, quod tu antevertens omnem diligentiam hanc mihi peccandi, ſi peccatum fuit, neceſſitatem feceris volens. Nihil hærebam, quominus illud, quod ſignificaſti eveniret; ſed nempe ter Optimus Deus quò ſit omnia verſurus novit, ſperandumque eſt, ut nihil non bene. Apprecor ſolum proſperum iter, quando & aliud nihil ſupereſt, niſi ut continenter vota pro tua incolumitate, felicique rerum ſucceſſu concipiam. Luillerius meus ægre ſemper, lenteque admodum convaleſcit, concluſuſque adhuc cubiculo degit; niſi quod migravit ad me, ut donec uterque hic ſumus, una diverſemur. Muſæum tuum inviſo frequens, cujus meus quoque Poteria curam, quam poteſt maximam gerit. In eo eſt, ut omnia involuta evoluat, cecoque acervo eximat; libros, qui Elencho deerant, additurus, ac cetera omnia ita digeſturus, ut cum hinc diſcedam, ſingula diſtincte, explicateque Belmontio committam. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Tolone XIV. Cal. Januar. M DC. L.

E I D E M.

QUod ſpes ſit, ut litteræ meæ te Lugduni conveniant, ideo paucos verſus illuc deſtino, quibus apprecari iter proſperum pergo. Valeo ipſe ſemper, Deo bene propitio, ac habet ſe quoque Luillerius jam melius. Cepit nudius-tertius, ut domo exire, ſic adire Parœciam, εὐχαριστικὸν τῆς εὐχαριστίας aſſumptione perſoluturus. Spectat animum aliquoties elegantis, varietateque Muſæi tui reficere; ac ubi tempora præſertim pomeridiana arridebunt. Perſtat Poteria meus in rebus indigeſtis ſic digerendis, ut, ſi quid opus fuerit, facili

nego-

Digitized by Google

negotio poſſe comperiri. Tu, ubicumque fueris gentium, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Tolone VII. Cal. Jan. M.DC.L.

E I D E M.

HAllucinatus ante octiduum ſum, cum fore ut te meæ litteræ Lugduni convenirent, ſpes fuit. Nunc, cum ſis *Aleſi* deinceps aliquantiſper commoraturus, haſce eò do, ut iſtu anni, ſemi-ſæculique reſidui initio non felicem modo anni decurſum tibi apprecer, ſed comprecer ſimul tranſcurſum felicem in proximum ſæculum, ut poſſis vidiſſe te tria, quaſi alter Neſtor, ſæcula gloriari. Apprecor verò etiam Illuſtriſſimæ Heroinæ, totique Familiæ omnia proſpera, ac negotiis tuis optatum ſucceſſum. Cepit jam Luillerius Muſæum una mecum inviſere, amœnitateque illius recreari. Secrevit Puteris meos omnia, digeſſitque in faſciculos; litteras videlicet Regis, Reginæ, adminiſtrorum, parentis, cognatorum, affinium aliorum, mei etiam complureis; Diplomata quoque, & placita varia, contractus item, rationeſque Colonorum, & alia, præter libellos, chartaſque multas Geographicas, Phragmographicaſque, & farraginem quandam nihili. Vale, Principum optime, vale, o decus meum dulce. Tolone, poſtrid. Cal. Jan. M.DC.LI.

E I D E M.

QUid hic gentium rerum geratur cognoſces abunde ex litteris aliis. Mihi, quod ſcribam nihil ſupereſt, niſi quod tibi proſpera omnia ſummis votis ſemper exopto. Accipio te ſemper optime valere; hoc ipſum verò eſt, quod inprimis noſſe expetitum comprimis delectat. Ipſe, quando mea quoque tibi valetudo ita eſt cordi, bene, propitio Numine, valeo. Cepit Luillerius heſterna luce luſtrare Urbis pomærium; tametſi non-niſi lente convaleſcit. Poteris meus in eo jam eſt, ut omnium librorum, quo ordine ſunt per pluteos digeſti, ſuccinctum texat Catalogum, quo omneis Belmontio, & adnumerare, & approbare facilius ſit. Mandabo deinceps, ut duo illius exempla deſcribat, quorum a Belmontio obſignatorum alterum tranſmittam ad te, alterum mihi habeam, tibique adſervem, ſi forte quod fuerit tranſmiſſum, caſu aliquo interciderit. Vale, Principum optime, vale, o decus meum dulce. Tolone XVII. Cal. Febr. M.DC.XLI.

E I D E M.

ADvectis tam ſerò tuis litteris non poſſum, ſi velim, multis reſpondere. Quanquam quid opus pluribus? Cum approbanti tuum illud rerum præclarum ratiocinium, unum ſufficiat verbum, ſubſcribo. Doleo & ego Memmium illuſtrem Præſidem fato functum (ſcilicet me quoque, ut noſti, amabat) ſed omnes nimirum eodem cogimur, ac omnium ita verſatur urna, ut ſua cuique ſors ſerius ocyus exeat. Exempla legi litterarum, quæ fuere ad te ex Aula conſcriptæ: Spes eſt, ut omnia bene vertant; ſed times, opinor, ſemper Danaos. Eſt aliquid tamen credendum fortunæ, quæ fortaſſis quoque, donec lente incedis, commutare omnia poterit in melius. Faxit Deus ter-Optimus, ac te cum-primis incolumem, ſeu in ſtatione maneas, ſeu in itinere pergas, ſervet. Valeo ipſe ſemper, Deo propitio, bene. Tu, o Principum optime, ac dulce meum decus, quam-optime vale. Tolone VII. Cal. Febr. M.DC.LI.

E I D E M.

NOn prorſus vane conjeci nuper, fore ut dum lente incederes, res compararentur in melius. Scilicet ſpes nobis fit magna, ut occaſione proxima cognatos tibi Principes eſſe in libertatem aſſertos audiamus. Non hæreo proinde, quin deinceps greſſu non-nihil concitatiore pergas; tametſi, quia non appuliſti, niſi nudius-quintus Lugdunum, vix eſt, ut iſtæ litteræ non prævertant tuum in Urbem adventum. Sunt heic, qui rediturum te priuſquam ad Aulam perveneris, ſperent; ipſe id exoptare quidem, at ſperare tamen non auſim. Utinam ſolum moram non trahas, ac brevi nos bees tuo reditu. Curatur ſemper Muſæum tuum quo ſtudio par eſt, nihilque iſti quaſi Parnaſſo, præter ſuum Apollinem, deeſt. Diſceſſit Luillerius ante ſeptem dies maritimam oram lecturus; at ferre tamen me comitem, niſi Hieras uſque non voluit. Dies aliquot cum optimo Graſſenſi Epiſcopo moratus, regreſſurus eſt Draguiniano, Brinonia, ac Belgenſerio in hanc Urbem. Quid deinceps conſilii capturus ſit, dies docebit. Tu ubicumque fueris, eſto ſemper ſoſpes, ac vale. Vale Principum optime, o dulce meum decus, vale. Tolone Eid. Febr. M.DC.LI.

E I D E M.

SPes eſt, quantum nobis è longinquo licet quadamtenus conjicere, te his ipſis diebus, aut jam perveniſſe, aut mox perventurum Pariſios. Haud multum hæreremos, quin, ut res ſe habent, appulſus illuc tuus ſit auſpicatiſſimus; quin omnia, ut exoptas, ſuccedant; quin animo ſis redeundi ad nos; quin te, Deo bene propitio, proſpere redeuntem brevi excipiamus. Hæc bonorum omnium ſunt vota: Utinam Deus illa fortunet. Litteras habeo a meo Luillerio Monœco ſcriptas a diebus quinque. Erat tunc illeic in procinctu, ut triremis facta occaſione, Genuam ſeſe reciperet, unde & conjector Romam conceſſurum. Spero ipſe ſolidum adhuc in hac Civitate menſem degere; eaque potiſſimum de cauſa, ut ſubodorer interea quid ſperare liceat de tuo reditu, quò quid diſcedenti agendum de ſarcinulis ſit provideam. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, bene ſemper vale. Tolone X. Calend. Mart. M.DC.LI.

E I D E M.

TArde quidam, ſed bene eſt tamen, quod ad me tandem tuæ litteræ Lugduno datæ pervenerunt. Beaſti me nempe, quod & te, totamque familiam valere intellexi; & factus certior abs te ſum, habere ſe jam proſpere cognatorum Principum res; tametſi idipſum ex aliorum prævertentibus litteris jam noram. Ecquam verò, putas lætitiam animo meo peperit, quod re jam quaſi reſpirantem, ſperantemque meliora perſenſi? Sic Phœbus tandem poſt nubila; ſic Deus tranquillum poſt tempeſtatem facit. Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi, digituſque Dei eſt hic. Utinam, ut cepit, ſic opus perficiat. Conjicimus te eſſe jam Pariſiis; ſperamuſque brevi,

ut

ut illuc appuleris, accipere. Plura ſcribere, ſi velim, non poſſum; Tabellarius enim, qui ad nos Taraſcone venit, urget reditum. Ubicumque fueris, bene tibi ſit, ac ſit Dominus Deus ſemper tecum. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, vale. Tolone IV. Cal. Mart. M. DC. LI.

E I D E M.

SCripſi ad te quidem ſolum nudius-tertius; verum tenere me non poſſum, quin occaſione publici Curſuris haſce ad te litteras dem, ut grater tibi, quam ſummam lætitiam attuliſſe is debet, qui cariſſimorum tibi capitum libertatem renunciavit primus. Nempe, tametſi tanta ea fuit, quæ tibi ex Briennæ litteris acceſſit, quantam mihi ſignificare Lugduno ſcribens dignatus es; quia nundum tamen Regia voluntas exequutioni demandata pro tuis votis fuerat, ſubeſſe adhuc poterat, quamobrem Danaos timeres; at jam, cum non modo donatos libertate Principes, ſed etiam in Urbem appulſos, & ingenti acclamatione, applauſoque exceptos didicerimus, facile ſane conjectu eſt, quam fuerit immenſum, quo fueris perfuſus, ubi iſta primum acceperis, gaudium. Gratulor verò etiam, quam ſecuritatem tibi factam ſentio, tum ob hanc ipſam libertatem, tum ob eum depulſum, cui tam græca fides (quippe & Durea Græci ſunt) quemque veritus tam lente incedebas. Idem interim tibi contigit, quod Pro-Avo tuo magno Mon-morantio; adeo plerumque è re eſt, quod dicitur *σπεῦδε βραδέως*. An verò gratulabor quoque, quam incredibilem lætitiam Civitas hæc teſtata eſt ob renunciatam, quam tantis votis, & vel tui amore, experiebar libertatem? Nequidquam ſane non eſt, quod illam extitiſſe dico incredibilem; quippe ne ego quidem fidem adhibere, niſi domo in vicos, plateaſque egreſſus, potuiſſem. Videre enim erat, omneis cujuſque conditionis, ſexus, ætatiſque homines, ſpontanea quadam exultatione tripudianteis, cantanteis, identidemque inclamanteis, *Vivat Rex, vivant Principes*. Scaturiebant undique vini fontes, circumferebantu que cyathi, ac lagenæ, quæ paſſim, epoto vino, effringerentur. Nemo fuit, qui vittis cæruleis ſe exornarum noluerit; ſupputatumque eſt, fuiſſe ex illis ultra millia ulnarum triginta coëmpta. Ditiores nimirum ſibi ipſi quæſierunt; Conſules autem publicitus diſtribuerunt in pauperiores. Turma Equitum erat ex ſelectiore juventute, quæ enſibus ſtrictis, elatiſque per Urbem incedens, ingeminandis acclamationibus occaſionem faceret non parvam; neque deerant Pedites, qui certatim cum tuæ legionis militibus idem præſtarent. Quodque admiratus potiſſimum ſum, fuere feminarum aliquot cohortes, quæ haſtis, moſquetiſque inſtructæ, præripere militiæ laudem ipſis militibus viderentur. Debetur verò id quoque gratiæ Roberto, & Mauritio Palatinis Principibus, quod ſe tota die Civibus commiſcuerint, & ad omnia tripudia, maximeque illa, quæ in publica Civitatis domo Conſules inſtituere, ſaltarint. Nihil de confluxu in Eccleſiam dico, ubi in gratiarum actionem celebre, quod vocant, *Te Deum* decantatum eſt; nihil de ignibus tota Urbe accenſis (quos geminos etiam illi accenderunt, quorum domibus patent gemini, ſeu in duos vicos exitus) commemoro ſolum nihil poſſe addi ad reboatum, quo non modo tota circum-civitas, multiplicatis machinis, ſed & totus præſertim Portus repetito intonuit; cum omnium, & triremium, & ut majorum navium, ſic navigiorum quoque minorum, quæcumque illis fuere (ſcis autem quam multa) bellica tormenta bombum excitarunt, idque ubi primum ingenti pyra ad publicam domum accenſa, cohortes, tam civium, quam militum omnes moſquetis ſuis concrepitarunt. Ipſe certe, cum accepiſſem quo apparatu res inſtrueretur, eſſe ſpectator, auditorque ex tuo ipſius Muſæo volui; ac dici non poteſt, ut me καὶ θέαμα, καὶ ἀκρόαμα delectarit. Iſta pluribus ex aliis cognoſces: Interim verò, quia ex me quoque rem non jucunde accepturus es, cenſui eam paucis ſignificandam, ut votum ſimul innuerem, quo intereſſe ſimili ob tuum adventum ſpectaculo expeto. Interea verò, Principum optime, ac dulce meum decus, vale. Tolone prid. Cal. Mart. M. DC. LI.

E I D E M.

SCribebam nuper, quanta lætitia tota hæc Civitas exultaſſet, quo primum die acceperat factam Principibus libertatem. Lætitiam dicebam incredibilem; quid putas verò dicendum jam, ubi intelliges, fuiſſe illam ſolum inſequentis quaſi proludium? Scilicet deinceps tota hebdomade (ſola VI. feria excepta) nihilo inferior exultatio fuit; quin-etiam, ignibus ſeclusis, celebrior longe extitit. Quippe non inceſſus militaris modo; non modo choreæ, ac tripudia; non cetera modo fuere continuata; ſed acceſſere etiam largitiones oppido inſignes, ac exhibita publice convivia; idque tam in Aula domus Civicæ, quam in plateis, viciſque mediis, inque ipſo quoque Sphæriſphærio, quod eſſe extra pomærium noſti. Quanquam nihil neceſſe eſt, ut ſpeciatim quidquam deſignem, cum ſis perſpecturus ſigillatim omnia ex ea narratione, cujus typis mandatæ exemplum haud-dubie accipies. Agnoſces ex ea fuiſſe abs me nuper prætermiſſa quamplurima, & vittas cum dixi cæruleas, addi debuiſſe iſabellinas, & flavas; nempe ad inſigne famulitii tui cenſuere Conſules addendum, tum attinens ad Principes, tum proprium ſuæ Civitatis Litteræ Caldemontio pridie tui diſceſſus datæ, ademerant jam nobis ſpem accipiendi abs te occaſione hac litteras Pariſiis. Utinam verò proxima liceat nobis accipere te feliciter illuc appuliſſe. Bene interea, optime Princeps, ac dulce meum decus, vale. Tolone, Non. Mart. M. DC. LI.

E I D E M.

MEarum aliquot ſuperiorum litterarum prolixitatem harum brevitas compenſabit. Quin-etiam aliis diſtractus curis nullas inpræſentiarum darem, niſi & non poſſem non teſtari lætitiam, quam ob tuum felicem in Urbem appulſum animo concepi; ac non tenerer congratulari, quem te tota Aula maximum tuliſſe applauſum renuntiatum eſt. Unum eſt, quod præterea facere miſſum non valeam, incidiſſe me nempe nudius-tertius in addictiſſimum tibi Equitem Villagium, ac non potuiſſe de ſuo fato conquerenti non condolere, maximeque ubi una opera, & factam ipſi injuriam, & fractam tibi fidem perſpexi. Id ſcilicet commemoro, ut innuam videri, e re tua eſſe dare operam, donec iſtheic degis, ut res in integrum reſtituatur. Quot verò, & quantis nominibus è tua re ſit,

Digitized by Google

ſit, ipſe melius noſti. Feſti dies hic nondum ſunt completi. Quid putas, ubi ob exoptatum reditum tuum inſtaurabuntur? Bene interea, optime Princeps, ac dulce meum decus, vale. Tolone III. Eidib. Mart. M. DC. LI.

E I D E M.

EX iis quidem, quæ ad me Neutæus perſcripſit, intelleximus fuiſſe litteras abs te datas; ſed nullas tamen neque Belmontius, neque ego accepimus. Præclare ſeſe interim res habet, quod præclare vales. Conſtitueram ſub hoc ſolum tempus ex hac Urbe diſcedere, ut ſi qua poſſem, ſubodorarer, quid ſperandum foret de tuo reditu, quo, pro ut deberet maturè, tardatove contingere, meam ſupellectilulam relinquerem, aut abſportarem. Cum nihil adhuc ſubſit, unde aliquid non penitus vane conjiciam (qui rumor eſt enim etiam litteris hominum noſtrorum, qui iſthic ſunt, creber, eſſe pro votis duntaxat poteſt) ideo cogito moram adhuc ad proxima uſque feſta trahere, quando ipſiſmet feſtis is Curſor adventurus eſt, qui poſſit præciſe reſponſum ad haſce litteras perferre. Non ſane, quod velim, ut ipſe tot inter negotia perſcribas ad me; ſed quod exoratum te cupiam, ut dicas Neutæo fidiſſimo in aurem, quonam proxime tempore eſſe te reipſa rediturum putes. Nimirum, ſi norim id brevi futurum, vix pauca aliqua emovebo; ſin ſurte non ante Æſtatem, & quouſque Rex evaſerit major diſceſſurus ſis, tum ita comparabo me, ut poſt menſem domi tranſactum, quo mea componam negotiola, poſſim te Pariſios ante Jannualia convenire, ac veteres illos tam bonos, fidoſque amicos inviſere. Bene interea, optime Princeps, ac dulce meum decus, vale. Tolone, ipſo die Verni Æquinoctii M. DC. LI.

E I D E M.

ID tibi evenit, optime Princeps, quod pleriſque hominum noſtrorum, qui ubi appulere primum ex Provincia Pariſios, ſolent jactura aliqua valetudinis pertentari. Gratiæ tamen Deo Optimo habendæ, quod tua hæc invalerudo principes parteis non attingit, & ex earum genere eſt, quæ periodo brevi terminatur. Utinam proxima occaſione convaluiſſe te integro accipere liceat. Nullus hærebam, quin illa effuſa hujuſce Urbis exultatione afficereris magnopere, quando illa te, tuamque lætitiam ob liberatos Principes, occaſionem non poſtremam habuit. Delectat, quod ſcribis te ad Conſules primo quoque die litteras daturum; id ſane & illi merentur, &, quantum perſpicio, è re tua eſt. Sic enim per vices illorum, ut ſpes, ita conſtantia eſt ſuſtentanda. Quod de Aula ſcribis, videre mihi videor; vovendum verò interim eſt, ut Deus omnia optime vertat. Id audire præſertim juvat, quod affulgere ſpem aliquam futuræ pacis interſeris; eò nempe ardentiſſima bonorum omnium vota concurrunt. Faxit Deus ter-Maximus, ut brevi tanto bono beemur. Tu verò, optime Principum, ac dulce meum decus, vale. Tolone VI. Calend. April. M. DC. LI.

E I D E M.

DOleo tibi aliquid adhuc ſupereſſe incommodi; ſed bene eſt tamen, quod vehementia illa ita remiſſa hactenus ſit, ut defluxio brevi evanida ſperetur. Notam aliunde, quod de Nobilium conventibus ſignificas. Utinam bene omnia cedant. Nullum videtur quidem tutius, efficaciuſque remedium, quo laboranti Galliæ ſuccurratur, quam efflagitata illa a Cleri, Nobiliumque Ordinibus generalia Comitia; ſed neſcio tamen, illa-ne ſint in voto potius, quam ſpe habenda. Id nimirum, ſeu Aula timeat, ne quæſita ex quo celebrari Comitia deſierunt, auctoritas quidquam minuatur; ſeu Curia impatienter ferat, excidere ab ea, quam Comitia ſibi detractam ipſi acceſſiſſe conquererentur. Fieri certe exinde poteſt, ut, ſtante ab Aulæ partibus Curia, iſta Ordinum convocatio, aut denegetur, aut eludatur; utcumque aliunde verandum videatur maximopere, ne ſi fortaſſis Nobiles videri degeneres nolint, magna aliqua rerum perturbatio ſequatur. Avertat Deus omnia mala, ac te cumprimis incolumem ſervet. Sperandum faciunt litteræ omnes, fore ut brevi ad nos adventes; ipſe præſtolor quid proxima occaſione ſis ſignificaturus. Bene interea, optime Principum, ac dulce decus meum, vale. Tolone III. Non. April. M DC. LI.

Viro eruditiſſimo Claudio Bartholomæo Moriſoto

PETRUS GASSENDUS S.

ACcipio ecce nunc duntaxat quas ad me dare litteras ad diem ſuperioris Decembris XXIV. voluiſti. Quo id fato contigerit (quando præclarus Barberius adeo ſolet in tranſmittendo eſſe diligens) neſcio; ſed eſt profecto, cur ſumme doleam, tum iſtas tam ſero adveniſſe, tum illas, quas antecedenter conſcriptas innuis, intercidiſſe. Subeſt nimirum, cur aut me non ſat magni duxiſſe illum, qui beaſti me, honorem cauſeris; aut repures fuiſſe me nimium in reſcribendo negligentem. Enim-verò, eximie Vir, & habeo ſane maximi tibi in amicum cooptari, qui eruditionem, virtutemque tuam ſuſpicio maximopere, & ſancte affirmo me uno tenore pellegiſſe tuas litteras, ac hiſce exarandis manum adhibuiſſe. Significavit Barberius ſe accepiſſe ſimul abs te, quod ad me tranſderet, exemplum nobilis illius tui ſupplementi: Pro illo itaque gratias ago, addoque me opus tanti facere, ut dignum ducam, quod Ovidius redivivus pro ſuo agnoſcat. Profecto enim argumentum tanta imitatione a te continuatur, & ad metam perducitur, ut ſeu inventionis ſolertia, ſeu rerum delectus, ſeu ſtyli facilitas, ſeu quidvis demum aliud ſpectetur, nemo non illud pro Ovidiano habiturus facile fuiſſet, ſi aliquis ipſum tanquam è Bibliotheca vetere erutum vendidiſſet. Gaude proinde nobili fetu, digniore ſane, qui deinceps cum Ovidianis Faſtis excudatur, quam ſupplementum illud Maffei cum Virgiliana Æneide. Ecquid enim habet iſtud comparandum cum immenſo illo labore, qui tibi exantlandus fuit, ut illam rerum varietatem, quam

in

Digitized by Google

in tempora, temporumque cauſas, inque ortus Syderum, & occaſus digereretur, corrogarem? Plura aliàs majore otio; jam enim iſta ſolum attingo, ne abs me diutius deſideres, quam abs me gratiam jure expectas. Vale, Vir præclariſſime, & me, ut cœpiſti, ſic amare perge. Scribebam Tolone Diniam diſceſſurus III. Non. April. M. DC. LI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

GRatias habeo, optime Princeps, quod ipſemet rogatui meo facere ſatis volueris. Nihil ergo ante id, quod præſtituis, tempus de meo ex Provincia diſceſſu conſtituam; cogito ſolum proximis diebus Iareia eo fine reviſere, ut, negotiolis compoſitis, valeam tibi deinceps hærere conſtantius. Ne interim verò quidpiam detrimenti ex mei abſentia tuum Muſæum capiat, ecce jam Belmontio ſic clavem commiſi, ut ipſi prius adnumerarim, adprobarimque contenta omnia, confecto Indice per meum Antonium Poterium, cui ipſe Belmontius manu ſua ſubſcripſit. Curavi autem duo fieri ejuſce Indicis exempla, quorum unum jam tradidi Belmontio, alterum ad te cum his litteris tranſmitto, ut noris, quid id rei ſit, ac, ſi vacet, aut lubeat, poſſis iſthinc tuum Muſæum brevi momento perluſtrare. Ille eſt nempe pro pluteorum, loculamentorumque ordine confectus, ac licebit præſertim libros, quo quemque loco memineris fuiſſe relictum, internoſſe. Dico autem præſertim libros; nam quia cetera fuere confuſanea, illa ita digeſta ſunt, ut cum meminiſſe ubi ſingula fuerint relicta potis non ſis, ubi tamen jam habeantur, deprehendere poſſis. Lætor omnia ſenſim in Aula tranquilliora evadere; ac illud maxime negotium de convocandis Comitiis, Aurelianenſis providentia, auctoritateque compoſitum fuiſſe. Delectat etiam magnopere quam facere pergis induciarum ſpem; at ſcribens potiſſimum Heroinam illuſtriſſimam intercedere, quæ ſit ut virili prudentia, ſic fide apud parteis oppoſitas ſumma. Permovebit forte Hiſpanum, ut manus non invitus det, quod res Neapoli iterum turbantur, quodque in Cataloniam ij Duces adventuri ſunt, ſub quibus nihil a deſtinatis eò viribus ſit timendum. Fortunet Deus omnia, ac præſertim præſtet, ne ſuo tempore occaſio ulla incidat, ob quam id, quod Nobilium Ordo timendum jam fecit, malum recrudeſcat. Tu interea, optime Princeps, ac dulce meum decus, vale. Tolone XV. Kal. April. M. DC. LI.

Quos in tranſmiſſo Indice libros habebis; præter deſcriptos in Aquenſi Catalogo, qui intra Muſæum relictus eſt, cujuſque ipſe exemplum habes, ipſi ſunt, qui fuere reperti in Miſcellanea illa congerie, ut inde eruti, appoſitique loco vacuo ad pluteum imminentem oſtio, quo ex Muſæo Cubiculum itis. Fuere porrò omnes ad dicti memorata Catalogo confecta Aquis-Sextiis, etiam unus, qui inſcribitur, Magnani Perſpectiva Horaria, *quemque tua cum venia mecum deferam, ut ipſum per otium percurram. Vale iterum.*

EIDEM.

DIgreſſus Tolone Dracenam, illicque moratus dies aliquot, acceſſi domum denique, ac reſalutavi lareis nudius quartus. Cogitavit ſtatim Tornator Pariſios, ſcilicet ob litem, quæ ipſi intentata in magno Regis Conſilio eſt, neque ſine aliquo meo ad te Epiſtolio diſcedere voluit. Itaque paucos hosce verſus non alio fine per ipſum do, quam ne penitus vacuis, quod ajunt, manibus accedat; nam commendatum alioquin illum facere nihil opus eſt, cum ipſum jam ſatis, & noris, & ames; & quo apud me loco ſit, non incompertum habeas. Accipies, ipſo referente, quam, Deo propitio, valeam proſpere, & quam acceptus fuerit Concivibus meus adventus. Id videlicet, quia memores ſunt beneficiorum, quæ abs te, me intercedente, obtinuerunt; quæque tanto magis jam exaggerant, quanto a tuo diſceſſu, minus tacent. Expectabo hic donec innoteſcat, quod eſt inſinuatum de tuo reditu. Interea verò, quam optime, o meum dulce decus, vale. Diniæ X Cal. Maii M. DC. LI.

EIDEM.

DIſcedenti ante paucos dies Tornatori Pariſios litteras ad te perferendas dedi. Has ſive Aquas Sextias, oblata occaſione, ſub eo involucro ad te deſtino, quo Lugduni exemplo Pariſios tranſdantur. Cum binas, ex quo huc acceſſi, ex Neuræo habuerim, par eſt reputarem tutam eſſe viam, qua ille perſcribit ad me; hocque animo, ut, ſi me forte beare Epiſtolio velis, quod reddi mature interſit, id ipſi Neuræo concredas. Quod nihil certe abs re accipiam, cauſam ſuſpicor, quod litteras dare ad Belmontium Tolonem pergas, ac perraræ ſint occaſiones, quibus hinc illuc, illeinc-ve huc dare litteras reciproce liceat. Nihil porrò aliud iſtæ tibi, quam valere me renunciabunt, ac præſtolari ſemper tuum felicem ad nos reditum. Varia ſunt, quæ paſſim de illo jactantur; ipſe verò partium ſtudijs omnia tribuo; & quod ſupereſt, Providentiæ Divinæ eventum committo. Hoc verò interim ſum certus, nihil poſſe te capere conſilii, quod præter decorum evadat, ac non generoſum animum teſtetur. Quidquid illud futurum ſit, bene ſemper, optime Princeps, ac dulce meum decus, vale. Diniæ XV. Calend. Maij M. DC. LI.

EIDEM.

NUllas ad te, optime Princeps, ante octiduum litteras dedi, quod partim aëris commutatio, partim officiorum varia exhibitio, dederit cauſam febriculæ, quæ me decumbentem per aliquot dies detinuit. Ac non ſum jam quidem ea plane immunis; ſed ea tamen eſt relaxatio, per quam poſſim, ac debeam paucos hos verſus conſcribere, tum, ut qui valeam ſignificem, tum, ut me habuiſſe ex poſtremis meis, geminas abs te litteras renunciem. Spero ipſis, Deo propitio, ubi melius habuero, paulò uberius reſpondere. Non poſſum interea continere me, quin teſtatam faciam conceptam lætitiam ob tuum reditum, quem occipis jam facere certiorem. Fortunet illum Deus, faxitque, ut vel quo feciſti tempore ſperandum, vel non

longa certe intercepta mora contingat. Vale, optime Principum, vale, o dulce decus meum. Dabam Diniæ IV. Eid. Maij M. DC. LI.

E I D E M.

VAleo nunc quoque, optime Princeps, aliquanto, quam nuper melius. Id vel ex eo intelliges, quod cogitem hoc ipſo mane non modo, Deo bene propitio, ſolemni Sacro intereſſe; ſed ipſe etiam ſacere. Hoc unum eſt fere, quod ſcribere vacat; ſed fere etiam unum, ſat coniicio, eſt, quod ex me, & abs me expectas. Aliud proinde nihil ſubiicio, quam quæ vota pro tua ſalute, proque felici tuo reditu, ut continenter, ſic ardenter fundo. Vale itaque, o decus Principum, veni, o dulce decus meum. Diniæ, ipſo die Aſcenſionis Dominicæ XV. Cal. Jun. M DC. LI.

E I D E M.

BInas iterum abs te litteras, intercedente Belmontio, accepi. Vitam mihi das, cum quid ſubſit ſpei, minime alioquin credulus, inſinuas. Et quantum quidem conijcio, non adeo maturo eris reditu, ac pleriſque facta ſpes eſt; ſed futurum quoque illum adeo ſerum, ac plerique ſibi fingunt, non proſpicio. Quocumque tempore is contingat, proſperum tibi apprecor; quanquam qui poſſit contingere, & proſpero eventu non eſſe? In noſtris hiſce regionibus omnia milite perſtrepunt, eaque deprædatio oppidatim fit, ut qui ſimili occaſione cauſabantur tuum regimen, incidiſſe jam potius ſe ferreum in ſæculum fateantur. Id dolendum quidem; ſed interim tamen operæ quaſi pretium fuit, & te abeſſe, & geri iſta, ut, quò omnia pertineant, conſtet. Modii Toparcha nondum ad me ſui Cimeliarchii Elenchum tranſmiſit. Ipſum quam-primum accepero, ad te confeſtim deſtinabo. Quod mihi, ut Lugdunum me recipiam ſuades, faciam, Deo bene propitio, ubi & vacillans adhuc valetudo erit confirmata, & negotiola aliqua domeſtica peregero. Ecquid porrò dicam, o Principum decus, de neſciente modum amore, quo poſterioribus litteris me immerentem ſic evehis, ut quadantenus etiam me Principibus inſeras viris, quibus placuiſſe non ultima laus ſit. Nimirum & mihi idcirco Poëtæ dictum accommodas; & ſuſpicionem aſſentationis excuſatione amoliris; & natalium etiam ſplendorem ipſi virtuti ſubiicis, imitatus, puta, Pompejum, cum ex Oriente rediens, & Poſidonium Rhodi inviſens, *faſceis lictorios januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens, Occidenſque ſubmiſerat.* Profecto, niſi gratias agam non quantas debeo, ſed quantas poſſum, habebor merito ingratus; cum mihi obtingere abs te effuſior amoris teſtatio non poſſit. Sin agam, videbor annuere, ac in me agnoſcere dotes, quæ potius quaſi nævi ſunt, ex quibus tuus in me amor quaſi lumina [quod dicere ſolent de parentibus] quædam faciat. Itaque gratias quidem agam pro immenſo illo affectu, quo in me ornando exarſiſti; ſed patieris interim ipſe, ut quod non ſum, reſpuens, mecum habitem, & quam curta mihi ſit ſupellex, norim. Plura dicere pudor vetat, ne pergens me deprimere, vel facere affectate videar, vel cauſari non ſatis te, quid rei ageres, attendiſſe. Vale, Principum optime, o dulce meum decus, vale. Diniæ VIII. Cal. Jun. M. DC. LI.

E I D E M.

REſcripſi ad te nudius-tertius poſt acceptas binas abs te litteras. Accepi die heſterna alias, quas Belmontius una cum datis ad Epiſcopum meum tranſdidit. Reſcribente illo, ſchedulam hanc addo, tum ut teſter, ipſum ultro ſubſcripſiſſe cyclicis illis litteris, ac dignum eſſe, cui circa negotium evocationum faveas; tum, ut agere gratias pergam ob ſtudium adeo ſedulum, quo dignaris facere me de rerum tuarum ſtatu certiorem. Quanta lætitia exceperim, quod poſtremum ſignificaſti de Oratoribus inauditis, de Evocationibus conceſſis, de celebrandis Comitiis, de mox decernendo reditus tui tempore, de ejuſmodi ceteris, ipſe, qui me noſti coniicere potes. Cetera inter, optime Princeps, ac dulce meum decus, quam-optime vale. Diniæ VI. Calend. Jun. M. DC. LI.

E I D E M.

SChediolum ecce ad te tranſdendum, quo momento, qui ad veredarium illud deferat, tranſcurrit, accipio. Recipit in ſe ejus auctor rem, ſi abs te probetur, ita facilem, ita apertam reddere, ut nihil ſis deſideraturus. Nullas heic litteras a Curſore, qui die Maij XIX. Pariſiis diſceſſit, habemus; & quas inſequens attulit, habere nondum poſſumus. Speramus autem ſemper fore, ut omnia tibi bene vertant. Inprimis verò, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ Non. Jun. M. DC. LI.

E I D E M.

ACcepi, aut accipio potius, quas binas abs te litteras expectare me inſinuabam nuper. Accipio, inquam, quoniam, qui mihi occaſione tranſitus ſui per hanc urbem eas reddidit, abs me non diſcedit, ſed inſtat, ut è veſtigio, ſi quid velim, reſcribam. Paucis itaque, optime Princeps, gratioſe quidem conquereris; ſed juſte etiam conquereris de mea in reſcribendo ſegnitie, ſi ullam omnino ſcribendi ad te occaſionem facerem prætermiſſam. Conjector verò, quo die ſtato litteras a me habuiſti nullas, illum fuiſſe, in quem ullas dare præ invaletudine non potuerim. Quod ſupereſt enim, nunquam intermiſi & ſcribere, & litteras involucro obtegere, deſtinato ad *Dulyæum*, Lugduni Curſorum Præfectum. Et certe, cum querela tua litteris prioribus contineatur, poſteriores innuunt acceptas, quæ fuere occaſione proxima perſcriptæ, quando pro tuo illo erga me amore dignaris ob recuperatam valetudinem gratulari. Immenſas porrò ago gratias pro incomparabili bonitate, qua me utriſque litteris de rerum tuarum progreſſu facere participem pergis. Expecto autem peravide, quod te die proximo perſcripturum recipis; id enim ſpectat, quantum coniicio, ut ad deſcribendum extremam negotiorum coronidem, ita ad diem diſceſſus tui ratum, fixumque ſignificandum. Vale interea, Principum optime, ac meum dulce decus, ac præſidium vale. Diniæ III. Eid. Jun. M. DC. LI.

EIDEM.

E I D E M.

NOndum accepi quas litteras poſtrema occasſione feciſti ſperandas; auguror nihilominus ex iis, quæ perſcripta ab aliis ſunt, fore ut, niſi expectatæ, proximæ ſaltem litteræ certi quidpiam de tempore, quo ſis diſceſſurus renuncient. Quippe, tametſi heic non deſint, qui datis ad ſe litteris ceſſiſſe te Provinciam probent, & livor tamen, & artes notæ, quibus apud iſtos imponere eſt moris. Quod ut Lugdunum cogitem ſæpe ſæpius me admones, facere adhuc minime vacat, cum & animus ſemper ſit, quidpiam prius de tempore tui reditus perſpectum habere. Utcumque eventurum ſit, tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ poſtrid. Eid. Jun. M. DC. LI.

E I D E M.

REcreavit me mirum in modum pellegere quas litteras Groboſio diſcedens, urbemque repetens, es dare dignatus. Siquidem nondum tantam ſpem, quantam his ipſis litteris, aut conceperas ipſe, aut feceras mihi. Portum jam tenere videris, ſperoque proxima occaſione etiam ſacram ancoram fore demiſſam accipere. Quod de altero Oratorum inaudito, altero confuſo perſcribis, non abſonum eſt iis, quæ jam ante præſumpſeras; idque non poſtremum eſt rei bene ceſſuræ argumentum. Illud jam inaudieram, quod interſeris, illos te, quos par erat præ ceteris tibi favere, deſtitu iſſe. Sed videlicet hæc eſt rerum humanarum conditio, ut ſua quisque potius, quam aliena curet; agnoſcendumque eſt, nullum eſſe, præter divinum, præſidium tutum. Quam appoſite interim Poëta:

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

Certe quantumvis id tibi ſit infelicitati vertendum, quod parum æquos habueris, quos fore æquiſſimos ſperaras, id ſaltem boni es conſequutus, quod potueris præter noſtrorum opinionem oſtendere, te non unico ſtare pede, ſed ſupereſſe, uno labante, quo te præclare fulcias. Quidni proinde tuæ famæ interfuiſſe exiſtimes, ut res hac via procederet, ac reputes eſſe nihil ſatius, quam ſe totum ſummi Parentis providentiæ committere, ut cui ſit homo carior, quam ſibi, quique norit occultis quidem, ſed certis tamen tramitibus omnia deducere ad ſuos fineis. Id, ut tu facis, optime Princeps, ſic perge ſemper facere וְכֹל אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה תַּצְלִיחַ Bene verò, ô & præſidium, & dulce decus meum, vale. Diniæ x. Cal. Jul. M. DC. LI.

Ceterum quia longum eſt tempus, ex quo nihil habeo, neque audio de Viro amiciſſimo, & res ut noſti, *ſolliciti plena timoris amor eſt*, ideo exoratum te velim, ut quid eſſe id cauſæ poſſit, ſignificare haud grave ducas. Utinam ſit in cauſa potius, quod commutandi aëris gratia, veſtra ex urbe diſceſſerit, quam quod deterius [avertat Deus tale omen] habuerit. Habebis me certe deinceps, ut tibi admodum devinctum, ita comparatum ad omne obſequium. Vale. Diniæ x. Calendas Julii M. DC. LI.

Deſtinare ſchedam poteris Lugdunum ſuperſcriptione hujuſcemodi: A Monſieur, Monſieur Barbier Imprimeur ordinaire de Roy, a Lyon.

Præclariſſimo Viro D. Joanni Alcidio Munerio Philoſopho, & Medico Lotharingo, Civique Genuenſi

PETRUS GASSENDUS S.

QUod te paucis hiſce verſibus conveniam, facit tua illa in me propenſio, cujus meus Luillerius amicorum optimus me ſæpe ſæpius certiorem fecit, & ob quam tibi tum refero quam gratiam poſſum maximam, tum offero reciprocum, plenumque candoris affectum.

Per-erudito, & amico Viro Joanni Michaëli Ugevinio Pin. Sclavono

PETRUS GASSENDUS S.

QUas ad me Roma litteras pridie Nonas Maii dediſti, ubi perlatæ Pariſios incidere in manus nobilis Campionii, tranſmiſſæ ſubinde ad me in Provinciam hanc, Diniamque meam fuere. Nempe diſcedente Pariſios illuſtriſſimo Principe, Duce Engoliſmenſi, ipſe reſtiti, neque me in ejus comitatum dedi. Quare & ad illum remitto, quas non modo ad ipſum adbibuiſti litteras, verum etiam, quas ad Neuræum, ut qui in ejus verſetur Aula. Deſtino verò opera eadem Pariſios hocce epiſtolium, ſi forte tuus ille *Varſius*, qui fuerit ad te dirigendum norit. Deſtino, inquam, ut gratias agam pro ſingulari illo affectu, quo me conſtanter proſequeris, ac lætitiam teſter, qua recreaſti me, dum & ubi-nam gentium fores, & quid-nam rerum ageres, litteris tuis ſignificaſti. Quippe nihil prorſus de te a quinque annis audieram; tametſi non raro de te, tuaque inſigni eruditione, amabiliſſimaque indole cum Principe eximie bono, ac impenſe tui amante, cumque Neuræo cariſſimo ſermones inſtituerim, ac tibi omnia fauſta fuerim apprecatus. Delectat proinde accipere, te & verſati in Civitate, quæ ut caput eſt Mundi, ſic bonarum artium fautoribus præcellens eſt; & ſtudiis illis incumbere, quæ animum vere ingenuum, veritatisque amantem decent. Nimis me devinciunt tum eximius Sluſius, qui me immerentem eo loco habet, ut ſua ſalute non dedignetur; tum Kircherus, optimus ille, qui me ſibi excidere ex memoria non patitur. Quæſo utrique meo nomine ſalutem quamplurimam refer. Quod meas illas nugas commendas, tuo erga me amori ſic tribuo, ut ſorti etiam felici vertam, quod potuerint eximio Viro non omni ex parte improbari. Fortunet Deus tua omnia vota, Ugevini cariſſime. Tu verò amare me perge, ac vale. Dabam Diniæ xta. Cal. Jul. M. DC. LI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

NOn demiror, optime Princeps, quas jactari minas perſcribis; ſed ſuſpicio ſummam conſtantiam, qua ipſe illas flocciſacis. Scilicet illi pro genio agunt; at rara avis in terris eſt, quæ ſeſe volatu hoc tuo attollat. Memini ipſe occaſiones, quibus meritus fueris timeri, nihil metuens. Ecquid proinde hæream, quin impavide armatus reviſas, quos intrepide inermis vidiſti? Quanquam putas-ne Thraſones illi tam metuendi ſunt, quam videri volunt? Leones erga lepores; lepores ſunt erga leones; quare & vix eſt, ut mihi perſuadeam intentare hæc illos, ut tibi, quem ſatis norunt, metum incutiant; ſed ut iis, quos habes caros, quosque incubituros eò putant, ut te quoquo pretio tuo ab inſtituto divertant. Id admodum juvat, quod tam generoſe accelerari exinde potius, quam retardari tuum diſceſſum ſcribis; quodque ſperas te intra hebdomadem impoſiturum denique extremam negotiis manum. Quid tantopere ea remoraretur conjiciebam quidem; at neſciebam plane; & cum aliquoties conqueſtus eum Neuræo fuiſſem, quod nihil hac de re ſingulare perſcriberet; excuſavit demum, quod nihil perpoſſet, neque enim ſe eò admitti, ut amplius quidquam cognoſcere, quam quivis ex Aula inferiore poſſet. Ac ſtupeo id ſane, ſed non urgeo tamen, quoniam & de tuo erga illum amore, & de illius erga te fide dubitare piaculum eſt. Utinam verò accipere hebdomade proxima poſſim, quod ea mihi ſperandum facis. Quod ſi forte aliquas adhuc remoras ſentias injici, unum eſt, quod te reſcire interſit, cujusque ideo te admonere, quando caſu id noſſe mihi contigit, debeam. Accepi nimirum duos, treis-ve eſſe ex præcipua nobilitate, qui ante dies paucos Pariſiis in Provinciam redierint eo fine, ut Primariis illis, qui tui obſervantes ſunt, clam ſuadeant, fore ut haud dubie Pro-Regem Contyæum habeant, ac ſua intereſſe, ut illius demerendi gratia hæc, & illa agant. Quid facto opus tibi ſit, conſilium dare meum non eſt; forte, niſi aliud, ſaltem non noceret ad præcipuos quoſdam dare litteras, quibus & ipſi tenerentur, & ceteros tua in fide ſervarent. Utcumque ſit, optime Princeps, ac meum dulce decus, vale. Diniæ iii. Calendas Jul. M. DC. LI.

E I D E M.

NEque jam miror, optime Princeps, aliquid ſemper, quod ſua negotia remoretur, intervenire. Mirarer potius, ſi in hac tanta, quam innuis Aulæ agitatione, nihil novi ſuboriretur. Agnovit Heraclitus in rerum natura ὁδὸν ἄνω κάτω, juxta quam Mundum conſtare dixit; quanto ea magis agnoſcenda in rebus humanis, ac noſtris præſertim, eo ſolo conſtantibus, quod nunquam non ſurſum deorſum ferantur. Utinam modo, ne id eveniat, quod, ut illius opinio fuit, Mundum denique ἐκπυροῦσθαι, ſic res demum noſtræ in incendium abeant. Nam bene quidem eſt ominandum, ſperandumque de ſuperata Regis Maximi pupillari ætate; ſed divinum Numen interim orandum, ne ea difficultatum ſeges intra hoc bimeſtre, quod ſupereſt tempus, ſuccreſcat, ut illam deinceps evellere nimis-quam operoſum ſit:

Fallar, & hoc omen tenueis vaneſcat in auras, præſterque Deus glorioſo Regi, ut ſumptis in manus Imperii habenis, efficiantur illi prava in directa, & aſpera in vias planas. Hoc ſat ſcio, tuum eſt votum, qui & Regem, & Regnum amas unice; id ille fortunet, per quem Reges regnant, & in cujus manibus ſortes noſtræ ſunt. Tu verò, o dulce meum decus feliciter omnia exequere, ac vale. Diniæ iii. Non. Quintil. M. DC. LI.

E I D E M.

DAvus ſum quidem, non OEdipus; ſed videor tamen poſſe male interpretari, quod recipis ænigma coram ſoluturum. Ipſe quoque præſens conjecturam dicam; non poſſum verò interea non commendare conſtantiam, qua Majeſtati Sacræ addictus, eoſdem cum illa probas, improbas amicos, inimicos ducis. Dici non poteſt, quam delectaris, quod tam præclaram feciſti ſpem felicis exitus rerum tuarum. Nondum habere litteras licet, quibus te proxima occaſione rem perſcripturum recepiſti. An interim tamen eam fuiſſe peractam argumento eſt, quod San-Markius celerrima celeritate advenerit, & ab ipſo ejus adventu cogitari arma ſit rumor. O nos felices, quod tu tam bonus, ut etiam præoccupes te nullius unquam rei magis, quam injuriarum immemorem fore. Digna ſane hæc manſuetudo illa animi magnitudine, qua ut adverſis non frangeris, ita proſperis rebus non efferreris. Utinam illam homines noſtri ita denique perſuadeantur, ut animos omnium tibi reconcilies, & quæ pro ſalute Provinciæ concepiſti vota ſuccedant, ac patriæ Parens ab omnibus agnoſcaris, & conclameris. Vale, optime Principum, o dulce decus meum, vale. Diniæ Eid. Jul. M. DC. LI.

E I D E M.

QUod ille Principum ſeceſſus aliquam adhuc remoram negotiis ſuis injecerit, pro conditione eſt rerum humanarum. Spes eſt tamen, fore ut brevi accipiamus fuiſſe rem mox compoſitam, ac nihil obſtitiſſe, quominus tua negotia perficerentur. Reſcieramus jam, ut ex litteris a me poſtremum datis perſpicies, adventaſſe San-Markium, neque nos plane latuerat, quod minatum eum fuiſſe ſcribis, priusquam diſcederet, bellum. Ac forte quidem per eum non ſtetit, quin rerum novarum quidpiam moliretur; verum omnia hactenus ſe pacifice habere inaudimus; & Parlamenti quidem providentia, factionibus naſcentibus Senatus conſulto repreſſis. Quam voveo, ut hoc non modo augurium, ſed etiam quaſi præludium ſit exoptatæ tranquillitatis! Faxit Deus ter-Maximus. Tu verò interea, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ xiii. Calendas Sextil. M. DC. LI.

E I D E M.

NUllas ad me nuperus Curſor litteras abs te attulit; hoc verò non ſane conquerendo dico, ſed facio ſolum, ut inſinuem, potuiſſe tuas litteras occaſione quapiam intercidere; ſi quid forte ad me pro more [quæ tua nimirum eſſe ſolet bonitas nimia] perſcripſeris.

ris. Audio interim non fuiſſe res Aulæ, ut ſperaram, compoſitas; quare & reditus ad nos tui fieri auguror procraſtinationem. Sat ille cito, ſi ſat bene. Utinam modo ipſi concordia, potiusquam diſſidium occaſionem faciat. Quam verendum enim, ne iſtæ ſcintillæ in eum incidant fomitem, e quo ſtrues ingens concipiat incendium! Sic flectat Deus animos, ut ſimultate depoſita, omnium vota in commune bonum, hoc eſt, tranquillitatem conſpirent. Tu, optime Princeps, ubicumque fueris, cum nuſquam niſi pro Regis nutu, ac voluntate futurus ſis, tu, inquam, o meum dulce decus, vale. Diniæ VI. Calendas Sextil. M DC. LI.

E I D E M.

Litteras abs te accepi binas, cum poſtremis videlicet, quas intercidiſſe nuper ſuſpicabar. Didici ex utriſque inchoata quidem, promotaque negotia, quæ tibi injiciunt remoram; at nondum tamen eò deducta, ut diem deſtinare ad diſceſſum poſſis. Quin etiam tametſi ſpes eſt, ut poſtquam Curia juſſerit referri in Acta novum id Diploma, quo Cardinalem poſtliminio non iri receptum cavetur, Princeps in Aulam redeat, tam breve tamen ſupereſt interſtitium hinc ad natalem, quo Maximus Rex pupillari ætate evadat ſuperior, ut te vix diſceſſurum rear, quin prius dies ille fortunatus illuxerit, & Regi gratulatus coram illius manum jam habenas tenentem fueris exoſculatus. Utcumque faciſs, faxit Deus, ut proxima ſaltem occaſione accipiam peractam eſſe, quam fieri voves, vocatam magnam Martis cum Jove in Aulæ cœlo conjunctionem; & qui Rex inclytus eſt tibi magnæ Romæ ſpes altera, imperium ſumma ut æquitate, ita felicitate regat. Quam præclarum interim eſt, quod de faciundis Philoſophi experimentis ratiocinaris! quippe experientiam rerum magiſtram jure confers cum oculo, quo qui deſtituuntur Andabatæ fiunt, & non tam Philoſophiam, quam Metæorotechniam ſectantur. Nam illi quidem ſibi officio præclare perfuncto videntur, cum diſputationum, quæſtionum, argutationum ſeriem ſtruxere; at, quod ingenii potius figmentis, quam experimentis inædificent, deprehenduntur nihil aliud, quam chimæras coacervare, inſomniiſque pertexere. Sed hac de re plura, Deo volente, coram. Interea verò, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ poſtridie Non. Sextil. M DC. LI.

Tacere non debeo optimum Pontificum, illum ſcilicet plenum fidei, & probitatis antiquæ virum, qui te ſemper ſummo ardore ut veneratur, ſic ſane amat, petiiſſe abs me, tibi dici, quam pectore tota profundit, vovetque ſalutem. Nullus plane hæret, quin illius germanus, qui jam eſt Pariſiis, te frequens inviſat. Durbeſius certe ejuſdem filius, tibi addictiſſimus ſemper eſt. Ipſe eſt, cujus ope reſcivi, quod ſcripſi ante circiter menſem, de quibuſdam nobilibus, qui advenifſent Pariſiis, ut defectionem quampiam molirentur. Vale iterum.

E I D E M.

Quam dolendum, optime Princeps, verſari res ſemper in ancipiti, ac nihil præter vota unquam ſupereſſe! Niſi inſequente certe occaſione res accipiamus compoſitas, non video quid boni ominari liceat. Videlicet res eò vergunt, ut inita licet deinceps concordia, ea ſuperfutura diffidentia ſit, ob quam diſcordia facile recrudeſcat. Vertat Deus omen in melius, faxitque, ne quæ ante annos trecentos, ac poſtmodum quoque fata contigere, nos maneant. Quippe, ut ſe res, ac genii habent, pronum eſt fieri Helenum, utinam modo non & Caſſandram. Perſpicis ipſe cominus omnia, quare & facile eſt tibi eminus omnia proſpicere. Pauca quidem ſunt, quæ inſinuas; ſed non obſcura interim, quæ vis haberi ſubintellecta. Deus iterum omnia melius, ac te cum primis ſoſpitem ſervet. Vale, Principum optime, o meum dulce decus, ac præſidium, vale. Diniæ pridie Eid. Sextil. M. DC. LI.

E I D E M.

Nihil fuit neceſſe, optime Princeps, lituras illas pauculas præ feſtinatione ductas excuſare. Satis enim novi varias, graveiſque, quibus teneris occupationes; permirumque eſt Virum tuæ ſortis, & iſto ſcribendi genere oblectari, & tam pauca, tametſi fere properantem oblinere; & facilitate tam facili eſſe, ut tua extemporanea poſſint aliorum cogitatis gravioribus æquiparari. Suave admodum fuit legere, quod perſcribere es dignatus, Condæum, præeunte Aureliano, Regem, Reginamque demum ſalutaſſe. Quidpiam ne adhuc nubilum, quaſi per tranſennam conſpiciam, aſſeverare minime auſim; ſi quid tamen tale ſuperſit, faxit divinum Numen, ut Sol id exortu primo diſcutiat. Solem cum dico, Regem intelligo, qui futurus mox pupillari ætate major, & auctoritatis ſplendore præfulgens, erit tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, & exultabit ut gigas ad currendam viam, a ſummo Cœlo egreſſio ejus. & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus, מחמתו: ואין נסתר. Quo putas verò dulcore me tua illa verba perfuderunt: *Ætatem pupillarem pedetentim miſſam facit Rex noſter, cujus indolis eximiæ odore referta eſt Aula, & Orbis ipſe.* Revocavi certe illico in mentem, quod votum pro illius gloria, actione illa mea inaugurali perorans concepi, ac vultu in Cœlum elato, id ut compleretur, vovi iterum. Præclarum, ac te dignum eſt, quod illos iſtorum, qui te oderint gratis, rumuſculos flocciſacis; neque, dum bella cogitant, non cogitas ipſe cogitationes pacis. Sic Deus me amet, ut tu eſſe alius, aliud ve agere ſuſtinueris nunquam. Adveni modo, ac interim, o meum dulce decus, vale. Diniæ XV. Calendas Septembris M. DC. LI.

E I D E M.

Allatæ nondum ad me ſunt, quas nuperus Curſor litteras advexit. Quare & ſi quas bonitas tua ad me dare dignata ſit, reſpondere iis nondum licet. Quod ſeſe interim offerat occaſio dandi Aquas-Sextias litteras, ipſam ideo arripio, ne non forte alia deinceps occurrat. Facio verò, tum, ut me ſemper, Deo bene propitio, valere inſinuem; tum, ut ſignificem qua lætitia me Tornator affecerit, quod mihi in aurem abs te dixit, quod ipſe ore tenus expreſſum voluiſti. Id, ut conſtitutum, utinam eveniat; ac tempus etiam expectatum prævertat. Interea verò, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ IX. Cal. Sempt. M. DC. LI.

EIDEM.

E I D E M.

ACcepi quidem litteras a ſuperiore Curſore advectas; at quas advexit nuperus accipiendi ſpes nulla eſt, ſi verum ſit, quod memorant, fuiſſe eum vectura ſpoliatum. Quod inſinuas de reditu, de tempore interpretor; ac ob id quidem potiſſimum, quod refers Reginam palam edixiſſe. Affecere me iterum ſummo dulcore tua illa verba: *Pupillarem interea exigit ætatem Rex egregius, in cujus fronte animi candor, militaris ardor, ſummaque enitet prudentia*. Faxit modo Deus, quod ſubinde voves, ut pubertatem aggrediatur, tranſigatque pacifice. Tantulum eſt, quod ſcribere jam vacat. Vale, o decus Principum, o & præſidium, & dulce decus meum. Diniæ Cal. Septemb. M DC. LI.

E I D E M.

EX litteris quidem, quas querebar nuper ſpoliato Curſore interceptas, redditæ fuere aliquæ; at non mihi tamen, quas abs te eapectabam, qui teſtatus fueras ſuperioribus, prætermitti nullam a te, quin ad me ſcriberes, occaſionem. Et quidpiam-ne forte intervenerit, quod obſtiterit, ne litteras dares, neque ſcire licet, neque conqueror; ſed quæ tamen illarum ſata eſſe potuerint, inſinuo, ut ſi expediat, noſſe rem poſſit. Ad inſequenteis quod attinet, ipſas cum ceteris accepi. Et quoniam amicus occurrit, qui Avenionem has perferat, ideo occaſionem arripio, ut ſecurius ad te tranſdantur. Juvat noſſe quid iſthic rerum a te perſcriptarum agatur; quam juvaret magis, poſſe illas minus turbulentas accipere! Vertat Deus omnia in meliorem ſortem. De mea verſum te profectione cogitare quidem incipiam, ſed ubi tamen ad me uberius, quod & recipis, ſcripſeris. De Neuræo quod attigiſti, delectavit ſummopere; ille enim profecto is eſt, quem paucis deſcribebam nuper. Vale, optime Principum, o & præſidium, & dulce decus meum. Diniæ Non. Septembr. hoc eſt die Natalitio, quo Rex Maximus tranſit ad Ephebos, M DC. LI.

. E I D E M.

FErunt Curſorem, qui ad te meas deferebat penultimas ultra Avenionem iterum ſpoliatum. Quid id rei ſit, coniicere eſt promptum, ſed conqueri inutile. Quas poſtremas litteras dedi, eas Avenionem deſtinavi. An meliore fortuna fuerint, tu ipſe prior noveris. Tuas interim Calendis conſcriptas intemeratas habui; ita apud nos non ſemper jus Gentium, publicaque fides violatur. Eſt verò, cur hanc, quam deſcribis tam continentem rerum vicem, perturbationemque doleamus, quando exitum non reperit, ſed aliis, aliisque nectitur ex cauſis. Faxit, quæſo, divinum Numen, ut quas proxima occaſione accepturus ſum litteras, referant hanc caliginem tum fuiſſe penitus diſcuſſam, cum primum fuerit Rex Maximus tanquam Sol ſupra Horizontem pupillatitatis exortus; ac Majeſtatem (ex eo dictam, quod ſit quaſi majoris ſtatus) tanquam ſplendorem induens, in ſuo Themidis ſolio quaſi in Cœlo coruſcarit. Tu quoque, optime Principum, tanquam Sol nobis exorere; futurum eſt enim, Deo bene propitio, ut quam-primum illuxeris, ſuperſtites omnes apud nos tenebras diſcutias. Interim verò, o & præſidium, & dulce decus meum, vale. Diniæ XVI. Calendas Octobr. M. DC. LI.

Viro clariſſimo, eruditiſſimo, amiciſſimoque Jacobo Alexandro Tennevrio, in Aquitanico Vectigalium Senatu Regio Conſiliario

PETRUS GASSENDUS S.

QUem eximium librum abs te editum ad me dare, intercedente Monconiſio noſtro, dignatus es, diebus proxime elapſis accepi. Significarat praeclarus ille, librum ſibi jam traditum, ipſeque Mathematici argumenti eum præſtolabar; at ex titulo ſtatim ipſo eſſe deprehendens Hiſtorici, nihilo ſegnius ipſum arripui, neque minus exhauſi totum; adeo ut etiam in mei mentionem inter additamenta factam, & ob quam tuæ bonitati gratiam habeo, inciderim. Nimirum & Auctoris nomen, & controverſiæ dignitas, & perſpicuitas ordinis, & rationum pondus, & phraſeos elegantia, fuere mihi quaſi Sirenes, a quibus vix quidquam potuerim abduci. Sic proinde habe me & inter legendum fuiſſe ſummopere delectatum, & congratulari jam ſummopere tibi, quod felici adeo ſucceſſu arduum negotium diſcuſſeris. Ita profecto videris mihi & de glorioſa Regis ſtirpe, & de Regno eſſe bene meritus, ut plane inſignem conſequi gratitudinis teſtationem debeas. Ac forte quidem eam non aliunde, ut ſe habent res, moreſque hominum conſequeris; ſed conſequeris tamen certe ab eruditis, boniſque Viris, qui ſunt veritatis, patriæque amantes, & quibus præſertim innotuerit tui Antagoniſtæ eruditio, ac fama. Perge modo bene mereri de litteraria Republica, quando in quocumque argumento te verſari contigerit, natus unice ad ipſum videris. Perge & ſemper amare me, qui te & revera ſuſpicio, & mihi amicum ſummo honori duco, vale. Diniæ XVII. Calendas Octobris M. DC. LI.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

TAm copioſe, tam eleganter, tam exquiſite deſcribis pompam, qua glorioſus Rex a Tutore, Curatoreque effectus liber proprii imperii habenas ſumpſit, ut interfuiſſe coram videar, nihilque grave ſit a ſpectaculi oſtentatione procul abfuiſſe. Utinam modo ſolemnes iſti, magnificique apparatus omina ſint exultationis, quæ decurſu toto Regni perſeveret; ac vovere liceat non inaniter, quod fauſtum jam ſit, quod felix futurum. Non fore porrò irritum votum coniicere licet ex ſumma ſapientia, qua Maximus Princeps ſupra ætatem pollet, & ex iis, quæ jam exhibuit, ſpeciminibus æquitatis. Delectat, quod refers de Cinea; at tibi cum non modo Reges, ſed ipſum etiam Rege Regum in ſolio juſtitiæ ſedentem vidiſti, non-ne qua pietate in Deum, quo affectu in Re-

gem

gem es, apprecari illud ſubiit cum Pſalte: *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filis Regis. Judicare populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio*, & quæ omnia in illo conſequuntur Pſalmo? Ego certe ex eodem ſemper apprecor, ut in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis oriatur; & apprecationem quaſi ingeminans, deſino in eadem verba, *fiat, fiat*. Tu, o Principum optime, ac dulce meum decus, ubicumque ſis, vale. Diniæ IX. Calendas Octobr. M.DC.LI.

E I D E M.

VIx quidem hæreo, optime Princeps, quin per Curſorem nuperum litteras ad me dederis; quippe id pro tua erga me bonitate in more habes, ac non ita pridem conteſtatus es nullam te ſcribendi ad me prætermittere occaſionem; verum, ſi hanc quidem non prætermiſiſti, neſcio quis caſus-ve, Deus-ve, quominus litteræ tuæ ad me pervenirent, obſtiterit. Dum tamen ſemper proſpere valeas, rebusque tuis bene ſit, cetera patienter ferenda. Hoc eſt ſolum, quod te jam volo. Plura nempe proximis diebus per Mercatores Lugdunenſeis, Deo propitio, ſcripturus ſum. Interea verò, o & præſidium, & dulce decus meum, vale. Diniæ pridie Calendas Octobr. M.DC.LI.

E I D E M.

ISthæc quidem e lecto ſcribo; verum ea ſpe, ut, Deo propitio, proximis diebus in pedes ſtem. Febris eſt, quæ decumbere me ab hebdomade ineunte coëgit; & duobus quidem paroxyſmis, quorum alter ſeptemdecim, alter duodecim fuit horarum; ſed ita tamen, ut tertii tempus, ſi tertiana futura erat, jam excesſerit, ac timeri ſolum illius acceſſus poſſit, ſi quartana forte futura ſit. Niſi præmature, quod timeo, ὁ γραμματοφόρ☉ diſcedat, dabo operam, ut quis paroxyſmi ſucceſſus fuerit reſcire valeas. Nullas adhuc poſtremus Curſor litteras abs te detulit; adeo ut jam pæne nullus dubitem, quin quas ſolitus es, dignatisque ad me ſcribere, intercipiantur, ac tanto magis, quanto innotuit, eas, quas debueram quarto ante loco accipere, oſtenſas, lectasque publicitus fuiſſe. Te exoratum proinde velim, ut ſi beare me tuis litteris pergas, tranſdere digneris illas ad Belmontium, quoniam tametſi tardius, ſecu ius tamen eas accipiam. Ego, donec conſtiterit meas quoque intercipi; aut ſulitâ viâ, aut intercedente Belmontio indiſcriminatim, ac prout ſe occaſio obtulerit, ſcribam. Scribenti ad noſtrum Neuræum meo Poteria, ut rei ejuſdem eum admoneat, mando. De publicis rebus in eo ſemper ſum, ut melius omen apprecer, quam ut non abſimilia iis, quæ ante annos trecentos contigiſſe legimus, conſequantur. Quod novi accidiſſe Aquis-Sextiis, donec iſta ſcribo, perfertur ad me, aliâ viâ haud dubie pernoſſes. Tu, o & præſidium, & decus meum dulce, vale. Diniæ pridie Non. Octobr. M.DC.LI.

E I D E M.

IStæ-ne litteræ ad te perventuræ ſint, prorſus hæreo, quando nullas habeo abs te, quæ te ſuperiores accepiſſe inſinuent. A conſcriptis certe poſtridie quam Rex pupillarem ætatem exuit, redditæ mihi nullæ ſuere; unde & vereor admodum, ne quas confido ſcripſiſſe te, fuerint alicubi interceptæ. Si meis idem ſatum contingat, ac hiſce quoque aditus ad te uſque non pateat, id mihi ferendum erit leviter. Committo ipſas tamen fortunæ, ut ſi tuas in manus forte incidant, certiorem te faciant me, Deo propitio, poſt duos paroxyſmos febrem non ſenſiſſe. Octiduum eſt, ex quo diſcedentibus Lugdunum Mercatoribus litteras, quæ illinc ad te Pariſios tranſderentur, dedi. Cum monuerim autem, ne tuas ad me, ſi quas conſtaret intercidiſſe, deſtinares amplius Aquas Sextias, nihil opus eſt heic repetam; ſed ſolum, ut eas, quò ſoleo, dirigas, te rogare pergam. Deum ſemper quæſo ter Maximum, ut te ſervet incolumem, tibique omnia tribuat ſecundum cor tuum. Vale, Principum optime, præſidium, ac decus meum dulce. Diniæ pridie Eid. Octobr. M DC LI.

E I D E M.

EN litteras denique binas abs te accipio, optime Princeps, alteras quidem pridie Calendas, alteras verò pridie Nonas hujusce menſis Pariſiis datas. Forte ſi quando intermiſiſti aliquas, ut inſinuas, dare, non tot, quot rebar poſt interceptas ob Curſorem palam ſpoliatum intercidérunt. Utcumque ſit, ea mihi voluptas tuis ex litteris contigit, quæ ex fecundis calicibus diuturnam ſitim explere cupienti. Id verò ſane tanto magis, quanto continenter valere te agnovi; nam quod me quidem continenter amari abs te ſentiam, id pridem ratum, fixumque eſt. Quominus porrò me hactenus itineri commiſerim, partim litterarum tuarum expectatio, partim ea, cujus jam ſemel, iterumque memini, invaletudo fecit. Ac forte quidem quæ nos jam hac in Regione hyems invadit, non iniiceret remoram; ſed vias ſic infeſtari audio, ut hæream, an non ſatius ſit, quid ſerus veſper vehat, expectare. Quæcumque ſit verò mea jam hæſitatio, ea mihi, Deo propitio, ultra hyemem non prorogabitur. Tuque aliunde ne dubita, quin alta mente repoſtum ſit, quod de amico omnium horarum habes. Quidpiam accepimus de felici, cujus mentio eſt a te facta, expeditione ad Bituriges: Utinam Deus pari ſucceſſu id, quod ſupereſt Regiæ profectionis fortunet. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ XII. Calendas Novembr. M DC LI.

E I D E M.

MIrabere, optime Princeps, duos ex Provincia Curſores meis ſine litteris diſceſſiſſe; ſed mihi nempe occaſiones, quibus Aquas-Sextias tranſderentur, defuerunt. Accepi interim litteras κατὰ τὴν εἰκάδα ſuperioris menſis a Neuræo datas, quibus fuiſſe te illo ipſo die febri correptum renunciavit. Quo id dolore acceperim, quamque me anxie hactenus habeam (donec ſcilicet litteras ſuccedenteis deſidero) ipſe, qui ex tuo erga me amore meam erga te obſervantiam metiris, conjicere potes. Faxit verò divinum Numen, ut & iſtæ litterulæ in te valentem incidant, & ego brevi eas accipiam, quibus & metu omni exſolvar, & pro felici ſpei ſucceſſu, quæ concipio vota, perſolvam. Voveo nempe, ut ne quidquam non ſit, quod, dum apprecor pro more, ut valeas. Vale, inquam,

inquam, optime Princeps, o dulce meum decus, ac præſidium, vale. Diniæ vi. Eid. Novembr. M.DC.LI.

E I D E M.

TAm raræ ſunt jam occaſiones, quibus hinc Aquas-Sextias dare litteras liceat, ut videri poſſim immemor officii, abs quo habeas tam infrequenteis. Sed res nimirum illius urbis ita turbatæ reputantur, ut vix quiſquam ſe eò conferre negotiorum cauſa ſuſtineat; ipſeque proinde bonæ ſorti ducam, quod ſe occaſio hæc offerat deſtinandi has Avenionem, ubi Veredario tranſcurrenti committantur. Ut hinc porrò illuc perpauci contendunt, ſic illinc perpauci huc redeunt, qui eò deſtinatas ad me perferant, ut quî vales, aut quid tum iſtheic, tum alibi rerum geratur, cognoſcam. Unde felicitati etiam verto, quod ſuperiore hebdomade litteras nanciſci a Neuræo potuerim, quibus Octobri licet datis, acceperim te febri jam immunem. Quæſo Deum ter-Maximum, ut quam valetudinem cepit reſtituere, plane perficiat, ac diuturno deinceps ævo ſartam, tectam, conſtantem ſervet. Vale itaque, optime Principum, o dulce meum decus, ac præſidium, vale. Diniæ v. Calendas Decembr. M DC. LI.

E I D E M.

QUanto cum gaudio litteras, quibus beare voluiſti me, ut te jam convaleſcere teſtareris, acceperim, dicere quî valeam, qui tantopere extimueram, ne tua illa febris longe, aut malignior, aut diuturnior evaderet. Itaque tibi ut gratulor, quod iſta quidem tempeſtate convaleſcere tam cito potueris; ſic gratias quam poſſum ago maximas, quod mihi id ipſum tua manu ſignificare fueris dignatus. Addo & quas debeo, quod benigne adeo excuſationem admiſeris ob nondum ſuſceptum a me, ſed dilatum ad uſque initium Veris proxime ſucceſſuri iter. Teſtur interim me, Deo propitio, ita liberaturum fidem, ut neque abs te, neque ab iis amicis, quos inſinuas, ullus querelæ amplius de me inſtituendæ præſtetur locus. Utinam modo, ſeu iſtheic tibi, ſeu alibi occurrero, te proſpera fruentem valetudine complecti venerabundus poſſim. Vale igitur, Principum optime, o dulce meum decus, ac præſidium, vale. Diniæ pridie Non. Decembr. M. DC. LI.

Illuſtri Viro Philiberto de la Mare, Senatori Divionenſi

PETRUS GASSENDUS S.

REdduntur mihi ecce tuæ litteræ ante menſem Divione datæ. Quam gratas illas habeam, dicere ſane potis non ſum, qui & exinde valere te poſt invaletudinem tam diuturnam accipio; & me tibi e pectore, nec dum ex memoria poſt tam diuturnum ſilentium non excidiſſe compertum habeo. Quanta ego quoque, quamque diuturna invaletudine fuerim, dicere nihil attinet; aſſeverare ſancte præſtat eſſe mihi te, virtutemque tuam venerationi ſemper ſummæ. Quod de Numo Auguſtoduni effoſſo me rogas, doleo admodum nihil poſſe me lucis exoptatæ conferre. Antiquaria illa ſupellex incomparabilis Peireskii Pariſios translata, diſtractaque eſt; mihique nihil poteſt ex ea, quod ad rem faciat, ſuccurrere. Potuiſſet ſane ὁ μακαρίτης, aut nemo Mortalium tibi affulgere; nunc, illo extincto, non miror, ſi in neminem incidas, qui hac in re præferat facem. Difficultas forte ex eo, quod *Popeonanus* nomen ſit, ut ſuæ gentis, ſic ſui ævi; nec liceat, defectu hiſtoriæ, quia ille fuerit ex nuda ſtella, & voce *Conſa* conicere. Hariolari certe, ac hariolationes, quibus fundamentis par eſt, non communire ſit riſu dignum. Eſt verò etiam, quamobrem doleam nihil habere me, quo tuum illud *de Leonardo Aretino* inſtitutum quidquam promoveam; ſed nempe in regione verſor, quæ ut germanæ litteraturæ, ſic hujuſmodi deliciarum ſteriliſſima prorſus eſt. Quamquam & quia eximios Puteanos hortatores habes, par eſt reputare, non poſſe te aliunde, quod non ex illorum interceſſu obtineas, nanciſci. Certe, niſi alioquin noris, noſſe ſaltem ipſis procurantibus poteris ſpirantem illam Bibliothecam, præclarum Naudæum, quo nemo habet omnis ævi plureis Auctores, libroſque perſpectos. Non neſcire profectò potes, deprompſiſſe illum ante decem annos ſua ex Bibliotheca opuſculum illud *Leonardi Aretini de ſtudiis, & litteris*, ac præmiſiſſe etiam ipſius ex Trithemio elogium. Sic ergo habe, fruſtra te (quantum ego quidem opinor) ire requiſitum ex aliis, quod non dabitur ex eo impetrare. Ego, ſi me aliquid roges, quod meæ magis opis ſit, dabo operam, ut ſaltem in me non deſideres pronam voluntatem. Vale, ac me porrò, quod feciſti, ama. Diniæ, prid. Non. Decemb. M. DC. LI.

Ludovico Valeſio Principi Optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

MIre recreavit quas litteras vi. Eidus dare es dignatus accipere; quando fuere mihi inſigne conſtabilitæ jam tuæ valetudinis argumentum; ſervet illam Divinum Numen ſartam, tectamque in longum ævum; ac tua fortunans conſilia, tuis votis, cœptiſque omnibus adſpiret. Quod de rerum ſtatu attingis, id ipſum eſt, quod proſpexiſſe, prædixiſſeque ante videris. Faxit verò utinam Deus, ne ſerpente ulterius malo, prophetia amplius producatur. Ipſe me, Deo bene propitio, non male haberem, niſi tuſſis, malum pæne populare, incommodas mihi nocteis faceret; nam interdiu quidem eſt tolerabilior. Spero, feſtis hiſce exactis, continere me domi paululum, ſi decoqui forte mali cauſa poſſit. Quoniam porrò hæ litteræ tibi anno jam novo inito reddentur, par eſt ipſis tibi illius felicitatem apprecer, ac ut conſequuturi omnes proſpere quoque decurrant, voveam. Inprimis verò, optime Princeps, ac dulce meum decus, quam-optime vale. Diniæ, vi. Calend. Januarii, hoc eſt ruente anno M. DC. LI.

EIDEM.

E I D E M.

SIgnificavit Neuræus meus fuiſſe ſe abs te interpellatum, ut te excuſaturum faceret, quod otii defectu nullas ad me litteras dares. Ego verò, optime Princeps, id ita facio maximi, ut rubore tamen ſuffundar, quod immereus ſim ejuſce honoris, ut, tantus cum ſis, dignum habeas me, apud quem texas excuſationem. Sed bonitas nimirum tua, quod ad me ſpectat modum neſcit; meique officii eſt, ne quid ultra fas admittam, cavere; ac ne quidquam abutar ea, qua eſſe dignaris in me propenſione. Illud delectat, quod accipio, pergare ſe bene valere; unde & Divinum Numen veneror, ut pergas in Neſtoreos annos, ac iſto, quem jam inimus cum primis, quo ſpeciatim tibi apprecor omnimodam proſperitatem. Vale itaque, optime Princeps, o dulce meum decus, ac præſidium, vale. Diniæ, Nonis Januarii M. DC. LII.

E I D E M.

QUod rerum ſtatum præſentem defles, dignum ſane facis tua humanitate, ſingularique illo amore, quo in Patriam es, Regemque affectus. Eximium prorſus eſt illud *Varii*, quod innuis *de Conſtantia* opus; neſcio verò an obſervaris, fuiſſe magnum Virum dignatum conſcribere illud imitatione Lipſii, uti & conſcripſit etiam aliud *de Philoſophia Stoicorum*. Nullus hæreo, quin Lipſium quoque *de Conſtantia* pellegeris; at, niſi forte feceris, eoque vacet incumbere, opera tibi non peribit. Habet hoc lectio *Varii*; quod res noſtras propius attingens, poſſit nos magis afficere; ſed juvat tamen agnoſcere querelam eſſe non regionis, non ætatis noſtræ duntaxat; verum ubi-vis, ac omni ævo eandem cantilenam audiri; ut quod humanæ ſortis eſt, ac devitare non poſſumus, ferre leniter condiſcamus. Tu modo, optime Principum, ac meum dulce decus, vale. Diniæ, XVII. Calend. Februar. M. DC. LII.

E I D E M.

LEvavit me ſane Neuræus ſollicitudine ingenti, cum litteras dedit, ex quibus fuit promptum conjicere, te bene valere. Nimirum litteræ Aquenſes laborare te graviter (& nonnullæ etiam aliquid pejus) deprædicabant; ac tametſi ipſe aſſuetus adventantibus illinc litteris non multum fidei adhibeo: quia tamen nullas neque abs te, neque abs Neuræo, neque abs quoquam alio habebam, quibus qui valeres, certior fierem, idcircò ſuſpicio creabatur, ne aut tu non poſſes, aut illi nollent rem futuram mihi haud-dubie parum gratam renunciare. Et noſti certe tritum illod: *Res eſt ſolliciti plena timoris amor*. Utinam verò ſimiles omnes de te rumores perinde evaneſcant, ac liceat ſemper, quod ſit iſtorum votis contrarium præſumere. Quocirca & non modo bene, verum etiam optime, o Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ, III. Non. Februar. M. DC. LII.

E I D E M.

NOn eſt profecto, quod ſuſpicer nullas ex tua bonitate ad me litteras proficiſci. Ecce enim Amicus rediit Aquis-Sextiis ſuperiore hebdomade, qui & ſigillum, & manum tuam agnovit in aliquibus, quæ fuerint nuper intercepta. Quare & licet illas non habuerim, non minus tamen ago gratias, quod fuiſſe abs te conſcriptas norim. Et memini quidem inſinuaſſe me, ut litteras committeres aut Neuræo, aut alii, qui illas non ſine adhibita cautione ad me deſtinaret; at quia res forte tibi viſa a tuo candore aliena eſt, ideò rurſus quidem inſinuo, ſed ita, ut nolim factum importune. Ceterum, ubi haſce accipies, ſi tamen ea forte ſint, ut tuas ad manus perveniant, inaudieris jam, ut opinor, mei illius Luillerii Amicorum longe cariſſimi obitum luctuoſum. Is, me ne quidquam obluctante, in Italiam diſceſſerat, valetudine nondum confirmata; ac non ſine becticæ febris periculo, imò pæne indicio. Evenit autem id, quod timebam; conſumptus enim tabe eſt, ac diem ultimum obiit Piſis, ipſo initio Decadis extremæ menſis ſuperioris. Tametſi verò ego me ad hanc jacturam compoſueram, quippe ex litteris tum ipſius, tum eorum, qui illi aderant, promptum fuerat rem conjicere; non potui tamen non admodum renunciato caſu percelli; adeò non potuit non vehemens capitis tam cari deſiderium eſſe. Id certe tibi maxime omnium reputare facile eſt, qui conſcius fuiſti quam intima, quamque multorum jam annorum nos inter foret neceſſitudo. Tu, o Principum optime, ac meum dulce decus, & vive, & vale. Diniæ, XV. Calend. Martii M. DC. LII.

E I D E M.

NE nihil ſcribam [occaſione videlicet præcipitata dandi Lugdunum litteras, quando Aquas-Sextias nulla datur] hoc ſolum ſcribo, Neuræum meo, cultoreſque reliquos tui recreaſſe maximopere, eum & ſcripſit valere te, & eſſe de tuis negotiis quam-optime ſperandum juſſit. Valeo ipſe ſemper, Deo bene propitio, non omninò male. Tu verò, optime Principum, ac meum dulce decus, quam optime vale. Diniæ, poſtrid. Calend. Mart. M. DC. LII.

E I D E M.

SEx dies ſunt, optime Princeps, ex quo oblata occaſione, dedi Lugdunum ſchediolum ad te exinde tranſmittendum. Facta jam occaſione alia ſcribendi Aquas Sextias, hoc rurſus ad te deſtino, eo maxime fine, ut tibi inſinuem, quod tibi per me *Vailevorta Volſius*, ille nempe tuæ cataphracti equitatus cohortis dux, fieri inſinuatum expetiit. Id verò eò tendit, ut quia forte tibi diſplicuiſſe poteſt, neſcio qua in re, intelligas ipſum factum velle infectum, nihilque magis habere cordi, quam ut tecum redeat in gratiam, ac id ut mereatur, nihil non facturum, ſi modo rem fore tibi gratam cognoverit. Ac videtur is mihi ſane ex imo loqui pectore, dignuſque adeò eſſe, quem non averſeris. Noſti quos ſecum Proceres trahat, quamque juvet hoc tempore amicorum copia vigere. Nihil vetat diſcrimen ſtatuere, ne ex æquo omnibus fidatur; ac evenire interim poteſt, ut qui poſt defectionem redierint, vel ipſo relapſus pudore conſtan-

Digitized by Google

tes evadant. Fama certe adſertorum ſibi, detractorumque adverſariis Virorum hujuſcemodi eſſe non inutilis poteſt. Quamquam hæc tibi quid ſuggeram, qui profundius omnia perſpicias. Quæſo ergo ſolum, ut uno verbo ſignificare mihi digneris grate-ne, an ingrate redeuntem excepturus ſis, ut, re cognita, quid ſim ipſi renunciaturus cautius provideam. Interea autem, Principum optime, ac meum dulce decus, vale. Diniæ, Non. Mart. M. DC. LII.

Oro te, ut ad me reſcribens, digneris tuas litteras Campinio, Neuræo, alii-ve committere, ut tutius ad me involucro alieno obductæ tranſdantur.

E I D E M.

IGnoro ſemper, optime Princeps, eadem-ne meis litteris, quæ tuis, fata interveniant, ſi quas forte bonitas tua dare ad me pro more pergat. Nullæ certe ad me ab uſque conſcriptis anno ineunte pervenerunt; tametſi accepi interceptas, viſaſque Aquis-Sextiis, quas conjeci potuiſſe te ſcribere initio Februarii. Utcumque ſit, non deſino committere ſemper ſorti aliquas, ut lætitiam teſter, qua ex litteris aliorum ad alios perfertur ad me, quam ſis Deo propitio valetudine proſpera, quamque in procinctu, ut brevi ad nos redeas. Ipſe ſic comparatus ſum, ut bene potius, quam male habeam, ac ſperem ſemper non longe ab ipſis Paſchalibus diſcedere, maximeque, ſi inaudiero (quod ægre tamen ſuſpicor) tuum reditum prolixius differri. Vale, Principum optime, o dulce meum decus, quam optime vale. Diniæ. XIII. Calendas April. M. DC. LII.

Iſmaeli Bullialdo ſuo

PETRUS GASSENDUS S.

ACceperam jam tuas litteras ſinceri affectus teſtatione plenas, cum imminente Eclipſi Lunæ reſponſurus non ante fui, quam ut ad illam ſic attendiſſem, ut poſſem ad te, ſi quid forte ex ea obſervaſſem, tranſmittere. Cum nubes illius conſpectum penitus eripuerint, reſponſum adhuc diſtuli, donec quæ circa Eclipſin Solis mea foret fortuna experirer; ac dato interea ad Neoræum ſchediolo, rogavi ſolum, ut tibi quid rei contigiſſet, ſignificaret. Cepit me porrò triduo ante ipſam Eclipſin febricula, a qua vix jam ſum factus plane liber; non obſtitit ea tamen, quin omnia Eclipſi obſervandæ apparari curaverim, & cum Bernerio, qui forte aderat, cum Amanuenſi meo Poterio, & quibuſdam præterea Amicis induſtriis ea mandaverim, quæ peragenda ſingulatim forent. Quin adeſſe quoque ipſe volui, ac bona forte etiam potui præcipuum quoddam circa Phaſeon adnotationem munus obire. Utebar eadem machina, quam *Pagina Animadverſionum* 888. indicatam habes; cum & proxime extra ſcenam foret, qui captandæ Solis altitudini regeret Quadratum Geometricum utraque coſta, umbra-ve, ut vocant, in millenas parteis diviſum. Erat verò ſimul, qui ad horologium Sciotericum attenderet, ut altitudinis variationi circa Meridianum inſenſibili, qualemcumque poſſet opem ferret. Ac Sciotericum quidem viſum eſt uno, altero-ve minuto ante indicare initium, quam ex altitudine deducatur; Finem duobus circiter poſt (ſatis præciſe videlicet umbra attingebat ipſummet Meridiem) verum cum de fine contendere nolim, de initio paulo magis hæreo, & ut ut res habeat, te latere eam nolo. Habui me exinde paulo deterius, ac vix jam nudius-tertius ſolum obſervationem reſumere, & ad calculos revocare utcumque ſuſtinui. Inſerui jam in proximum folium, & obſervationem, & quod hactenus potui ex obſervatis deducere, ut ipſe & cognoſcere, & explorare omnia melius poſſis, cogitaram tantundem ad optimos Hevelium, Eichſtadiumque tranſdere; ſed obſtat præceps ſcribendi occaſio, quam ne prætermittam, exaro hæc raptim. Quæſo te verò, ut pro tuo erga me, ac illos amore, quidquid hoc eſt rei exſcribere, ac exemplum dare ad illos digneris; niſi forte malis tibi habere exemplum, & ad illos deſtinare ipſummet hoc autographum, ut & manum meam agnoſcant, & eſſe me adhuc, Deo propitio, ſalvum perſpiciant, & norint viarum intervalla nihil obeſſe, quominus ſemper mihi in medullis intimis hæreant. Cum primum Pariſios rediero, diuturnum ſilentium compenſare adnitar. Spero autem, Deo favente, ſic diſcedere, ut Pentecoſtem tranſigam Lugduni. Salvere interea optimum Puteanum, ceteroſque Amicos jubeo. Dantiſcum dum ſcribes, jube etiam nomine meo ſalutari præclarum Mochingerum, de quo Bernerius apud me mira. Allata eſt heri ad me Aquis-Sextiis quam obſervationem Lunaris Eclipſeos communicatam mecum voluiſti; ſed nondum vacavit rem expendere. Gaudeo ſolum de tua fortuna, ac noſſe aveo ecquid nam tibi circa Solarem evenerit. Cum jam non vacet ne ad Neuræum quidem vel ſchediolum conſcribere, cura, amabo, id ſciat, ac me apud alios, quibus novit me litteras debere, excuſatum faciat. Vale. Diniæ, poſtrid. Eid. April. M. DC LII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

HAbueram jam ſub involucro litterarum optimi Campinii conſcriptas a te Martii Eidibus, cum perlatæ ad me Aquis-Sextiis, & neſcio quo conſcientiæ ductu redditæ fuerunt geminæ; alteræ poſtridie Calendas, alteræ perendie Nonarum Februarii datæ. Incertus, quæ mearum ſint fata, haſce ad Campinium noſtrum eundem deſtino, ſi forte pari felicitate, qua tuæ ad me, ejus interceſſu ad te uſque perveniant. Ipſis porrò nihil jam aliud, quam rerum vices tecum doleo, ac Deum optimum veneror, ut magno hoc ſane turbante tumultu rem gallicam ſiſtat. Quis ſtatus hujus Provinciæ ſit, noris ipſe ex aliis melius. Mea valetudo non jam male habet, ex quo quæ me detinuit per aliquot dies febricula evanuit. Ad meum diſceſſum quod attinet, conſtitui Lugduni Pentecoſtes Feſtum, Deo propitio, exigere, viſurus an Deus interea, quod chaos vos inter, eamque urbem eſt, interceptum diſcutiat; an, niſi rectiore illo ductu, ſaltem per Burgundiam tendere iter liceat. Tu, ſeu interea ad nos accedas, ſeu iſtheic amplius hæreas, bene, atque feliciter, o & optime

Prin-

Principum, & dulce meum decus, vale. Diniæ, XI. Calend. Maii M. DC. LII.

E I D E M.

FOrtunatum fuit illud involucrum, ſub quo tuæ litteræ decimo ſexto Calendas datæ, illæſæ ad me pervenerunt. Utinam fortunata quoque de rerum ſtatu renunciaſſent; ſed ferendum eſt, quia Superis viſum. Hactenus omnia apud nos ſatis ſe pacifice habent; quam timendum tamen, ne ſit nobis quoque conturbatio pro foribus! Nihil ſpeciatim commemoro, quando ipſe aliunde noſſe omnia potes, rumores inter cæteros, venturum Regem Lugdunum ſerunt. Id ſi ita ſit, potero diſceſſum non-nihil differre, ne me in medias belli, Aulæque turbas conjiciam. Niſi ſit, ſpero ſemper fore, ut me ante finem Menſis illeic ſiſtam; ac deinceps te quam potero citiſſime conveniam. Bene interea, Principum optime, ac dulce meum decus, vale. Diniæ, XV. Nonas Maii M. DC. LII.

Henrico Scaleſio, Baroni Brachii, Anſuſii, &c. in Supremo Aquiſextienſi Senatu Regio Conſiliario

PETRUS GASSENDUS S.

LItteris illis ſuaviſſimis, quas Sacriſta noſter, præclarus Galliardus abs te reddidit, nihil potuit mihi obtingere jucundius; qui certe ab uno, altero-ve die decumbebam æger ex febricula, levari me dimidio invaletudinis perſenſi; ita delectavit agnoſcere te hæredem ſummæ benevolentiæ, qua me olim Senatus Princeps Avus tuus illuſtriſſimus, ac nobiliſſimus quoque tuus Parens, dum viverent, dignati ſunt. Recreavit me verò maximopere videre ingenitos illos ad virtutem igniculos, quos a tenerioribus annis in te accenſos perſpexeram, ita jam invaleſcere, ut nullus hæream, quin olim tuis Majoribus longe præfulgeas. Ecquid nimirum de maturiore ætate ſperandum non ſit, cum in iſto annorum flore tanti proventus frugem oſtentes! Macte proinde, o generoſe; perge modo tui eſſe ſimilis, hoc eſt, virtutis tramiti indefeſſo pede inſiſte; hæc ſcilicet vera, atque unica ad germanam gloriam eſt via. Quod fieri me rerum novarum participem volueris, gratias habeo ſane quam-magnas. Id ex illis præſertim placuit, quod intellexi reditum adeò expectatum eſſe in procinctu. Faxit Deus ter-Maximus, ut omnia pro tuis, ac bonorum, quotquot ſunt, votis, bene, ac feliciter cedant. Vale. Dabam Diniæ e lectulo, poſtridie Eid. Maii M. DC. LII.

E I D E M.

TEmperare mihi profecto non poſſum, quin alacritatem hanc tantam, qua inter belli cogitationes iſthæc pacis ſtudia ſectaris, commendem. Ecquis enim alius in Provincia eſt, qui ſimile quidquam, non dico aggredi, ſed vel agitare animo ſuſtineat? Neque verò eſt, quod abs me, ne id extollam, exigas; rem enim petis inofficioſam, quamque, niſi virtutis parteis velim prodere, non poſſum largiri. Hanc nempe laudem generoſum tuum inſtitutum promeretur; nemoque eſt bonus, qui non calculum conferens id valde ſuſpiciat. Ac perinde quidem alium non afferer, qui exinde inſoleſceret, & viſus ſibi jam ſapere a Sapientiæ proſequutione, cultuque retraheret pedem; at verò eam animi tui moderationem eſſe novi, ut inde potius anſam accipias exardeſcendi in dies magis erga ſtudium laudabile, præſtandique, ne fruſtra ſit, quod ego ad id te animarim, eamque de te ſpem conceperim, qua ſane eſſe major non poſſit. Age itaque, ac id ſolum habe defixum animo, neminem eſſe eo feliciorem, qui ab uſque adoleſcentia virtutis viam ingreditur, illique hæret ita conſtanter, ut quam ſummis votis concupierit, deperieritque, tandem aſſequatur. Quas Tolone litteras habeo, ſignificant optimum Ducem debere jam eſſe in itinere, neque a nobis procul abeſſe. Omnia aliunde ita eſſe apparata accipio; ut de ſucceſſu proſpero quidquam dubitare vix liceat. Vale, o generoſe. Diniæ, IV. Calend. Junii M. DC. LII.

E I D E M.

NE nihil reſcribam [in illa nempe, qua Regius noſter in hac Dinienſi Proſeneſcalia Conſiliarius, deprehendit me exterorum frequentia] paucos hoſce verſus dare malo, quam nullos; videlicet ferre non poſſum, ut Tabellarius dimittatur, quin certior fias & tuas mihi redditas fuiſſe litteras tertio Calendas Anſuſii datas, & fuiſſe me ſumma perfuſum lætitia, cum accepi te Plutarchi lectione adeò impenſe delectari. In ea enim ſententia ſum, ut quod Quintilianus de Cicerone ait: *Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit*, idem de Plutarcho reputem dicendum. Plura aliàs majore otio. Quæſo interea Divinum Numen, ut tuum hoc tam generoſum, tam laudabile inſtitutum fortunet. Vale. Diniæ, III. Non. Jun. M. DC. LII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

DIu jam erat, optime Princeps, ex quo non habueram abs te litteras, cum ecce mihi redditæ ſunt, quas ſcribere nono Calendas, & ſtudio optimi Campinii committere dignatus es. Quoniam verò [quantum conjicio, tum ex eo, quod ad calcem inſinuas; tum ex litteris ad Belmontium datis] par eſt te jam eſſe in itinere, idcircò hanc ſchedam deſtino Lugdunum, ut ubicumque Curſorum Magiſter te eſſe noverit, ipſam ad te tranſdi procuret. Diſces ex ea, quod & ab aliis compluribus perſpectum fiet, quanto tui ſint deſiderio quotquot boni in Provincia ſunt, rebus præſertim eò deductis, ut quo longior mora, eò ſit periculum majus. Ratus te tandem adventurum, diſceſſum diſtuli in Autumnum, ut & te complecti in ipſa Provincia venerabunde liceat, & teſtem eſſe proſperi, quem tibi exopto, ſucceſſus. Deus Optimus Maximus te ſemper incolumem ſervet. Vale, optime Principum, vale, o dulce decus meum. Diniæ, VI. Eid. Jun. M. DC. LII.

Chriſtinæ Suecorum Reginæ Sereniſſimæ, Potentiſſimæ, Sapientiſſimæque

PETRUS GASSENDUS

Εὐπράττειν,

Reginæ Sereniſſimæ, non ego is ſum, neque me eum habeo, cujus litteræ pervenire ad tuas manus regias, & a Majeſtate tua tam benigne excipi, benevolaque legi mereantur. Quare neque dum haſce ſcribo, quas venerabundus ad te deſtinem, tam ultrò, meaque ſponte facio, quam inductus tuæ illius erga me immerentem benevolentiæ ſignificatione, qua inſinuata a Burdelotio eſſe mihi imperium cogentius non potuit. Hinc vererer quidem, ne meum hoc conſilium temeritati verteretur, ſi ipſum nulla occaſione provocatus ſuſciperem; verumtamen cum Ipſa ſis, quæ me audentem feceris, nullus pæne hæreo, quin meæ obſervantiæ erga te ſummæ, gratitudiniſque teſtationi id tribuas. Scilicet non poſſum non me ſumme devinctum profiteri ob tantum illum, quo tua me Majeſtas cumulat honorem, cum Incomparabili bonitate, & de me ſollicite quærit, & meas lucubratiunculas non inſpicere modo feſtinet, ſed commendare etiam dignatur. Subeſt verò quorſum abunde mihi-metipſi gratuler, neque mea qualiacumque ſtudia fruſtra abiiſſe exiſtimem, quando ex tantulo meo penu prodiiſſe poteſt aliquid, quod potuerit Reginæ tantæ, tantaque virtute, eruditioneque ornatiſſimæ non undequaque diſplicere. Ecquæ nam interim hæc eſt ſæculi noſtri felicitas, ut Principibus ceteris ſqualere Muſas patientibus, tu ipſa exoriaris, quæ illas reſpicias, & in hoc ſexu, in hac ætate ejuſmodi occupes gloriam, qua non ſit conſequentibus ſæculis futura ſplendidior? id nempe erit ſemper omni fide majus, te adeò generoſe per teneros annos Martis ſtudiis incubuiſſe, ut bella e Magno Parente ſuſcepta feliciter peregeris; glorioſam Regno tuo pacem, beatamque tranquillitatem populis tuis quæſieris, ac ipſam ſumma deinceps cura ſic factam tectam tenueris, ut ad bonas Arteis interim converſa, eas feceris delicium tuum. Felices Populos! quos non ante tantus ille Heros deſtituit, quam velut alter Juppiter, ut cum Poëtis dicere liceat, te Minervam ediderit, quæ & armata hoſteis terrores, & pacis artibus inſtructa fores maximo tuis ornamento. Sane quod fabulæ adumbrare illius ſpecie contenderunt, ipſa veritas in te expriniit; quippe cum ea ſis, quæ merito jure quaſi Dea, Præſeſque Sapientiæ habearis. Votum celebre fuit Platonis, ut ad Regni felicitatem aut Reges philoſopharentur, hoc eſt Sapientiæ ſtudioſi forent, aut Philoſophi, ſeu qui forent Sapientiæ ſtudioſi, regnarent. Tu verò id votum omni ex parte comples, quæ & regnando philoſopharis, & philoſophando regnas; ac non modo es Sapientiæ ſtudioſa, ſed evadis etiam viva ejus effigies, ideaque germana, ad quam ſeſe componere, qui regnare volent feliciter, debeant. Peccem ego proinde in Sapientiam ipſam, ſi quidquam te adhorter, ut quam viam teris, eam conſtanter teneas; ac ea præſertim indole cum ſis, ut non eſſe tui ſimilis non poſſis, rata ſcilicet perfectionem, coronamentumque Sapientiæ ipſam eſſe in laudabili inſtituto perſeverantiam. Voveo itaque duntaxat eam ſeriem, plenitudinemque annorum, quam adipiſci maximam per conditionem humanam licet, ut frui cumulate valeas beatitate ſumma, quam conſequeris ex hoc præclaro Sapientiæ cultu, ex beneficentia, qua tot populos, quorum tibi eſt tam cara ſalus, demereris; ex veneratione, & amore, quo ſe regnare in intimis eorum pectoribus perſentiſcis. Reputare nimirum decet, hoc fore tibi ſemper, ut ſummum, ſic conſummatiſſimum bonum Sapientiæ fructus demetere; ſubditorum utilitati quammaxime conſulere; in eorum ſincero, ac pleno gratitudinis affectu verſari. Vive igitur ſemper felix, o ut Eminentiſſima, ſic Glorioſiſſima Feminarum; ac perge exemplum fieri, quod omnes ſuſpiciant, pauci aſſequantur. Iſthæc Celſiſſimæ tuæ virtutis, æque ac Majeſtatis venerantiſſimus, obſervantiſſimuſque dare audebam. Diniæ, Eidib. Jul. M. DC. LII.

PETRUS GASSENDUS

BERNERIO SUO S.

Nihil ante litteras tuas acceptas inaudieram de ſingulari obſervatione, qua Medicus ſagax Pecquetus novum iter Chylo aperuit, quo ab uſque venularum lactearum confluentium receptaculo ad uſque ramos venæ Cavæ ſubclaviculareis evectus, influat exinde in ipſummet venæ Cavæ aſcendentis truncum, ac per ipſum cum ſanguine circulando in Cor redeunte, in dextrum cordis ventriculum, jecore nullatenus trajecto, effundatur. Exopto, poſſe rem experientia non conſtante minus, quam luculenta confirmari [adeò eſt in votis, poſſe homini tandem aliquid lucis affulgere in tantis hiſce ambagibus] ac mihi perjucundum erit, quid id ſit, plenius cognoſcere ex libro, quem ais hac de re editum, ſi ad me, poſtquam Doctoratum fueris adeptus, redieris, id exemplum attuleris, quo te eſſe donatum ab auctore ſcribis. Quod interim verò poſtulas quid ſentiam de duplici experimento, quo circa inanis inductionem hydrargyri ope peractum eo in libro deſcribitur, eo, ut breviter tibi morem geram. Prius experimentum non aliud eſt ab eo, quod primum præclaro Robervallio in mentem venit. Is nempe accepit veſiculam, qualis diſtenta ex ventre Cyprini, Lucii-ve piſcis educitur, & facto foraminulo, ipſam tum vacuavit, tum etiam, ne quid aëris intus remaneret, contorſit, & factum foraminulum, ne quidpiam deinceps ſubingrederetur, ligamine ſtrinxit. Habuit cohærenter tubum vitreum ſolitæ longitudinis, ſed baſeos ampliſtæ, oreque repando apertæ, in quam immiſit veſiculam ligaminis parte exterius relicta, qua ſuſpenſa contineretur. Suilla veſica ori obducta, circumque revincta, capacitatem totam hydrargyro complevit, qui & deinceps ad ſolitam uſque altitudinem intra reſtagnantem defluere permiſſus, veſiculam intra baſeos inanitatem ſuſpenſam reliquit. Mirum autem fuit eam ſic explicari, circumque diduci, ut quemadmodum fuerat e piſce educta tetumuerit. Atque idipſum eſt, ob quod obſtupeſcis, tamquam cauſam non pervidens, ob quam id poſſit contingere; videri enim tibi ais eſſe ſomnio ſimillimum, quod debare dicunt aëris tantillum inter veſiculæ plicas remanere,

nere, quod & rareſiat, & ſui dilatatione veſiculam expandat. Itemque quod ajant, debere quidpiam corporeum intra tubi capacitatem aut remanere, aut externe per vitrum ſubire, quod in veſiculam penetrans illam ipſius quaſi inflationem faciat, quare & roges, ut ſi quid putem veriſimilius poſſe id prima occaſione perſcribam.

Ne te ergo morer, cauſam eſſe conjicio, tum ipſum motum fibrularum, ex quibus contexta veſicula eſt, ſeſe in ſuum ſitum reſtituentium, tum circumfuſam inanitatem, a qua nulla motui ejuſcemodi obſiſtentia eſt. Nempe ut textura viminea propter connixum virgularum, ex quibus interplexa eſt, deflectenti obnititur, ac ubi vis ceſſat, ſuum in ſtatum redit; ita membrana ex rectis, tranſverſis, obliquis fibrulis intertexta, ſuoque in ſitu contenſa manens, dum inflectitur, ita ex fibrularum ſingularum reniſu contra-nititur, ut ceſſante vi, ac niſi quid obſtet, ſuum ſe in ſtatum recipiat. Et de vi quidem, qua omnes res tenſæ a ſtatu dimotæ reſiliunt, inque ipſum redeunt, noſti eſſe a me aliquoties, maximeque cum *de rerum tractilitate, & flexilitate* dictum; nunc ne exinde quid repetam, aſſumo ſolum veſiculam, qua de agitur, quod membrana ſit connato aëre ſemper tenſa [quippe ea naturæ providentia, ut graviuſculis piſcibus ad natationis facilitatem ſublevaculi loco] eapropter, dum aëre extruſo comprimitur, conniti non deſinere, ſi qua ſe reſtituere ſuam in contenſionem poſſit. Leviculus ſane conniſus, imbecillaque hæc vis; neque enim eſt quanta membranæ pergamenæ exarefactæ, quæ ubi convoluta aliquandiu permanſit, quoties evolvitur, toties ſe revolvit. Scilicet in utriſque quidem, quot ſunt deflexæ fibrularum implicatarum particulæ, totidem quaſi machinulæ ſunt, quæ continenter contranitantur; at cum machinulæ in pergamena robuſtiores ſint, quam ut aër circumſtans valeat earum conniſui obſiſtere, in ejuſce tamen veſiculæ membrana debiliores ſunt, quam ut compellere aërem ad cedendum ſibi, ut diſtendantur poſſint. Simile eſt, ut ſi catullum, canemque intra arenam condas; hic enim ſe inde expediet, ubi ille oppreſſus hærebit. Reſiſtere porrò non-nihil aërem, quatenus eſt corpus, ſuopteque nutu deorſum urgetur, ipſe abunde perſuaſus es; ac tametſi non magna vi ipſi divertendo, propellendoque opus ſit, ubi locus patet, quem mobile cedit, opus eſt tamen aliqua, ipſaque majore, quam in oppreſſa veſicula vigeat. Adde quod hacce occaſione opus etiam ea vi foret, quæ aërem ad profundiorem in ſeſe, ſpatiola-ve inania ſubingreſſionem cogeret, quando foraminulo obligato, deberet a veſicula ita circumquaque compelli, ut locus interim non pateret, in quem ſe poſſet recipere, plane ut contingit in follibus obturato orificio diducendis.

Ceterum difficultas omnis amovetur, prorſuſque ceſſat conſtituta veſicula intra capacitatem propoſitæ baſeos, a qua ſic omnis aër excluſus, & in qua proinde veſicula nihil aliud, quam inane ſpatium circumquaque exinde efficitur, ut facta ſeſe expandendi libertate omnimoda ſeſe componat, reſtituatque in ſolitam illam ſuam contenſionem. Neque verò eſt opus, ut propterea quæras, quid ſit, quod tunc ipſam veſiculam compleat; quippe ea, ut extra, ſic intus eſt tota inanis; ac ut diſtendatur, non aliquo interne difflante eſt opus, ſed ſolo conniſu, quo veſicæ partes a ſolito ſitu abductæ, ſeſe in ipſum ſponte reſtituunt. Sane & cum folles in ipſa ſui diductione aëre complentur, hoc complementum non eſt per ſe ad diductionem neceſſarium, ſed mere ex accidenti eſt, quod aër a follium tabellis compulſus, nuſquam aliàs, quo ſe recipiat habet; quippe ſi ad latera haberet, eò ſe potius reciperet, neque diductio minus fieret; unde & licet intelligi ipſum aëris intra folleis ingreſſum, non ſpontaneo quodam, internoque attractu fieri, ſed prorſus coactu, compulſuque externo. Poſſet totum hoc ratiocinium eo confirmari experimento, quod mirificus Paſchallius peregit; cum montem illum *Dommam* conſcendens, detulit ſecum follem luſorium, quem cum ad radicem montis leviter inflaſſet, & flaccidus cum foret, hinc inde in formam diſci preſſiſſet, deprehendit ipſum ſic ſenſim inter conſcendendum diſtendi, ut ad ſummum cum perveniſſet foret in orbem compoſitus; deprehendit verò & eundem inter exſcendendum ſic ſenſim laxari, detumeſcereque, ut in imo tandem flaccidus, perinde ac ante fuerat, evaſerit. Niſi hoc non eſt argumento ejuſmodi follem ſolitum inflatione contendi, remanſiſſe tamen flaccidum ad radicem montis ob reſiſtentiam aëris pelliculam ob ſui pondus ab uſque ſuperficie Atmoſphæræ quaſi opprimentis, diſtenſionique ejus obſtantis; ſurſum verò elatum intumuiſſe ſenſim, quod ſenſim accedendo propius ad Atmoſphæræ ſuperficiem, aëris pondus decreſceret, oppreſſioque illa evaderet minor. Niſi & non veriſimillimum ſit, ſi efferri follis ad uſque inanitatem aëris, quæ eſt ſupra Atmoſphæram potuiſſet, futurum fuiſſe ut ad ſummam uſque contenſionem proveheretur? Quidni proinde & idem fieri in veſicula valeat, quæ ſit aëris tyrannide immunis? Quidni & abſque facto ullo ſubingreſſu, cum & dici non valeat quid ſubire intra follem poſſit?

Circa poſterius experimentum non eſt, quod multum immorer; ipſe enim rem acu, quod ajunt, tetigiſti. Id tu ſic deſcribis, ut aſſumptum dicas tubum ſimilem ſuperiori, in cujus ampullata, & aperta baſi vaſculum quadratum coaptatum fuerit, ad cujus latera ſi quid exundaret, per tubi collum deflueret. Fuiſſe ais ſupra ejus fundum erectum alium tubulum utrinque apertum, qui obſerando baſim veſica ſuilla, fuerit ipſi circum-ligatus, eadem veſica ſimul obducta foraminulo in baſio alioquin patente. Orificio inferioris tubi digito famulantis occluſo, fuiſſe per orificium ſuperioris tubuli totam capacitatem hydrargyro oppletam, & obturato ſuilla eodem ſuperiore orificio, ſubductoque intra reſtagnantem hydrargyrum digito, totum hydrargyrum exſcendiſſe ad ſolitam uſque intra inferiorem tubum altitudinem; niſi quod ſuperius illud vaſculum remanſerat, ſe in imminentem tubulum inſinuarit, evexeritque. Cauſa porrò phœnomeni non alia videtur, quam abs te deducta; videlicet non totus aër, qui fuerat exterius ſubingreſſione in ſeipſum, de qua me dixiſſe memoras, tum compulſus, cum hydrargyrus ex utroque tubo delapſus cogeret hydrargyrum in inferiore vaſe reſtagnantem adverſus aërem ſibi incumbentem attolli, non totus, inquam, fuerat ſuæ laxitati reſtitutus, cum foraminulo adaperto, in baſin, collumque tubi inferioris irrumperet, ac depelleret quidquid intra ipſum hydrargyri hæreret, ſed tanta adhuc pars illius compreſſa manebat, quanta extruſa fuerat e ſuperiore tubulo. Quare & non eſt mirum, ſi permiſſus ingredi, ea vi preſſerit reſtagnantem in ſuperiore vaſculo hydrargyrum, qua ille in immenſi tubi inanitatem

fuerit

Digitized by Google

fuerit ſubvectus. Neque verò eſt cur de experimenti veritate ſubdubites, quod tubulus ille ſuperior non videatur debuiſſe amplius, quam tubus inferior depleri; quaſi ſcilicet perinde immerſus in reſtagnantem hydrargyrum; nam in vaſe quidem inferiore reſtagnans hydrargyrus aërem ſuperne inſiſtentem habuit, a quo inhiberetur; ne impendenti intra tubum locum ex toto cederet; at in ſuperiore vaſculo reſtagnans, non jam aërem incumbentem, ſed inanitatem meram habuit, ob defluxum hydrargyri ex baſi, colloque tubi inferioris.

Horum occaſione Experimentorum revocas in memoriam ea, quæ anno ſuperiore, cum me Tolone conveniſſes, illeic loci peregimus in ſummo, in medio, et in imo excelſo montis, in ſummo, ac in imo domus, ac in ipſo etiam Maris littore. Et poſtquam inculcaſti fuiſſe tibi ſemper præ ceteris mirabile viſum, quod ſereno Cœlo, & Borealibus ſpirantibus ventis hydrargyrus intra tubum hærens altius ſemper reſtiterit, quam Cœlo obducto, & Auſtralibus ventis flantibus; quippe, cum Cœlo defæcatiore deberet pondus aëris eſſe longe, quam turbidiore minus, ſicque minus reſiſtere reſtagnanti hydrargyro, ac iſtum proinde debere minus alte evehere, contineréque reſtitantem in tubo. Cumque ipſe tum cauſam videri dixiſſem, quod ſerenioribus ſimul, frigidioribuſque temporibus non ij vapores e Terra emergant, qui obductioribus, calentioribuſque; quare & per illa ponderis ab uſque Atmoſphæræ ſuperficie, omninò, & abſque vi ulla obſiſtente exprimi; per hæc verò aſcendentis vaporis, caloriſque corpuſcula, aëris ponderi obniti, ipſumque quadantenus refringere; adeò ut non tanta per hæc, quanta per illa hydrargyro ſit ab incumbente aëre reſiſtentia. Nimirum tametſi aër tum ſit craſſior, non tamen eſſe ponderoſiorem, quod non omnia corpuſcula illius deorſum ferantur, deorſum-ve compreſſa nitantur, ſed pars efferatur, contraque nitatur, unde & multæ ſuſpenſæ hæreant, cujuſmodi ſunt corpuſcula nubium, quas non ita ſane ſuſpenſas videres, niſi eſſet vis ſubvehens, illaſque ſuſtentans; eo modo, quo pappi ſubvehuntur, volitantque per aërem, qui corpuſcula venti ſunt, quæ illos alioquin caſuros evehunt, ſuſtinentque. Cum ipſe, inquam, id tum dixiſſem, rogitas jam tu, ad eandem-ne cauſam pertineat, quod donec pars tubi inanis excalefactis pannis fovetur, hydrargyrus nonnihil ſubſidit, donec eadem pars nive intra linteum circumpoſita inalgeſcit, ſit hydrargyrus nonnihil evectior: verum non videris ſatis meminiſſe dictam a me eſſe eandem cauſam, ob quam in Thermometro calore deſcendit, frigore aſcendit. Quare & cum legere ipſam *in Meteorologia* valeas, non eſt quod heic quidpiam de illa ſubiiciam. Vale modo, & præclaro Saporiæ redde quamplurimam ſalutem. Diniæ, poſtrid. Non. Auguſti M.DC.LII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

ACcipio ecce, optime Princeps, quod epiſtolium dare ad me ex illis montis rotundi Caſtris, ad quæ es deductus, & in quibus detineris, dignatus es. Mox autem hoſce verſus conſcribo, quos eadem via ad te deſtinem, ſi forte pari felicitate per medios ſatellites ire, Caſtraque perrumpere poſſint. Ii porrò dolorem quidem reſtabuntur, quo longas eſſe Regibus manus te expertum inaudii; at gaudium ſimul renunciabunt, quo ut fortunam tuam ex aliis, ſic ex te virtutem, qua hunc caſum perfers, diſcere eſt conceſſum. Neque verò ſane, quin te animo hoc infracto gereres dubitaveram; teſtis ſcilicet invictæ conſtantiæ, qua geſſiſſe te per infeſtam illam, inſolentemque cuſtodiam, qua fui ipſe quoque prope involutus, commemini. Et digna res certe viræ innocentia, a qua tibi vel latum unguem diſcedere religio eſt; quippe quem ne quatere quidem magna fulminantis Jovis manus poſſit. Hinc poſſunt quidem invidi, poſſunt æmuli, poſſunt, quibus probitas tua, & in Regem fides oneri eſt, eſſe infenſi, calumniiſque pertexere, quibus ſanctiſſimum alioquin Principem adverſum te moveant; at tu, qui interim didiciſti nulla culpa palleſcere, cui conſcientia eſt mille teſtes, is evaſiſti, quem Orbis ruinæ, ſi illabatur fractus, impavidum ferient; quique adeò poſſis tuæ iſti cuſtodiæ, præſidioque dicere:

Pone me nigris ubi nulla campis
Arbor æſtiva recreatur aura.
Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in Terra domibus negata;

nihilo me ſecus hilarem perſpicies. Abſit proinde, ut quidquam te adhorter ad ferendum id leniter, quod rerum conditio neceſſarium facit; quando, ut te ſolum audias oportet, viræ integrum, & ſceleris purum. Et cur ſane mœror te conficeret, qui tam ſoluto es animo, ut cenſere te cuſtodibus tuis liberiorem poſſis? cui carcer tanto glorioſior eſt, quanto invidis tuis dedecori eſt ſummo? Plura aliàs, optime Princeps, ſi aditum ad te literis patere accipiam. Detinet me heic adhuc ſtatus rerum; neque enim Pariſios, quò jam contendiſſem, cogitare ſuſtineo, viis ſic obſitis, Urbe ſic turbata. Quod pererebuiſſet initio rumor, fuiſſe te Lugdunum, *Petram-ve Inciſam* traductum, præoccupare diſceſſum deſtinaram, ut me Lugduni ſiſterem, ac, dum ibi rerum ſedationem expectarem, tibi me in conſuetudinem, ſi qua eſſet ſes, ſolitam præberem, at poſtquam is rumor evanuit, ſatius duxi heic præſtolari, quid ſeres Veſper vecturus ſit. Tu interim, o decus Principum, o & meum dulce decus, vale. Diniæ, XIV. Calendas Septembris M.DC.LII.

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro D. Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Paleopoleos Scabino, Amico plurimum obſervando

PETRUS GASSENDUS S.

ERat profectò, cur ſubvererer, Hrveli præclariſſime, ne tam diuturnum meum ſilentium ſuſpicionem quandam remiſſioris facti erga te affectus ingereret; neque, niſi tot argomentis teſtatam mibi bumanitatem, benevolentiamque feciſſes, videbar poſſe amplius audere litteris convenire te, excuſationemque prætexere ullam; ſed enim-verò poſtremum hoc tui in me amoris ſpecimen, quo voluiſti etiam publice teſtari, quam non propterea deſineres amare medullitus me, hoc, inquam, eos mibi animos adjecit, ut, quaſi veterno excuſſo, calamum ſtatim eripuerim, ac tam immani denique ſilentio hunc fecerim finem. Et de ipſo quidem faciundo ſæpenumero ante cogitaram, maximeque, ex quo reſtituta in meliorem ſtatum valetudo fuit; at quia Pariſios ſimul cogitans, & diſcedere niſi in dies, ſaltem in hebdomadas ſperans [prout dudum ſpes crebrò facta, ut res turbatæ componerentur] deſtinaram illinc ad te ſcribere, eapropter effectum eſt ſenſim, ut procraſtinando, huc denique rerum, temporumque perventum ſit. Sane & forte longius adhuc trabere moras contigiſſet, niſi quia Cœlum illeic nondum ſerenatum accipiens, exigere heic adbuc Hyemem conſtitui; & publica illa tue interpellatio ita extimulevit me, ut prorſus viſum fuerit nihil amplius eſſe cunctandum. Itaque, ſuaviſſime Heveli, haſce jam tandem abs me accipies, non excuſationem quampiam continenteis, quando nulla eſſe legitima poteſt; ſed veniæ, quam ſolidam debeam tuæ illi indulgentiæ, bonitatique deprecationem. Quod ſupereſt, ne putes me, tametſi obſtinate ſilerem, eò minus tam in animo coluiſſe amicitiam, & tuorum erga me meritorum recordationem carem habuiſſe. Et qui poſſem certe, aut vitre obliviſci, quæ adeò frequentia præ oculis ſunt, eut mente non revolvere plena amoris viſcera, quæ mei cauſa in Bernerium iſtheic commorantem feciſti effuſa; maximeque, cum ille rem totam me nuper conveniens ſic deſcripſerit, ut te meritò eum ſolum babeam, e quo poſſent tot, tantaque preſtari. Quid enim? quia ille duntaxat ſchedulam habebat abs me, fuiſſe te ſtatim non illum modo, ſed & totum comitatum tanto cum ardore complexum, ut Regium etiam Oratorem, qui cum iter ſuum inſtituerat, & convivio excipere, & nominibus aliis multis devincire volueris? & poſſunt hæc alio, quam te eſſe digna? poſſunt mihi ex memorie, plenoque gratitudinis affectu onquam excidere? Dici interim ſene non poteſt, quanto calore animatus Bernerius omnia recitarit, quantum ſe obſtrictum abs te abiiſſe fuerit profeſſus. Cum diſceſſurus hinc jam foret, puſtridie nimirum Eclipſeos ſolaris, ceperat ad te ſcribere, ipſeque receperam me litteras ad te traditurum una cum facta Eclipſeos ipſo adjuvante obſervatione, quam communicare tecum deſtinaram; verum comitatu urgente perficere illas non potuit, ac perficere diſtulit, donec Monſpelium, quò contendebat, ut ibi Medicinæ lauream conſequeretur, perveniſſet. Memini verò dolere ipſum, qood litteras nullas dediſſet ad te, ex quouſque appulſus, commoranſque Venetiis miſerat ad te vitra neſcio quæ, cujuſmodi expetieras; quod ubi receptiſſet vectarium, cui non memini an Pragæ, an Viennæ ferenda alia commiſerat, incidiſſe in milites, qui ſperatorum aureorum vice vitra obvoluta deprehendentes, præ ira, ac rabie illa perfregiſſent. Miſi jam ad illum præclari Mochingeri epiſtolam, quam accepi ante ſex dies una cum tua obſervatione, cumque Bullialdi litteris, ante menſem Lutetiæ datis. Non hæreo, quin ejus lectione tam beandus ſit, quam eo Doctoratu, quem eſt maximo cum applauſu ſuperiore menſe adeptus; ita nempe ſe & ſuſpicere, & amare Virum; ac optimum etiam Eichſtadium non ſemel conteſtatus eſt, apud me dum diverſaretur. De ipſo porrò Eichſtadio quid huc inſeram, niſi quod percupio, ut reſciet, quam grato etiam animo recipiam in me quidquid officii mei cauſa in eodem Bernerio collocatum voluit. Accepi illum quoque ea fuiſſe in me exornando propenſione, ut fuerit mibi aliquam ſuarum Elucubrationum tui inſtar dicere dignatus. Niſi ad ipſum jam reſcribam, grateſque debitas perſolvam, cauſa eſt expectatio, qua teneor noſcendi quid id rei ſit, niſi forte hominum noſtrorum injuria ſic intercidit, ut excuſa illa Bullialdi, quam vidiſti, obſervatio, quæ ad me tranſmiſſa, ad me nun pervenit. Utcumque ſit tamen, quæſo interim meo nomine ſic illum ſalutes, ut intelligat eſſe eum me, in quo gratitudinis ſenſum deſiderare vehementiorem, venerentioremque non poſſit. Commemini ſatis debere me illi ſpecimen quodpiam fulminantis tum ex Venere, tum ex Marte, ut loqui ſolent, pulveris; at quem ex utroque, ac ſimul ex Sole a quinque, aut ſex annis aſſervo, ita evaſit languidor [& repoſitus præſertim a non advertente famulo in humido loco] ut ægre effectum debilem præſtet, neque is ſit, ex quo aliquid ad optimum Virum mereatur tranſmitti. Quamquam, ut pulverem ſaltem videat, non-nibil heic ex utroque concludam, operam interim daturus, ut vegetiorem Pariſiis, etiam antequam illuc appulero, accipiat. Ad te, mi Heveli, quod ſpectat, ago inprimis non quantas debeo, ſed quantas poſſum gratias, ob tot, tamque inſignia tui amoris ſymbola, in quibus non poſtremum duco, qood poſtremum mihi exbibuiſti, cum de te nibil tale merentem cohoneſtaſti publicitus; neque ſuſtinuiſti tuam Obſervationem abſque hac tuæ benevolentiæ quaſi obſignatione ad me pervenire. De obſervatione ipſa quod dicam non babeo, niſi quod tue ſumma induſtria, diligentiaque digniſſime eſt; ac nemo eſt Mortalium, qui quidquam in hoc genere præſtere, quam tu, exquiſitius poſſit. Meam ſi quidquam probo, ex eo potiſſimum eſt, quod obſervatæ a me Phaſes cum tuis collatæ, ea conſpiratione ſunt, ut ab initio ad finem uſque diſcrimen horæ, ac trientis pro Meridianorum differentia conſtantie non parva exhibeant. Neſcio an jam ante Bullialdus ſcripſerit ad te, quod illum rogaram, ut in tranſmiſſo nempe exemplo reponeretur ad octavum cum ſemiſſe Eclipſeos decreſcentis digitum, quæ Phaſis coëuntium cum perpendiculo diametrorum neſcio quo lapſu ad creſcentis octavum cum ſemiſſe fuerat adſcripta. Id mihi nimirum in memoriam venit, cum aliquanto majore otio in adverſaria rem transtuli. Si forte Bullialdus poſt acceptam meam nuperæ Eclipſeos lunaris obſervationem ad te ſcripſit, eam communicaſſe

tecum

secum poterit; niſi fecerit, habebis heic ipſam prout in Adverſariis extat conſignata. Quæſo te, ſi quidpiam fortaſſis, quod tamen non mereor, reſcribas, ſignificare mihi velis, quò evaſerit, quam Tychonis Vitam brevi edendam perſcripſeras; ipſe ſcilicet ex eo tempore Commentariorum, quæ de illa, deque Vita Copernici, quorumdamque aliorum congeſſeram, curam depoſui. Supereſt, ut manum de tabula tollens, iterem eam, quam plurimam Viris præclariſſimis, optimiſque nuncio ſalutem. Tu verò, o ſuaviſſime, generoſiſſimeque Heveli, o decus amicorum, vale. Diniæ, IV. Cal. Novemb. M. DC. LII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

ACcipio tandem, optime Princeps, quod tamdiu expetieram, te & in libertatem aſſertum, & Pariſios reducem, & quod caput eſt, præclare valentem. Ubicumque, & quomodocumque fueris, ſis, futurus ſis, eam eſſe animi tui moderationem compertum habeo, ut uno tenore ævum exigas, ac tui ſemper ſimilis vivas; ea videlicet animi conſtantia, ut neque efferaris rebus proſperis, neque deprimaris adverſis. Nullus certe hæreo quin noperum hunc caſum quam fortiſſime tuleris, & bona fretus conſcientia minaci fortunæ mandaveris laqueum. Is quippe eſt tuæ illius Chriſtianæ Philoſophiæ fructus, ut fors ferre nihil valeat, quod hanc animi æquabilitatem, hanc mentis ſibi conſciæ recti ſerenitatem conturbet. Tres ſunt, & amplius exacti menſes, ex quo iis litteris acceptis, quas ex tua illa cuſtodia ad me donare dignatus fueras, reſcripſi ad te, ac eadem quidem, qua illas acceperam via. Litteræ-ne meæ ea fuerint felicitate, qua tuæ; ut nempe ad te uſque per iſtas ambages penetrare potuerint, neſcius haſtenus plane ſum. Ex eo certe tempore nullas neque habui, neque dedi litteras; ac expectavi ſemper quouſque id addiſcerem, quod magno meo gaudio nuperæ litteræ ad me Pariſiis datæ renunciarunt. Quare & nunc primum eſt, quod tibi & libertatem reſtitutam, & reviſus lares, & intemeratam valetudinem gratulor, apprecorque porrò omnia proſpera, ac jucunda. Quid futurum ſit, fugio quærere, ac Divinum Numen ſolum veneror, ut omnia quatenus & tuis, & publicis rebus expedit, fortunet. Vale modo ſemper, ac me ama ſemper, o & Principum, & meum decus dulce. Dabam Diniæ, poſtrid. Cal. Decemb. M DC. LII.

Heic adhuc verſor, quod tametſi impenſe ab Amicis ſollicitatus, ut Pariſios me ante hyemem reciperem, noluerim tamen rebus turbatis me itineri committere; ac ubi eſſe eas accepi in Urbe ſaltem compoſitas, perſenſerim hyemem jam magis eſſe pro foribus, quam ut non mihi adhuc Ver proximum foret expectandum. Vale iterum.

Chriſtinæ, Suecorum Reginæ Sereniſſimæ, Potentiſſimæ, Sapientiſſimæque

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

REgina Sereniſſima, is eſt bonitatis character totis impreſſus litteris, quibus Majeſtas tua Regia me beare dignata eſt, ut & me prorſus imparem ſentiam, qui grates digne referam; & qualeiſcumque relaturus, unde initium ducam, non habeam. Ecquo enim putas rubore legentem eas me ſuffundi oportuit, cum meæ tenuitatis conſcius, ſenſi, agnovique a primo verſu in ultimum, iis me elogiis, titulisque a tanta Regina exornatum, ut ne Plato quidem, aut alius ex tot Viris inter antiquos Sapientiam profeſſos eximiis, ſimileis unquam fuerit a Principibus magnis conſequutus? An proinde aliud mihi ſupereſt, quam ut te præ illis Regibus, quibus potentia nequaquam cedis, virtute autem, doctrinaque omnigena longe præfulges, ſumme ſuſpiciam, ac venerer; ipſe verò, qui cum nemine Sapientum illorum comparandus ſim, & mecum habitem, & norim quam curta mihi ſupellex ſit. Quæſo hoc ſolum tuam Majeſtatem, ut quando dignatur aliarum, repetitarumque etiam litterarum ſpem facere, cogitare, attendereque quanta ipſa ſit, quantulus ego, ſuſtineat; neque eò ſeſe demittat, ut me encomiis prægravans, facere ſibi parum congrue, parumque decore videatur. Parum ſcilicet tibi viſum fuit, meum qualecumque apud alios nomen ſtudioſe adeò exaggerare, niſi etiam de ea, qua apud te eſſem, exiſtimatione ſermonem inſtituens, haud grave haberes addere te meos amicos ſubornaſſe, ut qui affecta, comparataque ſores erga me, mihi inſinuarent. Parum cogitaſſe accerſere me niſi etiam excuſationem benevole acciperes, ac, ut ſaltem per litteras liceret mecum agere, te expetere ſignificares. Parum te exoptare conſulere me, niſi etiam ſancte affirmares, te præſcripta mea pari religione, qua placita Clariſſimorum Legumlatorum obſervaturam.

Ceterum, quod me eo loco habeas, ut dignum ducas, cujus nomen licitando amplifices, evectoque in ſummum pretio, auctionem omnem longe vincas, quid, o optima, maximaque poſſum aliud reponere, quam eſſe eo me in medullis, præcordiiſque intimis gratitudinis ſenſu animatum, qui ineffabilis cum ſit, verbis exprimi nullis poſſit. Quoties profectò cogito (& non cogitare pæne continenter qui valeam, adeò præſertim immeritus) toties mihi illud cum Ænea ad Didonem vovere, exclamareque ſubit:

Dii tibi, ſi qua pios reſpectant Numina; ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere Parentes?

Quod vero etiam, ut ego te convenirem deſideraris, quanto id, putas, verti honori, qui nihil agnoſcens in me, quod poſſit mei præſentiam earam, expetendamque facere, ſenſerim me tamen a Regina tanta perhumaniter, perhonorificeque invitari? Quantæ etiam felicitati, ſi id modo mihi per ætatem jam ingraveſcentem licuiſſet; ſi per nativam conſtitutionem, quam ſortitus ſum parum firmam; ſi per aſſuetudinem a cunabulis clementiori huic Cœlo factam; ſi per cetera, quæ vel ipſe ad Burdelotium ſcribens

bens attigi, vel, ut per illuſtrem Mon-morium, præclarumque Capellanum [cujus interventu tuæ Majeſtatis literæ fuere ad me tranſmiſſæ Pariſiis] perſcriberentur, operam dedi? Si quid ſane in eo jacturæ, id non te attinet, o Sereniſſima, apud quam, ſi quid mihi eſt famæ, id mei præſentia imminueret; ſed me attinet potius, qui occaſionem prætermiſerim ſpectandi te coram, hoc eſt, exhibitum tam grande ævo hoc noſtro miraculum, ut neque pervideam ſæcula priora ſimile ullum exhibuiſſe, neque valeam præſumere poſteriora exhibitura. Sincere, ac, ut ſentio, loquor; quando præter conſtantem famam, quæ in ore eſt omnium, tam certa jam habeo ab illis teſtimonia, quorum mihi pridem eſt perſpecta fides, quibuſque id jam contingit honoris, ut te ſpectare, affarique, & audire cominus poſſint. Quippe præter illa, quibus ſuas ſemper pleniſſimas facit literas Burdalotius { ille ſcilicet terque, & quater felix, cujus præſtita erga tuam valetudinem opera, id mereri potuit elogium, quo eum tam effuſe, ac tam grato animo in tuis ad me litteris commendas } præter illa, inquam, Naudæus ſummi Vir candoris litteris ſuis nuperis ea ingenuitate deſcripſit, & doteis naturæ eximias, & virtutes ſummas, perfectiſſimaſque cumulatiſſime ſuperadditas, ex qua mihi omninò

Nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem.

Quidquid id eſt rei, huc inſererem, niſi & quæ tua eſt moderatio, eſſes auditura invita; & res mihi apud alios potius eſſe dicenda videretur. Quanquam tacere unum non poſſum, quod Epilogi inſtar eſt; teſtari illum nempe, ſe, quoties ad ea, quæ fuſe recenſet, attendit, in eam rapi extaſin, ut vix poſſit oculis ſuis, auribuſque accredere: ac te cogitans, dicat tacite, quod olim Regina Sabæorum ad Salomonem: *Non credebam narrantibus, donec ipſe veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nunciata non fuerat. Major eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audivi.*

Quod ſubinde autem depoſcis, ut tuas ſaltem litteras admittens, velim tua cum Majeſtate hoc, quo inter abſenteis commercio licet, agere, eſto ipſa Judex, o Incomparabilis, quam ſie (me exinde animo confuſum par fuerit. Quaſi verò ego is ſim, qui id honoris promerear? qui poſſim hoc tam nobile recuſare commercium? qui non id debeam ſummæ gratiæ, ſummo favori imputare? Quam vereor ſolum, ne litteras recipiens viciſſim abs me, futurum ſit, ut conquerare facere te commutationem, qualem Glaucus cum Diomede? Tametſi non erit quorſum mihi vertas, quod te ſpe inani fuiſſe lactatam ſenſura ſis; cum ipſe ut tantam de me opinionem conciperes occaſionem non fecerim, qui nihil unquam magni de me, neque mihi ipſi, neque aliis ſpondeo. Suberit verò interim, cur ipſa magno deputem lucro, non tuam ſane [ut præ ſumma modeſtia te avere perſcribis] eruditiſſe ignorantiam; ſed meam potius propalaſſe, quam ipſa, aut pro tua ſolertia, ſagacitateque ſis dignatura excutere; aut pro tua humanitate, benevolentiaque ita excuſare, ut ipſam quaſi ſymbolum comparatiſſimi hujus mei ad obſequendum affectus habeas. Quippe dicere quidem poſſem, tutemet ipſam te conſule; quando licet tibi ex teipſa, tanquam ex ditiſſimo penu ea depromere, quæ fruſtra aliunde requiras; ſed ne cauſari tamen poſſis detrectare me operam, dico ingenue, obſequar; ac tanto quidem alacrius, tantoque confidentius, quanto ſpes eſt, ut nihil ex me [qualecumque id demum ſit] prodeat, quod non ipſa ſis pro tuo tam benigno, benevoloque erga me affectu, æqui, bonique conſultura. Nam ſi alioquin foret in me, unde aliquid lucis ad divinum tuum ingenium illuſtrandum dimanare poſſet, id putas, tibi inviderem, qui ita comparatus ſum, ut nemini abnuam colloqui, cujuſcumque ille ſit ſortis, qui me quidpiam roget, quod noſſe me putet [utcumque in receſſu, quod ſibi accedens fuerit, pulsetus, non ferat] tibi, inquam, tantæ Reginæ, cui ſi prodeſſe quidquam liceret, id foret ejuſcemodi, ut inde exundare in tot capita, ceu ex vivo quodam, perenni que gurgite poſſet? Silere heic porrò interim non licet, quod mihi in hunc locum tuæ epiſtolæ incidenti in mentem occurrit. Quippe abfui quidem, ut talem me haberem, qualis Philoſophus Sextus fuit, ſed ipſa tamen mihi viſa es tali eſſe genio, qualis in ſapientiſſimo Imperatorum Antonino fuit, qui tot rerum ſciens, imo & jam ſeneſcens, cum ipſi aliquando Lucius occurriſſet, requiſiviſſetque, quorſum pergeret: *Ad Sextum*, inquit, *Philoſophum, ut ea diſcam, quæ nondum ſcio.*

Quod poſtremo bonitas tua teſtari dignatur, ac pæne jurare eorum, quæ fuerint abs me præſcripta, obſervantiam; id verò demum me eò deducit, ut omninò pendeam dubius animi, hæreamque an teipſam ſatis, an meipſum ſatis cogitaveris. Jam enim etiam imitari Pompeium illum Magnum videris, qui Philoſophum Poſidonium conveniens, fores percuti de more a lictore vetuit: *Et faſceis lictorios*, inquit Plinius, *januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens, Occidenſque ſubmiſerat*. Scilicet tu quoque tot populorum victrix, tot nationum Imperatrix, non erubeſcis tuam Majeſtatem quadamtenus ſubmittere Placitis homuncionis, quem, quantum vis non habeat, habere tamen aliquid cum Poſidonio ſimile putes. Subiit certe etiam in mentem, in hunc locum dum incidi, nihilo eſſe te inferiorem magnis illis Principibus, quorum merito celebre in jure illud legitur: *Digna vox eſt Majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri*; ac id, quod conſequitur mox: *Revera majus Imperio eſt ſubmittere legibus Principatum*; ſiquidem quæ illis circa leges fuit, eadem tibi eſt *digna vox* circa Philoſophiam, e qua omnes juſtæ, ſanctæque leges originem ducunt. Verumtamen ad me quod ſpectat, cum non ſim eam Philoſophiæ, quam præſumpſiſſe ipſa videris, conſummationem aſſecutus, cogitare ſic ſubit, ita quidem te fuiſſe candore, ut præconceptam tuam de me opinionem exprimeres; at fore me nihilominus mortalium ineptiſſimum, ſi ea me vertigo præſumptionis corriperet, ut illa propterea me ducerem dignum. Quare & aliud nihil licet mihi, quam illud quaſi regerere, ut ipſa potius te audias, cui jam cumulate ſunt omnia perſpecta; ac tibi ſimul gratulari, quod hactenus ad eum doctrinæ, ſapientiæque gradum te evexeris, unde quidquid ſive agere, ſive non agere par ſit, ceu e ſpecula providere poſſis. Ceteris ſane Principibus eo præcellis maxime, quod ipſa per te perſpicis, quæ illi vulgo rerum ignari, niſi oculis alienis non vident; neque mirum idcirco eſt, ſi dum Conſiliarios admittunt, quos non norunt deligere, ac ipſis interim credunt omnia, peſſum ire omnia patiantur. Quo fit, ut cum eſſe nihil felicius

poſſit eo Principe, qui ipſe-met ſuos, ſuaſque res novit; ita nihil ſit illo inſelicius, qui credit omnia aliis, quorum vix eſt ullus, qui non ſe reſpiciat, ac Principis res accommodet ſuis. Sed nempe hoc eſt valde ſecundum naturam, ut quiſque ſe potius, quam ceteros amet, ac propter ſeipſum amet ceteros; adeo proinde, ut culpentur licet, qui non ſine quodam habitu ad ſeſe reſpectu Principi conſilia, monituſque dant; culpandus tamen ſit magis Princeps, qui ita fieri pro innato cuique erga ſemet-ipſum affectu ignorat; ac non idcirco diſpicit, quò quiſque poſſit vergere, aut certe ea non exhibet perſpicaciæ ſpecimina, quibus illis ſuſpicio, ne quidpiam non ſani conſilii deprehendatur, fiat. Quid facias nihilominus parti Principum maximæ, quos ab uſque cunabulis adulatores obſident, qui jam tum ad redundaturam in ſe utilitatem reſpectant, omniaque ad gratiam loquentes, eam ſenſim inſpirant mollitiem, qua exhorreatur, refugiaturque, qui eſt ad neceſſariam doctrinam neceſſarius, labor. Hinc profecto eſt, quamobrem deinceps natos quidem ſe ad regnandum putent; at debere ſe evadere idoneos ad regnandum non reputent; pergantque averſari doctrinam, ut quidpiam eminentius, cui, ſi illam admitterent, parere ipſi tenerentur; ac ideo tantum detraheretur ſummæ poteſtati, ac mero, quo potiri gaudent, arbitrio, quantum illi in ſe, ſuaſque actiones tribueretur juris. Miſeri! qui proinde ſe, non ut Paſtores populorum; ſed ut Ductores Pecudum habent; neque propterea in ſe converſa, effuſaque habent Subditorum pectora, qui ſe ab illis vere amari non ſentiunt, ſed ſpectari ſolum quaſi victimas ipſorum nutui conſecratas. Quorſum itaque non gratuler tibi, o Regina, Principum decus, cum te ea doctrina hactenus imbueris, qua te, & Reginam, & vere Regiam poſſis gerere; hoc eſt, non modo imperare, ſed ſapienter etiam, juſteque imperare, atque adeo Populis tuis eam facere de te opinionem, quod abs te, ut communi Parente revera amentur, teque ideo tanquam Parentem tenerrimo affectu ament, ac non ſimpliciter ut Reginam, ſed ut Deam quamdam venerentur, & colant. O præclarum tui Principatus fructum! quando nullum majus, aut expetibilius laborum omnium, vigiliarumque, quibus pro ſalute tuorum excubas, optare tibi præmium potes! cum eo certe conjuncta eſt, quam ſunt tui cariſſimam, jucundiſſimamque memoriam tranſmiſſuri in Poſteros, qua, ſi quid gloriæ ſerviendum eſt, quæ nos manet poſt obitum, nulla poteſt eſſe glorioſior. Perge itaque, o Regina vere Incomparabilis, perge, eo Cœleſti paſſu, quo cœpiſti incedere; neque enim Vates ero inanis, ſi eam tibi gloriam, famamque præſagiero, qua eſſe præclarior, perenniorque non poſſit. Iſthæc ſunt, quæ Sacræ tuæ Majeſtati reſcribebam Diniæ Non. Decembr. M DC. LII.

Ludovico Valeſio Principi optimo

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

Litteras habui, optime Princeps, quas ad me dare, Tornatore intercedente, dignatus es. Fueram jam tibi proſperum in Aulam reditum gratulatus, neque hæſeram quin fuiſſes in ipſa exceptus per-humaniter; gratulor verò nunc tanto magis, quanto licet id per te-ipſum noſſe. Ac dubius quidem ſemper pendeo, quò propterea ſint res tuæ evaſuræ; verum eæ ſunt ſemper committendæ Divinæ Providentiæ, optandumque ſolum, ut bene omnia vertant. Quod illuſtris illius tui Conſobrini ſic vicem doles, id profecto dignum eſt tua & charitate in conſanguineum, & pietate in Patriam, & conſtanti in Regem fide. Et meam quidem ſortem non decet quidquam cauſari, inquirereve in factum tanti Principis; ſed, ut tuum in ſinum effundere hoc liceat, deflendum eſt, quam ille tantam ſibi gloriam quæſierat, hiſce ejus actis ſic dedecorari. Quantæ nempe laudi ipſi vertebatur, tot peperiſſe Patriæ Victorias, tot quæſiiſſe Urbeis, ac pæne Provincias, tanto dedecori jam datur, facere ipſum hoſtibus anſam Victoriarum incruentarum, ac recipiendi citra vim quidquid ipſis fuerat tanta vi ereptum. Quid illud verò, quod etiam ſcribis, creatum illum ſummum hoſtilium Exercituum Imperatorem? Sane, ut non modò ſpecioſus, ſed legitimus etiam illi fuerit commotæ huc-uſque camarinæ prætextus; at nullus eſſe profecto potuit addicendi ſeſe hocce titulo hoſtibus; quod hoc demum nihil eſſe aliud, quam ſe gerere Patriæ hoſtem videatur. Ii certe, quibus jam militat, non hujus, illiuſve, qui res adminiſtrant, ſunt hoſtes; ſed ipſius Patriæ, quam velint everſam; neque, ut ille ſibi infenſos ulciſcatur, curæ ipſis eſt, ſed ut hac occaſione res ſuas promoveant. Solemne eſt dici, *oportere amicum eſſe uſque ad aras*, at non minore jure decet eſſe, *ad aras uſque inimicum*; neque ſi flecti Superi nequeant, movere Acheronta fas eſt. Præter meum morem, ſat ſentio, præterque inſtitutum abripior; ſed nimirum id excidit pro eo, quem tecum concipio dolore, quod tantus Princeps, quem obſervantia, venerationeque ſumma proſequor, viam ineat illi contrariam, quam ſibi amplam jam ſtraverat ad nomen, decuſque immortale. Quod ſubinde petis, ut meam tibi ſententiam aperiam circa id, quod iſtheic ab Aſtrologis perhibetur, exſcendiſſe Solem duobus gradibus, paucis aperio, nugas puto. Idem-met rumor jam evulgatus Campanellæ nomine fuerat; ſed nimirum iſthæc inſomnia ii ſoli poſſunt confingere, qui novitatis prætextu gloriolam inanem venantur, neque verentur ludibrio fieri paucis intelligentibus, ſi modo ſui admirationem apud multitudinem creent. Sol ejuſmodi Sydus eſt, quod uno tenore ſuam pergit viam; neque, ſi quid forte per ipſam alterationis patitur, id tempore aliquo brevi, ut ab iſtis jactatur, fit; ſed vix poteſt demum poſt multas annorum Myriadas ſentiri. Id declararem pluribus, ſed excederem Epiſtolii modum. Satis eſto, ſi ego quidem hiſce in rebus quid aſſequor, ſapere hoc commentum tritam fabulam de caſu Solis Phaëtonteo. Quas verò non audies etiam fabulas de eo Cometa, qui eſt per hoſce dies conſpicuus?

Ve-

Verum, tu, ut ſapiens, & ſupra vulgus Princeps, non illum magis es in oſtentis, quam, aut Solem, aut alia magis familiaria naturæ opera habiturus. Vale optime Princeps, ac decus meum dulce; & curriculum immoientis anni feliciter aggredere, proſequere, abſolve. Diniæ, poſtridie Natalitiorum. Anno M.DC.LII.

EIDEM.

NE in hac, qua ſcribo jam feſtinatione, occaſionem primam anni initi prætercam ſine teſſera, præſtat omnino paucos verſus ad te exarare, quam nullos. Id nempe, ut tibi iterato felicitatem apprecer, & vota pro tua incolumitate, rerumque tuarum proſperitate quammaxime poſſum ardentia concipiam. Faxit modo Deus Opt. Max. ut & decurrentem jam annum, & porrò Neſtoreos, prout veneror, ipſum agas. Significavit optimus Campinius (ac Tornator etiam) ſæpiuſcule te ſcripſiſſe ad me; at quæ infelicitas mea fuit, nullæ ab uſque exeunte Majo ad me pervenere abs te litteræ, præter datas unas e Montia Rotundi, ubi detinebaris Caſtris; & datas alteras Pariſiis, poſt reditum felicem tuum in Aulam. Debuere nimirum alias eadem fata, quibus fuerant jam aliquot ante interceptæ, manere. Quæſo proinde, ut quia placet pergere etiam manu propria litteras ſuperſcribere, committi deinceps eas mandes, aut optimo Campinio, aut alii, cujus involucro, ſuperſcriptioneque tegantur. Vale, optime Principum, vale, o dulce decus meum. Diniæ, pridie Non. Januar. An. M.DC.LIII.

EIDEM.

MEnſis jam eſt, optime Princeps, ex quo litteras ad te dedi nullas. Quam verendum proinde mihi, ne meam incuſares ſegnitiem, niſi præſto eſſet tua bonitas, quæ me excuſationis faceret ſecurum! Eſt ea certe mihi ſic dudum perſpecta, ut fuiſſem forte etiam diutius officii quaſi immemor, niſi acceptum recens a meo Capellano epiſtolium, aurem velliſſet, & admonuiſſet. Ille nimirum ita expreſſit, quem nuper honorem abs te cum ſingulari benevolentiæ teſtatione eſt conſequutus, ut mearum eſſe partium putem, nomine etiam meo gratias agere; ita quidquid eum attinet mea reputo intereſſe. Feciſti verò interim rem tuo generoſo animo dignam, quando ille eſt ſane ejuſmodi Vir, in quo quid primum ſuſpicias, ameſque non facile dicas. Quippe & eruditio illi ſupra vulgus, & morum candor ſupra ſeculum eſt; Vir in quo ingenii perſpicacia cum maturitate judicii certat; qui in omneis bonos propenſus, officioſiſſimus omnium eſt, ac ita colit amicitias, ut nemo eſſe poſſit amicior. Dicerem plura, niſi quæ me de virtute illius ſumma diuturna conſuetudo docuit, ipſe vel ex uno, alteroque congreſſu poſſes abunde perſpicere. Hoc ſolum addo, quam ipſi laudem delatum ultro ab omnibus arbitrium Poëſeos, Eloquiique peperit, minimam eſſe earum, quæ illi ob tot præclaras doteis debentur. Occipio jam, Deo propitio, paulo melius habere me ex eo rheumate, eaque tuſſi, quam obſervandi Cometæ ſtudium per dies illos prægelidos non tam recens induxerat [vetus enim, ut noſti, querela] quam ſupra modum exaſperarat. Tu, o Principum optime, o dulce meum decus, bene ſemper vale. Diniæ VI. Eid. Feb. M.DC.LIII.

EIDEM.

QUam beaſti me, optime Princeps, datis litteris pridie Eidus ſuperioris menſis! diu nempe erat, ex quo nullas abs te habueram, quanquam & noram quibus curis per id tempus deſtinereris, ipſe illas mihi jam ſubinſinuas; verum quæ tua eſt moderatio miro verborum lenimento temperas earum gravitatem. Cum neſcire verò non poſſim quid deinceps contigerit, teneo me vix patis ſum, quin talem, tantamque fortunæ iniquitatem incuſem; at cum aliunde te cogito, ſubeſt cur mihi ipſe ſuccenſeam, quod perſpectum nimis-quam ſit, quam evectus ſit generoſus, conſtanſque tuus animus ſupra omnia hæc ludibria fortunæ. Et reputare certe decet, nihil exinde ut tuæ virtuti, ita nomini detrahi; quin-etiam tibi eſſe glorioſius, quod quæri videamus, cur hæc accidant, quam ſi, cur non accidant, quæreretur. Plura Deo volente, & brevi, & coram. Quia enim ad nos jam non advenis, ſum ipſe in procinctu, ut diſcedam ad te hebdomade inſequutura. Tu interea, optime Princeps, ac dulce meum decus, vale. Diniæ, Poſtr. Eid. April. M.DC.LIII.

Admodum Reverendo, clariſſimo, & amiciſſimo Viro, D. Godefrido VVendelino, Paſtori Hercano, Tornacenſi Canonico

PETRUS GASSENDUS S.

ADſum, atque advenio, non Acheronte, mi Wendeline, ſed pæne ex faucibus Orci, vix via alta, atque ardua. Scilicet ex gravi, diuturnoque morbo ægre in Patria demum convalui, ac ſum denique in hanc Urbem redux. Qui ſupereſſes ipſe, ac valeres, ex amicis ſtatim percontatus ſum; & rem a Scala Equite, noſtroque Hoſerio præſertim edoctus, ipſos exceptos hodie communi apud illuſtrem Mon-morium prandio dimiſſos ante nolui, quam iis epiſtolium hoc concrederem prima occaſione ad te tranſmittendum. Id nimirum ut ſcias me, &, Deo propitio, bene valere, & gerere ſemper medullitus cariſſimam, ſuaviſſimamque memoriam tui; & eſſe jam propius, ut deinceps valeas, ſi quid forte volueris me compendioſius ſignificare. Accepi diebus proximis litteras a P. Ferrando Societatis Jeſu commorante Chamberii, ſuperiore menſe Diniam deſtinatas, una cum exemplo litterarum optimi ex eadem Societate P. Bollandi, ex quibus reſcivi tradidiſſe te illi ante aliquot annos, quas duorum, trium-ve noſtrorum primorum, eorumque Sanctorum Antiſtitum vitas ad te, ut cum ipſo communicares, miſerant; quare & quantum poſſum gratum animum teſtor. Et quoniam ille mihi ſalutem tam nomine ſuo, quam P. Henſchenii, & noſtri Gevartii renuntiari per Ferrandum voluit, quæſo te, ut niſi incommodum ſit, & triadem illam præclaram reſalutes meo nomine, & Chiffletium clariſſimum cum tota erudita familia, & Van-langrenum quoque ſalvere quam-plurimum jubeas. Vale. Pariſiis VI. Eid. Jun. M.DC.LIII.

PETRUS GASSENDUS

SORBERIO SUO S.

IN me non fuit, ut ſuperiore occaſione reſcriberem; ita me neſcio quæ negotia calamo jam arrepto averterunt. Nunc perparum abeſt, quin etiam a ſcribendo abſtineam; ne fluxionem, quæ me jam triduo importune habet, irritem. Verum, ne diutius officio erga amicum tam officioſum deſim, continere non poſſum me, quin ſaltem paucos hos verſus dictem, quibus ſuiſſe litteras tuas mihi redditas certior fias. De argumento nihil eſt, quod addam; niſi quod magis amas me, quam ut nolis meæ qualicumque famæ ex tuæ interpretationis editione fieri conſultum. Et dignum certe eſt tuo erga me amore, quod ob Typographicas operas interruptas non ſuccenſueris, ſed aliquam potius rationem eorum, quæ ad te ea de re ſcripſi, habueris. Spero autem fore ut nihil tuæ gloriæ ex hac dilatione decedat, ac te id vel maxime agniturum, ubi primæ cogitationes ſecundis locum fecerint. Legi, quæ ad Conradum noſtrum uberius ſcripſiſti; at ipſe de iis facere tibi ſatis in ſe recepit. Quod ille, quem inſinuas, meditatur adverſum me, ſcito me tam parum morari, quam apud Sinas quod agitur. Scilicet quidquid ea de re ſcripſi, quò attineat, & quatenus, mihi non male conſcius ſum. Sed tu, mi Sorberi, quam optime vale. Pariſiis v. Eid. Jul. M. DC. LIII.

PETRUS GASSENDUS

NEURÆO SUO S.

PLurima ſane ſunt, mi Neuræe, quæ tibi, tuæque amicitiæ debeo; at illud non poſtremum eſt, quod conceptum mihi dolorem ob mortem præclari *Naudæi*, Capitis longe cariſſimi habere te mecum communem declaras; ac pervelle, ſi fieri poſſet, eo me penitus eximere, ſignificas. Quippe cum nihil ſit optimi amici poſſeſſione jucundius, nihilque adeo eſſe poſſit ejus privatione moleſtius, facis tu profecto per-humaniter, cum ſubire in te aut totam, aut certe moleſtiæ partem, quam mihi caſus hic flebilis neceſſitatem fecit, exoptas. Quamquam me quidem quod attinet id, quod Poëta ait *eſt quædam flere voluptas*, eatenus experior, ut moleſtiam malim ea ſuavitate temperatam, qua τοῦ μακαρίτου, conſuetudiniſque cum illo jucundiſſimæ, antiquiſſimæque afficior, quam illa immunem fieri, ſi mihi ſimul ſuavitas hujuſcemodi eripiatur. Noſti ut parentes, ut filii, ut conjunctiſſimi quique non ſine voluptate actiones, verbaque illorum, quos habuerint cariſſimos, & recordentur, & enuncient, nihilque fieri iis gratius poſſit, quam ſi alii quoque eadem enarrent, aut enarrata grate accipiant. Ego certe quoties in eos incido, qui commune mihi cum illo fuere neceſſitudine, nihil eſſe poteſt dulcius, quam ſermones recolere, quibus alias σὺν τῷ μακαρίτῃ confabulati fuimus; adeo nihil potuit illi excidere, quod non foret memoria, conſiderationeque dignum. Superſunt adbuc felici fato, quos & tu ipſe apprime noſti eximii Viri, Elias Diodatus, & Franciſcus a Motha Vayerius, quibuſcum ſæpe, & congregari, & ruſticari ſoliti fuimus, maximeque priuſquam ille in Italiam diſcederet duos ante annos ſupra viginti. Retulit ipſe, deſcripſitque nonnullas ex confabulationibus nos inter quatuor habitis, maximeque in *Syntagmate de Militari ſtudio*; diceretque cum conveniſſemus, erat ſolitus parere ſe Pythagoræ, ſi per talem quandam Tetradem juravit. Dico autem priuſquam in Italiam concederet; ex eo ſcilicet tempore inſtitui niſi per litteras nos inter commercium non potuit; & quamvis deinceps evocatus ab Eminentiſſimo Cardinali, Bibliothecæ curandæ fuit, partim ipſius occupationes, partim mea invaletudo ne poſſemus toties convenire obſuerunt. Diſceſſi quoque ipſe in Provinciam, diſceſſit & ille ante meum reditum in Sveciam, totoque eo tempore litteris duntaxat converſari licuit, donec cum me jam reduce ipſe proxime accederet, mutuorumque complexuum ſpes foret, quæ lugubria fata intervenerint, nimiſquam eſt notum. Tametſi porrò litteræ compenſare non poterant quem fructum longe uberrimum licebat ex ejus converſatione demetere; ea tamen ſemper ſeges erat, quæ magni proventus loco haberetur; quippe ad me nunquam ſcribebat, quin ſignificaret quid toto litteratorum orbe ageretur, quid hi molirentur, illi jam paraſſent, ceteri etiam edidiſſent. *Reliqua exciderunt.*

Viro Clariſſimo, & amico optimo Olao VVormio, Doctori Medico, & in Regia Hafnienſi Academia Profeſſori Humaniſſimo

PETRUS GASSENDUS S.

EN me, optime Wormi, reducem non ex Provincia modo in Urbem, verum etiam pæne ex Orci limine in vitam. Quamprimum verò huc appuli, nihil potius fuit, quam ut qui, & ipſe, & præclarus Frommius valeretis, interrogarem. Cum reſponſum foret conceſſiſſe alterum fatis, & uter tamen eſſet, non deſignaretur, non interquievi donec didici Frommium eſſe τὸν μακαρίτην, qui ad plureis abierit; te verò eſſe, qui, Deo propitio, & ſuperſis, & bene valeas. Tenere itaque me non potui, quin & meam tibi lætitiam teſtatus toto animo gratularer, & clariſſimum Medicum noſtrum Guidonem Patinum litteras ad eximium Bartholinum dantem offendens hoſce ad te verſus attexerem, quibus certior fieres, me, Deo donante, ex mea illa adeo diuturna invaletudine emerſiſſe, adeſſe in hac jam Civitate, & vitæ Tychonis Brahei veſtratis, ad quam tu mihi præ ceteris afflaſiſti, editionem moliri. Quinque, aut ſex jam anni ſunt, ex quo Gedanum ad celebrem Hevelium ſcribens, illum rogaram, ut, ſi fieri poſſet, impetraret meo nomine ex præclaro Medico Ludovico Keplero Joanni filio, Regiomonti in Pruſſia degente, ſi quid haberet monumentorum ad Tychonis, quem ipſe vidiſſet, vel de quo Parentem loquentem audiiſſet, vitam attinens, ac attinens etiam ad vitam Parentis, cujus ſummam libens intexerem; reſponſum verò tuleram futurum,

rum, ut brevi non monumenta modò, ſed vitam quoque integram utriuſque typis commendatam accipere poſſem. Ipſe id ratus, omnem curam meæ lucubratiunculæ evulgandæ dimiſeram, donec quid illinc adveniret fruſtra jam tamdiu præſtolatus, ac interpellato etiam quid id rei eſſet Hevelio, eò fui adductus ab amicis, aliiſque præſtantibus Viris, quos Uraniæ amor, ac tanti illius veſtri Herois gloria tangit, ut nihil cunctandu, id, quod haberem pridem paratum, emitterem. Manum itaque jam admovi, & cum opella tota foliorum viginti quinque, aut triginta futura ſit, quinta jam eſt, aut ſexta pars excuſa. An verò quia lente operæ procedunt, & ſpes eſt, ut priuſquam ad metam perveniant, ferre abs te reſponſum, ſi quopiam me beaveris, valeam, orare te auſim, ut ſi quid tibi forte in manus, ex quo pluſcula illa ad me mittere es dignatus, inciderit, id eadem via, qua hæ litteræ tranſduntur, velis impertiri. Quippe tametſi acceſſurum tempori ſatis forte non ſit, fiet nihilominus occaſio, ut niſi in ſuum locum inſerei, attexi certe ad calcem poſſet. Unum ſaltem eſt, quod te maxime exoratum deſiderem, ut ſcilicet mihi procures exaratum manu exemplum orationis funebris a Jeſſenio habitæ. cujus excuſum unicum iſthic extare alias ſcripſiſti, cujuſque nullum reperire in totis Pariſinis Bibliothecis licuit. Exoptem verò, ſi iſtud adhuc mihi oavare operæ importunum non fuerit, rem diligenter peragi, quo prima occaſione tranſmitti ad me poſſit. Eſt verò, & unum adhuc, quod te rogem; vide quantam mihi tua illa immenſa bonitas libertatem faciat. Notus tibi haud-dubie eſt Vir illuſtris Petrus Reetzius, qui ex Tychonis eſt cognatione. Is eſt, qui ante annos ſex Legatus Regis nomine hac in Aula interfuit. Dignatus me tunc pro ſua ſingulari humanitate inviſere, ac inſtituti mei conſcius, recepit ſeſe, & obtentorum, & mecum communicatorum deſcriptionem, confectionemque ſingularis cujuſpiam unguenti a Tychone excogitati, Braheanique nominitari, quod cetera inter Tychonis encomia non memorare modò, ſed deſcribendo etiam, publici facere juris poſſem; quaſi nempe mirificum, generique humano adjuvando comparatum inventum. Si igitur noris, & grave non ſit ipſum, alium-ve ex familia, penes quam id quaſi arcanum aſſervatur, interpellare, ut copia mihi ipſius fiat, erit cur, & tibi, & ipſi gratiæ habeantur, non abs me modo, ſed etiam abs ſummi viri Manibus, & abs quibuſcumque levamen ſentietur. Virum illuſtrem ſi convenias, & ſalutem ipſi nunciare meo nomine poteris, & indicare memorem me illius affectus, quo me proſequi ſuave habuit, hæc interſeruiſſe altera ſtatim vitæ Tychonis pagina: *Cum verò fratres ipſius omnes magnæ in Patria auctoritatis, & magna ex parte Senatorii Ordinis fuerint, tum memorandus præcipue Steno, qui Majeſtatis Regiæ Conſiliarius, & in Arce Calundburgica Præſes, habuit ceteros inter liberos, tum filium Ottonem Baſneſium, tum Birgittam filiam, quæ illuſtri Friderico Reetzio nupta quatuor filios edidit, Petrum, Stenonem, Antonium, Georgium, quorum natu maximum legatione Regia Pariſiis fungentem, una cum natu minimo videre, affari, experiri benevolos licuit.* Quæſo te iterum exemplum orationis funebris, & quam cito quidem per tuas occupationes fas erit. Vale interea, Vir optime, ac me amabo amare perge. Pariſiis, Eid. Sept. M.DC.LIII.

Clariſsimo, excellentiſsimoque Viro D. Joanni Dominico Caſsino, in alma Bononienſi Academia Profeſſori Matheſeos Primario

PETRUS GASSENDUS S.

AMplius menſe eſt, clariſſime Vir, ex quo litteras ad me, intercedente nobili Veneſco, dediſti, illuſtris Riantii Baro mihi ſtudioſe reddidit. Diuturnæ hujus meæ ad reſpondendum moræ non una fuit cauſa; ſed nihil eſt neceſſe, aut occupationes, aut invaletudinem, aut aliud cauſari. Oro te ſolum, ut ſic habeas me, & honori duxiſſe magno, quam ultro, gratioſeque offerre amicitiam dignatus es; & felicitati vertiſſe, poſſe me, non eximie quidem, ſed utcumque tamen tuis votis ſatisfacere; & quam primum licuit, arripuiſſe calamum, ut qua in te eſſem voluntate facerem perſpectum. Gratulatus itaque tibi pro tam laudabili inſtituto, exſcribere ecce ex meis Commentariolis aggredior quas depoſcis obſervationes trium ſuperiorum Planetarum circa tempora oppoſitionis ipſorum cum Sole peractas. Exigis pro ſingulis ternas; ego verò quinas, ſenas-ve exhibeo, ut quia omnes ea ſerie, copia-ve non ſunt, ex quibus exacte deduci oppoſitionum tempora poſſint, ſint ad manum quas deligas, ac prout videbitur in rem vertas. Organum, quo acceptas diſtantias agnoſces, Radius Aſtronomicus fuit, Orgyia prolixior, in parteis 10000. diſtinctus cum Tranſverſali immoto, & hinc inde Tangentis vice in ſimileis diviſo. Fixus ad centrum cylindrulus, in Tranſverſali etiam cylindrica, emobiliaque pinnacidia. Signis uſum ſum + & — denotandæ, aut additioni graduum, ſcropulorumque Tangentibus indicatorum, pinnacidiis ad diverſas Tranſverſarii parteis exiſtentibus; aut ſubtractioni pinnacidiis exiſtentibus in eadem. Calculum adhibebo nullum, ne præjudicium faciam, quo utcumque præoccuperis; doleo certe feciſſe me, cum Martis oppoſitionem, ſtationemque alteram anni 1623. evulgant, calculum obſervatis ſubjunxi, ad quem unum, aut alterum circa Stellas datum ſuppoſui, quod deinceps, caro amico Jacubo Valeſio monente, non recte ſe habere deprehendi. Suppoſui videlicet Stellam in Humero dextro Sagittarii habere latitudinis Auſtralis gr. 3. min. 31. prout in Tychonis catalogo habetur, cum habeat tamen ſolum gr. 3. min. 18. ac aliunde ejus diſtantiam ab Auſtraliore duarum in Boreali parte Arcus eſſe gr. 6. min. 15. prout calculo eam deduxi; cum probæ tamen obſervationes excedere tribus minutis eam prodant. Quo effectum eſt etiam, ut cum diſtantiam illam aſſumpſi rectificando Organo, tantumdem abeſſe, niſi interdum magis a vero potuerim. Hæc proinde eſt cauſa, cur obſervationes nude, & qua fide fuere peractæ, conſignatæque communicem, ne quidquam ſit, quod imponere, creare-ve ullam, quod dixi, præoccupationem poſſit. En itaque ut res ſe habeat.

PRO ♂

Anno 1621. debuit ex Ephemeride contingere Martis oppoſitio Sole cum die Maii 6. Itaque Aquis-Sextiis die Maii 3. veſperi, hora 10. diſta-

diſtiterunt inter ſe Mars, & Lanx Auſtralis, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1623. debuit oppoſitio contingere die 3. Julii. Itaque Diniæ die 28. Junii, hora 13. &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1625. debuit oppoſitio contingere die 18. Septembris. Itaque Diniæ die Septembris 21. ſequenti veſperi circiter hor. 10. &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1634. debuit oppoſitio contingere die 12. Martii. Itaque Diniæ die 7. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1636. debuit oppoſitio contingere die 18. Aprilis. Itaque Aquis-Sextiis die 15. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1638. debuit oppoſitio contingere die 7. Junii. Itaque Diniæ die 6. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

PRO ♃

Anno 1620. debuit oppoſitio Jovis cum Sole contingere die 7. Novembris. Itaque Aquis-Sextiis die 4. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1633. debuit oppoſitio contingere die 16. Decembris. Itaque Diniæ die 14. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1635. debuit oppoſitio contingere die Januarii 18. Itaque Aquis-Sextiis die Januarii 15. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1636. debuit oppoſitio contingere die 19. Februarii. Itaque Diniæ die 5. veſperi. *ut in Commentariis*.

Anno 1637. debuit oppoſitio contingere omninò 20. Martii. Itaque Aquis-Sextiis die Martii 31. &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1639. debuit oppoſitio contingere die 22. Maii. Itaque Aquis-Sextiis die 20. veſperi &c. *ut in Commentariis*.

PRO ♄

Anno 1633. debuit oppoſitio Saturni cum Sole contingere die 28. Maii. Itaque Aquis-Sextiis die 25. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1634. debuit oppoſitio contingere die 9. Junii. Itaque Aquis-Sextiis die 6. mane, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1635. debuit oppoſitio contingere die 21. Junii. Itaque Diniæ die 19. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1636. debuit oppoſitio contingere die 2. Julii. Itaque Aquis-Sextiis die Junii 30. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Anno 1637. debuit oppoſitio contingere die Julii 14. & tamen nihil obſervatum comperio, quam quod Diniæ die 27. veſperi, &c. *ut in Commentariis*.

Hactenus exſcribo, excellentiſſime Vir, quæ de Marte, Jove, & Saturno circa tempora oppoſitionum obſervatis conſignata habeo Niſi ea tam ſint exquiſita, quam ipſe forſan expectaſti, tibique de me pollicitus es, ipſe ſane in culpa non ſum, qui & quod potui præſtiti, & ut maius quidpiam abs me exigeretur, occaſionem non feci. Obſervationes crudas agnoſces, & vel ex eo quidem, quod necdum ſint pleriſque appoſiti arcus deducti ex Tangentibus; verum non ob id eas minus probabis, utcumque tibi in deducendo laboris quidpiam reliquerim, quod ut nunc ſubirem, mihi non vacavit, quin non vacat etiam omnia recenſere, ne aliquam forte cyphrulam præpoſtere interſcripſerim; ſed ſi fecero, quod vix reor, rarum erit, ut non ex ſerie obſervationum poſſit emendari. Qualiacumque tandem hæc ſint, tu ſic utere, fruere, ut me ſaltem tibi ad obſequium comparatiſſimum agnoſcas. Pariſiis XVI. Calend. Febr. M. DC. LIV.

SAMUELI SORBERIO *ſuo*

PETRUS GASSENDUS S.

Acceperam jam tuas litteras, & gratulatus animo licet, nondum tamen ſcripto meam lætitiam ſignificaram, cum Capellanus præclarus ille oſtendit abs te litteras, quibus alias mihi innuebas conſcriptas. Expectavi proinde illæ-ne alicunde mihi advenirent, quouſque hoc ipſo demum die, tum ipſæ mihi redditæ ſunt, tum aliæ, quarum feceras ſpem ab Illuſtriſſimo, optimoque tuo Patrono Præſule Vaſionenſi. Paucis itaque, quia tempore urgeor, gratulor tibi pectore pleno ob tuum illud tam generoſum, tantæque pietatis conſilium. Nempe res ejus eſt ponderis, cui æquiparari nihil poſſit. De ſalute enim ſumma agitur, pro cujus commutatione non tota cum auro ſuo Terra, non univerſus Mundus ſit ſatis. Fuit hæc mutatio dextræ Excelſi, & optimam partem cum elegeris, non erit profecto cur unquam te facti pœniteat. Felix interim, qui incideris in Antiſtitem adeò bonum, adeò generoſum, adeò eruditum, ut & virtutem tuam amare, & pretium tuum noſſe potis, fieret tibi in hac humanarum rerum jactura perfugium. Quod tu verò mihi ob mortem Principis tam mei amantis Ludovici Valeſii, Engoliſmenſis Ducis condoles, humanitatis officium eſt, amoriſque erga me tui. Et non poſſum certè non teneri magno Capitis tam cari deſiderio; utcumque in partem conſolationis veniat, quod ille me amore ſincero, teneroque amaverit, quo Mortalium nemo, aut melior, aut innocentior unquam fuit. Ille unus ſanè ex iis, quibus dignus non fuit Mundus, qui qua erat forte vixit in hac tanta ſæculi colluvie, fide, candore, probitate, ut plane inſignis, ita incomparabilis, ac omninò dignus, qui in ſingulare virtutis exemplum Principibus proponeretur. O quam ſæpe attendenti mihi ad inculpatos illius mores inſuſurrare illud ſubiit: *Quo nihil majus, meliusve Terris Fata donavere, bonique Divi nec dabunt, quamvis redeant in aurum tempora priſcum?* Sed mihi tempero, ut & finiam, & Antiſtiti optimo verbulum reſcribam. Tu bene vale, mi Sorberi, & corroborare in dies. Pariſiis X. Cal. Febr. M. DC. LV.

Jo-

Joſepho Mariæ Svareſio, Illuſtriſſimo, Reverendiſſimoque Vaſionenſium Antiſtiti

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

HAud ego ſane id promerebar, Antiſtes Illuſtriſſime, ut tu non modo mei, & vultus, & nominis commeminiſſes, ſed dignatetis etiam humaniſſimas dare litteras, tanta amoris erga me tui ſignificatione plenas. Sed nempe hoc mihi bonitatis tuæ eſſe voluiſti argumentum, cui pridem inſignis tua eruditio, ab uſque conſuetudine cum noſtro communi Peireskio τῷ μακαρίτῃ erat perſpecta. Gratias proinde quantas poſſum maximas tibi habeo, ac me, quando aliud non poſſum, tibi totum oppignaro in animi grati teſtificationem. Quam verò ſubinde, putas, gratolor ob tam egregium facious, quo eximium Sorberium Deo, & Eccleſiæ quæſiiſti? quo illum ad te pellexiſti? quo illum foves, fortunarumque ipſius curam ſuſcipis? quo rem præſtas, ut tua illa generoſa indole dignam, ita dignam, quæ celebretur, cujuſque memoria non intermoriatur? Et merebatur ille ſane incidere in tantum Patronum; Vir tam bonus, tam candidus, tam ſingulariter eruditus, Vir tanta in converſando gratia, in ſcribendo tanta elegantia, Vir, ut paucis dicam, quem tu noveris, quem amaveris, quem delegeris, ut tua in eo vireis ſuas beneficentia experiretur. Quod me attinet, ſic ego illum amo, ut cum tibi ſit tot obſtrictus nominibus, ipſe ona me obſtrictum profitear, ac forem modo ſolvendo par, ita mens adjuvet, ut totam in me reciperem obligationem. Et verum eſt quidem nihil aliud te, quam ut benefacias ſpectare; at non ideo minus, qui tua beneficia perſentiunt, ad ea agnoſcenda, & gratitudinis ergo, quam-maxime licet, efferenda tenentur. Tu, o Præſulum decus, ſic agere perge, ac me eum porrò habe, quo tui obſervantior, tibique obſequentior ſit nemo. Pariſiis x. Cal. Febr. M DC.LV.

Viro clariſſimo, & amico optimo Olao VVormio, Doctori Medico, & in Regia Hafnienſi Academia Profeſſori Celeberrimo

PETRUS GASSENDUS S.

EN jam tandem, optime Wormi, Tychonis Brahei vitam editam, cujus ad te mitto aliquot exempla. Quas provideram fore moras, eæ reipſa intercеſſerunt; & cum Bibliopola noluerit exemplum ipſius ullum diſtrahi, quin alia ſimul opuſcula typis cohærenter commiſſa prodirent, non licuit ullum ante menſem, quod transdi ad te poſſet, nanciſci. Nactus porrò diſtuli huc uſque, quod Patinus noſter acceſſurum ſperans in dies præclarum Bartholinum ex Italia, expectandum cenſuerit, donec eum libris ab eo coactis hæc ad te exempla deſtinarentur. Nunc, cum poſſit præclaro Viro injecta eſſe remora, quæ incertum reditum faciat, ipſeque pudore quodam obruar, quod non mature ſatis exhibeam iſtud qualecumque meæ erga te gratitudinis ſpecimen, dum aliam vecturæ occaſionem quæro, offert ſe mercator amicus, qui recipiat ſe faſciculum abs me acceptum Amſterodamum mittere, unde ad te porrò Hafniam tranſmittatur. Bonis itaque avibus faſciculum ipſi committo, apprecorque, ut tuas in manus & tuto, & quam-primum perveniat. Exempla in eo quatuor comperies, quorum tibi unum nominibus multis debitum ut habeas, habereque velis te quæſo. Alterum erit, quo liberes fidem erga illum quemcumque, abs quo obtinuiſti, quod dignatus es ad me mittere orationis funebris in laudem Tychonis habitæ exemplum. Tertium dari exopto per-illuſtri Retzio. Ipſe eſt ſolus, quem attinentem ad Braheanam familiam mihi eſſe notum contingit, quare & jure eum deligo, cui meum erga illam obſequium, affectumque teſtatum faciam. De poſtremo quid factum velim, vix auſim tibi dicere; ut dicam tamen ipſum addo, ut ſi, ubi Apoſtrophen illam ad Regem Sereniſſimum, qua Tychonis vitam ut concluderem in mentem venit, pellegeris, reputes rem ſacræ ejus Majeſtati non diſplicituram, habeas ad manum, quod, vel per te, vel per illuſtrem Retzium meo nomine illi offeratur. Præter fas, ac decorum foret aliquas facto excuſando adjungere litterulas, cum abunde, imo nimium ſit fuiſſe ſemel me, & publice quidem ea interpellatione uſum. Tu itaque, optime Wormi, ut videbitur, ita agito, ac pergito me tibi penitus devinctum amare. Vale. Pariſiis, poſtrid. Eid. Jul. M. DC. LIV.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro D. Joanni Hevelio, Dantiſcano Conſuli, Amico plurimum colendo

PETRUS GASSENDUS S.

QUantum me tuæ litteræ, ſuaviſſime Heveli, recreaverint, dici facile profecto non poteſt. Nempe & te eſſe incolumem, quem graviter adeo laborare inaudieram; & me abs te ſemper amari, quod duco ſane maximi, ecquid potuit eſſe jucundius? Nihil jam, cum tuas accepi, typographicarum circa Tychonis vitam operarum ſupererat; at Bibliopola certo conſilio ipſam, ac una Copernici, Peurbachii, & Regiomontani vitas non prius evulgari, quam alia quædam opuſcula ſimul ederentur, expetiit. Quare & vel hac occaſione paulo ſerius accipies, quod ad te exemplum deſtinatum volui. Et Bullialdus quidem noſter etiam expectandum cenſebat quouſque tempora Eclipſeon proximi menſis forent tranſacta, ut ſimul, ſi quid obſervatum a nobis foret, perſcriberetur. At quia vecturæ librorum ambages nimis longæ ſunt, ideò antevertendum duxi, commiſſuruſque ſtatim ſum mercatori faſciculum, qui ipſum amico Amſterodamenſi commendet, ut inde ad te Dantiſcum transdatur. Fortaſſis quoque priuſquam ipſum cum his litteris habeas, dandas poſterius alias accipies. Erit porrò præter exemplum, quod ut tibi habeas pro votis mihi eſt, etiam aliud, quod quæſo te, ut optimo Eichſtadio, quem terque quaterque reſaluto, tradas. Ægre me porrò ad

edi-

editionem opellæ hujus accinxeram ob factam a Keplero ſpem; nunc cum aliud ipſi conſilium inſediſſe ſignifices, minus pœnitet operis ſuſcepti. Doleo & ipſe eum tui cauſa, tum Artium ingenuarum gratia conceſſiſſe eximium Linemannum fatis. Plura, Deo propitio, proxima occaſione. Tu interim bene, imo optime vale. Pariſiis, poſtrid. Eid. Jul. M.DC.LIV.

Chriſtinæ, Svecorum Reginæ Sereniſſimæ, potentiſſimæ, ſapientiſſimæque

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

REgina Sereniſſima, ruri verſor, dum ecce audio Piquetum, & Fraxineum, ut tuam Majeſtatem Antuerpiæ conveniant, die proximo diſceſſuros. Itaque, ne eorum duntaxat ſermone, ſed meis etiam litteris, quanta ſemper tuæ Majeſtatis veneratione tenear accipias, pauculos hoſce verſus do ab illis ad te perferendos. Facio videlicet, ne meo ex ſilentio forte coniicias non ſatis magni ducere me præclarum illud facinus, quod tanto conſilio aggreſſa, tanto animo executa es. Profecto enim demiror potius potuiſſe vel cogitationem ipſius ſubire in feminæ mentem, & hac juvenili præſertim ætate, rebuſque adeo proſperis. Sed oportebat nimirum te, dum ſexum, ætatem, ſortemque ſupergrederis, inſolitum quidpiam, ac omni expectatione majus moliri. Tale verò omninò fuit, pro nihilo habere, ac tam ultro deponere Coronas, Sceptra, Imperia, quibus haberi nihil ſolet in hominum votis ſublimius, ad quæ obtinenda, tuendaque, jure, injuria, dolo, vi, ferro, flammaque paſſim certatur. Ac facile quidem illud commendatur, quod dictum eſt olim: *Diadema rem eſſe ponderoſam adeo, ſpiniſque adeò intertextam, ut qui ſaperent, ſi humi jacens occurreret, ne attollerent quidem.* At vix tamen unus, & alter ſummorum Principum memoratur, qui dictum facto probaverit, cum ſponte Diadema abjecit. Sed & cum tam raræ hæc extent exempla, tanto ſane magis tuum iſtud erit admirationi Poſteris, quanto ſatietatem regnandi ſola tibi ratio, non longævitas fecerit. Glorioſius poterat videri, in ſalutem gentis, ſubditorumque populorum tuam iſtam regnandi induſtriam, ſapientiamque impendere, & quam illis gloriam, beatamque tranquillitatem quæſieras, toto porrò vitæ decurſu tueri; verum & præclare illis conſuluiſti, cum eum dediſti ſucceſſorem, qui id præſtare eximie poſſet; & te quod attinuit, tot jam editis regiminis tui egregiis ſpeciminibus, cenſuiſti tibi eſſe vivendum. Quamquam verò id factum varii interpretentur varie, ipſe eſſe ſecuros, quantum in me eſt, jubeo, te ea pollere, & ſagacitate ingenii, & maturitate judicii, & celſitudine animi, ut tametſi nondum in tua penetretur conſilia, tempus tamen ſit illa haud-dubie quam-optima demonſtraturum. Et non potes ſane, quæ tua eſt virtus, non ſapientiſſime proſpexiſſe, quam deinceps vitæ rationem inſtitueres, ſectareriſque; neque non perſtare in propoſito conſtantiſſime decreviſſe; quippe alia tibi profecto mens eſt, aliuſque vigor animi, quam ut quidquam committere non ſatis dignum tua hac virtute, quaſitaque gloria ſuſtineas. Sat ſiquidem noſti, tametſi curandum non eſſe admodum videatur, quid de nobis ſentiant, loquanturque ceteri, dum nobis probe conſcii ſimus; debere tamen bonam famam vel eo nomine eſſe nobis caram, quod in ſocietate degentibus felicitatis partem faciat; bene apud omneis, bonoſque & Sapientes præſertim, ex quo veneratio, & charitas conſequitur, audire. Cumque id non ex una ſolum, alterave actione aſſequamur, ſed ex omnium ſerie, & conſtantia, idcirco eſſe operam dandam, ut vita tenore quodam æquabili degatur, ac tota ſecum ipſa conſentiat. Quin-etiam, cum in eo, quod ſupereſt ævi, quodque tibi ut longiſſimum, ſic feliciſſimum apprecor, incidere plurima valeant, ut res nempe mortalium ſunt, quæ inducere poſſe aliquam facti pœnitentiam videantur, non hæreo, quin te ita compararis, ut dicere cum illo poſſis:

Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi, adeo proinde, ut effecta omnibus fortunæ caſibus ſuperior, generoſe ſemper, hoc eſt, intrepide, & pari paſſu ſis inceſſura. Felicem te certe, quæ uſurpare illud Metrodoreum valeas: *Occupavi te fortuna, atque cepi, omneiſque aditus tuos interclusi, ut ad me adſpirare non poſſes.* Hoc eſt, quod voveo, o Regina, nominibus hactenus multis longe incomparabilis, ut qui ſequentur intelligant fuiſſe te velut dono quodam providentiæ genitam, in quo totas vireis ſuas ſumma virtus experiretur. Vale. Dabam Menilii San-Dionyſiani, e Caſtro Illuſtris Mon-morii, qui ipſe quoque tuæ Majeſtatis reverentiſſimus ſemper eſt, X. Cal. Septembris, M.DC.LIV.

Clariſſimo, Doctiſſimo amiciſſimoque Viro D Joanni Hevelio, Dantiſcanæ Reipublicæ Conſuli

PETRUS GASSENDUS S.

SCripſi ad te, clariſſime Heveli, circiter Eidus Julias, tranſdens ad te duo exempla editæ heic a me Tychonis Brahei Aſtronomorum Coryphæi vitæ, cum ſubjuncta vita veſtratis illius incomparabilis Copernici, ſummorumque etiam Virorum Peurbachii, & Regiomontani. Mens ſcilicet fuit, ut unum exemplum tibi haberes, alterum optimo Eichſtadio communi noſtro tribueres, cum nunciata a me plurima ſalute. Vereor, ne nondum faſciculus tuas in manus pervenerit. Deſtinandus enim navigio Amſterodamum ad mercaturem fuit, unde rurſus navi Dantiſcum diſceſſuræ committeretur. Utcumque ſit, ſat bene erit, ſi ad te uſque tandem pertingat. Quod recepi porrò illis litteris communicare tecum, ſi quid circa tam Solis, quam Lunæ Eclipſeis ſuperioris menſis obſervare concederetur, id fidem liberans jam præſto. Adjungo nempe hiſce utriuſque obſervationis qualiſcumque exſcriptum, quod etiam ut commune habeas cum optimo Eichſtadio te rogo. Quia ruri adhuc verſor, ipſum ad noſtrum Bullialdum do, ut cum proximis, quas ad te ſcribet litteris, tranſmittatur. Tu bene ſemper vale, clariſſime Heveli, & optimum illum meo nomine ſalvere ſemper quam-plurimum jube. Menilii San-Dionyſiani, Cal. Septembr. M.DC.LIV.

PE-

PETRUS GASSENDUS

SORBERIO SUO S.

MOx ut tuas litteras accipio, & ne quidquam morer tabellarium, pauculos hoſce verſus do, ac ſimul conſcribo, quod ad Præſulem illuſtrem exigis epiſtolium. Non tanta mihi erat cum eo, ut illud auderem, familiaritas; verum de te cum agitur, quis eſſe pudor, aut modus poſſit? Exopto ſolum, ut hoc meum officiolum non ſit nequidquam. Acceperam jam quod egregiæ ad præclarum Pecquetum epiſtolæ exemplum ad me dederas; verum ut gratias agerem nondum fuerat facta occaſio. Facio jam, ac teſtor me fuiſſe ipſius lectione maximopere delectatum. Doleo duntaxat abfuiſſe me, neque factum vobiſcum teſtem ſingularis experimenti; doleo & ſortem, ſi vos fortaſſis diſceſſuri ſitis ante Remigialia; quippe id ſolum circiter tempus repetiturus Urbem ſum, ac mihi adeò fruſtra erit, quam ille erga me gerit voluntatem. Et memini quidem me alicubi mentionem feciſſe raræ obſervationis, cum Bernerius noſter Monſpellii degens, quid id rei foret ante treis annos ſignificaſſet; at ſuaviſſimum longe eſſet rem oculis hauſtam narrare, ac ſimul Auctorem facere commendatum. Niſi jam liceat, licebit forte alia occaſione beatioribus eſſe. Recreatus mirifice fueram, cum tuam legens epiſtolam, viderem factam veteris, percarique Amici Bornii adeò luculentam mentionem [dudum quippe erat, ex quo nihil de eo inaudieram] nunc verò ſumme beaſti me, cum certum feciſti tuis litteris, & meminiſſe illum mei, & nunciaſſe quoque plurimam ſalutem. Quæſo tu illum nomine meo reſaluta quam-plurimum, & cura ut intelligat hærere ſe mihi ſemper in medullis. Saluto verò etiam quam-plurimum optimum Pecquetum. Te quod attinet, quam tuus ſim noſti. Vale, Menilii San-Dionyſiani xv. Cal. Octobr. M.DC.LV.

Admodum Reverendo, ac erudito Viro Joanni Ludovico Caſtaneo, Canonico Siſtaricenſi

PETRUS GASSENDUS S.

PErgratum fuit nuper, cum e gravi morbo incipiens convaleſcere, tuas accepi litteras ſuperiore Decembri datas. Factus jam utcumque lectionis, ſcriptioniſque quam tum forem, patientior, pauculos hoſce verſus repono, tum ut ſignificem litteras fuiſſe mihi a præclaro Viro, Cognato tuo redditas; tum ut Regioni noſtræ gratuler, quod tu in ea exoriare, cui de meliore luto præcordia Titan finxerit. Ecquis enim, amabo, eſt alius, qui ſtudia ingenua ſectetur? ita vulgo ſunt omnium animæ in Terras curvæ, & Cœleſtium inanes. Tu ſane tanto es laudabilior, quanto in iſta barbarie, interque has, quas dicis caures, ex te ipſo emergis, factuſque αὐτοδίδακτος, contentus es tibi canere, & Muſis. Quod tuæ illius præfationis adjunctum voluiſti litteris exemplum, non ſine voluptate pellegi; agnovi nempe diligentiam, induſtriamque adhibitam in toto opere contexendo. Itaque dum præſtes ea, quæ polliceris, præſtare autem non dubito, auctor tibi ſum, ut te compares ad ipſum edendum. Tametſi enim deinceps occurrat, quod correctione indigeat, id tamen curarum erit poſteriorum, quæ nunquam fiunt maturiores, niſi crudiores præceſſerint. Nihil initio perfectum eſt, neque haberemus magnorum Virorum conſummatiſſima opera, niſi illi cepiſſent a rudioribus, quæ deinceps caſtigarentur. Aude igitur, & te quoque dignum Deo finge;

——— tentanda via eſt, qua te quoque poſſis
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

Mihi certe nunquam erit quidquam gratius, quam videre te, ut virtute eximium, ſic fama conſpicuum; & nomen id longe apud exteros propagantem, quod Parens, germanuſque jam in Patria clarum fecerint. Utrumque ſaluto, ac ipſis, tibique omnia proſpera voveo, apprecorque. Vale. Pariſiis xv. Cal. Febr. M.DC.LV.

Viro longe clariſsimo D. Joanni Henrico Bocklero

PETRUS GASSENDUS S.

MUltum eſt, quod Equiti illuſtri Scipioni Scaligero aliis nominibus debeo; at illud ſane plurimum eſt, quod ejus officiis te amicum debeo. Id ego verò non promerebar, ut tu meam [quod loqueris] ambires amicitiam: Meum potius erat, ut ſi quibus poſſem obſequiis demererer tuam. Sed nempe addecebat, ut tu hoc erga me humanitatis ſpecimen, Vir humaniſſimus, exhiberes; hoc eſt, ut me anteverteres, ſicque ea gratia prægravares, quam ego penſare niſi referens, atque adeo factus inferior non poſſem. Quod itaque mihi reliquum feciſti, id unice amplector, ut ſcilicet gratias quam maximas poſſim pro oblata mihi tua amicitia referam, & quam prior, ultroque debui reciproce offerens, teſter eam fore ſemper cum omni, quantum per vireis dabitur, officii genere conjunctam. Videri poſſem tardius reſcribens in hoc ipſo præſtando ſegnior; verum cauſa fuit graviſſimus morbus, per cujus vigorem fuere ad me tuæ litteræ perlatæ; quippe & jam poſt unum, alterumque menſem ægre ab eo convaleſco, ægreque poſſum quidpiam ſerium aut meditari, aut ſcribere. Pauca hæc proinde jam habe, ac vale. Dabam Pariſiis XII. Cal. Febr. M.DC.LV.

Chriſtinæ, Suecorum Reginæ Sereniſsimæ, potentiſsimæ, ſapientiſsimæque

PETRUS GASSENDUS
Εὐπράττειν.

REgina Sereniſſima. Non ea ſane mihi ad tuam Majeſtatem nuper ſcribenti mens fuerat, ut reſponſum elicerem, quo me ea donare dignata; Id volueram ſolum, ut intel-

lige-

ligeres, non eſſe eum me, qui in te, non tam purpuram, diademaque ſpectaverim, quam generoſam indolem, ac verè regiam, ſummamque virtutem. Nempe qui exteros illa ſuſpiciunt, fortunam, non perſonam mirantur, ut ſi palam magni æſtiment, non ipſam gemmam in pretio habeant. Porrò & quod jam iterato ſcribo, facio duntaxat, ut gratias agam ob eam, quam voluiſti ipſa tibi imperare reſcribendi patientiam. Nimium quippe eſt, quod litteræ meæ tibi non prorſus ingratæ ſint, quodque meam comprobationem heroici facinoris loco habendam aliquo putes. Certe hoc ipſum quoque eſt immenſæ illius tuæ bonitatis; cum propria facti conſcientia tibi abunde ſufficiat, ac te habere eam debeas, quæ ſis ipſa tibi ampliſſimum theatrum. Et qui humanas quidem res quaſi ex quodam ergaſtulo, non tanquam e ſpecula contemplantur, rem accipiunt præpoſtere; verum quid illi ſentiant, tibi curæ admodum non eſt, quando ii ſunt, qui ad ſplendorem eximiæ virtutis non minus caligant, quam nocturnæ aves ad meridianum Solem. Quin præclarum eſt etiam, quod nihil moraris, ſed pateris illos invidia diſrumpi, dum ea improbitate ſunt, ut facta, vel nulla, vel leviſſima occaſione, pro affectu ſuo rumuſculos ſpargant, ſecura ſcilicet cum ſis, nihil veritate eſſe potentius, & quod dies una occultat, id aliam patefacere. Ac ipſe quidem nullus hærebam, quin habenda in figmentis forent, quæ varia circumferebantur; ſed ſuaviſſimum tamen fuit ex Piequeto addiſcere, quam non leves fuiſſent meæ conjecturæ. Perge itaque, o Sereniſſima, virtutem ſerio colere; ſic enim, ut vertex Olympi, perpetuo in ſereno degens hoſce quaſi nimbos, & rauca tonitrua non calcabis ſolum, verum etiam plane diſcuties, ac evaneſcere demum coges. Quidni! cum intelligens te maxima in luce verſari, tam præclare agnoſcas quid tibi, quid ſocietati hominum debeas, ut ſinceram, & intus mentem, & extra famam tuearis. Quamquam & quod ſocietati præſtamus, ejuſve cauſa agimus, in nos quoque ipſos redundat; dum hac ratione eam mentis tranquillitatem nanciſcimur, qua haberi non nos deſpectui, aut odio, ſed venerationi, & amori apud homines perſentimus. Etenim quod videri quidem nonnullis incommodum ſolet genium ita deflectere, ut quodammodo defraudetur, ii profecto haud-quaquam ea, qua tua Majeſtas, ſapientia pollent; quando minime pervident deflexionem hanc fieri aſſuetudine adeò facilem, ut haberi pro indole poſſit, neque habendam potius eſſe defraudationem genii, id agere, unde aliqua moleſtia, pœnitentiaque ſit conſequutura. Et par eſt ſane, aut in ſylvis, extraque commercium cum hominibus degere, aut in ipſorum ſocietate verſantibus illi ſervire, hoc eſt, quod cuique pro conditione decorum eſt, ſic agere, ut gratia potius, quam offenſa pariatur. Quo abripior tamen? quaſi ipſa non ſis, quæ omnium mortalium optime perſpicias geri ab unoquoque duplicem perſonam; & a Sapiente quidem utramque, perinde ac ſi alteram ſolum ageret, ſuſtineri. Age proinde ea ſemper, Regina ſapientiſſima, quæ ſint, & tua Majeſtate, & præcellente illa virtute, qua hactenus præfulges, digna; ut & ævum degas feliciſſime, & nomen glorioſiſſimum, quod cepiſti, in Poſteros tranſmittas. Vale. Dabam Pariſiis poſtridie Eid. Februarii M.DC.LV.

Viro clariſſimo, doctiſſimoque D. Joanni Valliſio, S. Theologiæ Doctori, & in Oxonienſi Academia Geometriæ Profeſſori Saviliano

PETRUS GASSENDUS S.

ID non promerebar, Vir clariſſime, ut me cogitares, ac mei, quam dignatus es, rationem haberes. Accepi & litteras tuas humanitatis pleniſſimas, & quod adjunxiſti exemplum præclaræ tuæ obſervationis Solaris Eclipſeos ſuperioris anni. Vereor ne me, ut negligentem, ſic immemorem beneficii putes, quod jam ſolum poſt quatuor menſeis, ex quo dediſti litteras, debitas tibi referam gratias. Sic tamen res habet. Fuere illæ mihi ante paucos ſolum dies redditæ; ac eruditus Eraſmus Raſchius cum eas traderet, teſtatus eſt tibi recens conſignatas. Quod appoſuiſti deſtinatum ad noſtrum Bullialdum exemplum, ad eum deferri illico juſſi; habebiſque, quantum conjector, ab ipſo etiam litteras per eundem juvenem egregium Paulum Terraharium cum hiſce meis perferendas. Committo verò ipſi quoque in compenſationem aliquantulam tui muneris exemplum meæ obſervationis, tum ejuſdem Eclipſeos, tum inſequutæ etiam Lunaris. Tantulum eſt, quo ſimile munus eximii Hevelii communis noſtri compenſavi. De Eclipſi menſis Februarii nihil magis, quam tu, quod perſcribam habeo; quando heic etiam nubes conſpectum illius nobis præripuerunt. Quod ſupereſt, & me amare, qui te redamo, & de his ſtudiis bene mereri perge. Vale. Pariſiis x. Cal. Jun M DC. LV.

Atque hæ quidem ſunt, quas latine conſcriptas recuperare potuit Amanuenſis, epiſtolæ.

APPENDIX

APPENDIX
EPISTOLAS
AD
PETRUM GASSENDUM
CONTINENS.

Digitized by Google

REGINÆ SVECORUM SERENISSIMÆ,

ITEMQUE

Quorumdam ſuorum illis adjunctæ.

AD PETRUM GASSENDUM EPISTOLÆ.

Lettre de la Reyne de Suede a Monſieur Gaſſendi.

De Stocholme le 25. Septembre 1652.

VOVS eſtes ſi generalement honnoré, & eſtimé de tout ce qui ſe trouue de perſonnes raiſonnables dans le Monde, & en parle de vous auec tant de veneration, que l' on ne peut ſans ſe faire tort vous eſtimer mediocrement. Ne vous eſtonnez donc pas, s'il ſe trouue au bout du Monde vne perſonne, qui ſe voit intereſſée a vous eſtimer infiniment, & ne trouuez pas eſtrange qu'elle ayt ſuborné vos propres Amis pour vous faire connoiſtre qu'elle ne s'eſloigne pas des ſentimens de tout le genre humain lors qu'il eſt queſtion de donner a voſtre merite vne eſtime non commune. Ie reſte infiniment obligée à celuy, qui vous a fait connoiſtre vne partie des ſentimens d' eſtime, que i'ay pour vous, & ie le ſuis d'autant plus, puiſque ce bon office eſt vn ſurcroiſt des autres ſeruices, qu'il m'a rendu, & encore que ie confeſſe de luy deuoir la reſtitution de ma ſanté, & de ma vie, & qu'il ſemble qu'aprés cela il ne ſe puiſſe rien adjouſter à ce que ie luy dois; neantmoins ie confeſſe, que l'obligation de m'auoir procuré des aſſeurances de voſtre eſtime, eſgale tous les autres dont ie luy ſuis redeuable. Auſſi eſt il vray qu'il eſt ſeul digne de ſe vanter de m'auoir procuré ce bien. Mais ie vous prie de me donner la ſatisfaction de la durée de noſtre commerce; & puis qu'il ne m'eſt pas permis d'eſperer le bien de de pouuoir en preſence vous proteſter mon eſtime, & bien-veillance, permettez au moins, que mes lettres vous aſſeurent des ſentiment advantageux, que ie conſerneray toute ma vie pour vous, & que les voſtres me puiſſent donner les confirmations de voſtre bonne volonté. Souffrez, que mes lettres interrompent quelque-fois vos meditations, & voſtre loiſir. Ie vous conſulteray comme l' Oracle de la verité pour m'eſclaircir de mes doutes, & ſi vous voulez prendre la peine d' inſtruire mon ignorance, vous ne ferez autre choſe, ſinon d'augmenter le nombre de ceux, qui ſcavent vous eſtimer dignement. Ie vous prie de croire, que i'obſerueray vos preceptes auſſi religieuſement comme l'on eſt accouſtumé d'obſeruer les dogmes des plus celebres Legiſlateurs. Iugez aprés cela combien ie vous feray redeuable des lumieres que me donneront vos belles connoiſſances; & croyez que ie ne ſeray iamais ingrate enuers vous, & que ie veux cultiver auec ſoin l'eſtime, & la bien-veillance d'vn ſi grand homme que vous eſtes.

CHRISTINE.

AVTRE.

De Bruxelles le Ianuier 1654.

DVpiquet vous dira combien i'eſtime les teſmoignages de voſtre eſprit; vous m'auez obligé infiniment en me teſmoigneant, que non obſtant le changement, que i'ay fait de ma condition vous eſtimez encore ma perſonne. Voſtre eſtime me juſtifiera contre ceux, qui blaſment mon action, & voſtre approbation me ſuffira pour

me

Digitized by Google

me confirmer dans l'opinion que i'ay d'auoir bien fait. Conſeruez moy voſtre amitié, & ſoyez certain, que dans l'indifferance, que i'ay pour la plus part des choſes ie ne puis m'empeſcher de m'intereſſer fort pour les ſentimens, que vous auez de moy; & ie vous puis dire auec verité, que voſtre amitié, & eſtime ſont du nombre des choſes dont ie me paſſerois auec peyne.

CHRISTINE.

Lettre de Monſieur du Piquet Secretaire de la Reyne a Monſieur Gaſſendi.

MONSIEVR.

IE n'ay de temps que ce qu'il en faut pour vous reconfirmer mes tres-humbles ſeruices, & pour vous dire, que la Reyne a receu voſtre lettre auec ioye: Elle m'a commandé de vous aſſeurer de ſon amitié, & qu'il n'y auoit perſonne au Monde qu'elle eſtimaſt tant que vous, ce ſont les propres termes qu'elle m'a preſcrit de vous faire ſçauoir. Du reſte vous pouuez bien croire, Monſieur, que vous aurez touſiours auprés d'elle un tres-humble ſeruiteur en moy, & que ie vous feray reconnoiſtre en toute rencontre, que ie ſuis veritablement.

Monſieur

Voſtre tres humble, & tres-obeiſſant Seruiteur

DVPIQVET.

AVTRE.

MONSIEVR.

LA Reyne m'a commandé de vous remercier de ſa part de la lettre, que vous luy auez eſcrit, ie luy ay preſenté moy meſme, & vous puis aſſeurer, que la ioye, qu'elle en à teſmoigné eſtoit tout à fait extraordinaire, elle me parla ſi auantageuſement, & auec tant d'eſtime de voſtre perſonne, qu'il ſeroit mal-aisé d'en parler plus dignement, ſi elle n'auoit eſté empeſchée par l'arriueé de l'Archiduc, qui luy à rendu viſite auec grande ceremonie, elle n'auroit pas manqué de reſpondre à la voſtre, ce ſera par le prochain Courrier ſelon qu'elle m'a ordonné de vous en eſcrire, voila ma commiſſion, & voicy

Monſieur

Voſtre tres-humble, & tres-obeiſſant Seruiteur

DVPIQVET.

d'Anvers ce 11. Septembre 1654.

Lettre de Monſieur Bourdelot premier Medicin de la Reyne à Monſieur Gaſſendi.

MONSIEVR.

IE vous eſcriuis il y à un mois, & vous manday l'eſtime extraordinaire, que la Reyne auoit fait de voſtre lettre. Vous la connoiſtrez mieux par celle, qu'elle vous eſcrit. Elle ſera bien aiſe d'en receuoir de vous de temps à autre: Les preceptes moraux venants de voſtre part ſeront tres bien receus, & ſi vous y meſlez de la doctrine, de l'erudition, des obſeruations de Phyſique, elle en ſera bien ſatisfaite. Nous nous efforcerons de noſtre coſté d'y reſpondre, Meſſieurs Bochart, Naudé, Du Freſne, Meybomius & moy, eſtudions fort, & taſchons de plaire par nos eſtudes à cette Reyne, qui eſt l'honneur de l'Uniuers. Iamais rien n'a eſté de ſi eſclairé, ny de ſi judicieux. Monſieur Naudé vous en eſcrit. Ie me remets à luy de toutes choſes. Ie vous aſſeureray ſeulement, que c'eſt à la mort, & à la vie, que ie ſuis.

Monſieur

Voſtre tres-humble, & tres-obeiſſant Seruiteur

BOVRDELOT.

A Stocholme ce 17. Octobre 1652.

Lettre de Monſieur Naudé Bibliotequaire de la Reyne a Monſieur Gaſſendi.

MONSIEUR, & meilleur Amy

*AYant ouy dire aujourd'huy à Monſieur Bourdelot, que la Reyne noſtre Maiſtreſſe à tous deux vous eſcriroit Samedy prochain, i'ay eſté rauy de deux choſes, la premiere d'apprendre que ſa Majeſté treuve correſpondance auec vous, car encore que ie luy en aye entendu ſouuent parler en tres-bonne eſtime, ie ne croyois pas neantmoins, que la correſpondance fuſt ſi bien eſtablie; & la ſeconde d'auoir ſi bonne commodité de vous eſcrire pour vous faire ſçauoir de mes nouuelles, & apprendre des voſtres. Peut-eſtre aurez-vous eſté bien eſtonné d'apprendre la reſolution, que i'ay pris, & effectué tout enſemble, de venir à Stocholme, où ie m'aſſeure, que ſi vous, & Monſieur de la Motte le Vayer pouuiez venir auſſi facilement, que moy, ie ne tarderois gueres à vous voir bien toſt, puiſque la Reyne ne manqueroit de vous y appeller. Mais comme ie ne ſçauois, que faire à Paris ou tout le monde me regardoit de coſté à cauſe ************ & qu'en meſme temps ſa Majeſté de Suede me preſſoit par lettres* de proprio pugno, *à la venir voir, ie n'ay pas eu beaucoup de difficulté à m'y reſoudre. Le voyage à eſté de deux mois entiers, tout par terre, & ſans beaucoup d'incommodité. Pour la Mer ie n'ay pas mis un iour entier à paſſer le petit, & grand Belt & le Sund; les chariots, qui nous ont amené juſques à Coppenhagen, & les cheuaux, que l'on change*

de

de deux en deux mille de là juſques à Stocholme, qui eſt vne aſſez petite Ville, & que le feu à diminué de plus de deux cens maiſons depuis mon arriuée. Pour le païs il n'eſt point ſi aſpre, ny ſi faſcheux, que l'on m'auoit perſuadé. La Sauoye, & les Suiſſes le ſont beaucoup d'auantage, & il y à tant de François icy, que l'on trouue aſſez de quoy ſe diuertir ſans apprendre la langue. Pour des hommes doctes il y en à ſi peu, qu'exceptez Meſſieurs Bochart, Bourdelot, Du Freſne Garde du Cabinet, & Meybomius, ie n'y en connois encore point d'autres. Mais i'oublie toutefois le ſuiet le plus conſiderable, qui ſoit icy en cette qualité, ſçauoir la Reyne, de laquelle ie puis dire ſans flatterie, qu'elle tient mieux ſa partie és conferences, qu'elle tient aſſez ſouuent auec Meſſieurs Bochart, Bourdelot, Du Freſne, & moy, qu'aucun de la compagnie; & ſi ie vous dis, que ſon eſprit eſt tout à fait extraordinaire ie ne mentiray point, car elle à tout veu, elle à tout leu, elle ſçait tout, & elle en donne des preuues iudicieuſes, & auec telle facilité de diſcours, & force de raiſonnement, que ie n'en auois pas conceu la moitié de ce que i'en reconnois maintenant. Et à vous dire vrey, cela m'a fait apprehender, que ce commun dire ne ſe verifie en elle,

Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus:

Au reſte quoy qu'elle tienne aſſez ſa grauité en public, elle l'abandonne tout à fait auec nous, & ie ne la voy iamais en meilleure humeur, que lors qu'elle a le loiſir de nous auoir auprés d'elle. Mais ne croyez pas, qu'elle ſoit ſeulement ſçauante en ce qui depend des Liures, car elle l'eſt pareillement en Peinture, Architecture, Sculpture, Medaille, Antiquitez, & en toute autre choſe belle, & curieuſe, & s'il y à un bon Ouurier en ces arts là, elle ne manque point de l'auoir auprés d'elle. En effect Monſieur Bourdon excellent Peintre arriua il y à cinq, ou ſix iours de Paris: Et pour trauailler en cire, en eſmail, en burin, pour ioüer du Luth, chanter la Muſique, danſer, &c. on le peut auſſi bien faire icy qu'en lieu du Monde. Pour ſa Bibliotheque, de laquelle i'ay la conduite cum abſoluto imperio, *elle eſt tres riche in MSS. tant à cauſe de ceux de Monſieur Petau, que de Monſieur Gaulmin, de Monſeigneur le Cardinal Mazarin, de ceux d'vn nommé Stephanides, de Rauius, & d'autres. Mais pour les Imprimez, il faut aduoüer, que l'on la pourra rendre beaucoup meilleure qu'elle n'eſt à preſent par la ſeule faute de ceux, qui en ont eu le ſoin auparauant moy. Outre cela, elle a vne Galerie de Statuës tant en bronze, qu'en marbre, de Medailles, tant d'or, d'argent, que de bronze, en pieces d'yuoire, d'ambre, de coral, de cryſtal trauaillé, de Miroirs d'acier, d'Horloges, de Tables, de guiſes, bas-reliefs, & autres choſes non moins artificielles, que naturelles, que ie n'en ay iamais veu en Italie de plus riches. Reſte les Tableaux deſquels elle a auſſi vne merueilleuſe quantité, & ainſi vous voyez, que* habet animum apertum ad omnia. *Monſieur Du Freſne, & moy ſommes à la table de Monſieur Bourdelot laquelle eſt tres bonne, pour les Chambres on nous en prepare dans le Chaſteau, & cependant noſtre retraitte eſt dans l'Hoſtellerie auec vn peu d'incommodité. Monſieur Bochart depuis cinq mois eſt auſſi reduit à la meſme peine. Il trauaille icy ſur ſon liure* de animalibus Sacræ Scripturæ, *où il mettra bien de l'Arabe. Monſieur Meybomius pretend de monſtrer bien toſt quelques fautes dans Euclide.* Cetera turba ſilet. *Pour moy i'ay aſſez d'affaires à ranger mes liures, à cauſe, qu'il y en a beaucoup qu'il faut quaſi tous les iours porter d'vn lieu à autre, celuy où ils doiuent eſtre a demeurer ne pouuant eſtre encore preſt d'vn an. Ie vous baiſe tres humblement les mains, & ſuis à iamais*

Monſieur, & meilleur Amy,

Voſtre tres humble, tres obeïſſant,
& tres obligé Seruiteur

G. NAVDE'.

De Stokolme ce 19. Octobre 1652.

A l'heure que i'eſtris, il fait beaucoup plus froid en France qu'icy.

CLA-

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS

LUDOVICI VALESII

DUCIS INCULISMENSIS,

Comitis Alenſis, Levioris Equitatus per Gallias Magiſtri, & Gallo-Provinciæ Pro-Regis,

AD PETRUM GASSENDUM

EPISTOLÆ.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo doctiſſimo, ac cariſsimo Viro S. P. D.

JURE diutius agitavi, Vir eruditiſſime, ſi tam exquiſitis epiſtulis latine reſponſum darem. Pudore taodem ſuffuſus, more militari, & in procinctu paucis dicam quid cenſeo. Præſulis tui vinculis aureis devinctam non intueor mentem. Cunctator naturâ meditatur aliquid, quod votis reſpondeat meis; fortaſſis ſodalium nobis vota conciliat, ut confecto negotio gratior ad me accedat, cujus benevolentiam ſcelere quærere non licet. Nepotis ad Antiſtitem tuum miſſi reditum expecto cujus contumacia taotis a me machinis oppugnabitur, ut ſupplices, & victas manus cogamus eum tendere. Vale. Antipoli Idibus Septembris 1639.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo ornatiſsimo Viro, ac digniſsimo Diniæ Præpoſito S. P. D.

ULtimis tuis eruditiſſimis epiſtulis reſpondere non erubeſco. Campinio noſtro cariſſimo Sphingem Antiſtitis tui mitto. Si tamen tanta opus ſit ſagacitate, ubi (magni Alexandri more) nodum illum Gordium enſe liceat ſecare. Auctoritas illa Regia, cui nihil poteſt reſiſtere gladii tam invicti Imperatoris fungi munere debet. Non erit mirum, cum tam præclara geſſerit Rex noſter, ſi Antiſtitis tui mens ei ſe ſubiiciat, cui hæretici rebelles inviti ceſſerint. Quid denique boni augurari non poſſum Petro illi Gaſſendo Muſarum alumno, cujus ſuffragium Theatrali plauſu merito præſtat. Gloriæ non moritoræ cupidine tactos, ſtylo tuo immortali, ac ære perenniori, memoriam commendari meam permittas opto, & enixe rogo. Vale. Brinolæ 25. Septemb. 1639.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo Viro eruditiſsimo S. P. D.

OPtarem, Vir doctiſſime, firmiorem in hac Provincia valetudinem, citius redires, & tardius a me diſcederes. Non eſt tamen, quod te terreat. Mundi ſumus heic, ſed non omnes. Revertere igitur velocius, quam aſparagi coquantur. Nihil mihi reſcribas, attamen ipſe veni. Vale. Aquis Sextiis 23. Aprilis 1640.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſsendo Viro eruditiſsimo S. P. D.

REſcribo tibi mœrens, ac laudans, diſceſſum defleo, promotionem probo. Didici ex Roberto tuo cariſſimo, ut res tuæ ſe habent; narravit etiam Glandatenſis ille nunquam ſatis laudandus. Cariſſimus ille Abbas Victoriæ Com-

Digitized by Google

Commeudatorias has reddet litteras, quæ te admodum poſſunt juvare. Invenies Campinii noſtri epiſtolam, quam te abſente aperui. Amicorum omnia commonia. Ad Graſſenſem mitto, qui ratam afferat nominationem. Sanitienſem expecto. Noſtras omiſi lucubratiooes. Vale, amicos communes ſaluta, & memor eſto mei. Aquis-Sextiis 29. Januarii 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo S. P. D.

SPeraveram, Vir eruditiſſime, itineris narrationem, com jucundiſſimas accepi litteras, quæ abſentiæ dolorem poſſunt lenire. Gratiſſimus ille Victoriæ Abbas ſummo te proſequitur affectu. Vinces patientia Antiſtitis Dinienſis duritiem, quam corrigere eſt nefas. Perge negotium prout cepiſti, & cum licuerit, amicitiam noſtram ut æternam reſpicias enixiſſime rogo. Vale, artis litteratoriæ decus, & ornamentum. Epiſcopo Auguſtodunenſi epiſtolam, quam ſcripſi, reddes. Aquis Sextiis 26. Februarii 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito digniſsimo S. P. D.

EXponere non poſſum, Vir eruditiſſime, quali affectus ſim lætitia, cum peractum negotium retulere ultimæ tuæ litteræ; temporis feciſſes jacturam, ſi tantis implicitus negotiis noctium tuarum lucubrationes coactus eſſes omnino deſerere. Quotidie deperditur aliquid noſtri, ad famam præcipua ſunt dirigenda, quæ cum ſit æterna, ſummo eſt appetenda ſtudio. Quidquid agas Provinciam aſpicias rogo, amicitiæ inſolubilis memor. Vale litterarum decus. Aquis Sextiis 12. Martii 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo S. P. D.

ULtimas, & nuperas tuas accepi litteras ſemper jucundas, etſi breviores; negotioſum otium tuum diligo. Lucubrationes tuas novo pumice polire non eſt opus. Fajam amicum tuum benevolentia ſemper proſequar, & quidquid optare poteris, peragere conabor totis viribus. Propriam delectationem utilitati publicæ libenter condono, dummodo annuâ ſis contentus abſentiâ. Vale, litterarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 26. Martii 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaßendo S. P. D.

COrollarium impoſuiſſe negotio tuo libenter accepi. Explicitus vives ponderoſo jugo, vitabis Aulæ iter lubricum, Muſis gratis dabis operam utilem, inſervies famæ, & quieti, & quidquid accidat levius erit, & jucundius. Eccleſiæ Gallicanæ onus hac tempeſtate graviſſimum erit. Bellum imminens indureſcet ſemper; iter medium invenire arduum eſt; inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium optimam elegiſti partem. Inceptis incumbe totis viribus; amicos ſaluta; frequentius ſcribas oro. Vale litterarum decus, & ſerves animæ dimidium meæ. Aquis-Sextiis 8. Aprilis 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo S. P. D.

EXiſtimabam, Vir eruditiſſime, epiſtolas meas eſſe ſilentio operiendas, & tu amicis ignorantiam meam detegis, emendationem ſtili militaris expectabam, tu laudes in medium affers, & rubore ſuffuſus ſum. Quidquid tamen eveniat, ſtudia proferam mea, & amico amantiſſimo omnia lubentiſſime aperiam. Sæpius reſcribas rogo, & amicitiam noſtram pactum ſalis exiſtimes vehementer opto. Vale litteratoriæ artis ſummum decus. Aquis-Sextiis pridie Calendas Majas 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo S. P. D.

NOn eſt, quod Antiſtitem tuum pertimeſcas, multa promiſit, & illis ſtabit. Negotioſi iſti dies Bellonæ dicati totum pene noſtrum dirimunt commercium, in plagam noſtram Orientalem excurrere cogor. Quidquid eveniat ſemper tuus ero, & tu meus, epiſtolas ſæpius exarare neceſſe eſt, & abſentiæ diuturniorem mœrorem levare. Studia negligentius colo. Muſæ te abſente ſunt frigidiores. Quid denique amplius dicam, aut litteris, aut animo præſens eſto. Vale deliciæ meæ, & totum litteratoriæ artis decus, & ornamentum. Tolone 3. Junii 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo S. P. D.

ULtimæ tuæ litteræ ſcientiæ plenitudinem redolere videntur. Quæ quidem jucundiſſimæ, cum in medium proferant argumenta non communia. Veteris Scholæ iter tritum non ſequeris; altum ſapis, & nihil vulgare concipit illud magnum ingenium, cujus acumini reſi-

reſiſtere non poſſunt hujus tempeſtatis Philoſophi antiquitatis amantiores. Sed cum de veritate agitur, non eſt, quod Ariſtotelis, aut Platonis ſimus ſtudioſi, dummodo ad quæſtionum claritatem via non vulgari pervenire liceat. Vale litteratoriæ artis decus, & ornamentum. Tolonæ 17. Junii 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaßendo S. P. D.

ULtimis tuis epiſtolis reſpondere non potui, diverſis rumoribus agitatus, infinitis implicitus negotiis, non ſui mei juris. Civitatem iſtam quotidie peragro, ex infirma munitam reddere cupiens: Ex nihilo nihil fit; ejus eſt creare, cujus eſt ſervare, illique uni contigit perfectio, cui ineſt ſumma potentia; ex præjacente materia licet nobis operari, & cum omnia deſint ἐντελεχεία inconcuſſa manet. Vale. Tolone 15. Julii 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo S. P. D.

LEgo, & perlego ſuaviſſimas, & doctiſſimas litteras, quibus reſpondere non conceſſum mihi. Aquas-Sextias proficiſci coactus ſui, & ſubito Tolonam repetii munitionibus noſtris operam daturus. Nunc Antipolim cogito. Semper in itinere. Utinam labor iſte quietem noſtræ Provinciæ dare poſſet, illi indefeſſe incumberem. Fallor equidem. Primo tantum motori licet non moveri; cetera caduca mortalia, & fluxa ſunt, vera virtus immota. Hanc opto, ſed non poſſideo, etſi inſtillare conaria totis viribus ultimis illis epiſtolis mirâ doctrinâ plenis; ſymbolum tuum populi plauſibus antepono. Vale. Tolonæ 5. Auguſti 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo S. P. D.

EPinicium canis, Vir doctiſſime, ultimis epiſtolis. Luctuoſa quidem fuit Victoria, & Cadmi; ſic favet fortuna votis Regis noſtri piiſſimi, qui bellum civile naſcens, elementia clauſit, & ignoſcendo tranſegit. Adveniet juſtum pacis tempus, & quietis, quod nobis acceſſere per noſtra non licet peccata. Rarius reſcribo ob continuas equitationes, cum tamen nihil de amicitia remittam, quæ te præſentem iuviſere optat, & rogat. De reditu cogites moneo, & monebo. Vale litterarum decus, & ornamentum. Epiſtolam his verſibus finire ſinas, quæ mihi frigidiſſimo Poëtæ exciderunt. Briniolæ 19. Auguſti 1641.

In Sedani pugnam:

Occidit fortuna Ducem, Martemque repreſſit;
Hoſtibus ecce ſuis palmam Rex præripit enſe.

Petro Gaſſendo celeberrimo

Ludovicus Valeſius

Εὐλογίζειν.

ULtimis epiſtolis tuis ſemper iter faciens reſpondere non potui. Nunc omnem amitto ratiocinationem negotii tui diſrupti dolore tactus ſummo. Non eſt, quod animo deſpondeas. Nihil perdidiſti; fortuna quod ſui erat juris accepit, reliquit, quod tuum eſt, ingenium altum, amœnum, omnibus ornatum virtutibus. Conſtantiam, & animi demiror tranquillitatem; negotium veluti alienum narras mihi, & vultum, frontemque hilarem præferre videris. Rationi conſentaneum eſt virum tanto genio præditum, invictum remanere. Quidquid accidat, ſemper ero tuus, & tu meus, & in iſta animarum mixtura corporis etiam bona volo eſſe communia: Utere facultatibus meis ut tuis. Vale. Adiiciam verſum frigidiſſimum, & corollarium brevis iſtius epiſtolæ, qui Galliæ noſtræ felicitatem, Caſtellæ verò infortunium ſatis denotat. In Caſtro Luci 16. Septembris 1641.

Gallia fert laurum, geſtat Caſtella cupreſſum.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo Viro

Ludovicus Valeſius

Εὐλογίζειν.

MUltis de nominibus tibi debitor ſum; ſed ultimis non potui citius tuis reſpondere epiſtolis. Accepi exemplaria, & Domino Baroni de Riano commiſi abſente Valaveſio. Carmina retinui. Non eſt mirum Illuſtriſſimum noſtrum Cancellarium erga te eſſe bene affectum. Amor ille e fama tui procreatus intima cognitione fiet major. Eximia illius Viri bonitas, & ſingularis eruditio nullam patietur jacturam. Muſæ e Gallia recederent ſi tantum alumnum neglectum Magnates ſinerent. Memor eſto mei ſemper, & in æternùm vale. Aquis-Sextiis 9. Octobris 1641.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo Viro

Ludovicus Valeſius

Εὐλογίζειν.

SIgnificare mihi in quo ſunt ſtudia tua non eſt ſupervacaneum. Diligentiam tuam laudo, quæ te Lutetiæ vacantem immorari non ſinit. Agnoſcere beneficium, & debitum perſolvere idem eſt. Salzaum amicum tuum benigne excepiſſe non eſt mirum. Eſſet quidem ſi nomini, aut epiſtolis tuis aliquid denegarem, abſoluta illa poteſtate, qua erga me vales ſæpius otere. Studia proferas tua nihil mihi jucundius. Vale litterarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis Idibus Octobris 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo S. P. D.

BRevi diſceſſurus in procinctu ſcribo, non quidem militari, Tolonem cogito hoſpitio excepturus Legatos Luſitanos, quos Summus Pontifex Hiſpanorum minis territus non vult admittere, quamvis armatus timet inermes. Duci Parmæ bellum, ut diſcere potuiſti, intulit. Generoſos alit ſpiritus, & gerit. Ultimum epiſtolium de Epicuro verba facit. Studiorum objectum non eſt commune, ingenium tuum redolet amœnum quidem illud, & hujus temporis auribus accommodatum. Vale litterarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 9. Novembris 1641.

Petro Gaſſendo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MOrum, ac Epicuri vitæ nudam ad me miſiſti narrationem hiſce tuis ultimis epiſtolis. Antiqui Philoſophi Apologiam ſuſcipis, qui certe proſperam ſui non reliquit memoriam ob inſenſorum philoſophantium invidiam potius, quam ob tanti viri culpam. E tumulo eum exſuſcitas, & Julii Cæſaris more Marii imagines pæne deletas iterum oſtentas Orbi. Laborem tuum laudo; rem non vulgarem aggrederis. Operi inſta, & quidquid agas, Provinciam ſemper aſpice. Fieri non poteſt, quin in me oculos conjicias. Vale litterarum decus, & ornamentum. Tolonæ 18 Novembris 1641.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo
Εὐλογεῖν.

OPuſculum doctiſſimi Viri, nomine Macedonis Luſitani ad te mitto. Patriæ ingenium redolet, & encomio meo ſuppreſſo, nihil in eo reperies culpandum. Legatis Luſitaniæ immixtus Italiam transfretavit, abſentem te colit, quem præſentem demiraretur, ſi fata ſinerent. Arci Monœci oculos infixos teneo, donec ex omni parte munita remaneat. Corbonem noſtrum videbis, cujus ope tantum confeci negotium. Obſtupeſcunt Genuenſes, Hiſpani deſperant, vicini Nicœni totis artubus contremiſcunt. Itali optatam libertatem poſſunt reſpicere; utinam, & reſipiſcant. Vale litterarum decus, & ornamentum. Antipoli 16. Decemb. 1641.

Petro Gaſſendo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EPicuri cauſa, etſi optima, non minore indigebat Patrono, ſeu prævaleant illicita, ſive conſuetudo illa inveterata, quæ tanti viri memoriam dilacerare non deſiſtit. Illius ævi Philoſophi Epicurum ſummo odio ſunt proſequuti. Poſteriores ante natorum opinionibus excæcati, tanquam Pedarii Senatores anteambulonum ſententias pertinaciter ſunt amplexi. Hujus verò temporis philoſophantes Chriſtianis imbuti dogmatibus, Epicurum inauditum damnant, tempora non diſtinguentes. Abunde omnibus fit ſatis, dummodo abſit livor, & aſſentatio; & veritas eluceſcat tuis fulta doctiſſimis ſeiptis. Vale litterarum decus, & ornamentum. Antipoli 30. Decembris 1641.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

OPuſculum ad te perveniſſe admodum lætor. Macedonem Luſitanum ſumma laude proſequeris; dignus eſt, cui tuo patrocinari ſuffragio non deſinas. Romæ degit antiqua illa luſtrans ædificia, quorum veſtigia tantum reſtant, & Romam Romæ quærens, quam non inveniet. Caduca ſunt, & mortalia omnia. Fama verò æterna; huic uni inſervire tentas, ut mihi videtur. Feſtis enim diebus ſacris hymnis operam dediſti, quæ amœnum illud ingenium redolent, antiquis par Philoſophis, & hujus temporis multo elatius. Vale, & in æternum vive, ſic annum inchoare decet, & Varronem noſtrum Gallicum fauſtis demonſtrare acclamationibus. Antipoli 6. Januarii 1642.

Petro Gaſſendo doctiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PAtrum teſtimoniis ſatis fulta Epicuri vita tuo tantum indiget. Quod quidem theatralibus acclamationibus jure antepono. Peireskii vitæ totus perlegendæ incumbo; tanti viri mores, ſtudia, omnium capax ingenium ſatis demirari non poſſum; laudarem quidem ſi ignotum alloqueret, ſimplici tua narratione præfulget. Reditum meum ſuperioribus litteris ſignificavi. Vale litterarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 19. Januarij 1642.

Petro Gaſſendo Viro eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

JUre, ac merito de me queri poſſes, ſi diutius ſilere tentarem. Humanitas tua deſidiam meam ſolet excuſare. Eminentiſſimi Cardinalis a Lugduno e Provincia diſceſſori aliquot diebus comes fui; tanto Præſuli ſatisfacere lubens conatus ſum. Nunc in procinctu Aulam inviſurus ultimis epiſtolis paucis reſpondere cogor, tuam ad me ſcribendi materiam novam admodum probans. Epicuro tuo ultimam impoſuiſti manum; opus difficile, & a multis oppugnatum, ſed a te egregie defenſum. Philoſophiam tuam deinceps expecto, quæ tota tui juris eſt,
ratio-

ratiocinationemque ſolam reſpicit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 8. Februarii 1642.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo
Εὐλογεῖν.

ULtimum epiſtolium omnino philoſophicum lubens accepi. Sententiam darem, ſi liceret alloqui Petrum illum Gaſſendum Varronem Galliarum; ſatis eſt reſpondere ſilentio, & Virum demirari antiquis Philoſophis parem. Aulam nunc cogito, & Solis noſtri radiis illuſtrari. Præſentiam tuam exoptarem, ſed illam tantis tantæ orbis invidere viris pertimeſcerem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 18. Februarii 1642.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo
Εὐλογεῖν.

ULtimis epiſtolis, Aulæ immixtus, reſpondere non potui. Antiquam σοφίαν a mortuis mihi videris exſuſcitaſſe. Opus magnum aggrederis, quod brevi ad ſummum perfectionis feres faſtigium, modo non deſpondeas animo; doctis gratus eris, indoctis gravis, & omnibus rite philoſophantibus ita acceptus, ut nihil utilitati publicæ addi poſſe videatur. Mortalitatem ſuperaſti, & famæ non moritura probe conſuluiſti. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 11. die Martii 1642.

Ludovicus Valeſius

Petro Gaſſendo
Εὐλογεῖν.

SEriem ante natorum Philoſophorum ultimis tuis accepi epiſtolis. Reſpondere non potui Aulæ immerſus, & Arelatenſis civitatis motibus intentus. Omnia ſerviliter pro dominatione. Iſtius urbis Nobilitas diviſa primum occupare locum in Comitiis totis conatur viribus. Pacatam relinquo, quam rumoribus implicitam inveneram mœrens. Muſæum nunc inviſo epiſtolas tuas ſollicite expectans, donec præſentia frui liceat. Vale Muſarum decus, & ornamentum, & neceſſitudinis noſtræ monumentum grato animo accipias oro. Aquis-Sextiis 25. Martii 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PHiloſophiæ partitionem continet ultimum epiſtolium. Nihil eſt in Antiquis, quod non inveſtiget prudens illa ſagacitas, cui res nulla incomperta. Melius philoſophatus eſt Epicurus, qui unicam tantum probavit Ethicam, quæ circa noſtros verſatur mores. Quid enim utilius, quam ſibi conſulere? quid magis neceſſarium, quam vitam illam caducam, fluxam, & mortalem ita dirigere, ut ad æternam perveniat felicitatem, & ſumma animi poſſit frui voluptate? Aliis fruſtra prælucere ſtudemus, ſi tenebroſa caligine nos obrui ſinamus. Operi philoſophico tantæ utilitatis ultimam impone manum, & magnæ urbis immixtus deliciis, amicum abſentem nunquam mandes oblivioni. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 8. April. 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ULtimis tuis occurrere epiſtolis citius non potui multis diſtentus negotiis. Epiſcopum tuum mitiorem experieris, nihil eſt quod pertimeſcas. Mihi videris in poſtremo epiſtolio antiquam Philoſophiam a mortuis avocare. Dialecticam Platone vetuſtiorem non fuiſſe enarras, illam optime Rethoricæ conſocias. Prima enim diſſerendi, altera bene dicendi artes edocent. Utraque nihil utilius; diſſerere, & probe eloqui non niſi magnis Viris licet. Heroes ipſi ut recte ais, eloquentes fuere, & quidquid contra audeant hujuſce temporis otioſi adoleſcentes. Militiam Moſis excultam ſatis laudare non poſſum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 20. Aprilis 1642.

Petro Gaſsendo Viro doctiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ET ſi in Gymnaſio tractentur quæſtiones illæ Dialecticæ, quas ultimum profert epiſtolium; ita obſcure tamen a Magiſtris tractantur, & cum tanta brevitate ut Scholaſtici ſæpius ignari, aut confuſi ludum deſerant litterarium. Eget memoria adminiculis, ingenium humanum exercitatione, vir denique bono duce, qui ipſum ad illam Philoſophiæ ſummam evehat perfectionem, quæ niſi ſtudio, & lucubratione acquiri non poſſe jure videtur: Opus, quod aggreſſus es omnibus eſt utile, ſed potiſſimum mihi, cui cariſſimus es. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 6. Maii 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PAucis plura refert ultimum epiſtolium. Ariſtotelis Dialecticam naturæ genii ante oculos ponis ex omni parte perfectam, etſi brevem. Arte eximia claritati, & brevitati ſtudes, etſi difficile ſit. Non eſt equidem mihi omnino incomperta Ariſtotelis Philoſophia, ſed tamen enarratio illa mihi fuit gratiſſima. Et la-

bori grato non incumbit quisquis alterius commodo inſervire jure videtur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 20. Maii 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MIrum eſt, Vir eruditiſſime, Stoicos Philoſophos nihil de inveniendi parte tradidiſſe, etſi ab ipſis exculta fuerit Dialectica. Ciceronis ſententia multi ponderis eſt. Vellem equidem reſcire rationes, quibus eximii illi Philoſophi fulti tam neceſſariam Dialecticæ partem neglexere. Omnis ratiocinatio, ut mihi videtur, inventione conſtat, & concluſione, quæ quidem in ſyllogiſmis tribus, in enthymemate, duabus propoſitionibus deducitur. Dialectica eſt ars diſſerendi, quæ & inventione, & aliis neceſſariis indiget. Hæc neſcire tanti Philoſophi non potuere. Ad te attinet mihi hanc enodare difficultatem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 25. Maii 1641.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ULtimis epiſtolis citius reſpondere non potui immixtus Aulæ; eas legere, & perlegere non deſtiti. Ludibrium fortunæ præ oculis habui, & experimento didici, nihil eſſe tam fluxum, quam famam non ſua vi nixam, Galliæ, vel potius Orbis totius, jacentes duas columnas quotidie video; ſed quid non video hoc potiſſimum tempore, in quo beneficia eo uſque læta donec exolvi poſſunt, ſed ſi multum antevenere odium pro gratia redditur. Nihil tam ſublime, quod non cadat; nihil tam fixum, quod non moveatur; & denique probitati omnia pervia, ingratis omnia invia. Et hoc ſatis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Taraſcone 24. Junii 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TOta Gallia laborante, non eſſet rationi conſentaneum Provinciam noſtram immotam manere, & quieſcere. In procinctu ſcribo Antipolim petituros. Eminentiſſimum Cardinalem Rhodanum incolentem linquo ſanitati reſtitutum. Ultimas epiſtolas legi, & perlegi. Antiquam Philoſophiam ob oculos ponis ita clare, & diſtincte, ut nihil deſiderandum reſtet. Lucubrationum tuarum rationem ſemper reddas oro. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 7. Julii 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LIcet philoſophari inter arma, leges non ſilent, ubi ratio eſt magiſtra vitæ, quid prodeſt homini, niſi ſibi conſtet, & quomodo fieri poteſt, niſi rationis ductu? Sophiæ igitur ſemper operam demus. Cæſares, & Alexandri ſub ſapientiæ inſignibus totum devicerunt Orbem. Epicuri criteria ratiocinatione tua protecta omnem ſuperant difficultatem. Sententias, cui plauſum dediſti auctori elegantiſſimo Cornelio Tacito, remittere cogor, ne alienis plumis indutus reliquarum avium fabula fiam. Aula noſtra agitata nunc quieſcit Phaëtontis caſu. Juventus, & ſapientia in eodem ſubjecto raro remanent. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Cannis 14. Julii 1641.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LUbricæ Aulæ fallacibus ſolutus illecebris hic nunc quieſco. Ibi perſonati hiſtrioniam exercemus, hic pectore intacto, & aperto incedere licet. Ibi denique ſimulationi eſt locus; hic tandem ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet. Ultimis epiſtolis pervicaciter operam dedi. Rumores Neapolitanæ Claſſis abſtulerunt animum, & Provinciæ conſervationi totus incumbo, quod feliciter vertat Deus. Interim epiſtolas chariſſimas habeo, & diligentiſſime ſervo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Antipoli 21. Julii 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUoties e re mea erit Merſennum noſtrum recuſo, non ob tanti viri defectum, qui nullus eſt, ſed ob nimiam erga me charitatem, amicitiam appellarem, ſi Mundum a multis annis non repudiaſſet optimus ille, cujus opinioni non refragantur eruditi. Quoad ſenſus evidentiam in tua ſum ſententia, etſi multi eam oppugnare tentent. Prævalet Gaſſendi illius mens, & ſuffragium, quod omnibus anteponere non dubitarem, ſi per ejus liceret moderationem. Plagam noſtram excurrere totam nunc deſiſto; ſatis firma gauderes valetudine, & nobilitate illa ſtipatus, cujus Patres Carolum V. Imperatorem olim ingloriom expulere. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Toloni 4. Auguſti 1642.

Petro

Digitized by Google

Petró Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TOt, ac tantis blandientis Aulæ fulgoribus offuſus Philoſophiæ ſobſidium peto. Illius quidem, cujus vultus non fallax, dogmata vera, axiomata certa, verba denique non blandientia, ſed veritatem, & ſapientiam ſemper redolentia. Deeſt ſane, qui verum dicat ei, qui dignitate præfulgens, & tot fortunæ radiis illuſtratus, cecutire cogitur ſæpenumero. Sed ad alterum Criterium redeo, quod Cicero anticipationem appellavit. Ita clare ultimum epiſtolium hac de re loquitur, ut nihil deſiderare poſſim præter præſentiam auctoris, qui ſemper mihi erit chariſſimus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Toloni 20. Auguſti 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ULtimum de prænotione epiſtolium lubens accepi. Epicuri mentem optime declaras, quæ quidem mihi videtur ſana, & ſenſuum naturali operationi conſentanea; experientia rerum magiſtra docet nos ſæpiſſime, nunquam fallitur. Illa quidem, doctis, & indoctis principibus viris, infimisque facem præfert: Utinam illo doctore ita uti poſſimus, ut errores noſtros tam politicos, quam morales emendare valeamus. Dorbarum Toparchæ abſentiam non damno; neceſſitati ſervire licet. Vala Muſarum decus, & ornamentum. Toloni 28. Auguſti 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ALexandrum Magnum tot, ac tantis belli, pacisque præditum virtutibus Athenienſium ſuffragia tanti feciſſe non miror; & Tacitum noſtrum ſatis laudare non poſſum, qui Principum ſortem ad famam tendere jure docet. Amico lubenter fateri cogor, æternitate illa tangi, quæ famam nunquam morituram ad Aſtra tollit; tuis capior encomiis, & Petri noſtri auram captu theatralibus anteponendam plauſibus. Tertium tuum Canonem accepi, & unumquemque Logicam ſuam poſſidere naturalem, quæ methodo tantum indiget probe tenui. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Toloni 25. Auguſti 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

AD Criterii Canonem poſtremum eodem perveniſti. Verborum diſſidium indifferens eſt, modo ſenſu conveniant Philoſophi, quod in rerum evidentium prænotionibus accidit. Ex evidente rem inevidentem conſpicimus; etſi noſtræ tanta ſit imbecillitas mentis. Omnium corporis, ac animæ functionum rationes quærimus, & ignoramus, quotidie videmus, & viſus actionem problematicam eſſe conſtat, utrum fiat per receptionem, aut per emiſſionem; & ſic de ceteris; ita ut nobis concludere liceat, cognitionem humanam potius eſſe ignorantiam, quam ſcientiam. Inveſtigamus ſemper, & nihil invenimus; diſputamus quidem, ſed non ſolvimus. Solus naturæ auctor opus ſuum novit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Toloni ultima Auguſti 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE poſtremo Criterio, quod Epicurus paſſionem vocat, loquitur ultimum tuum epiſtolium. Non exiſtimabam virum tam a paſſionibus alienum ita poſſe de re incognita diſſerere, cum veriſſimum ſit Petrum noſtrum eſſe omnino ἀπαθῆ, etſi provincialis ſit, & igneæ regionis incola. Non ad nationem carpendam hoc dico, quam ſemper amare, & revereri cupio; ſed ad majorem Viri laudem, qui arte, & induſtria naturam domare novit; vitia erunt donec homines, & minus imperfecti perfectiores jure cenſentur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Noli ſic omnes repudiare paſſionem, quin amicitiam noſtram incolumem, & illæſam quamvis extremam retineas. Toloni 7. Septemb. 1642.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn eſt, quod tuis reſpondeam encomiis, etſi difficillimum, ſatis me noſco. Prudentis, & amici viri diſſimulare vitia, & verbis ejus virtutem extendere, quem ad perfectionem provehere ſtatum totis viribus conamur. A rebus ad verba progreditur ultimum epiſtolium, & a mente ad linguam uſque deſcendere videtur; & jure quidem, cum cogitatio debeat loquutionem antevenire. Iſtius Canonis, & ſequentium audiam libenter explanationem, hoc potiſſimum tempore, quo Perpinio capto, Regis triomphantis victoriam decantare licet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Toloni 15. Septembris 1642.

Petro

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
εὐλογεῖν.

SOphiſtas ſummo odio proſequi non deſinam, dies rerum verbis terunt, & cum verba mentis ſint interpretes obſcurum per obſcurius explanare non erubeſcunt. Jure Seneca illos pungit. Philoſophia enim omnis in ratiocinatione poſita eſt; attamen ingenioſi noſtri verba ponderant. Optime Gellius non eſſe captioſis quæſtionibus reſpondendum; verba igitur clara proferre licet, & ita menti accommodata, ut conceptus noſtri etiam rudioribus pateſiant. Obſcuritatis vitio ignari laborant, aut illi, quibus ſcientia oneri, non ornamento eſſe videtur. Ultimum Criterium maxime probo. Vale Muſarum decus, & corculum meum. Briniolæ 21. Septembris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ULtimi epiſtolii Epilogo reſpondens libenter fateor, me Phyſicæ Canones ſummo ſtudio expectare. Modeſtiam tuam ulterius urgere non ſuſtineo, humilitatem fruſtra premerem ejus, quem ſcientia non inflat. Pietati ſtudes, & doctrinæ ſimul, utriuſque magna profereus exempla; ſed promiſſum violo, virtutis tuæ eximiæ laudationem ſupprimere profeſſus fueram. Silentio tegam, quod ſatis exprimere non poſſem. Vale igitur Muſarum decus, & ornamentum, ueque te inſeriorem me exiſtimes, qui tibi litterarom, & heroicæ virtutis palmam jure deberi cenſco. Aqois-Sextiis 29. Septembris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PRiuſquam ad naturam, & Phyſicam deſcenderes, de vocibus, & ratiocinandi methodo diſſerere neceſſe erat. Hunc ad ipſius definitionem tandem devenit oratio tua, quam univerſam de Natura contemplationem appellat Epicurus, in eo laudandos, in quo naturæ vires contemplatur; culpandus verò, cum Cœlum aſcendere fruſtra nititor, ita tameu poſſumus ejus mentem interpretari cum de fulminibus, Cometis, ceteriſque ſimilibus loquitur. Phyſiologia terrores noſtros fugat, dum Metaora omnia ſic noſtris ſubiicit oculis, ut res notato difficiles hominibus innoteſcant; ſed jam ſatis. Vale Muſarum decus, & oruamentum. Aqois-Sextiis 3. Octobris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MUlta paucis ad me ſcribens præfatus es. Ultimum epiſtolium attentâ mente perpendens, Epicuri ſententiam jure demirari non deſino, quæ ſic ſe habet. Philoſophandum eſt non ex auctoritate, ſed ex iis, quæ nobis patent. Ad experientiam quidem eſt deveniendom, quæ rerum omnium vera eſt magiſtra, & ita ratiocinationi conjuncta; ut ex multis oculis ſubjacentibus Axiomata illa diſciplinarum principia proponantur, tanquam ſcholarum propugnacula. Mox licebit inviſere libros, & defunctos illos alloqui, quorum opera aſſentatione, & invidia omnino carent. Vale Muſarum decus, & oruamentum. Aquis.Sextiis 14. Octobris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TUis ultimis, & modeſtia epiſtolis manum militarem, & legionem integram opponerem, niſi a tyrannida longe abeſſet animus; attamen nec ego Adrianum, ueque tu Favorinum es imitatorus, Phyloſophiæ victoriæ palmam aſſigno, & tanti viri modeſtiam premere non ſuſtineo. Epiſtolas tuas libentiſſime accepi; legam, & relegam, & qoem præſentem intueri non poſſum, reverebor abſentem. Bervillæum noſtrum ſumma perfudiſti lætitia. Vale Muſarum decus, & ornamentom. Aquis-Sextiis 20. Octobris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

BEreullio, & Bervillæo opuſcula commiſſa dedi. Lucubrationis tuæ meditamenta Typis mandare enixe te rogo. Ultimum epiſtolium de Univerſo, & de Inani loquitur. Vellem equidem reſcire quid per Inane intelligat Epicurus. Etenim per Inane nihil aliud, niſi vacuum percipio, quod natora non admittit. Tu verò ignorationem juvabis noſtram, ego quidem a viro infinitæ eruditionis infinitatis tractatum expectabo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 27. Octobris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EGregium temperamentum Epicuri ſententiæ de Infinito apponit ultimum epiſtolium. Oculus enim Fidei percipit, qood Philoſophi egregia mens concipere nullo

modo

Digitized by Google

modo poteſt. Spatia quidem imaginaria Epicuro concedimus, & infinita. Corpora verò finita eſſe a Chriſtianis non ambigitur. Magni Artificis mano condita ſuor omnia, & merito Atomos Epicuri noſtri repudiamus. Optimam igitor, & Principe Philoſopho dignam affers diſtinctionem, captivans intellectum in obſequium Fidei. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 4. Novembris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Nihil infinitum præter Deum Optimum Maximum Fides noſtra cognoſcit, cujus centrum eſſe ubique, & circumferentiam nullibi aliquis ex antiquis Philoſophis aſſerere non erubuit. Atomos ſuos Epicuro relinquamus, & ad immotum motorem pervenire tentemus; ejus impleti lumine gloriæ clara videbimus, quod Philoſophiæ naturalis oculi aſpicere non poſſunt. Optimam mihi contra Epicuri Atomos attuliſti difficultatem; etenim quod ſurſum, deorſumque flectitur, finitum eſſe conſtat. Non mirum eſt quidem Philoſophum noſtrum arietare, dum agitur de Univerſi fabrica, quam ſolus novit, qui auctor eſt, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 12. Novembris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Lutetiam petituros epiſtolis tuis mox verbis reſpondere cogito. Epicuri tui quæſtiones philoſophicas enodabimus familiari colloquio. Rationi conſentaneum erat me ad te proficiſci, quandoquidem diuturniore mora Pariſiis degis. Præſentem amplecti meditor, quem abſentem revereor. Berecullium noſtrum invitus relinquo, quia nunc palatio indeſinenter adhæret. Bervillæum ad lucam laborum ſocium, & Amicum communem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 18. Novembris 1642.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Aquas-Sextias hilarior acceſſiſſem, ſi noſtri Senatus diſſenſiones me non vehementer commoverent. Berecullium noſtrum quæror juventutis immixtum inſolitis, & vanis quidem rumoribus, attamen conſiderandis cum de eorum agatur ſolatio, & amicorum. Non ponam unquam rumores ante ſalutem, privataſque injurias utilitati publicæ condonabo. Vitæ meæ ſeriem ab incunabulis retexere, etſi nullius momenti, in tui gratiam non recuſabo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 2. Julii 1643.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Ex itinere fatigatus, totius Provinciæ accurſu devinctus, citius reſcribere non potui. Berecullio, Bervillæoque feci ſatis. Ultimas tuas epiſtolas morientem piiſſimum noſtrum Regem enarrantes avide more meo pellegi. Aulæ crebras mutationes didici; quid plura? Sapientis verba reiicio, qui nihil eſſe novi ſub Sole aſſerere non dubitabat, imò, ut opinor, omnia nova. Vanitas ipſa fumus eſt; gratia, valetudo fugiunt velut umbræ; fama verò æterna; huic inſerviendum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 8. Julii 1643.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius.
Εὐλογεῖν.

Etſi invitus precibus tuis concedo, quod a me exigere tentaſti; gallice opuſculum deſcribam ex tertia perſona, breviter, & ſine fuco, ut a te novo pumice expoliatur. Singulis hebdomadis quaternionem mittam. Opus quidem ſterile, & inter tot Heroës locum non inventurum: ſatis eſt ſi amico placeat. Berecullium videbis mutatum ab illo, quem in Muſæo Aquenſi colebamus ambo; neceſſe eſt ei unam apertam aurem committere, alteram verò clauſam nobis, & noſtris juſtis ſervare querelis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 18. Auguſti 1643.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius.
Εὐλογεῖν.

Committo fidei, quod a me expetiiſti, quamvis ſit difficillimum inter tot moleſta negotia animum liberum ſervare poſſe. Spero quidem feliciorem exitum, quandoquidem omnia ad publicam utilitatem dirigere ſtudeo, conjicies oculos in libros, quos tibi confido; unus Regi eſt offerendus, alter verò Protocancellario, ſi digni ſint, qui in lucem edantur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 25. Auguſti 1643.

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius.
Εὐλογεῖν.

UMbram ſogat veritas, inſomnium ratio ipſa confirmat, thermas Dinienſes probo, & Lautaretium tuum convenism. Tenera infantis ætas, & virium debilitatio ſollicitos jure nos facit. Quærenda ſunt humana remedia, & tentata fuere ferme omnia; ſed Dei omnipotentis Providentiæ totum me committo; quotidie deperditur aliquid noſtri, ſingulis verò momentis unici filii caſus, irremediabiliſque morbus maximo conficiunt me dolore. Hic finis eſto. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 5. Septembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

AQuis Sextiis diutius commorari ſum coactus in capite rerum, unde in omnia regimen. Berecullium convenire jam potuiſti; ex tua in nos nimia charitate expecto, quod ex amico requirere licet. Satius eſt mihi ingratos invenire, quam de omnibus non bene mereri. Monæcum nunc cogito, mox Maſſiliam repetiturus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 8. Septembris 1643.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE libris, quos miſi bonum cepiſti conſilium. Eruditos conſulis, qui rem attenta mentis acie perpendent. Autographum accepi ea conditione, quam mihi imponere noluiſti. Rerum ante actarum memoria labitur facillime. Aula noſtra fert ſemper aliquid novi. Optimæ Reginæ coaleſcet auctoritas, & bonorum prævalebunt ſuffragia. Tranſitus rerum mutationibus patent. Sola morum conſtantia hiſce temporibus utilis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 15. Septembris 1643.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INſtaurationem Viri amiciſſimi, ob quam lætaris, ex Abbate noſtro lubentiſſime didici. Schedion ſecundum accepi, quintum mitto; etſi ſanguinis ebullitione, & triduana febre tentatus nunc quidem bene me habeo. Aula noſtra in quadro poſita, firmiter erit ſtabilita bonitas Reginæ noſtræ; amniſtiam decreverat, prudentia verò animorum diſcretionem fecit, quæ bonis erit grata, malis quidem terrori. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 22. Septembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SExtum Schedion jam mitto induciæ factæ rus, quouſque ex Monæco reverſus fuero. Semper aliquid novi fert Provinciæ, quod ex aliis melius dignoſcere poteris. Semper mei ſimilis ero, & quidquid evenerit ſemper immotus, privatas quidem injurias utilitati publicæ poſſum condonare, ſed læſæ Majeſtatis nunquam. Paucorum culpa fuit, unius pœna, nempe Aſſeſſoris, qui cum ſeditioſe in Æde communi hujus civitatis oraſſet, a me continuo ex officio fuit deturbatus. Tu probe noſti ingenia illorum juvenum Senatorum, quibuſcum res mihi eſt, & erit, niſi reſipiſcant. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 29. Septembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IN itinere ultimum accepi epiſtolium, & Schedion. Monæci originem pertractas more tuo breviter, & dilucide. Virgilii carmina perlegi ſoceri, & generi pluſquam civilia bella decantantia. Propugnaculum quidem vidi a natura potius quam ab arte peractum; inexpugnabile tamen, niſi a ſeipſo. Principem loci collui, qui frequentibus ignibus ardorem, & Galliæ ſignificavit amorem. Relationem abſolutam, & integram ab alio expectes, & a Præceptore majoris natu filiorum noſtri Campinii veram hiſtoriam luminis frequenter conjugi, & mihi in lectu decumbentibus ſimul apparentis ſententiam, & opinionem tuam deſidero. Vale Muſarum decus, & ornamentum. AquisSextiis 2. Novembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MAſſiliæ, & Aquis-Sextiis proſpere peregi, Deo favente, Conſularia comitia. Seditioſorum prava conſilia funditus corruere. Regiæ auctoritatis, utilitatis publicæ legitima jura defendens nihil pertimeſco. Schedion breve mitto, tuis juſtiſſimis precibus obtemperans. Maſſiliam rurſus cogito, Aquas-Sextias brevi reviſurus, & ſic incedens mixtus aſſiduis, & indefeſſis laboribus munus meum adimpleo. Illud Divi Auguſtini præclarum dictum demirari non deſinens, honores, quibus in hoc Mundo fruimur, dormientium eſſe ſomnia. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 8. Novembris 1643.

Petro

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VOta tua exaudita fuere: Omnia proſpere ceſſere Maſſiliæ, & Aquis-Sextiis. Nihil meæ debetur prudentiæ, ſed totum Divinæ providentiæ, quæ conſilia mea voluit fortunare, quia ad bonum publicum tendere non deſiſtunt, nec deſinent unquam. Ingratos multos in hac Provincia deprehendo; ſed rectam illam viam non deſeram, quam ab initio amplexus fui. Mallem probos fecisſe, quam invenisſe; & è contrario reos reperire, quam facere. Non quæro benevolentiam omnium ſi promereor: Veritas viſu, & mora, ſcelera impetu valeſcere ſolent. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 17. Novembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DUm Maſſiliæ commoror, Neuræum audire de apparente lucola non potero; ſed quæ de dæmonio Socratis diſſerere promittis, & de genio Bruti, ediſcere admodum cupio. Tolonem cogito ad conventus agendos, qui breves erunt, & felices, ut ſpero, & ex providentia expecto divina, quæ mihi huc uſque non defuit. Omnia ſint tibi proſpera, & diu vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 23. Novembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

COmmentariolus è memoria non excidit, quandoquidem eſt tibi gratus. Quieſcit nunc animus a negotiis, quæ cum ferme ſint violenta, ſunt etiam breviora: Conventus noſtri agitabant animum, ſed de exitu bene conjicio, modo adſint preces continuæ tuæ, quæ magni ſunt momenti. Apparet ſemper, ac ferme ſingulis noctibus eadem lux, quæ nunquam me terruit. Hac de re nihil opinor, tempori, & providentiæ Divinæ omnia committens, apparitionis varias huc uſque aſſignavi cauſas; omnes tamen naturales, ſed nunc firmiter pronunciare poſſum, digitus Dei hic eſt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ Calendis Decembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SEptimum Schedion accepi, octavum remittam ſi poſſim. Deſiderarem admodum omnes eandem de me concepiſſe opinionem, quam tu profiteris; non licet de meo erga Provinciam affectu dubitare; injuriæ privatæ, utilitati publicæ obeſſe non poſſunt. Idem ſemper ero, quandoquidem ſic expedire mihi ſignificas. Egregium ſtabilire temperamentum mihi videris inter indulgentiam, & dignitatem, cujus recordari totis conabor viribus: De aliquorum ingratitudine jure queror, ſed malo ingratos invenire, quam perdere. Conſcientia facti ſufficit; ſat eſt nobis, ſi proborum ſuffragia obtineamus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 7. Decembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ACcepi quod a te expectabam de genio Socratis. Pauca reſcribo obrutus negotiis: Non erunt unquam moleſta, modo utilitati publicæ conducant. Epiſtolarum ordinem parumper interrupi, ſeriem nunc repetiturus. Tacitis ſeneſcimus annis, anni finem attigimus, utinam ſic ſequentis metam aſſequi poſſimus; ut æternitati potius, quam tempori inſervire in mente firmiter habeamus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 22. Decembris 1643.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

BRevitatem ultimi epiſtolii non accuſo; Natalitia Domini erant celebranda. Nunc opus noſtrum reſumere licet, quandoquidem antiqui ipſi dierum differentias agnoſcebant, & in faſtos, & negotioſos dividere ſolebant. Schedion accepi emendabile quidem, & parum correctum; nullum remittam nunc Conventibus noſtris applicitus, & implicitus. Neuræum noſtrum libenter audio, & lubentius ferrem fultus tua præſentia mihi neceſſaria, his præſertim difficillimis temporibus, ubi deeſt Amicus, qui verum dicat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 5 Januarii 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

UT bene annum inchoaſti, ſic fauſte finias opto. Brevitatem epiſtolii facile excuſabis, ſi me ad Conventus hujus Provinciæ agendos proficiſcentem conſideres. Utinam felicem ſortiantur exitum! hoc ſane efficiam, ſi poſſim, ne quis affectum erga ſingulos ordines deſideret meum, qui idem ſemper erit. Vallettam pergimus ſatis celebrem, quandoquidem Illuſtris noſter Prior eam moderari ſolitus, cujus honor, nomen, laudeſque manebunt ſemper. Cetera peritura, fama verò æterna. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Bervillæus noſter,

Digitized by Google

& fidos Achates plurimam tibi optat ſalutem. Sextiis-Aquis 12. Januarii 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EPiſtoliom tuum, coi reſpondere non potoi iter faciens, Vallettam appulſom convenit me Diniæ. Solatiom nomioi debetur tuo, cui nihil denegari poteſt, Lautaretium ampleĉtor, & pluris facio. Inſantia murbum ejos experientiæ committam lubentiſſime. Negotia perage, & Hugonem ita demolceas, ot Campioius noſter ſit ſatisfaĉtus, tui ardentiſſimo teneor deſiderio, ſed non in tui negotiorum tuorum perniciem. Amicorum omnia commonia, reſque tuæ meæ ſont, ut meæ tuæ. Conventus primordia probe ceſſere. Vale Muſarum decus, & ornamentom. Vallettæ Janoarii menſis die ultima 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MUltom qoidem me permovit, qood de parente inaudii, & non dobito, quin meus te pongat juſtiſſimos dolor. Rerum domeſticarum jaĉturam non pertimeſco, ſed familiæ noſtræ decos vehementiſſime concutitor. Reges noſtros proavos ante oculos pono, & fotori ævi memoriam ſemper præſentem intueor; patrem quidem revereor, & indeſinenter colam; ſcis equidem qoam ſint mihi pretioſa conſcientiæ, & honoris vincula omnibus mihi jure potiora. Parce triſtitiæ, quæ molta ſilentia premit, & negotiorum ponderi, quæ me mihimetipſi huc oſque ſubripuere. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Seatiis Martii Calendis 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ARelatenſiom rixis ſedatis, Maſſiliam appulimus, & ubique proſperus fuit rerum eventus. Campinii Achatis fidi ſubſidio foltis omnia probe cedunt; non deſunt negotia, nec animos, qoi malis non occombat quamvis continois. Non eſſet rationi conſentaneum ibi quieſcere, ubi non eſt requies, & in lubrico terrarum Orbis pedem fixom habere. Tempus eſt menſura motus, & omnia ei ſubjeĉta; æternitatem ſulam reſpicere licet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 8. Martii 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FRuſtra ſit aĉtio gratiarum, com nullum ſit acceptum beneficium; non mirum cum de te cenſeam, quod omnes, ſi idem uptem, quod ſinguli. Vitam peregrinantem experior; poſtridie diſcedo Arelatem petiturus, civitatis proxima me vocant comitia. Utinam ſint proſpera, bene opinor, Deo juvante! Domeſtico dolore taĉtos epiſtolarum tuarum leĉtione miteſco. Omnes animi ægritudines amicorum æris leviores fiunt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Seatiis 15. Martii 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MAſſilia ſedata iterum Arelatem repetii Campinio comite, memor epiſtolarum tuarom, quæ obfirmant animos timidiores. Livores freqoentes ſont in Aola, ſed inſidiæ vitantur, ſi oon intelliguntur. Palmam ſemper conſeqoitor patientia moderationi junĉta. Deo Optimo Maximo vindiĉtam linquere licet, quam ſibi joſte ſervavit. Vale Muſarum decus, & amicorum culmen. Arelatis 28. Martii 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HUjos urbis comitia probe ceſſere. Commoror hic tamen, ut præſentia mea ſtabilita firmetur concordia, & negotia ſingularia, quæ me ſolom ſpeĉtant, ſint finita. Poſtea Aquas-Sextias repetam, mox Tolonem, Antipolim, & univerſam illam maritimam plagam more meo luſtraturos. Et cum nihil ſit novum ſub Sole, rem aĉtam ſemper agimos, & tacitis ſeneſcimus annis. Viĉtorianum Abbatem conſule, & reſcribat qoid ſit agendum in tua promotione, qoæ mihi eſt cordi, qoandoquidem tu cor meum es vere. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 5. Aprilis 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VIX diſceſſit hyems, venti vehementiores huc uſque aërem agitavere. Campinius noſter Aquas-Sextias repetiit. Bervilæus Lotetiam cogitat, & ſic ſolos remaneo. Solitudinem appello jure amicorum abſentiam, qui quidem non abſunt, modo non excidant memoria; videtur eſſe mors abſentia, quæ cum ſit frequens

quêns, imaginem exitus ob oculus ponit. Vale Muſarum decus, & urnamentum. Arelatis 12. Aprilis 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ETſi habeat ſuam quoque fortuna rationem, licet Chriſtianis proſperos rerum eventus Dei Optimi Maximi providentiæ ſoli concedere, quæ quidem improbis hujus Mundi felicitates largitur ob aliquas virtutes notatu dignas; timeo ne idem mihi eveniat. Nulu tamen momentum æternitati anteponere; æternum eſt, quod delectat, momentaneum, quod cruciat; omne finitum fluxum, & caducum eſt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 19. Aprilis 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

AMicorum laudes non ſunt explodendæ, ac potiſſimum, quorum probitas, & eruditio ita ſplendent, ut ignorationis, & aſſentationis ſuſpicio procul abſit. Expecto nunc Campinium noſtrum non mutabilem amicum. Neuræum tuum lubenter audio, nobis gratum. Maii Calendis tranſactis Aquas-Sextias reperam, mox Tulonem inviſurus. Recordetur noſtri Petrus amiciſſimus, & Bervillæum noſtrum alloquens abſentis rationem habeat, rogo eum enixiſſime. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 26. Aprilis 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REtum vices ubique experimur, & tandem ad tempus accedimus, quo ſoleut exercitus hiberna linquere, hoſtilia parare, Martemque accendere cantu, quod proſperum, fortunatumque ſit noſtræ Galliæ. Italiæ pax nunc demum ſtabilita, Europæ Chriſtianæ quietem evocare videtur. Pervenit ad aures quidam rumur hoſtium Provinciam concupiſcentium poeiuſquam ſperantium, qui huc uſque vanus fuit. Faxit Deus ſit ſemper idem, nihil deſperandum, Chriſto duce, & auſpice Chriſto. Vale Muſarum decus, & ornamenrum. Arelatis Calendis Maii 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EPiſtolarum curſum interrumpere coactus ſum, dum eſſem in itinere, quod mihi eſt faciendum per aliquot dies. Opportune tamen diſquiſitiunis adverſus Carteſium exemplum hic accepi ſumma perfuſus lætitia, nominis tui gloriam inter Batavos celebrem videns. Nil mirum, ſi tua ſumma doctrina, & ſuaves iſti mores, qui omnes ſibi devinciunt, univerſum penetrent orbem. Legam, & pellegam, & nunquam demonſtrare deſinam quam ſit mihi eharus Petrus ille, quem ſatis laudare non poſſum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 17. Maii 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ULtimo epiſtolio nunc reſpondere potui ſacroſanctæ Trinitatis feſtum hic culens. Cras Antipolim petam obviam ire hoſtium conatibus magnopere cupiens, quos quidem avertere potius licet, quam pertimeſcere. Etſi Duces eximii ſemper exiſtimavere non eſſe Militiæ contrarium, & aliquando timere, & opportune, ac importune, & cum aderit hoſtis metum demonſtrare inviti ſimus coacti, depugnare decet hoſtem, non deſpicere. Deus Optimus Maximus ſic exercitus protegat noſtros, ut tandem ad felicem pacis finem pervenire poſſimus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Tolone 23. Maii 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ANtipolim opportune luſtravi. Vix iter peregi, cum ex Cathalaunia lugubres, & cruentas accepi litteras; hoſtium conatus cohibuit Lerida; vicere quidem, ſed victoria frui non potuere. Cohortes noſtræ Provinciales ſic ſe geſſere, ut viros decebat, in quorum manibus hujus Provinciæ decus, & ſalus erant affixa. Miſi unum ex Ducibus noſtris, qui mihi de vulneratis, occiſis, & captis verum referre poſſit. Tolonem quinque millibus propugnare cogito, Antipolim duobus quoque millibus armatis, & ſic laborans requiem invenio, dum Provinciæ, & officiu coſulo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 14. Junii 1644.

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn poteram uberius, quam ex te reſcire quid uovi ſit iu Aula noſtra, in exercitibus, iu Oriente, in Occideute; quidquid denique inveſtigare liber, capit mens tua. Claſſem è portu Neapolitano mox diſceſſuram reſpicimus. Leridæ obſidio ſic in Catalaunia ſe habet, ut felicem exitum liceat ſperare. Primus noſter Præſes ad uos tandem acceſſit, ſat citò, ſi bene, negotiis parem, ac vigentem animo jure ſuſpicor. Faxit Deus Optimus Maximus omnia illi proſpere, & pro voto ſuccedant. Funiculus triplex difficilius rumpitur; ille quidem Campinius noſter, & egu ita juncti manrbimus, ut decet Viros, Monarchiæ, officio, & probitati ſtudentes omnino. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 20. Junii 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VIdetur uobis arridere fortuna, cum prius Hiſpanos attullere concupiverit, ut lapſu graviore ruant. Fuga hoſtium ex arce Sanphilippea vel eſt ſubdola, vel aliquos Gravelingæ defectus denotat tempori committendos; ad Ilerdæ muros jacturam hoſtes feciſſe nobis relatum eſt; undique advolant ad campos Catalauniæ copiæ, quæ bene de Ilerdæ obſidione nos ſperare cogunt. Turennius trans Rhenum Bavaros vino ſepultos concitavit, cum Dux Bullioneus limina viſitat Apuſtolurum comite Cardinale Grimaldu. Expectamus cunſtauter triremium Neapolitanarum diſceſſum, qui ſemper uummorum penuria protogatur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 28. Junii 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DUm in obſidione Gravelingæ decertatur regiis armis, hic pennis depugnamus. Uuius horæ opuſculum ad te mitto typis mandandum ſuppreſſo auctoris uomine. Schedion manuſcriptum remittas rogo, & libenter non ſicut cum Principe, ſed ut cum amico, cui veritas in pretio eſt, me alloqui confidenter audeas; potes etiam Malberbum imitari, qui cum a Magno Franciæ Priore Engoliſmenſe de Carminibus ab ipſo compoſitis ſententiam dicere rogaretur, ingenue profeſſus eſt ſupprimi debere tanti Principis verſus, quandoquidem perfectio Principes deceat. Secretum ſerva, & quod fidei tanti Viri credu, inter nos lateat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 5. Julii 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE Gravelingæ obſidione licet bene ſperare, & ſi res ſit iu integro, & Piccolomineus Dux ita comparatus, ut iſtius Handiræ propugnaculi capti incommodum probe ſciat. Auxiliari totis conabitur viribus, & cum ſuam habeat quoque fortuna rationem, eventum timeo. Ilerda vi non oppugnatur. Morbeus ad ſolvendam obſidionem ſe nunc accingit, & ita undique oſtentantur arma, ut denique ad illam tutam, & æternam perveniamus pacem, quæ quidem victis utilitati, victoribus honori eſt, & ornamento. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 12. Julii 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LAudans, & mœrens tibi reſcribo epiſtolium, demirans, caſum meum deflens: Mortales genueram filios, quos Deo Optimo Maximo lubentiſſime condonavi. Stirpis Regiæ ſurculos ſuvi, aliquando ramos futuros jure ſperans. Impono nunc tumulis ſupremus Valeſiorum nomen; & quandoquidem temporis ſeriem in nepotibus reſpicere non licet, æternitati ſolæ ſtudebo deinceps. Exercitatiunculam recepi ſententiæ tuæ conjunctam, quæ mihi fuit cariſſima. Sed cum potius impetu, quam methodo agam, ingenium materiæ ſubiicere eſt difficillimum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 2. Auguſti 1644.

Typis mandare, aut ſupprimere Schedion judicio relinquo tuo, modo nomen reticeatur.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NE quid nimis in ultimo epiſtolio Luillerii noſtri ſuaviſſimas accepi litteras, quibus nunc reſpondeo. Abbatem noſtrum verum Nathanaëlem colo. Favit meo dolori, dum ſuum conatur ſopprimere; fortius quidem tu, qui & demonſtrando tuum, meum minuere tentas, & res novas in medium proferens, diverſionem facis alicujus momenti, quandoquidem ingenii ſolertia ſuſpendis animi ægritudinem, quam omnino delere non poſſis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 16. Auguſti 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius

Εὐλογεῖν.

ALiquot lucubratiuneulæ exemplaria a te miſſa diſtribui. Jeſuitarum Rector ipſe ſatis probavit, ita ut cetera prudentiæ tuæ committam, modo nomen reticeatur. Valletæ noſter Prior ſuffragio favit, & vulganda cenſet lubentius, quod ad animos conciliandos tendit Sallédion, & brevitas ad legendum incitat. Gravelingæ ſucceſſum precibus, igne, lætitia celebrare conabimur, prout nobis fuit injunctum. Fama volans ventorum pennis Ducis Enguinæi victoriam non incruentam hucuſque detulit. Faxit Deus vera ſit, & Liliorum florem pretioſiſſimum ſervet incolumem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 24. Auguſti 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius

Εὐλογεῖν.

ULtimum, quod accepi epiſtolium de ſtatu rerum, & totius Europæ pace optime auguratur. Ducis Enguinæi trophæa Chriſtianitatis quietudinem augurari videntur: Avida eſt periculi virtus, ſed tam pretioſum caput toties fortunæ committere ferre non poſſum. Faxit Deus Regiæ domus columen alterum ſervet incolume. Magnæ Britannicæ Regis malam ſortem doleo. Ætas noſtra videt, in purpuram quid audeat fortuna. Feriunt celſos fulmina montes. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 19. Auguſti 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius

Εὐλογεῖν.

ENguinæi noſtri proſperi ſucceſſus ſignificationes lætitiæ hic renovavere. Optimum ſequitur conſilium, hoſtes inſequendi, Friburgo pone relicto, ne idem experiretur incommodum, quod Rex Hiſpaniæ poſt felicem Ilerdæ pugnam. Errores in bello irreparabiles. Mercium profligaſſet, ſi victoria potuiſſet uti, Magni Julii exemplo, qui Magno Pompejo fugato, ſpatium tota fugiendi non permiſit. Incolumitatem noſtri laureati Principis anxiſſime opto. Ineluctabilis fatorum vis, quos extollit ſæpius opprimit, omnia ſibi ſubigere tentans. Faxit Deus æterna ſit vita, cujus famam Aſtris terminare decrevit, hoc virtutis opus, cui jure ſubeſt fortuna. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 6. Septembris 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius

Εὐλογεῖν.

ET de Aula, & de ceteris recte ſcribis. Non eſt, quod excuſationem in poſterum quæras. Campinius noſter, & ego in itinere fere ſumus ſingulis momentis, Aquas-Sextias, ſive Maſſiliam reſpicientes in capite rerum, unde in omnia regimen, utilitatem publicam, non noſtram quidem metientes. Laborem certe ingratum ſuſcipimus, & eum omnes amplectimur, ſinguli recedunt, cuique ſua utilitas, quæ ſæpe in publica non reperitur, conſcientiæ, & honori ſervire ſtudemus, &, quidquid eveniat, ſatius eſt ingratos experiri, quam nulli benefacere. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 13. Septembris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius

Εὐλογεῖν.

ENguinæi noſtri proſperos ſucceſſus tremens, & laudans excipio. Philippi-Burgi expugnationem brevi ſpero, Deo favente. Mihi videtur epiſtolium tuum totius Europæ imaginem oculis ſubiicere, dum Cæſaris res afflictas enarrat. Magnæ Britanniæ Regis caſum defleo; etſi Monarchia illa nobis fuit ſemper adverſa, & ut a Philippo Comminæo recte dicitur, unicuique contrarium, ſive oppoſitum Deus conceſſit jure, ne res humanæ eventibus [illegible] ſecundis, nimium inſoleſcerent; res proſperæ (ut ait Tacitus) acrius [illegible], felicitate enim corrumpimur. Vale, Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 20. Septembris 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius

Εὐλογεῖν.

PHilippi-Burgi expugnationem accipio eo animo, quo præclara Enguinæi noſtri facinora. Sortem Comitis Turnonii conſobrini amantiſſimi vehementius deflerem, ſi in honoris lecto non occubuiſſet. Quid pulchrius inveni, quam in procinctu fato fungi: Satis vixit, qui proſperam ſui linquit memoriam, & quidquid Montanus ille tam celebris de gloria dicat, expedit magnos Viros ejus deſiderio tangi. Magnæ animæ omnia honore, ac honeſto jure metiuntur; demiſſæ verò utilitate. Certum eſt caducam eſſe memoriam, ut cetera mortalia; ſed cum omnia pereant, his inniti, ac incumbere decet, quæ ſunt diuturniora, minuſque fluxa. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 27. Septembris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ÆQuilibrium illud, quod Italorum vota magnopere expetunt, difficillime reperitur. Hoſtium immenſa cupido nullos ſibi imponit fines. Proſperi noſtrorum ſucceſſus eliminare pacem videntur, quandoquidem Hiſpani laureatam illam ſperant fruſtra. Enguinæi Ducis progreſſus frænum, ac metam dabit Bavarorum exercitui. Turcarum fides punica una manu Imperatori munera proferet, & altera gladium. Tranſilvanus præbuit aures conditionibus pacis, ut potius Torſtenſoni reditum præſtolaretur, quam potenti hoſti conſideret. Galatius alter Fabius cunctando non reſtituet rem; etſi his opus eſt parma, & mora, qui minus enſe valent, ac potiſſimum Enguinæi victricia arma prope habentibus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 4. Octobris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MInime ſolus, dum ruri verſaris comite præſertim Moleo Præſide, cujus præclara fama & probitatis, & eruditionis, quæ non minus armis, quam togæ conveniunt, Enguinæo noſtro teſte, cujus ingenium ad extemporalitatem uſque primoribus Moguntiæ innotuit, illorum meditatis orationibus latine occurrit. Et ita marte, & arte probe utitur invictiſſimus Princeps, cujus annos Neſtoreos opto, famamque Aſtris terminatam. Hic in umbra degimus, quieti, non otio indulgentes, non quidem ſine moleſtia, ac labore Provinciæ hujus tractantes negotia, non ex rumore ſtatuentes, ſed privatas utilitates publicis proponentes. Faxit Deus ingratis non ſerviamus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 9. Octobris 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LUcubrationum nugas Neuræo patefeci, Viro eruditionis eximiæ, delectuque tuo digniſſimo. Deſidiam, otiumque fugio, & cum manus quieſcunt, ingenium exercere, animumque excolere nitor. Enguinæi noſtri reditum ultimæ ſignificant epiſtolæ. Maſſiliam nunc cogitamus ad urbis conventus agendos, ubi etſi de purpura Romana non agatur, expetetur tamen ab illis, qui primatum in urbe ambiunt, quæ olim Romæ Orbis capiti, fœdere juncta fuit, ac ſine quo nunquam illa triumphavit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 18. Octobris 1644.

Appulit heſterna die Merſennus noſter incolumis.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MAſſiliæ negotiis implicitus pauca nunc ſcribam, amicos defleo. Sed cum vitæ ſit practica Philoſophia, humanis caſibus ſic uti oportet; & ita mentem fato inevitabili, ac ſemel venturo aſſueſcere, ut impetum tanti hoſtis viriliter ſuſtinere poſſimus. Experientia rerum equidem magiſtra eſt, ſed in omnium terribilium terribiliſſimo exempla ſola nos docere non ambigitur. Francandaliæ obſidionem ſperaveram quaſi Germaniæ ſpolia ultima Enguinæi noſtri manibus reportanda. Virtuti, & felicibus hujus Principis armis invidet hyems, & univerſa pro reditu Gallorum vota, quem ſervet incolumem Deus Optimus Maximus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 25. Octobris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ENguinæi Principis felicem reditum ſumma perfuſus lætitia nunc audio. Galaſſi fugam opto potiusquam ſpero Fabii illius cunctatoris pugnam præcipitatam, iter favente exercitu non concipio. Imperatoris res profligatæ ſunt omnino, ſi rumor verus exiſtat. Pontificis Maximi vota pacem exquirunt. Cardinales Legatos in Germaniam, Galliam, ac Hiſpaniam mittit: Utinam cum fortunato ſucceſſu. Maſſiliæ comitia proſpere ceſſere. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 2. Novembris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DIſceſſit jam Merſennus noſter Romam petens, & expetens. Res Germaniæ nutant, ut mihi videtur, Enguinæi noſtri diſceſſu: Tanti Principis incolumitatem omnibus aliis anteponere licet. Imperium complectitur ingenium illud magnum natalibus par. De reditu ſemper loquitur indefeſſus miles: Utinam diu. Nihil referam de hac urbe; aliunde reſcire poteris turbidos aliquid tentaſſe, fruſtra nobiles probi, & populus ipſe a noſtris ſtetis partibus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Maſſiliæ 8. Novembris 1644.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Vudovicus Valeſius
Εὐλογεῖν,

MAſſiliæ diſceſſum inſignivit turbidorum conatus audax, & infelix moderationis meæ precium; nunc reporto ſatis grande, quandoquidem perdere poteram eos, qui univerſam plebem commovere ſtudebant me præſente. Malo me dementiæ pœniteat, quam iracundiæ pudeat, Deo vindictam linquens, qui funiculo juſtitiam exercet, & cujus miſericordiarum nullus eſt numerus. Hujus urbis Muſæum nunc inviſo meum, proxima hebdomada venationes meditans, quò quieſcat animus a tot laborioſis negotiis, & ingratis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 15. Novembris 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REginæ Angliæ ad Reginam urbium acceſſus non fuit mihi inopinatus. Aula noſtra obviam ivit atrata, ut opinor, ob Hiſpaniæ Reginæ obitum. Hoſtes ipſi fatentur Heroinam illam maximis ducatam virtutibus; muliebria quidem vitia exuerat, & noviſsimis iſtis diebus Regem Virum adjuverat virilibus conſiliis, & curis. Mulierem fortem invenerat Princeps ingenii mediocris, voluptatibus immerſus, & boni conſilii indigens. Hiſce diebus venationi operam dedi ſatis; & tempeſtate temperata, & ruſticis oblectamentis delectatus urbem noſtram repetii proſpera valetudine gaudens. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 22. Novembris 1644.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PRælium Navale commiſſum inter Danos, & Svecos, ultimis proſperum fuiſſe lætor admodum, Monarchiæ noſtræ utilitatem ſolam reſpiciens. Magnæ Britanniæ Regis caſum defleo, quem nec victum, nec victorem eſſe fortuna permiſit. Multis jactatum periculis ad portum feret aliquando, ut habeat inſtrumenta ſervitutis, & regnet, more populi Romani, qui Deæ illi inconſtanti poſuiſſet aliquando frænum, ſi omnia in lubrico non eſſent: Magni quoque terga vidit vaga illa Dea, & Magni Cæſaris corpus vulneribus confectum Pompei ſtatuæ ſubjecit. Rerum dole vices mearum, Vir eruditiſſime, & æternitatem illam fixam, ac permanentem in ſplendoribus Sanctorum attenta mentis acie conſidera. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 28. Novembris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MUltos è Senatu noſtro me in gratiam recepiſſe certiſſimum eſt. Spero fore in poſterum adminiſtrationem quietiorem. Quod ad me attinet, erga alios me geram, ſicut alios erga me exoptarem ſeſe gerere; laborum fructum referam, modo animos omnium Ordinum hujus Provinciæ conciliare poſſim. Gloriam, non utilitatem metere ſtudeo, conſcientiæ, & honori inſerviens. Quid de Magnæ Britanniæ rebus deploratis cenſeam, nuper reſcripſi. Fortunæ alumnos, non Regis filios, aut Reges ipſos reſpicit Dea illa calva, quæ alata, & rotæ inſidens depingitur, ut ejus volubilitas, & inconſtantia clarius innoteſcat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 6. Decembris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SI mihi liceret, quererer de Campinio noſtro, qui veniam, & copiam ex hac Provincia diſcedendi, me inconſulto, clam obtinuit. Amicorum errores diſſimulare liquet, non virtutes, Veſpaſiani more, qui antiquis Ducibus, & eximiis Imperatoribus par erat. Sveeorum res in progreſſu eſſe lubenter audio. Magnæ Britanniæ Regis conditio, ſive bello immixtus ſit, ſive paci intentus, admodum dubia, & nutans videtur eſſe; in adverſis reſurgit, proſperis non bene utitur, & Parlamenti pax oblata eſt potius ſervituris pactio, quam fœderis. Quidquid eveniat, virium periculum facere magis convenit, non tantum Regi, ſed Viro militari, quam protrahendo tempus rerum dies verbis terere. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 13. Decembris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HIſpanos ſerio de pace cogitare vix mihi perſuadeo, non fortuna quidem, ſed providentia Dei, quorum ſortes mutare vult, conſilia corrumpit. Hoſtium ſuperbiam ubique deprimere cœlum conſentit. Quid aliud experimur, quam rerum crebras mutationes? Reges ipſi corruunt, & hujus Mundi fluctibus Pharaonis more ſinguli merguntur. Et cum mari rubro Ægyptiorum hæreant nunc veſtigia, vix tamen unus eſt, qui reſipiſcat. Omnes inutiles facti ſunt, anchora ſpei dejecti naufragium patimur. Solemnibus iſtis diebus ad pietatem attendere licet, & humanæ mentis infirmitatem dolere incerta proſpicientis, ac futura, præſentium incurioſæ. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 20. Decembris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE Turtenſonii victoria dum Galatii exercitus eſſet in itinere jure ambigitur. Facile creditu eſt Fabium illum cunctatorem, vaſibus non conclamatis, clam diſceſſiſſe, & antequam Turtenſonius reſcire potuiſſet, longius proceſſiſſe. Quidquid eveniat, a noſtris partibus ſtat proſpera fama, quæ in bello, & in togatis negotiis plurimum poſſe certiſſimum eſt. Comitia noſtra convocavimus. De exitu nihil dico: Futura in incerto; præterita in noſtra non ſunt poteſtate; præſentibus tantum frui licet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 27. Decembris 1644.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

GOdefridum Vendelinum laudo, Maſſilienſibuſque ſuadere conabur quidquid probaveris. Angliæ Regis res afflictas deploro, cumque tam injuſtas pacis conditiones ratas habere poſſe non video. Neceſſitas quidem ſuprema lex eſt; ſatius eſt tamen armis occumbere, quam auctoritatis Regiæ, honoriſque jacturam facere. Dicam poſtea de illo, quod Tacitus noſter olim de Vitellio, ut ſi ceteri non meminiſſent, ipſe cito regni ſui oblivisceretur. Conſcientiæ, ac decoris ſtatera omnia eſſe ponderanda jure arbitror. Omnia fauſta precor, anno inchoante, Viro amiciſſimo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 3. Januarii 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NIhil novi ſub Sole; quid fuit niſi quod eſt? & quid erit niſi quod fuit? Rerum vices demirur, truditur dies die, & annus anno, ver præterit, æſtas interitura ſimul, & tamen nunquam quieſcit hominis mens, nec eadem faſtidire diſcit, vitæ oblectamentis innixa. Ad nova ſemper aſpirat animus, ſed tamen præſenti æternitatem poſtponit. Utinam ſerio cogitarat quam fluxa ſunt omnia: contemptui haberet, quod tanto opere deſiderat. Hic velut è ſpecula univerſum Orbem perluſtro, hinc victores proſtratos, inde victos Laureatos, nunc Reges populis frana ponentes, mox ſubditos Regum detrectantes imperia conſpicio. Nihil tam ſublime, quod non evertatur, nihil tam demiſſum, quod non tollatur in altum: Ludibrium fortunæ ſumus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Oliolii 9. Januarii 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

CAput rerum noſtrarum Aquenſem civitatem nunc reviſo. Comitiis noſtris peractis, plauſus negotiationem noſtram ſequuti ſunt, quales deſiderare potuimus, & quamquam in mimo vitæ vultus perſonatos inſpicere liceat, Deo Optimo Maximo ſcrutationes cordium linquere ſolemus. Hic vix lumen experimur, dum Pariſiis omnia concreta gelu narrantur. Varietatem illam univerſi terrarum Orbis meditor, quæ animorum inconſtantiam probe denotat; viciſſitudines perpetuas hujuſce Mundi contemno æternitati infixus, ubi civitatem in quadro poſitam, ac permanentem intueri conceſſum eſt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis ultima Januarii 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

COmitiis noſtris peractis, ubi multum deſudavimus, nunc reſpirare licet, & Tolonum inſpiciens procelloſum Mare intueri non abſimile, ut mihi videtur undanti, & fluctuanti turbæ, quæ diſceſſit a nobis; integritas quidem valet, ſed ratio ſæpius obmuteſcit. Feliciter tamen egimus, & cuncta proſpere ceſſere. Iſtius Provinciæ animis infixa eſt Regis reverentia, & plus ſapiunt infimæ ſortis hic viri, quam Nobiles ipſi in Provinciis iſtis, quas etſi Aulam noſtram pertingunt, nunquam tamen inviſunt, ruribus degentes agreſtem vitam exercent, & animum ferocem gerunt. Non deſinam mirari Britannos etiam noſtris ferociores, qui dum ſuos infauſtos exitus abſcondere ſtudent, malorum remedia, non ipſa mala differunt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Tolonei 23. Januarii 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VOta illa excipio, quæ promulit eximia erga me illa ſingularis amicitia non moritura; linquemus enim poſt nos opuſculum, quod non imber edax, non Aquilo impotens diruere poſſit. Rerum inconſtantiam vides immotus, & amicorum utilitati veræ recte conſulis. Deeſt nempe, ac potiſſimum Magnatibus, qui verum dicat, & qui potius perſonam, quam fortunam illorum audeat alloqui. Conventus noſtri bene finiuntur. Utinam nobis idem eveniat demum postquam mimum vitæ peragere licebit. Auguſtum revereor, qui ita de rebus humanis excedens e vita philoſophatus eſt, quandoquidem cum veriſſimum eſt univerſum Orbem hiſtrioniam exercere. Vale Muſarum decus, & ornamentum ſingulare. Oliolii 16. Januarii 1645.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

UTilitati conſulere hiſce ferreis temporibus neceſſarium eſt; &, ut probe dicis, Proregum curæ pecuniis importandis in fiſcum nunc incumbunt. Sat eſt manus habere puras, & ita aurum iſtud Tuloſanum attrectare, ut animam incolumem ſervare poſſimus. Nihil tam lucidum, quod obſcuritatem non gignat, & aurum, quod ob oculos fulget, nigreſcit in tactu, & quamvis nec vulneret, nec tegat, ad idololatriam ducit: Sed quid opus Philoſopho tot animi dotibus ornato hac ratiocinatione? Diogenis more divitias contemnis, mentem ditare, non arcam jure quæris; non qui plus habet, ſed qui minus cupit dives eſt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 6. Februarii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

GErmaniarum res turbidas attente conſidero, Hydræ more renaſcentes. Incluſus Galaſſus auſugit, Exercitus, cujus Dux erat, eſt profligatus, & tamen in Bohemia reſurgit bellum atrox, quod cruentum prælium vix dirimet. In Magna Britannia odioſæ pacis Regi offeruntur conditiones. Sola ſtat noſtra Gallia Lauræis ſecunda, proſperaque fama, pace, Deo juvante, cito firmabitur. Muſis, & Equitationi nunc operam do, negotiis peractis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 15. Februarii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FEſtinant lente Hiſpani, cum de pace incunda agitur, & giganteis paſſibus ad Monarchiam univerſalem progredi non erubeſcunt. Illius nationis vultus pallidi inextinguibilem ſitim denotant Galliarum, & Conſœderatorum armis repreſſi, ad ſalubria conſilia tendent aliquando; ſerius tamen, ut opinor, ni Turcarum apparatus bellici nos ad unionem cogant invitos, Melitenſem obſidionem meditantur, aut potius invaſionem Siciliæ. Quidquid accidat, divinæ ſubjecti providentiæ nihil debemus pertimeſcere. Magnæ Britanniæ Regis res afflictæ, ſtatus ſubmerſionem, religioniſque jacturam prænunciant. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 25. Februarii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE Lunæ Eclipſi, quam obſervavit Neuræus, nihil eſt, quod ſcribam. Magna illa Aſtra oriuntur, & occidunt, exaltationes, & exilia frequenter patiuntur; Minora verò, quæ vix patent, a parvitate, & obſcuritate ſua proteguntur; ſic Reges ipſi intereunt, ſic Magnates, feriunt ſummos fulmina montes, & ita nos mortales quamvis immortalia induamus deſideria, præterimus velut umbra. Omnia caduca, & fluxa, præter omnium auctorem, ad quem ſolum reſpicere licet. Nihil hìc novi, niſi rumor ſatis compertus de formidabili Turcarum apparatu Melitenſem inſulam, aut potius Siciliam minitante. Sic noſtrorum Principum animos conciliet Deus, ut hoſti Eccleſiæ perpetuo poſſint obſiſtere. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 28. Februarii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HOrridum undique Martem belligerantem video, & Cæſareos pæne profligatos. Sola Anglia videtur pacem meditari, etſi Regi odioſam, neceſſitatis legi, ut mihi videtur, parenti. Hiſpanorum ſuperbiam noviſſimam devincimus, niſi Turcarum infinitæ copiæ ad saniora cogant conſilia, quos huc uſque nec ſacra, nec profana, nec jus ipſum rationi ſubiicere potuere. Scrutator cordium Deus Optimus Maximus videat, & judicet, & ita Chriſtianorum Principum pectora demulceat, ut concordiam æternam aliquando paciſci queant. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 7. Martii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MIlle belli diuturnioris trahendi artes oculis noſtris parent, pluſque ponderis habet ambitio illa hoſtium noſtrorum mentibus infixa, quam Chriſtiana Eccleſia orans, & gemens. Sua cuique utilitas, & zelus fragrans majorum nunc eſt extinctus omninò. E Sicilia ſolverunt aliquot navigia militibus onuſta Catalauniam petentia eodem momento, quo Italia tota formidabilem Turcarum apparatum jure reformidat. Quid plura? manet tantum religionis ſpecies, prævalent illicita; & politica Hiſpanorum religionis fundamenta deſtruere non erubeſcit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 14. Martii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PAcem inter Regem Magnæ Britanniæ, & rebelles ſubditos eſſe deſperatam non miror. Importuna quies cum bello bene mutatur. Nihil gravius iſti Principi accidere poteſt, quam quod ei offertur ſubdola fœderis inhoneſti ſpecie; obviam armis ire dedecori licet. Heſterna die Jubileum aperuit Aquenſis Eccleſia celeberrima proceſſione, cui interfui. Sic ſummus Pontifex, ſacro munere inchoante, communi providere ſaluti ſtudet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 21. Martii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn ab Aquilone omne malum, quandoquidem in Oriente Turca incredibili celeritate formidabiles vires colligit. Germani bello aſſueti, & Hiſpanorum jugo preſſi, pacem potius concupiſcunt, quam ſpirant. In Anglia nondum victoria, jam diſcordia. Omnes fere novo Imperatori parere detrectant. Rex ipſe incertus, & fluctuans, rebus ſecundis dies rerum verbis terens non probe utitur, adverſis premitur, fato ſuccumbit, & improſperæ fortunæ pondere feſſus tempori committit, quod rationis fræno deberet regere. Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 28. Martii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VIctoriæ Svecorum inſignis rumor ad nos pervenit gratus utinam verus. Mora valeſcit veritas, & fama, quamvis acquirat vires eundo, retinet aliquid conſtantiæ, cui inniti liceat omninò. Forſitan cordi eſt fortunæ bellum finire, ubi inchoavit. Bohemia, & Praga ipſa vident Imperatoris terga eodem loco, quo defunctus Cæſar Lauream conſequutus eſt, nondum maroidam, ac tanti momenti, quandoquidem Germaniæ libertatem ſubjecit. Angliæ Regis res deſperatæ minantur extrema, & regno, & Regi; pax tandem inde orietur, unde minus patet, & Dei Providentia dirigit ad bonum finem quidquid in noſtram verti perniciem jure timemus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 3. Aprilis 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

GAlaſſi ſortem jure demiror, qui nunc ab exilio venit ad imperium. Fortunæ ludibrium ſumus: Magnates deprimuntur, infimæ plebis viri tolluntur in altum. Cæſaris caſus, & fuga Chriſtianæ Religioni obeſſe non poteſt. Sveci victores non habent ſatis virium ad profligandum bellum diuturnum, atrox, & cruentum malis altius. Bavarus unionis Catholicorum Principum columen rem reſtituet, pacem victoria gignet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 18. Aprilis 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HIſce ſacris, feſtiſque diebus Chriſtianis exercitiis vacare licuit, ne totum vitæ curriculum noſtræ vanis aſſueſcat nimia. Nunc reſumere epiſtolarum commercium decet, pacem optare, potius quam ſperare; reſque bellicas, & aulicas velut e ſpecula perſpicere. Aurelianus, & Enguinæus ſic inchoabunt expeditiones, ut bonum, & proſperum ſucceſſum augurari poterimus. Hic præter Roſæ obſidionem, nihil novi. Arelatem cogitamus, inde maritimam plagam luſtraturi. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis, 25. Aprilis 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REcte ſubodoratus es; duas epiſtolas eodem curſore accepi. Neuræi tui genium conſidero, ejuſque docta delector conſuetudine. Arelatem nunc colo antiquiſſimam civitatem Alam noſtram cogitatam, ſed non eſt mihi per otium, Provinciæ negotiis implicitus adhæreo. Credo equidem, nec vana fides, te nunc Bervillæum noſtrum alloqui, cui permiſi aquas ſalubres tentare, quo ſanior evadat in poſterum; Campinium noſtrum comitem habeo fidum Achaten, & laborum ſocium. Roſæ obſidio nunc eſt in progreſſu; utinam felicem ſortiatur exitum! oppugnatur, & propugnatur fortiſſime. De Turcia expectantur nova, undique concurrunt Equites Melitenſes, qui inſulæ obſidionem juvenili ardore admodum cupiunt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 2. Maii 1645.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IN Orieute Roſa, in Occidente Motta obſidione einguntur. Utinam proſpere! Hinc diſceſſit Campinius noſter Aquas-Sextias repetens. Aliqoa negotia, quæ res domeſticas reſpiciunt, adhuc me detinent. Nihil novi, & ſi omnia nova, deperditur quotidie aliqnid noſtri, & dies truditur die. Quam vanæ hominom cogitationes, qnam inutilis ambitio! Sepulchri immemores totius Orbis poſſeſſionem exoptamus, & in Motta, in Ruſa tamdiu hæremus ſuſpenſi, & dnm uniuſcojuſque gladius proximom ſuum jugulat, advenit hoſtis communis, Torca Tyrannus Orbi Chriſtiano minitans, ac de ſocceſſu proſpero ſecurus, ni Deus Optimos Maximos impetum valide repellat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 9. Maii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REſurgens in Oriente bellom Occidentis fortaſſe dirimet diſcordias. Trevirenſis Electoris liberatio, & Cæſaris res profligatæ hoc mibi præſagire videntur. Neſcio quid andivi de Capellano noſtro, qoi Ducem Longavillæ non comitatur: Verom ex te ſpero. De Magna Britannia nihil eſt, qood dicam: Factio valeſcit, bellum trahitur, qoidqoid evenist, Rex premitur admodom, oec habet ſatis viriom, quæ poſſiot feſſis ſoccurrere rebus. Aquas-Sextias tandem repetii aliquot commoraturus dies. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 26. Maii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ALam inviſere haod potui recte, ut conjeciſti. Provinciæ negotiis nunc incnmbo Aquis-Sextiis in capite rerum Campinio ſemper cumite. Roſæ obſidio promovetor, Claſſis Hiſpanica nondum e portu ſolvit, Torcica minatur, ſed nihil certi de oppugnatione inſolæ Melitenſis habemus. Hæc gens voluptatibus immerſa pericula fogit. Hiſpani tantum inſerviunt vanitati, & dum minis præſumunt, amittunt certa, minis, & verbis depugnantes. Tu mentem rebus præclaris inſtroere non deſinis, amicos fovens, inimicis parcens, affectus animi ſedans. Vale Muſarum decus, & ornamentom. Aquis-Sextiis 23. Maii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

CAſtra-metationis utilitatem commendat copiarom Torennii noſtri jactura, cojus ſiniſtrum caſum deflere potius, quam culpare licet; verſat omnes urna, & fortuna ſublimiores præcipitat, erigit humiliores. Et in bello bis non peccat Dux, aut Miles, ſic nos decipit inconſtans mobiliſque Dea. Aurelianos, & Enguinæos rem reſtituent. Ex te interim illios exercitos jacturæ circomſtantias expectabo. Vale Moſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 30. Maii 1645.

Vellem reſcires, utrum ſit aliquis Lutetiæ, qui Illyricum idioma edocere poſſit.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ACceſſit tandem ad lilia Roſa, & veroo tempore, quo flores legere ſolemus, agitur nonc de Gleba, quæ ad legitimom redibit poſſeſſorem. Capellani noſtri moderationem demiror. Longavilla pedetentim Monaſterium petit. Pacis opus lapis eſt Philoſophorum, qnem omnes quærunt, & nollus invenit. Magnæ Britanniæ res afflictæ vix reſtituentor, rectore indigent, & quem habent non regit, ſed regitur. Turennius incolumis evaſit, exercitu non profligato. Svecorum laurus Delphica procellam fugabit fulgurantem Heroum noſtrorum auſpicibus, & ductu. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 6. Jonii 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE Turcarum apparatu bellico eſt, qood timeatur, etſi nihil certi ad nos adbuc pervenerit. Claſſis Hiſpanica quinquagiota navibus, & triginta triremibus adornata, Roſæ auxilium tarde meditans, nuoc e portu ſolvere ſerio cogitat. Claſſis noſtra recepit ſe opportune. Tripudiis reſonat nunc iſta civitas, Feſtum Corporis Chriſti more ſoo celebratura. Miſceri aliquando voloptatibos vulgi oportet, ne ruſticam, & intempeſtivam ſeveritatem percolere videamur. Incolomis eſt, Deo faventa, familia noſtra, incolumes amici. Vale Moſarom decus, & ornamentom. Aquis-Sextiis 13. Junii 1645.

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ALbaniæ villæ ſeceſſum meditans tui deſiderio flagrare incipio; negotiis tamen tuis oblectamentum poſtponens ad ſolitudinem pæne redactus, amici omnium horarum auxilium imploro. Eorum, qui a ſecretis inſerviebant mihi, receſſus varie jactatur; conſcientia facti ſufficit. Moderatio mea laudatur a multis diſſuendæ magis, quam diſcindendæ amicitiæ: Innocentia morum, & aviditas habendi non bene conveniunt. Amicitias magnitudine munerum retinere volui, & non conſtantia morum, ſicque magis merui, quam habui, videant quibus intereſt gratitudinis exempla demonſtrare. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 20. Junii 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HIc quieti, non otio indulgere quæro, Orientem, & Occidentem reſpiciens, hinc Turcas minantes, illinc exercitus in procinctu conſiderans. Italia tremit, Hiſpania deſidioſa jacet, ſola Gallia Svecis, fœderatiſque innixa, opportunitatem belli captat, ubique fulgens. Britanniam tempori linquo, Germania Auſtriacæ domus utilitati laudans, ac mœrens inſervire cogitur. Aurelianenſis Dux Hollandis junctus, magnis incumbet auſis. Enguinæus Bavarum e ſomno exuſcitabit, & feſſis coget ſuccurrere rebus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 27. Junii 1645.

Expecto juvenem Illyricam linguam edocentem, & theſaurario Prudhomio reſcribo, det ſufficientem pecuniam. Tu videbis quid erit opus.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REſcire potuiſti inſignem cladem exercitui Regis Hiſpaniæ a generoſo Heroë Comite Harcurio inflictam. Eſt quod ubique ab hoſtibus noſtris timeatur. De Turcis nihil certi fertur. Claſſis adornatur, ſed non e portu ſolvit. Melita militibus undique confluentibus jam ſecura redditur. Comes Harpajovius vices gerit magni Magiſtri omnibus acceptus, & charus. Hiſpanica Claſſis immota jacet periculis immixta. Luſitanus in procinctu Galliæ victoriis tutus, & protectus Hiſpaniam invadere nunc ſerio cogitabit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 4. Julii 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MAtheſeos profeſſionem recuſare non licuit, ac præſertim pactis dimittendi muneris conditionibus. Utere, ut voles; adveniet interim diſceſſus gratum tempus, quod quiete præſtolabor. Albaniæ ſeceſſu delector admodum, etſi æſtus fervens fuerit. Familiæ hic incolumi immixtus, equitationi, & libris operam do aſſiduam. Sed non diuturnam, ne mens triſtitia, & corpus morbo langueat. Campinius ſæpe adeſt individuus comes, & fidus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 11. Julii 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE querelis in Apparitorem Morum certiorem faciam Campioium noſtrum, qui non minus illuſtriſſimum Graſſenſem Antiſtitem ebarum habet. Meunerium a ſecretis Lutetiæ degentem moneo caveat a Viro, qui me inconſulto nomen immiſcet meum, ut favorem ſibi concilier. Mardicum obſeſſum ſcribis, Regis Angliæ exercitum profligatum, & Germaniam adventu Enguinæi Laureati noſtri trementem. Ultima, Deo favente, reſpondebunt primis. De Turcis fertur minitantem claſſem Venetorum Inſulas Cephaleniam, & Zacinthum invadere velle. Peſtis huc uſque Mahometanos trucidavit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 19. Julii 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MArdicum captum, Brinium obſeſſum, Chriſtianopolim fere expugnatam, Magnæ Britanniæ Regem e fuga ſe recipientem, enarrat ultimum epiſtolium. Hæc in Occidente; ſed in Oriente Turca Cretam invalidam aggreditur, viſis tanti exercitus ſpoliis. Selymus, & Solymannus obiere, qui ardua tantum reſpiciebant. Harcurius Heros impoſſibilia tentat, & perficit, optat, & obtinet, adeſt, & vincit, ardet, & audet. Incolumem ſervet Deus, quem Hiſpaniarum Cæſarem appellare decrevimus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 25. Julii 1645.

Si libros Illyrici idiomatis inveneris, certiorem me facias enixe rogo.

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

JUvenem a te miſſum ſingulis expecto diebus. Ad novitatem pergit avide animus humanus, & cum nihil ſit in Orbe noſtro, quod poſſit nobis felicitatem offerre conſtantem, de præſentibus ad futura, de dubiis ad ſecura, de incertis ad certa, de caducis ad immortalia tendit cor hominis, non fruſtra triangulare, quandoquidem niſi Trinitatis triangulo futurum ſit adimpletum. Curia noſtra major capite vehementiſſime dolet, Campinius, & ego egregie concordes. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ Cal. Aug. 1645.

Prudhomium moneo reddat tibi viginti libras Turonenſes, oblivioni ne tradas imagines Virorum illuſtrium depictas, quas Neuræus toties commendare non deſinit.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SPei repulſam propinqua ſolatur fortuna. Feminæ partum, Sereniſſimæ Dominæ, inſequetur maſculus Princeps, qui ſero Patri ſuccedet. Caſius emimus victorias non ſine diſcrimine vitæ Herois Enguinæi. Bavarorum exercitus profligati rumor ad nos pervenit incertus, Divinæ Providentiæ committamus omnia; adveniet tandem juſtum pacis tempus, & Deus Optimus Maximus non ſinet inultos nominis ſui ſuperbos hoſtes, & cum alteri gloriam ſe non ceſſurum ſuam toties aſſeveret, victimas ad ima detrudet, quos Veneti potius pertimeſcere, quam vincere norunt, otio nimis aſſueti. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 8. Auguſti 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ACceſſit juvenis incolumis, optimæ ut mihi videtur indolis. Germaniæ res in ſtatu. Angliæ Regis in peſſimo. Catalauniæ in mora eſſe, & longius trahi non eſt in dubio. Danos inter, & Svecos firmari pax nullo modo poteſt. Ars eſt Hiſpanorum ne pereat diviſio tantique momenti. Turca interim inſoleſcit, & Chriſtianos impune lædere aſſueſcit. Exurget Deus, & diſſipentur inimici ejus. Campinius noſter non bene habet, & Aquis-Sextiis immoratur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 25. Auguſti 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUod ab altero pendet ſemper eſt in incerto, & ita non eſt cur tuas reprehendam curas. Sat cito, ſi ſat bene. Res orbis Chriſtiani in Germania ſunt in æquilibrio. In Anglia Rex vix reſpirat. In Italia tuta timentur, tamque lente accingunt ſe ad Turcicum bellum improviſum, ut Venetorum jacturam certam prænunciare liceat. Multorum capitum caput eſt Reſpublica. Omnes imperant, nemo paret; deliberant, & non eſt qui ſtatuat; prævident, ſed non provident; bellum exhorreſcunt, imperatique ſuſcipiunt; omnes denique bonum publicum prædicant, & ſua cuique utilitas nummorum ſumma cupido, victori ſervatur quidquid non expenditur fortunæ. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Albaniæ 22. Auguſti 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VErum prænuntiant aliquando vulgi rumores, quod peroptamus, loquimur dormientes etiam, & ægrotantes, prælia, dolores, voluptateſque ſomniamus. Toti Galliæ gratulor ob rem præclare geſtam ab Heroë noſtro Enguinæo: Sic itur ad Aſtra. Juvenis Auberii Maurerii caſum deſſerem magis, ſi cum decore exitus non eſſet ſumma laus conjuncta. Marte, & mea valebat eximiis vis, ac generoſus, qui a memoria illuſtrium nunquam excidet. De Magna Britannia nihil eſt, quod dicam. Navis eſt amiſſo gubernaculo, huc, & illuc fluctuans. De Germania bene ſpero, modo victori Enguinæo opportune ſuccurrere valeamus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 29. Auguſti 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

CUrſum peregi feliciter. Diniæ lares tuos inviſi, reſque privatas, quæ te reſpiciunt Conſulibus commendavi. Ubique fauſtas accepi populi acclamationes, Nobilitatis concurſum, Cleri pias preces, dignum laborum fructum, vulgi amorem, publicumque plauſum. Herois Enguinæi incolumitatem ante morbum præſcivi. Utinam ad Neſtoreos annos. Danos inter, & Svecos pacem firmam, & firmatam opto. Tranſylvani ambigua conſilia magis nociva, quam ſi res cum hoſtibus compoſuiſſet incerta, ſemper lubrica, & cauti quam magnanimi perieuloſiores, fortes aperto Marte, timidi clam agunt. De Anglia nihil eſt, quod dicam: Tempori linquendæ, & fortunæ hujus Regis res deploratæ. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 26. Septembris 1645.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUibus conditionibus pax Danos inter, & Svecos fuerit firmata refert ultimum epiſtolium. Opportuna illa quidem, cum Tranſylvanus tandem toties repudiatam pacem Cæſareis conceſſerit. Melius eſt eos quieſcere, qui in otio bellum, & in bello otium cogitant. De Turçis varia; fertur inſulam Caneam adhuc reſiſtere, Genuenſes verò captam fuiſſe optant, & promulgant: Utinam falſo. De Germanis. & Britannis nihil referunt, quod poſſit feſſis ſuccurrere rebus. Comitia noſtra pacata fuere. Comes Borlonius eſt primus Procurator Provinciæ, Bligerius Aſſeſſor, Roſſetus, & Legetus poſtremi conſules. Maſſiliæ Lex de ambitu eſſet neceſſaria, ſingulis momentis purpura illa ut Romana reſpicitur, mox adveniet juſtum pugnæ tempus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 3. Octobris 1645.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ORatores Cæſaris paci obnoxiores lubenter audio. Communis hoſtis infeſtatio eorum animos franget, quos rationi ſubiicere nationis non fert ſuperbia, & avida illa dominandi cupido; ſed quacumque via ad quietem pergere publicam poſſimus, nihil refert, modò junctis viribus depugnare, & debellare Turcas nobis a Deo Optimo Maximo concedatur. Canea obſeſſa pactis conditionibus victori ceſſit. Principum Italiæ Claſſis lente procedit, & dum unuſquiſque ſibi timet, & cavere ſtudet, ſinguli pugnant, & univerſi vincuntur. Enguinæi noſtri vires paulatim reficiuntur Utinam tranſigat hic ævom. Vale Muſarum decus, & ornamentum, Aquis-Sextiis 10. Octobris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FLuxio, qua laboravi, cum febris expers fuerit, levis, nec incommoda Medico meo Martino parui. Nunc, Deo favente, melius habeo. Tuo Hugoni jure ſuccenſeo, Neutroque commiſi quam ad te referret ſententiam. Proſpera Enguinæi noſtri valetudo mihi nunc ſola cordi. Germaniæ, Magnæque Britanniæ res ut remotas conſidero. De Turcia nihil certi audio. Atrocis prælii incertus ad nos pervenerat rumor, ſed proſperi, qui non confirmatur, veritas viſu, & mora. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 17. Octobris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ANntiquitus morbi diæta, & ſobrietate e corporibus pellebantur. Nunc emiſſione ſanguinis, & potionibus utuntur Medici, quorum conſiliis incolumitatem noſtram committimus. Sic eſt uſus, vel potius abuſus. Tiberii Cæſaris in hoc judicium probo, quod virum triginta annos ſupergreſſum valetudinem regere ſuam debere inconſultis Medicis exiſtimabat. Conſuetudini deditus, & rerum ordini, corpus Medico, animam Confeſſori permitto. Heroëm Enguinæum incolumem rediiſſe lubentiſſime audio. Orbis Chriſtiani res turbatas admodum doleo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 23. Octobris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

CUm ultimo epiſtolio exemplum tuum epiſtolarum lubens accepi, magni quidem momenti, tuoque nomine dignum. Legam, & pellegam lucubrationum tuarum opus ſapientibus gratum, omniumque plauſus excitans. Archiepiſcopi reditus in Metropolim rapuit Campinium noſtrum, qui mox diſceſſit. Provincia noſtra tota eſt in apparatu. Tantum expecto Virum, cui adhærere deſidero multis de nominibus; virum nobilem domeſticum carroca vectum præmiſit, cito ſequuturus. De Turcia nihil certi, niſi maxima incommoda ab hoſtibus nominis Chriſtiani Venetis inflicta; Omnia in peius ruent, ſi diſcordia noſtra procedat ulterius. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis ultima Octobris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn nimis de perfido queri poteris, &, amicis volentibus, Hugonem perſequi debes; non ita bonitatem colere decet, quin perjoros rationi obedientes reddas. Prælatos optimos teſtes habes, & fidejuſſores, qui obviam ibunt dedecori, & in Eccleſiaſticum refractarium animadvertent ſedulo. Rediit in urbem Aula trium Reginarum majeſtate fulgens, & purpuratorum Principum fulta, quorum concordia regni felicitatem parit, domi quietem, foris palmas, & triumphos, & ubique Gallorum nomen extollit: Sic Deus minorem tuetur Regem; ſic mater infantem fovet; ſic denique Magnates ſunt obſequentes, ut extranei obſtupefacti hoſtes omnino currant. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 7. Novembris 1645.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
εὐλογεῖν.

POlonorum magnificam exceptionem narravit pluribus Renaudotius. Reptat adhuc Rex Magnæ Britanniæ, ſed ut lapſu graviore ruat. Infelici Principi deeſt qui verum dicat, & cui credat: Undique inſidiæ eum obſeſſum detinent, nec a ſanguine tutus, qui nolli nunc fidere poteſt. Res afflictas in melius vertat Deus Optimus Maximus. Si tantum temporis in præliminariis impendunt Cæſaris Oratores, quid fiet in negotiis tractandis? Seneſcent Plenipotentiarii, aut ſeco fungentur; mora tamen victoribus non eſt periculoſa. Claſſis Chriſtiana re infecta pedem retulit. Itallci longe a Romanis abſunt. Veneti tutius in pace degunt, bellumque detectant. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 14. Nuvembris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TRes Soles natura non fert; attamen vidit Aula noſtra tres Reginas, aut potius illa micantia Aſtra, quæ diei lumini, ac vero Soli caliginem offundere non erubuere, ita uacrantur ſolemnia, ut ad magnificentiam, & pompam nihil deſiderari poſſit; verum eſt quidem, confuſionem ordinum aliquid detraxiſſe antiquæ Majeſtatis Regiæ, quæ magis inter primores regni eluceſcit. Cærimoniæ illæ ſunt velut cortices, quas exornare non licet abſque arboris deperditione. Omnes aſcendere, nemo deſcendere cupit, & ſic tandem ad deſpectum extraneorum deveniemus, ſi tanto gliſcenti, & ex Aulicorum diviſione naſcenti malo obviam non itur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 21. Nuvembris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PErorenti faciles præbere aures non eſt difficile: Ex aliis audivimus quanta eloquentia, & doctrina oratio tua peracta fuerit. Non vanum fuit plaudere manibus poſt tam celebrem actionem. Diu vivas, ut proſpera tui fama ad multos annos frui poſſis. Reginæ Poloniæ diſceſſus in dies prorogatur; & quamquam adſit corona florifera, ſpinæ longi itineris acritec pungunt, & regnum illud, ut honeſtum exilium reſpicere licet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Valemus nos quoque amici tui, Deo favente. Aquis-Sextiis 5. Decembris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
εὐλογεῖν.

PRæliminarem tuam expectamus orationem doctam, & elegantem. De Britannia nil boni. Ex Germania, invitos Septentrionales illos ad pacem cogi, jure exiſtimo, & conjicio. Hiſpani noviſſimam exuent ſuperbiam, & inextinguibilem dominandi ſitim. Offerunt quadriennes inducias, ſed injuſtis conditionibus, ut ex una parte populos decipere poſſint; ex altera verò Monarchiam noſtram obruere, ſociis derelictis. Fata viam invenient, & creſcet cum Rege proſperitas regni. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 12. Decembris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IN opuſculum tuum oculos conjicere non mihi permiſit temporis brevitas. Mardici inopinam expugnationem vix credere potui. Soli Galli exemplis uti neſciunt certis moribus addicti, hoſtes contemnimus, altum dormimus, ad aciem inermes occurrimus, & ſic a natura edocti, eadem committimus errata. Certiſſimum eſt tamen, quod in bello bis peccare non licet; aperto valemus Marte, occulto ſuccumbimus; generoſos gerere ſpiritus noſtræ eſt nationis, laboribus verò non reſiſtere. Prima noſtra fervent, ultima frigent, & ſic audacter ſuſcipimus quod cum tædio linquere ſolemus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 19. Decembris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ORationem doctiſſimam, quam cum tanto pronuntiaſti plauſu, facilius fuit audire, quam percipere. Pauci quos æquus, &c. e Diis geniti potuere. Nihil intactum reliquiſti, ab arcano Sacroſanctæ Trinitatis uſque ad infima profluxit oratio. Non eſt quod timeas ſi in lucem prodierit; admiratione, non reprehenſione digna eſt quidem. Et quamvis in eam Cartefius criticam exerceret, evaderet elegantior, ac purior. Conventus noſtri nos premunt, & breviorem ſcribere cogunt epiſtolam. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 26. Decembris 1645.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IMmortalia ne ſperes monet annus, & rerum viciſſitudo, quæ ſublimia deprimit, ima ſublevat, pacata turbat, diſcordias dirimit, & denique ita omnia miſcet, ut vix aliquid ſtabile dignoſci poſſit. Ver proterit æſtas, & a juvenibus e vita expelluntur ſenes. Virtus tamen immota manet, & vera amicitia, qualis inter nos reperitur; æternam ſpondeo, & ſtabilem; reciprocam peto, & Neſtoreos exopto annos. Fama, & valetudo contingat abunde Petro noſtro cariſſimo, cujus amicitiam conſtantia morum conſidero. Vale Muſarum deeus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 2. Janoarii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HYems etiam hic acriter pungit, montes nive albeſcunt, pluviis valles ſunt refertæ, & ſic ubique frigus importunum. Conditiones ab Imperatore mitiores oblatas delector; ſed timeo Danaos & dona ferentes. Res Magnæ Britanniæ Regis peſſime ruunt, & ſic Principes fortunæ ludibrium jure dicuntur. Pavones pedes reſpiciunt, alaſque deprimunt ſuas. Noviſſima cogitemus, & exuemus ſuperbiam, cui reſiſtere nec ipſi Angeli potuere. Pulvis, & umbra ſumus, ſepulchri tamen immemores ſtruimus domos, arboreſque ſerimus, quæ alteri ſæculo proſint. Vivimus, horam ultimam e longinquo proſpicientes. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 9 Januarii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VIrtutum cœlator optimus immortalitati opera mandas: pauci tali pictore digni. Neutrum accuſo, ſi tibi per epiſtolium fuit moleſtus. Amicos non premo, illiſque morem gerere glorior. Ad pacem tandem hoſtes noſtros appellere fertur. Credam quod docebit eventus: Verbis reſarcire quod armis amiſere, fruſtra tentant. Miniſtri noſtri hoſtium fraudibus obviam ibunt, exercituſque noſtri eorum decident ſententias. Lente procedunt Comitia noſtra, ſed hucuſque bene. Tu quidem valeas Muſarum decus, & ornamentum. Lambeſci 23. Januarii 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SIngulis hebdomadis ad te reſcripſi. Comitiorum negotia commercium non dirimunt noſtrum. Longavillæ puerperium maximo mihi eſt ſolatio: Orbitatis jacturam nominis fama reſarcire conabor, & pennæ tuæ vectus alis immortalitatem attingam, Poſteriſque ab amico narratus, aut laudatus ero, aut excuſatus. Pacem cupio potius, quam ſpero, dum Occidens Irim demonſtrat; Oriens, & Meridies nobibus teguntur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lambeſci Januarii ultima 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

BArberinorum appulſus animum vehementer commovit. Vices fortunæ rarò ſempiternæ attenta mentis acie conſiderans, totius urbis mente luſtravi partes, nihilque fixi, nec etiam Terram deprehendere potui, motumque rerum continuum, ut volubilis Deæ imaginem propius inſpicere tentavi. Bellum ubique, pacem nullibi, regnantes egenos, pauperes ſublimes, omniaque ſubverſa video. Heſterna die univerſam familiam excepi convivio. Fortiter miſerum gerunt ipſi caſum, divitiiſque affluentes jucunda præteriti recordatione temporis præſentem calamitatem ſublevare conantur prudentiſſime. Hos gloria reddit honores. Vala Muſarum decus, & ornamentum. Aqois-Sextiis 6. Frbruarii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FOrtunam reformidare licet tot caſibus illuſtrem: Volucrem fingunt Poëtæ jure, ob perennem volubilitatem: Pedem Galliæ infigat fixum nobis eſt peroptandum. Interim fata viam invenient, Germani ſuam reſpicient libertatem, Galli ſuam ſtabilire gloriam non deſinent, Turcis obviam ire conabuntur Itali, & dum futura incerta proſpiciunt præſentibus afferre periculis remedium non negligent. Aperiat Deus oculos cæcorum iſtius Regni hoſtium, quos ſola regit ambitio prępoſtera. Vale Muſarum deeus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 14. Februarii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INfeſtas ubique irruptiones exaudio; ſed præſertim in Anglia Regis ita res deploratas, ut a ſubditis ſervitutis pactiones accipere ſit coactus,

ctus, ni furor arma miniſtret. Melius Eduardus ille Princeps, qui vitæ periculum honoris jacturæ poſtpoſuit. Sic Heroës; & Maximus ille Julius Cæſar omnibus ſe opponebat caſibus, ut ſibi victoriam felicibus acquireret armis. Decus ante omnia ob furtium oculos ponere rationi eſt conſentaneum. Satis vixit, qui decenter fungitur fato. Hic tandem dum armorum ſtrepitus militum exſuſcitant animos, paulo quietiorem tranſigimus vitam, abſente amico, cujus deſiderio admodum detinemur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 20. Februarii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius Εὐλογεῖν.

MOnaſterii diſquiſitiones longius protrahuntur. Hollandi certe pacis conditiones oblatas non admittent. Ludovici undecimi notæ ſunt artes; Principibus unitis, & armatis offerebat omnia, modo deponerent arma. Sic Hiſpani Hollandis proponunt, quod ſervare nolunt, ut a nobis divellant potentes amicos, perdantque disjunctos, quos ſacro fœderis vinculo conſtrictos vix ſuſtinere queunt. Stemmata reſpicient perpetui illi confœderati noſtri, reſque parvas concordia creſcere, diſcordia verò maxima dilabi: Sic ars eluditur arte; Hiſpanique olim cautiores, nunc rationi obtemperare ſtudebunt inviti. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 27. Febr. 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius Εὐλογεῖν.

QUin litem inchoatam adverſus Hugonem ad bonum deduces finem, nullo modo dubitare poſſum. Paucis hodie reſcribam, Equitis Guiſii inopini adventus cærimoniis immixtus. Miſerum Angliæ deploro caſum, cujus pravum conſilium ſubditos armavit improdenter, auctoritas verò fluxa exarmare nequit. Sic pereunt Principes, qui inter proſpera regni nil niſi oblectamenta curant, & in adverſis minimis ſuccumbunt negotiis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 6 Martii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius Εὐλογεῖν.

HUgonis tergiverſantis liti finem imponere, antequam diſcedas, rationi eſt conſentaneum. Lente progredi pacis opus non eſt mirum: Hiſpanorum incredibilis habendi ſitis fortunæ ipſa adverſis extingui non poteſt. Cæſar Imperium Auſtriacæ familiæ ſervare perpetuum cogitat. Diviſæ ſacri Imperii mentes libertatem concupiſcunt magis, quam ſperant. Summos quoque Pontifex, Italiæque Principes vindictæ priuſquam ſecuritati conſulunt. Turcæ interim undique minantur. Deum Optimum Maximum tantis mederi malis, ſolum poſſe certiſſimum eſt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 13. Martii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius Εὐλογεῖν.

LItem arbitris committi quam plurimum gaudeo. Bene, ut mihi videtur, opinatus es de litteris ab Hiſpano Rege recenter ſcriptis. Fallaces ſunt omninò, & cum omnia offert, nihil donat, confœderatis ſuſpiciones incutit, populis blanditur, Clerum exſuſcitat, devotis pulverem injicit, & cum de Turcis obloquitur univerſus orbis Chriſtianus, optimam ſui ſpargere contendet famam. Paramus hic Comitia brevi futura, ne diviſio ultimum magnarum urbium malum fortius erumpat. Et ſic tranſit vita noſtra varie agitata. De Britannis reticeo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 20. Martii 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius Εὐλογεῖν.

DUobus epiſtoliis unico reſpondere cogor. Prius, opus lyricum inimitabilis Capellani continet, & narrat; poſterius quidem de compoſita lite eloquitur, proximoque diſceſſu. Verba ſuperat carmen amici tui, prudentiamque denotat tuam pactio cum Hugone, brevem non impatienter feram abſentiam, amplectique lætor admodum, quem abſentem revereor. Lectionibus finem impone tuis, & Amico indulge omnibus infortuniis majori. Monaſterii res in ambiguo, Britanniæ Regis in extremis, & Turcas in procinctu video, dum Italia jacet vindictis immerſa. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 3. Aprilis 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius Εὐλογεῖν.

COnſobrinum tuum Laurentium Conſulem, non quidem Regem feci; Cæſar tamen non ſum, etſi ex Cæſaribus oriundus, ſpecimen iconis accepi bene expreſſum ex Prototypo. Exactis feſtis plura expecto, remque gratam facies. Arelatem ſingulis diebus appellunt terreſtres copiæ lintris, & cymbis vectæ. Italiæ terrorem injiciunt nobis, ut refertur: Unionem Turcis opponerentur, Orbis Chriſtianus non in pejus rueret a ſemetipſo deſertus, & proditus. Hollandi ſatis ſagaces Hiſpanorum dolum ſentient, & nodis ſtrictioribus fœdus noſtrum firmare non deſinent; & ſic hoſtium ars eludetur arte. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 10. Aprilis 1646.

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ONuſtum curis animum, Muſiſque defixum invaletudine aliquoties tentari non eſt mirum. Sed cum mihi ſalubre temperamentum unum ex maximis vitæ bonis eſſe videatur, Amicum hortor, non tam animi ornamento vacare, quin corpori convenientia cogitet aliquando, utriuſque unio, naturalis ſeparatio violenta, totius noſtri compoſiti forma divina eſt, etſi ex diverſis partibus ab Auctore naturæ ſit compacta materia. Sed qui ſolus facit utraque unum, ipſe ex diverſis unitatem, e contrariis unionem, & ex alienis proxima elicere ſolet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Arelatis 17. Aprilis 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IConiſmorum inſignem faſciculum accepi. Ingentes gratias ago diligentiſſimo Amico, cui res minoris momenti cordi ſunt; & recte, quandoquidem in minimis elucet amicitia vera. Magnæ Britanniæ Regis res in pejus ruunt. Timeo, ne in hoſtium manus incidat, dum media ſemper ſequitur dubius, & incertus. Principis deplorabilis caſus, qui cui credat amicum intelligentem non habet. Regnante Ludovico undecimo, Ducis Burgundiæ Aula Regii ſanguinis Angliæ Viris referta erat; ſic erit nunc Gallia. Diſceſſus uxoris Longavillæ Ducis, Monaſterii opus in longius protrahi, præſagire videtur, quod Deus bene vertat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 24. Aprilis 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ABſente Campinio, ultimum tuum non accepi epiſtolium. Arelatem non quidem omninò pacatam, ſed quietam reliqui. Singulis annis Comitiis advenientibus, diſcordia, & ambitus quoque renovantur. Annuam dominationem perpetua emunt ſervitute. Julium habent Cæſarem auctorem, qui vici incogniti præfecturam, ſedemque primam, ſecundæ Romæ urbis, anteponere non erubuit: Imitantur etiam Othonem, qui omnia ſerviliter pro dominatione. Et ſic animi pennis in altum vehimur, e portuque rationis ſolventes vix evadimus incolumes. Claſſis noſtra vento ſecundo nunc navigat, & nos a longe proſpicientes optamus proſpera. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 3. Maii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

COnditiones pacis a Cæſare, & Bavaro oblatas haben maxime ſuſpectas, niſi Hiſpanus interveniat. Etenim quod nobis utilitatis produceret ſola Cæſaris concordia, cujus vires attritæ reſpirare deſiderant, & Svecos a focis arcere, quò poſſint hæreditaria Regna ad priſtinam felicitatem reſtitui. Interim palam, aut clam Hiſpanos ſuvebunt, Galliam oppugnabunt alienis armis; & ſic occulti, periculoſiores. Hiſpanos a Cæſareis deſeri non eſt exiſtimandum. Demus tempori tempus, & ſubdolas conditiones pacis inveniemus facillime. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 8. Maii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FUga ſalutem quærere Principibus eſt duriſſimum. Magnæ Britanniæ Rex Scotiam petiit, ut fertur, & ſic depugnat pro vita qui de Imperio olim decertabat. Miſera conditio, privatam degere vitam cogitat, qui coronam perdidit, modo ceteri non recordentur, tam felicis obliviſcetur ſtatus aliquando. Beati magnanimi Viri, qui vitam honori poſtponunt, & malunt fortunæ, quam animi pudere. Ævum noſtrum multa profert, quæ non credet poſteritas. Videmus enim ſervus in equis, & Principes deambulantes ſuper terram quaſi ſervos. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 15. Maii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE Aulæ diſceſſu, deque ineundæ pacis ſpe certiorem faciunt ultimæ tuæ litteræ. Hac tranſiit curſor extraordinarie miſſus, Orbitelli nuncians obſidionem, & D. Stephani munimentum compoſitionel captum. Affulget ſpes bene rei gerendæ, & ſic claſſis noſtra non inutilis, & Roma non ſine timore remanet. Magnus Hetruriæ Dux neutralitatem Abbati Beotivoglio promiſit. Veneti a noſtris ſtant partibus. Duces Parmæ, & Mutinæ opitulabuntur nobis, Etenim Hiſpani Eminentiſſimum Cardinalem Eſtenſem injuria ſingulis afficiunt momentis, & utrinque Romæ diſcurrunt armati non ſine magna Summi Pontificis ſollicitudine, qui totum ſe noſtris commiſit hoſtibus, Patriſque communis nomen omninò perdidit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 22. Maii 1646. natalibus meis.

Petro

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

OPtimam te de pace concipere ſpem video, & gaudeo: Utinam firmam, & longam habeamus! De bello extraneo fieri civile ſæpius accidit; nec eſt credendum Hiſpanos habere cogitationes pacis, niſi emolumenti majoris rationem habeant, quod ex Aulæ diviſione fortaſſis exſpectant. Utcumque res caſura ſit, licet Deo futurum relinquere, motoſque componere fluctus utilius eſſe videtur. Quid de Magna Britannia dicam? Nunc capite caret, quæ Eccleſiæ voluit eſſe caput; & Rex, qui nulli ſe ſubiicere cupiebat, nunc propriis ſubditis ſubjectus, aut in carcerem detrudetur, aut profugus languentem trahere vitam cogetur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 29. Maii 1646.

Eleemoſynarium expecto, Preudhomioque meo mandavi honeſto, illi Viro itineris expenſam exhibeat.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PEr menſem integrum a litteris quieſcam plagam noſtram luſtrans. Inboneſta pace tutius bellum. Heroës noſtri hoſtium contumaciam expugnabunt; & Deus Optimus Maximus, qui viduas, & pupillos ſolet protegere, Hiſpanorum proſternet ſuperbiam, vixque Turcarum effugient manus Germani. De Orbitelliana expeditione nihil eſt, quod dicam. Aggreſſores fortiter agunt propugnantes, victoriam pro viribus morari contendunt. De Roxolano tacebo, ipſemet reſcribit; ei omni modo ſatisfacere conabor. Eſt bonæ indolis juvenis, cujus ingenuitatem diligo. Tu quidem valeas omnium horarum amice. Aquis-Sextiis 5. Junii 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ULtimum epiſtolium in itinere accepi, improſperæ tuæ valetudinis ſummo tactus dolore. Scio te non multum Medicis credere, etſi uſus hoc ferat; quin ſobrietas tibi proſit non dubito. Acceſſit Eleemoſynarius doctus, & modeſtus, integerque vitæ. Roxolanum noſtrum foveo, dum iſtius Provinciæ Geographiæ operam dat aſſiduam. De Britannia Magna, omnia timenda, nihilque boni ſperandum; Ubi multitudo regnat, ibi confuſio; non ſine periculo corruet evellentium tam profunda antiquæ Monarchiæ fundamenta. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 9. Julii 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius.
Εὐλογεῖν.

BReviores inpoſterum epiſtolas tibi commendo, & ita valetudinem regas, ut priſtinam mox recuperare ſanitatem poſſis. Anxius hærebam, cum ultimum ad me pervenit epiſtolium. Animi, & corporis quietem quæras enixiſſime rogo; lectiones linque, epiſtolis abſtine, & hiſce canicularibus diebus otio te trade; ſi tamen otium appellari poſſit præſtantis ingenii meditatio continua; & ſerves denique animæ dimidium meæ. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 17. Julii 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REdiret curſim tua bona valetudo eſſet optandum, ſed modo firmiter adhæreat, ſat erit. Notum eſt malum, & perinde facilioris curationis favet æſtas, & brevi te Provinciam reviſurum ſpero, ubi natalem aërem reſpirare, Amicos alloqui, & ab omni quieſcere labore tunc melius poteris. Sic imminens morbus ſuadere nititur, ſic mihi amiciſſimo abunde ſatisfacies. Extranea negligo valetudini tuæ totus incumbens. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 24. Julii 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FIrmioris valetudinis tuæ nova gratanter excipio; Præſentia poſtmodum completam efficiet lætitiam. Principem Walliæ Aulam noſtram appuliſſe audio, Regem Patrem captivum, Britannos, & Svecos non bene concordes ſuſpicor, exinde dicto Regi affulget aliqua ſpes, quam inutilem exiſtimo, ſi ei deſit qui conſulat, & verum dicat. A ſuis deſertus ſemetipſum deſeruit, languidam, & precariam vitam præclaræ morti, & quam Epaminondas ſacram vocabat, ſerò anteponens. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis Julii ultima 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUò brevius, eò jucundius ultimum tuum epiſtolium, donec perficiat præſentia, quod ſemper deeſt abſentiæ. E paludibus tandem Hollandos migrantes, teſtudinum more, nunc exaudio: Utinam bona fide! De Magna Britannia obmuteſco. Solvit Orbitelli obſidionem exercitus noſter, multis preſſus incommodis, ac potiſſimum copiis auxiliaribus Neapolitanis, qui-

bus

Digitized by Google

bus Summus Pontifex paſſum permiſit liberum. Cohortes noſtræ admodum debilitatæ reſtant. Briniolam nunc cogitamus. Vale Muſarum decus, & ornamentum, Aquis-Sextiis 7. Auguſti 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

BRiniolam amœnam tandem appuli, ut aliquando ruſticam deguſtarem vitam. Ubique tamen nos ſequuntur negotia; & donec pereat diſſimulata facies, hiſtrioniam exercere cogimur, beatamque ſperare quietem nobis non licet, niſi vera redeat. Theatrales ſumus, ſoluſque Deus in æternum permanet. Et ſic nihil, quod delectet expecto. Heroum noſtrorum exercitus Bergam honeſtis recepit conditionibus, & Dunkercham oppugnatum iri exiſtimant Aulici noſtri. Incolumes ſervet fortuna duo fulmina belli, Scipiadas. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 23. Auguſti 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HIc expecto Claſſis Hiſpanicæ Genuenſe legentis littus ultima nova. Navigabat nudius-tertius Ponentem reſpiciens, Principe Monæci proſpiciente, Orientis favente vento validiore. Triremes non aderant. Noſtra, ut mihi renuntiatum fuit, eſt in procinctu, ireque obviam hoſtibus viriliter decrevit. Provincia noſtra militibus eſt referta. Sto in medio eorum ſingulis providens rebus, non ut volo, ſed pro viribus Dunkercham, ut opinor, non obſidione cinget exercitus noſter. Omnia ſerviliter, non pro dominatione, ſed pro ipſa ſervitute concedet Magnæ Britanniæ Rex. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 20. Auguſti 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HEroi noſtro vulnus inflictum mortalem oſtendit, quem ævi futuri memoria æternum reddet. Immenſa laudis cupido perdet aliquando Virum incomparabilem, antequam ætas matura animi motus ebullientes refrænare poſſit. Nullum deferet periculum, nullæ inſerviunt admonitiones, nemo tandem obviam ire contendet, ſequuntur quem demirantur, & dum ejus inſiſtunt veſtigiis, hinc, & hinc labuntur. Deus tandem tam caro capiti æterna provideat pace. De Hollandis nihil dico, eorum cavillationibus obſtupefactus omninò. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 27. Auguſti 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PErvenit ad nos citiſſime rei tormentariæ Præfectus terræ, marique Imperator deſignatus; reſarciet præterita damna Dux peritiſſimus. Recepit ſe claſſis Hiſpanica verſus Hiſpaniam. Apparatus noſter magnificus Iberico minatur orbi, utinam Turcico, ne communis hoſtis Chriſtianitatis ex incendio ſolus proficiat. Huc undique confluunt pedeſtres, equeſtreſque copiæ. Mardicum captum refert ultimus Aulæ curſor ad Aquenſem miſſus Epiſcopum. Regem Britanniæ providentiæ divinæ linquo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 3. Septembris 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TOt diverſis exercitus conſtat partibus, ut antequam ad unum redigatur corpus, non parum inſumatur temporis. Mellereus Dux eximius, & cui Poliorcetis nomen convenit, adeſt, & omnibus invigilat curis. Orbitellium execrantur milites, & dum iſtud effugiunt periculum, incidunt in majus, & inſignia deſerentes, Præfecti caſtrorum diligentia capiuntur, punitur commune crimen, conſtantique pertinacia lucri cauſa perpetrant milites, quod pœna creſcit, & miſericordia non fit minus. Sic omnia regat ventorum Pater, ut felicem portum teneat noſtra claſſis, fortunatumque ſucceſſum terreſtris inveniat exercitus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 10. Septembris 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HIſce amœnis locis nihil, niſi de memoria Peireskii, & de Gaſſendo obloquimur. Terreſtrem incolere Paradiſum nobis videtur, ubi malum Perſicum, ut objectum culpæ primi noſtri parentis, attenta mentis acie perpendimus, & rivulos murmurantis aquæ perſpicimus. Hic mitior hyems, & æſtas minus fervida nobis paret. Prior ipſe, Patrefamilias abſente, oblectamento multum inſervit, & quamquam moleſtiſſimo implicitus morbo, nullo detentus incommodo obviam it omnibus, quæ gratiorem domum poſſunt efficere. Jam jam e portu ſolvunt navigia, triremeſque noſtræ Mare petunt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Belgenſerii 16. Septembris 1646.

Petro

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LAudis immenſa cupido ſic animum Ducis Enguinæi ſtimulat, ac pungit, ut ardua petere non deſinat; & ut ſui ſuperior omnium oculis videatur, famam ſeneſcere ſuam non ſinit. Navigat nunc noſtra Claſſis, pro cujus incolumitate, & proſperitate, continua jacimus vota. Acceſſit tandem Campinius noſter alta e rupe Monæci deſcendens: Concordes vivimus, conſtantique nos proſequimur amicitia. Cum de reditu in Provinciam non loquatur ultimum epiſtolium, non amplius ſpero. Litigant, ut reſcivi, Dinienſes adverſum te; theſaurum, quem poſſident, ut mihi videtur, nullo cognoſcunt modo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 25. Septembris 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PEractis Comitiis hujus Civitatis, & aliquibus deſumptis medicamentis, corpore purgato, Manueſcam cogito animi recreandi gratia, venationique dandi aliquid temporis, & poſtea ad negotia redibimus. Et ſic vita tranſit citò, & imperceptibili greſſu. Neuræum tuum conveniam, & de tuis loquemur negotiis. Enguinæus, ut fertur, obſidione cinxit Dunkercham brevi victricibus ceſſuram armis: Quid plura? aut pax æterna ſuccedet, aut victoria læta. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 2. Octobris 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

APpulit tandem, ut rumor eſt, Claſſis noſtra ad Portum-longum vulgò dictum *Porto-longone*: Eſt arx in Elbienſi inſula ſita, pentagona illa quidem, ſed militibus quingentis tantum defenſa; paucorum dierum labor erit ejus expugnatio, cuſtodia verò difficilis. Sed nihil eſt, quod non poſſit Gallia tantis columnis fulta. Cum nihil de Magna Britannia dicas, hujus Regis deploratas res video. Poſtridie, Deo favente, Manueſcam petam, ut jam reſcripſi. Neuræum alloquutus ſum tuum, qui lite finitum iri negotium tutò credit, non ei reſiſtere præſumo. Delectationi enim utilitas eſt anteponenda. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 9. Octobris 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

URbem noſtram poſt octo dies iterum appuli, hic me invenere duo ultima a te reſcripta epiſtolia, & bonus Dunkerchæ captæ nuncius. Fronte gerit, ut video, Laureatam coronam Enguinæus noſter, ſuperior ſui, utinam diu! Sic enim in periculis ultrò implacabilis ardet, ut ſingulis momentis pertimeſcere liceat. Iteratis actibus generatur habitus; & ita indureſcit tanti Principis animus, ut Amicorum precibus aures claudat omninò. Bene ſperandum de Magnæ Britanniæ Regis ſalute, ſi a nationum inimicarum diſcordia pendeat. De lite tua aliquid ſubaudire cupio, donec ad bonum ducatur exitum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 23. Octobris 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EDiſces a Neuræo rumores Maſſiliæ inter Comitia, me præſente, qui auctoribus improſperi, mihimetipſi, & Campinio noſtro fuere fructuoſi. Monæci Principem in reditu colui, Amicum noſtrum intrinſecum. Aulam noſtram petit, citò reverſurus, unicum filium ſecum ducit magnæ expectationis juvenem. Audivi ex ipſo Principe Melleræum Portum-longum certis recepiſſe conditionibus, quas hodie exequi obſeſſi polliciti ſunt. De Ilerda nihil ſubaudio. Celebrabimus, Deo favente, Divi Huberti feſtum veneratione ſolemni. Roxolanus noſter veniam petiit, Venetiaſque cogitat, ut Italia luſtrata, patriam aliquando reviſere queat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 29. Octobris 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUam mutati ab illis Scoti iſti, qui legitimum Regem non modo deſerere, ſed etiam hoſtibus tradere conſulunt. A Regibus noſtris olim ob fidem delecti ſunt, nunc verò proprium prodere Principem non erubeſcunt. De pace admodum dubito; timeo Danaos, & dona ferentes, nobiſque conditiones oblatæ multum ſuſpicionis afferunt, cum ex altera parte Svevis denegatur, quod ipſi belli jure detinent. Poſtremò cum Cæſare, non cum Hiſpaniæ Rege tantum opus provehitur. Hic de Lerida ſolliciti, Portum-longum captum accepimus, ac Summo Pontifici conciliatos Barberinos. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 6. Novembris 1646.

Digitized by Google

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Improſperam tuam, quam ſubaudio valetudinem vix ſuſtinere poſſum Achatem fidum, coætaneum, quem ſenectuti meæ ſepoſui, corpore gaudere ſano admodum cupio, publicam potius reſpiciens utilitatem, quam meam. Remedia adhibeas rogo, quæ in priſtinum te reſtituant ſtatum. Neutro jure ſuccenſui, qui te febre correptum mihi non renuntiaverat. Heſterna die leporis venationi operam dedi, etſi pluvioſum, inconſtanſque tempus honeſto illi oblectamento ſe opponat ſæpius. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 20. Novemb. 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Melius habes, ut video, & lætor admodum. Valetudo nondum confirmata omnes refugit labores, & ſic ſtudiis, litteris, aliiſque vitæ oblectamentis ſeriò parcas oro. De lite nihil ſcribis. Campinius ſupremi Conſilii ordinibus probe utetur, ut jure opinor. Pacem tempori, Germaniæ, Britanniæque negotia linquo. In te unum oculos conjicio, incolumemque exopto, ſine quo incolumis eſſe nullo modo poſſum. Maſſiliam iterum petimus Comitiis ultimum impoſituri finem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 27. Novembris 1646.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Nondum te domo excedere non libenter audio. Deum tamen Optimum Maximum noſtras ratas pro te habere preces firmiter ſpero. De Ilerda hodie gratiora accepi. De ceteris, quæ nunc in ore omnium verſantur, nihil dico. Portum-longum ſolum reſpicimus, ut belli theatrum. Maſſiliæ Conſules, fido Achate ſemper Comite, meliorum plauſu, in lucem prodimus. Pacatam linquo Civitatem, ſine qua Romani olim non triumphavere. Nunc omnes de iſto capite Mundi triumphare ſtudent; & quæ Orbis terror fuit, eidem Orbi eſt deſpectui. Sic tranſit gloria Mundi. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 4. Decemb. 1646.

Soluta eſt Ilerdæ obſidio, ut fortuna levis, magni quoque terga videret. Amici infortunium moleſtiſſime fero.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Incolumem ſervet diu Deus Optimus Maximus quem æternitati ſacrabit fama temporum vindex. Nunc exercendo corpori, & animæ totus incumbo, & melius habeo. Meditationi olim fixus, intermiſſis aliis exercitiis, conſopitus jacebam, periculumque erat, ne Apoplexia me raperet ante diem; arte Martini Medici uſus, & conſilio nunquam robuſtior evaſi. Hæc Amico renuntio bene merenti. Paucis dixi poſtrema epiſtola quid de infauſta Leridæ obſidione ſentirem. Libellum, quem miſiſti, accepi. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 11. Decembris 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Tecum litigans duplici dignus eſt pœna. Mitiſſimum Virorum oppugnat, Doctoſque Viros vigiliarum tuarum labore, fructuque privat. Importunum morabor, Neutroque conſulto, ne quid detrimenti capiat res tua familiaris providebo. Libellum de pluvia roſea nondum legi; percurram, & quid ſentiam non reticebo. Germaniæ res protrahuntur. Magnæ Britanniæ Regis infortunium ejus pariet ſalutem, ita ut armatus non potuerit, quod inermis obtinuit, tantique Regis miſeriæ plebis amorem exſuſcitare videntur. Felices, quorum magnanimitas admirationem potius gignit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 19. Decembris 1646.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Brevi ſumma vertuntur, & nihil eſt mutatione certius. Aulæ invidi in umbra educati, fermeque omnes ignavi adulationi ſervientes, Comitem Harcurienſem, quem non ſunt imitaturi culpare audent talibus aſſueti. Certiſſimum eſt tamen viciſſe ante Leridam Hiſpanos numero tantum, & patientia illa inimitabili, qua ſolent uti a tempore, quo magnus Conſalvus in Neapolitano Regno noſtros ſuperavit. Nulla in Catalaunia timetur obſidio. Recepit ſe Hiſpaniæ Regis exercitus ad Hiberna inſigni militum jactura imminutus. In Flandria hyems noſtra tutabitur præſidia. In Italia Neapolis Prorex aliquas cogit copias, ſed lente. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 25. Decembris 1646.

Digitized by Google

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NUnc Janus bifrons duabus clavibus claudere anni præteriri portam, præſentiſque fores aperire creditur; nunc oblivioni datur quid retro futurum non intelligitur, ſoloque fruimur momento, quod præſens vocatur; nunc dies truditur die, primuſque dedit extremum; nunc denique nova licet condere fata, & anteactæ vitæ deflere peccata, ut vetere Adamo exſpoliato, novi, moderniique ſequi veſtigia poſſimus. Do tibi Aulæ Romanæ vota ad multos annos, quibus Summum Pontificem proſequuntur Purpurati. Peropto valetudinem firmam, Mundumque victum non deficiente crumena. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis die prima anni 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DEfleo equidem Sereniſſimum Principem noſtrum ſanguine purpuratum, ingenio ſublimem, pietate fulgentem, belli, domuſque donis decoratum, quem invidum eripuit fatum, anticipata extinxit ſenectus. Breves, ac infauſti Galliæ populi amores tam charum non potuere detinere Principem. Summo eum honore colere non erubeſcebam. Redamabat optimus Heros, cui ſucceſſit alter tertium ſimilem non relicturus. Quid dicam amplius deeſt vox, lacrymæ opprimunt, tantoque obrutus dolore finire cogor. Vale Muſarum decus, & ornamentum, vale, & iterum vale, tantique Viri memoriam mori ne ſinas. Aquis Sextiis 9. Januarii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

COmitia meditantes, diſceſſus nunc diem avide expectamus, nova ſemper appetentes, unde miror te in ultimo epiſtolio aſſeruiſſe, nihil in hoc orbe eſſe novi, imò nova mihi videntùr omnia horæ, diei, anni momenta, inſtantia, hominiſque natura mobilia ſemper, & vana, quæ nova ſemper amat, & mox poſſeſſa relinquit. Puerorum more ſemper varia attrectamus, & ut illi manibus, ſic nos animo pugnantia concupiſcimus. Denique ita immutatur homo, ut vix ulla infantiæ remaneant veſtigia. Affectus noſtri inconſtantes ſunt, odio proſequimur quem dileximus, nihilque fixum præter Deum immortalem. Quid aliud expectandum in tot, ac tantis anguſtiis conſtituti, niſi alteram vitam immobilem, æternam, quæ noſtra refrænet vota, & impleat indomitam rerum diverſarum ſitim? Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 14. Januarii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INeunte anno Hiberorum peſſima noteſcunt conſilia, & dum ore pacem prædicant, corde reſpuere non erubeſcunt. Timeo Danaos, & dona ferentes, Hollandiæ mitiores offerunt conditiones pacis, ut a ſuis fœdere junctis eos facilius avellant. Nihil denique ſincerum in hoſte captioſo, cuique pietas, juſtitiaque non hærent. Orthomanni viam invenient, Veneriſque ſubactis illorum ambitioni frænum imponent, tardiuſque a Principibus Chriſtianis dignoſcetur quid a Gallis Orbis Chriſtianis ſperare, quidve ab Hiſpanis timere jure debet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 22. Januarii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ACuto, ac diuturno dolore tactus ob Principis noſtri mortem, negotia pro ſolatio accipere nitor. Hicque ſumma patientia in conventibus agentes uniuſcujuſque ſententias Regni neceſſitatibus accommodare tentamus. Utinam proſpere cedat! quidquid tamen accidat, impavidum ferient ruinæ. Archiepiſcopus Aquenſis abeſt, ſolus Regienſis Epiſcopus conventus noſtros præſentia firmat, Siſterrienſem amiſimus, qui hujus infimi orbis vinculis omnibus ſolutus mitis, & contrito obitu Cœlum (ut opinor) petiit. Rarius tibi reſcribam, donec Aquas-Sextias reperierim. Pluviis importunas experimur flagella Dei minitantes. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Dracennis 3. Februarii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MOnaſterii res protrahuntur, & magnæ Britanniæ Regis caſus ad extremum deducitur, vel potius, ut mihi videtur, jam periit, qui famæ fecit irreparabilem jacturam. Nam contempta famæ, contemni virtutes certiſſimum eſt. Quoad negotium, de quo mihi perhumane reſcribis, epiſtolas, quas optaſti mitto. De reditu ſeriò amicum ſollicitans ſocium curarum quæro, qui & verum enuntiet, & ſecretis horis mihi ſit ſolatio. Feliciter urbem caput omnium hujus Provinciæ repetimus non ſine plauſu, qui cum detur malis, & bonis, conandum eſt tamen, ut ultrò concedatur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 19. Februarii 1647.

Digitized by Google

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VIrtute præditis non ſemper fortona favet,
teqoe ab indultario perſequurum iri
non obſtupeſco. Injuſta illa volubilis Dea
invidet bene meritis, excelſos deprimit, infimos
extollit, ignaros fovet, doctoſque Viros deſpice-
re non deſinit; Indultariuſque ordinariorum fla-
gellum manu arripir beneficia potiora, liberum-
que ei eſt minora reſpicere, ſed ars opponitur
arti, & aliquando cogitur accipere, quod illi oſ-
fertur, ſatiſque potentiæ ineſt Principibus noſtris
ad coërcendam hujuſmodi homioum inſolentiam.
Lites abigere licet, nam ut in bello aliquando
firma militis, & ducis præſentia victoriam con-
ſequitur ſola, ſic in palatio linguarum pogna mul-
tum poteſt ficta pertinacis. Vale Muſarum de-
cus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 26. Februar.
1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PAci toties decantatæ, nec credu, nec con-
fido ob graves tibi jam reſcriptas rationes.
Undecimus prereriti menſis dies conven-
tibus noſtris finem fecit, quem ſperabamos. Nunc
hic Saturnalia celebramus more geutium, Roma-
norumque rerum Domioorum, qui vulgi volu-
ptates tolerabane, hiſque immiſceti lætabantur.
Soli Jeſuitæ quadragintra horarum ſolemnia co-
lour, ut verbo, & exemplo a ludicris populum
avertant. Archiepiſcopus noſter abſens ſocieta-
tem eſt imitatus, ſacro, ſanctiſſimoque Chriſti cor-
pore expoſito precibus, & prædicationibus pra-
vum extirpare morem nititur. Vale Muſarum
decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 6. Martii
1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn proſpera te uti valetudine doleo ad-
modum: Aërem repetere natalem licet,
ubi mitior hyems. Nunquam Amici præ-
ſentiam tantopere deſideravi: Omnes cuoi noſtra
fortuna, nemo nobiſcum loquitur. Adulatio pa-
lam, invidia clam agit. Perge igitur, advola,
neque deſpicias amicum, qui te ſummo proſe-
quitur amore. Pacem inter problematica repu-
to, Regemque Magnæ Britanniæ in extremis la-
borantem exiſtimo; & quidquid ei evenerit He-
rois nec nomen, nec locum occupabit. Et ſic
ſatius eſt pulchræ occumbere morti, quam vi-
tam degenerem trahere. Vale Muſarum decus;
& ornamentum. Aquis-Sextiis 12. Martii 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PErtinax illa ex hyemis intemperie contra-
cta valetudo mihi eſt moleſtiſſima. Aëris
mutatio multum confert, & quamvis omne
ſolom forti patria ſit, regio tamen nativa trahit
nos, & allicit. Aliquid ſemper novi fert Pro-
vincia. Patronus ille Regius olim Amicus, nunc
infenſus Gazellum in carcerem conjecit cohortis
hujus Provinciæ, ſeu Centurionem. Reginam, &
Regios monui miniſtros callido Bereculii inge-
nio ſummam opponens moderationem. Hujuſce
rei ſucceſſum, & ſeriem tempus edocebit. Vale
interim, imò integerrima fruere ſanitate, quò
citius poſſis ad nos incolumis pervenire. Aquis-
Sextiis 19. Martii 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MOtos componere fluctus non eſt facile.
Pacis opus nunc fiet Philoſophorum la-
pis, niſi advolet communis Chriſtianorum
hoſtis. Quod ad te attinet Regium placitum
lubens accepi. Neuræuſque noſter contentus exi-
vit a me; quod non eſt parum, quandoquidem
cum de tuis negotiis agitur, impatiens appareat
ſemper donec tuæ ſatisfactum ſit utilitati. De
Magnæ Britanniæ Regenihil eſt, quod dicam; non
ſolum loquendi, ſed agendi momentum perdidit,
clientelisque ſuis deſtitutus vicinorum Principum
fruſtra implorabit auxilium. Parcat Deus tanto
Principi, eripiatque eum e manibus inexorabilis
Deæ, quæ nemini parcere viſa eſt onquam. Va-
le Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Se-
xtiis 26. Martii 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MOræ impatiens brevem abſentiam mole-
ſtius feram. Convaleſcenti naturæ con-
venientia afferas remedia enixe rogo.
Auriaci Principis magis deflerem obitum, niſi
pars animi præcipua jam demortua fuiſſet. He-
roes illi ad totius orbis tutelam nati occumbe-
re optant, cum gloriæ inſervire deſinunt omni-
no. Principis Condæi belli meditamenta eſſe di-
verſa ferunt multi. Varii varia. Sunt qui Cata-
launiam Heroi invictiſſimo repræſentant, alii Ita-
liam ei deſtinant. Modo evadat incolumis, nec
inglorius, magnis conatibus conſentire non re-
cuſabo. Francorum clypeus, & enſis Fabium
Maximum, Marcellumque referat ad Neſtoreos
annos. Vale interim tu Muſarum decus, & or-
namentum, Aquis-Sextiis 2. Aprilis 1647.

Petro

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn poſſum quin tuam extollam moderationem, & prudentiam: Utilitatem minuis, ne Amici jacturam experiri cogat te fortuna, vitæ commodis renuntiare vales, ne ingratum reperias Amicum; denique tanti pendis, quanti magnanimi illi antiqui, quorum ut amor immortalis, ſic vivit memoria, & qui denique ſalutem Amici ſuæ ipſi præponere lætabantur. Divitiis affluat, qui contemnit; detque mihi hoc fortuna, ut poſſim bonis, & commodis Amici tanti nominis virtutes eximias comparare. Capellani opuſculum eruditionem non Gymnaſii, ſed Aulæ redolet, ſemperque ſui ſuperior Virgilius noſter doctos, & indoctos in admirationem trahit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 9. Aprilis 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE Bavariæ Ducis neutralitate aliquid ſubaudieram. Callidus, & verſutus Princeps vergente ſenectute tum demum ad pacem appulit animum: Utinam ſeriò! ſerò certe erit niſi promoveatur negotium. Condæus Heros magnis itineribus Cataloniam petiit, non me inſalutato, ut jam reſcripſi, ſed de tanto Principe repetita placebunt. Taraſconium ad hoc electum fuit, ubi ſumma excepi lætitia Virorum ſummum, ne ſit Gallorum ultimus, magna modeſtia inſatiabilem gloriæ cupiditatem tegit. Nihil eſt juvenile in ipſo, niſi ætas. Luculli, Gaſtonis, Fuxii, Spinolæ, Marchioniſque more rem militarem nullo belli experimento optime callebat, artibus etiam pacis inſtructus omnino utrumque tempus recte poteſt gubernare. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 15. Aprilis 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FAcilis eſt curationis morbus cognitus, & a perito Viro quoque ſapientiſſimus ab oraculo Delphico pronunciatus eſſet, ſi inter ſeptem claruiſſet. Nunc diſceſſum ſpero, nunc expecto omnium horarum Amicum, & qui ſummam mecum experiri libertatem poterit. Inæqualitas cum amicitia non convenit, ut putant plurimi, ſed eam exiſtimo eſſe vinculum contraria etiam conjungens. Sed quidquid ſit, nec ſum Alexander, nec tu Diogenes; ambitioſus ille, contentus iſte, magnus unus, & parvus alter, primi tamen excitavit animum ultimi moderatio: Verbis tantum ſummus ille Imperator iteratis actibus philoſophabatur ultimus, etſi ſors inæqualis; & Diogenis minor; magni mores longe etiam erant inferiores. Exuamus igitur, quæ non ſunt ſimilia, ſitque nodus amicitiæ inſolubilis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 23. Aprilis 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

AFfulget nunc major pacis in Germania ſpes, ut video, & opto. Bavarus ad ſummam vergens ſenectam labori quietem, honeſto utile præfert. Imbellis Venetus Otthomanni jugum ſubire non cogetur, Rexque Magnæ Britanniæ ſecurior Galliæ auxilium opportunum ſperare, ac expectare jure poterit. Luſitanus copias dimiſſas evocabit ad ſe. Catalaunia quoque pondus diei, & æſtus feret, & ſic exercitibus ad extraneos miſſis pax tandem ſuccedet quieta. Utinam diuturna! Rumor eſt Hiſpaniæ Regem puellam fere decennem matrimonio ſibi jungere. Mirum eſt tantam prudentiam ſic deliraré. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis ultima Aprilis 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SUmmo tactus dolore ad te reſcribo: Heri maligna febre correptus obiit Marignanus Amicus addictiſſimus. Hodie meam defleo ſortem; nam illius perfectus eſt ſtatus, qui in portu nunc quieſcit, neceſſariamque Parcæ ſolvit dotem. Non eſt beatus, qui vivit, ſed qui in Domino moritur; imò infelix, qui tot, tantiſque expoſitus caſibus vix unum evadere poſſe ſperare nequit. Epaminondæ mors ſacra Chriſtianæ reſpondet, quodque olim generoſitas, nunc pietas vocatur, prævenire tunc mala, nunc expectare, patienterque ferre licet, & ſic non qui fato fungitur ſuo, ſed qui in lubrico ſemper eſt, motuque perpetuo ille infelix merito dicitur eſſe. Avulſo uno alter non deficiet, modo ad me cito, incolumiſque pervenias. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 14. Maii 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INter bona externa proſperam valetudinem primatum tenere non ambigitur. Et ſic nihil eſt, quod ad iter faciendum te cogat, cum remediis præmuniendum ſit corpus quocumque ſit implicitum morbo. Rediit æger Campinius noſter heſterna die. Non timent Medici, ſed quid in parte incerta ſola poſſit conjectura certe non ignoras: Muta, & ratione carentia dictamen quærunt, & inveniunt. Solus homo non ſe dignoſcit, ſuum non invenit temperamentum, alteriuſque arbitrio vitam committere audet. Quid miſerius! ratiocinatio inutilis eſt omninò, ſi corpus, & organa, in quibus operatur, regere non

Uu 2 vale-

Digitized by Google

valemus. Monaſterii res protrahuntur, ut Claſſis Hiſpanica magnis ſemptibus eventu proſpero reſpondere queat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 21. Maii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE itinere ad me faciendo ne ſis inquietus rogo. Abbati noſtro ſuffragor; non enim eſſet rationi conſentaneum Amici valetudinem non bene confirmatam temporis, & viæ incommodo committere. Vsleſs, & maneas hornor, modo ſtos promiſſis cum opportonitas permiſerit. Longius procedet Campinii noſtri ægritudo, longa, ſeu cronica erit, ut affirmant Medici, ſed non periculoſa. Jam tuſſis concocta expuitur, febris pæne imperceptibilis vix pulſu dignoſcitur; & ſic non eſt, quod timeamus. Dum peregerim quinquaginta annorum curſum Deo Optimo Maximo gratias ago infinitas, Amicumque noſtrum moneo. Nunc etſi proſpera utentes valetudine, feneſcimus tamen, tacitiſque labentibus annis finem reſpicimus, ut proximum, aut ſaltem non valde remotum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 28. Maii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TE remediis morbum aggredi facilis curationis, & cognitionis difficilis lubenter audio: Alternis vicibus humana vertuntur. Morbis ſanitas, proſperis adverſs, infimiſque ſumma ſuccedunt interitura ſimul. Ingenii monumenta, fameque æterna, cetera peritura. Melius habet Campinius noſter, cujus incolumitas innititur meæ. Male audiunt hic Hollandi, parumque pollicici cenſentur, nunc Naſſovij magnanimi illi deſiderantur, qui cum Reipublicæ bellantia jecerint fundamenta, unica militari arte ſtare poſſe hunc ſtatum prudentiſſime conjecere. Fides Germana deficit, excecaturque prudentia illa, quæ armis libertatem acquiſitam abſque armis tueri ſtultiſſime putat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 4 Junii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ARmenteriarum propugnatio obſeſſis gloriam, obſidentibuſque honoris parum producet [ut opinor] Leopoldique repentina Archiducis eruptio non erit tanti nominis. De Lerida nihil certi, niſi quod ab Heroe noſtro egregie, fortiterque impetitur. Quoad pacem, in eadem ſum ſententia, eſſetque, ut mihi videtur, nociva niſi eſſet univerſalis. Domus Auſtriaca non ſolum fœdere, & ſanguine, ſed etiam propria utilitate connexa ſibi ipſi auxiliari non deſineret, eſſetque Cæſar ad opitulandum liberior, ſi Germania quieſceret. Campinius noſter convaleſcit, totaque domus noſtra bene ſe habet, Deo juvante. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 11. Junii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DUcem Bullionii venientem excipio. Nunc fortuna mitior ei ſavere cepit, perieratque niſi periiſſet arx Sedani, ſolos Reges decet; parenſque iſtius ad ſupremos Aulæ honores perveniſſet, niſi inſano amore Sedanum deperiſſet. Militares obtinet virtutes, clariorque eſſet, niſi carcer animum ejus exaſperaſſet, minuſque patientem Virum expoſuiſſet, cujus conſtantiam non in præliis ſolum, ſed ubique oportebat demonſtrare. Non ad culpandum ſcribo, ſed ad firmandum cor magnanimis exemplis. Morum ut mihi videtur ſtudium utilius. Non ſemper belligeramus, non ad ſuprema evocamur conſilia; ſed ubique experimur naufragia, & in parvis, & in magnis aſſueſcere debemus, ut virtutis heroicæ in nobis, ſi poſſit, hæreat habitus infixus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 18. Junii 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VEllem conſuleres de tuo morbo Protomedicum Regis, nomine Valterium Arelatenſem; ne febris accidentaris habitualis fiat, jure timeo. Campinius chariſſimus inviſit me hodie Aquarium petiturus turrim, ut aëris melioris reſpiratione vires reficiat. Brinioliam cogitamus. Quoad Germaniæ pacem clare nunc vides ſententiæ meæ certitudinem. Cæſar Galliæ jungi fœdere pacis cupit, ut ſociis Hiſpania validiores ſuppetias ferat, quod ſi obtineat, actum eſt de nobis. Magnæ Britanniæ Regis auxilium de Cœlis opto; in terrarum enim orbe nihil eſt, quod ſperare poſſit. Hoſtis Hiſpanus, rebelles ſubditi, Hollandi ſubdoli, Galli extraneo detenti bello quid poſſunt? Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 25. Junii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

UT olim ſummus orator Cicero ſuas ſcriebat epiſtolas potius ad familiares, quam familiares dicendas, ſic tu as valetudine ordiris tuas, & bene. Totius enim delectationis fundamentum ſanitas, præclara nempe ejus ope deſtituta odio ſunt omnino, ipſaque juventus, dum morbus eſt, diſplicet, ſenectuſque robuſta, & ſana potior eſt ſine dubio. Quoad res univerſas, Turen-

Digitized by Google

rennium citius evocarem ſi poſſem, ut Archiducis præliminaria bellica retundat, & pellat. Hollandis parcere non poſſum, niſi in periculo mortis, ne reprobus fiam. Illorum ignoro politicam, nec mihi ſuadere poſſum, quonam modo otioſa ſtabit, quæ vix bello, & ſociis potentibus fulta Reſpublica vix viget. Pervanum aurum ſuſpicor, & ne ſit Toloſanum timeo. Regis Magnæ Britanniæ caſum fortunæ aſſigno, cujus ludibrium & Reges. Ejus erit prudentiæ illam firmiter tenere, impetumque cæcum prudentia moderare. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 2. Julii 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INter ſpem, metumque ſcribo de Leridæ obſidione ſollicitus. Varii varia narrant; iſti obſidionis ſolutionem volunt, illi fictam fuiſſe contendunt, & Hiſpanorum exercitum Herois noſtri armis, & ſtratagemate profligatum aſſeverant. Quidquid ſit, modo Princeps incolumis evadat, ſatis eſt. Martis, & fortunæ par inſolentia; quos tollunt, aliquando cadere ſinunt, ut poteſtatis ſublimis ſpecimen nobis ob oculos ponere poſſint. De rebus belli, & pacis nihil dico; ab Aquilone panditur omne malum. Campinius turrem Aquarum inhabitat mox urbem repetiturus. Valemus omnes, Deo favente, valeat etiam Amicus chariſſimus, Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 8. Julii 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EX Aquarum turre advenit Campinius noſter valetudine ſatis firmata. Hebdomade iſta diſcedam, Deo juvante, Brinioliam petiturus. Hic in medio Provinciæ ondique nuva confluentia præſtolabor. Quid tandem Leridæ acciderit, didicimus, ſolvit obſidionem Heros noſter, ut tot prudentiæ ſpecimina daret, quot fortitudinis inclytæ. Claſſis noſtra Tolonenſem portum obtinet. Hoſtes in altum conjuncti navigant forſan noſtros invaſuri, aut aliquam ex noſtris infirmiſſimis arcibus, obviam ibo, Deo favente, totis viribus, & alacri animo, ut opinor. Vacant nunc Curiæ noſtræ, ſolaque vacationum camera laborat, & exiſtit. Tolle lites, graveſque curas vitæ ſpinas acrius pungentes avelles ſine dubio. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 15. Julii 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE Magnæ Britanniæ Regis rebus deſperare nunc incipio. Farfaxius exercitus Imperator aut non audet ſatis, aut Parlamentariis mihi videtur addictus. Quid ſibi vult tanta in Londini ſuburbiis commutatio? quid continui curſores euntes, & redeuntes? quid denique ipſimet Regi conſilium ad quoddam caſtellum divertendi, donec res turbatæ componerentur. Reſpiciendum eſſe finem tantæ revolutionis exiſtimo. In Flandria exercitus noſter nullos, ut opinor, magni momenti progreſſus faciet. Multis de cauſis, primam Hollandorum defectionem, ſecundam Vimarienſium rebellionem, tertiam, & ultimam auſtriacorum Imperatorum diſcordiam pono, quæ magnis conatibus ſemper adverſa fuit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 30. Julii 1647.

Quanti emere debeam Regiam Bibliam a Plaignardo Aquenſi Bibliopola reſcribas rogo. Tuis ultimis ſerius acceptis reſpondere non potui.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INſtitutiones Aſtronomicas nunc accepi, de tua proſpera valetudine certus, & lætus. Tolonem inviſi aliquot ibi expeditis neceſſariis negotiis. Plagæ noſtræ (ut fertur) gravia minatur Hiſpanus. De Sicilia nihil certi, populorum ſeditiones vanæ, dum duce carent. Eſt enim plebs bellua multorum capitum, cum unum bonum ſufficiat. Claſſis noſtra navigat, Hiſpanica etiam Mare petiit. Nudius-tertius venationi dedi operam, pridie Tolonem circuivi, heri denique facibus accenſis de ſecunda vigilia Brinoniam appuli, ubi mitior æſtus, aër ſalubrior, fontes puriores, mora quietior. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 5. Auguſti 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

AMœnam hic degerem vitam, ſi Amicus adeſſet Petrus; negotiis, venationi, ſocietati, deambulationi aſſiduam operam do, niſique eſſet aliquod concupitum negotium imperfectum, quod animum premat, felix foret proculdubio vita noſtra. Sed ſpe, ac voto tanta amplectimur, quanta ſuſtinere, nec ferre poteſt humanus animus. Poſſeſſis vix acquieſcimus, & fortunæ more nova quærere non deſiſtimus confuſi, ac varii. Hinc ad feliciorem licet attendere vitam. Quoad Monaſterii res, Traumandotii diſceſſu, negotia manent, aut remanebit inutilis. Briniolæ 22. Auguſti 1647.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ORi tun ſigillum apponens dicam libenter, me nundum inviſurum, nec Aulam, nec Pariſios multis de cauſis, quas ſcribere non poſſum; fingo tamen ne longior noceat abſentia. Potes igitut valetudinem conſulere, itinerique te committere, quando volueris, hoc firmiter credens, te ex corde a me expectatum iri. Manebit anxius animus, donec præſentia Amici incomparabilis fruar. Nollem tuo abuti affectu, & lubenter utilitatem, mentemque tuam anteponere meæ non dubitabo. Menſe proximo, Deo juvante, repetam Aquas-Sextias, ubi cubiculo ſatis ornato ſocium laborum præſtolabor. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 19. Auguſti 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

UTriuſque Siciliæ turbatæ res Hiſpanos omninò obruent, aut juſtis pacis conditionibus ſubmittent ſine dubio. Mirabile eſt magnum illud Hiſpaniarum corpus tam citò corruere, cum tam profundis ſtetiſſet radicibus. Hinc ſapienter a Ludovico undecimo Galliæ Rege dictum fuit: extranea extraneis eſſe linquenda. Monaſterii res protrahuntur. Aulæ noſtræ confiſi Germani crebris mutationibus æquiſſimas pacis reſpuunt conditiones neceſſitate compulſi, quietem tandem reſpiciunt, ſed ſerò. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 26. Auguſti 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

STratagema Gaſſioni probe ſucceſſiſſe lætor. Hic alter Marcellus Gallorum enſis hoſtium tergo ſemper imminet, proſperiſque, & claris eventibus militum animos ſumma firmat fiducia. Poſſumus hic tantum quiete reſpondere, etſi otium appellare non ſuſtineo vitam politicæ immixtam. Pluviæ aërem temperantes gratiorem hujuſce loci fecere moram. Paucis tamen Aquas-Sextias repetam, ut aliquot expeditis negotiis Maſſiliam, ſine qua nunquam Roma triumphavit, inviſere queam. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 2. Septembris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SUmma perfuſus lætitia, gaudioque exultans incomparabili, advenientem Amicum tempore præfixo præſtolabor. Briniolam invitus linquo, delicias meas Maſſiliam peto, ubi ut Mari annexam procellæ alicujus venti violenti ſæpe perflant, tantamque ſemper agitant urbem. Non eſt res magni momenti, ſed in ea nihil modicum. Diviſiones internæ, hoſtes externi, annonæ caritas, infirmorum pauperies, nobilium ambitio celeberrimæ imminent civitati. Hiſce remedium afferre e longinquo non poſſum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Briniolæ 9. Septembris 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

AQuas-Sextias linquo nunc ob Maſſiliam præſentia indigentem mea, ut nuper reſcripſi. Propero ut hic ſiſtam cum acceſſerit Petrus amiciſſimus. Quanta exultem lætitia declarabit Neuræus ille doctus æque, ac ingenuus. Comparavi Bibliam Regiam incomptam. Muſæum te manet, ut nova expoliatur pumice, in ordinem cogatur, & ita oculis tuis perluſtretur lynceis, ut alios pertimeſcere vix queat. Neapolitanus æquus aſſeſſore exturbato campos excurrit, nobiles pedibus ſubiicit, Carolumque Gatæum, Ducemque Toraltum ſequitur. In Germania detinetur Longavillæus: Utinam bona mente! In Britannia regnat Farfaxius, donec Scoti, aut alii potentiores illum e Regio deiiciant ſolio. Rex interim clauſus ſortem ignorat ſuam. Vale Muſarum decus, & ornamentum, Aquis-Sextiis 17. Septembris 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

BRevitas ultimi epiſtolii me tenet. Timeo ne iterum in morbum incidat chariſſimus Amicorum; ſed modo itineris, & aëria mutationem ferre poſſit, convaleſcentiam ſperabo jure. Medicos Martinus eſt expertiſſimus, eodem morbo laborantem Comitem Carſæum omuldem morbo laborantem Comitem Carſæum omulnò liberavit. Sæpius reſcribas rogo, valetudinem regas, libris parum des operam, ſcripturæ minime, recreationique multum impendas temporia precor. Monaſterii res in longius protrahet Werthii victoria. Farfaxius in Britannia nimis amplectitur; e Scotia tempeſtatem auguror illi funeſtam, totique Regno mœſtiſſimam. Rumor eſt Campinium e nobis avulſum iri, ut iterum Lugdunenſem adminiſtret Provinciam. Durus eſt hic ſermo, omnibuſque deſertus intimis; in te unum oculos coniicio. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 24. Septembris 1647.

Petro

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MAſſiliæ iter mihi interclusere frequentes variolæ, quæ etiam Aquenſem infeſtant Civitatem; & portæ cujusdam negotinm ſingulos hujuſce urbis incolas ferme diviſos tenent. Dum matureſcet, rura excolere conabimur, vindemiiſque operam dare, ut mistam degentes vitam, minus otioſa, ac magis ſit grata. Verum eſt Priorem Valletæ exceſſiſſe e vita, animæ dimidium tuæ. Quid novi? Reges, ruſtici, docti, ignavi, duces, & milites eandem incedunt viam; ſerius, ocyus, omne capax movet urna nomen, aut potius, ut antiqui ferebant, non eſt mors, ſed obitus ſeparatio illa animi a corpore, quæ ſepulchro ſuam reddit prædam, cœliſque ſpiritum, ac potiſſimum Deo, qui, ut ait Salomon hominum ſapientiſſimus Eccleſiaſt. cap. 12. dedit illum, noſtroque incluſit corpore terreno. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 1. Octobris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MOram aliquot menſium libenter feram, modo ſalubrior evadas, & ad nos incolumis pervenias. Timeo tamen, ne humidior aër temperamento noceat tuo. Plures eſſe Gaſſendos optarem, ut Pariſini, & Provinciales eorum opera unà abſque æmulatione frui poſſent. Sed unicus Sol, unica Luna, unicus etiam Gaſſendus, quem unice diligo; concedo igitur te tibi ipſi, ut aliquando meus fias. Quid demum? Tutelam e Cœlo accepimus; nobis patrocinatur æther, & conjurati veniunt ad Claſſica venti, imò ad Claſſem Hiſpanam, quæ decimo tertio antecacti menſis littus legebat noſtrum, tanta eam corripuit tempeſtas, ut per aliquot dies ludibrium fuerit Mediterranei Maris, ſolaque Ducis Oriæ triremis Genuam appulit incolumis. Decem hominum millia ferebar, Tolonemque vi expugnare habebat in mente. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 8. Octobris 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

A Sanguinis ob præcautionem miſſione calamum ſumo, ut tibi reſcribam. Non multum te accepiſſe ex ruſticatione incommodi lubenter audio. Groboſii ambulacra tibi fuiſſe oblectamento lætor admodum. De diſceſſu amici noſtri nihil eſt, quod dicam. Talis jactura tua tantum poteſt reſarciri præſentia. Nulla hic ebit dies, quin Sol eluceat. Autumnos frugifer, etſi pauca frumenta, racemi, olivæque fertiles fuere, & ſic Providentia Divina compenſat omnia. De Monaſterii negotio nihil. Romæ promotio a ſummo facta fuit Pontifice, noſterque Archiepiſcopus unus eſt ex ſex aſſumpris. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 15. Octobris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HIſce purgationis meæ diebus otioſus non fui: Domeſticis operam dedu negotiis, quæ parum oblectamenti, multumque moleſtiæ afferre ſolent. Humanæ tamen vitæ fundamenta ſunt, fruſtraque ad alta ambitione noſtra properamus, niſi proventuum noſtrorum parſimonia fulti. Etenim exhauſti patrimonii jactura per ſcelera erit ſupplenda, neceſſitatique ſuccedit aliena rapiendi libido, cogitque deſperatio quos bona indoles, & educatio a vitiis abhorrere docuerat. Abſit avaritia Idulorum ſervitus, quam animi hydropiſiam voco D. eſt avaro quod haber, & quod non habet: Anima dives eſt cum nihil cupit, & arca auro cum ſit plena. Optime Græci χρήματα, divitias appellant, eas tamen moderatur uſus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 22. Octobris 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MAſſiliam oculis, pedibuſque luſtravi tuam, & ſub ipſomet Comitiorum tempore rura repetii, ubi homo vivit ſalubrius, ſtudet frequentius, meditatur liberius, Muſaſque magis obſequentes experitur omninò. Urbem denique cogito, negotiis, converſationi operam daturus non ingratam, quandoquidem non quæro quæ mea ſunt, ſed ad ea tendo, quæ Regis, totiuſque mihi commiſſæ Provinciæ utilitatem reſpiciunt. Tu denique valetudinem regas, ut ineunte Vere ad nos incolumis pervenias. Jucundiſſimum non accepi epiſtolium. Vale Muſarum decus, & ornamentum. AquisSextiis 28. Octobris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ITerum rura repeto, conventuum noſtrorum tempus expectans. Omnium Sanctorum celebritatem colimus, defunctorumque commemorationem, propterea quod ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur. Sequitur enim delictum pede pœna claudo, cui ſatisfactionis, ſive Purgatorii locus deſtinatur, culpam remittit miſericordia Divina, flammis pœnam extinguit ſumma Dei juſtitia. Prima ad Cœlum evocat, altera ad tartara mittit, & ita omnium virtutum ſpecimen nobis linquit Optimus Maximus. Quoad urbis hujus res, bel-

lum

Digitized by Google

lum inflammatum, pacem difficiliorem video, niſi Neapolis, & Sicilia hoſtibus noſtris quietis imponant neceſſitatem. Perfidus Bavarus jurejurando violato ſenectutis diem dehoneſtat ultimam. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 5 Novembris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

Diluvium paucorum dierum dulciſſimum epiſtolium tuum detinuit diutius, vixque ei reſpondere momentum reſtat. De re œconomica reſcripſeram movente me ruſticatione, quæ aliquando importuna non eſt. Nunc e te audio, Bavarum fœdifragum quærere excuſationes in peccatis, quas non inveniet niſi pacem promoveat. In Britannia Farfaxius miſero Regi illudere non erubeſcit Has rerum facies, fortunæque ludibria non ſine ſtupore conſidero: Hinc ſervum dominantem, illinc Regem ſervientem, rebellantes alios, & uſque ad Synarum fines bellum penetraſſe atrox, cruentum, ſæviens, terra, mare ſub tanto ingemiſcunt pondere, ut omnia miſceri jure timeam. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 12. Novembris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογαῖν.

PRomptus diſceſſus tibi non reſcribendi attulit neceſſitatem. Nunc hîc fixus duobus epiſtolis unico reſpondeo, incipiens a valetudine tua, quæ mihi eſt cordi. Jure exiſtimabat Tiberius Imperator unumquemque ſibi Medicum eſſe debere; quandoquidem experientia dignoſcitur ars illa omninò conjecturalis. In Germania bellum inflammatur. Pax in dies difficilior, firmiterque teneo nonniſi induciis ad eam pervenire poſſe delegatos. De Britannia Magna nihil certi. Prævalet diſcordia, ubi fixit pedem confuſio; nec frater a fratre tutus. Farfaxius ipſe [ut fertur] militum animos ad Regis miſerias converſos vix poteſt cohibere. Equus interim Neapolitanus infrænis Seſſurem excuſſit Hiſpanum, Galliamque infelicium protectricem reſpicit. Claſſis noſtra ad auxilium properat quingentis noſtris electis ex præſidiariis militibus onuſta. Favet ventus, fortuna, rerumque opportunitas eximia. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Civitati 25. Novembris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DIfficiliorem Provinciæ ſtatum in Comitiis experimur. Populi in unum coacti ſibi videntur liberiores, & audacter denegant quod privatim, ac ſeparati ſine murmure ſolvunt, pollicentur quod praſtare non poſſunt, omnes verbo depugnant, ſinguli denique vincuntur. Non ſine labore tamen ad finem pervenitur. Preces, minæ, conſilia adhibentur; falluntur autem, ut pueri, quibus ſaccaro conditum porrigitur medicinæ poculum. Eſt pia fraus, quæ ducit ad ſalutem. Claſſis noſtra a 25. Menſis tranſacti die navigat, ut Neapolitanis auxilium ferat opportunum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Civitati 2. Decembris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

COmitiis noſtris peractis liberius nunc ſcribo, diſtuli infinitis implicitus negotiis. Urbem noſtram repeto, ubi non erit tranquillior vita, & ſic quietis nulla ſpes; non expecto equidem, nec ſpero, donec ad æternam pervenire beatitudinem liceat. Cor noſtrum triangulare ſolo Trinitatis triangulo repleri poteſt. De valetudine ſollicitus tuâ, præſentiam non ſpero, etſi admodum deſiderem; adveniet tamen diſcedendi momentum, ſi pari detinearis deſiderio. Neapolis rebellio procedit ſemper, Claſſiſque noſtra in auxilium navigat. Dux Guiſius omni ſuperata difficultate, incolumis tandem evaſit. Monaſterii res [ut fertur] ad pacem tendunt, Bavariæque Dux Imperatori quietem inſpirat. Diſcedit Campinius ab amicis raptus eum mei ſummo retineatur amore. Siccine ſeparat ſors quos amor nodo jungit inſeparabili? Vale Muſarum decus, & ornamentum. Civitati 16. Decembris 1647.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DIſceſſit tandem Campinius noſter non ſine mœrore. Separatio violenta, ubi unio ſtricta fuit; abſentia intolerabilis, ubi præſentia tam grata erupit, aufugit, evaſit; ſed imaginem ſui ita cordi infixit meo, ut nunquam deleri poſſit. Ineſt amori in mortem imperioſa manus, magiſque ſuperabit abſentiam amicitia non communis. Nunc omnibus deſtitutus, poſt te, tuamque præſentiam fortius clamabo, modo adſit proſpera valetudo, ſine qua vita ipſa ingrata. Brevior fiet epiſtola hiſce diebus feſtis, ac potiſſimum Domini Natalibus, quæ jejunio, ac precibus colere, & celebrare decet. Vale igitur, & ſic præſentes inſpicias, ut abſentis amici rationem habere poſſis. Vale iterum Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 24. Decemb. 1647.

Petro

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ADeſt ultimus hujuſce anni dies, aderit citò finis univerſæ carnis, & ſic ad mortem properamus cuncti. Uuum eſt Numen, æternum, immutum; cetera caduca, & fluxa, primuſque dies dedit extremum. Nosque ipſi theatrales Mimum vitæ agimus uſque ad plauſum, & qui nobis ſuperſtites, cenſores ſeveri ſunt, odioque, livore, aut æmulatione, ducti cineribus non pareunt noſtris. Naſcentes morimur, & quamvis morientes vivamus, delitias colimus ut immortales, venationi, ædificationi, & aliis oblectamentis immixti, ultimæ obliviſcimur horæ; inſtat illa tamen, nosque incautos rapit, trahitque nolentes. Sic philoſophari decet, dum eſt mens ſana in corpore ſanu. Grata ſama valetudo contingat abunde. Vive, valeaſque ſemper Muſarum decus, & orusmentum. Aquis-Sextiis die ultima anni 1647.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ANnus hic biſſextilis Martialis potius, quam pacificus, ut mihi videtur, erit. Turca Venetum totis viribus oppugnat. Anglus Regem ſuum detinet in carcere. Bavarus cautus occaſionem captat. Socii noſtri, aut oppreſſi, aut lapſi viribus, animuque deficiunt. Aula Romana novum ſperat Pontificem, & Neapolitani magis ſine Domino, quam in libertate Hiſpanorum jugum exeutere tentant. Gallia in ſe unita internam fovet pacem. dum externum bellum parat; & ſic ubique Claſſicum tuba canit. Tu interim valeas Muſarum decus, & ornamentum, bene valetudinem regas, amicorumque abſentium memor, ſtudeas frui votis, partis uti, ambitioneque illa exui, quæ ſublimis cruciat ingenia. Aquis-Sextiis 7. Januarii 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MOleſtiſſimo ſemeſtris Parlamenti implicitus negotio vix quieſcit animus; undique tamen proſpera exoriuntur. Dux Mutinenſis proſpero prœlio Mediolani copias fugavit, & cohibuit. Navalis noſtra Claſſis, ut fertur, Hiſpanicam fere cremavit. Hinc, & inde victoria. De Germania nihil ſpero. Monaſterii res protrahuntur. In Magna Britannia captivus Rex ſubditorum inclemat fidem, & ſic incipit annus Biſſextilis. Valetudinem firma, quò poſſis citius nos convenire. Valet Deo ſavente familia, excepta unica filia, quæ parumper ægrotat, non periclitatur tamen, brevique, ut ſpero, convaleſcet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 14. Januarii 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ETiamſi res in Magna Britannia nutent, negotiumque pacis interruptum eſſe videatur, nullaque concordiæ lux affulgeat, Dei Optimi Maximi providentia Chriſtianitatem in pejus ruere non ſinet. Veneti ſoli reſiſtunt hoſti formidabili. Græcia libertatem appetit, omnesque Orientales, qui Catholicam profitentur fidem, noſtram implorant opem. Claſſis noſtra incolumis, & victrix Tolonem appulit. Nespulitani concupiſcunt magis florentem ſtatum, quam ſperant, & inter ſe diviſi Hiſpanis locum dant ultima tentandi. In Hetruria arces noſtræ bene munitæ. In agro Cremonenſi velitationes proſperæ audiuntur, & ſic ubique incipitur annus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 21. Januarii 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HOc momento interdicitur Parlamentum noſtrum, & poſtea inſtituetur Curia ſemeſtris. Spero, Deo juvante, omnia tranquilla. Emiſſio illa ſanguinis eſt copioſa, eſſetque periculo immixta, niſi ordinum hujus Provinciæ obſtaret diſcordia, noviſſimum malorum, & extremum. Quoad res Monaſterienſes, omnia obſcura. Neſcio an diſceſſerint Hiſpanienſes Plenipotentiarii, ut fertur. Petiit portum Claſſis noſtra multas paſſa tempeſtates. Hiſpanica verò anchora fundavit naves Neapolitanorum Caſtellorum ſub ictu. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 29. Januarii 1648.

Inſtitutum fuit ſemeſtre, nemine refragante.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FEbricula etiam ephemera tuſſi importunæ conjuncta tentatus ſui. Nunc bene habeo, valetudiniſque tuæ ſolum anxius mœſtus hæreo, donec epiſtolio me recrees. Anglum deflerem magis, ſi Schiſmaticus non eſſet. Nunc verò ſpoliatus noviſſimum expectat diem. Munaſterii negotium diſſimulatione iter pergit impervium, cujus terminus Europæ Chriſtianæ erit ruina, hoſtisque communis proſperitas. Plura dicere vetat brevitas conſueta. Vale Muſarum decus, & orusmentum. Aquis-Sextiis 4. Februarii 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn ſine labore pervenitur ad quietem. Bellum pacem poſt ſe ducit, & tempeſtas ſerenitatem. Confuſio denique magna ordinem gignat neceſſe eſt omnino. Hiſpanus pacem horret. Attamen regni Neapolitani sebellio progreſſum facit, cogetque neceſſitas quos ratio non regit. Deprimet ſuperbiam nationis fortuna peſſima, contumaciam retundet amicorum deſertio. Arces offerunt Summo Pontifici, qui mediatoris, patriſque communis nomen non amittet, ut bellum incertum contra nos gerat. Valetudinem cures rogo, meique abſentis rationem habeas totis viribus precor. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 11. Fabruarii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TUrbatas Europæ res componere Dei opus eſt, non hominum, fruſtraque excruciantur ingenia. Hic digitus Dei eſt, qui peccata noſtra punire non deſinit, quandoquidem peccare non deſiſtimus, utriuſque temporis, bellorum, ac pacis vitia ponderans, minora ſuſtinet majora perdens, luxum, ſuperbiam, gulam, lubricitatem cum pace ſimul eliminat, rapinas, cædes, ſolitudines bello committit, & permittit. Et nondum ſtatim finis, precibus, converſionibus, & eleemoſynis carius emetur tantum bonum immeritum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 18. Februarii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LOngavillæ diſceſſus pacem videtur explodere. Britanniæ res confuſæ denotant regnum potius ſine Rege, quam cum libertate. Cortereaci repentina irruptio proſperum non habuit ſucceſſum. Veneti imbelles, bellicoſæ reſiſtunt nationi contra omnium opinionem. Armati autem pacem ab Ottomano petunt, nec pecuniis parcunt, modo poſſint portam venalem adoriri. Itali æquilibrio ſtudentes Neapolitanorum motus quieti reſpiciunt, libertatiſque ſuæ carum perdunt momentum. Germani denique bello aſſueti pacem ſpernunt, quam ſanguine, & jactura emere coget irremediabilis neceſſitas; & ſic ubique inchoatur Biſſextilis annus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 25. Februarii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

OB oculos exempla ponit ætas noſtra, quibus non credet poſteritas: Spoliatos Principes, fugitivos, mortique ipſi affixos non fortuitæ, ſed violentæ. Quid plura? Germani ipſi ſunt fœdifragi, Hollandi ingrati, Scoti denique perfidi clientes. Pulvis, & umbra ſumus; vanitati etenim ſervientes, fortunæque ſpe, & ambitione omnia oculis vortere non deſiſtimus. Hic præſcribere cogimur, quos nec togæ rationi obedientes, nec lenis objurgatio ullo modo reprimere poteſt. Franciſcum Thomaſſinum, Sinium, & Samareum Senatus Conſiliarios ablegavimus, & jure. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 3. Martii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUid in Regem ſuum ſtatuerint Angli adhuc ambigitur, quidquid deliberent, deſcivere. Non poſſum quin in eos invehar, qui jure divino, humanoque neglecto, ultimas Principi decernunt pœnas. Timeo aliunde ne cunctando Hiſpani rem reſtituant, ſocios noſtros corrumpentes. Rumor eſt ex Italia Pioncipes Parmæ, & Mutinæ ab hoſtibus premi, ut uno inter ſe fœdere jungantur ad quietem patriæ procurandam. Sic ubique in nos parantur arma, & ita eminus, & cominus reſiſtendum erit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 10. Martii 1648.

Ferunt Litteratum quemdam nomine Balduinum traduxiſſe Xenophontem, & Plutarchum: Vellem reſcire.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

UT nihil deſit Regiæ Angliæ infortunio, ipſius ſubditi ſuum finem videntur deguſtare, quò poſſint crimini crimen addere, & ſervata legis ſpecie atrocius in Principem invehi legitimum. Spernunt legem antiquiorem, contraque jus divinum, & humanum in illum fictis legibus agunt. Longavillæ reditus reliquam pacis ſpem expellit omnino. Tantæ Vir experientiæ non recederet, ſi ſcintilla concordiæ affulgeret aliquando. Quoad Neapolitanos attinet, mobile odi vulgus, & arceo, nimiumque libertatis aſſumet populus, qui maximam perpeſſus eſt ſervitutem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 17. Martii 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NEſariorum conatus cum in multos ſævire non poſſet, in unum graſſatus eſt nomine Guydonem Maſſilienſem officii ſemeſtris candidatum a tribus aggreſſus nondum occiſus fuit. Ita timide ſe geſſerunt, ut & arma liquere, duo ſcilicet ſclopetta minora ab artifice recognita. Stephanus Vaillac hoc indicio deprehenſus eſt, Venellus Regius Conſiliarius fugitivus abiit. Criſis eſt inſignis morbi, aut lethalis ad internecionem uſque, aut ad reſipiſcentiam ægri. Conſules hujus urbis concordes omnia mihi obtulere, ut ſecuritas, & tranquillitas civitati reddatur. Ubique ſupereminet regia auctoritas. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 24. Martii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

AEtis mutationem nativi pernecesſariam judicant amici, & Medici. Operum tuorum editionem e patria melius, & cautius curabis procul dubio. Nec eſt quod te retineat pariſienſis plauſus, quem univerſus non ignorat Orbis Terrarum. Tornatorius tuus, qui tuis inſudat litibus, idem ſuadet, & jure; quid enim proſpera valetudine pretioſius? quid patria jucundius? quid amicis denique ſecurius? Diſcedet mox Tornatorius, obviam ibit, teque manu capiet, ſi vis expediat, ſolusque amor, ardensque tui deſiderium non ſint ſatis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis Martii ultima 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INduciæ tibi cum libris, omnique tam animi, quam corporis labore ſunt faciendæ, quò facilius valetudinem regere poſſis. Tornatorio totis ſuadeo viribus, ut te vel invitum ab aëre pariſienſi avellat, ubi urbs imminet inclyta totius imaginem referens Orbis. Hinc Aula eximia paret offundens inſpicientium oculos, illinc infinitæ plebis objectum, armati, docti, nobiles, artifices undique ſurgunt, divitiæ immenſæ, paupertas etiam jacet importuna; quid dicam amplius, confuſio eſt illius ordo, & quotidie famem timet civitas, omnibusque abundans, & referta rebus. Incantat animos, faſcinat oculus pulcher Aulicorum corda, & Presbyterûm doctiſſima pietas ad Cœlum trahit multos, & ſic virtus, & voluptas militiam inter ſe ibi exercent aſſiduam. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 7. Aprilis 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HEroëm noſtrum eſſe in procinctu lætor, unitamque Provinciarum diſcordiam, avide audio. Etenim tanti Ducis præſentia hoſtibus moleſta erit procul dubio. Fœderatis etiam utilis illa diſſenſio, quæ pacem e ſuis expellet finibus. Imperium bello partum bello ſervatur. Quoad Bavarum, non mihi videntur reſpondere ultima primis. Tanti nominis ſeptem-vir, qui fortitudinis, & pietatis tanta edidit exempla, nunc ſubdolas latebras quærit inutiles. De Britanno nihil pronuntio. Parlamenti mora Regis ſalus erit, & quod Scoti rationis, & officii ductu non ſunt auſi, commiſeratione, & neceſſitate preſſi forſitan perficient. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 14. Aprilis 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DIſceſſum toties dilatum iterum promittis. Amicum non urgerem, niſi ſummo oblectamento meo eſſet tua conjuncta valetudo, & utilitas. Certiſſimum eſt, aëris Lutetiæ Pariſiorum reſpirationem tibi lethalem a Medicis judicari. Quoad utilitatem, quæ te non tangit, dicam uno verbo, noſtra erunt communia bona, & maximam mecum experieris libertatem. Nec tibi ejuſdem Lutetiæ clauſus erit reditus cum expedierit. Exue igitur catenas aureas, ſic voco amicitias, quæ te jure detinent. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextijs 21. Aprilis 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ADvenit Curſor abſque dulciſſimis litteris, quod miror. Diſceſſit Tornator longioris abſentiæ impatiens. Quoad me, moram amplius ferre non poſſum tanti dilati oblectamenti. Neapolitanus populus toties perfidus Hiſpanos rurſus admiſit; Duxque Guyſius ab equitatu inſequutus, captus ab hoſtibus fuit. Caveamus a Catalaunia, & Germanicam pacem debemus recuſare, niſi Hiſpanos deſerat Imperator, & unio catholica, cujus caput Bavarus ſeptem-vir. Epiſtolii, aut perditi, aut neglecti jacturam reſarcias oro. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 28. Aprilis 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUid dicam tibi nunc ignoro. Primis epiſtolis a tribus annis exaratis totum luſtravimus Orbem, Bocalinique more ſingula ponderavimus. Quid ſupereſt, Monaſterium penetravimus, ubi arcanum, quod volgare non licet, audivimus. Lutetiam denique ipſam feliciter repetere conceſſum fuit. Imponamus igitur litteris finem, Tornatoriſque manu ductus amicus diſcedat, & accedat, ut difficilibus implicitus negotiis non ſui ſit juris, ſed potius, ut aliquando omnibus ſolutus curis ſibi ſoli vivat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 5. Maii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REſumunt, ut video, vires, & animum Scoti, ut Regi reſtituant quam ſubripuere libertatem. Hollandi proſperitate inflati pacem quærunt iniutam, & infauſtam. Germani inter ſe pacati onus belli linquere nobis ſtudent. Itali delitiis, & otio dediti, nec audent ſatis, nec provident. Et ſic in Orbe luditur; dum ſoli Veneti communem propulſant hoſtem, ſed cito decident, deficientibus animis, & pecunia. Graviora paſſi, dabit Deus his quoque finem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 12. Maii 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

COncedo libenter petitum tempus ab amico, cui nihil denegare poſſum; etſi dubitem te poſſe ob adverſam valetudinem huc proficiſci, cum volueris. Affulget ex Aquilone aliqua Regi Britanniæ ſpes; ſed deeſt vir, qui regat, & dirigat infelices Principis res ferme deploratas: Quidquid ſit, non omnino deficere Scoti, quandoquidem ad ſui Regis reverentiam, & amorem redire teſtantur. De Svecis audio aliquid, quod me perturbat; illos ſcilicet ſeſe recipere, eis ab Imperatore, & Germania conceſſa pecunia, & ita ſoli remanebunt Galli tanto impares oneri. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 19. Maii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LEnta graditur pede Magnæ Britanniæ Regis ſalus, quamvis ipſius adverſitas gravi eum premat pondere. In Germania, aut cruentum fiet prœlium, aut pax a multis deſiderata. In Flandria Heros noſter coëgit exercitum, & ad hoſtes pergit alacriter. Deus Optimus Maximus, qui & exercituum appellatur, laurea cingat invicti Principis tempora, & ita ejus ſubiiciat pedibus hoſtium inſuperabilem ſuperbiam, ut Orbi Chriſtiano pax immerita concedatur aliquando. Tunc licebit Ottomanum aggredi. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 26. Maii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PErpauca ſcribere te lætor, modo eamdem abſtinentiam ſerves in omnibus, ac præſertim in animæ laboribus, & exercitationibus. Diniæ Antiſtitem Curiæ noſtræ hærentem, ac periclitantem invenimus. Tornatorem expectamus, qui vera de valetudine tua renuntiet. Nunc & de Germania, & de Magna Britannia taceo; hujuſce Urbis res confuſiores verum a falſo diſtinguere non ſinunt. Tempus veri parens altas, & profundas iſtas diſcutiet caligines. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 2. Junii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

APerto dimicare Mare Regium eſt, dolus, an virtus quis in hoſte requirat? Vitia erunt donec homines; ſed quibus liceat bis peccare, niſi ſolis Gallis? qui in pace, in bello ſemper eoſdem committunt errores, & intra unum diem multi pulveris, & laboris civitatem Curteracum amiſere. Herois noſtri lugeo ſortem, quandoquidem aliorum culpa vertitur in ſuam. Et ſic ſingulorum imprudentia magni providentiam Ducis ſternere nititur. Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi, & e contrario. Hic rebus urbanis impliciti ingratum ſuſtinemus laborem, etſi non perparvum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 8. Junii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ULtima ſignificant mihi nova, quam inſtabilia ſint hujus urbis omnia: In Germania a noſtris adeſt partibus fortuna. In Flandria non adhuc elegit quem ſequeretur Ducem; nutare videtur adhuc, ſed invictum Herois noſtri pectus difficilem ſolvet quæſtionem. Bacchanalia hujus gentis more ſacratiſſimi Corporis Chriſti ſolemnitati miſcuimus; ſclopis tamen armati Sancti Salvatoris Baſilicam non ingreſſi fuere, & explodere prohibiti modeſte ſe geſſerunt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 16. Junii 1648.

Petro

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ANtiſtitia tui lis, civilis eſt, & ita nihil, quod ad dignitatem, aut perſonam reſpiciat, video. Totnaiorem inviſi eupidum tui, & amantiſſimum; te infra paucos menſes diſceſſurum promiſit: Faveat valetudo, favent omnium vota. Caſtellæ leone nihil crudelius; ſanguine reſtagnat Neapolis, ubi pueris non ſubvenitur pane, ſed gladio occumbere datur. Quid Turcarum barbaries poſſet opponere? quid antiquitas fingere? quid poſteritas credere? Triremes Galliæ decem navigiis junctæ petunt Siciliam: Utinam fauſte! tantiſque occurrere miſeriis illis a fortuna, aut potius a Dei providentia concedatur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 22. Junii 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MAtureſcunt omnia præter pacem, cujus fructus recrudeſcit. Optamus quod nolumus, exquirimus quod ſugimus, amplectimur denique quod tanto habemus faſtidio. Quid plura? Alterum vellem eſſe Cyneum, qui Hiſpanis tantum ſuaderet bonum. Omne donum e Cœlo deſcendens ab Optimo Maximo, ac præſertim pax illa beata ex eodem oritur principio. Claſſis noſtra nunc in procinctu mare minatur ſuperbum, etſi innumeris glorians naufragiis. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis Junii ultima 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

JAm tranſit Æſtas, & ſpes proximi diſceſſus affulget. Non urgeo, ſed lætor, dum in amici amplexus ruere cogito. Deeſt qui verum dicat. Mirum eſt, Principes fere omnium experimentum facere, excepta ipſa veritate, quæ illis unquam niſi perſonata occurrit. O quam infelices, quos alloqui audet nemo! Omnes fortunæ blandiuntur, nullus perſonæ Principis. Multi Crateri, pauci Epheſtiones. Aſſentatio palam, veritas clam agit, & in Aula peſſimum inimicorum genus laudantes. Vive diu, ac vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 7. Julii 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

POloniæ Regis obitum inter proſpera ducet Iberus, ſucceſſor in incerto ob diviſa ſuffragia. Caſimirum eligent, ſi intra domum hæredem quærant, orbem ſi perluſtrent, famamque omnium ore loquentem audiant. Heroem noſtrum merito conſtituent Regem. Bavari culpam ſequitur pœna pede non claudo. Tanti ſeptem-viri mentem non capio. Fortunæ committit ætatem octogenariam; cum Veſpaſianus de ſexagenario in utramque partem prudentiſſime conſuleret, antequam ſe ad bellum accingeret civile. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis Sextiis 14. Julii 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MUtationes in Aula crebræ. Vitam ruſticam ſecuriorem eſſe inficiatur nemo. Meretrici comparatur illa, quæ blanditiis caſtiores ſeducit aliquando, ſed excurritur mare quamvis innumeris clarum naufragiis, ſic Aulam expetit ambitio, ut ceteris præſit; avaritia, ut divitiis affluat; prodigalitas, ut pecuniā emat ſuā ſummos honores; probitas, ut proſit, malignitas denique, ut noceat. Nec plura exquiras, & hæc de Aula ſatis, ubi ſilentium ſagacitas eſt, & myſterium. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 11. Julii 1648.

Campinio noſtro epiſtolium præbeas incluſum enixiſſime rogo.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MAgnam undique Britanniam agitatam video, captivumque Regem vivere, ut reſpiret, non ut regnet, & ſic precariam trahere vitam. Walliæ Princeps non mihi videtur, per quem ſalus ventura ſit in Iſraël. Fama, quæ aliquando nimia, & nunquam eſt falſa; cum de tanto Heroë loquitur non eſt garrula, ſed triſte ſervat ſilentium. De Sveeis rumor eſt, eos cum Imperatore conveniſſe, præſente, ac interveniente Serviano Plenipotentiario, & Pigneraudam Hiſpaniæ Regis Legatum extraordinarium Monaſterio diſceſſiſſe, ne vocem cum inferiore ſociaret. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 27. Julii 1648.

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DUu difficilia videu, tarelumque penitus ignoru. Primum, quæ ſit mens Bavari deſtructi. Secundum, quid ſibi vult pax in Germania, ſi cum Hiſpano bellum gerere cogamur. Tertium, quò rendunt magni noſtri Parlamenti reformationes ipſo tempore belli externi, atrocis, diuturni, impurruni, inquam, ſi fas eſt dicere. Silent leges inter arms, rumorque belli legum latarum prumulgationem opprimit. Unusquisque urilitati ſtudet publicæ, circumſtautiæ tamen non negligendæ. Vale Muſarum decus, & urnamentum, Aquis-Sextiis 4. Auguſti 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DEclararione, & præſentia clauſit Rex Chriſtianiſſimus magnæ Curiæ cumitia. Exiſtimant multi res longius proceſſiſſe, quam ut tam citu ſtabiliri puſſint. Quidquid ſit, ſummæ prudenriæ eſt duos ſimul hoſtes non convenire diſcordiam, & Hiſpanus. Res Provinciales ex aliis, patientiam ex me ediſces. Ad arma conclamatur in comitatu; ego in tuga maledictis petor, precibus reſpondeo, ignis undique me premit, aqua fiu, & ſic gubernaculo inſiſtens mutas undas compono. Clerus, nobilitas, pupulus Regiam reſpiciunt poteſtatem, turbidi, pauci, debiles in ſuam ruunt perniciem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 11. Auguſti 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PAtientiâ potui miteſcere pardos, ut ediſces puſtea. Nunc lenteſcit primus rumur: Sua munia reddit Senatus noſter, etſi ſemeſtris. Agros, & vineas excolunt ruſtici; nec uſquam tam profunda pax, cum ubique intonet bellum. Furnum interea expugnant hoſtes, Herosque noſter pæne deſertus, ipſi patientiæ litare cugitur. Et ſic inteſtina diſcordia dedecorat nuſtrum triumphans imperium, graviura paſſi; dabit Deus his quoque finem. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 18. Auguſti 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUam ſit arduum, & difficile cuncta regendi onus, ob oculus ponere non eſt neceſſe. In momento ſumma vertuntur, & ut in bellu, in politica non licet bis errare. Ad Bavarum tendu, cujus perjurium ditionis ſuæ deſtructiune corripuit juſtitia divina nunquam fallax, ſed plerumque occulta. Nihil tam politicum, quam Scriptura ſacra nihil ſanctius. Dictamen eſt naturæ ipſius, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Non erat ſeverus Imperatur ille Romanus, qui liminibus ſui Palatii hanc infixerat pulcherrimam ſententiam. De pace nun loquor, ſed concupiſco tamen, etſi non ſperem. Vala Muſarum decus, & urnamentum. Aquis-Sextiis 25. Auguſti 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EPinicion canerem, & ante aras ſaltarem, ſi Herois nuſtri gluriæ nuſtra nun eſſet utilitas juncta. Non ubmuteſcet inimitabilis Capellanus, non reticebit hiſturia, fama ipſa centum loquetur oris, nec alium experietur terminum tanti Viri victoria, quam ipſum terrarum orbem. Obſecundat fortitudini ipſa fortuna, trahitque ſecum Heros noſter inevitabile fatum, cujus voci antiquorum Dii obtemperabant. Servet incolumem precur ſulus ille Deus Optimus Maximus, e cujus ſinu oritur victoria; triumphet Dux invictus, mortique non ſubjaceat, cujus expediriunes æternæ ſunt memoriæ caræ. Vale Muſarum decus, & urnamentum. Aquis-Sextiis Septembris prima 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DIgitus Dei hic eſt: Nunquam rumor citius evaſit, quam heſternus, nunquam minus damnum, nunquam tam brevis exitus: Dei opus, non hominum. Regis nuſtri innocentia auctoritatis non patietur detrimentum, & pæne ſeptuaginta Regum ſulidata Majeſtas non corruet. Monarchia tam antiqua æternitatem attinget aliquando, aut certe Orbis caduci finem, gradibus iſtis pacem aſcendimus, copiarum coactiune, prœliu, ac victoria, eum ad vim redigun-tur umnia, ſi pactu res tranſigatur, ratiune, juſticia, ſuaſione, ac probitate, tantum perficitur upus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 8. Septembris 1648.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

MErſennus obiit ſcientiſſimus, piiſſimusque, Cœlum petiit qui univerſum terrarum orbem oculis ſubjecerat ſuis, Angelorum concentu delectatur, qui Muſicam optime callebat. Expertus eſt ultimam horam, qui omnium rerum ſecerat experientiam. Beatitudine ſatiatur qui inveſtigatione eximia ſerutabatur rerum cauſas. Quiete denique fruitur ſumma, cujus ingenium in continuo fueras labore, ſummus Mathematicus, humillimus Religioſus, mitiſſimus Hominum, ſimplex, ac timens Deum. Oſſibus levis ſit terra, & anima gravi gloriæ pondere prematur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 15. Septembris 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DE omnibus loquitur rebus ultimum epiſtolium; de diteeſſu ne verbum quidem; vellem tamen reſcire quid adhuc hæres? Diſplicet quidem longius iter, patriæque commotiones. Ne pertimeſcas, invenies hic quiesem ſine nube, libertatem experieris non imminutam, valetudinem integram, & amicorum amplexus. Carior mihi eris præ aliis, geniusque tuus meo conjunctus certiſſime prævalebit, Natale ſolum valetudinem reddet firmiorem; quid denique dicam? Præſentiæ ſalus innititur mea, & oblectamenrum ſummum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sexsiis 22. Septembris 1648.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HErois noſtri cruor eſt ſimilis illi, quem a ſuis Diis fluere Poëtæ fingebaor antiqui. Videtur immortalis, etſi vulneribus expoſitus, cujus memoria nunquam eſt moritura. Non poteſt occumbere morti is, e cujus vita pendet regni felicitas, donec creſcat Rex noſter, alter Auguſtus, quamvis Philippi nomen non habeat, unici fratris brachio fultos triumphabit aliquando. Aurelianenſem prætermitto, victoriarum laureâ tectom. Quoad pacem, hæreticus ſum, in eaque ſeutentia, Germanicam ſine Hiſpanica inutilem eſſe eredo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 29. Septembris 1648.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EX nubium conflictu acceſſit tandem maxima tempeſtas; intempeſtiva illa quidem, auctoribusque pernicioſa, quid ſibi vult ordo eum confuſione? quid bellum cum legibus? quid denique reſtauratio Regni eum ſingulorum jactura? Narrabit aliquando poſteritas, Senatores noſtros olim minorum Regum nutritios, nunc diſcordes, bellum atrox in ſemetipſos vertiſſe, dum ubique Rex infans triumphat, & vincit, populo fidunt neceſſitate coacti, qui eos in Regia manus adducet, quoties eum importuna oppreſſerit famea. Lugeo prudentes viros, qui tam miſere ad ſuam, totiuſque Regni decurrunt ruinam. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aquis-Sextiis 6. Octobris 1648.

Babylonem, nutantemque Aulam cito fuge.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

EXperimur nunc libertatem plenam, & quam ſit jucunda præteriti doloris recordatio. Nobilitas immixta civitatum delegatis invitat me cum plauſu. Maſſilia ſeſe effudit currens in occurſum noſtrum. Dei Optimi Maximi providentiæ hæc voveo, quandoquidem honores, quibus fruimur in hac vita, ſomnia ſunt dormientium, ut ait Divus Auguſtinus. Quoad me attinet, idem ſum, & ero, inimicis non inſociabilis, amicis fidelis, Gaſſendo meo chariſſimus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Toloni 6. Aprilis 1649.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

CIrcuivi plagam cum ſumma lætitia. Effudit ſe nobilitas, fereque omnes civitates obviam ivere cum plauſu. Maſſiliam cogito urbem fidam, & populatam. Vellem convenire te in reditu, & Aquis-Sextiis ſiſteres, donec libri involuti, & ad me ſint tranſmiſſi; unus ex noſtris adveniet cum Catalogo, cui quid ſit opus probe inſinues. Satis firma utitur valetudine familia noſtra. De Aula nil novi: Omnium vertuntur arma in communem, & externum hoſtem. Archidux, ut fertur, Ipreſi obſidioni totus incombit, & ſic vulpinæ pelli leoninam inſuere nititur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Toloni 3. Maii 1649.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FEcit pacem in virtote ſua Optimus Maximus, & qoi dedit poſſe, abſtulit velle. Digitus Dei hic eſt; valetudinem non proſperam ſuſtinere te ſuſpiro, amicique omnium horarum præſentiâ frui admodom copio. Tornatorem amplexus remitto laudantem, & mœrentem. Vale Muſarom decus, & ornamentum. In Caſtris ante Aquas-Sextias 26. Auguſti 1649.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TOrnatorem tandem remitto, too commendato oegotio, bene meritis Conſulibus, quos pro mea erga eos beoevolentia benigne excepi. Egregios belli fines, ut ais, exiſtimo, quoties ignoſcendo tranſiguntur. Etiam ſi indolgentia ſit nociva, melius eſt tamen aliena culpa perire, quam ſua. Sic cenſeo, det nobis Optimus Maximus quietem, noo otium, pacem tranquillam, non fictam. Vale Muſarum decus, & ornameotum. Tolooi 4. Septembris 1649.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

CReiſſetum tuum libenter exiſtimo. Amicorum munos eſt non modo ſe invicem proſeqoi amore mutoo, ſed etiam omni momento res gratas efficere, ut augeatur, ſi fieri poſſit. Exiſtimo tamen res homanas finitas eſſe, & terminatas, ita ut unicum Numen ſit infinitum. Qoamobrem veras amicitias uſqoe ad certum progredi gradum puta, obi ſiſtere liceat. Veromtameo quæ in utramque partem ſi homo fragilis ut bullæ, & arundini comparetur, & perfectam ſoſtinere poſſit amicitiam, & conſtantem, noeiva ei ſunt multa, morom motatio, abſentia, fortuna, faſtidium etiam omnibus vitæ civilis immixtum caſibus, & ſic a tantis pendet accidentibus amicitia, qoos vitare nequit humana prudentia. Nunquam de amicitia loquor, quin mihi veniat in mentem Pomponiom Atticum, qui Cæſares meruit habere pronepotes. Sed longius progredior: Valetudinem eura, meiqoe abſentis rationem habeas, ne excitetur inter nos bellom civile. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Toloni 16. Septembris 1649.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DInienſem Canonicum negotio confecto, remitto: Vellem poſſe qood olim Cæſar Ciceroni roganti. Sat eſt intra meæ conditionis carceres remanere. Voluntas pro facto. Nihil eſt, quod tam late pateat, quam amicitia, quandoquidem in rem mutatur amatam. Unde Ovidius, & antiqui Poëtæ ſuas haoſere fabulas, & bene, ego Deus, & non mutor, hoie ſoli, & immutatio tribuitur, & æternitas res ſublunares viciſſitudini addictæ, ot Prometheus Caucaſo, puram redolent inconſtantiam. Valetudinem pruſperam, & conſtantem tibi opto. Vale Muſarum decus, & oroamentum. Toloni 12. Octobris 1649.

Petro Gaſsendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ITinerarium incipio, obi iter ſecundæ diei fuit finitum. Bohemorom totma mihi videtur noſtra. Nobiles vicini occurront, proſequuntor nos lacrymis non fictis. Ipſa civitas Aquenſis, quam marmoream linquo, metallum imitata, clauſa manet, ac dolore intacta. Beneficiorom, injuriarumque immemores Galli, veluti Paradiſi aves vento feruntur. Qoid tandem ſcribam! nolli jactantius mœreot, quam qui maxime lætantur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Gardanæ 8. Decembris 1650.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VItam privatam experimur, & procol a fraudibus Mundi hic ſtamus otioſi. Non eſt tamen in noſtra poteſtate oblivio illa ſegnis. Imperatoris Vitellii Aulæ illecebræ aliquando aores feriunt noſtras, vincitque amor patriæ, laodumqoe immenſa cupido. Anima nunquam tuta, nec quieta, denegata cupit, abſentia exquirit, difficilia tentat, adeſt freqoenter præſumptio, & ejus ſocia temeritas, qoæ ſapientes in profundum mergere non deſinunt. Infelices homines dominam infidelem, fortunam colimus, cujus forma capti, alatæ fidimus, notiqoorom Deæ globo inſiſtenti, rotam ſemper moventi, inſtrumenta ſervitutis, & Reges habenti. Mœcenati noſtri temporis Præſidi Memmio noviſſime defuncto lacrymis liceat parentare. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Aleſii 9. Januarii 1651.

Petro

Digitized by Google

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TEſtudinis more lente gradior infantulum, & mulierem gravidam mecum ducens, hic nova gratiora aurea verberare meas incipiunt. Comes Briennæ reſcripſit mihi, Principum libertatem a Regia Majeſtate fuiſſe conceſſam. Dux Aorelianenſis non conſentiit modo, ſed etiam tantum promovere negotium jure videtur. Triſtitiam nunc exuere cogor, quam ex iteratis calamitatibus conceperam. Redibit, ut ſpero, aureum Saturni ævum, Aſtrea de Cœlis deſcendet; & Hymen ſacris vinculis innodabit diviſa, junget ſeparata, inſtaurabit feſſa, & vulgi acclamationibus cedet. Quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Ultimâ Februarii 165ſ.

Petro Gaſsendo eruditiſsimò

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LOnge ſuperant moderuæ, & effuſæ lætitiæ ſigna Tolunia urbis antiqua illa imitamenta, quæ Rumæ ſub diverſis Imperatoribus erupere. Stupet Lureria urbium caput, unde in omnia regimen. Miratur Gallia, etiamſi ſub gravi belli extranei pondere gemat. Populare gaudium dum eſt univerſum, Dei Optimi Maximi denotat providentiam. Plura dicerem, ſi faucium importuna fluxione non laborarem. Affulget nunc aliqua pacis ſpes, domusque omnis regia cito conjuncta erit, ut ſpero. Aula noſtra ſemper in motu, nunquam in eodem ſtatu permanet. Ceſſabunt venti, & tunc parebit tranquillitas magna. Campinium amplexus ſum, Luillerium veneror, teque ſummum noſtræ Galliæ decus, cujus mens Sydera volvit, ut patronum agnoſco. Vale. Lureriæ 17. Martii 1651.

Memor eſto Muſæi Domini Du Muy.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ESt aliquid ſempet incommodi, quod tranquillitatem proximam perturbare videtur. Nobilitas noſtra, quæ Lutetiæ moratur, ſæpius inter ſe convenit, comitiaque generalia enixiſſime rogat. Curia Parlamenti ſeſe opponit viriliter, Aula nondum concors, nunc hos, nunc illos protegit, prout conducere exiſtimant utilitati publicæ. Deus omnia bene vertat, dummodo auctoritas immota maneat. Sunt, qui ſperant conventus generales fore convocandos. Hebdomade proxima plura reſcribam, Deo favente. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 25. Martii 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

TRanſigas ubi es menſem Aprilem integrum rogo; ſcies poſtea, quæ nunc profundo remanent abſcondita ſilentio. Omnia in Aula tranquilliora fiunt, incentoresque publici ſunt triſtiores. Secretis cuniculis ſerpit providentia divina, omnibusque probis inſpirat concordiam. Cardinalis Germaniam petit; urbs pacata eſt, excubiæ, cuſtodes, ceteraque imitamenta militiæ omnino ceſſant. Nobilitas obtentis publicis conventibus mire quieſcit. Heroina Longavilla fœdere nos Hiſpanis jungere ſerio cogitat. Unuſquiſque concordiam meditatur. Sola Provincia tua vindictæ pertinaciter adhæret. Plura per otium reſcribam. Vale Mofarum decus, & ornamentum. Lutetiæ ultima Martii 165ſ.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PEperit heſterna dies concordiam in Aula; benigne Regina Principes excepit. Extincta diſcordia, facilius ad univerſalem perveniemus pacem. Nunc & de reditu in Provinciam, & de amicorum negotiis ſerio cogitabimus. Hucuſque domeſticis totum me tradidi. Tu pauliſper Tolonæ commoraberis, & de Muſæo Domini Du Muy aliquid mihi reſcribes. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Pariſiis 24. Aprilis 165ſ.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HUcuſque diſcors Aula omnibus negotiis iter occluſerat. Nunc ad res Provinciæ publicas manus admovere feliciter cepi. Deus fauſta omnia reddet, quæ niſi ſuis auſpiciis ſuſcipiuntur. Per hoſce moleſtos dies valetudinem curare ſtudui, ne quid obſtaret piis meis, ſalubribusque conſiliis. Quocumque movere me, & perturbare inimici mei non deſtitere. Videntur laſſi, oppoſitaque profunda patientia, omnia calumniæ, & invidiæ tela repuli. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 21. Aprilis 165ſ.

Perſpectivam horariam te ferre gaudeo. Vellem Indicem novum tam exactum ad me tranſmiſſum non interrupiſſe curſum meditationum tuarum profundarum, quæ totum complectuntur Orbem; gratias tamen ago & curis, & humanitati tuæ, quæ res minutiores non negligit. Muſæum Domini Du Muy tibi commendo.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SPes in fundo, ut probe ſcis, & ſic uſque in finem negotii eniti oportet, ut vilu, & mora magis elueeſeat veritas. In Aula importune fit, quod opportune perfici non poteſt. Non hic ex rumoribus ſtatuendum; proſpera rerum facies eſt aliquando fatuus ignis, qoi nos ad præcipitia ducit. Vale Muſarom decus, & ornamentum. Lutetiæ 28. Aprilis 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PRincipibus placuiſſe viris non ultima laus eſt. De magnis, & tui ſimillimis loquitur Poeta, ut mihi videtur. Credo equidem natalium ſplendorem eſſe omnino vanam, & inutilem, niſi virtus adſit, ac potiſſimum univerſalia illa, ſublimiſque ſcientia, qua polles. Procul inter amicos aſſentatio, quæ a timore plerumque gignitur. Amicus es, qui verum dicis, & eui veritas enuntiari debet omni tempore. Lugdunum cogitare potes quando volueris: Illic mitior æſtas, & commoratio magis quieta. Lente hic procedunt omnia negotia, ſed etſi minime credulus, de meis bene ſperare cogor. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 6. Maii 1651.

De Muſæo Domini Du Muy memorem te eſſe enixe rogo.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PEdetentim teſtudinis more iter facimus. Heri in ſupremo Conſilio ſtatutum fuit, Parlamenti Provinciæ nuntios manditos regreſſuros, evocationes certas fore, cumque advenerit Miromenæos cetera erunt diſpoſita. Ita ut tempus conventuum generalium etiam conſtituendum erit ut reditus mei. Si res ita ſint, & mobilitas Aulæ nihil immutet, confuſio pæne inimicos noſtros, ſummaqoe inter amicos lætitia futura eſt. Sigillum ori apponendum, negotiaque noſtra in bono eſſe ſtatu ſolum dieere lieet. Cœlum Galliæ nubiloſum frequentes denuntiat pluvias, Aulaque male concors magnas, & inevitabiles totius Galliæ cummotiones mihi præſagire videtur. Vale Muſarum decos, & ornamentum. Lutetiæ 12. Maii 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NUnc ad Parlamentum hujuſce urbis, aut potius Orbis univerſi conſuſi confugiunt inimici noſtri, Orbis dico, quandoquidem Reges ipſi illud ſacrum aliàs adiere tribunal. Hinc Deum appellabunt injuſtitiæ clamoribus ſurdum, innocentiæque voci aures præbentem apertas. Incertus quidem exitus ob lapillorum differentiam, & æquivocum modum, quo Senatores procedere ſolent. Nihil tamen pertimeſco conſcientia tutus, Senatuſque ſacri, tantique nominis probitate fultus. Neſcio ao morbus, aut te tetinuerit oblivio, ſed nullas ex te excepi litteras, quarum avidior ſum, ita ut vix tibi pepercerim, niſi validiſſimas mihi proferas excuſationes. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 18. Maii 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IMminutam febrem gaudeo, valetudinemque validiorem tibi opto. Aërem natalem incommodum experiris, ut epiſtola ultima enuntiat. Lugdunom cogitare debes, ubi amicorum ſocietas mitiori junctâ Cœlo, magiſque temperato te omnino efficient incolumem. Hiſce ſacris diebus omnibus negotiis indictæ ſunt induciæ. Affulget aliqua pacis ſpes; Gabriel enim e Toleda alter Mercurius olivam præfert. Soli Regii miniſtri probe norunt quid ſit expectandum. Timeo Danaos, & dona ferentes; ac potiſſimum Aulæ noſtræ diſcordiam totius Regni proximum incendium denuntiantem. Pupilli Regis incoronatio, & majoritas propere accedunt, Cæſaribuſque virtus contigit ante diem. Hebdomade proxima cuncta reſcribam, & quidquid ſit, demiſſus reſurgam. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ Pariſiorum 27. Maii 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INnumeris jactatus periculis, tandem portum tenere mihi videor, etſi eorom protectione ſim orbatus, quorum decus, & incolumitas cariora eſſe mihi non ambigitur. Sanmartius inauditus redibit ut ſpero. Galiſetus brevi audita dimiſſus fuit ſatis confuſus. Lutetiam hodie cogito, ut moleſtiſſimo negotio ultimam imponam manum. Hic tamen ut in Cœnobiis, & Eremis homo cadit rarius, reſurgit potius, moratur frequentius. Addam quoque Aulæ non immixtus fraudibus degit, & ſic melius cogitat dies antiquos, ſalutique inſervire poteſt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Grobofii 9. Junii 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REctà ibit ad te iſtud epiſtolium per Curſorem Lugdunenſem: Breve quidem erit ob unius fœmoris leviſſimum dolorem, quem ex equitatione frequentiore contraxi. Negotiis meis moram injecit, proxima tamen hebdomade, Deo juvante, his ultimam imponam manum. Nil intentatum noſtri liquere inimici, omnem movere lapidem conati ſunt, omnibusque Principibus Provinciam obtulere. Uſque adeo inſanire miſerum eſt? Circumciſionem mihi præferunt, ſeque cum Hiſpanis, & Turcis conventuros, potius quam memetipſum Gubernatorem diutius ferre, prædicare non erubeſcunt. Moliuntur, ut ipſi proferunt, cædes, ſicariosque paratos ſe habere, qui me e medio tollent, antequam Lugdunum appellere poſſim, ut aſſeverant. Tot, & ejuſdem farinæ ſermones diſceſſum accelerant ſine dubio meum, eademque intrepiditate eos reviſam, qua eos in carcere aliquando reſpexi. Neſciunt miſeri mentem meam, quò plus ardent, ego magis frigeo, & cum cædes medicantur, ego concordiam, & pacem reſpirare non deſino. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 17. Junii 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

POdagra, quæ detinet Ducem Aurelianenſem, etſi levis, negotiorum curſum interrupit, & quominus aliquid certi reſcribere poſſim, efficit. Involvuntur interea omnia, & ad Chaos uſque devenient, niſi Regis majoritas tenebras expellat, metum eliminet, lucemque erect majorem, qui Miniſtrorum animos nutantes confirmet, electionisque rarum donum Reginæ concedat. Abſens nunc regit, qui præſens inviſus erat, & Magnatum diſcordia eis prodeſt, quibus Monarchia non eſt cordi. Nihil boni auguror; pax extranea Regnum cadens ſola poteſt retinere. Alioquin ſusque, deque vertentur omnia. Rura petieram, ſed qui ſiniſtre interpretantur mentem meam, accelerare reditum me coëgere, ut præſentia deſtruerem quod abſentia fabricaverat. Reſcies modo eventum rerum mearum. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 23. Junii 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

AUlæ artes infinitæ; ſpero tamen proxima occaſione tibi renuntiare poſſe ardui negotii egregium finem. Si Deus hoc agat, omnium memor ero, injuriis exceptis, quas utilitati publicæ concedere meditor. Felicitate non corrumpar ut credo, quandoquidem res adverſæ inconcuſſam linquunt. Salutem ex inimicis meis accepi. Quid dicam amplius? non moneo te ſæpius, ut Lugdunum cogites alia de cauſa, niſi tuæ valetudinis ergo. Qui ceſſiſſe me Provinciæ ſcribunt, vota ſua enuntiant, non veritatem. In nidulo meo moriar non reſupinus, ſed ſtans, ut militem decet. Amicus inimicorum cogor eſſe, & inimicus amicorum. Ænigma ſolvam in præſentia. Vale interim litterarum decus, & ornamentum. Lutetiæ ultima Junii 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

INopinus Principum regii ſanguinis diſceſſus moram injecit meis difficillimis, & moleſtiſſimis negotiis. Evocationes tamen conceſſæ fuere, Reginaque inimicis meis ore ſuo pronuntiavit, ſe nolle me Provinciæ cedere. Sanmartius inauditus diſceſſit, & minatus eſt bellum atrox, & cruentum. Aliunde ſcribitur Parlamentum ipſum, ceterosque proceres Provinciæ pacem, & quietem in mente habere. Quod ad me attinet jam reſcripſi quid ſentirem. Dux Aurelianenſis Aulæ diſcordanti morem imponere totis nititur viribus, ſperaturque Principes, qui ad Divi Mauri tantum proceſſere, a concordia non fore alienos. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 7. Julii 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

DIſceſſus Principum ceteris negotiis injecit remoram. Singulis hiſce diebus Parlamentum eorum cum Regina inſudavit concordiæ. Speratur ſore aliquam conciliationis viam, quæ a viris probis magnopere deſideratur. Neuræus noſter ſingularia reſcribet; ego infinitis diſtentus curis omnia divinæ committo providentiæ, cujus conſilia plerumque occulta nunquam tamen injuſta. Evocationes conceſſa, reſciviſti, & Sanmartium inauditum diſceſſiſſe. Nunc quid de conventibus, & meo ſtatuetur reditu, expecto quietiſſime. Te verò hiſtoriæ naturali, & experimentis operam dare admodum delector. Experientia rerum magiſtra, theoria verò inutilis, ſi prima negligatur. Ariſtoteles etiam, ut Homerus, obdormivit aliquando, plus auditui, quam viſui credere videbatur, ceterique Magni Alexandri opibus adjuti non fuere, & ſic experientia orbati, omnium ſcientiarum oculo, potentiſſimo caruere auxilio. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 14. Julii 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

SPes eſt, Aurelianum Ducem non fruſtra inſudaturum Regiæ ſtirpis concordiæ. Quandoquidem Regina veniam dedit tribus illis viris, qui Cardinali Mazarino videbantur addicti: Hi ſunt Telius, Servientus, & Lionæus. Heri Aulam relinquere viſi ſunt. Hodie Princeps Condæus Parlamentum inivit, inſalutatis Rege, & Regina, die Lunæ Curiæ placitum in lucem exibit concordiæ vinculum, omnia triſtitia, & ſilentio operta ſunt, donec Aſtrurum conjunctio in Aulæ Cœlo fiat. Faxit Deus omnia proſpere cedant, ſervet incolumem ſpem alteram Romæ, Aulam conciliet Aurelianus, innocentem fortunet Deus Regem, regiiſque exercitibus præbeat auxilium e Cœlo, ut verum ſit dicere, cui militat æther, & conjurati veniunt ad claſſica venti. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 21. Julii 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

REs Aulæ ita ſunt involutæ, ut vix quæ ad ſingulos ſpectant audiri poſſe videantur. Principes alternatim Lutetiam adeunt, in Curiam ingrediuntur, & hæc omnia inſalutatis Rege, & Regina, quod viros probos, & Monarchiæ deditos admodum cruciat. Dux Aurelianenſis nititur in ventos concordiæ contrarios. Sed quid ſit aut timendum, aut ſperandum, ignoratur omnino, propterea quod factioſi prævalent, & urbs omnium gnara, & nihil reticens fremere creditur. Erumpet intra dies paucos hæc flamma, ſive ut extingui poſſit, vel ad majus excitandum incendium. Vide quo in periculo verſentur cuncta, & quod oculis non cernis, mente conſidera. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 28. Julii 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VIdit denique heri faciem Regis, & Reginæ Princeps, comite Aurelianenſi Duce, Aulâ lætante, Curiâ promovente providentiâ divinâ, quæ Monarchiam noſtram regit [ſic omnia] regiæ contraria auctoritati, bene vertit, unde aliquando magnus ille Villaregina ſolebat dicere ceteras dominationes a vitis gubernari, Galliam verò a Deo. Ætatem pupillarem pedetentim miſſam facit Rex noſter, cujus indolis eximiæ odore referta eſt Aula, & Urbis ipſe, ut opinor. Quidquid remurmurent inimici mei, non cogito, niſi cogitationes pacis, Provinciamque tuam rectius gubernare, ſi poſſim. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 5. Auguſti 1651.

Curſim ſcribo, lituras excuſa, ac de Domini Du Muy Muſæo aliquid certi reſcribe.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NUllus diſcedit Curſor, quin tibi reſcribam. Nunc evocationes fuiſſe plane conceſſas certiorem te facio. De reditu nihil certi: Quoad gubernationem ſpectat, palam declaravit Regina non fore mutationem. Aulæ diſcordia omnia in ſuſpenſo tenet; ſalutavere tamen Regem, & Reginam Principes. Mercorienſis Dux comparuit in auguſto Senatu, ſuumque non reticuit matrimonium, craſtina die conveniet Curia, ut moleſtiſſimo negotio ultimam imponat manum. Pupillarem interea tranſigit ætatem Rex egregius, in cujus fronte animi candor, militaris ardor, ſummaque enitet prudentia. Faxit Deus, ut pubertatem quiete attingere poſſit. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 11. Auguſti 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IN eodem ſtatu remanet Aula. Aurelianenſis, & Curia enixe laborant, ut omnem evellant diſcordiam. Spes eſt laborem illorum non fore inutilem; huc uſque tamen Principes Aulam fugiunt, verbis queruntur acerbis, ſcriptis urbem implent, diffiduntque admodum. Regina interea diem die trudit, pupillaremque Regis ætatem abigere ſtudet. Dividuntur Aulici, omneſque Provinciæ veluti e ſpecula rimantur verba, novaque meditari pro comperto habetur. Comitia ipſa parum ſunt quieta, ita ut etiam tuta timeantur. Tu ipſe videris, ad noſque progredi poteris, ut opinor. Reſcribam prius, & amicus Neuræus, cujus ſocietate admodum delector. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 25. Auguſti 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

QUid tibi reſcribam penitus ignoro. Aula noſtra more maris ſemper eſt in motu. Dux Aurelianenſis tædio rerum potiuſquam iratus, aut irato ſimilis Limocertium profectus eſt. Princeps Curiam premit, ut pateat ejus innocentia, antequam Rex pupillarem egrediatur ætatem. Quæſtio eſt de generalibus conventibus Turonibus aſſignatis, quos Principes Lutetiam, caput Mundi, transferre deſiderant. Multi bellum cogitant inteſtinum, Principes deteſtantur, probi enituntur contra. Curia ipſa, omnibus omiſſis, hoc ſolum in mente habet, ut poſſit tute, tantiſque malis obviam ire. Creditur tamen proborum preces non fore irritas. Fave votis noſtris, & vale Muſarum decus, & ornamentum. Pariſiis 1. Septembris 1651.

Petro

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IMperatoris Romani imaginem vidimos triumphantis heſterna die. Rex, cui virtus contigit ante diem, equitans Curiam adiit, obi poſt omnium virorum iſtius urbis plauſum regio exceptus eſt apparatu. Paucis dictis fauſte accepit ex piiſſimis Regiuæ matris manibos hujus habenas Regni. Qui interfuere, ceteris ludicris anteponunt hanc Regiam magnificentiam, Magnates, & Nobiles turmatim incedebant ſuperbe veſtiti, equi ipſi ephippiis deauratis fræna maudentes, onere ditiſſimo gaodere videbantur. Quoad Regem, effuſus populus acclamationibus eum inſequebatur. Quid plura? Talis Alexandri tigrim ſuperantis imago. Nox ut dies reluxit accenſis facibus, & focis; ignisque fuit Solis miniſter, Regiaque Majeſtas, ut carbunculus tenebras excutere viſa eſt. Senatores noſtri tot Reges, quot Viri veneratione digni, Aulæ paruere univerſæ, ita Cineas idem de Curia noſtra jure prædicaſſet, quod olim de Romano Senatu. Hodie ad Divæ Mariæ Deiparæ fanum profectus eſt Rex pietate inſignis, ex manibus Reginæ Cœli coronam reſumpſit, quam altari tantæ Virginis impoſuerat triumphantis memoriæ Rex inclytus Pater. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Pariſiis 8 Septembris 1651.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NE iniquorum litarem curioſitati, ab epiſtolis invitus abſtinui. Nunc mœrens ſcribo, omnia ſuique, deque vertuntur, extraneoque bello inteſtinum jungitur. Cuncta in factiones erumpunt, nubiloſumque Galliæ Cœlum maximam portendit tempeſtatem. Diſceſſit Aula, & Lutetia, Orbis miraculum triſtatur. Probi lugent, divites timent, ambitioſi ſperant, pauperes excitantur, turbulenti ſoli lætantur. Credo equidem, nec vana fides, quod digitus Dei hic eſt. Si per valetudinem liceat, ad reditum hortor, dum via adhuc eſt libera. Neuræo quod ſupereſt linquo. Vale Muſarum decus, & ornamentom. Lutetiæ 30. Septemb. 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

PRogreditor Rex, & Aola, Biturigesque petunt. De oppugnatione urbis ambigitur. Varii varia, rumoresque fiunt prout fama fingit, vulgatque quisquis quod optat. Dux Aureliauenſis utriuſque partis conciliationi ſtudet, ſperaturque hujus Principis conatus non fore irritus. Lutetia de Regis abſentia remurmurat, Caputque urbium, & Regina ſine Rege vivere non ſuſtinet. Aulæ iter a paucis probatur, breveque, & parum fauſtum timetur fore. Solus a Caſtronuvo Dominus adeſt, & ſequitur; ceteri Miniſtri hîc remanent. Præſentem opto omnium horarum amicum cum vitam elegerim privatam, quæ aliquando ob aſſidue comitantem ſolitudinem faſtidio eſſe ſolet. Bene habet Neuræus, & ceteri amici, qui te ſumme venerantur, & colunt. Quoad me, nulli credo, teque incolumem opto. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 6. Octobris 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

FEbre tertiana acota correptus litterarum intermittere commercium coactus fui. Nunc lætus reſumo, tuæque valetudinis incertus, ac ſollicitus tremens ſcribo. Neuræus noſter, ceterique bujus urbis illuſtres, tuique amantiſſimi tuam appetunt præſentiam, Ego & valetudinis, & rerum turbatarum rationem habens, iter tuum tuæ relinquo prudentiæ; non eſt enim veri amici inde delectationem capere, unde periculum oritur amico. Sed nunc via eſt invia, hoſtes currunt, undique naufragium eſt, & Rex precario regnat, quamvis pubertatem attigerit. Hiſpani ad flumen Burdigalenſis civitatis appulere. Quid denique dicam? omnia ſubvertuntur, ſolaque pecunia regnat. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 15. Novembris 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

IMmortalia ne ſperet monet annus, caduca omnia, in morbis expetitur proſpera valetudo, in arduis quies, & in bello pax, anima corpori juncta tanti ponderis ſolvere vincula cupit. Ambitio præcipitat, enervat voluptas, otium etiam inertibus faſtidio eſt. Magnates ipſi ne vindictæ liceat, cetera linquunt. Panditur interea Jani porta, inteſtinoque bello impliciti tuta timemus, & jure; quandoquidem externum a ſexdecim annis abſque induciis ſuſtinemus. Europa Chriſtiana undique agitata ruinam minari videtur. Solus Deus, qui noſtram protegit Monarchiam tantis poteſt occurrere malis. Quoad me mœrens omnia conſidero. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ Pariſiorum 8. Decembris ſ65ſ.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

VArius eximius in primis, in proſperis unionis temporibus, ævi hujus mala deflebat cum amicis, eidem nobis liceat oro, ſed quid prius lugebimus? Diſcordias inauditas noſtras, imminutam fidem, fraudes innumeras, cupiditates immenſas? quid denique Monarchiæ noſtræ expirantis ultimum ſingultum? Evocemus
Heroum

Digitized by Google

Heroum manes ſato functorum, qui non utilitates ſolum privatas, ſed vitam ipſam patriæ ſaluti condonabant? Exſuſcitemus providentiam illam divinam, quæ per duodecim ſæcula noſtram rexit Galliam? Libenter fateor me tanto eſſe mœrore confectum, ut vix ſuſtinere queam. Cetera Neuræo linquo. Tu verò interea vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 29. Decembris 1651.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn tibi reſcripſi iſtis Purificationis Beatæ Virginis feſtis diebus. Meditationi, & precibus operam dedi, quod mihi huic tempori accommodatum videtur; quandoquidem e Deo Optimo Maximo noſtra expectanda ſalus. Omnes inteſtinum, & externum deflent irremediabile bellum. Nemo it obviam imminenti tempeſtati. Hujuſce Monarchiæ ſocii, & confœderati e portu procellam intuentur. Probi gemunt, improbi lætantur, pauperes res expetunt turbidas, divitesque timent. Aula diſcors huc, & illuc fertur, ubi imminet majus periculum, plebs ad extremum redacta bellum, ut malorum ultimum proſpicit. Hic ſatis quieti vivimus, ſed non ſic erimus diu; proximum etenim incendium nobis imminet. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ Pariſiorum 7. Febr. 1652.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

HEbdomade præteritâ tibi reſcribere non potui. Nunc etſi ſummo preſſus dolore ob undique mala imminentia, proſperam familiæ valetudinem tibi ſignifico. Cetera Neuræo, & rumoribus committo publicis, qui etſi non ſemper veri, rerum tamen faciem repræſentare non deſinunt. Stetere comæ, & vox faucibus hæſit, cum vicinas hujus urbis provincias oculis luſtro, fames ſucceſſit morbis, & bello, ita ut ruſtici ſe invicem vorent, ut Anthropophagi, & dum urbem petunt, ſame pereuntes intereunt, & ſic ultima profert ſuſpiria Gallia illa florens, ſub cujus frondibus iſtius coronæ ſocii remanebant intacti. Nemo it obviam noſtris periculis, hoſtes inſultant, confœderati obſtupeſcunt, mali, & improbi maximè lætantur, nos quidem mœrentes a Deo Optimo Maximo ultima expectamus remedia. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ Pariſiorum 2. Martii 1652.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

LIteras diſtuli, ne a curioſis ſubriperentur. Nunc obſcurius reſcribo, & ſecurius. Hic omnia ad ruinam vergunt, undique armatæ copiæ occurrunt, ita ut ad prœlium accingantur, niſi divina providentia animos mutet, quod eſt difficillimum, quandoquidem omnia ſubjecerit, præter cor hominis, cujus libertas vim non patitur. Utimur omnes proſpera valetudine, Deo ſavente, etſi anguſtiæ nos premant undique patentes. Omnia nos terrent, & nemo it obviam dedecori, conſiliisque corrupta felicitatis noſtræ mutationem denotant. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 15. Martii 1652.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

RArius ſcribo ob imminentia pericula. Luillerium tamen noſtrum defleo, & magis quererer, niſi peſſimus rerum ſtatus eſſet mors acerbiſſima, & præſertim hujuſce regni probis, integerrimisque viris. Vita oneri nunc eſt, quandoquidem miſeriæ ſunt inſuperabiles. Vicinæ Provinciæ cedibus, ſacrilegiis, furtis, impudicitiis refertæ, inania ad Cœlos emittunt ſuſpiria, parentes liberorum carnibus veſcuntur, ruſtici cadaveribus, omnes denique deficiunt. Quid plura? diſcordia adſtat, pertinacia prævalet, fraus regnat, omnia timeo, nihil ſpero. Deo Optimo Maximo ſortes committo noſtras, & ſic triſtis, & mœrens patriæ meæ perituræ vices doleo. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ Pariſiorum 16. Aprilis 1652.

Petro Gaſſendo eruditiſſimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

ANeuræi noſtri inopino, & minus prævifo diſceſſu epiſtolas Campinio committo, quò ſecurius ad te poſſint pervenire. Mala, quibus Gallia noſtra torquetur, manifeſta ſunt, & dilucida. Remedia verò clam, lenteque procedunt, & ſic timemus multum, & ſperamus parum. Senatores urbis iter facient ad Aulam craſtina die: Utinam fauſte, ac feliciter! Lotharingus properat, ut Principum copiis cito jungatur. In Belgio Gravelinga capta eſt. Trinium in Montisferrati Marchionatu expugnatum. Caſalium nutans linquere nobis jure videtur. Barcinona mari, terraque cingitur, & niſi brevi ſolvatur obſidio, in maximo verſatur periculo. Deus provideat. Ego multa cogito, quæ nunc ſcribi non poſſunt. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ 24. Maii 1652.

Petro

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

NOn qoidem virtutem ex me, ſed fortunam ex aliis melius ediſces. Rumores pobli-eos fugiens, & Arverniam cogitans Regis longas eſſe manus expertus ſum, & a eopiis equeſtribus, quæ Montem-rotundum obſidione eingunt, captus, hue dedoctus Aolæ oltimam mentem expecto, eui none innocentia mea cognita eſt, rumoreſque ficti ab invidis jacti plane evaneſeoot. Et ſic abſentibus accidere ſolet, quibus præſentes oocere non erubeſeont. Quidquid fiat, Deo favente, mentem liberam in captivo corpore gerere non deſinam. Vale Muſarum decus, & ornamentum. In Caſtris ante Montem-rotundum 22. Julii 1652.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

COrpore liber, anxius animo, variis agitatos eogitationibus ad te ſeribo. Aulæ adſum, Regis, & Reginæ humanitate beoe exceptus. Turbæ inſervientium immixtus tempus tero, dum abeſt gubernator poppis, in eujus abſentia omnia io ſuſpenſo extant negotia publica. Condæum Principem quotidie defleo, alter Samuel lacrymis irremedisbilibus, qui Hiſpanis exereitibus nunc præeſt Dux ſummus, probi mœreut, improbi lætantur, tota gemit ſub pondere cymba, & Gallia totis contremiſeit artubus. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ Patiſiorum 5. Decembris 1652.

Evulgant hic Aſtronomi Solem ad nos deſeendiſſe duobus gradibos, quid obſervaveris mihi reſeribas oro enixiſſime.

Petro Gaſsendo eruditiſsimo

Ludovicus Valeſius
Εὐλογεῖν.

RAro, & pauca reſcribo, propterea quod morum corruptio prævalet. Intercepta epiſtolia abſentium dirimunt commerciom. Quoad me gratias agendo, & iojorias ferendo, Aulæ iter pergo lubricum, nova exoptans condere fata qoinquagenario major. Quoad te, tibi proſperam exopto valetudinem, qua poſſis ad nos feliciter pervenire. Hiſee Saturnalibus Rex, & Aula, ehoreis, & miris theatri mutationibus eximiam dedere operam, ita ut ab arte natura vineeretur. Vale Muſarum decus, & ornamentum. Lutetiæ Pariſiorum 14. Martii 1653.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMORUM QUORUNDAM AD PETRUM GASSENDUM EPISTOLÆ.

Domino Gaſſendo profeſſori Philoſopho in Gymnaſio Aquenſi H. Faber Libellorum Supplicum Magiſter, S. P. D.

ACCEPI tuas eo tempore, quo incertus eram, an litteris, ut nunc facio, an viva voce reſponſum eſſem laturus, quia id tunc in Jovis noſtri conſilio, &, ut ita dicam, in gallicis fatis ſerio agebatur;

Mulciber in Trojam pro Trojâ ſtabat Apollo.

Quid, inquam, Apollo, imo Jupiter ipſe, qui tamen ſuis aucupiis intentus, aliena aucupia minus conſtanter, & laborioſe potuit proſpicere. Ego verò, ut cum Sexto Empirico non ſatis intelligebam, an expediret, quod agitabam, & in eo habebam amicorum meorum ſententias inter ſe directò pugnantes, & contrarias. Nempe Toloſatum noſtrorum, & Aulicorum omnium, quotquot nobis ſunt familiares, & neceſſarii, uſque ad vota adverſus Aquenſes, & Provinciales, qui nobis eodem vinculo, ut tu, amicitiæ conjuncti ſunt; ita nunc quamvis videar mihi liberior, & magis mei juris, ac velut in portu eſſe procul a tempeſtatibus, & ſyrtibus, quibus ejuſmodi maria infamantur; tamen hæreo, reveta, an doleam, an gaudeam in utrumque. Primam partem ſequuturus, præſertim quoties tui ſimilium mentio fuerit cum ſingulari deſiderio tui. Ceterum ſunt hic Philoſophi, & Mathematici, quibus magis curæ ſunt Sol, & Luna Chymicorum, quam Aſtrologorum, nec defectus alios obſervant, & timent, quam eos, qui in marſupiis contingunt. Philoſophandum eſt cum iis, qui vixerunt meliore ſæculo, & quorum mentibus aurum infuſum eſt, non cupiditas auri. Ideo mitto tibi Charronis librum, quo continentur tractatus Chriſtiani, quia ſcio ejus tibi auctoris genium, & ingenium placere, nec proſtare venalem apud Bibliopolas Aquenſes, cum meo loco poteris aliquando in ſolitudine habere ſocium, & confabulatorem, & me ubicumque ſim tuarum laudum fautorem acerrimum, & amicum obſequentem. Vale. Datum Lutetiæ Prid. Non. Martii anno 1621.

Reverendo, & celeberrimo Viro Domino Petro Gaſſendo S. Theologiæ Doctori, & Canonico in Eccleſia Cathedrali Dinienſi.

REverende, & Clariſſime Domine Gaſſende. Ego pro eruditiſſimis tuorum laborum ἀπαρχαῖς, quibus rem arduam, rem difficilem, & jam multis ſæculis deſperatam aggrederis ſolus, eamque tanto animi impetu perficis, cui veteres univerſi vix pares eſſe potuere, gratias, ut par eſt, habeo maximas. Neque enim, ut ille, quem erroris coarguendum tibi, non ſine ſummo, eoque accurato judicio delegiſti, auctoribus falſas opiniones affingis, quod Philoponus ei imputat, & res ipſa palam clamitat, cum tam magnis Viris tam abſurda ſæpe impingit, aut aliena inventa ſibi arrogat. Et propterea illud generoſi pectoris inſtitutum tanto magis demiror, quod a capite ad calcem omnia, vel inutilia, vel aliena, vel falſa convellere aggrediaris. Cum enim omnes, qui verum amant, quique tantum fidei auctoribus habendum didicere, quantum momenti ea, quæ afferunt rationis, & demonſtrationis habent, id facillime videant; multa in Organo eſſe inutilia, & quædam etiam falſa; in Acroamaticis multa inepta, aliena contra rationem aſſerta. In libris de Cœlo non pauca falſa, atque alibi aliter ab eo tradita. In reliquis libris porrò ſæpe commiſſum. Nemo tamen adhuc inventus eſt, qui huic malo medicas manus perfecte attulerit,

tulerit, ut multo plura loca ſint perſananda, & recidenda, quam ſit ab ipſis factum. Quin adeo iſti, qui hodie inter Philoſophos cenſentur, non id quærant, quomodo ea refellant, aut emendent; ſed quemadmodum male concepta pejus concilient. Aſtronomi quidem, Opticique, & reliqui, qui Matheſin φυσικωτέραν tractant, ſuam ſibi libertatem retinuerunt. At in Scholis tamen, in pulpitis iſtorum hominum umbraticorum, non ſine ineptis illorum commentis, & interpretationibus audiuntur, & tanquam fucati in publicum prodeunt. Si quis ſupra iſtos ſapere velit, unum hoc fere eſt ſolatium, ut conſcientiam ſuam ſibi habeat ſuæ ingenuitatis, & ſuorum laborum teſtem. Videmus enim quam male magni illi Viri ſint excepti, qui aliquid contra Divum Ariſtotelem murire, aut ab eo, & ſpinoſa ſcholaſticorum doctrina [quam ne ipſe quidem Ariſtoteles intelligeret, ſi reviviſceret] diſſentire inſtituiſſet, ut tanto magis ingenuum tui candorem mirari ſubeat, qui iſtis contemptis, tam ſublimi animo ad veritatis inveſtigationem contendas. Neque verò ſatis demirari poſſum, Clariſſime Gaſſende, eo in veritatis ſcrutatores te eſſe affectu, ut me quoque tanto affectu complectaris, quamvis gaudeam me in adeo tenui, ſed tamen laborioſo pulvere operam meam tibi probaviſſe. Mallem utique meliore, & digniore cauſaid demereri me potuiſſe. Efficiam tamen, ut me non temere ad adeo honeſtum certamen provocaviſſe videare.


Quam operam ampliſſimo Viro Domino Monsfortio Conſiliario Regio me navare voluiſti, eam quam diligentiſſime præſtiti, & fabro tantum, quantus meus eſt 150. libellis faciundum locavi, & Domino Butardo pretium placuit, quod ipſum quoque Domino Mons fortio per litteras ſignificavi. Sed cum cauſam adeo commodam nobis obtuleris, de Obſervationibus latitudinum loquor, quem inde fructum Geographia perceperit paucis explicabo. Ut inde quoque pars noſtri gaudii ad auctorem ſuum redeat, Longitudinis accuratior differentia Lugdunum noſtrum inter, & Romam a me ſæpe eſt deſiderata. Tuæ obſervationes nobis certum ejus rei examen ſuggerunt. Ex altitudine Poli, & itineraria diſtantia latitudo Auguſtæ 48 grad. 24. min. Lugd. Bat. 52. grad. 10. min. Romæ 42. grad. 4. min. Auguſta Leidam milliaria ſeſquihoraria 95. dempto triente propter itineris anfractum fiunt 98. horaria, vel quindecimana (quanta 15. unum gradum implent) 75. at ſunto 76. ut in horariis, nobis hanc analogiam compendioſe ſequi ſemper liceat 5. ad 4 ita 95. ad 76. Nam ad unum milliare tam longi itineris menſuram revocare velle, non eſt utique poſtulandum. Hinc Auguſta Vindelicorum erit orientalior Leida 5. grad. 15. min.

Auguſta Romam ſtatuuntur milliaria horaria 195. unde triente ſubducto dantur 130. & inde quindecimana 104. unde differentia longitudinis datur 4. grad. 21. min. atque ideo Roma eſt, quam nos orientalior 9. grad. 36. min.

Et Gallias veſtras veſtro tenemus beneficio, Lutetiæ latitudo 48. grad. 49. min. Vietæ. Aquæ-Sextiæ Reverendo Abbati Jacobo Gualterio 43. grad. 53. min. Lugdun. Bat. diſtat Pariſiis horariis milliaribus 102. inde triente deducto, reliqua ſunt 68. & quindecimana 55. inde Pariſii concluduntur nobis occidentaliores 2. grad. 20. min.

Itineraria diſtantia Lugdun. 99. Lugduno Avenionem 42. Avenione Aquas-Sext. 15. fiunt horaria 157. deducto triente 105. & quindecimana 84. & differentia longitudinis 2. grad. 45. min. tanto Aquæ-Sextiæ ſunt orientaliores, & Leida noſtra, quam Aquæ-Sextiæ occidentaliores 23. ſunt autem Aquæ Sextiæ etiam orientaliores, quam Maſſilia; inter Maſſiliam verò, & Romam longitudinis, quæ ſit differentia non admodum præciſe adhuc novi. At non eſſe majorem, aut minorem multo 9½. grad. exiſtimo, ſi Tabulas melioris notæ ſequar. At verò quam opportune hoc accidit, quod Aquæ-Sextiæ adeo præciſe ſub eundem meridianum nobiſcum cadat. Utinam verò etiam Dinia veſtra, quæ 1½. grad. videtur orientalior, quamvis & hoc quoque parum ſit; attamen utinam! Quantam opportunitatem, & facilitatem nobis afferret ad rem eam, quam animo voluimus. Non audeo nunc quidquam addere, ſi certe, & toto liceat conſilia communicare, & ſi poſtules, atque cupias poſtmodum explicabo. Eſſent faciendæ impenſæ nonnullæ, ego iſtas jam hic devoravi moleſtias. Sed ad Geographiam revertor; non poteſt ignotum tibi eſſe Clariſſime Gaſſende, è locorum diſtantia itineraria per ſphæricorum triangulorum doctrinam longitudinis differentiam inveniri. Sed cum pauci ea intelligant, ego idem in planis, ſi latitudinis differentia 5. aut 6. grad. non ſit major explico, etiamſi longitudinis differentia ſit maxima. Hoc modo Theorema tale eſt in noſtro Tiphy. Ut ſinus totus ad quadruplum ſecantis dati Paralleli; ita milliaria itineris quindecimana in eodem parallelo ad ſcrupula evariatæ longitudinis. Et quamvis verus uſus, ut ſcis, ſit in locis ſub eodem parallelo ſitis, tamen alio traduco, ut non uno ſcrupulo a vero abeam diverſus.

Partes



Aquæ-Sextiæ

84	79
84	79
336	711
672	553
7056	6241
6241	
815.	

815. hujus Radix 28½ milliaria
Aquis-Sextiis 43. grad. 33. min.
Pariſiis 48. grad. 49. min.
Differentia 5. grad. 16 min.
Summa 92. grad. 22 min.
Dimidium 46. grad. 11. min.

Ea ſunt milliaria latitudinis 79. diſtantia itineraria reducta valet milliaria quindecimana 84. dimidium utriuſque latitudinis additæ eſt 46. grad. 11. minut. cujus ſecans 144434. quadruplum 577736. fiat. Itaque ut 1000. ad 5777. ita 28½. milliaria quindecimana, ad ſcrupula 165. quæ ſunt 2. grad. 45. ſcrup. ut prius, ſi non diſplicet habes rationem compendioſam. Certe ejus uſus adhiberi poterit, cum latitudinis differentia erit min. 12. 13. 14 15 Et longitudinis differentia etiam multo major. At, ſi longitudinis differentia non ſit magna, illic eſſet peri-

ricu-

riculoſum; ſed antequam hic manum de tabula tollam, aliquid eſt, quod obnixe a te contendam, Vir eruditiſſime, ut tuo beneficio plurium locorum latitudines habeamus conſignatas. Præterea pedum in locis celebrioribus publicorum menſuras, & ulnarum quoque Dinæ Aquis-Sextiis, Avenione, Lugduni, Maſſiliæ, & alibi, ſi tibi opportunum ſit. Profitebor publice per quos profecerim: Rogo te ſubleva me hoc onere, ſi ex Italia quoque obtinere quid certi poſſis, facies mihi non tantum rem gratam, ſed rei quoque litterariæ. Eratoſthenes meus augendus, & locupletior eſt in lucem edendus. Hæc ſi a te, optime Gaſſende, impetraro apud amicum hominem, & gratum beneficium collocatum dices. Saluta Virum doctiſſimum juxta smiciſſimom nobis D. Jacobum Valeſium, ad quem occaſione proxima litteras deſtinavi mittere. Vale, Vir ſumme, ut de bonis, deque hoc ſæculo, & futuro bene mereri perge, & cum non liceat voces reciprocare, ſaltem litteris memoriam mutuam, & affectus recordationem ſuſcitemus. Iterum vale. Poſtrid. Cal. Maii 1625. Tuæ Rever. addictiſſimus Willebrordus Snellius Rodolphi filius.

In longitudine Maris Mediterranei Ptolomæum amplius ſexdecim gradibus peccare, ex nauticis curſibus, & veterum collatione facile deprehendi. At quis nobis in latitudine littoris Africani cum amplius duobus gradibus a vero diverſum abiviſſe unquam vel per ſomnium cogitaſſet. Profecto hoc jam veſtris obſervationibus debebit Geographia; nam Hipponis Regiæ latitudinem ſtatuit ſub parallelo 32. grad. 15. min. cum revera non ſit minor 35. grad. 58. min. Quamobrem ſi vel iſta, vel alia hujus generis apud te lateant, eruditiſſime, & humaniſſime Gaſſende, erit cur, & ego, & docti tuis laboribus favere, & eorum fructu gaudere debeamus. Hoc unum poſtulo obnixe, ut aliquanto plenius ea, quæ nobis in animo ſunt proſeramus. Iterum vale, Vir Reverende, & Snellium tuum in quacumque amicitiæ parte collocato, modo alicubi hæreat.

Reverendo, & Clariſsimo Viro, D. Petro Gaſſendo S. Theologiæ Doctori, & Cathedralis Dinienſis Eccleſiæ Canonico, Domino, & Amico honorando S.

CLariſſime Domine Gaſſende. Ille tui affectus index ſummo mihi fuit gaudio, & ut gratias affectui tuo pares referrem, cum nihil invenirem, id enim mihi ingenue profitenti credes, tamen aliquam mei exprimendi occaſionem commentus ſum; quod ſi hæ litteræ, aut incuria, aut curioſitate nimia ad manus veſtras perlatæ non ſunt, erit aliquid tutius nobis excogitandum, & tale, ut omnium litterarum diſpendia nobis ſint levia. Quæ tum expreſſi, vix eorum ſummam nunc explicare queam. Attamen ea fere hoc argomento contioentur me nobiliſſimo, & prudentiſſimo Domino Mons fortio operam pro virili navaviſſe. Jam tertius menſis agitur, aut exceſſit. Inſtrumentum nunc, quale voto concepiſſe viſus es, ita confectum exiſtimo, & apud nos hæret, & ſuper eo, atque pretio ad iſtum Heroëm litteras etiam tunc, & jam nunc quoque iterato dedimus. Tibi vero, Vir Reverende, gratias habeo quas oportet, pro eo, quem erga me indicas affectu de locorum latitudinibus Dinienſi, Aqui Sextienſi, & Gratianopolitana, quid dicam? Aut quem rebus Geographicis fructum attulerint, etiam nunc obiter indicare haud alienum videtur. Principio inde ex itinerum intervallis id cognovimus Romam nobis orientaliorem quaſi 10. gradibus ſi ſequamur itinerum menſuram per Germaniam, ut pote Coloniam, Auguſtam, Tridentum, a denique Romam. Idem quoque per Gallias veſtro beneficio conſequuti ſumus. Neque id ſolum, verum etiam Aquas-Sextias vix 26. ſcrupulis nobis eſſe orientaliores. Atque adeo Ptolemæum quoque in latitudine Carthaginis, Hipponis Regiæ facile tribus gradibus aberrare. Id clariſſime veſtræ obſervationes coarguunt, pro quibus Geographiæ totius nomine vobis, & veſtræ diligentiæ gratulor; earum enim expers ſecundum Ptolemæum pronunciaſſem; & potius tanto amplius vos in meridiem protruſiſſem; ſed id totum veſtri erit beneficii. Addo inſuper, quod mihi perjucundum accidit, veſtras Aaquas-Sextias. Sed finem facio, ne nimis longis logis aures veſtras obtundam. Ecce notam, quam ita ſervaturus ſum, ut de litterarum ſecuritate certi ſimus. Iſtæ ſunt litteræ ſecundæ exaratæ Julii 20. Lugduni Batavorum 1629. raptim, ut vides. Veſtræ Reverentiæ ſtudioſiſſimus Willebrordus Snellius Rodolphi filius.

Ignoſce quod gallice non ſcribam, etſi intelligam. At velim me tam commode veſtro idiomate animi mei ſenſus explicare in his frivolis poſſe.

Clariſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo

ERYCIUS PUTEANUS.

Σπουδαίως ζῆν ἄριστον.

LAuda, mi Gaſſende, Epicureiſmum meum Sequor Virum, qui ubique clamat, *Honeſte vivendum eſſe*, & hoc duce, recte agere malo, quam multa ſcire. Satis profecto eſt ſeipſum non ignorare; in rebus agundis naturam, & rationem ſequi; quæ vera Philoſophia eſt, & ab illo olim tradita, qui cum aliquando clariſſimus eſſet, poſtea tanquam impurus lacerari cepit. Quando igitur deſipere tandem deſinemus? quando bonum, ſobrium, ſanctum Epicurum, & verum naturæ myſtam Philoſophorum Scholæ agnoſcent? Tu facies, quod curis ſolutior aliquando deſtinaveram, & a tanto nomine infamiam propulſando χυρίας nobis δόξας vindicabis, e tam vaſtis ſolidiſſimæ doctrinæ voluminibus quantilla fragmenta reliqua ſunt. Ille πολυγραφώτατος, & qui librorum multitudine Scriptores omnes vicit tanquam iners, & otioſus exſibilatur. Recenſe, qui ſuperſunt, titulos, & ſtuporem iniicies; adde, ac mone, nihil de alieno ſumptum, & erubeſcet ætas noſtra ſcriptitare, quæ cum Epicurum non habeat, plures tamen Chryſippos dedit, non auctores librorum, ſed, ut jocoſe dicam, aratores. Quis ſuo ingenio famam quærit? aut ad libri laudem putat elegantiam pertinere? In pretio moles eſt, in mole pretium eſt, & quomodocumque ſtructam magnitudinem non mente, ſed oculis æſtimamus. Itaque vaſta omnes ſcribunt, pauci ſua; colligunt omnes, totamque ſtudiorum famam ſo-

lo labore definiunt; docti ſcilicet, ſi nihil ingenii, nihil acrimoniæ adferant. Alius omnino Epicurus fuit, totus ſuus, qui nec opinioni, nec fortunæ ſervire didicerat; animo complexus quidquid ſcire homo poſſet, aut quidquid ad felicitatem ingenii faceret. Monumenta ejus, & opera, quemadmodum infinita ferant, ita optima; infelicia tamen, quia in malas, & iniquas manus inciderunt. Sectatores accuſo: Ab his mutata, imo corrupta doctrina, clariſſimi induſtria Auctoris obſcurari cepit. Cum in pleroſque deinde veteris ſapientiæ Myſtas novi Philoſophi inſurgerent, in Epicurum acrior tempeſtas ejecta eſt. Vir innocentiſſimus totam hominum voluptatiorum, qui ſequuti, infamiam ſuſtinuit. Frontem cogita, & in hunc omnes rivorum ſordes redundaſſe. Sic igitur poſtquam in odium conſpurcata doctrina venit, mirum non eſt, libros aboletos eſſe. Nunc ut aliquid tandem remedii, ac ſolatii ſit, non ſinet diutius Epicurum eruditio tua jacere. Porticus reſtituta eſt; quidni & Horti honorem ſuum capiant? Hic ambulare, hic ſapientiæ fructus decerpere ſuave erit. Ne quid cedamus Stoicorum rigori, in aqua, & pulte licebit voluptatem invenire. Seneca nonne teſtatur? *Sancta* ait *Epicurum, & recta præcipere, &, ſi propius acceſſeris, triſtia?* Quomodo? *Voluptas enim illa ad parvum, & exile revocatur; & quã nos virtuti legem dicimus, eam ille voluptati.* Reliqua in Como meo [quæ deliciæ tuæ ſunt] expreſſi. Sed imago ipſa, quam dedi, nonne loquitur? Sicca ſevera, triſtis eſt ſapientiæ manu formata. Putes ab ipſis labiorum lineis aurea illa verba venire, Σπουδαίως ζῆν ἄριστον, prorſus repræſentari, quemadmodum Lucianus in Pſeudomanta eum deſcribit: Ἀθῇά ὡς ἀληθῶς ἱερὸν, καὶ θεσπέσιον τὴν φύσιν, καὶ μόνον μετ' ἀληθείας τὰ καλὰ ἐγνωκότα, καὶ παραδεδωκότα. Quid attinet plura? Recte tu quidem in loco Laërtii χαίρειν, καὶ εὐπράττειν conjungis; tanquam meum mihi lcitum vindices. Notandum hic tamen, quod Lucianus ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος ſcribit *Epicurum in Epiſtolis* σπουδαιοτέραις *ſolitum in ipſa ſtatim initia* τὸ ὑγιαίνειν *exarare; præterea illud* Φίλον τε ὐδένα κτήσεται, neglecta Caſauboni opinione, ingenioſe, & vere in Φίλον τὸν δεῖνα commutaſti. Non poterat enim voluptatis Magiſter ab amicitia alienus eſſe, qui & in his ſacris utilitatem laudat. Poteſt interim Epicurus merito eos reprehendere, *qui*, ſcribente Seneca Epiſtola IX. *dicunt ſapientem ſe ipſo eſſe contentum, & propter hoc Amico non indigere.* Quinam? Stoici. Et horum tamen decretum iſtud: *Ita ſapiens ſe contentus eſt, non ut velit eſſe ſine amico, ſed ut poſſit.* Hac ratione Epicurus amicum eligit, non ut putet ſe ſine eo vivere non poſſe, ſed velit, ac poſſit cum eo ſuavius. Quia de amicis, recte etiam de diſcipulis. Et quis non in ſententiam tuam libens eat? quis non, ut Metrodorum Limpſacenum habeamus, Ἀθηναῖον, καὶ Σάνδην nomina; non nomina expuncta eſſe velit? Omnino veriſimile eſt Athenæum, & Suidam in margine citatos fuiſſe, ac deinde in textum irrepſiſſe, ſed è Suida natum eſſe Sandem. Timocratem tamen non temere loco ſuo pellam, quem Metrodori fratrem fuiſſe mox Laërtius indicat, & inter ἐλλογίμους recenſet. Poſſis igitur hic fortaſſis legere: Μαθητὰς δ' ἔσχε πολλοὺς μὲν, σφόδρα δ' ἐλλογίμους, Τιμοκράτην, καὶ Μητρόδωρον λαμψακηνόν. Sed nihil ſtatuo, teque jubeo judicio exactiſſimo tuo uti, cui docti omnes acquieſcent. Nunc ut magis etiam te excitem, novâque teſſerâ benevolentiam meam teſter, has *Adriani Junii* in vitam Epicuri a Laërtio ſcriptam notas, quas celeberrimæ eruditionis Vir *Janus Rutgerſius* ad me nuper miſit, adjungo. Vale, & quod agis age. Epicuri imaginem his ſententiis, ſi me amas, orna; ſuperiori parte Σπουδαίως ζῆν ἄριστον. Seneca Epiſtola XXI. *Ea libentius Epicuri egregia dicta commemoro, ut iſtis, qui ad illa confugient, probem quodcumque ierint*, Honeſte eſſe vivendum. Inferiori verò Epicuri dictum apud Senecam Epiſtola XXV *Sic fac omnia tanquam ſpectet Epicurus*. Et Epiſtola XI. *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ut ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo vivente faciamus*. Iterum vale, & clariſſimum *Rigaltium* meo nomine complectere, ad quem mox *Hiſtoriam meam inſubricam, ſive irruptiones Barbarorum in Italiam* miſſurus ſum. Lovanii, in Arce. Nonis Novembris 1636.

Præclaro Viro Domino Petro Gaßendo, amico ſingulari

JAC. GOLIUS S. P. D.

Condonabis ſpero, perhumane Gaſſende, ſinceri amici moram, non a culpa natam, ſed boni animi religione potius. Videar quidem merito officio litterario, atque promiſſis defuiſſe; ſed hiſce non ſolutis putavi illud præſtari non poſſe. Accedebat recens quoque Orientis memoria, ubi vix honeſtum eſt adire amicum ſine munere; ipſeque tu proprio exemplo ritum hunc commendaras magis. Quod autem promiſi, quodque nunc mitto, inferius certe eſt meritis tuis; non enim Elenchum, ſed [quod mei juris eſt] librorum iſtorum uſum, & fructum debeo ſingulari amico, & exopto ſolerti adeo Viro. Ideoque magis dolebam nequidem levidenſe illud licere mihi, prohibente ſcilicet decoris publici lege. Quia enim ſupellex illa Academiæ comparata erat, videbatur prima ejus inſpectio deberi Academiæ moderatoribus, qui liberaliter impenſas feciſſent. Ei autem rei vacare illos nuperrime demum ſinit Reipublicæ cura. Quamobrem hoc, quidquid eſt, æqui, bonique conſulas rogo; facturus ſcilicet alias, ut quotieſcumque tibi gratificari queam, ſedulum me, & ſtudioſum tui experiaris. Nam amicitiæ a te mihi oblatæ precium virtus, atque doctrina tua effecerunt maximum. De Apollonii Pergæi Elementis Conicis, & Ariſtotelis libris cognoſces ex Catalogo. De Epicuro verò hactenus vix quidquam mihi apud Arabas occurrit. Doctiſſimi *Hardyæi* litteras, quarum in tuis meminiſti, nullas vidi; nihilo tamen minus me devinctum illi pro benevolentia profiteor; multumque etiam obſtrictum tibi, quod tuos amicos, meos quoque eſſe velis. At parce quæſo, mi Gaſſende, tenuibus rebus meis, ne ſupprimantur ipſæ commendationis tuæ pondere, nempe quam ſuſtinere nequeam. Satis beaveris me, ſi me amare pergas. Vale. Hagæ-Comitanæ VIII. Calendas Januarii 1630.

Clariſ-

Digitized by Google

Clariſſmo, doctiſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo S.

CLariſſime, & eruditiſſime Vir. Etſi humanitas tua, & eruditio multiplex, ac profunda, qua mihi, ſed fulguris inſtar [protinus enim diſparuiſti] mentis oculos olim perſtrinxerunt, magnum injecerant deſiderium amicitiæ tuæ; eam tamen hactenus prohibitus ſum obſequiis meis ambire, aut inceptam fovere. Curam ſingularem adhibueram, ut eruditionis tuæ ſpecimen, non minus Mundo illuceſceret, quam Romanis Phænomenon illud illuſtre; ſed eum ſæpiſſime fruſtra ea de cauſa Typographum adiiſſem, cui ob occupationes denſiſſimas, a ſocietate indita, tum incumbentes nihil otii plane ſupererat, tandem ſuffuratus eſt, vel potius ſe obtulit nonnihil otii ad id præſtandum; ſed eo ipſo tempore mihi ab urbe diſcedendum fuit, coactuſque ſum vicaria alterius opera curare, ne quid vitii editio haberet; ac licet ad eam rem delegeram amicum fidelem, nec indoctum, facile tamen reverſus didici multum intereſſe tua-ne ipſe, an alius curet. Hoc fuit primum optimæ meæ ad tibi obſequendum voluntatis impedimentum. Poſtmodum cum exemplaria mittenda eſſent, novæ vocationis occupationibus obrutus, ne epiſtolium quidem adjungere licuit. Nunc poſtulas tibi duodecim exemplaria; & hic rurſum nonnihil obſtaculi. Natalitiis feriis Amſtelodamum me receperam (jam enim Leydæ dego) ipſo die, quo litteras ad me tua cauſa dabat clariſſimus Dominus Rivetus, Lugdunum revertebar, ubi demum certior hac de re fiebam. Nunc cogor tertiò per alium curare, quod per me curatum velles. Verum nihil intereſt, dummodo recte id curetur; nec propterea moram longiorem trahet hæc res, quia eo ipſo die hæc ad te mittentur ab alio, quo ipſe miſſurus fuiſſem, ſi Amſteludami fuiſſem. Æqui itaque, bonique conſule hanc qualemcumque meam operam, ſpero fore, ut illuſtrior, ac liberior detur occaſio, præſertim ſub Veris initium tibi teſtatam faciendi obſervantiam, qua virtutes tuas, & eruditionem ſummam proſequor. Tantiſper inducias mihi concede, quia ita poſtulat graviſſima trium adoleſcentum pædagogia, quæ initio totum me occupat. Eam eo tempore oblatam, quo adhuc pendebat profeſſionis Philoſophicæ negotium præculi ſpei, quam alioqui ſummam, imo certam fecerant ampliſſimi Academiæ Curatores, & plerorumque, ac præcipuorum Profeſſorum favor, ac benevola in me propenſio. Cauſam quæris? Multas alias conditiones pro ſpe illa profeſſionis, & lautas quidem rejeceram; tandem cum nimium protraheretur negotium, veritus ne ſi & hanc reiicerem forte (quæ eſt rerum, & voluntatum humanarum inconſtantia) omni conditione brevi deſtitutus conſpicerer, præſentem futuræ prætuli; cum præſertim multo lautior eſſet profeſſione, & parentes libenter ſe mihi obſtrinxerint ad ſuppeditandos annuos ad vitam reditus ſufficientes ad honeſte vivendum, quam non amplius utentur opera mea ad inſtitutionem liberorum ſuorum. Quoniam judicio tuo, & prudentiæ plurimum tribuo, optarem ex te intelligere quid horum trium magis faciat ad ſtudiorum promotionem, & ex quo uberior fructus ſperari debeat: Præſtet-ne pueros latinæ, & græcæ linguæ utcumque peritos multa legere, an potius multa diſceré, an denique multa ſcribere; quo ultimo exercitia thematum intelligo. Nolim tamen mea cauſa interpellari graviores tuas occupationes, ſi hæ id minus patiantur. Accedit & alterum, quod alterius cauſa te rogatum velim. Typographi illius filius, qui hoc Phænomenon edidit, pictoriæ artis excolendæ cauſa Pariſios ſe recepit, optaret tua commendatione acceſſum habere ad Magnatum ædes, quo liceret ipſi illuſtriores aliquot picturas exprimere. Si non id præter morem, & decorum, promove quæſo laudabiles juvenis conatus; & parentis cauſa, qui Geographus celeberrimus, & mea, quando obnixe rogavit, ut apud te eo nomine intercedere dignarer. Inprimis verò peto benevolentiæ in me ſuæ continuationem. Habebis vieiſſim tui cultorem humillimum, ac obſervantiſſimum Henricum Reneri. Lugduni Batavorum 6. Januarii 1630.

Præclaro, & Reverendo Viro, Domino Petro Gaſſendo Theologo, & Philoſopho doctiſſimo nunc agenti Lutetiæ Pariſiorum.

JAC. GOLIUS S.

NOlo ominoſam eſſe charo huic, & egregio juvenum pari culpæ apud te mentionem. Ideoque rogo nunc mihi liceat veniam ſilentio ſilendo impetrare. Quid enim indignanti amico amicos commendem, quod tamen, ut velim facere, jubet ipſorum virtus, & doctrina, ipſumque Walæi, & Thyſii nomen, mihi, & Academiæ noſtræ charum, & venerabile; ut verò facere audeam, ſuadet humanitas tua, utpote quam eſſe tantam ſcio, ut ſperem eo ipſo me in gratiam rediturum, quod illi materiam offero, dignam præſertim, ut quidem ego arbitror. Neque enim in humanis rebus quidquam præſtantius eſſe, aut amabilius cenſes, integritate vitæ, ac modeſtæ ſapientiæ ſtudio. Sed cum hæc in te ipſo excellant maxime, rectius de iis ipſe arbitraberis. Walæi filius Æſculapio, alter Themidi nomen dedit, & honores inde uterque ſuos publice cum laude adeptus. Nunc autem veſtras Athenas petunt Lycæorum Reginam, ut ibi exemplis, & doctrina animam augeant. Quo tu in primis eos potes deducere, & in Labyrintho porrigere Ariadneum filum, hoc & meo, & illorum nomine experto, ut laudabilis voti compotes prædicent quantum amicum habeam. Sed quoties hujus ego amici recordor, tantum non me mei pudet, quod puſilla adeo, quæ ipſe petis, ac ne mutuum quidem hactenus præſtiterim. Hic quidem apud nos deſiderabatur æque Raphelingi Dictionarium, quam ibi apud vos. At excuſatum, & reſponſum oportuit; & ad nobile adeo ſtudioſæ peregrinationis inſtitutum conſilia ſaltem aliqua, & ſubſidia conferri. Fateor, ſed quoque teſtor me voluiſſe ſerio, neque amoris diminuti fuiſſe culpam; quin potius ne nimio impeditum non præſtitiſſe quod debebam; ut, cum ſatiſfacere mihi non poſſem, niſi pro re ipſa abunde tibi ſatiſfacerem, haud quidquam effecerim. Plurima enim erant, quorum te participem, memoremque optabam, quò ea, quæ ſimili itinere a me, aut neglecta, aut fruſtra ſuperata fuerant,

amico

Digitized by Google

amico contingerent. Cum verò te in procinctu verſari intelligerem, hunc mihi præſcribebam modum, ut eadem illa Conſtantinopolim tibi ingreſſo auſpicatius offerrem. At nunc, poſtquam in natali regno animum, ſedemque rurſus firmaſſe videris, de conſilii mutatione, & privatis tuis, publicisque ſtudiis certior a te fieri aveo. Ego petitione Lexici a te magis incitatus fui, ut tibi, & aliis ejuſmodi ſtudio, & labore, licet inglorio conſultum irem. Eadem adhuc ſtat ſententia, & quamcumque poſſum operam navo, ut ad recludenda Arabum ſcrinia, quoad potero, clavem impertiam. Idque facilius futurum ſpero, reddita Lexici mei copia, quod Venetiis amiſſum, poſtliminio repertum, jam fere ad me rediit, neque longe abeſſe poteſt. Vitæ quoque rationem, Deo duce, novam & quietiorem inii, ut reſectis ſupervacuis, inanibuſque curis majoribus, quas Reipublicæ litterariæ me debere puto, commodius defungar. At hac de re, ceteriſque plura addere non ſinit præſens occaſio, quam ſerio arripui. Votis pro rerum tuarum incolumitate, litteras, ſeu lituram potius abſolvam, ſedulaque petitione, ut me eo amicitiæ loco, quo habere ſoles, ſerves, vel denuo recipias. Amicorum omnium, quos peperiſti mihi memoriam reverenter colo; iis meo nomine ſalutem dicas plurimam, meamque in eos obſervantiam teſteris etiam, atque etiam rogo; ipſam alias propriis verbis, vel, ſi poſſim, factis probaturus. Vale Januarii 1630.

Doctiſsimo Viro Domino Petro Gaſsendo, Sacræ Theologiæ Doctori, & Cathedralis Dinienſis Eccleſiæ Canonico Theologo S.

NUdius-tertius cum jam veſperi accubuiſſem, & variis heine, & inde repetitis cogitationibus, ſicut mihi moris eſt, ſomno tacitus obrepenti moras necterem; venit mihi in mentem eorum omnium, de quibus ſub Aurora te conveneram, & illius Operis maxime de vita, & doctrina Epicuri cujus te idoneum ſponſorem, & locupletem debitorem jam pridem conſtituiſti. Atque adeo me oblectavit tum ſuſcepti iſtius negotii dignitas, & præſtantia, cum etiam Scriptorum, quæ jam apud te circa illud parata ſunt varietas, & copia, ut ex injectis tam præclaro conatui neſcio quibus remoris, & defunctoriis in tam præclaro opere cudendo lucubrationibus tuis, in mœrorem certe graviſſimum, atque ex eo paulò poſt in ſomnum etiam fuerim delapſus; ſed quæ me vigilantem exercuerat, eadem me dormientem, & placida quiete compoſitum non deſeruit noviſſima de tuis ſtudiis cogitatio. Atque ipſe quidem Epicurus vultu hilaris, veſte nitidus, geſtu decorus viſus eſt mihi per utramque Germaniam, ſuperiorem videlicet, & inferiorem, citato, ac veluti grallatorio paſſu ambulare, & mox Baſileæ, Argentorati, Ingolſtadii, Lipſiæ, Francofurti; paulò poſt verò Duaci, Franekeræ, Lugdoni Batavorum, atque aliis paſſim urbibus, & Academiis Philoſophemata ſua luculenter explicare, dogmata ſtabilire, & Symbolum illud, quod antea Democriti fuiſſe accepimus, *ἓν καὶ μηδὲν ἐστὶ τὰ πάντα* magna animi contentione in doctorum circulis, & aſſerere, & efferre; ſubinde verò aliarum rerum, de quibus pariter interdiu cogitaveram, diverſæ ſpecies, & nihil quidquam cum Epicuro commercii habentes ſeſe obtulerunt, ex quibus, & laudabilem corporis mei temperiem, & mentem a craſſis ciborum vaporibus liberam, qualem-ve abſtemiorum eſſe convenit ſine pondere ludentem, & veritatem inſuper iſtorum verſuum, qui inter Petronii reliquias a Criticis referuntur deprehendi:

Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris
Non delubra Deûm, nec ab æthere Numina mittunt,
Sed ſibi quiſque facit.

Tu verò, an ulterius ὀνειροπολεῖν debeas, aut ὀνειροσκόπον agere equidem non arbitror; illis potius animum adverte, quæ hac ſomnii occaſione commotus familiariter ad te decrevi conſcribere; quo meis verbis quaſi pedamentis quibuſdam fluctuantes, circa Epicuri tui elaborationem cogitationes componas, mentemque fulcias, & in ſumma temporis penuria, & intercapedine tanti, tamque nobilis, & operoſi conatus finem, & portum facilius aſſequare. Sed papæ, inquies, novum morem, & penitus inſolentem! Ut qui viva voce, & præſenti colloquio amicum juvare, & monere poteſt, hunc potius amet ex ſcripto convenire, atque etiam epiſtola præeunte de rebus graviſſimis affari, quem alias non infrequenter gerris ſiculis, & inanibus nugis patienti aure detinuerit, & ad nauſeam uſque præſens exercuerit. At iſthuc te volo, perdocte Gaſſende, neque Cenſorem non recuſo moris iſtius innovati, non quidem in rebus titivillitii, & ſermonibus flocci-faciendis, ſed in iſtis, de quibus Auguſtus Imperator nunquam loquutus eſt, ne quidem cum uxore ſua Livia niſi ex libello, atque meditata, & compoſita oratione, quamvis ut notat Suetonius cap. 4. non deficeret adhibita ex temporali facultate. Quo magis æquum eſt mihi, qui harum neutra dicendi ratione valeo, utriuſque uſum libenter concedi, ut qua voce, qua manu præſens, & abſens amicorum negotia promoveam, & ea præſertim urgeam, quæ abſque maximo illorum, & publici boni diſpendio remiſſius, aut indiligentius tractari non poſſunt. Deinde verò, quod ſummi Oratores, & Poëtæ contendunt, illud etiam veriſſimum eſſe ſtatuo, nimirum ea longe ſegnius animos irritare, quæ per aures demittuntur, quam quæ fidelibus oculis patent, ipſiſque, quod in Epiſtolis præſertim uſu venit, non ſemel exponuntur. Ut igitur memoriam eorum, de quibus in præſentia rerum agere conſtitui, inde uſque repetam, unde & tu avocamenta illa, quæ te vere ab Epicuro avocarunt, repetere conſueviſti. Cum ſuperiori Æſtate vindemiales ferias procul urbe tranſigerem, & Romanorum more nonis tantum diebus annonæ res urbanas, ſed amicos in urbe degentes reviſerem; ſolebam etiam te in alto illo, & tranquillo ſeceſſu convenire, ubi exculpendo, & bene dedolando Epicuro, ceteris curis, & negotiis ſolutus præclare, & placide incumbebas, geſtiebamque vehementer huic labori totum te addixiſſe, ex quo maxima nomini tuo gloria, & incredunda, ut cum Antiquariis loquar. Reipublicæ litterariæ utilitas prorſus eſſet reditura. Sed neſcio quo caſu interim factum eſt, ut Illuſtriſſimus Comes, & cunctis naturæ, ac fortunæ bonis impenſe cumulatus, & exornatus D. de Marcheville, cui tua ſingularis virtus, & eruditio jampridem innotuerat, ex quo Regis noſtri Chriſtianiſſimi apud Turcarum Imperatorem Orator eſt deſignatus te etiam voluerit,

Habere

Horat. Satir. 6. lib. 2. *——Habere ſuorum*
In numero, duntaxat ad hoc, quem tollere Rheda
Vellet iter faciens, & cui concredere ceras.

Atque ut me primum de hac re, & ſuſcepta in Thraciam, & Biſantium peregrinatione certiorem eſſe voluiſti, cepi continuo mihi gaudere, & tibi vehementer gratulari, quod ea demum ſe ſe obtulerit occaſio bene merendi de litteris, & inſignes progreſſus faciendi in rebus Aſtronomicis, quarum te callentiſſimum eſſe ſatis, ſuperque teſtantur inſignes illæ, quæ nuper cum tua epiſtola pro Reverendo P. Marino Merſenno prodiere obſervationes; atque etiam communis, & vulgata de tuis ſtudiis opinio, quæ te parem cum peritioribus noſtri ſeculi Aſtronomis, nec immerito quidem, componit; ac proinde ſpem certe, nec vanam, nec mediocrem animo meo concepi, quod ubi ſemel Alexandriæ in Ægypto conſtiteris, & magno illo Gnomone Mathematico, quem ut ampliſſimum, & omni arte, ſtudio ac induſtria elaboratiſſimum haberes, nullis ſumptibus peperciſti, cœleſtes motus obſervaveris; talia profecto de illorum natura retegantur, quæ non minimum illuſtrandæ Ptolemæi Alexandrini doctrinæ conducant, nomenque tuum cum egregia virtutis, & eruditionis commendatione in omnem ætatem poſteram tranſmittant. Et verò cum accuratiſſimam ipſius Urbis Conſtantinopoleos, totiuſque Boſphori Thracici Topographiam ab eruditiſſimo Viro Petro Gillio, incolarum autem mores, & ritus a Busbequio, plantarum naturam a Proſpero Alpino, varias denique animalium, quæ illic degunt, figuras, & proprietates a Petro Bellono Pariſienſi Medico acceperimus, illud tantum cumulatæ felicitati ſupereſſe videatur, ut perſpecta, & explorata ſoli ipſius natura, in ejus Cœlum irrumpas, & ex Alexandrina ſpecula totius naturæ cæleſtis ingenium, ac deſcriptionem experimentorum, & obſervationum fide confirmatam litteris contignes; eoque diligentius, & pertinacius huic uni negotio tibi incumbendum eſſe exiſtimes, quo jam inde a Ptolemæi temporibus rariores extitere, qui tam propenſum in publica commoda Mœcenatem nacti fuerint; atque adhuc rariores futuri ſunt, qui vel ſub optimi, nec non faventiſſimi Mœcenatis præſidio illud ipſum tam perite, ac luculenter, quemadmodum tu ipſe, præſtare poſſint. Quamobrem urgebam ſupra modum, ne tibi, aut amicorum tuorum flagrantibus votis hac in parte non obſequereris, ne-ve plebeias, & humiles animas, quæ domi reſident, & affixæ ſunt ſuæ terræ, ſed diviniores illas imitateris, quæ Cœlorum inſtar perpetuo motu gaudent, & faciunt nunquam quieſcendo, ut cetera omnia placide ſemper conquieſcant. Verum & illud præterea, ſi recte memineris, addebam, atque etiam vehementer commouebam, ne dum Thraces, & Græcos, & ignotum Orbem cogitas, familiaris tui Epicuri obliviſcereris, ne-ve ipſum ſineres tanquam Cæſarianum Aiacem in ſpongiam incumbere, vel cum blattis, & araneis luctari, aut denique, ſi non extinctum, at ſaltem ſopitum, & veluti ſitu, ac pulvere ſepultum diutius obdormiſcere. Laborem hunc eo perductum eſſe, unde nullo, vel certe quam minimo negotio abſolvi poſſit, extremos tantum ductus, & ultimos colores ei ſupereſſe, quibus toti figuræ decor, & venuſtas concilietur; neque temporis anguſtias adeo premere, quin ſi laborem tuum partiri velles, & ſuum Epicuro peculiariter aſſignare, non hunc ipſum ſenſim abſolveres, & ante Calendas Octubris, quæ tibi ſupremum in urbe tempus eſſe debeant, omnibus numeris perſectum amicis tuis, aut præſtolantibus illum Typographis relinquere poſſes, atque tunc temporis:

ἡ δὲ ἐμοὶ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή.

Tibi verò non item, ſed partim nihil agendo, ut inquit Seneca, partim etiam aliud agendo. Illud tandem conſequutus es, ut hoc totum rei bene gerendæ tempus tibi incaſſum effluxerit, quod ſi prout ipſe ſapienter conſtitueras gravioribus ſtudiis deſtinare voluiſſes, ſufficientiſſimum erat ad illud omne, quod de Epicuro in te recepiſti, feliciter adimplendum. At neſcio quomodo altius, quam conveniat ſenſim provehor, & dum Epicuri cauſam ego tuam deferere videor, quam verbis ſeverioribus, & tibi forſan ingratis elevare contendo; verum tam ardens eſt meus in te amor ſingularis, ut facem propemodum ſuccenderit, quam tibi velut in præſidio ad ſuſceptum iter promptius emetiendum conſtitueram. Et ſi tecum paulo liberius, ac vehementius ceſſationem tuam expoſtulavi, ideo certe factum eſt, quod æquum ſemper eſſe duxi, ut qui amicorum tuorum benevolentiam ex libertate, qua tecum utuntur, dimeriri conſueveris, mea præſertim, quæ non niſi ex vehementiſſimo affectu procedit, nuſquam offendare. Quidquid ſit, arbitrabor ſemper, me rem laude etiam dignam feciſſe, qui non poſſum in ullam aliam incidere opinionem, niſi in eam, in qua ſcilicet tua de te tibi ſuadere videar, quod pie facere non poſſum. Tu autem, mi ſuaviſſime Gaſſende, ſic hæc accipies, ut ſive probabuntur ſibi, ſive, quod abſit, non probabuntur, ab optimo certe animo, ac deditiſſimo ſibi, & cogitata, & ſcripta eſſe judices. Enim-verò ut qui me Cenſorem, & quidem acerrimum ſatis exhibui, Conſultoris iterum partes ſuſtineam, cum ex Medicinæ præſcriptis non tantum illi fetus vitales exiſtant, qui VII. ſed etiam qui IX. & X. menſe in lucem erumpunt, non eſt adhuc, quod Epicuri tuo proſpero ſucceſſu deſperes, cui videlicet poteris vel extrema prorogationis iſtius lege convenienter opitulari. Etſi perfectæ ejus elaborationi, atque excluſioni legitimæ præfinita hæc a Medicis tempora nondum ſufficiunt; Juriſconſultorum tamen decreta ſubvenient, qui non adeò ſtricte tempus naſcendi definiunt. Sed vide quæſo, ne rurſus in eundem ſcopulum impingas, & caveas ſedulo ab iſtis duobus quaſi retinaculis, quæ ſola fecere, ut nihil omninò a tribus, aut quatuor proxime elapſis menſibus circa Epicurum tuum feceris. Illa verò inprimis eſſe exiſtimo, quod nobiliſſimus Orator, qui te ſibi Comitem adjunxit, de diſceſſu ſuo ferme ſemper cogitet, Domeſticis conſcribat ſarcinas, & omnis generis impedimenta componat; Triremes conducat, miſſionem denique ac abeundi licentiam de die in diem expectet, ſæpius etiam petat, & impenſius efflagitet. Unde eſt, quod tibi inter ejuſmodi temporis anguſtias luctanti, coërcitoque, ſatius fore arbitraris nihil novi in Epicuro tuo tentare, utpote quem nonniſi

Multa dies, variuſque labor mutabilis ævi

poteſt in melius referre. Sed potius quidquid erit iſtius temporis incerti, interrupti, intercepti, uberiori linguæ græcæ cognitioni, ac neſcio quibus aliis minoris momenti negotiis illud totum impendere. Ego verò contrarium quidem cenſeo, & cum non minora ſint, quibus nos demereri poteſt Epicurus, quam Ptolemæus; utri-

que

que ex æquo tibi incumbendum eſſe exiſtimo. Hoc autem facies, ſi quemadmodum quando eris Alexandriæ totum te detinebit Ptolemæus; ita nunc cum Lutetiæ degas totum te ſibi habeat Epicurus, quod certe rationi convenientiſſimum eſſe ſaxo ſtatim ut intelligas. Ille ſiquidem nihil aliud a te requirit, quam quod facili negotio potes illi, & Alexandriæ, & ubique gentium commodare, acutam videlicet oculorum aciem, Aſtrolabio, Tubo Galilæi, aut Gnomone aliquo diligenter adductam, & obfirmatam. Hic verò ingentes, & inſtructiſſimas poſtulat Bibliothecas, auctores omnis generis, excuſus, & manuſcriptos codices, & doctorum Virorum colloquia, quæ tu fruſtra alibi, quam Pariſiis conquiras, & ne quidem tota Græcia, Ægypto, Aſia, vel Affrica poſſis reperire. Quod ſi in reditum tuum hoc opus differendum, & remittendum eſſe cenſeas, næ tu parum advertis ad inſignem illam Cœli, & ſoli mutationem, ad Maris vortices, piratas, tempeſtates, ad efferam, & crudelem peſtem Biſantio, & toti pæne Græciæ familiarem, ad victum inſolentem, mores ignotos, morbos communes, ſporadicos, ad latrones, ſicarios, graſſatores, & mille alia diſcrimina, mille pericula, a quibus non ſolum tibi, & Epicuro, ſed inſuper amicis tuis utriuſque veſtrum æque ſollicitis continuo timendum erit. Nam illud meo quidem judicio de peregrinantibus potiſſimum efferri debebat, quod de ſingulis hominibus dixit Seneca:

Nemo tam Divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſet ſibi polliceri.

Deinde verò ut hæc omnia nulla ſint, & nauci, floccique facienda, at innumeræ ſpecies, & novæ cogitationes, quas diuturna mentis circa Philoſophiam Epicuream agitatione concepiſti & fideli memoriæ cuſtodiendas tradidiſti, intra ſexennium [qui legationis Conſtantinopolitanæ communis terminus eſt, prorſus evaneſcent, amici tui aliò commigrabunt, libri diſtrahentur, & nova omnia, tibique inviſa, inaudita poſt reditum forſan apparebunt. Nolim tamen exiſtimes iſthæc omnia, quæ tibi liberius examinanda propono, velut quoddam Attalantæ pomum injici, quo futuræ navigationis tuæ curſum ſiſtam, aut quemadmodum propola, qui ficus divendebat coram Craſſo in Parthos exercitum ducente, Cauneas occlamem; Tantum enim abeſt, ut etiam iſtius peregrinationis primum auctorem, ac laudatorem ſemper habueris; ſed hoc tantum contendo, ut interim dum Magnates illi, quos fortunæ calculus rerum noſtratum gubernaculis admovit Clariſſimo Oratori, & Patrono tuo D. de Marcheville dies continuo protrahunt, & ſubinde moras innectunt prudenter caveas, ne tibi ſimiliter, & Epicuro ipſæ moræ innectantur, & cum jam inſtituta ratione promovendi tempus ſimul excidat. Sane licet aliorum exempla non ſuppeterent, meum certe tibi deeſſe non poteſt, quo in iſtis cautior evadas, cum non ſemel propria experientia didicerim, nihil unquam de Legatorum diſceſſu ſtatui debere, niſi ubi in viam cum toto comitatu ſe dederint propter crebras comperendinationes, quibus ita plerumque torqueri, & divexari ſolent, ut nulla alia re magis. Hoc verò fruſtra apud te ſtatues, niſi eadem animi libertate, & conſtantia leviores alias occupationes, & græcos illos præſertim valere jubeas, qui te phaleris, & grammaticationibus ſuis impalleſcentem tandiu detinuere, quaſi verò egregiam laudem, & ſpolia ampla referre poſſis ex intellecto Ariſtophanis Pluto, aut diſcalpeata, ac eviſcerata non ſine Tzetzis, aut alterius doctoris ope Lycophronis Caſſandra. Hoc eſt profecto, ne quid moleſtius dicam, non recte philoſophari, & præſenti, graviſſimoque Litteratorum fato prorſus impediri, ne cujus nunc hominis perſonam ſuſtineas, per te ipſum poſsis cognoſcere; ita ut etiam monitoribus egeas, & iſtius linguæ intemperantia laborare deprehendaris; cum tamen vel mediocris ejus cognitio ſatis idonea viſa ſemper fuerit magnis Viris ad principatum in ſua quemque facultate obtinendum, & retinendum. Sane & D. Thomas, & Niphus, & Pomponatius quid in Philoſophia abſque illius auxilio non præſtitere? Quid item in Mathematicis Peurbachius, Tycho Copernicus ejusdem præſidio ferme deſtituti non effecere? Sed vin' tu Petronianam de novo iſto eruditionis faſtu parodiam patienter ferre? Nuper certe ventoſa iſthæc, & enormis græcitas Gallias, & univerſam ferme Europam ex Aſia commigravit, animoſque Juvenum ad magna ſurgentes veluti peſtilenti quodam ſydere afflavit; ſemelque corrupta Philoſophiæ, & altiorum diſciplinarum regula ſtetit, & obmutuit. Quis poſtea ad ſummam Alberti? quis Regiomontani ad famam proceſſit? ac ne libellus quidem ſani coloris enituit, ſed omnia quaſi eodem cibo paſta, non potuerunt uſque ad ſenectutem caneſcere. Verum audio quid ſtatim obganniant heſterni illi, & nuperi Helleniſtæ, nimirum quod ejuſmodi Philoſophi, & Mathematici opera ſua longe doctiora, & auguſtiora reddidiſſent, ſi ab illis auctoribus, & libris adjuti fuiſſent, a quibus conſtat eos propter linguæ iſtius ignorationem perpetuo abſtinuiſſe. & ſane in eorum ſententiam deſcendo, modò hanc litem, & conteſtationem moveant de mediocri tantum in hac lingua exercitatione, quam ut in omnibus laudo, ſic in te potiſſimum magni-facio, atque utinam iſta contentus, quæ tibi viam facilem reſerat, & iter planum expedit ad optimos quoſque tum Hiſtoricos, cum Oratores, & Philoſophos inoffenſe perluſtrandos, & evolvendos, ulterioris in ea progreſſus curam Humaniorum litterarum Profeſſoribus ἢ τῶν κριτικῶν, ut ipſimet loquuntur Coryphæis relinquas, & Cœli tantum, ac ſoli curam geras. Quod nunquam aliter melius præſtiteris, quam ſi

Dum res, & ætas, & Sororum Horat. ode 3. lib. 3.
Fila trium patiuntur atra,

totis tuis viribus in Epicurum incumbas; cujus partim hominum neglecta, partim etiam longo ſæculorum decurſu, extinctam famam, obliteratam doctrinam, neglecta, & male arrepta dogmata, diſperſos Sectatores, Palabundos auditores. Niſi tu velut alter Æſculapius in integrum poſtliminio reſtituas, & cœleſtis quadam animulæ tuæ particula plenius illuſtres, non eſt profecto, quod optimus ille, & ſapientiſſimus Philoſophus præſtantiorem alterum vindicem rebus ſuis deploratis, & omninò conclamatis opem unquam laturum exiſtimet, aut aliunde ſuam ſalutem, imo reſurrectionem ſperet, & expectet. Quare macte virtute, & honore amicorum meorum eruditiſſime, macte, & quod magnis auſpiciis cepiſti, magno animo, & pari cum felicitate, conſtantia perage, aut enim meus me fallit animus, aut illuceſcet tandem illa dies, qua tu, quod pro tua ſingulari humanitate, & benevolentia litteratos omnes juveris, non modo eos tibi devinctos habeas, ſed inſuper tuam doctrinam tibi honorificam fore, & uni

verſo

Digitized by Google

verſo generi humano valde utilem, ac laudabilem magna omnium bonorum gratulatione glorieris. Vale. Dabam Pariſiis die ultima Octobris 1630.

Tuus ex animo Gabriel Miſericordi-raſeus Pariſinus, ſive G. Naudæus.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro D. Petro Gaſſendo S.

VIr celeberrime, mihique perpetuum colende, Nunquam opportunius quidquam obtingere potuit, aut tuis poſtremis, aut incluſo libello, adeoque honore, & amore, quibus me [utinam mage meritum] proſequeris, ſi hæc tua ut medicinam afflicti animi accipiam; nunquam viciſſim quidquam intempeſtivum magis, ſi ut munera ſpectem, quibus pro magnitudine illuſtre gratitudinis teſtimonium ſummo jure a me debeatur. Sed cum curæ meæ ſint ejuſmodi, ut & exitum felicem expectent, & chartam refugientes nonniſi in amicorum aures, ac ſinum deponi poſſint, ſupprimam, & operam dabo, ut forti animo quidquid id eſt concoquam, quam ad rem optarem animi tui virtutes, quæ veluti ſupra nubium regionem locatæ, nec ventis agitantur, ſemper tranquillæ, ſemper ſerenæ, & a rebus humanis exortas curarum nebulas, aut non excipiunt, aut diſſipant. Præſens hic animi ſtatus, dum in meliorem, ac breviorem tranſfierit, quæſo ut mihi hac vice apud humanitatem tuam ſufficiat ad ampliorum meæ in te gratitudinis argumenturum nonnullam dilationem. Niſi is obſtitiſſet, miſiſſem Analyſeos meæ ſpecimen illuſtrius cum adjuncta demonſtratione; etſi enim ea res, ſi perſpicaciſſimi ingenii tui aciem excipere, ac exactiſſimi judicii cenſuram ſubire debeat, poſtulet arduam mentis intenſionem, & publico uſui deſtinata tantiſper penes inventorem deliteſcere, vel te conſentiente, poſſet; tamen certo tibi deinceps perſuadeas, nihil meum eſſe, quod non pari jure tuum eſſe velim. Ac ne verba hæc putes, & uſitatam ſæculo ad humanitatem facto formulam, experire fidem meam quacumque in re libuerit. Sed judicium ſaltem de ſcriptis tuis, at in primis majori illo, quo Philoſophiæ Fluddanæ fundamenta retegis, poſtulabis. Sane ſi poſtules, ſubterfugio non erit locus. Alioqui nec virium mearum imbecillitas ad tantum faſtigium aſſurgere valet, & genus hoc ſcribendi ejuſmodi eſt, ut ſi tantum auctoris laudes perſequaris, quamvis candide id præſtes, vix adulationis notam effugias; ſi etiam aliquid carpas, ne adulari videaris, aut inſcitiam tuam prodas, aut frigidam affundas amici ferventi in te amori, cui augendo ſemper potius ſtudendum. Quanquam ſi tua ſcripta cenſuræ ſint capacia, eo te candore novi, ut malis eam ab amico proferri, magiſque ob id ipſum ſis eum amaturus. Non poſſum tamen, quin tribus lineis exprimam, quæ lecto curſim majori tuo opere protinus animum meum perſtrinxerunt. Ingenii tui par cum candore acies, eruditio per omnia rerum, & actuum genera ſeſe diffundens, prudentia, animi modeſtia, pacis ſtudium ita in eo relucent, ut cum in tuo libro lectores Fluddum quærant, te in primis inveniant, deprehenſum ament, revereantur, imitari cupiant. Sane dabo operam accuratiori ejuſdem examine, ut non minorem ex virtutibus tuis, quam ex multiplici eruditione fructum reportem. De libello alio geſtante nomen meum in frontiſpicio nihil hac vice dicam, ne jejunitate epiſtolæ quidquam derogem de magnitudine affectus, quo hoc tuum beneficium proſequor. Hæc ſacra feſtum diem poſtulant; ſolum id obnixe rogabo, ut quo major ad me ex tuo ſplendore gloria redeat, non deneges huic regioni exemplaria. Incommodum, quod verebaris nullum eſt, diſtractis jam pleriſque prioris editionis exemplaribus, & alium titulum, ac effigiem præferentibus. Reverendi Patris Merſenni litteras, ceteraque, quæ injunxerat diligenter curavi; ſed quia reſponſo annectendus experimentorum meorum catalogus, nonnullaque alia, quæ minus potui hoc rerum ſtatu conficere, proxima opportunitate mittam. Dignaberis eum meo nomine humillima ſalute, me verò tuo & amore, & favore. Lugduni Batavorum 26. Novembris 1630.

Henricus Reneri R. T. obſervantiſſimus.

Admodum Reverendo, clariſſimoque Viro D. Petro Gaſſendo Theologo, S. P. D.

REverende admodum, & chariſſime Domine. Eruditiſſimam Diatriben tuam epiſtolicam, qua Fluddanæ Philoſophiæ principia doctius ambigo, an elegantius refellis, his diebus ad me miſit Chiffletius noſter cum litteris tuis humaniſſimis. Quod quidem munus gratiſſimum mihi fuit, e quo profundam illam πολυμάθειαν tuam, & penetrata a te intima Philoſophiæ arcana perſpexit. Quæ dum lego, vehementer dolui, nobis in tranſcurſu tantum licuiſſe raram illam omnigenæ eruditionis tuæ penum guſtare.

Felicem Merſennum tuum, qui tam eruditum nactus famæ ſuæ vindicem. Obſervationes tuas accuratiſſimas de Parheliis Rumanis cum Vendelino noſtro communicavi, qui mirifice earum lectione eſt affectus. Quod ad Ciceronis locum ad Atticum ſpectat, de *Patrone*, & *Parietinis* Epicuri manibus, & pedibus, in ſententiam tuam concedo. Loca enim illa, quæ ex aliis epiſtoli adducis, plane evincunt legendum uti obſervaſti; nec dubito ipſum ſummum Virum Cl. Puteanum, ſi viveret, tibi aſſenſurum, quod da eruditiſſimis ejus filiis narras. Ad editionem Marci Aug. quod ſpectat, ex Hiſpania variantes lectiones e manuſcripto Codice expecto, mox illum prælo ſubjecturos. Vale, eximie, & clariſſime Domine, & quod facis, nos amare perge. Scribebam Antuerpiæ 30. Januarii 1631.

Admodum Reverendæ Dom. Veſtræ obſervantiſſimus C. Gevartius.

Digitized by Google

Admodum Reverendo, & clariſſimo Viro D. Petro Gaſſendo

CHRISTOPHORUS SCHEINER S. P. D.

GRatiſſimæ mihi acciderunt humanitate tua litteræ pleniſſimæ, quas mihi excellens Dominus Naudæus una cum opuſculo tuo erudito officioſe tradidit; quibus cur tam ſerò reſpondeam cauſa fuit, quod nolui coram te vacuus apparere. Speraveram ſemper libellum de Parheliis jam tum ſemi-perfectum abſolvere, tibique eo remittendo ſimul ſatisfacere, ſimul beneficiis a te in me collatis quadantenus reſpondere. Sed quia negotiis aliis ſuper alia ingruentibus impeditus fui, nunc in illorum locum Pantographicen ſubrogo, luci modo permiſſam; cum qua etiam adjungo exemplar Parheliorum anno præterito obſervatorum, eorumque explicatione petitam ſubnecto, quanquam ſatis ambigo, horum, an eorum Parheliorum, quæ anno 1629. obſervavi, quæque tu commentariis tuis illuſtraſti, explicationem deſideres; ſed ut ut ſit, quidquid de uno, idem fere de altero dicatur. Ad ſingula igitur venio: Diagramma ad te manu exaratum recte perlatum eſt, quia Romæ illud typis nunquam commiſi. Iridum Solem proxime ambientium diametri fuere graduum 43. plus minus; remotiorum in impreſſo *O R P* graduum 95. & 20. min. circiter. Colores, ut Iridum Solarium primarum, puniceus, vel ruber Soli proximus; reliqui ordine, & more ſolito. Omnium iſtorum arcuum craſſitudo, ſeu latitudo æqualis, & eadem; ſolari tamen diametro minor quaſi tertia parte; prout Schemata recte docent; quamquam inficias non iverim, circulum lacteum horizonti parallelum reliquis arcubus aliquanto fuiſſe latiorem; cujus diameter apparens ſecundum Solis altitudinem in ſphæra metienda eſt, juxta rationem circulorum in ſphæra maximis minorum. Parhelia anni 1629. ſatis videntur explicata in tranſmiſſa charta; anni verò 1630. ita ſe habuere; Duo quidem *M*, & *N* ſatis vivacia, altera duo *O*, & *P* minus vegeta extitere: *M*, & *N*, qua parte Solem reſpiciebant rubore purpureo, averſa colore candido fulgebant; *O*, & *P* tota alba. Omnium iſtarum imaginum durationes erant differentes; nam imago *P* debiliter, & rarò emicuit, obliterata ante omnes, nubibus ibidem craſſiuſculis conglobatis; imago *O* & illa debilis, ſed tamen ſatis ſtabilis, diuque hæſit; duæ laterales *M*, & *N* per tres horas conſtanter viſæ; elangueſcente tamen, & poſt multas conflictationes, extincto prius Solnſictitio *M*, alter autem *N*, ultra horam ſuperſtes fuit, neque ultimum ipſius obitum egreſſus domo animadvertere potui, certus ipſum cum Sole genuino diu ſolum inceſſiſſe, neque nubibus, neque vaporibus, aut halitibus inſtar aliorum oppreſſum. Tandem tamen inſequutis pluviolis, & ipſe comparere deſiit. Igitur ſi initium cum fine obſervationis conferamus, reperiemus minimum horas 4, cum dimid. cum autem ad initium animadverſi Phænomeni jam omnia in pleno curſu ſeſe ſtiterint, facile mihi perſuadeo ad quinque, aut plures horas totam durationem perveniſſe.

Parhelia in plano verticali *Q*, & *R*, ubi ſeſe arcus Iridum, vel interſecant, vel everſo ſitu prope verticem in plano verticali per oculi *F*, & Solis *G* centra tranſeuntia contingunt, ſplendoris vehementia, qua viſum feriunt, aliis quandoque cedunt, quandoque percellunt, figura, & candore ordinarie ſuccumbunt, neque figuram eadem magnitudine, neque pictoram ſimili ſemper elegantia diſperſant, ſed modo augent, modo minuunt, per varia nimirum Solis *G* agentis, & materiæ *Q*, atque *R* patientis temperiea; unde hæc Parhelia in perpetua propemodum lucta, atque lucis, colorumque fluctuatione verſantur. Prima ferè, & poſtrema in Parheliis viſuntur, quamquam in hac apparentia imago Solis *N* ultimas tenuit partes, prout ex induſtria obſervavi. Diſtantia, ſive altitudo jubaris *Q* ſupra horizontem tempore primæ obſervationis fuit 49. grad. 40. min. Jubaris *R* 76. grad. 10. min. Solis altitudo 28. grad. 30. min. unde diſtantia ipſius *Q* a Sole in circulo verticali fuit 21. grad. 10 min. At verò ipſius *R* diſtantia a Sole fuit 49. grad. 40. min. tempore ante meridiano, quo primam obſervationem peregi. Initio harum obſervationum Ventus Boreas erat, ſed ſenſim in orientalem, tandemque meridianum mutatus, pluvias non tamen magnas, nec diuturnas cauſavit. Diebus ſubſequutis pæne quatuordecim Cœlum quotidie ſemivapidum apparuit, & quotidie ante prandium Sol novos filios creare conatus eſt, irrito tamen ſucceſſo, ex defectu ſcilicet, vel materiæ, vel debitæ diſpoſitionis. Vide enim in circulo verticali initia Parheliorum manifeſta, per ſat longa temporis intervalla; vide etiam ſolium lateralium manifeſtas reciprocationes. Iris *O R P* videtur fuiſſe portio una arcus circularis, ideoque ſemicirculus Soli concentricus, tametſi juxta θ, & κ horizontem *A B* non penitus attigerit; fuerantque portiones *O* κ, & ρ θ extenſionis inconſtantis, modò longioris, modo brevioris. Arcus Z *Q* α β *Q* γ δ ε ζ Solem proxime ambientes, oſtentabant quidem viſui unum quaſi quemdam ambitum circolarem confuſum, non æquabiliter latum, neque conſtanter ſibi ſimilem, ſed perenni quaſi fluctuatione exundantem, atque varium; revera tamen ex arcubus in ſchemate expreſſis conflabatur; quemadmodum ex inſtituto animadverſionibus accuratiſſimis obſervavi. Cornua *H R C* videntur eſſe ſegmentum ſemi-circuli minoris, majorem *O R P*, ſitu contrario contingentis in communi modo *R*. Arcus Iridum *Z Q* α, & β *Q* γ, in modo *Q*, ſeſe interſecant, ibique Parhelium *Q* efficiunt. Soles duo *N*, & *M* enati ſunt in communibus nodis, ſeu interſectionibus *M*, & *N*; quas facit Iris ζ δ ε cum circolo lacteo *O M N P*. Cœli pars Septentrionalis purgatior fuit Auſtrali, quæ tenuibus, & viſcoſis vaporibus inceſſa huic apparentiæ occaſionem, & materiem majorem ſubminiſtravit. Atque hæc ſunt, quæ ad tua quæſita reponenda occurrerunt modo. In Opuſculo de Parheliis plura fortaſſis ad guſtum tuum promentur. Delectavit me admodum tuus eruditus ille ſuper Parhelia mea Commentarius; manum certe, & calamum accuratiorem haud expecto, & gaudeo adumbrationibus meis tantum Apellem ſuperveniſſe. Ad guſtum meum faciunt omnia, quæ de geneſi, natura, & ſignificatu hujus Phænomeni diſputas, uti ex meo tractatu ſatis perſpicies. Meum de Maculis, & Faculis Solaribus opus ſub Roſæ Urſinæ titolo evulgatum, Romæ nunc proſtat, & ad te mittet illud excellens Dominus Naudæus. Venditur hic ſcutis romanis quatuor, non tamen a Bibliopolis cenſum ſit 15. ſed difficultas temporum obſtat nunc plurimum rei litterariæ. Si foret in Gallia veſtra, qui opus hoc,

aut

Digitized by Google

aut ſaltem bonam exemplarium ſummam vellet comparare, poſſet pro tribus ſcutis quodlibet nanciſci. Pantographice venditur pro tribus Juliis. Si qui ſint quos iſta delectant, poterunt hîc votorum ſuorum compotes fieri. A nobili Domino Gabriele Naudæo maximam humanitatem expertus ſum. Ego P noſtri Petavii opera nonnulla vidi, & magni æſtimo. Si quid tibi conſuetudinis cum illo intercedit, gratum facies, ſi meo nomine ſalutaveris; & ſi fieri poſſet mutue operum permutatio, multo id gratiſſimum eveniret. Maculas ſolares generabiles, & corruptibiles eſſe ex opere meo clare videbis; unde recte contra Malapertium [bonæ memoriæ] & Tardæum una mecum ſentis; & miror Tardæum meum diſſimulare nomen, cum tamen ad verbum mea ſcripta citet tanquam ſua. Fecerunt ex maculis ſtellas, ut placerent philoſophaſtris, & nomen ſaltem aliquot obtinerent; quod non magis perennabit, quam macularum, ſpatio videlicet menſtruo. Taceo nunc errores utrorumque innumeros; optarem, ut quiſque ſuas venderet merces, ut unicuique relinqueret ſuum. Humanitate tua ita me devinxiſti, uti tecum non aliter agam ac ſi ſemper ſimul amiciſſime convixiſſem; itaque ignoſces libertati meæ, quam tua comitas calamo meo ingeſſit. Vale, & ſicut cepiſti, atque eſſe juſſiſti, amicum, imo ſervum tuum fovere pergito. Romæ in Domo profeſſa 3. Dec. 1631.

Parheliorum Schemata exciderunt.

PETRO GASSENDO

Doctori Theologo

GABRIEL NAUDÆUS S. P. D.

NOn eſt profecto, doctiſſime Gaſſende, quod graviter, & iniquo animo ferre debeat, ſi tibi, & mei amantiſſimo, & ejus officii, quod inter amicos per litteras exhibetur ſtudioſiſſimo, diuturna mea ad te ſcribendi ceſſatione fel tuum illud, licet columbinum, acrius paulo vellicarim, & occaſionem ſane non levem injecerim altius inveſtigandi, unde-nam iſtius tam obfirmati, & immitis ſilentii cauſam poſſes elicere? Vulgatum ſiquidem eſt, & ſolemni apud omnes, qui Talionis legem obſervant ſanctione receptum, per quæ quis peccat, per eadem & ipſum puniri. Et verò cum me in eodem equuleo prius ipſe deſtinueris, non tam inveſtigandi, quam divinandi, cur tuam illam, quam D. Buchard mihi reddidit, dum Vaticanis in hortis ſpatiaremur, acerbiuſcule ſcripſeris, hoc ſane tibi reponendum eſſe penes me ſum arbitratus, ut hoc tam longo tempore, quo nihil a me litterarum accepiſti, dubitares ſaltem cur nihil litterarum ad te tranſmitterem, & pæne eſt ut dicam cur iraſcerer; pupugerat me ſiquidem nonnihil epiſtola tua, meque in eam ſuſpicionem adduxerat, ut vererer, ne quid a me antea imprudentius fuiſſet in ipſis, quas ad utriuſque noſtrûm delicias Tubertum Ocellam non infrequenter exarare ſoleo, de te forſan inſinuatum. Hoc verò ſi tibi vel per ſomnium in mentem venerit, quæſo, obtetorque, ut ſomnii inſtar avolet; cum nihil unquam ego quo tarditatis, & negligentiæ te inſimularem, non modo ſcribere, ſed ne cogitare quidem potuerim; quaſi verò te non bene noſſem, tuaque mihi virtus, comitas, & propemodum incredibilis amicitia parum perſpecta eſſet, aut quiſquam mortalium exiſteret, qui nunc auderet contendere tuos ſibi ſenſus melius, quam mihi perceptos eſſe, & cognitos. Crede mihi, amantiſſime Gaſſende, memetipſum turpiſſimæ inſcitiæ accuſarem, ſi tibi per me vel minimæ ignaviæ nota inureretur, & graviter adverſus τὸ πρέπον peccaſſem, ſi quod a me tibi tunc temporis erat exhibendum, hoc inepte voluiſſem, & mihi a te prius exhiberetur; neque enim ita ſum rudis, ut neſciam, nec tam malevolus, ut inficiar hunc ſcribendi morem, quod ſapienter monet Symmachus, a ſuperſtitione vetuſta fuiſſe conſtitutum, ut ed peregrina digreſſi priorem ſibi locum vendicent cum abſentibus colloquendi. Quare neſcio quo fato contigiſſe dixerim, ut quod mihi inter ſcribendum mera voluptas, jocus, delicium, urbanitas videbatur, tibi inter legendum non ita ſimiliter appareret, & in hoc tantum peccet mutui noſtri conſenſus regula, quæ in ceteris actionibus tam firma eſt, & ſui ſemper ſimilis, ut non immerito videri poſſint

——— *amborum fœdere certo*
Conſentire dies, & ab uno Sydere duci.

Ne tu igitur parum urbane facias, urbanitatem hancce meam æqui conſule, meque & tunc jocoſe loquutum, & nunc etiam cum me tibi iratum fuiſſe dixerim, non ſerio loqui apud te perpende. Utor verò libenter hac, non quidem excuſatione ad mentiendum compoſita, ſed libera, & efficaci ad perſuadendum confeſſione; quod ab hac etiam non penitus abſcedas, & tot ridiculis caſibus diverſorum Principum in hac velut Mundi ſcena hiſtrioniam agentium perſuaſum habeas, beatiſſimam illam Epicuri tui voluptatem non alio recte, quam ſapientiſſimo Democriti riſu, & blandiloquio poſſe condiri; ſed heu! quam te beatum, & felicem exiſtimo, amicorum ſuaviſſime, qui cum Theodoro noſtro, & Tuberto Ocella potes ipſum os liberius diducere, & lieni dum ſeditionem facit locum ampliorem concedere; mihi aut in medio quorumdam nobilium degenti, quos humor melancholicus ſapientes, parcimonia graves, & ſiccos, Dea verò quædam nomine Leſina ſibi peculiari cultu devotos efficiunt, cinerem magnopere, ne quemadmodum & ipſis, riſo, atque dicteriis, & hilariori vitæ genere interdictum foret. Niſi Eminentiſſimi Cardinalis a Balneo, cui me totum mancipavi, ut deliciarum, & liberalitatis, ſic morum, & libertatis gallicæ multum adhuc retineret, & ea omnia ſuis Aulicis ſubminiſtraret, quæ nos priſcorum Ægyptiorum ſimiles efficerent, apud quos

Porrum, & Cape nefas violare, & frangere morſu,

quod non item præſtant reliqui Cardinales ſuis Anteambulonibus, & Paraſitis, quibus ſportula tam exilis, & artificioſe in ſingulos dies commenſurata diſtribuitur, ut ipſos annos circiter 30. & aliquando etiam 40. locatæ ſuæ operæ tanquam venenum aliquod ad certum tempus determinatum pauperie, & miſeria, nonnunquam etiam rabie anecet, hoc tamen utilitatis interim conſequuntur ex coacta illa, & imperata frugalitate, quod Iſraëlitarum inſtar, duro, acalliato ejuſmodi victu ad functiones Aulicas vegetiores exiſtant, non pingui aqualiculo deformes, nec lautiori menſarum apparatu velut utres diſtenti, ſed honeſtiſſima quadam inter ipſos marcedine venuſtiores, & romana macie decori, adderem plura, niſi rerum iſtarum non perfunctoria narratio

ratio Elæo noſtro ſervanda eſſet, cui jam pridem addicta eſt ut mortalium omnium φιλογέλωτι maximo, lubentiæque, ac vitulinæ feſtiviſſimis celebrationibus non per annua revertiencula, ut Theſſali Gelaſino, ſed quoties a gravioribus curis feriari aliquantulum licuerit hilariter, ac ſuaviter operanti; tibi verò iſta velut in promuſſidem attuli, quo me totum ad ſales, & facetias nunc eſſe compoſitum agnoſcas, & tunc etiam fuiſſe conjicias cum tuis atomis, & ipſarum, quibus inter ſe connectuntur hamis, harpagonibus, & uncinis, furcinuliſque, ac fibulis, idem a Campanella periculum, quod Pygmæis quondam ab Hercule, aut Pediculis a Diogene imminere prædixi, quod equidem tam urbane, & facete dictum omninò fuiſſe velim exiſtimes, ac ſi montis iſtius Veſuvii, qui etiam nunc flammas evomit, & latius in dies graſſatur, qua Chaſmate, qua Cinere, qua Torrentibus ignis & aquæ, perdens ſata læta, boumque labores, occaſione; quot millia atomorum ex tam profundo ſpecu erupiſſe, & per aërem hinc, & inde diſperſa fuiſſe arbitreris, obnixe nunc a te contenderem; imo verò non poſſum adhuc facere, quin toties rideam effuſiſſime, quoties apud me cogito tam ineptum hoc merum, & tam parum veriſimile mendacium, tantum tibi ſollicitudinis attuliſſe; cum alioqui cogitationes tuas vere ſublimes, & te ſolo, ac Epicuro dignas nullo modo damnare potuerim, nec ſi potuiſſem voluerim; neutrum enim modeſtia, & candore meo incolumi feciſſem, ſed nec ingenii ſemper fui ſimilis opinione, qui te priori mea ut ipſas redintegratis viribus, & alacriori quodam impetu ad finem perduceres vehementer ſum cohortatus, ut certe in præſenti, & aliis, quas ad te poſtea frequentius tranſmittere mihi eſt animus, cohortari non deſinam. Cum enim omnes, qui me, meumque ſingularem in Viros litteratos amorem cognoſcunt, iidem etiam non ignorent hoc mihi ſemper in more, & conſuetudine poſitum fuiſſe, ut eorum velut ἐργοδιώκτης novos ſubinde fœtus inquirerem, eliceremque frequenter, & in Academiarum lucem, ac eruditorum conſpectum proferrem, tum verò iſtud unum mihi præ ceteris faciendum eſſe ſemper exiſtimavi, ut te ad hoc, quod tam laudabiliter incepiſti Philoſophiæ Epicureæ ſyſtema perficiendum vehementer ſtimularem. Et ſi enim tua naturalis, ad mentem ſtudiorum cultu & melioribus litteris excolendam propenſio, & epiſtola, quaſ me de tuo progreſſu in hac nova philoſophandi ratione certiorem eſſe voluiſti, ſatis ipſæ mihi perſuadere valeant, te quidem in hoc ſummo otio, & tanta facultate vacui, ac liberi temporis non ceſſare, vel otiari, multa tamen ſunt, eaque graviſſima, quæ te totum inflammare, & accendere debent ut quantum conniti animo potes, quantum labore, & diligentia contendere, tantum omnino efficias, neve committas iſtud operis diutius expectari, cujus flagranti deſiderio certum eſt teneri non tuos amicos modo, ſed eruditos omnes, & Orbis Academias univerſi, quarum maxime intereſt, te ſanioris iſtius Philoſophiæ vindicem nullis obicibus, & impedimentis a tam præclaro, & generoſo conatu retardari. Fuit enim mea ſemper hæc, nec diffido, quin aliorum etiam extiterit ſententia, doctiſſime Gaſſende, eos, qui ſcriptores veteres in Bibliothecarum ſitu, & pulvere deliteſcentes eruunt, ac propemodum divino Typorum beneficio, ſtudioſorum uſui accomodant, vel injuria temporum deperditos, & inſtar cujuſdam Hyppoliti hinc, & inde diſtractos, reliquorum auctoritate facti colligunt, ac in priſtini corporis ſpeciem reſtituunt, de bonis litteris, honeſtiſque diſciplinis melius longe mereri, quam qui, aut poëmata, aut orationes, aut libros artem aliquam jam ante a veteribus traditam, atque explicatam complectentes ſcribunt, & componunt, quoniam iſtorum futilis eſt plerumque conatus, & mediocris induſtria. Horum verò nunquam non ſummopere neceſſarius eſt labor, & non vulgaris doctrina. Quamobrem ſi tuæ exiſtimationi, & optatæ nominis immortalitati recte conſultum eſſe velis ad Epicuream tuam ſyntaxim ocyus abſolvendam non tantum accede,

Sed quantum ſe homini poſſunt extendere paſſus
Arduus accelera ———

Hoc ſit ſtudium, hoc otium tuum; in hoc ſomnus, & quies, in hoc etiam labor, & vigilia reponantur. Nam cetera rerum tuarum

Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria ———

alium, atque alium Dominum ſortientur, hoc nunquam deſinet eſſe tuum; noſti ſiquidem illud alterius Poëtæ:

Vivitur ingenio, cetera mortis erunt.

Hos igitur ego te imitari mallem, quorum nomina ſolo librorum, quos nobis reliquerunt præſidio adhuc vigent, & habentur in eruditorum ſenſu celeberrima, cum ipſi tamen duobus ab hinc annorum millibus obierint, quam iſtos, ſi qui ſint, qui te infirmiſſimis rationibus a pulcherrimo ſane conſilio conantur abducere; atque ut nihil ex iſtorum parte timendum eſſet. Vereor tamen, ne fatalis quædam pernicies Epicuro tuo incumbat ab illa terrarum parte, a qua nihil unquam tale ſibi ipſe juraſſet expectandum. Nam dum hujus inſtaurationi, & velut anaſtaſi moliendæ totum te accingebas, & pleno animi impetu vehebare, quas tibi moras non injecit, quas caſſes, & tendiculas deſiderium illud ulterioris Græciæ ſedulo perluſtrandæ non obtulit? Ut Epicuri cura relicta, alterius te curæ committeres in has oras velut in quaſdam latomias deportandum, ut verò nunc quas illud idem non injicit, ut quod tam laudabiliter incepiſti nunquam perficias? Nunquam dico, & hoc tam ſecure, quam ſecurum eſt, eos omnes, qui durum iſtud, ac faſtidioſum iter ingreſſi ſunt, aut ex iſta peregrinatione non reverti, aut longe falſos eorum, quæ ſibi promiſerant, redire. Sed quod Elæus tibi perſuadet abſit ut diſſuadeam, cum ipſo, qui ſapientiſſimus eſt, impellente, nihil inde non ſanctum, & te, qui doctiſſimus es, annuente, nihil non excultum ingenio, elaboratum induſtria, & eruditum, atque illuſtratum incredibili propemodum diligentia ſperari debeat. Faciendum tamen mihi viſum eſt pro animi mei conſcientia, proque eo, quanti te facio. Ut aliquid iiſdem de rebus ad te litterarum darem, de quibus orta jam ante biennium ſimili occaſione nonnullas dedi, & hoc unum quanta poſſum animi contentione abs te peterem ut inſitatam hanc inviſendæ Græciæ cupiditatem, qua te nunc flagrare verius quam teneri ex tuis, & Elæi ad Dominum Bouchard epiſtolis cognoſco; tuæ enim utilitati, & amicorum deinde commodis, ac voluntati lubens accommodes, quorum ſuffragiis ſi tantum deferas, quantum par eſt ab amiciſſimo, & honeſtiſſimo quoque concedi, nihil prius, aut antiquius omnino habebis, quam hunc librum ſuis omnibus numeris abſolvere, teque mulieribus ſimilem gerere, inter quas non rarò videmus prægnantes

offen-

offendi peregrinatione, & ſequenti locorum mutatione, eniaas verò plerumque juvari. Ceterum reſponſionem earum, quas ſub adventum meum R. P. Scheiner tuo nomine tradideram, nudiustertius tantum accepi, cum præfatione tamen veniæ, quod ipſam tandiu diſtulerit, & 3. Decembris anni proxime elapſi exaratam, iſtius tantum vertentis principio exhibuerit, hoc in primis cauſatus ſe nimirum variis librorum ſuorum editionibus, & quorumdam etiam Italorum fraudibus diſtractum hinc epiſtolarum officio negligenter admodum vacaſſe, cui nunquam ita curis ſolutus eſt, ut niſi ſe invitus accingat, atque hoc tantum effatum abſque ulteriori declaratione protulit. Ego verò facile mihi perſuaderem, hunc ipſum tot eruditorum miſeratione commoveri, & exemplo etiam doceri, qui tempus omne ſuum in hac litterarum viciſſitudine futiliter conterunt, niſi cujusdam alterius negotii, quod mihi cum ipſo diſſolvendum fuis occaſione deprehendiſſem pari ipſum neglectu, & tarditate in reliquis omnibus vitæ officiis incedere ſolitum, operis ſui de Maculis Solaribus, quod ad Dominum Moreau tranſmiſi judicium tuum expecto, meo interim

——— rudis erit, indigeſtaque moles
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Tu ſi aliter, ſtatim monu, ac de Epicuro etiam quam recte ſe gerat, & integre, quam ſevere ambulet, quam nitide veſtiat, quos amet, & inviſat; an prælo ſe accommodet, vel calamo tantum, ſoſe admone, meque tibi iterum, deinde verò ſapientiſſimis Elæo Theodoro, ac Oraſio Tuberoni commendatum habe, & vale. Dabam Romæ 23. Januarii anni 1632.

D. V. Petro Gaſſendo Doctori Theologo, & Cathedralis Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito

GAB. NAUDÆUS S.P.D.

NOn poſſum non gratulari vehementer felicitati tuæ, D. Gaſſende, qui per tot ſcopulos ſemel incepta navigatione, Phyſicæ Epicureæ portum tandem attigiſti; ſed longe vehementius mihi gratulandum eſſe arbitror, quod apud te ſtatuiſti nullum iter ſuſcipere, nec in Græciam, aut aliam Mundi plagam cogitare prius quam totum id, quod ſupereſt in moralibus negotiis eodem ſtudiorum impetu abſolveris, integramque Epicuri Philoſophiam ab hominum contemptu, & temporum injuria laudabili admodum, ac ſtrenuo conatu vindicaris. Ita enim conſilii tui ratio, quam Elæo pariter non diſplicere ex ejus litteris cognovi, non me ſolum hoc magno timore, ac metu liberavit, quem ex rei difficultate ne unquam ipſa perficeretur animo meo conceperam. Sed mihi præterea ſpem non mediocrem injecit, priores epiſtolas meas, in quibus tam ardenter hoc unum a te flagitavi, eo tibi gratiores fuiſſe, & magis acceptas, quod amicorum tuorum conſiliis, & omnium eruditorum votis fuerint ipſæ perſimiles, & ab eodem veluti genio dictatæ. Quamobrem finem nunc impono Paræneticis meis ſermonibus, ut tibi ſuppetias veniam, & in tam præclaro, ac difficili negotio animoſe deſudanti breviter ſubindicem, quæ vel officio meo inſerviens, vel tuis petitionibus obtemperans, tanquam huic operi, quod præ manibus habes maximopere conducentia, in quibusdam, cum locis, tum auctoribus adnotavi. Et verò licet multa ſint, eademque penitus diverſa, de quibus te in hac epiſtola convenire ſtatui, amiciſſime Gaſſende, nulla tamen potiori jure præcedere debent, & narrationis exordium ducere, quam ea, propter quæ ipſamet epiſtola a me ſuſcepta eſt. Accipies igitur una cum præſentibus litteris figuram Epicuri monogrammam, qualem ipſum Diis omnibus affinxiſſe auctor eſt Cicero, aut potius ſi Plinium audire mavis lib. 38. c. 3. picturam linearem, & rudiori tantum penicillo delineatam, prout ipſa cernitur una cum Socratis, & Diogenis ad oſtia interioris Palatii, quod eſt in hortis majoribus Ludoviſianis accuratiſſimi ſculptoris alicujus cælo licet non admodum antiqui in albo marmore exculpta, & nulla ſui parte, quantum animadvertere potui, mutila, ſed integra, docentis habitu, chartaceum aliquod volumen manu dextera complectentis. Siniſtra molliter, & placide ſupra genua demiſſa. Capite verò ſua calvitie, & protenſa, ac rugis exarata fronte admodum notabili. Sed quod tamen Eminentiſſimi Cardinalis mei Pictor Henricus ab Huvven non adeo graphice, & cum illo ſpiritu quaſi latente exprimere potuit, qui lapidem ipſum oberius animare, & Epicuri mentem in oculis, ac vultu repræſentare magna cum delectatione conſpicitur. Auſim nihilominus audacter affirmare, parum, aut nihil omnino differre hanc Epicuri Ludoviſiani faciem ab ea, quam ex veteri gemma inter Joſephi Scaligeri curioſam ſupellectilem diligenter aſſervata primum in lucem protulit amicus tuus ſingularis, idemque Vir eruditiſſimus, & ſeculi noſtri delicium Erycius Puteanus in epiſtolarum ſuarum reliquiis ubi ad Maximilianum Plovverium ſcribit hanc ſiquidem eandem eſſe, quam tuo mihi nomine Tubertus ocella tranſmiſit utriuſque diligenti inſpectione, & integra, ac abſoluta ſimilitudine facili negotio deprehendi. Si verò poſt modum aliam invenerim, quæ ab iſtis duabus vel tantillum differat, utar ejusdem Pictoris opera, quam mihi libenter accommodare ſolet, ut tibi morem geram, & bonis etiam, ac eruditis omnibus, quorum maxime intereſt veram adeo celebris Philoſophi effigiem una cum ſuis dogmatibus e tenebris in lucem proferri; atque ut laboris, quem circa ipſorum collectionem ſuſtines, in partes quoque deſcenderem quæſivi non ſemel a Leone Allatio, & Luca Hulſtenio, qui hic præ ceteris in Græcorum Auctorum lectione, & manuſcriptorum tractatione verſatiſſimi ſunt, num recordarentur, ſe quidquam unquam, aut legiſſe, aut animadvertiſſe in Vaticana, & ſuis, vel amicorum Bibliothecis, quo tuum opus locupletare poſſent. Sed uterque fatum accuſavit, & pauperiem ſuam cauſatus eſt, niſi forſan velis pro non nihilo ducere fragmentum illud græcum librorum Diogenis Laërtii Baſileæ quondam editorum, in cujus margine quædam annotavit ad librum 10. Thomas Aldobrandinus, quæ non reperiuntur edita cum ſuis notis ad novem priores libros ejusdem Diogenis Laërtii. Hoc verò qualecunque ſit recipies cum libris, quos nuper ad Dominum Renatum Moreau tranſmiſi, & ſi quid inde cognitionis hauries, gratiam debebis Holſtenio, qui me inſuper admonuit Heronem initio

Digitized by Google

rio libri de Spiritalibus tractationem inſtituere de vacuo ad mentem Epicureorum, quos inter hunc non ultimum extitiſſe pluribus argumentis confirmat. Ad me verò quod attinet, nihil quoque haberem, de quibus te monendum eſſe operæ pretium arbitrarer, niſi dum libros quoſdam Saturnalibus iſtis feriis perfunctorie ſatis evolverem, caſu deprehendiſſem Muretum noſtrum cap. 16. lib. 11. variarum lectionum Agellium accuſare, quod Epicurum jure a Plutarcho reprehenſum frigide, atque inepte tutari conatus ſit. Et Cleomedem lib. 2. *μετεώρων* cap 1. graviter, & copioſe adverſus eundem Epicurum invehi, quod Solis orbem non majorem eſſe, quam ut a nobis Tubo cernitur aſſeruerit. Addam & hunc ipſum inſimulari graviter a Caſaubono ruditatis, & barbariei, quam ipſi peculiarem fuiſſe paſſim oſtendit commentariis ſuis ad Diogenem Laërtium, & animadverſionum in Athenæum cap. 2 lib. 5. 13. 8. & 12. lib. item 12. ubi vocem *ὑπεντρώματα*. & multas ejuſmodi ſimiles in examen Criticorum more adducit Sed iſthæc omnia vix eſt ut credam a re jamdudum non fuiſſe animadverſa, quare ſi repetita diſplicent, hoc ſaltem, quod te novitate ſua delectet accipe. Marcus Antonius Bonciarius ex ſchola, & inſtitutione Mureti, Humaniorum literarum Profeſſor eum longa docendi conſuetudine, quam integro fere vitæ ſuæ curriculo Peruſiæ ſuſtinuit, tum etiam variorum librorum, quos omnes litterati mirantur, ac ſuſpiciunt, editione celeberrimus teſtatur in operum ſuorum Catalogo, quem ſub finem Rhetorices a ſe compoſitæ, & ibidem anno 1601 editæ in 8. apud Vincent. Columbam attexuit, ſe librum compoſuiſſe, cui titulum fecit: *Epicurus, ſive Dialogus de antiqua Philoſophia, in quo efficacibus argumentis, & Doctorum Virorum teſtimoniis probatur neminem de priſcis Philoſophis acceſſiſſe propius ad veritatem, quam Epicurum, contra nullos ab ea longius receſſiſſe, quam Stoicos.* Utrum verò talis liber in lucem prodierit nondum liquet, quoniam ab ipſo Bonciario inter edendos reponitur, & parum abeſt, ut credam idem omnino huic, quod ſimilis argumenti libro Marii Philelphi, quem tibi ex appendice ad Trithemium de ſcriptoribus Eccleſiaſticis paulo ante diſceſſum meum indicaveram contigiſſe. Nempe ut ſi editi ſint pro non editis, tamen haberi poſſint, quandoquidem nec eos vidi, nec alios unquam, qui ipſos viderint inveni. Verum heus tu, ſemper auditor, nunquam ne repones? Ita ſane nolim facias, neque ſilentio eneces, qui ab eloquio tuo, ut doctiſſimi, & mei amantiſſimi Viri famam expecto, en igitur ad quod reſpondere poſſis, & debeas? Quærit a me frequenter celeberrimus in Collegio Sapientiæ Profeſſor, & quotquot hic degunt Medicorum Doctiſſimus Alfarius a cruce, (quem ut primum ſalutavi Lucretianis verſibus commentario mere Philoſophico illuſtrandis occupatum inveneram) num ex Epicuro tuo talis lux hinc Epicureo Poëtæ affulgere poſſit, ut hic ampliori, & aliunde mutuata non indigeat, quoniam ſi illud in te recipis, ipſe totum quidquid inde ſperari poteſt laudis, & honoris tibi relinquet, nec eodem campo decurret;

In quo magnos equos Auranti flectit alumnus.

Secus verò opus jam faſtiditum, & pro derelicto abitum Alfarius reſumet, illudque ab umbilico ad pilos, & ungues extremos quanta poteſt fieri diligentia perducet. Quare tuum eſt nunc, humaniſſime Gaſſende, tale mihi reſponſum inſinuare, quo ut rei veritati, ſic utriuſque veſtrum benevolentiæ, & comitati ex integro ſatisfactum fuiſſe unuſquiſque intelligat. Sed dum iſta pro amico impenſius rogarem, ecce commodum mihi traditur ab Eminentiſſimo Cardinali meo Nundinarum Francofurtenſium Catalogus, in quo Philoſophiæ, & Alchymiæ Floddanæ clavem inveni, ſive Roberti Fluddi Armigeri, & Medicinæ doctoris ad epiſtolam tuam pro R. Patre Marino Merſenno exercitationem reſponſum. Verius tamen ego dixerim reſponſionis titulum, nobis enim, qui Romæ vivimus non licet eſſe tam beatis, ut libros omnes abſque metu, & delectu penes nos habere poſſimus. Sed nec Mercatoribus ipſis Bibliopolis quidquam huc advehere conceſſum eſt, quod examen ignis perhorreſcat, non hæreticis modo Lutheranis, ſed etiam Paracelſiſtis ob blaſphemias utriſque commune ſæpe ſæpius intentatum, quare, cum hoc illo nomine, atque inſuper vaſto ipſarum pondere Fluddanæ compoſitiones, quibus nunc deferendis vix onerariæ ſufficerent communi ad nos aditu prohibeantur, fac oro te vehementer, & obteſtor ne diutius ipſorum ignoratione macerer, quæ adverſus tuam epiſtolam effuderit ſuo more, ac effutierit tam obſcurus, & imaginarius Philoſophus, nec iſtud tantum, ſed hoc inſuper poſtulo, ut quid, & quomodo ſcripſerit, quidve illi, & quomodo reſponderis [ſi tamen homini tam impenſe nugaci reſpondendum eſſe duxeris] breviter ſubindices, quod nihil eſt aliud, quam ſui libri, & tuæ reſponſionis ſynopſim petere; hæc enim non mihi tantum gratiſſima, ſed doctiſſimo juxta, ac Eminentiſſimo Cardinali Franciſco Barberino, qui tuæ pridem velitationi locum in inſtructiſſima ſua Bibliotheca eſſe voluit, & R. Patri Scheiner, ac doctioribus Romanis, qui per me de tuis laboribus, & ſtudiis certiores facti ſunt acceptiſſima futura eſt. Atque ut de ipſorum affectu dubitare ſine culpa, tum verò de peculiari in te, & propenſa Doctiſſimi Scheineri voluntate ſine flagitio non potes, oſtendit ſiquidem ſuis ad te litteris quanti te faciendum exiſtimaret, & quum illi nuper referrem quæ de Mercurio ſub ſole die VII. Novembris a te ſecundum Kepleri prognoſticon obſervato, mihi ut cum illo communicarem præceperas, totus præ lætitia geſtiens, obſervationis tuæ ſingula verba laudavit, eoque diligentius, & accuratius deſcripſit, quod ipſe nubilo Cœlo præpeditus, & quibuſdam negotiis diſtractus, nihil omninò deprehendere potuerit eorum, quæ tu adeo perite, ac ſubtiliter annotaſti. Optaret nihilominus videre diagrammata totius obſervationis cum Solis diſco, & poſitione lineæ verticalis, ut Eclipticæ ad obſervationis horam; itemque ſcire an tranſitus hiſtoriam ſecundum omnes ſuas partes, & tempora deſcripſeris, & utrum Mercurius dum ſub Sole ferebatur, maculæ tantum alicujus, vel Planetæ inſtar apparuerit cum pluribus aliis animadverſionibus, quas a te dubio procul factas fuiſſe pro ſumma, qua polles in rebus Aſtronomicis doctrina perſuaſum habet. Interim verò ſe tibi plurimum commendat, & meis verbis gratias agit, quam fieri poteſt ampliſſimas; ſed protrahitur ſenſim epiſtola, & communes prætergreſſa terminos in orationis molem excreſcit; quamobrem hoc tantum addo, amicorum meorum doctiſſime, ut perſuaſum habeas omnibus me officiis, & perpetuo quodam in te ſtudio, & obſequio curaturum, ut tua me benevolentia gratiſſima, quo litterarum viciſſitudi-

ne

ne noo prorſus indignum judices, quod maximum fore amoris erga me toi indicium ſemper exiſtimabo. Vale, & communes amicos Elæum, Ocellam Theodorum, cum ipſos tibi videre contigerit, meo nomine ſalvere jube. Romæ 6. Martii 1632.

DOMINO GASSENDO S.

GRatias pro monere habeo, Vir eximie, refero & quas poſſum, id agendo, ut in plurimiorom notitiam veniam, quæ a te bono ſæculi elaborantur. Voſſius in parte memoriæ tuæ hærere plurimi facit. Quidquid habes obſervationom, ſive Phyſicarum, ſive Aſtronomicarum commode inſeri poterit, & ſic melius diuturnitati conſecrari in magno opere Coſmographiæ, quod molitor Wilhelmus Blaëu Typographorum diligentiſſimos. Quæ de Gargettia Philoſophia congeſſeras, eadem ſi quæ Antidoti accedant, gaudebit edere idem Wilhelmos. Ego nihil aliud, quod rogem habeo, niſi ot pergas toi eſſe ſimilis, noſque tui reverentes ames. 12. Aprilis 1632.

Tuus Totus Hugo Gratius.

Petro Gaſſendo Philoſopho Michael Conſtantinus S.P.D.

NOn mediocri dolore affectus ſum, mi Gaſſende, omnium Virorum humaniſſime, cum nuperrime Gaffarellum prope noſtras ædes verſaurem non iovilerim. Geſtiebat animus, magnoqoe exiliebat gaudio, votis invidere Fata, & temporis injuria, & laboris itinere multom de te habuiſſemus ſermonem, huncque precatus fuiſſem, ot meo nomine tibi diceret plurimam ſalutem, qoam tibi nec ingratam, nec iojocundam [ob illam ſingularem, qoa es præditus, homanitatem] fore ſperabam. Geret hæc epiſtola vices, aperietque animi ægritudinem unius Gaſſendi vel alloqoio, vel litteris leniendam. Neſcio quo infelici fato a cariſſimis avolſus ruri degam, & ſolitudinis moleſtias, & tædium ferre cogat. Inter has anguſtias ſæpe mihi recurrit gratiſſima tui nominis recordatio, quæ me totum ſuaviſſima voluptate perſundit, nec vana ſpe ſoſtentat in poſterum me non poſſe e te ſejungi. Si mihi non liceat re præſentem intueri, aut alloqoi, dabitor ex tuis oberrimis Sophiæ ſcriptis nonnihil doctrinæ haurire, & aridas fauces divino nectare proluere, jejunamque mentem cœleſti ambroſia reficere. Plus æquo videor moræ impatiens, nec verba toties data expectationi ſunt poſitura modum, donec prodeat illa vere philoſophantium diſciplina, quam & nobis tradere, & poſteritati conſecrare pollicitos es. Philoſophi eſt officium erroribus hominum ſobvenire, atqoe illos ad veram viam revocare, oe imperiti quorondam fraudibos circumveniantur, & eorum ſimplicitas prædæ, ac pabulo ſit aſtotis hominibos. Arguere verò, & revincere perverſos errores opus plane piom, ac nullis præmiis repenſandum; ſed non eſt facile inveteratos depellere. Scio non deeſſe, qui adeo cecutiunt, & hallucinantur io his, quæ ob oculos ſunt, & tam pertinaces videntur, ne cum clariſſimum Solem ſanis, ac patentibus oculis videant, videre putent. Male audit Epicuri diſciplina apud bonarum litterarum rudes; nam cum ſommus ille Philoſophus ſummum bonum voluptatem eſſe cenſoerit, voluptatem corporis, non animi eſſe arbitrantur. Habemus locupletiſſimos teſtes, & fide digniſſimos, qui de Epicuro bene ſenſere, qoorum e numero Lactantius aſſerit, hunc Philoſophum ſummum bonum animi voluptatem docoiſſe, cojos diſciplina, eodem teſte, multo celebrior ſemper fuit, quàm ceterorom Sophiſtæ, quos mancipia gloriæ vocat Hieronymos litigationibus furioſis, ac pertinacibus vitam humanam turbant; hi ſibi oculos eruont, ot omnes ceci ſint, ut ultro in lapidem impingant, & populos omnia offendat: Omnia ſcire ſe jactitant, & gloriantur, qoi longe minos, quam artifices ſapiunt, hi quam callent artem, eandem noo aliam ſe ſcite profitentur. Neſcio, qois ſit ille malus genius, qui erroribus homanis gaodeat, cui ſit onica, ac perpetua cura offuodere tenebras, & hominum cecare mentes, ne locem videant. Tamen ipſa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit, & lippos, ac cecutientes vulgi oculos verita, nunquam ſe totam exeruit, quia multitudine, & prope conſenſo omoium nationum premitur. Summa virium contentione decertare debet Philoſophus, ut virtus ſibi pariat voluptatem. Illorumque effugere conſortium, qui Philoſophiæ myſterium barba celebrant, & pallio. Adeò cecæ mentis homines, ut hauriendis voluptatibus Epicurum ſitienter incubuiſſe credant, & Epicureæ Sectæ alumnos in corporis voluptates ruentes, ac pronos, nihilque aliud, quam Veneri, & ventri ſervientes clamitent. Tandem revicti manus dare cogentur, cum innatam, & avitam ex animo diſcuſſerint caliginem. Velim, ſi ad Gaffarellum, vel Naodæum ſcribas oomine meo ſalutes, & ad te mittant librum Romæ a Campanella editum, cui titulus: *Atheiſmus triumphatus*, quem cum legeris, aliquot horis me participem fieri optarem. Nolim te diotius immorari, & ab optimis ſtudiis interpellare, quæ cum in publicum prodieriot, æternam laudem tibi parient, & nomen poſteris commendabunt. Illud onum omnes, qui tui ſunt, a te efflagitant, fac eiro voti compotes, amabo te, & Conſtantinum ex animo tibi eſſe dedititiſſimum confide. Vale, & felicibus fatis vive. E Monaſterio Arremarenſi in agro Tricaſſino 7. Calend. Maii 1632.

Doctiſſimo Philoſopho, ac Aſtronomo D. Petro Gaſſendo S.

VIt omnino bonus Gabriel Naudæus, idemque ſingularis otriuſque amicus oſtendit mihi ooperas tuas obſervationes, quibus, ot video, non parum Aſtronomicæ rei profuturus appares. Gaviſus ſum valde, quod temporibos noſtris, quæ priſcis difficillima erant, obvia fiunt arcana Cœli, & quidem luminare majos ſurrexerat Copernicus, luminare minos Tycho Brahe, additur Galilæus Cœleſtiom occultiſſima noſtro ſupponens ingenio; oſtiumque pandens, per qood extra flammantia mœnia Mondi longe procedamus ad inexplorata ſyſtemata coonſpicienda.

Digitized by Google

da. Adjungeris tu, Vir doctiſſime, ſternens viam, ac tutiores faciens ſemitas, ne animus immenſa pervadens ſpatia aliquo vel puncto aberraret. Doleo tamen e contra ſæculi vices, quod cum feliciſſimum ſit inventione novarum rerum, in ſcholas tamen inventores intrare non ſinit; occuparunt enim illarum Cathedras olim qui nugaciter philoſophati ſunt non duce natura, ſed proprio arbitratu cuncta metientes, tantiſque præſtigiis animos hominum occupaverunt, eaque obnubilaverunt caligine, ut in ſomnum adeo profundum, ſuavemque obtuſis mentibus ita adegerint, ut quicumque, vel veritatis voce, vel face, teliſque diei perlucidis intrare velit ad iſtas, ſtatim ira, indignationeque perciti contra dulcis ſomni impedimenta conſurgant armati, explaſaque luce iterum ad infamem quietem revertantur. Quapropter vagemur extra oportet, donec Deus ſyſtema noſtrum purget tenebris, habitandumque ſuis reddat aſſeclis. Obſervationes quidem tuas laudo, ceteriſque commendo, ut alias & ipſi capeſſant. Sic enim fiet, ut res litteraria tandem ita refulgeat, quod vel clauſos ſponte oculos recludat, ac Paſtores hominum ad meliora paſcula ducere divinum gregem, armentumque compellant. Tu interea macte virtutis eſto, & cum plura alia rimatus fueris, nos participes facito. Gaudeo iterum, quod nebulas Ariſtotelis excuſſeris, ſed quod Epicureas veluti Cæcias ad te traxeris, non ſatis placet; ſi enim eas ratione amplecteris, & tu a te ipſo non es, rationem habet & Mundus, unde & tua eſt; ergo non caſu regitur; ergo non ſine prima ſapientia; ergo non ſine Deo, ſi abſque ratione fidem non meteris. Cetera Atheiſmus triumphatus nuper editus oſtendabit. Vale 7. Maii 1632.

Tuus F. Th. Campanella Ord. Præd.

Nobili, atque clariſſimo D. D. Petro Gaſſendo Canonico Diniensi, & Domino ſuo multum honorando

CHRISTOPHORUS SCHEINER
S. P. D.

Accepi tuas, Vir clariſſime, una cum ☿ in ☉ litteras, munus acceptiſſimum, ſtatimque cum magna voluptate perluſtravi omnia, & quia aliud munuſculum rependere cogito, quod ſub manibus etiamnum habeo, idcirco longiore reſponſo adhuc ſuperſedeo. Expediam autem intra 8. vel 14 dies, ſtatimque ſubmittam. Interim te neſcire nolui, Dominum Gaſſarellum legatione ſua probe perſunctum, meque officiu meo non defuturum. Vale, Vir clariſſime, meque in numero tuorum ſervorum eſſe ſinito, atque ſocietatem noſtram, uti facis, benevolentia ſua protegito. Romæ in domo profeſſa 2. Julii 1632.

Tuæ Dominationi addictiſſimus in Chriſto Servus Chriſtophorus Scheiner.

Clariſſimo Viro ſapientiæ cultori Petro Gaſſendo S. P.

Legeram pridem, D Naudæo facultatem faciente, obſervationes tuas circa duos Solis aſſeclas; & quantum placuerint, tibi etiam ſignificaram; cum D. Gaffarellus abs te mihi idem munus, aliudque de quatuor fictis Solibus Romæ obſervatis, me inſpectante, mihi obtulit. In utruque diligentiam, exactas deſcriptiones mathematicas, & utilitates ex eis provenientes laudo; aliiſque bonis veritatis amatoribus imitationem earum cupidiſſimus inſtaurationis ſcientiarum ipſe commendo. Verum quoniam judicium completum a me requiris, reſpondeo, non mihi placere, quod aſſeris, hujuſmodi apparitiones caſo temerario prorſus fieri, nullo jubente auctore univerſitatis, nec operante per eas quidpiam, nec adnuntiante. Si enim tu abſque ratione hoc doces, ſtultum qui tibi credat putabis credo. Si ratione profecto, & Mundus ratione regatur longe potentiori, quam tu, & ratione ſignificet, & operetur, quidquid in eo videmus, oportet. Neque enim nos corpora noſtra tanto artificio ædificavimus, quantum vix capere, & admirari poſt diutinas omnium eorum perſcrutationes Philoſophi potuerunt. Sed mens longe noſtra præſtantior. Poderet quidem se, ſi in domo tua quidpiam te neſciente, diſplicetes etiam ſi te nolente, fieret. Cometas ergo, & Phœnomena tantæ molis fruſtra fieri eſſe, Deo nullo auctore, quomodo concipere potes, o Vir doctiſſime? An putas quædam curari ab opifice rerum, quædam verò negligi? Nec enim volens negliget, ſed non valens. Ergo in tanta mole verſatus, ut ait Plinius, non poteſt omnia curare. Sed furoris plenum arbitror eum eſſe, qui exiſtimat ſe poſſe Deum concipere meliorem, aut ſapientiorem, aut potentiorem illo, quem cogitare mens omnis auctorem rerum cogitur invictiſſimis rationibus; & illo, qui naturæ præeſt, ante nos, & ante cogitatus noſtros ab æterno. Quaſi para, quæ ſumus nos, ac mens noſtra poſſit capere nedum totum, ſed ſupra totum. Nos infinitum apprehendimus; & quod omnibus ſupereminet finitum dicemus? Quomodo enim apprehendimus infinitum, aut cogitamus, niſi vere ſit? Cogitatiu autem non eſt Atomorum corpuſculorum vix atomum alterum unum tangentium. Extenderet enim extra mœnia multorum Mondorum ſi qui eſſent; hæc eſt vacuum ſpatii immobilis nil diſcurrentis; ſed mentalia Mondi, qui corporeum, & mathematicum penetrat interius, & ambit exterius abſque fine. Quapropter mentem primam effugere poſſe nihil video; & ideo quidquid accidit, ratione mentali accidere, quam ſi ignorem, non propterea non extat. Nec enim propterea, quod mus, & culex neſcit ſcribere, & ſenſum ſcripturæ, propterea non extiterit qui ſcripſit. Præterea Mundi conſtructio, & animalium, & plantarum, & partium uſus, & vis, & notio, ſatis, ſuperque declarant virtutem hanc primam, quam vocamus Deum; & nulla res eſt, quæ non maxime ipſum manifeſtet, quod ſi latet ratio multarum nos, haud propterea non ſit. Qui officinam ferrariam intrantes ſtupemus pueri, donec uſum ferramentorum, & organorum ejus didicerimus. Si natura arte regitur, igitur & politica. Igitur illi Soles aliquid portendunt, ſi ſine auctore caſu

ſu quodam non fiunt, longe verius, ac certius, quam hujus Scripturæ caracteres, quanto a meliori artifice mei, & illorum, facti ſunt. Vale Vir optime. Vide ſi quid non recte dixi in triumphato Atheiſmo, ac corrige. Vel mecum fatere Soles non caſu fieri, niſi reſpectu eorum, qui uſum ipſorum ignorant. Recte enim Paulus dixit, ignorantia facit caſum. Vale. Cetera D. Diodato, & Moræo, die 4. Julii 1632.

T. Campanella.

Admodum Reverendo D. Petro Gaſſendo Viro clariſſimo.

CHRISTOPHORUS SCHEINER S. P. D.

DIgnatus eſt heri Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Dinienſis, domi noſtræ me aſfatu ſuo humaniſſimo, mihique tuam ſalutationem annunciavit, atque interrogavit, an tuum ſub Sole Mercurium viderim? Reſpondi mihi ante aliquot menſes eundem una cum litteris tuis allatum ab excellenti Domino Gaffarello: neque epiſtola reſcripta gratias egiſſe; cumque is diceret hactenus ex me nihil eſſe acceptum. en iterum reſpondeo, proque accepto dono gratiſſimo quas poſſum ago gratias maximas, compenſaturus ſi potero oblata occaſione. Diſcorſus tui eruditi ad ſtomachum fecerunt meum, iſti ſunt veri, & reales philoſophandi modi. Eundem Mercurium mihi inviderunt nubes, quem tamen Cœli clementia indulſit R. P. Joanni Baptiſtæ Ciſato in Germania Oenipontani Collegii Societatis noſtræ Rectori, meo quondam in Mathematicis diſcipulo. qui in magnitudine ipſius deſcribenda a te non diſcrepat niſi ſecundis duobus, aut tribus. Eundem obſervavit etiam Rubeaci in Alſatia Joannes Remus Quietanus, Sereniſſimi Leopoldi Medicus, meus ſingularis amicus. Itaque in ore trium tantorum teſtium ſtet, ſtabitque hoc Phœnomenon. Utinam & Venus ſimili modo deprehenſa fuiſſet! ſed fruſtra Cœli ſerenitas conatus noſtros adjuvit; eluſit ipſa inſidiatores ſuos. Venit in manus meas Wilhelmi Schikardi erudita commentatio ſuper tuam epiſtolam. Promittit Ephemerides, vel potius tabulas Mercuriales, quas ſi olim una cum hac reſponſione nanciſci potero, multum gaudebo; Romæ enim non extat. Dominus Lucas ab Holſtein mihi legendam dedit. Ego Parhelia mea nondum abſolvi, interruptus aliis, aliiſque negotiis. Vocatus ſum nunc a ſacra Cæſarea majeſtate in Germaniam; ſed locorum mutationes amicos non diſiungunt. Prodierunt nuper quatuor Dialogi Galilæi italice conſcripti pro motu Terræ Copernicano ſtabiliendo conſcripti contra communem Peripateticorum ſcholam; ibi diſcerpit meas diſquiſitiones Mathematicas, manus item violentas in Roſam Urſinam, motumque macularum Solarium, & Solis annuum a me inventum inicit; quid tibi videtur de his? Multis non placet iſta ſcriptio. Ego pro me, & veritate defenſionem paro. Vale, Vir clariſſime, meque tui amantem redama. Romæ in domo Profeſſa 23. Februarii 1633.

Clariſſimo, Doctiſſimoque D. Petro Gaſſendo Theologo, ac Philoſopho celeberrimo S.

EN properant ad te, Gaſſende Doctiſſime, litteræ noſtræ, & cum iis publicum diuturni amoris teſtimonium, quod nupera tua Mercurii in ☉ obſervatio, calamo noſtro extorſit primum, mox & in lucem fecit extrudere perpetua nominis tui obſervantia. Et ſi autem nulla antehac inter nos culta ſit amicitia, non eſt tamen, quod dubites, quin notus dudum, & amatus mihi fueris, quum toties jucundiſſimam tui memoriam recolui cum communi noſtro Beeckmanno, qui mecum nonniſi ſumma omnia de te in ore ſemper habet, animoque vere candido profitetur. Et hujus rei fiducia libertatem cepi ſcriptum tuum de Mercurio in ☉ accurate excutiendi, & meis cum conſiderationibus conferendi futurum ſperans, ut non ægre id, ſed animo æquiſſimo feras, qui velitationum philoſophicarum, & candidæ veritatis inquiſitionis tam ſtrenuum ſemper te præbuiſti amatorem, ut meorum cogitationum quamvis ad ſinceram animi tui trutinam auſim expendere. Videbis ibi latum apertum campum contemplationum phyſicarum, & opticarum, quarum dulcedine mentem iſtam generoſam ſatures, & inventis inventa addendo artem noſtram non parum cumules, ac promoveas. Felicem me judicabo, ſi non tam approbatorem te, quam cenſorem æquum, ac bonum nactus, gloriari potero, conatus meos Viris eruditis non omninò diſplicere. Gratulabor quoque mihi, ſi currenti calcar addere contigerit, & in obſervationibus Aſtronomicis jam ſtrenue verſantem ita excitare, ut quotidie magis, ac magis iis invigiles. Amavi ſemper, crede, labores tuos, ex quo inter tot vulgi ludibria comperi unum reperiri Gaſſendum, qui generoſo ſpiritu ad alta hæc, & a fæce rerum terrenarum longe remota adſpirare audeat; & adſpirando non ſolum obſervationes pulcherrimas obtinere, ſed & in publicum dare omnium Aſtronomorum judiciis exponenda. Idem nunc ſpero apud te eventurum laboribus meis, quos in eundem finem, promotionem nempe Aſtronomiæ, lubens & ſuſcepi, & cum nominis tui omni honore in lucem dedi. Neque excuſabo eos prolixius coram te, in quo certat candor animi cum judicio ſincero, & amore veritatis inexpugnabili; nam ſi non omninò me fallit animus, habebo non ſolum amicum Gaſſendum, ſed & gratum erga ſcriptum iſtud, & mutuæ benevolentiæ poſthac cultorem haud vulgarem. Quo meo voto, Vir Clariſſime, ſi ut fruar efficere digneris, & me ſubinde doctiſſimo tuo, ac jucundiſſimo alloquio confirmare, dabo operam, ne te unquam amicitiæ inter nos initæ pœniteat, faciamque, ut & privata noſtra, & publica ſtudia ejus fructum ſuo tempore haud contemnendum ſentiant. Judicium tuum de Diſſertatione mea brevi expectabo, ut & quæ circa Eclipſin Solis præteritam obſervaſti. Nobis ea Middelburgi tum verſantibus neque quoad principium, neque quoad medium, aut finem diſtincte viſa eſt; ſed tantum in una, aut altera phaſi, idque ad breve tempus ob ſæviſſimam tempeſtatem. Vale, Vir Doctiſſime, & me ama. Dabam Leidæ 26. die Aprilis, anni 1633.

Tuus omni officio Martinus Hortenſius.

CONSTANTINUS

PETRO GASSENDO THEOLOGO
Χαίρειν.

SÆpius tibi ſignificarem meam erga te animi propenſionem, ni tibi litteras obtrudere viderer, eum paululum ab horis legitimis remittas, ut mearum lectioni vaces. Quæ res me ita deterruit, ut a ſeribendi partibus omninò defeciſſem, ni me ſollicitaſſet religio meæ erga te obſequentiæ, cui ut facerem ſatis ad te miſi die 4. Januarii, ut ex meis intelligeres ab hoc officio me non reſiliiſſe, neve ferres nominis mei recordationem ex animo tuo obliteratum iri. Nolim te de reſcriptione interpellare; ſatis, ſuperque mihi eſt, ſi meas levibus oculis legas, & accipias in tui Bourdelotii ædicula ſermonem de te fieri plurimum, & in tuam commendationem, qui tui ſunt amantiſſimi, crateras coronare. Scio te eſſe, qui iis verbis lædi non potes, Vir præditus eximia humanitate, quæ me audaculum effecit, ut te e patria in urbem evocem, ubi expectaris plurimum, velimque quam celerrime mihi in precibus occurras, videbis rem litterariam libellis commotam, & audies eorum, qui ſodalitiis vota nuncuparunt, querimonias, quod Epiſcopus Bellicenſis rem Monachiſmi totam detexit. Horum querela fit in dies gravior, jamque in Pontificii Legati tutelam, & præſidium confugiunt, ut Theologos Pariſienſes nimiæ temeritatis, & audaciæ redarguat, quod Guillelmi de ſancto Amore librum de periculis noviſſimorum temporum typis mandari curarint, vel paſſi fuerint. Tenes hunc Virum famoſis mendicantium libellis inhumaniter fuiſſe ſugillatum, nec profuiſſe Innocentii IV. diploma, quo Viros primarios Academiæ Pariſienſis in ſuam fidem, & clientelam receperat, & tabulas jure prærogativo mendicantibus conceſſas reſciderat. Legiſti in Dominicanorum Chronico ſummum hunc Pontificem Fratrum Litaniis intempeſtive diem ſuum obiiſſe, parumque abfuiſſe, quin de ejus ſalute actum eſſet, ni ſodales preces, & vota prætendiſſent. Tanti jurgii in cauſa fuit Evangelium æternum, ſeu Spiritus Sancti a mendicantibus concinnatum, qui palam, & publice prædicabant Chriſti Evangelium, completo jam anno milleſimo, abrogatum fuiſſe, & adeſſe diem, quo Evangelium Spiritus Sancti ad meliorem, & perfectiorem vitam vocantis homines, promulgandum erat. Eò inolevit ſuperſtitio, ut difficillimum fuit præpoſtera judicia revincere. Hæc eſt ſcæna totius rei, quæ apud nos agitur. Cum Lutetiam attigeris, plura reſciſces. Interea ſcito benigne, & amanter mecum te facturum, ſi in ære tuo me numeres. Vale Lutetiæ Pariſiorum prid. Kalendas Junii 1633.

Clariſſimo Viro D. D. Petro Gaſſendo Theologo, Philoſopho, Mathematico eximio

ISMAEL BULLIALDUS S. P. D.

PRæſtantiſſime, pariterque amiciſſime, diutinæ moræ uſuras centeſimas perſolutura tibi ſe ſiſtit hæc epiſtola, tuamque adverſus nos juſtam expoſtulationem deprecaturus; ſuccenſere ſilentio tam profundo jure meritò potes, & in me ſubſcribere, nec accuſationis formidare exitum. Omnis namque probus, & æquus judex ſecundum te dicet, non itaque hæc Prætoris ſolemnia metuas, calumniatus es, vel hanc mitiorem judicii formulam non probaſti; neque enim falſitate, aut errore laborat accuſatio. Conſurgunt etiam tecum leges, & in me inſuper confitentem. Amicorum teſtimoniis confoſſum inſurgunt; jacui ſane ſupina nimis negligentia, & torpenti conſtrictus, ſed ob injuriam illam tuæ erga me comitatis, & humanitatis tuæ decori, & merito factam. Vis damno decidam dupli, vel quadrupli præſtatione? Tuis rebus e noſtris quid accedet? An noxæ me dedam? me tuum ſcis. Excipe igitur ſupplicem oratorem, & ſerenis oculis meas perlege epiſtolas. Inchoans autem lætiora auſpicia habere non poſſum, quam ab invocatione nominis R. P. Marini Merſenni ſub vexillis ſancti Franciſci de Paula ſtipendia ſpiritualia facientis, hujus ſane Aquilæ pullus generoſiſſimus eſt; ſiquidem Parens ille diſſolutis corporis vinculis intuitu fixo, nec vacillanti divinam eſſentiam rerum omnium in ſe rationes, & χαρακτῆρας ἀκραιφνεῖς habentem contemplatur, non degener filius in conniventibus oculis illas rationes, quas ἀρχετύπους oculo corporeo cernere nequit, ſcrutatur, & rimatur ἐγγλυφθείσας, ϗ ἐγγραφθείσας in omnibus rebus, quæ earum ſignaculo informatæ ſuum eſſe a Deo conditore participant. Piget me tandiu huic Viro ignotum Pariſiis vixiſſe, cum etiam anno ſuperiore per te ad illum aditus pateret. Inexhauſtæ ſcientiæ, & ſapientiæ theſaurum in pectore geſtat, fucatam illam ſcholarum, & corymbis quarundam diſtinctiunculàrum cincinnatam adverſatur, quæ ſane non veritatem inveſtigat, & perquirit, ſed quibusdam argutiis veluti præſtigiis auſcultantium animos percellere conatur, & contendit dum antiquas, & ſane antiquandas opiniones, ne dicam errores, tuetur barbaris verbis ſui auditores perturbat, dumque intelligi non vult, aut ſe explicare nequit abſtractas, non ſolum a rebus ſingularibus, ſed ab ipſa etiam veritate formas curioſe, & ſollicite confingit. Paucis tecum agam de illis, quæ primis noſtris congreſſibus levi velitatione tractavimus, triaque tantum in præſens præcipua ediſſeram. Cum itaque primis colloquiis verba feciſſemus de motu gravium deorſum, cauſaſque quæſiiſſemus, quare motus a principio tardior, proceſſu velocior fieret, quas debiles, vel nullas, vel ſibi contradicentes Scholaſtici e penu ſua expromunt. Ad Phyſicas ſimul, & Geometricas rationes confugiendum eſſe neceſſarium duxi, demonſtrationemque totam, ut mihi videtur, confeci, aſſumpto illo Copernici Lemmatio, quo probatur ex duobus circularibus motibus rectam lineam deſcribi poſſe; hoc ſane habeo, quod & obſervatis, & accurata experientia perquiſitis hypotheſis mea aliquo modo ſatisfaciat; oſtendo enim grave corpus neceſſariò

riò

Digitized by Google

riò moveri tardius in initio, quam circa finem, ex qua præterea conſideratione aliquid ad Terræ mobilitatem pertinens deduci poſſe ſpero. Secundum argumentum non minus jucundum, quod diffuſe etiam tractavi, tenuit me occupatum in inquirendis cauſis, cur elateres compreſſi, & poſtmodum laxati ad ſuam redeant formam, totam ſane rationem refundo in odium illud, quod unumquodque abhorret a duorum contrariorum ſimul paſſione. Atque adeò cum elateres æqualitatem, & inæqualitatem ſimul patiantur per extenſionem, & compreſſionem partium æqualium, ad formam vim naturæ non facientem ſtatum ſe revocant cum externa violentia ceſſante non amplius impediuntur. In eo autem argumento optimum viſum fuit de fractione, & flexione diſſerere, & utriuſque tum definitionem, cum cauſam pro captu noſtro explicare. Tertium difficillimum eſt, & ſic ſe habet, experientia conſtat, aureſque abſque errore dijudicant, non tantum fides, & chordas Muſicorum inſtrumentorum, ſed & tubos organicos, ſonos graviores, & remiſſiores ſpirantes, duplicem ſimul tonum ſpirare, & emittere, ordinarium, ſeu proprium, & præterea diapente ſupra diapaſon, vel ut vulgò dicunt quintam ſupra octavam. Quam hic nodus explicatu difficilis! quam ardua cauſarum inquiſitio? te ipſum experiri velim tam fidibus, quam organicis tubis, & non ſolum mirari, ſed etiam aliquas cauſas exquirere. Spero me aliquid phyſice, & geometrice demonſtraturum per Cylindrum, & Conum ei in ſcriptum aſſumpta conſideratione motus aëris, cujus impulſu ſonus erumpit; de his prius te monitum volebam, quam ad alia tranſirem.

Gratias tibi maximas habeo pro tanta tua humanitate, & cura, quas adhibuiſti in communicanda obſervatione Mercurii per te radio Aſtronomico deprehenſi. Ne autem munus tuum honeſtiſſimum in terram ſterilem cecidiſſe videretur colono ſuo ingratam, rependimus unam noſtram obſervationem, & ad te dirigimus, Veneris nempe in cornua gracileſcentia viſæ per Teleſcopium prope Stellam, quæ eſt in ♊ ſequentis, ſeu Pollucis humero ſiniſtro, & præterea locum Mercurii ex diſtantiis Fixarum deductum ſolutione triangulorum ſphæricorum, utrumque & obſervati ☿ loci calculum, & Veneris obſervationem factam appendicem qualemcumque huic epiſtolæ annexum, & appenſum invenies. Expectemus interim antecedentes, & conſequentes Mercurii obſervationes. Obſervatus a te ☿. locus diſcrepat a calculo Tychonico, Rudolphino, Adriani Ulacci tribus, gradus unius, quadrantibus, Veneris obſervatus per me locus illi ferme conſentit. Si per otium vacaverit, Tabulas Tychonicas, Longomontani, & Lansbergianas conſulam, ut conſenſum, vel diſſenſum illarum videam.

Legiſti libellum Hortenſii, quo tecum agit de Mercurio; mecum longas duce querimonias de diſcrepantia Keplerianæ hypotheſeos a Lansbergiana, & diſſenſum tantum in aſſignandis Veneris nodis plange. Nam dum 7. Decembris, anno 1631. Solem ſubituram prædixerat Keplerus, illam deprimit Lansbergius ad Auſtrum uno gradu cum dextante, aut cacozelia has inducit differentias, quæ ſibi novitatibus gloriolam ſtruit, aut obſervationes vitioſas eſſe, & diſſonas fatendum eſt. De Tychonicarum obſervationum diligentia, & fide nunquam dubitabo, & famæ, & veritatis impendio ſtudioſior erat Atlas ille. Et ſane cum Longomontano in Lansbergium, & Hortenſium acerbe invehere poſſem, & jure corripere, qui magnum Tychonem criminantur de falſa inducta variatione motui Lunæ æquando, quam ſomnium, & merum figmentum aſſerere audent præceptor, & diſcipulus. Sed ambæ noſtræ obſervationes [etſi in aliquot octo ad ſummum ſcrupulis diſcrepent] conjunctio Lunæ cum corde ♌ ſatis probant adverſus illos variationem Tychonicam omninò neceſſariam eſſe ad Lunæ motus veros adipiſcendos. Tota hypotheſis lunaris Tychonica mihi retinenda videtur, modo angulus epicyclicæ æquationis reducatur extra ſyzygias, non ad centrum eccentrici, ſed ad centrum Telluris. Illud enim abſurdum in explicatione hujus hypotheſis notavi, & memini olim me hoc monuiſſe. Miror quî tanti, ac ſummi artifices, aut non viderint, aut cognitum non correxerint, unius trianguli ſolutionem moleſtam effugiſſe videntur.

Non poſſum non mirari Kepleri meditationes de phyſicis illis æquationibus, & quo pacto motus ☾ varios unico contentus eccentro variabili explicare queat, fatetur eſſe motus reales, & phyſicos, concedat etiam per vera, & realia ſpatia fieri, quorum dimenſio a Geometrice dependet, non autem demonſtrabilis eſt illa virtus magnetica ſolaris, qua Planetas trahit Sol pro modulo ſuæ diſtantiæ ab illis, quam induxit Keplerus; equidem ſi Planetæ eſſent corpora cum Sole homogenea, concederem fibras ſuas ad fontem illum luminis ſemper dirigere. Dico amplius, quod non ſolum verſus illum tenderent, ſed ipſi tandem unirentur; ſicut enim Terra trahit congenea, ita & Sol ſibi homogenea ad ſe trahit, & contingeret, vel a longo tempore contigiſſet omnes Planetas, ſed & Fixas Soli uniri, & cum Sole ferri, quod nec vidimus, nec viderunt majores, nec poſteri expectare debent. Aſtronomia ſane, & Geometria ſemper has hypotheſes, & phyſicas motuum æquationes, quæ demonſtrationes Geometricas excludunt, ut mera ſomnia reiicient. Standum eſt huic axiomati, cœleſtes motus circulares eſſe ſimplices, & ex circularibus compoſitos, & hanc ob rationem ellipſes illius reſpuo, & repudio, niſi per Epicyclium Coperniceum, aut Tychonicum deſcribi velit. Facile enim demonſtratur deſcripta ellipſis aſſumpto circello, cujus diameter æqualis ſit differentiæ axium ellipſeos, & Planeta duplam in illo revolutionem facere intelligatur, interim dum epicyclii centrum in orbe magno ſemel revolvitur. Οὐκ ἔτι νῦν ἐπιδεῖξεις κολοφῶν, dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, quis exhaurire unquam poterit omnia illa, quæ quotidie nova ſe produnt? Antiqui Venerem infra Solem ſemper currere aſſeverarunt, & docuerunt, & omnes ſequuti ſunt ad Copernici ætatem. Ante annos triginta ſphæricam ſemper credita eſt emittere lucem, & faciem globoſam verſus Terram oſtendere. Tubus opticus detegit illam proprio carere lumine, & corniculatam verſus Terram deſcendere. Quis maculas in Sole viderat, & tales non Planetam Mercurium docuerat, Galilæus & Apelles, & infiniti alii viderunt, & quotidie vident, ipſeque ſuperiore anno excepto Solis lumine per foramen maculas grandiores notavi menſibus Auguſto, & Septembri. Unum, & alterum ſubnectam: Audieram a Domino Lullerio Galilæum vocatum decreto ſanctæ Inquiſitionis, ut ad accuſationes reſponderet, quæ obiiciebantur ei tanquam adverſus Religionem Catholicam, & auctoritatem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ hæretica quæ-

dam ſcripſiſſet in libello ſuo de Terræ mobilitate, ſtupebam, & dolebam vicem hujus optimi, & doctiſſimi ſenis, ſed gratiſſimus mihi fuit nuntius, qui Galilæum ampliatum non ſolum, ſed & abſolutum dixit; nunquam perſuaſum habeu ſanctiſſimum Dominum noſtrum, ac beatiſſimum Patrem Papam Chriſti Vicarium ad ea, quæ ad Fidem non pertinent clevium potentiam extendere velle; ſane ſi Sacræ Scripturæ, vel decretis ſummorum Pontificum, aut Conciliorum Canonibus adverſaretur ille de motu Terræ opinio, quanto ſtudio illam, ut veriſimiliorem, & naturæ rerum magis convenientem tueor, tanta non ſolum facilitate amandarem, ſed & contrario affectu execrarer illius auctores, perfectoque odio proſequerer. Certum eſt enim, quod Beatus Hieronymus ad Beatiſſimum Damaſum Papam ſcribens ſpiritu Catholico omnes docuit, qui tecum non colligit, ſpargit, id eſt, qui non eſt Chriſti, eſt Antichriſti. Verum quænam ſit injuria Chriſto, vel Eccleſiæ, vel Paſtori Eccleſiæ Oecumenico, an blaſphemat in Sacram Scripturam, qui docet Terram moveri, quis vel leviter in Philoſophicis, & Theologicis tinctus non videt Scripturam Sacram, ubicumque de Terræ ſtabilitate loquitur, commodiſſime poſſe intelligi, vel de duratione, vel partium coagmentatione, aut ſoliditate, quæ ceteris elementis denegata eſt; utinam S. Sedis Apoſtulicæ, & Eccleſiæ ſpiritus ſemper verus ſcientiarum omnium fundamenta, & principia nobis revelaret, cauſes incognitas patefaceret, non amplius dobiis propemodum infinitis agitati fluctuaremus. ſed quæ ſaluti hominum ſufficiunt perficere ſatagit, dum ſuper-cœleſti fidei lumine mentes noſtras colluſtrat, & per vias rectas deducit, ceteræ ſcientiæ induſtriæ humanæ natureli lumine inſtructæ commiſſæ ſunt. Scio Zachariam Summum Pontificem circa annum Chriſti 745. Virgilium Salxburgenſem Epiſcopum decreto damnaſſe, eò quod doceret Antiſtes ille Salxburgenſis Mathematicus pro tempore illo rudi, & ignaro doctior Antipodes eſſe, qui adverſis veſtigiis noſtra premerent; cur damnavit Zacharias Virgilium? Credo ſane non ideò, quia ſimpliciter doceret eſſe Antichthones, ſed ex eo forte, quod duos Chriſtus induceret, quod blaſphemum, & impium eſt. Jura merito damnaremur omnes, quotquot mobilem Terrem aſſerimus, ſi hujus dogmatis vi aliquam hæreſim (quod abſit) adverſus fidem Catholicam aſtruere cuperemos.

Alterum, & ultimum te commoneſaciet me prolixam, & amplam epiſtolam a Domino Chriſtiano Longomontano accepiſſe Haſniæ ſcriptam prid. Kalend. Aug. Anni 1632. redditamque mihi puſt longos errores die Maii 28 anni currentis, acerbe corripit Lansbergium, & Hortenſium, ob illorum calumnioſas accuſationes in Dominum ſuum, & herum Tychonem Brahæum, illoſque Viros mendaciſſimos eppellat. Monet me quædam de Martis motu, & ad illius Planetæ ſtabiliendam hypotheſim parem eccentricitatio Solis aſſumendam eſſe affirmat. Gratum erga te animum gerere profitetur, maximaſque gratias rependit pro munere miſſo, & oblato, quod magnifacit, miraturque, & jure meritò tuam ſolertiam in detegendo Mercurio, libellumque cyclom tricum, honeſtum reboſtimentum ad te mittit, quem una cum epiſtola tranſcripta habebis brevi, ubi per otium licuerit. Ex tuo natalitio ſyſtemate ingenium tuum Mathematicum ſapere pronunciat, ſagacitatem ingenii ſignificare Saturnum in domo ☾ illam Stellam intuentem; & Mercurium in prima domo recipientem, ſimiliter in mea Geneſi trigonum ☾ & ♄ & Mercurii ad Saturnum ſextilem in Mathematicas ſpeculationes propenſum denotare. Vale, & me tuum ſemper crede. Scribebat Lutetiæ Pariſiorum 21. Junii anno 1633.


Tuæ Dominationis Obſervantiſſimus
Iſmael Bullialdus.

Obſervatio Petri Gaſſendi facta anno 1633. Maii die 16. poſt occaſum Solis Aquis-Sextiis Radio Aſtronomico in tangentes diſtincto.

Diſtentie Mercurii a Capella grad. 20. 58. min. 40. ſec.

Ab humero dextro Aurigæ gr. 20. 45. minut. 0. ſec.

Capella his temporibus occupat juxta Brahæum ♊ 16. grad. 44 min. 24. ſec. cum latitudine Borea 22. grad. 50. min. Humerus dexter Erichthonii ♊ 24. grad. 56. minut. 24. ſec. cum latitudine Borea 21. gr. 27. min. 30. ſec.




Sit colurus Zodiaci, ſeu tranſverſalis *A B C D*. Zodiacus *B E F G D*. Locus Hirci in Zodiaco *E*. Locus dextri humeri Aurigæ ſit *G*. Polus Zodiaci Boreus *A*. Datus eſt ergo angulus *E A G*. 8. gr. 12. min. latus *A K*. Complementum latitudine Hirci 67. grad. 10. min. Latus *A I*. Complementum latitudine dextri humeri Aurigæ 68. grad. 32. min. 30. ſec. Ex datis igitur lateribus *AK*, *A I*, cum angulo ad *A*, dabitur latus *I K* 7. grad. 43. min. & angulus *A I K* 78. gr. 13. min. 20. ſec. Item in triangulo *H I K*. data ſunt omnia latera, dabuntur etiam anguli, ſcilicet *K I H*. 81. grad. 30. min. 43. ſec. qui junctus *A I K*, exhibet *A I H*, 159. grad. 44. min. 3. ſec. Jam in triangulo *A I H* habemus latera, & præterea angulum *A D I*, habebimus ergo latus *A H*, 88. grad. 15. min. 20 ſec. & *F H*, latitudinem ☿ Boream grad. 1. 44. min. 40. ſec. At angulus *H A G*. erit 6. grad. 38. minut. Ergo ☿ locus in ♊ 18. gr. 17. min. 44. ſec.

Calculus Prutenicus Origani ſtatuit illum in ♊ grad. 16. 36. min. cum latitudine Borea 2. grad. 16. min. Calculus Tychonicus, Rudolphinus, Adriani Ulecci Goeſani in ♊ gr. 17. 29. min. Deficit ergo Prutenicus a Cœlo grad. 1. 41. min.

41. min. 44. ſec. in longitudine; at in latitudine 31. grad. 20. minut. excedit. Tychonicus 48. gr. 44. min. at in latitudine.

Obſervatio Iſmaelis Bullialdi facta Pariſiis anno 1633. *Maii die* 26. *poſt occaſum Solis hora* 8¾.

Anno 1633. cum menſis Maii die 28. ad Meridianum Pariſienſem collocaret calculus Prutenicus Meridie illius diei ♀ in ♋ grad. 18. min. 31. cum latitudine Borea 3. grad. 4. min. a die 25. quæſivimus ♀ Teleſcopio, ut conjunctio illius cum Stella, quæ Tychoni in ſiniſtro humero ſequen. ♊ occupabat tunc temporis ♋ grad. 18. 17. min. 20. ſec. cum latitudine Borea 3. grad. 3. min. Die itaque 26. cum ſonaret Horologium RR. PP. Jeſuitarum tres quadrantes poſt horam octavam a Meridie, hora ſcilicet 8¾. animadverti ♀ jam cornua præbentem, quorum acumina Terram verſus dirigebantur diducto tubo ad extenſionem mihi conſuetam duorum fere pedum regiorum, adeò ut baſi Coni, ſeu Pyramidis in pari extenſione totum ☾ ambitum ante dies quatuor fere caperem; hunc itaque Planetam conſideravi ad limbum baſis coni applicatum, & reperi ſupra ſe habentem Stellam illam non procul a centro circuli apparentem, ſed in azimutho Orientaliori, & almicantharat ſuperiori, unde quantum Teleſcopio aſſequi poſſumus ſimplici æſtimatione æſtimavimus ♀ in magno circulo diſtitiſſe a Stella ſcrupulis 18. ad ſummum, at azimuthum ♀ occidentalius fuiſſe 8. min. vel 9. minut. & Venerem auſtraliorem ipſa Fixa. Ecce figura obſervationis



Circulus illuminationis tubi optici in convexo vitro *EFGI*.

Stellæ locus viſus *A*, Azimuth fixæ *FAD*. Azimuth ♀ *IB*. Venus *B*.

Diſtantia azimuthorum *DB*. 8. minut. vel 9. minut.

Diſtantia Stellarum in circulo magno 18. minut. nempe *AB*.

Diſtantia altitudinum *AD*, 15. min. ferme.

Calculus Prutenicus ſtatuit ♀ in ♋ 17. gr. 23. min. cum latitudine Borea 3. grad. 8. minut. Sed multo provectior erat in ♋ grad. 18. 2. minut. vel circiter, & latitudo Borea 2. gr. 48. min. ferme..

Adrianus Ulaccus ex Rudulphinis habet ♀ in ♋ 18. grad. 21. min.

Admodum Reverendo, atque Clariſſimo Viro D. Petro Gaſſendo Theologo, & Canonico Diniensi S.

ADmodum Reverende, atque eruditiſſime Domine, latentem illum, occultumque Magnetis ad Magnetem conſenſum, καὶ τὰς ἰδιότητας ἀῤῥήτους, ut cum Philoſophis loquar, ſicubi ſemper, ſic potiſſimum tamen, dum nos ſuaviſſima ſua præſentia, & Magnetica quadam doctæ converſationis ſuæ extaſi defixos Aquis-Sextiis teneret admiratus ſum,

Magnus enim Magnes Magneta trahendo minorem
Sympathico nexu junxit utrumque ſimul;

adeò arcte, & efficaciter, ut ab eo congreſſu vitali communicata virtute animatior factus, neſcio quid impetus, ac violentiæ, quo poſt ſe moveri me experior, ſentiam; tantum valet Heracleotica illa catena, tantum Magnetica illa ſimilium mentium Μετεμψύχωσις, καὶ τῆς εὐφυΐας ὁμοιότης, verum illud ſympatheticum a Pythagora quondam celebratum tetrachordum, quo reſonante nulla locorum intercapedo mutuam ſimilium mentium, ac ingeniorum συμπάθειαν impedire poſſe videtur. Senſit hoc quondam Plato, dum una maxime cauſa amorem neceſſitati præferre, quod illa propinqua tantum, amor etiam diſſita poſſit conjungere. Senſerunt etiam hanc virtutem vel ipſæ litteræ, non tam miſſæ, quam a Cl. D. V. longo locorum intervallo diſſita ad ſe eminus magnetico veluti actu attractæ, affectus, obſequii, deſideriique omnibus in rebus ei inſerviendi indices. Verum ne forte a tam potenti Magnete plus æquo abſtractus digrediar, ad ſcopum revertar. Noſſe forſan deſiderat R. D. V. quid modo geram? quibuſve diſtinear? uno verbo dicam, multitudo occupationum me non tantum obruit. Ex una parte quidem me Primitiæ Gnomonicæ Catoptricæ, quas ad Amicorum meorum inſtantiam prælo ante diſceſſum meum ſubdere ſum coactus, mirum quantum deſtinent. Ex altera parte in explicatione Barachiana in favorem Domini noſtri de Peiresk incepta deſudans, ſummoſque exanthlans labores, ſub onere prope fatiſco. Accedit præparatio ad iter adeò longum, quale hinc Viennam in Auſtriam, quod poſt ſolemnitatem Aſſumptæ Virginis, Deo auſpicante, una cum D. de la Vallette ingrediar; accedunt denique quotidiani Amicorum congreſſus labores augmentantes, quibus adeò premor, ut vix litteris ſcribendis idoneum tempus reperiam. Ad obſervationes porrò quod attinet, ego ut ingenue fatear, dictis de cauſis hactenus iis invigilere non licuit. Nihilominus quod ultimam Eclipſim concernit, comprehenſum eſt ſedula computatione a Domino Tonduti hujus negotii exercitatiſſimo Viro, & me quoque, illam Tychonico calculo nequaquam quadrare, ita quidem, ut Tabulæ Tychonis Lunares (quod in Viro, & ingenioſiſſimo, & exactiſſimo quiſpiam non immeritò mirari poſſet) incertiores repererimus, quam multi putent, comparatione quoque facta cum Prutenicis, & Alphonſinis, has exactiores deprehenderimus. Sed nuncius feſtinus, & jam petuſatus mihi omnem ea fuſius perſcribendi occaſionem adimit. Ceterum etiam, atque etiam rogo R. D. V. ne inpoſterum ab incepto ſemel litterarum commercio nos locorum intercapedo abſter-

Digitized by Google

abſterreat; imò ſibi perſuadeat velim eam amicitiam tantò eſſe gratiorem, ſuavioremque, quantò majori intervallo diſſiti fuerint eam ſincere colentes. Ego enim ſi vel repperero inter Auſtrios Philoſophos, & Mathematicos aliquid veſtro ingenio dignum, ſincere ſpondeo, ac ſanctè polliceor, me pro ea, quam erga V. D. gero animi propenſionem, communicare nunquam intermiſſurum, quod & de R. D. V. idem ſpero. Atque hiſce me R. D. V. SS. Sacrificiis humiliter commendo. Valeat, atque iterum valeat. Avenione raptim 10, Julii 1633.

R. D. V. Servus in Chriſto humillimus, & propenſiſſimus Athanaſius Kirker Soc. Jeſu.

Miſiſſem R. D. V. librum meum, quem inſcripſi Primitias Gnomonicæ Catoptricæ, ſi abſoluta fuiſſet impreſſio; nihilominus ubi abſolutus fuerit, eum etiam poſt diſceſſum meum, R. D. V transmitti curabo. D Priorem a Bompas nuper fere nobis abſtuliſſet colica paſſio; gratiæ pro longiore vita Viri Reipublicæ litterariæ utiliſſimi.

Admodum Reverendo, atque Clariſsimo Viro D. D Petro Gaſſendo Canonico Dinienſi, Domino ſuo plurimi honorando

CHRISTOPHORUS SCHEINER, S. P. D.

QUas ad me nonis Maii dediſti gratiſſimas, accepi menſe Junio, quantum recordor. Acuit induſtria tua torporem meum; accenſus ſum, ut par pari refundam, hoc eſt, ut obſervationem meam Eclipſeos Solaris Romæ factam remitterem; quod cur hactenus non fecerim, obſtitit penuria temporis, dum ad diſceſſum perdius, & pernox occupor. Hæc una, eaque genuina, & ſola cauſa obſtitit, cur tuis humaniſſimis ſcilicet, & accuratiſſimis litteris non reſponderim. Vellem enim aliquid, ſi non tam exquiſiti, ſaltem non inerudito laboris rependere. Tu ergo pauxillum patientiæ habe, & omnia compenſabo. Interim ad manum, & oculos habes P. Athanaſ. Kircher, qui etiam memoriam mei ſua excellentia obliterare poterit. Alias præter has litteras in præſentiarum a te non accepi. Obſervationem hanc cum D. Campanella communicabo. Ego contra Galilæum mearum inventionum invaſorem altera nunc vice me defendo. Obſtupeſco, qua homo fronte tantum dedecus conſciſcere ſuſtinuerit. Videbis olim, & miraberis, ubi defenſionem meam perlegeris. Interim orbem tuis accuratiſſimis obſervationibus erudire ne deſiſtas, ut exemplo iſto ſuſcitati multi ſequantur. Vale mei ad Deum memor. Romæ in domo profeſſa 16. Julii 1633.

MICHAEL CONSTANTINUS

PETRO GASSENDO THEOLOGO S P. D.

QUas a te accepi litteras, mi ſuaviſſime Gaſſende, magnam in animo meo pepererunt voluptatem, cum ex iis intellexi. me tibi eſſe cordi plurimum, idque non merito meo, ſed tuo benefico ingenio, quod mirari non deſino ob illam, quæ in eo ineſt, tranquillitatem. Magni ſane fuit Philoſophi ſummam animi quietem tanta cura, tantaque opera ſibi comparaſſe; ea eſt, quæ multum me movet, & ſingularis doctrina, in qua eluces, & eruditorum amorem in te concitas, meque totum incendis, qui in media turba, & grege nondum locum teneo. Scito tamen me ſemper duxiſſe, ſi nihil ad te darem litterarum, me non eſſe extra noxam, & religione impediri, donec huic muneri facerem ſatis. Velim tamen credas, non eo conſilio ad te ſcripſiſſe, ut e tuis eliciam, ſed ut ratum habeas meæ erga te obſervantiæ pignus, & quos in urbe noſti tui ſtudioſiſsimos, tuo aſpectu, tuoque alloquio propediem exhilares, quibus rem gratiſſimam facies, ſi veterem, ac priſcam Phyſiologiam typis mandes. Hoc a te efflagitant, quos veræ, & germanæ Philoſophiæ nimia ſitis urit. Interea vereor, ne te diutius detineat ſoli natalis aura, & chariſsimorum amor, e quorum amplexibus avelli æquo non patieris animo, cum illic præ ceteris habeas tuum Peireſium, Muſarum decus, & Litteratorum præſidium, cujus ſuavi conſuetudine mirifice caperis, & tanti Viri genio indulges, qui varia, & ſingulari rerum ſupellectile oculos paſcit ſpectantium, & lectiſſimis ſermonibus Doctorum reficit animos, cujus amœno ruſculo vehementer oblectaris, & miraris tui Peireſii optatis reſpondiſſe ipſam naturam, quæ hujus plagæ angulum tanto adornavit ſplendore, quaſi omnia ſtudia in ejus cultum contulerit, tanto Hero, ac Domino facturà delicias. Nullum finem facerem prædicandæ domus gratiis ſacræ, ni modum epiſtolæ excedere viderer, cum in hoc ſcribendi genere de amicorum ſalute, & negotiis de more quæratur. Quare ſi res tuæ in tuto ſunt, & belle te habes, redi ad tuos quam celerrime; reſciſces gravem eſſe τῶν Φαρισαίων πρὸς τοὺς γραφεῖς contentionem, eorumque animos in dies magis exulcerari. nec ullam, qua deliniantur, adhiberi medicinam. Diu dolent, & conqueruntur οἱ γραφεῖς, καὶ διδάσκαλοι τοὺς Φαρισαίους, novos, & peregrinos ritus induxiſſe, nec fas fuiſſe eorum reclamitare erroribus, & damnare hæreſes. Eam querimoniam ſatis probat prima dies hujus menſis, quæ multa ſigna τοῦ σεληνιασμοῦ dedit, & oſtendit εὐπολέμητον, καὶ πρόσκαιρον εἶναι τὴν τῶν διδασκάλων συνείδησιν, & veneranda τῶν Φαρισαίων pallia, dum ubique ſcenicam ſapientiam oſtentant, hiſtrionicam agunt, & luce clarius aperiunt mentis humanæ vitia, inſcitiam nempe, & ſuperbiam, quos in ſcopulos facile ſe dat præcipitem, qui ſcientiæ, & ſapientiæ primas ſibi arripit, nec ſe, nec hominem novit, cujus eſt errare, & labi. Hæc me docent humaniſſimæ tuæ litteræ, & Academia ſorum Sophiſtarum diſceptatiunculis perſtrepere, idque eſſe ſolum doctiſsimis Viris ingratum, pingue verò, & opimum rabulariam exercentibus, qua capiuntur adoleſcentuli, in eamque curam incum-

incumbunt, cum e palæſtra litteraria Patrum ſubſellia conſcenderint, ut univerſus Orbis perpetuo laboret diſſidio, quo cautius in rem diſſidentium irruant, ſuamque faciant. Vetera me conquirere vetant præſentia, & viva exempla, quæ monent hominem homini eſſe lupum; eamque ob rationem nemo probus non luget perditos hominum mores, ac præpoſteram mentem, & illam perſequitur ſectam, per quam quies animi comparatur, & ſedem ſeligit, in qua tranquillo otio dies tranſigat, cumque ſui amantiſſimis ſermones, & jocos conſerat. Noſti Lotetiam eſſe litteratorum domicilium, & in ea paucos e plurimis ſeligi, qui moribus, & natura clariſſimorum Philoſophorum non ſint diſſimiles, cum quibus ineunda eſt vitæ ſocietas. Illic qui tui ſunt te interpellant, & tibi litem intendent, niſi apud noſtrum Bourdelotium te ſiſtas propediem, in cujus ædicula fœdera ſolemni ſacramento ferientur.

Dixi tuis verbis plurimam ſalutem ſuaviſſimo Alberto noſtro, qui Academiæ dignitatem jam prope ſeneſcentem priſtino ſplendori reſtitui curat Regis Chriſtianiſſimi munificentia, & ampliſſimi Cardinalis Richelii conſiliis. Prodiit Aurelii acerrimi ingenii Viri Anæreticus adverſus Sirmondi Antirrheticum de integritate primi canonis Concilii Arauſicani. Sunt, quos magnopere torquet ea controverſia, & Sirmondum ab Aurelio male acceptum fuiſſe, & hæreſi notatum, quod chriſmationem confirmationis ſacramento detraxit. Aurelius, ut eſt vir acutiſſimi judicii, creber ſententiis, gravis rerum pondere ludit Sirmondum, tanquam imparem pugilem, ejuſque ridet orationem cum pigmentis, & fuco pæne puerili. Hæc ſunt jurgia noſtri ſoci, mihique ſunt de Gaffarello querelæ, ad quem ſi ſeribas, velim eum moneas eſſe memorem, quam perſonam ſuſtineat, ne in poſterum mimos agat, neve ſe, ſuoſque ludibrio haberi ferat. Quas enim ad ſuos ſeribit litteras, fidem faciunt nullius eſſe ſalis hominem, & ſannionia olent ingenium; precor illi ſaniorem mentem, & tibi proſperam valetudinem, meque, ut ſoles, ames. Vale. Polliſci in agro Meledunenſi, pridie Nonas Auguſti 1633.

PETRO GASSENDO

GABRIEL NAUDÆUS S. P. D.

Binas a te nuper accepi, Doctiſsime Gaſſende, cum unas tantum expectarem litteras, ſed quæ tamen plura mihi ſignificarent de te, de Luillerio utriuſque noſtrûm deliciis, & corculo, de Epicurea Anaſtaſi, & de ſingulari illo certamine, quod paulo ante meum e Gallia diſceſſum cum Armigero Londinenſi ſuſceperas; quam unquam uſquam ex illis duobus, & geminato urbanitatis tuæ officio excerpere potuerim, adeò nempe occupatus es in otio, ut mecum jam laconice quædam tantum inſuſurres, ac veluti furtim, & per ſcitulam effutias, de quibus cum antea ſimul eſſemus prolixos equidem ſermones miſcere conſueviſti. Papæ! quæ tanta mutatio eſt! hominem Philoſophum Pariſiis otio diffluere, Diniæ verò, vel Aquis-Sextiis, aut potius ruri degentem temporum anguſtiis urgeri, negotiis premi, & nondum ſibi diem unum vindicaſſe, quo vel homini amiciſsimo, nobiliſsimaque ſtudiorum, & opinionum communione devincto pectus ſuum denudare, vel datam fidem liberare poſſet! fidem enim, ſi neſcis, aut potius ſi oblitus es, quam ſuperioribus ad me tuis oppignoraſti, de judicio, & cenſura reſponſionis illius, qua defenſionem tuam pro R. Patre Marino Merſenno Fluddus excepit, nunc requiro. Nec tantum te interpello, ut bonum nomen eſſe non deſinas, ſed hoc inſuper abs te peto, vehementerque contendo, ut me vel de nugis etiam, & titivillitiis tuis certiorem facias, & omninò, quæ mihi ſi coram adeſſes exponere velles, ea ne graveris in chartam cujuſcumque modi ſuerint conjicere. Probe ſiquidem noſti me quoque iſtud facere ſolitum fuiſſe, ac ſæpius, quæ præſenti vix narrarem, ea perſcripſiſſe, nempe charta meo judicio minime eſt inter amicos præſcindenda, aut quod Oraſius noſter Tubero Religioni ſibi eſſe dicit, prima tantum facie depingenda quaſi Sinenſium more nunquam ad adverſa membranarum parte nobis ſcribendum eſſet, vel litteras ipſas ex Demetrii præcepto turpe foret ſiniſtram legentis manum adimplere. Quare ſi me audis, quod tibi dabitur a ſeveriori Muſarum cultura ſucciſivi temporis, hoc totum in gratiſſima litterarum cum amicis viciſſitudine tibi eſſe impendendum arbitrabere, ſane quantum ad me attinet non committam ullo modo, ut occupationes meæ, quæ non magnæ illæ quidem, ſed interdum tamen moleſtæ ſunt, cogant me unquam minus erga te officioſum eſſe, quam vellem. Imò verò, quod Mercatoribus interdum uſu venit, ut ſi merces vaſa non explent, fœnum, atque cannabem, & ſcruta inſereiant, ita ego cum non ſupperent res dignæ ſcriptione, quæ ſcis ipſa tulerit, & obvia quæque arripiam, ne tecum paria feciſſe non videar, aut aliquid ex antiqua mea conſuetudine liberius cum amicis meis confabulandi remiſiſſe. Sed ne te, qui ſatis tuapte natura rerum ceterarum memor es, de hac una, quæ tibi forſan altius, quam ulla cordi ſemper inſedit admoneam, age, mi Gaſſende, paulatim ad eam, quæ magis me verſat, & coquit ſub pectore curam deſcendamus, ac demum illis tuarum litterarum capitibus reſpondebo, quæ mihi videntur maxime reſponſionem flagitare. Recordaris igitur opinor, quanto, quamque incredibili deſiderio non te ſolum, qui mihi ſemper non minus, quam tibi ipſi carus extitiſti, ſed omnia tua. & egregia præſertim, quæ tu ſubinde litterarum monumentis conſignare ſolitus es animi tui ſenſa fuerim vel ab invaleſcente jam inter nos mutua neceſſitudine proſequutus; quare poſtquam mihi cuncta illa, quæ dum adhuc ſuaviſſimæ tuæ conſuetudinis fructu oblectarer ſcriptis mandaveras, vel poſt meum e Gallia diſceſſum publicæ hominum luci commiſiſti, reddita mihi cum a te ipſo, tum etiam ab amicis fuerint; ſola autem, quam te veriſimile eſt omninò nuper ad R. Fluddum excudiſſe reſponſio diligentiam hanc meam feſellerit. Amabo te, amicorum ſuaviſſime quonam iſtud fato, vel potius errore factum fuerit parumper apud te dijudica; & ſi nihil quidquam ulla mei in te officii, ac obſequii ceſſatione commerui, ſi nihil peccavi, quod mihi tam gravi, & acerba pœna luendum fuerit, fac oro te, atque obteſtor, ne iſtius tuæ reſponſionis expectatione diutius macerer, aut quod ipſe Fluddus ad primos tuos colones repoſuerit ignorem, quod equide m

dem ſi me hactenus latuiſſe dixerim, res tibi erit non admodum creditu difficilis, qui ſacris Eccleſiæ ſanctionibus damnata pridem adverſarii tui volumina, nonniſi difficulter, & cum ſummo vitæ, ac fortunarum diſcrimine iſtuc a Mercatoribus deferri poſſe, etiamſi vaſtiſſima mole non præpedirentur, aut aditu reliquis etiam omnibus propter contagii metum intercluſo, ſatis ipſe jam intelligere potuiſti. Deinde verò cum me quaſi teſtem aſſiduum habueris eorum omnium, quæ ſub initium iſtius velitationis a te geſta ſunt, nunquam opinor cogitatione conſequi poſſes, quantum me pruritus quidam urget, quo tandem modo ipſa compoſita fuerit intelligendi. Vix enim adducor ut credam, quod

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta

licet inter apes vere Palladias, & mellifices enata

Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcant.

Verum poſtquam mihi ſemel frontem perfricui, ut tecum audacius de multis rebus, quæ ad ſtudiorum, & otii tui litterarii rationem attinent pertractarem, age currente jam, atque incitato calamo, ut valeat Epicurus tuus, ut adoleſcat, ut ratiocinetur, ut ſe ab improborum, & ineptorum calumniis defendat, ut tibi, atque amicis placeat, ut typographos urgeat, ut publicum denique favorem expectet paucis exequere. Iſta ſiquidem, de quibus attentus nonnunquam cogitare ſoleo, animum mihi haud mediocriter ſane perturbant tot difficultatum in dies ſuccreſcente materia, ſed hoc præ ceteris me ſollicitum detinet, quamobrem fiat, quod in alto illo tranquillo ſeceſſu, quo nunc perfrueris, in hac profundiſſima pace, & quiete, quæ tibi ſtimulos acres ad iſtud operis perficiendum addere debet, ceſſas nihilominus, & inducias quæris, quaſi aliorum negotia tractare deberes, non tua, aut corporis potiusquam animi laboribus tibi foret incumbendum; quod certe quam inique facias, aut parum in rem tuam, & litterariam conſulte, tum demum intelliges cum forſan non erit amplius huic morbo remedium. Neque eſt, quod Venetiis iſtud commodius, quam Aquis-Sextiis abſolvi poſſe tibi perſuadeas, nam ſi tibi nunc in ſolitudine viventi deeſt otium, deeſt tempus, quod ejuſmodi cogitationibus impendatur, quî precor ſupereſſe potuerit in hoc celebertimo tot mercium, totque nationum emporio, ubi nec Argus ſat oculorum haberet rebus ſpecioſiſſimis perluſtrandis, nec Briareus ſat brachiorum pertractandis. Sed Patavium forte cogitas, urbem illam Academicam, ſi quæ alia unquam in Orbe extiterit, & ſtudiis florentem ignobilis otj. Verum quid opus eſt tot maria tranare, tot pericula ſubire, ut otium illud quaſi fugitivum perſequaris, quod ipſa Philoſophia tecum una naſci voluit, tecum manere, tecum vel in mediis civitatibus habitare, modo iſtud ipſum amplecti velis, quoties vel unius Senecæ, vel Epicteti, vel ipſius etiam Epicuri conſiliis ſe tibi obviam facit. Nec ægrotantis alicujus inſtar faſtidioſi toties lectulum commutes, quoties tibi operæ-pretium erit quietem aliquam invenire. Sed hoc dices, nimis acerbe mecum agis mi Naudæe! verum quî mitius iſtud facere debeo, aut potius

Quis Cælum Terris non miſceat, aut Mare Cælo?

Cum tu, qui merito Philoſophorum hujus ævi κορυφαῖος æſtimaris, qui vacuitatem affectuum, & negotiorum tam eleganter prædicas, qui nos omnes ad pileum vocas libertatis philoſophicæ, nondum tibi vivere potueris, quem negotia quotidie diſtrahunt, nec dum etiam amicis, qui Philoſophiam hanc Epicuream continuo requirunt, inter quos ſi pro ea libertate, qua me jamdudum aliàs pro ipſomet Epicuro perorantem ſuſtinuiſti, aut pauló etiam vehementiure, quod ceſſatio tua poſtulat. Reliquorum tibi mentem, ac animum explico; rogo te etiam, ſuaviſſime Gaſſende, ut quidquid hac in re peccatum eſt, affectui meo potius, qui in te profectò ſingularis ſemper extitit, quam tua alia ſtudia improbandi deſiderio condonandum eſſe exiſtimes. Ceterum quod ampliſſimas conditiones jam antea tibi ab Eminentiſſimo Viro, & nunc etiam ab eo, quem ut recte dicis optime novi, oblatas ultrò, tanta animi conſtantia, tantaque amoris in Luillerium noſtrum ſignificatione recuſaris, eſt ſane, quod plurimum tibi gratuler, & mihi etiam vehementer gaudeam, quandoquidem ſi hunc, qui te ſibi junxit raro, & indiſſolubili benevolentiæ nexu, qui te vix Lutetiam appulſum tanquam in ſinu proprio fovit, & recepit, qui tibi bonorum omnium auctor eſſe poteſt, quo cum aut philoſophari libere, aut ſuſpirare familiariter, aut jocari ſecure poſſis; quem denique, & in urbe hoſpitem, & in peregrinationibus comitem, & in privatis omnibus conſcium, ac teſtem ſemper habuiſti, ſi hunc virum inquam, qui toties non tibi divitias modo, quas ampliſſimas poſſidet, ſed ſeipſum obtulit anguſtioris fortunæ tendiculis irretitus reliquiſſes, graviter in Philoſophiam ipſam peccaſſes. Mihi verò, & ceteris omnibus amicis, qui in te continuò velut in ipſius modeſtiæ, probitatiſque, & temperantiæ vivam, ſpirantemque imaginem oculos conjicimus, præclarum iſtud fortitudinis exemplum ademiſſes, quod ut in dies illuſtrius reddas perpetua, & conſtanti in Luillerium noſtrum voluntate, me ſuaſore credo non indiges, qui ſeu ad Epicurum tuum convertare, ſtatim audies præcipientem naturales divitias facili negotio parabiles eſſe, quod paucis natura ipſa indigeat, ſi ad Lucretium nihilo ſecius docentem invenies, quod

Non calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus ſi in picturis, oſtroque rubenti
Jactaris, quam ſi plebeja in veſte cubandum eſt.

Si denique ad Senecam, & ad Ciceronem. quos præ ceteris etiam plurimum ſemper æſtimare conſuevisti, ille nihil ſibi magnum in terris videri aſſerit præter ejus animum, qui magna nec accipit, nec deſiderat; hic verò conſulit omnia, quæ videntur utilia, honores, divitias, voluptates, & cetera generis ejuſdem nunquam eſſe amicitiæ antepunenda. Sed ubi tot monitores non adeſſent, adeſſet tamen vera illa, & germana ſapientia, cujus ductu, atque auſpiciis poſtquam talis evaſiſti, ut unicus ferme noſtri ſæculi ſapiens habeare, rationi certe conſentaneum eſt, nihil quidquam de te cogitare, quod non hominem deceat, ut ab omni faſtu, & ambitione, ac cupiditate alienum, ita recti, ac honeſti maxime ſtudioſum, aureæ libertatis amantem, libertatis tenacem, nobiliſſimiſque rerum altiſſimarum cogitationibus penitus immerſum, quibus in ſtudiis dum ipſe totus es, vitamque degis ſuaviter, & tranquille, quid unquam tibi deeſſe poſſit, modo Luillerium tuum non deſeras, equidem non video. Quare ſi me audis, abigeos illos longum valere jubebis, qui liberos homines aureis quibuſdam catenulis ſuas in caſſes ſenſim pelliciunt, & ſtudia cum Philoſophica, tum etiam

Aſtro-

Digitized by Google

Aſtrologica diligenter, ac unice, ut tui moris eſt, excoles, propter quæ non Schikardus modo, aut Hortenſius, ſed Schiuerus Galilæus, & quicumque rerum Cœleſtium peritiſſimi habentur, te ita admirantur, & ſuſpiciunt, ut etiam hoc dicant a pereleganti, & ſubacto in iſtis obſervatioibus ingenio tuo nibil niſi abſolutum, perſectumque proficiſci, quibus ego libenter ſane aſſentior, & vehementer lætor te, quem unum præſertim colo, & in oculis fero, mirum etiam in modum ab omnibus coli, & exiſtimari. Vale. Dabam in Caſtro Giaggioli Romandiolæ 22. Menſis Septembris 1633.

Gabriel Naudæus Vir immenſæ litteraturæ, tuique, Vir clariſſime, ſtudioſiſſimus, ac mei amantiſſimus prædicatione tuarum laudum me in tui amorem rapuit, idemque ſua auctoritate, ut ad te ſcriberem homo ignotus animavit. Liceat ergo mihi compellare te, Virum Mathematicarum, & reliquarum ſcientiarum cognitione florentem, neque tu propenſionem in te meam, neque hoc amoris mei teſtimonium ſpernito. Vale, meque ama, quod & vehementer opto, & enixe peto.

Tibi deditiſſimus Scipio
Claramontius Ceſenas.

Admodum Reverendo, Clariſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Canonico, & Theologo meritiſſimo

PETRUS FRANCISCUS TONDUTUS
Dominus de S. Legier S.

ACcepi a R. P. Athanaſio Kircher Germano e Societate Jeſu accuratas obſervationes tuas circa illam Solis Eclipſin, quam die 8. Aprilis proxime præteriti conſpeximus, mihi tuo juſſu exhibitas, ſimulque maxima cum animi ſatisfactione perlegi caput illud epiſtolæ tuæ, quo ex Morini noſtri relatione, amoris in me tui gratiſſimum præbes teſtimonium, nec tandiu ſcriptioni temperaſſem, niſi eadem me Forenſium negotiorum copia, & clientum ſæpius importuna ſollicitatio, quæ vel invitum ab integra Eclipſis, ejuſque Phaſium contemplatione abſtraxit, ad otium calculi in hæc uſque vacationum tempora adduxiſſet. Incepit Avenione Eclipſis hora 3. min. 29. P. M. Sole gradibus 31 $\frac{1}{4}$. ſupra horizontem elevato. Congruit hic eventus maxima ex parte cum Kepleri calculis, ſuppotatis Planetarum motibus ad horam 3. min 59. cui habitu reſpectu ad Meridianum, ab eodem auctore aſſignatum reſpondet hora 3. min. 29. quo tempore vere apud nos incepit Eclipſis, habita ratione æquationis phyſicæ, quam Keplerus amplectitur, eaque cum menſtrua, qua ipſe utitur præcept. 171. mutuò compenſata, quia quantum una addere, tantum alia demere jubet. Hinc utriuſque Meridiani diſtantia Diniæ videlicet, & Avenionis aſſignari poteſt minor, quam aliqui cenſeant, major, quam ceteri, ut non mirum ſit pleroſque omnes de intricatiſſima hac Meridianorum differentiæ incertitudine conqueri, mirum neminem ſtudere remediis. Sentirem libentius tuam, & aliorum hac de re ſententiam, utpote qui falcem in alienam meſſem immittere nolim, ſola ea fruge contentus, quam Diva Themis cultoribus ſuis elargiri ſolita eſt; felicem ſane mihi meſſem futuram ratus, ſi amoris tui merear honore donari. Interim ſi quid pro te, pro amicis poſſum, hoc ſincere, & ex corde præſtabo. Si ad R. P. Athanaſium, aut ad Regium profeſſorem Morinum ſcribas, eos quæſo etiam nomine meo ſaluta, & me tui, tuæque virtutis amantem redama. Avenione hac die 24. Septembris 1633.

Obſequentiſſimus
S. Legier.

Clariſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo
S. P.

NOn credas, Clariſſime, Doctiſſimeque Domine Gaſſende, quanto cum gaudio reſponſum tuum ad meas litteras, diſſertationemque acceperim, non ſolum ob metum, quem habebam a longinquitate intervalli, quo a nobis abes; ſed præſertim ob ingenuum tuum, & candidum animum, quo non indigne tuliſti libertatem meam in diſcutiendo tuo ſcripto, ſed æquiſſime accepiſti, inque ejus gratiam amplexus es ſententiam probabiliorem circa varias controverſias. Gratulor mihi non leviter conatus iſtos tibi placuiſſe; & in partem amicitiæ tuæ me admiſſum, quam tot ante vocis exambivi, quum nondum Gaſſendo auditum erat Hortenſii nomen. Sed & contra non accipio nimios iſtos titulos, quibus tu viciſſim me ſummis ævi Viris non desinis accenſere; qui vix ad primum lapidem in vaſto hoc famæ campo progreſſus, ſi non temerarie, ſaltem audacter ſatis, judicio ſæculi hactenus auſus fui me committere. Sic habe, Doctiſſime Gaſſende, Tyronem eſſe me in ſcrutandis naturæ myſteriis, & ut pauciſſimis annis [vix enim XXVIII. ſuperavi] in contemplatione rerum verſatum, ita abunde mecum ex animi ſententia actum exiſtimare, ſi modo per indeſeſſos labores, per ſpreta vulgi neſcientis ludibria; ſic comparere contingat in choro eruditorum Virorum; ut tuus ille Mercurius comparuit in Sole, hoc eſt, ut vel minimam faciam umbram in magna luce. Quam putas igitur ad lectionem tuarum indignabar, quod tu ſummus Philoſophus ita mea acceperis, ac ſi non latere ea, umbræque ſubiici oporteat; ſed ſub oculis magnorum Virorum legi, & in media verſare luce. Sane affectui tribuere malo judicium iſtud, quam ſic mihi adblandiri, ut putem rem ita ſe habere, quia amicus cenſuit; & in poſterum operam dare, ut magis, magiſque proficiens, is tandem digne habear, quem me eſſe mature nimis judicaſti.

Circa aëriam ſphæram globis cœleſtibus circumjectam, gaudeo tibi aliter nunc videri; ſperoque ſi rem penitus introſpexeris, non tantam modo ejus altitudinem, ſed qualemcumque tandem inibi exiſtentiam, ſaltem in Luna rejecturum; quod mihi hactenus ſuaſerunt Phœnomena omnia, & inprimis obſervationes per Teleſcopium. Ignium nocturnorum ampliationem recte mecum agnoſcis e Solis pendere oculis; & quid ſi eandem cauſam aſſignem omnimodæ ampliationis Planetarum; cur quæſo Orbem aërium habeamus circumfundendum? Nulla enim prorſus obſervatur proportio inter ipſum Planetæ globum, & molem radioſam circumfuſam, quod vel ex Venere cornuta apparet. Et tamen ſi realis Orbis

aërius lucens eis circumfunderetur, oporteret non ſolum eum conſpicuum eſſe, ſed in diverſis Planetis diverſam ſervare proportionem; quia & ſi quantitatis eſt modicæ in ſingulis, non tamen ejusdem eſt per omnes altitudinis. Atque e contra, videntur nudis oculis Planetæ interdum æque magni, qui ſi per Teleſcopium inſpiciantur, differentiam diametrorum oſtentant notabilem; quod arguit, realem diametrorum apparentiam non eò uſque juvari ab aëria ſphæra, donec in oculo ad eandem magnitudinem excreſcant; ſed id ſolum dependere ab oculis, neque proportionem ſphæræ aëriæ ullam hinc concludi. Exempli gratiâ, anno hoc 1633. menſe Martio aliquandiu Venus judicabatur nudis oculis major Jove, cum tamen diametrum vel tertia parte minorem per Teleſcopium obtineret. Si ergo auctio Veneris de nocte contigiſſet ab aëre ipſi circumfuſo, fuiſſet ille ejusdem craſſitudinis cum ſemidiametro globi Veneris; aliter enim Jovi non potuit æquari, quod utrique non credo te accepturum. Idem aliàs expertus in Venere, & Mercurio, & ſi attenderis, deprehendes rem ita ſe habere.

Methodum demonſtrationis diſtantiæ Solis a Terra Viri optimi Domini Gaulterij lubentiſſime accepi; ſed, quod pace ejus liceat, videtur nimia curioſa. Si enim ſemidiametros Solis, & Lunæ prout ex Terra ſpectantur, conſiderandas velit, Lansbergiumque minutula iſta non debuiſſe negligere cenſeat, ſciat, debere ſe nos prius circa Solis, Lunæ, omb æque ſemidiametros ad ipſa ſcrupula ſecunda ſecuros reddere, antequam demonſtratio non tantum ſecum diſcrepantiæ vehat, quantum oriri poteſt ex neglectu Lansbergiano. Quod quam difficile ſit præſtare, ſine dubio optime novit. Sed tamen laudo ejus induſtriam, & gaudeo, quod tam candide de Lansbergio, heu quondam meo, ſentiat, videoque apud Gallos veſtros longe plus reſidere humanitatis, quam apud Danos adverſarios meus, qui nullis rationibus adhuc adduci potuere, ut videant Lansbergii Methodum eſſe vere Geometricam, Tychonis autem, & Longomontani demonſtrationem Geometriæ non conſentire, & in propria dedomena impingere. Cum Danos dico adverſarios meos, velim ſcias, mihi nunc rem eſſe cum quodam Bartholino, qui Apologiam edidit pro Tychone adverſus præfationem meam in Commentationes Lansbergii de motu Terræ. Si non videris eum libellum, poteris Lotetia habere; ſcio enim Dominum Merſennum legiſſe. Putidus eſt, & a tali homine profectus, qui Aſtronomiam illotis nimis manibus tractavit, quam ut intima ejus Sacra inſpexerit. Multus ibi eto contra diminutionem umbræ Terræ, & Lunæ in Eclipſibus ☉ & ☽, ab aëre craſſo, quam fingit in opere ſuo Longomontanus; item contra Lunaris Tychonis contraſtabilem eccentricitatem Solis, &c. ſperoque tuo, & tui ſimilium judicio, partes Lansbergii, meaſque pulchro me ſuſtentaturum. Excerpta ex libro D. Galilæi valde placuere. Utinam totum habere liceret! Non poſſet gratius opus incidere in meas manus. Velim ſcire ut ei res Romæ ſucceſſerit, & an liber non ſit prohibitus. Si non ſit, ſalvæ res habent Copernicani. Willelmus noſter Janſſonius Cæſius elegantiſſimam conſtruxit ſphæram ad mentem Copernici, quam ſi vel ipſe Pontifex viderit, non poterit non amplexari. Brevi, ut puto, eam edet, & in Italiam, & ad Proceres Aulæ Romanæ deſtinabit. Obſervationes tuas, quas Lutetiæ juſſeras deſcribi, hactenus fruſtra expecto. Cujus culpa ibi tandiu hæreant, equidem neſcio; & nunc ſollicitabo P. Merſennum, ut miſſionis curam in ſe velit recipere. Si conjunctionem ♀, & ☽ 29. Octobris obſervaſti, tuam obſervationem digneris communicare. Expectabis viciſſim quidlibet a me, etſi hoc anno pauca obſervavi ob impedimenta negotiorum, itinerum, & perpetua fere nubila, quibus hac Æſtate, Autumnoque fuimus divexati. Reſponſum tuum ad D. Merſennum deſtina, a quo facile poſt ad me mittetur. D. Voſſius amiciſſimam tibi juſſit dici ſalutem, litteriſque te ſalutabit, quam-primum per occupationes, quibus nunc mirum in modum urgetur, licebit. At ecce quod pæne oblitus fueram. Si ulla tibi intercedat familiaritas cum Illuſtriſſimo Molino Patritio Veneto, quæſo meam diſſertationem ei tranſmittere, & me commenda, officium hoc quavis occaſione poſthac redempturum. Idem de D. Galilæo dictum puta, quem equidem Virum quanti æſtimem dicere ſatis non poſſum. Si modo aliquam habeas occaſionem, rogo te per amicitiam, ut cum hiſce litteris diſſertationem meam ei cures mittendam, quam credo te jam Lugduno, aut Lutetia poſſe habere, quia miſſa ſunt in Galliam non pauca exemplaria. Quidquid expenderis pretii, alia occaſione hic libenter rependam. Totum committo tuæ curæ: Si me hac in parte tua contigerit uti induſtria, ne dubita, quin plura pro te præſtare paratiſſimum ſis inventurus

Tuum ad omnia paratum
Martinum Hortenſium.

Dabam Amſtelodami Nonis Decembris anni 1633. Optimo Viro Domino Galterio, licet ignoto, ſalutem a me dicito, & proſpera omnia voveto.

Admodum Reverendo, Clariſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo Diniensis Eccleſiæ Canonico, & Theologo

P. F. TONDUTUS
Dominus de S. Legier S. P. D.

DUplicem ex gratiſſima epiſtola tua fructum colligo, Vir Clariſſime; alterum, dum miram inter noſtram, & pariſienſem obſervationem circa viſam die 8. Aprilis Eclipſim, deprehendo conſonantiam, tuis etiam Diniæ factis animadverſionibus convenientem; alterum dum Meridianorum noſtrorum inter ſe, & cum pariſienſi compertas habeo proportiones, atque diſtantias 11. vel 12. minutorum, inter ſe verò 6. vel 7. diverſas quidem ab iis, quæ Ptolemæus, & Clavius, aliique autumant, conformes vero illis, quæ Appianus ſcripta reliquit, ita ut recte Pariſiis Eclipſis initium hora 3. 18. minut. recte Avenione hor. 3. min. 29. recte Diniæ hor. 3. min. 35. vel 36. fuerit obſervatum. Hæc ut ut probe ſe habeant, aliquis adhuc reſtat ſcrupulus circa locorum noſtrorum longitudines ſuppoſita veritate illius, quam Tycho, & Keplerus adſtruunt Uranoburgi partium $36\frac{1}{4}$. Neceſſe eſt enim urbes noſtras longius in orientem eſſe productas, quam ſcriptorum antiquitas exiſtimarit, niſi cum Magino nonnullis gradibus Uraniburgi

niburgi minorem faciamus longitudinem, quod ipſe ſtatuit, & probat in tractatu de meridianorum diſtantia poſt ſupplementum Ephemeridum, pagina mihi 298. Quod ad latitudinem attinet memini me alias, majoris præciſionis, & ſubdiviſionis gratia ſæpius per meridianam Solis altitudinem, dimiſſo per altioris muri perpendiculum filo, illoque cum umbra parietis collato, ex proportione gnomonis, & umbræ deprehendiſſe Avenionenſis Poli altitudinem partium grad. 43. min. 52. nolim tamen unius, aut duorum ſcrupulorum errorem prorſus excludere, quia tunc nec vero loco Solis Tychonico, nec perfecta prorſus Solis declinatione utebar, ex quibus levioris erroris cauſa potuit exoriri. Hæc ſunt, Vir eximie, quæ ſolertis epiſtolæ tuæ ſuavitati reſpondenda habebam. Tu, ſi placet, mea opera utere, & perpetui obſequii in te mei affectum proba. Avenione hac die 17. Decembris anni ſenientia 1633.

Obſequentiſſimus S. Legier.

MICHAEL CONSTANTINUS

PETRO GASSENDO S. P. D.

VElim te ſcire, mi ſuaviſſime, non ſerò ad me te litteras dediſſe, quas avide arripui, & exoſculatus ſum ob eam, quæ in iis elucet, & qua me proſequeris benevolentiam. Benigne, & amice facis, mi Gaſſende, multumque addis ad officia in me tua, quando Peireſium, Virum primarium mihi concilias, quem nullo obſequio demerui, ut me amet, & diligat. Ea ſunt manifeſta ſigna beneficæ naturæ, qua illum eſſe audio ab iis, qui in ejus conſuetudinem recipi gloriantur. Dudum avebam in ejus ære numerari, quod tandem mihi contigit tua ope, & cœleſti quodam beneficio, ex quo habeo tibi gratias immortales: Rem tamen unam te rogaſſem, ne orationis meæ vitia tanto Viro aperires, qui hoc meo dicendi genere oblectaris, ut de diſſidiis fori litterarii crebro ad te mittam, modo ne tibi ſim oneri, neve negotia tua, & otia interpellem. Quod autem ad me reſcribis περὶ τῶν διδασκάλων, καὶ τῶν Φαρισαίων, ſcito eorum animos in dies incendi, nec ullis verbis deliniri; quo fit, ut perſpicacis ingenii homines conjiciant tantam litem dirimi non poſſe, cum utrique non curent quantam cladem rebus ſuis afferant. Subjecere facem huic diſcordiæ libri tres, in quibus τῶν Φαρισαίων σ϶ρόγγευμα lepide, & facete detegitur, forſan curæ fuit Puteano hos ad Peireſium dari. Nunc decreto ſacri Conſiſtorii huic operi recenſendo addicti ſunt quatuor Theologi, qui ſe Doctores venditant, ut errores, ſi quos deprehenderint, uni ex Magiſtris Libellorum ſupplicum deferant. Quo res cadet jam multi præſentiunt, nec conjectura aſſequi difficile eſt. Horum librorum auctor eſt, qui, & director dicitur, & opus Monachorum gallice donatum quibuſdam cum obſervatiunculis in lucem edidit, qui & in Eccleſia Rothomagenſi nuper celeberrimo cœtu conciones habuit, & veteri diſciplina exagitavit τὺς μόναχοντὰς, qui eò omnem locant operam, ne hoc quadrageſimali tempore verba faciat ad populum. Excitantur etiam Archiepiſcopi Rothomagenſis programmate, quo jubentur in ordinem cogi Epiſcopo, & Presbyteris, quos Curiones vocant, ſubjici; eamque eſſe antiquam Eccleſiæ praxim Concilia commonſtrant: Programmata ad te mittam propediem, & ſi quos reperiam libellos, qui ad eam rem ſpectant. Nunc longe abſum ab Athenæis noſtris, ob valetudinem languentis diſcipuli, qui abhinc ſex menſibus quartana graviſſima laborat, & doleo in illius matris; Eam incolit urbis partem, in qua degebas, ubi te abſentem oculis, ac animo requiro, qui in aliud tempus adventum tuum differs, & mihi auges aui d ſiderium. Ceterum de amicitia, quæ cum Gaffarello mecum intercedit, nolui unquam eam diſrumpi, neve diſſui, qui illum feci ſemper plurimi, & veni in ejus partes, ceteris reclamantibus. Non tuli alienas menſas nomine meo perſtrepere, riſum, & fabulam fieri. Non ſum adeo tetricus, & auſterus, ut a ſalibus, & jocis omnino refugiam, ſed is ſum; qui ſcommata non patior, & mihi inuri maculam, quam vix poſſem eluere. Si quæ fuit culpa, hanc Hozerius adſcripſi, qui Gaffarelli litteras circumtulit. Ut vulnus ſalem Gaffarello reponere ſtatim excandvit, & quos advocavit noſtri jurgii judices, ejus ſententiam defugerunt. Bellum eſſe amantius iras, & argumenta ſingularis amicitiæ, quæ quis nudat amici nævos, ut iis faciat Medicinam, & animi perturbationes funditus tolli curet, quibus me, ac illum carere perupto, ut gratiorem habeas, quam tecum inivimus familiaritatem, noſque ames ſedulo. Vale, mi Gaſſende; & Peireſium tuum meo nomine plurimum ſalvere jube. Lutetiæ 21. Februarii 1634.

Admodum Reverendo, Clariſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo, Sac. Theologiæ Doctori, & Eccleſiæ Cathedralis Dinienſis Canonico, & Mathematica Philoſopho inſigni D. Fautori meo amiciſſimo, Salutem, & obſervantiam.

REverende admodum, & eminentiſſime Domine Gaſſende, Amicorum cariſſime, Geminas tuas, eaſque copioſiſſimas litteras, unas menſe Auguſto Tenarone, alteras Diniæ horno Januario ſcriptas recte accepi; has quidem die 27. Februarii nuperi, illas verò 18. Januarii præcedentis. Utraſque ſcito mihi accidiſſe multo jucundiſſimas, ac Theſauri loco haberi, quod tot, & tam diligentes complectantur obſervationes. Quas verò dignas unquam tibi reddere grates potero pro tam benevola communicatione, proque labore, ac patientia deſcribendi, quæ nos paucos dies popoſcit? Carum eſſe mihi oporteret, cujus cauſa ego tantam ſubire vellem moleſtiam. Credo igitur, & opere ipſo experior impenſe me abs te amari; ut autem operæ minus pœniteat, ſcito non mihi privatim, ſed publico bono, ac poſteritatis id te exantlaſſe. Inſeram enim omnia ea, quæ ad cœli, maxime ☿ pertinent hiſtoriam, deſtinato libro [niſi forte quid exceperis diſerte, quod publicari nolis] quia intelligo Aſtronomiæ intereſſe, ut hæc talia legantur olim a ſeris nepotibus. Quod verò veritus es, editionem Theoriæ litteras præventuram, jubeo, te ſecurum

eſſe. Nihil horum præcipitabo, ne me cujuſpiam pœnitere poſſit, & multa ſunt, quæ me hactenus morabantur. Primum conquiſitio plurima obſervationum, quotquot nanciſci undecumque poſſem; ut etiam æquationes intermediæ ſtabilirentur experientiâ, nec hypotheſeos formæ ſoli permitterentur. Præſertim ſerviret huic propoſito et digreſſio maxima, quæ futura eſt ſequenti menſe Aprili, opportune circa Pleiadas, cui te quoque advigilare cuperem, ſi fortaſſis hîc ſerenitate deſtituor ego. Eam igitur expectandam cenſui. Deinde impedierunt me hactenus concatenata negotia plurima, quæ non ſiverunt obſervationes retexere. Scis quot ſint ſolvenda triangula, ut vel unus locus eruatur. Quid ergo dicamus de toto libro noſtro? Vix poſſem integro menſe omnia reſolvere, licet huic uni curæ vacans quanto minus cum interea diſtrahor ad tam diverſa? Et ſublevaſſes tu quidem ipſe tua parte, ſi fuiſſes vicinior. Nec ſoleo interim, ſi forte una tantum, aut altera hora detur, ſtatim in hæc irruere; continuam attentionem res poſtulat, ſi ſatis compte omnia velim tractare. Mihi verò jam a dodrante anni nunquam licuit eſſe tam beato, ut per unicum aliquem diem continuum ſine moleſta interruptione potuerim eſſe meus, aut grata hæc ſerio tractare. Nec ullum ſperare datur otium ante Autumnum, donec tædioſiſſimum hoc officium Decanatus Philoſophici depoſuero. Tunc ad amœniora iſta revertar, & juvante Deo tandem abſolvam. Interea etiam editio Chorographica XXIX. Tabularum Witembergiæ, quas Amſtelodami nunc ſculpi curat Wilhelmus Cæſius me aliter ſollicitum tenet. Taceo adverſam valetudinem, quibus univerſa fere familia mea, & ego ipſe hac hyeme fuimus conflictati ſucceſſive. Ceteri tamen omnes, laus Deo Servatori, reſtituti; præter unum filiolum, quem nudius-tertius, proh dolor! ſepelivi; ut nunc in recenti luctu ad ſcribendum ſim ineptior. Nimis moleſtus fierem, ſi omnia impedimenta mea percenſere vellem. Atque nunc, poſtquam præcipuis defunctus eſſe videor, novum ſuccedet, anniverſariæ ſcilicet profectio meæ, ad oppida XXVI. attributa ſuperiori parti hujus Ducatus, quæ viſitare teneor [quali occaſione Tabulas primò confeci,] Et quotannis ſex fere hebdomades, hoc eſt anni octantem fere inſumere oberrando; poſt etiam ſemiſſem prædicti, deſcribendo, & referendo ſtatim ad Curiam Witembergicam. Proinde ante Pentecoſten litteræ tuæ domi me vix offendent, etſi vel maturares. Ideo tamen maturabis nihilominus, quia in itinere vides tandiu morari. Sed hæc hactenus excuſationis tantum loco. Nunc ad realia. Eclipſis nupera Lunæ Cœli favore ubi me obſervatà eſt egregie, ut de minutiſſimo ſim ſecurus. Accipis deſcripti ſummam, ut conferas cum tuis. Expecto interim, quid obtinueris tu, vel Tondutus, aliusve peritus. Miror autem valde, cujus culpa factum ſit, ut reſponſi mei exempla pariter mutila fuerint; nec intelligo ex epiſtola tua, num hodieque habeas deficientem paginam. Itaque in eventum aliud integrum hic mitto addito tractatulo de *Purim* Judæorum, & incompletis diſputatiunculis Academicis, quæ in hac paucitate ſtudioſorum tarde procedunt. Nemo enim fere eſt, qui talia tractet ſerio, ac fundamentaliter. Plerique in generalibus hærent, umbratili quadam notitia contenti. Lanſius ipſe ſcribet hodie, monitus a me. O quoties Gaſſendum in ore habet? quem unice miratur! Quid autem hoc rei dicam, quod Vir Illuſtris D. Peyreſius ad meam humilitatem deſcendere dignatur? niſi te proxeneta id factum, ut me tantus Heros amaret, quo de nihil horum huc uſque meritus ſum, ſed nec deinceps mereri potero. Miſit ille deſcriptum præfationis Hebrææ in Tabulas Lunæ Solares R. Immanuelis, de quibus quid ſentiam percipies ex meo ad illum reſponſo; ſed & aliorum quorundam benigne communicandorum ſpem fecit. At hoc unum vereor, ut res adeo pretioſa ſatis tuto poſſit huc deferri. Præſtaret ea deſcribi tantum, ſi Amanuenſis contingerat orientalium peritus. Quis autem quæſo eſt ille Holſtenius, qui apud ipſum adeo benigne mei fecit mentionem? Inter plurimos peregrinos, qui me ſubinde ſalutant, non bene recordor, aut diſcerno: niſi forte ſit inſignis ille artifex Mechanicus, qui præter omnigenam eruditionem, addo & morum ſuavitatem, horologia minutiora fabricare novit. Nam is ni fallor patria fuit Holſatus. Alius nemo ſuccurrit. An recte acceperis meam de Solari Eclipſi relationem, dubito, quoniam in tua ſiles, neque confers tempore, quod feciſſe tamen expediret. Si fuit intercepta, ſarciam alias ubi reſcivero. Oravi te quoque, ut Lunam crebrius obſervares, maxime circa nodos (ubi ſupereſt adhuc ingens error major, quam quiſquam animadvertit.) Item circa Proſtaphæreſes maximas cum eſt in quadrato Solis, & ejus Apogæum Soli unitur, vel Perigæum tamen; denique circa utrumque limitem latitudinis, cum aut altiſſima eſt, aut humillima; vel quoties vicina cuipiam Fixæ, & obſervatu opportuna tibi fuerit. Nam mei oculi tunc vel maxime caligant hebetati ſplendore majori. Etiam diametros crebro notari cuperem in varia diſtantia, maxime verò, cum fere biſecta eſt, proportionem totius ad tranſverſam partem lucidam. Inde enim de proportione ſphærarum ☽ ad ☉ concludere auderem. Hortenſius meo rogatu idem hoc tentavit, & felicius poteſt interdiu explorari, ubi minimum ſpatiæ lucis circumfunditur. Ego longiſſimæ haſtæ aptavi tranſverſariolum ſubtiliter in partes æquales diviſum, una cum albis aculeis loco pinnacidiorum truſatilibus, quibus id explorem. Citeriori loco apud oculum apto Teleſcopium, & ne vacillet, alligo. Sed tu facile commodius aliquid excogitabis. Oportet autem tempus notum eſſe. Ita triangulum formaremus inter Solem, Lunam, & Terram, cujus unicum latus, ſcilicet a nobis ad Lunam cognitum eſt, duo item anguli, unus apud oculum ex collatione locorum Solis, & Lunæ, alter apud ipſam Lunam ex hac proportione illuminationis. Ergo inveniretur hinc latus ignotum inter Tellurem, atque Solem. Praxis hæc exerceretur opportuniſſime circa quadraturas, quando phaſes citiſſime variantur; una tamen Lunæ aſperitas me luſcioſum turbat, ut nil certi pronunciare auſim. Tu Lynceus ei bene medeberis.

Plurima eſſent, ad quæ reſpondere non modo deberem, ſed & percuperem; urgent verò me, præter funebria mea, inſuper alia varie, ut vix hæc ſine intercurſu impedientium, & attente ſatis exararem. Ignoſce igitur obſecro, & quæ male cohærent, per diſtortas curas meas, excuſa. Tu verò felicius, atque tranquillius vive, ac vale, amicorum Princeps. Properabam Tubingæ 26. Martii 1634.

Adhuc unum audi. Spero me obtenturum differentias Meridianorum inter Alexandriam, & Ro-

& Romam duplici ratione; una, mediante Conſtantinopoli, ubi obſervavit Muhammed Tſchelebi eandem, quam ego hic Tubingæ, ut ſim certus diſtare Orientem brevius a nobis, quam Tabulæ tradant; altera per lineas Nauticas ex Portolano, Barbaro Græco auctore novitio; ſi ergo deinceps Romam ſatis certo cum Tubinga connectere poſſem, haberemus tandem veras longitudines locorum noſtrorum, tales, qualis Alexandriæ ſupponitur 60½. Da igitur operam quæſo, ut Roma impetres noviſſim obſervationem aliquam, quæ cum noſtris comparari queat, & ite um feliciter vale, a tui obſervantiſſimo, fidiſſimoque.

VV. Schikardo.

Admodum Reverendo, & Clariſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Canonico, & Theologo

THOMAS LANSIUS S. P. D.

E Suaviſſimo familiaritatis commercio, quod cum Schikarto amicorum chariſſimo jam tot annos intercedit mihi, uti alias ſæpe colligi plurimos, eoſque gratiſſimos fructus; ita præcipue inſignis facta deſideriis meis acceſſio eſt, poſteaquam tua, Excellentiſſime Gaſſende, illiuſque in Aſtronomicis illuſtria ſtudia in mutuam litterarum conſuetudinem conjicere. Nam cum ſcripta tua omnia, quæ cum illo communicaſti hactenus, amicitiæ jure in meam quoque poteſtatem uſu conceſſerint, credere vix potes, quam recrearit, quam bearit, imo me lectio, tum cœleſtium obſervationum, tum animadverſionum in Ariſtotelem tuarum. Illis equidem fidem feciſti, nihil acutiſſimo ingenio tuo impervium, nihil oculis lynceis; quippe qui & verſutiſſimum Atlantis nepotem, viſu alioquin, tam difficilem, jam multoties, & accurate quaſi quidam primæ admiſſionis domeſticus ſis contemplatus, necnon adverteris ſubinde apparentem, eamque ſpuriam Syderum amplitudinem a vera eorum magnitudine, mirum quantum differre, qua felicitate Tychonem Braheum, & amiciſſimum olim meum Keplerum, ſummos artifices, non parum ſuperaſti. De cenſuris in Ariſtotelem quid dicam? Non diffiteor, perculiſti me primò novitate ſententiarum, ac *συμπερασμάτων* inſolentia. Nec enim putabam *δαιμόνιον* illud Stagiritæ ab Averroë Arabum doctiſſimo tantopere celebratum, tot, & tanta in Philoſophia ignoraſſe. Ceterum penſiculatis rationum tuarum momentis diligentius, ac vaneſcente deinde ſtupore, rapuiſti me tandem ad aſſenſum; ita tamen, ut etiamnum alicubi hæream, interim ſatis nunc certus, Ariſtotelem non pauca peccaviſſe: Verum hæc, mi Gaſſende, propterea ad te ſcribo potiſſimum, ut teſtificer, me ob tanta merita tua debere omnino tibi cultum, honoremque. paratum inſuper officiis gratificari omnibus, ſi modo occaſio non defuerit, quam tamen abs te avide expecto. Fabricium Petriſcium (cujus memoriam, & ingentes virtutes jam diu veneror) nec minus Tondutum Sau legerium, meo nomine, ubi commodum fuerit, ſaluta honorifice. Ita vale, Virorum eximie, magnum Galliæ ornamentum. Scribebam Tubingæ 28. Martii A. C. 1634.

Doctiſſimo clariſsimoque Viro Domino D. Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Canonico, & Theologo meritiſsimo S. P. D.

PRæcipitatum nimis inter ſeria negotia calculum ſtatim recepta epiſtola tua deprehendi, indeque errorem proceſsiſſe, unde tua ſuſpicabatur induſtria, ex prætermiſſis videlicet quinque gradibus rectæ aſcenſionis Solis, qui ex integro circulo ſupererant. Utut ſit in prima parte Eclipſeos liberiori Muſa deprehendi, quod mox prudentiæ tuæ examinandum ſubjicio. Majoris obſcurationis tempus ſatis exacte deprehendi, dum Luna priſtini ſplendoris redintegrationem non deſiderabat modo, verum etiam aſſequebatur ipſa 33. gradibus, & 20. circiter ſcrupulis elevata, cui ſatis præciſe reſpondebat Caudæ Leonis altitudo part. 45. 40. min. quæ dat horam 9. 4. min. Luna verò ſic, ut ſupra elevata dat horam 9. 4. min. eandemque Stellam Fixam per plures obſervationes cum Luna congruere durante Eclipſeos incremento, & conſiſtentia adnotavi. Finem autem Eclipſis licet non tanta cum diligentia propter diverſa impedimenta obſervatum ſatis etiam recte videor ſupputaſſe, hora 10. 57. min. Luna 45. gradibus, & 37. minutis ſupra horizontem elevata. Hæc accipies eo animo, quo mitto, tuoque judicio ſuppono. Multum eſt Viro aliis, ac plane diverſis negotiis implicito in iſtis ſaltim voluiſſe.

Notavit quidam Carpentoracti Lunam è nubibus emergentem, quindecim fere gradibus elevatam, & jam ex Telluris umbra deficientem ſupponamus eſſe gradus 14 min. 55. Erit hora 7. min. 10. quod vix convenit cum tuo calculo.

Idem in fine Eclipſeos Lunam 45. gradibus Carpentoracti, minus aliquot ſcrupulis elevatam notavit, dubitans tamen, ne tunc omnino Eclipſis perfecte finita, Lunaque priſtino ſplendori reſtituta fuiſſet.

Aveniome alius Lunam notavit jam Eclipſi immerſam, dum nubibus deſtituta videri cepit elevata grad. 19. min. 50. hora nempe 7. min. 39. Videbis hæc omnia, & ad nutum corriges, meique, qui tibi ſum addictiſſimus immemor non eris. Avenione hac die 19. April. 1634.

Obſequentiſſimus S. Legier.

Dominum Felicem Medicum ſalutare non potui, ut pote qui ad vos profectus erat.

Viro Clariſsimo, ac doctiſsimo Domino Petro Gaſſendo, Theologo Doctori, Eccleſiæ Cathedralis Dinienſis Canonico, Mathematico peritiſsimo, & celeberrimo.

MARTINUS HORTENSIUS S. D.

VIr Clariſſime. Etſi quartus abeat menſis, quod ad poſtremas tuas non reſpondi; non deſii tamen interea memoriam tui apud animom meum recolere, quoties aut Diniam tuam cogitavi, aut communis ſtudia, quæ ſcribendo, obſervando, ac diſputando non ceſſas juvare, ac promovere. Dabis veniam moræ in tot meis occupationibus. Reliqui Leidam, & contuli me Amſtelodamum, ſpe docendi aliquando publice Mathemata. Id tandem obtinui, & impetravi circa Calendas Majas, orationemque habui, qualem hîc vides; quam quia in præſentia aliud munus non erat ad manus, viſum fuit litteris dare comitem. Nunc quotidie doceo elementa Aſtronomica in ſatis magno Auditorum numero, a quibus ob rationes quaſdam fuit inchoandum. Sed Urania mea mirum in modum jacet. Ex eo enim tempore, quo Amſtelodamum veni, parciſſime Cœlum inſpexi. Quod inſuper ne huic calamitati quidquam deeſſet, peſſimæ, & aterrimæ nubes obtexere in Eclipſi Lunæ nupera, adeo ut nihil ſit viſum, aut obſervatum. Dominus Schicbardus obſervavit ſatis egregie. Quid tu præſtiteris cum voluptate ex te intelligam. Viſi ſunt non ita pridem Leidæ Parelii, quales erant Romani, quos deſcripſiſti; ſed nondum contigit introſpicere delineationem. Ubi nactus ero communicare non intermittam. Totus nunc ſum in obſervanda diametro Solis (quia alia non poſſum) per foramina, in canali 18. pedum, & clauſa, atque inſuper obſcuriſſima ob nigros parietes camera; ut videam unde habeat ortum paradoxum illud Scheinerianum, quod eſt in volumine de maculis, pag. 573. Facit vir iſte diametrum Solis ſcrupulis 42. 47. 52. aut 56. &c. quod nec verum eſt, neque Eclipſibus conſentaneum. Et tamen eum ſic obſervaſſe nullus dubitat, ob candorem, quem videtur in omnibus ſuis experimentis præſeferre. Meditor ejus rei accuratam excuſſionem, & habebis brevi [quod tamen tibi dictum ſit] tractatum de diametro Solis. Occaſionem habeo ex ſcripto Bartholini, cui reſponſum oppoſui in capite illo, quod agit de diametris Luminarium. Ibi enim velim nolim diametrum Solis per canalem a Tychone obſervatam obtrudi tanquam legitimam, cujus contrarium adeo clarum reddam, ac ipſe eſt *Sol*. Quod autem ſcribis, ut Tychoni quantum poſſum relinquam ſuum honorem, pro eo gratias ago maximas, nec dubitare te volo quin ſim abunde præſtiturus, quod ſentis. Nam non Tychonem tantum humaniſsime, ſed & ipſum adverſarium quam modeſtiſſime tractabo, & ſoli veritati litabo, quæque probabili non Mathematica conſequentia deducam, non proſequar amplius, quam per ſe poſſint ferre. Interim non negares ipſe, ſi vidiſſes Bartholini ſcriptum aſperius eum commeruiſſe puniri ob ſummam virulentiam. Quod addis fore, ut imminuatur invidia, id ſane niſi ex natura mea altercationum eſſem fugientiſsimus, non multum apud me valeret. Quid enim? *invidiam placare parem virtute* (veritate) *relicta?* Abſit, quæ minutule in Tychone ante carpſi, non fuere nimia, aut ſi fuere, do ardori ſcribendi, & ætati juvenili, ac velim omiſſa, quod & in ſcripto meo non diſſimulabo. Sed quæ jure in Tychonicis reprehendi, non omittam defendere; ne nimium inſoleſcant Dani iſti, & ubi quidlibet effutierint, triumphum canant ante victoriam; & futiliſsimis nugis eruditis omnibus putent eſſe ſatisfactum. Verum de his ſatis ad rem.

Obſervationes tuas perquam locupletes tandem accepi. Multæ ſunt, quæ egregie meo, & Schichardi inſtituto inſervient. Hoc unum male me habet, quod Sextante acceptæ non fuerint, ſed radio; a quo inſtrumento, licet exactiſsimo, certitudinem eam expectari non poſſe, quæ in cœleſtibus requiritur, mecum non ignoras. Eclipſes ſunt egregiæ, & dignæ, quæ eant in ſæcula. Quod & futurum non dubito vel me auctore. Quas enim digniores grates referam pro tam liberali communicatione? De Aëre globis Planetarum circumfuſo, video inter nos nondum convenire. De Lunari [quem ex limbo Lunæ æquabili urges] ſum certiſsimus non dari; quod adeo aperte poſſem tibi oſtendere, ſi præſens eſſem, ut ſtatim & perſuaderem. Inprimis in partibus Lunæ lucidis nullos eſſe vapores, nullamve circumfuſam ſphæram aëriam, imo ne in maculis quidem (ubi credo te præcipue eam admittere) invictis doceo argumentis, quæ hîc brevitatis cauſa nunc non attingo. Apologiam Lansbergii ſine dubio accepiſti. Avide legam quid oppoſuerit Dominus Morinus. Fromondus reſpondit ſalibus, & riſu, aut ſi malis dici, ſcommatibus, a quibus vellem & Lansbergium abſtinuiſſe. At Fromondi argumenta mihi non ſatisfaciunt, ut nec Morini, niſi jam aliquid adferat ſolidius. Editum eſt interea aliud quoddam ſcriptum cujuſdam Scoti Peripatetici contra motum Terræ ſatis amarulentum; ſed illud nondum vidi. Litteras, quas ad Janſſonium aliquando dederas, legi, & offendi ♂ ☿ & ♀ anni 1632. a te obſervatam. Verum eam non deſiderabam videre; nam ipſe quoque, ut in diſſertatione habes, obſervavi. At ♂ ♀ & ☽, quæ fuit 29. Octobris anni 1633. ſcire volebam, an obſervaveris. Si non, quæſo ſignifica; ſin verò adda proceſſus, & modum obſervandi. Exemplar libri Galilæi, quod Vir præſtantiſſimus Fabricius Lugduno ad me curaverat deferri, proh dolor! nondum accepi. Mercatores enim, ad quos miſſæ erant ſarcinæ, quibus liber fuit inſertus, inter ſe diſcordes facti ſunt, adeo ut merces omnes adhuc hæreant Pariſiis, aut forte jam diſtractæ ſint, liberque intercederit. Si immediate miſſus fuiſſet ad P. Merſennum, ut is data occaſione ad me deſtinaret, jam cum obſervationibus tuis habuiſſem. Verum cum id factum non ſit, rogo te, ut ſi ullis mediis per te, aut Dominum Fabricium efficere queas, ut ſcribatur Pariſios ad Mercatores, quibus erat miſſus, id quamprimum fiat, ne perdatur, ſed detur P. Merſenno. Nomina Mercatorum, ſi memini erant *Monſieur du Gal, & Monſieur Valmalette.* Ipſe nunc ad Merſennum ſcribo, ut inquirat, ſi poteſt, ubi liber hæreat; ſin minus, ut aliud exemplar data occaſione mihi comparet. Si ad Dominum Fabricium ſcribas, roga eum meo nomine, ut latine potiuſquam gallice reſcribat, quia idioma veſtrum non ſatis percipio, neque gallice poſſum reſpondere. An litteræ meæ,

quas

quas aliàs ad Galilæum dedi, pervenerunt ſalvæ in ajus manus, vix credo, ex quo incarceratum audio, fac ſcias ſodes, quid ab eo babueris reſponſi. Reſcriptum meum ad Bartholinum defecto chartæ nondum imprimitur, ſed ſpero quamprimum imprimendum, & futuris nundinis compariturum Francofurti. Nova alia non habeo, quæ ſint alicujus momenti. Itaque finem facio, & Deo Optimo Maximo te animitus commendo. Vale optime, atque integerrime Domine Gaſſende, & me, ut ſoles ama. Datum Amſtelodami poſtrid. Cal. Junias 1634.

Salutat te amanter D. Voſſius, ego D Galterium, & Valeſium tuos intimos, nec minus meos, vel tui cauſa.

Viro Clariſsimo, ac doctiſsimo Domino Petro Gaßendo, Sacræ Theologiæ Doctori, Philoſopho, ac Mathematico celeberrimo S. P.

VIr Clariſſime. Nuper me a ferula, & Magiſtrorum ſupercilio ambitioſe ferventem fati cujuſdam neceſſitas in Galliam propulit. Acrius dubii auſus lentitiam urgebat humanioris ſoli fama, quæ Belgio præter ſermonis blandimenta ſpondet quoque pectoris cultum. Itaque Pariſiis ſemeſtri peregrinationi terminos fixi, dum eruditæ familiaritatis ambitum exerceo. Hic illuſtrata plurimorum nomina collegi, non a limine perfunctoriæ ſalutis vanus captator, ſed litterati receſſes frequens cultor. Ubi tamen in præteritorum memoriam excitata mens revolvitur, damno inertis diligentiæ fidem; multorum enim notitia fruſtratum me dimiſit juvenili judicio offuſa caligo, quæ Doctorum apud nos colloquiis excuſſa reſarciendo damno attentionem flagitat. Tuum inprimis nomen auribus meis inerravit, ex quo Leidenſis Academiæ porticum intravi. Æſtuantem non lento afflatu animum ſentiebam efferri in ſcriptionis curam, quam alibi refrænabat obſtaculum. Sed cum natale ſolum, & Jacobi Lansbergii viciniam indulſit, tui refricata mentio non diu me deſiderio anhelantem vidit. Poſt exercitationum enim tuarum lectionem, quam tali pario nobis conceſſit ingenua Beeckmanni liberalitas, commercio litterarum iter patuit. Tam grande beneficium Lansbergio me debere candide profiteor, neque inferior Beeckmanno gratie eſt, qui haſce ad te dirigere non abnuit. Tuum eſt imberbis juventæ ardorem ſuo metiri pratio, quæ conſignatum hac tabella mentis depoſitum δὴ ξενίῳ offert. Ego animam reconditæ veritatis ſcrutinio incumbentem ſepoſito auctoritatis fuco, ita expendi, ut majores apud me ſtimulos naſci aliunde non potuiſſe prædicem. Ita nimirum erectos genii ſpiritus in libertatem vendicare decet, nec ſanctioris auræ particulam ignobilis ſervitii jugo emancipare. Utinam reliqui libri, quibus plurima, primo velut per indicem ſparſa, explanatius diſcutiuntur, Typographica expeditione eant in Orbis theatrum! Ego lectionis hunc fructum tuli, quod Pyrrhoniſmi placitis comitatum non denegem, dum naturæ myſteriis circumfuſas tenebras percipio. Sed hæc laxiore ſtilo diducenda, commoditatis ſuæ articulos expectant, ubi muniendæ familiaritatis voto interpretes litteræ conferre lubuerit. In curandi officium patent tibi Beeckmanni lares, quos commeando non averſos experiar. Ita vale, & amantem [niſi grave ſit] pari dignare obſequio. Si quid prælo adornas, ejus quoque rei notitia veniat. Iterum vale. Mildelburgi in Zeelandia 6. Idus Auguſti 1634.

Tuus Iſaacus Gruterus
Petri filius.

Clariſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo

GABRIEL NAUDÆUS S. P. D.

VIvis igitur, doctiſſime Gaſſende, nec de te ſplendida Minus fecit arbitria? O me felicem, qui te mortuum omnino, conclamatumque putabam! ſed quænam hæc iſta tua mens, aut potius vaſrities, & aſtutia, ut qui hucuſque Epicuri ritu vixeris, nunc etiam Pythagoræ ſilentium inſtituas? nempe vis, opinor, omnes Philoſophorum tribus perreptare, ut quid in unaquaque tibi commodum verterit, tunc cum eo tibi opus eſt uſurpare poſſis, & quoties laute, atque opipare cenandum erit, Epicuri te de grege pinguem, & bene curata cute porcum; cum etiam ab opere, & moleſtia ſcribendi, vel dicendi ceſſandum, Ranam te non ex Seryphia, ſed Pythagorea palude mutam exhibere. At amabo, quid iſtud rei eſt, niſi cornicum oculos configere, idemque e Philoſophia, quod mercatores Horatiani a pulchra laverna flagitare:

Da fallere, da ſanctum, juſtumque videri,
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem;

aut potius ritu peſſimi iſtius Sycophantæ vivere, qui ſe cum eſuriales feriæ imminebant Lutheranum profitebatur, cum nummis indigeret ad Anabaptiſtas divertebat; & quoties Philoponia nauſeam illi, ac faſtidium attulerat, Divos omnes maxumos, mediocres, & Patellarios una cum Catholicis venerabatur, ſicque rem omnium opinione ſanctiſſimam privatus in uſus flagitioſe detorquebat; ſed heus, inquias, Hydropata dicacule, iſtane joco, an ſerio tam aculeate in me contorſiſti? at iſtud equidem eſt, optime Gaſſende, de quo non ita facile deliberare poſſum; ſi enim moleſtiam, quam mihi diuturnum iſtud ſilentium tuum attulit, ſi officium probi, & diligentis amici, quo minime defunctus es, ſi oblatam a doctiſſimo Claramontio teſſeram, cui te adeo tardum nomen exhibuiſti, ſi Peireskii crebras adhortationes, quas tu pertinaciter, & obſtinate neglexiſti, in conſilium vocem, ſerio profecto dicta velim ea omnia; verum ſi ex alia parte oculos, animumque reflecto ad optimam tuam, & ſuaviſſimam naturam, quæ mihi probe perſpecta eſt, ad leges amicitiæ, quæ libera eſſe debet; ad litteras iſtas, quibus tam ingenue reum te ſiſtis, & ad munuſcula etiam librorum, quos una tranſmiſiſti, joco ſane, ac mera illa, quæ mutuo ſemper nos conjunxit urbanitate prolata fuit oportet; quemadmodum certe & me nunc illa protuliſſe velim omnino exiſtimes, cum præſertim Deo omnium gratiſſimo Gelaſino, vitulinæque Lubentiæ probe cum feriis Martinalibus, quibus hæc ad te ſcribo conveniat, & nihil aliud mihi ſuppetat in antiqua iſta, & tædii pleniſſima ſolitudine, quo paginam hanc abſolvam, quæ Clariſſimi Scipionis ad te litteris comitem ſe præbeat; ceterum ubi Romam pervenerim

Digitized by Google

nerim, quod brevi futurum ſpero, excuſſerimque veternum huec, qui me tandiu iſtic oppreſſum detinuit, plura ad te de rebus urbanis, & Academicis, Floddaniſque perſcribam, quam ut diligentiam meam deſiderare poſſis, aut debess. Tu interim idem etiam ſolito ſrequentius præſtabis, & me, ut antea feciſti, amare perges. Vale. Dabam Gattæi 1634.

Viro Clariſsimo, ac doctiſsimo Domino Petro Gaſſendo, Sacræ Theologiæ Doctori, Philoſopho, ac Mathematico celeberrimo

MARTINUS HORTENSIUS S. D.

VIr Clatiſſime. Accepi tandem exemplar libri Galilæi, quod Vir ampliſſimus Dominus Fabricius gratioſe ad me curaverat deferri; ſi & tu litteras, orationemque, quam ad te jam ante tres menſes per P. Merſennum deſtinavi, erit cur mihi gratuler. Neſcio enim quid mali ſuſpicer ex longa illa tua mora, qua hactenus, reſponſi nihil accipio. Ages autem meo nomine gratias Viro iſti Eminentiſſimo pro munere ſuo, & officia omnia ipſi a me promittes; quandoquidem impenſe eum obſervo ob tenorem erga litteras, & litteratos omnes, tum præcipue erga me nihil tale prometitum. Scripſi quoque illi tum temporis prolixe, & gratias abunde egi, ſed quia librum nondum acceperam, non potui ex animi ſententia gratitudinem teſtari. Nunc autem non vacat, ſed differam in meliorem occaſionem. Audi quid mediter. Scriptum, quod molior de diametro Solis, decrevi Domino Fabricio offerre. Gratum feceris, ſi conditionem, & ſtatum viri, nec non merita erga Regem, & cives ſuos, tum & propenſionem in ſtudia, præſertim Mathematica, ſignificaveris; quo tanto majore cum gratia dedicationem inſtituam, & favorem ejus erga me recognoſcam. Video nonnullos ex veſtris opera ſua ei obtuliſſe, ſed minus illi ſcribunt, quam quod mihi ſatisfaciat. Itaque rogo, ut per te certior ſiam, quid potiſſimum dicendum cenſeas; quo & intra modum encomii conſiſtam, & alios quam minimum offendam.

Vidi nuper itinerarium Anglicum verſus fretum Hudſonis, & terram laboratoris in America Boreali, in quo erant obſervata aliqua circa tempeſtates anni, Refractiones Solis, variationem acus Magneticæ, & ſimilia non contemnenda. Dux navis Mathematum fuit ſatis peritus, & habuit copioſam ſupellectilem inſtrumentorum, librorumque Mathematicorum. Liber anglice conſcriptus erat, alioquin habuiſſes aliquot excerpta, quæ ibi a ſtudioſo quodam meo amico converſa fuerint in latinam linguam, ad te mittere non deſiſtam. Obtinui etiam obſervationes quaſdam Eclipſium ☉, ac ☽ pro Domino Schichardo, inſtitutas Oxonii Angliæ, a Viro doctiſſimo Johanne Bainbridge M. D. & Aſtronomiæ profeſſore in Academia Oxonienſi. Eas non potui non tibi quoque communicare quum ſciam te curioſum eſſe talium, & forte omnes illas Eclipſes eodem tempore obſervaſſe. Si tempus mihi eſſet, multa obſervata Metereologica tibi impertire poſſem, de Iridibus, Halonibus, tempeſtatibus, & ſimilibus, quæ quondam Leydæ in fervore ſtudii Mathematici in privatum uſum curioſiſsime ſectatus fui. Scio te non minorem curam habere talium apparentiarum, quam ipſarum obſervationum Cœleſtium. Et ego olim neſcio, quo indefatigabili ſtudio hujuſmodi ſpeculationibus incubui, quum defectu inſtrumentorum non poteram obſervare ipſa Sydera. Nunc autem ita urgeor aliis negotiis, ut eas nequeam deſcribere, amplius etiam continuare, poſtquam docendi munere fatigor, & alia meditor ad Aſtronomiam, aut Opticam facientia. Excuſabis ergo me, ſi affectum non deducam in effectum; & ea promptitudine tibi mea non rependam, qua tu tua nuper primus obtuliſti. Quandocumque ad Dominum Galilæum ſcripturus es, fac quæſo mentionem mei affectus, quo virum colo, & gratitudinem meam ſignifica pro munere, quod non ita dudum ad me dedit è portu Liburnenſi per Conſulem noſtræ nationis ibi degentem. Quia enim illud accepi ſine litteris, & ſuſpicor tuto non licere ei ad me, alioſque ſcribere, ego quoque vieiſſim ad ipſum aliquas jam dare, quæ ſtudia noſtra, & opinionem damnatam (quod tamen unice vellem) redoleant, auſus minime fui. Eam rem totam committo tuæ prudentiæ, & te, ſtudiaque tua Deo Optimo Maximo ex animo meo, ac voto tuo commendo. Vale, mi Gaſſende, & Hortenſium tuum, quod facis, ſemper ama. Salutem dic Viris præſtantiſſimis, Domino Valeſio, & Galterio. Dabam Amſtelodami die 15. Septembris 1634.

Ne hoc omittam, conficitur jam Sextans 7. pedum in radio pro Domino Cæſio, & in meum uſum. Per eum hac hyeme ſpero obſervationes egregias me obtenturum. Sed ſi publice aliquando dignentur mihi ſuccurrere noſtri Conſules, ne dubita quin magna præſtituri ſimus, & inſtrumentis noſtris ſuperaturi ipſum Tychonem. Iterum vale.

Eclipſes Solis obſervatæ Oxonii in Anglia 1630. *die Maii* 31. *vel Junii* 10.

I.

Initium fuit alto Sole 18. grad. 20. min. finis 3. grad. 7. min. poſt meridiem.

Anno 1633. *die Martii* 29. *vel* 8. *Aprilis*.

II.

Initium fuit alto Sole 31. grad. 10. minut. paulò ante finem 14. grad. 53. min. poſt meridiem.

Eclipſes Lunæ ibidem obſervatæ Anno 1628. *die Januarii* 10. *vel* 20.

I.

Mox poſt Initium alta Luna margine ſuperiore 29. grad. 55. min. Initium moræ 37. grad. 27. min. finis moræ 32 grad. 29. min. alto Regulo, & finis Eclipſis 40. grad. 16. min.

Anno 1631. *die Octobris* 29. *vel* 8. *Novembris*.

II.

Initium Eclipſeos alto Aldebaran 28. grad. 50. min. finis moræ dextro humero Orionis alto 34. grad. 30. min. & finis Eclipſis 41. grad. 20. min.

Anno

Anno 1632. *die Octobris* 17. *vel* 27.

III.

Initiom Eclipſis alta Luna margine ſuperiore 44. grad. 50. min.

Altitudo Poli Oxonienſis è circumpolaribus eccuratiſſime 51. grad. 46. min.

Has Obſervationes Oxonii diligenter habuit, & bona fide retulit Joannes Baindbridge M. D. & Aſtronomiæ Profeſſor publicus in Academia Oxonienſi.

Admodum Reverendo atque eruditiſſimo Viro D. Petro Gaſſendo Theologo, & Dinienſis Eccleſiæ Canonico digniſſimo

PAX CHRISTI.

AGnoſco, doctiſſime Gaſſende, etiam in ſcribendo quædam eſſe decretoria tempora, quæ neque pervertas, neque prætereas: Id ego ſum meo expertus periculo; nam cum ſæpe mecum ipſe conſtituiſſem ad te ſcribere, jamque manu calamum tenerem, neſcio quo pacto repente aliæ ſe mihi cogitationes, aliaque avocamenta objecerunt, quæ & calamum manu excuterent, & in ſcribendo diem diffinderent. Quam rem ſane periniquo animo tuli, quum in ea non exiguam exiſtimationis meæ partem verſari intelligerem. Nam ad me in primis pertinebat coalitam inter nos benevolentiam non ſolum comiter, ſed religioſe etiam tueri; ad hoc illud accedebat incommodi, quod meo me ſilentio magna fraudatom iri voluptate ſentiebam, tuarum ſcilicet litterarum ſuavitate, cum nihil ſcribendo, tibi reſcribendi occaſionem adimerem; nam qua ego alia ratione abs te homine rebus maxime ſeriis occupatiſſimo litteras imperarem, niſi ſcribendo? aut quomodo initum illud amicitiæ noſtræ fedus incorruptum ſervabimus, niſi communi litterarum commercio? qui unicus eſt vigentis adhuc amicitiæ fructus. Et hæc ſane accuſationis pars tanti apud me fuit, ut nullo facile dilui poſſit argumento. Alias ego totam hanc ceſſationem vel facili poſſum deprecatione redimere, cum præſertim nihil interim acciderit, quod aut me ſcribere, aut te ſcire noſtra intereſſet. Atque utinam non potius quædam incidiſſent digna, quæ perpetua oblivione premerentur. Audiſti, ni fallor, ex optimo noſtro Peireskio mare tribulationum, quod eundo Romam ſuſtinui, percepiſti quanta mihi cum omnigenis monſtris Romæ ſuſcepta pugna, quibus debellandis in tantum diſtentus fui, ut non mihi ſolam omnem ſcribendi, ſed & conſuetorum ſtudiorum, Matheſeos dico tractandæ facultatem penitus ademerit. Ceterum quod amoris proprium munus eſt, quodque ſine piaculo prætermitti non poteſt, memoria noſtræ benevolentiæ alioqui nunquam intermoriture ſemper apud me incolomis manſit; & quidquid a me in ſcribendo deſiderari potuit, id large, & cumulate non deſii aſſidua tuarum virtutum prædicatione, & crebra amicitiæ noſtræ commemoratione ſarcire. Et haſtenus quidem deſidiæ noſtræ patrocinium habes; et cum jam fatale illud ſilentii tempus effluxerit, nunc ab amico tantum admonitus certum offerri nuncium, qui iſtuc proficiſceretur, etiamſi nullum ſcribendi juſtum argumentum ſuppetebat, ſcripſi tamen hoc quidquid eſt, & ferream illam neceſſitatem perfregi, qua ſcribendi occaſione oblata, illam quoque non prætermittam grati animi tibi ſignificationem dare, tibique cumprimis immortales gratias teſtari, qui me participem feceris exercitationis tuæ in Fluddanam Philoſophiam, dici vix poteſt quantum in ejus lectione guſtus percipiam, tum ob reconditos omnigenæ Philoſophiæ receſſus, quos in ea recludis, tum ob eximiam illam animi moderationem, & ἀπάθειαν, unicum docti viri, & politæ mentis τεκμήριον, quo id effeciſti ingenii tui manſuetudine, ut utrum plus tibi Floddus debeat, cujus errores, & periculoſa dogmata tanto judicio, & diſcretione perſtrinxiſti; an P. Merſennus, cujus defendendi cauſam ſuſcepiſti diſpicere vix poſſim certe uterque ex æquo tibi obligatur. In illo tamen redocendo vereor, ne forſan fruſtra laboraris, contra eum enim agis, qui neque volſellis, neque ſamnitum haſtis deterreri poteſt; contis trabalibus opus eſt, ut loco moveatur, & corruat. Homo enim cum vanus ſit, & ſibi ſoli ſapere videatur, ſeverioribus obeliſcis eum impetendum exiſtimarem, ut ſibi decipere incipiat, & impia illa dogmata, & novitates ad omnes priorum ſæculorum ſuperſtitiones, & divinatorias artes feneſtram aperientes, deſerere. Ceterum laudanda ingenii tui mititas, quæ omnigenæ eruditioni conjuncta, etiam invitos in amorem ſimul, & admirationem rapit; ſed venio ad ſtudia nobis propria: Scripſit P. Scheiner Vienna ad me, mirarique ſe dixit, quid ſibi portendat facies Solis tanto jam tempore immaculata; miror & ego, non dubito, quin & tu, mi Gaſſende, mireris; quid enim ſibi tot fumi, flammarumque globi a Sole præteritis annis vomiti velint. Malim meam hac in re ignorantiam fateri, quam præſumptuoſius inacceſſam naturæ majeſtatem inveſtigare; ac proinde hoc Coſmicum myſterium modo tantum me ſuſpicere, & ſancte venerari relinquitur, donec altiores in Coſmocritis progreſſus fecero. Quod fiet, ubi particeps factus fuero laborum operis tui, quod de hujuſmodi obſervationibus molitis, gratum tamen nobis feceris, ſi tuam hac de re ſententiam, quam magnifacimus, tranſcripſeris. Scripſit præterea P. Scheiner, ſe monſtraſſe Imperatori ſpecies rerum forinſecus apparentium projectione directa, eaque forma, & magnitudine, qua apparebant foris, idque per tubum, cujus longitudo 15. pedum; lentium verò ejus cryſtallinarum unaquæque 1. pedis geometrici; quæ omnia Imperator dicitur ſumma cum voluptate vidiſſe. Scripſi ipſi, ut Domino noſtro Peireskio ſimile quid appareat; cenſeo modo hic Romæ una cum P. Chriſtophoro Grimbergero novum Opus Mathematicum elegans omnino, & curioſum, Summo Pontifici dedicatum e P. noſtro Mario Bettino Bononienſi, cui titulus eſt *Apiarium Paradoxorum Mathematicorum*, in quo omnia ea, quæ in tota Encyclopædia Mathematica rariſſima ſunt, & ingenioſiſſima, cum practice, tum theoretica pertractat. Elegantiſſimis figuris elaboratum placebit Opus ob novitatem, & methodum. Cenſeo præterea alium, qui intitulatur *Apollonius Ligus*, compoſitum a Joanne Anfuſtio Genoenſi, in quo de inclinationibus, & contactibus ſubtiliſſima quævis demonſtrantur. Sed quid de mea Gnomonica Catoptrica? certe altum ſilentium. Annus jam agitur, quo eam prælo ſubdi-

di, ſed neſcio quæ remora intercideri: Sic fit in abſentia Auctorum. Sed de aliis meis ſtudiis, quibus modo occuper, plura intelliget ex optimo noſtro Patrono, ſed audio abiturientis nuncii murmur. Itaque rumpens ſtylum me tuis SS. commendo. Vale, Vir doctiſſime, meque, ut ſoles, amare perge. Datum Romæ 23. Septembris 1634.

Tuus, quem noſti, Athanaſius Kircher e Societate Jeſu.

Clariſſimo Viro Petro Gaſſendo, eidemque doctiſſimo

SCIPIO CLARAMONTIUS F. P.

NOn eſt cur culpes (Vir clariſſime) litterarum tuarum tarditatem, quæ mihi eo nomine gratiſſima accidit, quod mero moram proventu compenſavit; expreſſit enim litteras eloquentiæ plenas, Atticis ſalibus conſperſas, humanitate redundantes, & in quo præſertim triumpho, exhibentes amoris erga me tui, amicitiæque in animo ſtabilitæ certum teſtimonium. Ecquid enim aliud ſignificat diligens adeo, enixa adeo excuſatio, ubi nihil erat, quod accuſaretur, nemo qui accuſaret? Ingentem nempe ceu Zelotypiam importat, quæ nonniſi ingentem, & confirmatum amorem comitatur. An non ego amicitia Viri optimi, doctiſſimi, ac celeberrimi ſummopere gaudeam? adde ſi placet amicitia clariſſimi Galli me jure lætari, qui antiquam ex Gallia originem jactem. Illud verò in litteris tuis minime probo, dum officium Numdæi amicitiarum cultoris egregii damnas, quod impares nos junxit vinculo amicitiæ, me ſcilicet tibi tanto (ut interpretaris) minori devinxit. In hoc tuo judicio reprehendo, quæ illud diſtorquet, ſummam modeſtiam tuam, ego impar, ego minor. Patere tamen, optime Gaſſende, in hac imparitate necti amicitiam noſtram; nam communis Magiſter inter diſpares etiam amicitiam collocat, eique ſuave quoque ſonat fiſtula diſparibus compacta cicutis. At ſint cetera inæqualia, amor tamen, & officiorum viciſſitudo æquales ſint; de me id tibi polliceor; de te mihi humaniſſimæ tuæ litteræ pollicitæ ſunt. Illuſtri Viro Fabricio, cujus ſplendoris, & magnanimitatis huc etiam ſama perlabitur, pro humaniſſima conſalutatione plurimas meo nomine gratias age; id mihi gratiſſimum feceris. Vale, Cæſenæ 3. Non. Novembris 1634.

Clariſſimo Viro Petro Gaſſendo Dinienſi Canonico

GODEFRIDUS IRENÆUS VENDELINUS S. D.

QUod ſextum jam ferma annum compellatus a te ſatis ex propinquo, vix nunc tandem reſpondeam Ἰλιὰς fecit κακῶν, litium, morborum, funerum, & erepti mihi mei fratris. Denique poſtquam his fractus etiam ego decubui menſes ferme 18. vix tandem me mihi repoſuit Chiffletius. Ceterum dum animam agerem quam maxime, Sereniſſima Iſabella poſtremum omnium antequam e vivis excederet munus in me nihil tale cogitantem contulit, & canonicatu Condatenſi [honeſto ſatis] mactavit. Ad cujus ego reſidentiam una cum menſe proximo me comparo, & fortunam tandem contemnere audeo. Ceterum dieta, quæ me mihi reddidit, nunc ita porrò firmavit, ut audeam & annos mihi adhuc pluſculos promittere, quos inerti otio ne pereant edendis meis, quæ habeo pluſcula, impendere viſum eſt, & cultui amicorum, quos inter tu mihi primus es. Et Tabulas quidem Lunæ ſolares, quas beneficii memor Iſabellinas inſcribere viſum eſt, primas daturum me ſpero, ſed tunc demum, cum tu me in parte juveris; juvabis autem ſi ad ea, quæ peto reſcripſeris pro eo ac potes, ac potes pleniſſime. Scire aveo quanta ſit elevatio Poli Maſſilienſis; memini me anno 1599. iterumque anno 1604 per Solſtitium æſtivum pronunciare ultra gradus 43. ad minuta plura 20. pauciora 25. min. ea trientis ratione inter iſta intervalla, ut eſſent 21. min. 40. ſec. ſumta mihi declinatione maxima Solis 23. grad. 30. min. ſed non auſim mihi fidere. Tu velim, quod tuo commodo fiat, explores, & quidem in ἀκροπόλει, hoc eſt, circa ædem primariam (ſive ea Dianæ olim fuit) quanta ſit altitudo illic Poli, ut eam conferre poſſim cum obſervatione Pytheæ Maſſilienſis, qui ſuo tempore obſervavit diſtare Solem Solſtitialem a ſuo vertice in ratione Gnomonica partibus 19. 52. min. 18. ſec. cum ad Gnomonem 120. umbra exhiberet 42. minus $\frac{1}{5}$, eſſet inquam Gnomon ad umbram ſicut 1200. ad 418. Admonui in Loxia meo, quid antiquos hic feſellerit, & ſemidiametrum diſci Solaris addendam monſtravi. Fuerit ergo ſub Pythea diſtantia Solis Solſtitialis a vertice Maſſiliæ gr. 19. min. 27. ſatis præciſe. Eadem quanta inveniatur hodie nemo te melius ſcire poterit Solſtitio proximo. Hoc ergo velim agas, & quidem circa umbilicum urbis illum editiorem, ubi haud ego fallor agas, aut Pytheas obſervavit. Si vera fuit mea obſervatio, & plane Maſſiliæ latitudo eſt 43. gr. 25. min. 40. ſec. neceſſe eſt obliquitatem Pytheæ fuiſſe 23. gr. 54. min. 40. ſec. & vixiſſe illum temporibus Alexandri Magni, quod ſcio eſſe veriſſimum; & Loxiæ mei mira eſt certitudo, quam a te velim confirmari antequam denuo, ac triplo jam auctior, etiam & obſervationibus longe antiquioribus, atque admirabilioribus inſtructior prodeat, velim quoque cum Petriſco illo eruditionis omnis genio agas, ut Byzantii latitudinem curet explorari, quam-potè accuratiſſime, & quidem miſſis illuc e Gallia noſtris inſtrumentis. Etenim hoc mihi [ſed Teutonice] ſcripſit ante annum Haga legatus ordinum Hollandiæ. Præſtantiſſimi hujus urbis Aſtrologi una cum Viſirorum uno Mathematices candidato affirmarunt mihi, Imperatorem Sultanum Amurathem tertium curioſe perſcrutatum longitudinem, ac latitudinem urbis in ejus loco, cui Topchana nomen eſt, ac deprehendiſſe latitudinem gr. 41. min. 30. longitudinem gr. 56. minut. 47. exactiſſime. Pertilius his nihil expectari poteſt. Scio latitudinem immane quantum abeſſe a recepta 42. gr. 30. min. immanius etiam ab ea, quam tu mihi ſcribis inveniendam 43. gr. min 59. Quotquot hic ſunt Arabes cum illa Amurathiana conſpirant. Nemo hic omnium eſt,

qui

Digitized by Google

qui exacta habeat aſtrolabia, quibus inſtituatur obſervationis experimentum. Vix bilem tenebis ſcio, vix riſum, mi Gaſſende, ubi hæc leges. Ego ſcio Byzantii latitudinem Peræ inveniendam 43. grad. 20. min. Serralii proin, ac veteris Byzantii 43. grad. 19. min. ſi verum eſt Hypparchum inveniſſe illic eandem umbram Solſtitialem, quam Pythæas Maſſiliæ. Hujus ergo rei certitudo ſimul, & fides mei Loxiæ Petriſeo, tibique debebitur in omnem ſæculorum memoriam. Velitis modo, ac jubeatis. Velim, & Forcalcarium ad eas, ibidemque ampliſſimum virum Arnaudum meum Caſtronovarium Tuparcham, ut in manuſcripto illic ſuo quæras annotata quædam loca ſtellarum fixarum ad annum 1360. aut circiter. Dignus eſt locus, qui non lateat. Ille ad me perſcripſit Abacum Ebonmezuphi ex parte ad annum 937. imo enimvero 957. & quæ alius quidam annotavit ad annum 1406. ſed ego illum annum 1360. iterum quæro, & locum Reguli, Spicæ, aliarumque trium, aut quatuor nobiliorum Stellarum, quæ memini illic notata a Viro tunc [quiſquis ille fuit] peritiſſimo. Nam quia anomalia octavæ ſphæræ mera fabula eſt, undique conquiro firmamenta, quibus hoc demonſtrem, & habeo luculenta non pauca. Tu etiam magnam partem in hoc opere habebis ſi me reſcripto beabis. Adde quoque obſervationes, ſi quas habes uberiores Mercurii circa maximum ejus a Sole digreſſum, nam Kepleriana diaſtemata mihi dudum ſuſpecta ſunt. Videor ego mihi ſatis certo collegiſſe Perihelium Mercurium diſtare a Sole 30358. Aphelium 47071. ut media ejus diſtantia ſit 38715. in Venere eſt mihi Aphelium 72783. Perihelium 71903. medium 72343. corpora Planetarum mihi ſunt in ratione ſuarum ſphærarum, diametros dico Planetarum eſſe in ratione diſtantiarum ſuarum a Sole, ut proin Saturnus ſimul, & Juppiter, & Mars, & Tellus, & Venus, & Mercurius ſpectentur e Sole ſub angulo ſecundorum ferme 28. aut ſummum 30. ſec. nobis Mercurius ſpectatur ſub ſec. circiter, Venus ſub 1. min. 20. ſec. Mars, cum eum tu, ac ſicut eum obſervaſti revera fuit minut. 1. ſec. 6. admodum, ſed Luna eum juſto arctius extenuavit. Juppiter ἀκρονύχι@- 36. ſec. non excedit. Saturnus intra 30. ſec. clauditur. Jam ſi a me quæris quid de Sole ſentiam, invenio, heus tu! ejus diametrum ad diametrum Telluris ſicut 64. ad 1. & Telluris ad Lunam ſicut 4. ad 1. ac puto me rem probis demonſtrationibus habere confectam, quas propediem dabo, cum oſtendam abeſſe a nobis Solem terrenis ſemidiametris 14720. quæ eſt incredibilis hactenus vaſtitas, ſed moles Solis longe incredibilior, vera tamen intelligenti loquor. Perſcribe verò mihi etiam ſi quas habes horum poſteriorum annorum Eclipſes, cum Solis, tum Lunæ, & ſi quarum deinceps inſtitues obſervationes, eas verò ne poſthac de altitudinibus, aut Lunæ, aut Solis ſupra Horizontem definias, lubrica eſt hæc ratio, ne dicam inepta. Fac quod ego ſoleo, Sciothericum conſtitue magnum Horizontale, ſive lapideum, ſive plumbeum in horaria minuta diſpertitum, illic in umbram ſuam, & Luna, & Sol ultro tempus indicabunt, nec eo contentus obſerva quo aliqua ſtella initio Eclipſeos, vel ante, vel in, vel poſt meridianum inveniatur, & quotenis illa gradibus; ſic omnes meas Eclipſes obſervare ſoleo. Sic hoc anno inveni cepiſſe Eclipſim Lunæ hora 6. min. 52. cum dimid. immerſionem factam hor. 7. min. 57. cum dimid. emerſionem hor. 9. min. 38. cum dimid. repletionem hora 10. minut. 43. cum dimid. ut medium fuerit hora 8. min. 48. admodum. Proximam, quam Auguſtus dabit, ſpero me hic item obſervaturum, aut certe Condati. Malim hic tamen, ubi meridianum mihi firmavi, & choragium omne præſto eſt. Tu ubicumque eris mei memor eris. Merſennus tuus a me ante annum quærebat quid ſentirem de caſu gravium? addebat lapidem caſurum in centrum uſque Telluris ſpatio 6. horarum, at ego longe aliud invenio, ac certus ſum perveſſurum ad centrum intra minuta hor. 12. demonſtratio longa eſt, & pulcherrima, quæque de motu gravium multa hactenus ignorata pateſaciet aliquando. Sed dum eam elucubro inchoatam a Novembri poſtremo, interim hoc habeto, ſignum unius unciæ ſphæricum nihilo cadere lentius, quam ferreum globum 1000. librarum: Si miramur Archimedem in quadratura Paraboles, mirabimur & hujus demonſtrationem theorematis pulcherrimi, & verò non inutilis in commune bonum. Addo quod vos trium viros eruditionis omnivariæ ſcio expectare avidiſſime, eſſe Leodii amicum meum Patrem Jeſuitam Anglum, qui horologium confecit αὐτόματον. Sphæra eſt aquæ innatans, & una cum Sole ſe diurnum in gyrum agens. Hoc ubi audivi primulum, acceſſi virum, & in ejus me familiaritatem, amicitiamque inſinuavi. Quæſivi quid eſſet quod audieram? Ille ſphæram eſſe dixit cæream concavam, & aquæ innatantem, ſed rogatus ecquid inditum illam cieret, contraxit humeros in civilem meam curioſitatem ſatis ſic damnans. Scripſi ad Merſennum, ille ſolani granum hoc agere ſuſpicatur, atque adeo pronuncist. Quæſiveram & illud a Patre illo, volveretur ne illa ſphæra Æquinoctialiter, ſeu Polariter, an Horizontaliter? Horizontaliter, reſpondit? quantum tempus perſiſteret? triduum reſpondit, aut quatriduum, nimirum cæra ipſa de aqua contrahit vitium, quantum conjicio, & utcumque ille Pater rem occulcat, prorumpet aliunde veritas, quam non deſpero, ſimul me ad ocium negotioſius compoſuero. Ceterum immenſum eſt beneficium Petriſcii, quo nobis reliquias illas auro ſupra caras e Cypro advexit. In illis Parſondæ illud drama omnem decerſit hæſitationem circa Babylonios illos Reges, quorum catalogum a Nabonaſſaro habemus deductum. Præfectos enim fuiſſe Aſſyriorum, ſeu Medorum jam clare liquet, uſque dum Nabopolaſſarus Nabugodonoſori patet ſibi αὐτοκρατορίαν aſſeruit. Atque hinc jam planior fluit, ac plenior temporum cognitio, quorum ego jamdudum ſaxum volvo, ac confectam in adverſariis meis chronologiam porrò in mundum redigo, & editioni paro. Multa illic leges ignorata hactenus, eruta ex ineditis græcis ſchediis. Illic & Jubileos primum jam poſt 1300. annos agnoſces derivatos ex anno ante Epocham noſtram 1513. quo Moſes Ægypto exceſſit; fuerunt verò Jubilei (ut eorum guſtum capias aliquem) annus noſter 5. menſe Septembri, tum 54. & 103. 152. 201. 250. 299. 348. 397. item & noſter 1622. eritque 1671. ex Septembri; Plura ſcribere vetat feſtinans, ac mihi adſtans ἐργοδιώκτης Dormalius, quo jubente finio. Herca præfeſtine Cal. Maii 1635.

Sine fine tuus nexu, mancipioque
Godefridus Irenæus Vendelinus.

Viro Clariſsimo, doctiſsimoque D. Petro Gaſſendo Eccleſiæ Cathedralis Dinienſis Canonico, Theologo, & Mathematico celeberrimo

MARTINUS HORTENSIUS S.P.D.

INtegerrime Gaſſende. Iterum ad te properant litteræ noſtræ, quibus tentare volui num extremo conatu tuam iſtam in reſpondendo tarditatem valerem tandem aliquando expugnare. Totus annus abiit, quod nihil a te litterarum ad me delatum; & tamen non ignoras quantopere afficiar tuo alloquio, quamque libente conferre tecum velim de ſtudiis Aſtronomicis, aut Phyſicis. Tranſmiſi tibi Eclipſium aliquot obſervationes Anglicanas, & nuperam meam circa Lunarem hujus anni. Si ſalvas acceperis, cur non ſignificas. & ſimul communicas obſervationem tuam? Intellexi ante multos menſes ex P. Merſenno, verſare te in natura viſus exploranda, & experimentis eo pertinentibus. Eadem me cura ſollicitat, & vellem libentiſſime tecum jungere operam in ſerutandis omnibus illis arcanis, quæ hic occurrunt. Occupor hodie in Diopricis, & confectione Teleſcopii. Si Deus annuat, majora molior, quam hactenus ſunt viſa apud ullos artifices. Aſtronomica mea fere jacent, ex quo contemni hic vidi cæleſtes illas curas, nullamque ſpem eſſe impetrandi publica inſtrumenta. Quid illuſtris Fabricius, quid Valeſius, nihil in tuum commodum fieri jubent? Pergit ne ille olitor Sydera ut ante obſervare? Exopto: & quidem ut paulo accuratioribus utatur inſtrumentis. Reſcriptum meum ad Bartholinum nondum ob ſummam chartæ penuriam ceptum eſt excudi. Modeſtiſſime ipſum refutavi, & D. Tychoni omnem habui honorem. Hodie Opticam publice lego in Gymnaſio noſtro; ſed pauciſſimis Auditoribus; adeo hic ſordent ſublimia iſta ſtudia. Pecuniam omnes amant, non ſcientias; luxu diffluunt, & corpore ornati ſplendide, animo inculti, horridique obambulant; talis eſt genius loci. Nulla eos cura tangit, nulla curioſitas rerum pulchrarum: Bacchum diligunt, & Cererem. Quid agam? Fero, & ſubinde te, aliaſque candidas Gallorum animas cogito; inter quas ſi mihi vivere per fortunam liceret, & excitarer ipſe magis ad philoſophandum, & præclara inventa cum majori honore per orbem diffunderem. Famam habet hæc civitas, quaſi & ſtudia, & viri docti in aliquo ſint pretio, ſed famam tantum nihil minus, quam rem. Dolet me ſæpius, quod cum de ſede habitationis deliberabam, non prætulerim Lutetiam Amſtelodamo. Illa vere flos urbium eſt, & tantum non parvus Mundus; hoc ineptis modo, & ſordidis hominibus plenum. Conatus fui ſtudia Optica nuper oratione quadam excitare, nihil profeci. Vix dignabantur ad audiendum convenire. Nihilominus non dubito, quin tali loco dignam ubi legeris, ſis judicaturus. Rogo autem, ut per te unum exemplar habeat ampliſſimus Dominus Fabricius cum ſeria mentione meorum ſervitiorum, & æſtimationis, qua ipſum colo; alterum amicus tuus Dominus Valeſius magnus artis noſtræ patronus. Inprimis oro, ut judicium tuum de illa mihi perſcribas, & ſi quid obſervationum memorabilium, aut ipſe penes te, aut apud D. Valeſium habeas, ſimul communices. Forte aliquando de editione, ſi per vos liceat, cogitabo. Vale, Gaſſende amiciſſime, & me ama. Amſtelodami 15. Julii 1635.

F. M. MERSENNUS

PETRO GASSENDO S.P.

DIſcedebat e manibus epiſtola una, aut altera, quibus ſorte recreari poſſis, cariſſime Gaſſende, cum tuam paulo ſerius accepimus, quæ, tametſi plurimum mihi placuit, vereor ne penitus faciat ſatis Andegavenſibus quæſtionem proponentibus, ad quos die proxima Sabathi, quo diſcedit nuntius, illam miſſurus ſum. Excipies interim duas alias, quas etiam poſt Campanellæ reſponſum miſerunt ſolutiones; jamque videris, quod de latitudine radiorum in ſuperficiem parabolicam perfecte ſolidam, duram, & politam incidentium, & ad foci punctum confluentium dici poſſe videbatur. Nihil enim corrumpitur, neque deeſt ulla lucis particula ex iis, quæ ſuperficiem quantumvis magnam, & extenſam attingunt, quæ non reperiatur per-æque in foco. Portò quod attinet ad ea, quæ de variis animi partibus ajunt Academia, & aliæ ſcholæ cum veteres, tum recentiores, tantum abeſt, ut ſolvant difficultates, quippe quæ nequeunt demonſtrari. Adde, quod neque illa Dei per omnia ſpiritualis extenſio, multo minus humanarum animarum, aut Angelorum poteſt ab ullo probari ea, quam appetunt demonſtratione. Et quidem ea jam illis dudum objeceram, quæ tamen minus eis ſatisfecerunt, quemadmodum & quod de illa ideali, & ut vocant virtuali, & per eminentiam comprehenſione; qua Deus a nobis concipitur ipſam quantitatem, & latitudinem, &c. perfectiſſime complecti. Nihil itaque hactenus ex omni parte probant; forte pulcherrimis illis viis, quas aperis, pedem committent lubentius, quod ubi reſcivero, ad te perſcribam. Noſtra interim otia harmonica paucis abhinc diebus prælum effugientia, ſi paululum tibi a gravioribus occupationibus ſuperſit otium, inviſes; in quibus ſi non omnia, at ea ſaltem, quæ coram experti ſumus, animo tuo placitura confido: Ut ut ſit, auctorem, & librum tuos habes, atque adeo tibi utrinſque, qualem tui ipſius, curam incumbere cogitatu, ut illius nævos quoſcumque cum notaveris ungniculi radio inter legendum monentem, de præcipuis ſaltem nos opportune moneas, quibus nempe addito novo folio te præſcribente medicinam aliquam faciamus. Non repeto novarum creaturarum generationem, & alias obſervationes, quas in litteris noſtris reperies epiſtolæ Peireſianæ conjunctis; has enim ante præſentes [ni ſallor] excipies. Tui amici valent, excepto Chambonio ad uſque mortis januas tranſlato, ex iis tamen ſelici ſucceſſu redeunte. Non jam peto quod a me toties amici poſtulant, quando nempe tua Philoſophia lucem ſalutabit, quo tempore futurus reditus, &c. cum ea arcana ſuli illi Peireſio tua præſentia ſatis ſelici reſervare videaris. Lutetiæ Pariſ. 15. Cal. Decembris anni partus Virginei 1635. ineunte ſare 1636. quem tibi, tuiſque fauſtum apprecor.

Exci-

Exciderat e memoria, ut te rogarem de tua ad me protinus mittenda ſententia in arcuum reflexionem, & laminarum chalybearum inflexionem; cur nempe redeant, an quia atomi perpetuo motu poros tranantes cogunt poros e circulari figura ad ellipticam, aut aliam anguſtiorem converſos redire ad figuram priſtinam circularem: Sit lamina reflexa *A B*, ſintque pori *C D*, latiores *E*, *E* anguſtiores, an forte atomi tranſeuntes per *C D*, cogunt reliquam pori profunditatem eam figuram reſumere.



Sed cur atomi potius movebuntur a *C* ad *E*, quam ab *E* ad *C*. Quæro igitur num ab Oriente in Occidentem ſit oriens *D*, & occidens *E*, *E*, an ab occidente in orientem, aut quoquoverſum moveantur, quod niſi probaris, aſſignes velim cauſam iſtius remeationis *A B*, ad lineam rectam priſtinam, ſed cum ipſa lamina *A B* ex atomis conſtet, ergo atomi novæ huc illuc diſcurrentes e *C* ad *E*, cogent atomos incurvos *E E*, ut redeant ad rectitudinem, & reſtituantur rotunda ſpatiola, ſeu pori circulares; cum autem hac difficultate plurimum urgear, urgebis etiam illius ſolutionem.

PETRO GASSENDO SUO

F. M. MERSENNUS S.P.D.

Nihil de atomis legere poſſum, mi Gaſſende, quin tui, tuæque Philoſophiæ recorder, quam cum e tuis manibus velim exire perfectam, & omnibus, ſi fieri poteſt, numeris abſolutam, nolui præclaram, eamque fuſiſſimam Auguſtini ad Diſcorum epiſtolam te celare, quæ fere tota, magna ſaltem ex parte in paginis ultimis in Atomorum Democriti, & Epicuri confutatione verſatur; adeo ut futorum exiſtimem ob tanti viri auctoritatem a te lectam Iri cum voluptate, niſi tamen dudum illam videris, quid enim latet tuos oculos lynceos, quos ne latent quidem atomi. Ne tamen ipſe decipiar, ac tantulum temporis in ea quærenda inſumas, illa eſt ordine 56. idque ſecundo volumine, quod niſi præ tuis manibus eſſe crederem, qoid enim Theologi, ac Præpoſiti Dinienſis Bibliotheca abſque Theologorum coryphæo ſtare poſsit? partem illam Epicuream exſcripſiſſem. Porrò Andegavenſis ille Poyſſonius hic jam adeſt cum tua epiſtola, quam magno Campanellæ nuper oſtendit, & ab eo poſtridie repetiit; etiam-num pollicetur ſuæ propoſitionis demonſtrationem, cui Laleus 100. obtulit epiſtolas, ſi quid demonſtrarit. Vereor ut quidpiam meo foco parabolico radiantem ſuperficiem complectente ſubtilius, aut verius proponat, quanquam contendit eam non eſſe veram, & radicalem ſolutionem, ſed illius tantummodo propaginem. Sed & aliam jam novam proponit, quam nondum ſcribere potuit multis obrutus negotiis. Hæc tamen eſſe videtur demonſtrare eodem modo, quo primam propoſitionem, unum corpus totum eſſe poſſe naturaliter in multis, imo infinitis, locis completis, & inter ſe diſtinctis. Faciam ut ad te ſcribet, & de tua epiſtola ferat judicium; hinc enim hominem facile noveris. Cum autem ſim expertus ventos contrarios nil omninò minuere ſonorum per aërem celeritatem, quæ ſemper æqualis eſſe videtur, ſivo faveat ventus, ſive adverſetur, ſive ſonus ſit violentus, & magnus, ſive debiliſsimus, quæro abs te hujus admirandi phænomeni cauſam, cumque ventus adeo ſit adverſus, ut aliquem tollat ſonum, ne penitus audiatur, cur nuſquam illum remoratur, quoties auditur? Sed & experientia mihi conſtat, globum ſclopi tormentarii terdius, quam ipſum ſonum, ſive fragorem moveri, cujus fere ſubduplus eſt.

Cum huic epiſtolæ finis ſtatuendus videretur, occurrit iterum Auguſtinus, qui 151. ad nebridium epiſtula reiicit iterum atomos; & certe me ſemper cruciat, qui fieri non poſsit, ne minima etiam atomus, cum mathematica quantitate non careat, cum & duritie, ac pondere, & figura non careat, in infinitum diviſibilis revera dividatur, ſaltem a Deo; quo poſito fuerit atomus minima, ex hypotheſi, nec tamen fuerit cum partibus, in quas dividetur, ſit minor. Dominus le Maire, de quo crediderim tecum Dominus Peireſius, litterarum decus, & ornamentum, colloquutus fuerit, proponit ſe dubio procul alphabetum, atqoe adeo linguam reperiſſe; quibus Sinenſes, vel alios quoſvis orbigenas ita poſſet litteris, ſeu epiſtolis alloqui, ut abſque prævio pacto, doctore, mediatore, reſponſum ab illis de omnibus quæſitis impetret, quod arcanum nulli revelare cupit; vide tamen interim, num iſtum nodum poſsis exſolvere; licet enim illis figuras omnium veſtrarum arborum mitteres ea lege, ut ad te remittant ſuas præcipuas arbores, quomodo ſciant, quod petas? His verò finem appono, ut tibi hiſce novis Calendis anni 1636. te plurimum ſalutet.

Tuus Merſennus Minimus.

Epiſcopus ille, quem adeo eloquentem aliquando in cubiculo noſtro audiviſti, die S. Joannis obiit poſt annuum crucifragii dolorem: Ora pro eo.

Clariſsimo Viro D. Petro Gaſſendo Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito S.

Diſquiſitiones [Vir clariſsime] quibus ornaſti meum problema de magnitudine in puncto, ingenioſiſſimæ certe, doctiſſimæque, tanto me gravius obligaverunt, quod tuum tempus rem pretioſiſſimam, ſeu particulam illius æternitatis operi nobiliſſimo de placitis Democriti debitæ mihi dare dignatus es; ſic ergo ſunt amicorum omnia communia, ut quoniam Merſenno noſtro petenti denegare non potuiſti, quin me tuis ſcriptis honeſtares, jam meo jure poſtulem, & publico, te non ſemper, neque diutius honore privari ſummo, quem iſtius Philoſophiæ reconditæ volumina tibi ſunt allatura. Id etiam poſtulant tempora Juſti Regis, qui cum ipſe ſit effectio tam cœleſtis, mundanæque harmoniæ, quam divinæ Sapientiæ, pergratum habebit, ſi viderit in hac, communi, Deique, hominumque domo, non ſolum Merſennios de rebus muſicis libros, ſed etiam tuos de principiis univerſitatis appenſos, quaſi Geneelogias, quibus ex quam generoſa ſtirpe ſit oriundus oſtendatur. Certe

Demo-

Democrito tuo honorificis inquam tuis vigiliis diem dat Cardinalis eminentiſſimus, cui ſoli convenis de maximis rebus, & de toto Mundo facere judicium, nec dubito, quin ille Vir inſtar omnium Philoſophorum, populorum, & ſeculorum, mox ſit daturus ſubtiliſsimis ingenii tui partubus lucem felicem, & æternam. Quod ut non negligas, aut prætermittas, exemplum, hortatoremque adhibeo magnum illum Campanellam, qui cum tandem non ſine providentia Numinis emiſſus ſit e diuturnis, & obſcuris Neapoleos carceribus, nunc ſicut pugil Olympionices e ſummo Galliæ loco inſpectum totius orbis profertur laudatus a quo laudaris ipſe, & amaris. Interim atomorum acerrimo contemplatori mitto tibi quæſtionem noſtram alteram, quæ ſi te excitaverit aliquantulum, reperies ſtatim unum, & multiplex dividuum, & individuum, ita natura ſimul eſſe, ut vel ipſis ſenſibus non acutiſſimis appareant talia; quo ſit ut aliquando contraria Philoſophorum axiomata non magis pugnent, quam ego tecum, cui cum omni reverentia meum obſequium ſempiternum voveo. Vale. Pariſ. 12. Jan 1636.

Tuus Deditiius Baptiſta Payſſon de la Benerie.

Propoſita quæſtio plurima, cui paucis. *Datur demonſtratio perfecte Logica, perfecte mathematica, & perfecte ſenſibilis, qua probatur dari magnitudinem latitudinis non expertem, quæ aliquando alicubi eſt in puncto vere mathematico, & cujus puncti nullæ ſunt partes, & tamen in eodem puncto ipſa habet partes extra partes.*

Ratio quia datur gradus eſſentiæ perfectionalis in qualibet eſſentia, qui eſt ipſa eſſentia magnitudo extenſive, & ejuſdem eſſentiæ per *Tuam Are.* videlicet latitudinem, qui gradus aliquando, & alicubi non tamen, ſed & ſemper eſt in eſſentia, cujus eſſentia nullæ ſunt partes, cum ſit in ſuo conceptu formali indiviſibilis. & tamen habet illa eſſentia genus, & differentiam, actum, & potentiam, materiam, & formam. ex quibus conſtat, quæ ſunt partes extra partes, in individuo, & indiviſibili per univerſale contradictionis ipſum omne demonſtrationis genus conſtituentes, unde ſequitur tot eſſe propoſitæ quæſtionis demonſtrationes, quot rerum eſſentiæ, & earumdem gradus perfectionales, quæ cum ſunt fere infinitæ, infinitæ poſſunt dari hujus quæſiti demonſtrationes, & cum hæc omnia ſint Logica. Mathematica, & vere ſenſibilia, hæ demonſtrationes erunt revera Logicæ, Mathematicæ, & perfectè ſenſibiles, ſenſibiles quidem non in actu ſignato, ſed exercito; vel clarius non quoad eſſe, ſed quoad exiſtere.

Viro clariſsimo, atque eruditiſsimo D. Petro Gaſſendo S. Theologiæ Doctori, inſigni Philoſopho, & Mathematico

MARTINUS HORTENSIUS
S. P. D.

Vir Doctiſſime. Litteras tuas, & typum obſervationis nuperæ Eclipſeos Lunaris gratiſſimo animo accepi. Mihi Amſtelodami non licuit eſſe tam felici, ſed ſolus annotatus eſt finis hora 11. ſcr. 32. Præcedentis anni Eclipſin menſe Auguſto ex parte obſervavi, ſed ad manus jam non eſt, ut eam deſcribam. Anno 1635. Februar. 21. viſum eſt nobis Amſtelodami initium hor. 6. min. 43. cum Regulus ad ortum diſtaret a vertice grad. 62. ſcr. 8. Immerſio hor. 7. min. 52. cum Regulus a Zenith abeſſet grad. 52. min 36. Emerſio fuit hor. 9. minut. 30. cum cauda ☋ diſtaret a vertice g. 50. min. 28. Finis fuit hor. 10. ſcr. 34. cum dimid. cum Arcturus ad ortum a Zenith abeſſet gr. 59. min. 14. Dantiſci obſervavit Clariſs. D. Crugerus per automatum initium hor. 7. min. 39. immerſionem hor. 8. min. 47. Emerſionem hora 10. min. 35. Finem hora 11. min. 39. ſed in duabus poſterioribus phaſibus fatetur automati fidem non ſatis conſtare. Londini clariſſimus D. Gellibrandus vidit initium hor. 6 min. 20. immerſionem hor. 7. min 37. Emerſionem hor. 9. min. 9. finem hora 10. min. 21. Puto tamen hic ſcribendum hora 10. min. 12. intellexi ex C. D. Golio, illuſtr. D. Peireſium Eclipſin anni 1635. Auguſti 27. curaſſe obſervari in multis Europæ locis; ſi eas obſervationes per te habere queam, nihil erit acceptius. Ubi meam recepero, Illuſtr. Domino communicabo. Vellem quoque adderes obſervationem Eclipſis anni 1635. Februar. 21. & appulſus Lunæ ad Fixas, aut Planetas, quos interea de cœlo obtinere tibi licuit. Schichardi mortem cum dolore intellexi, & verſu quoque proſequutus ſum, quem ad D. Diodatum jam dedi. Si obſervata ejus per te habere liceret, ſcis quam id me afficeret, animaretque ad præſtandum aliquid, quod dignum ſit nominis immortalitate. Oro ergo te, ut in hoc mihi gratificeris, & Illuſtr. D. Fabricium ad idem officium ſollicites. Inprimis deſidero deſcriptionem Geographicam Wirtembergenſis Ducatus, quam per partes jam inchoaverat, & noſtro Cæſio promiſerat; ſi ſalva ea eſt, ſalvæ quoque ſunt res noſtræ. Nec minor mihi cura Theoriæ Mercurii, & tot Eclipſium, quas collegerat, quibus ſi frui liceret, carius nihil æſtimarem. Nobiliſs. D. Valeſius jam ad me humaniſſime ſcripſit, & orationem meam de oculo ſibi placuiſſe teſtatus eſt. Sed quid tu de ea judices, aut magnificus D. Peireſius, nondum ſignificaſti. De Ephemeridibus e Lansbergii Tabulis ſupputatis nihil ſperandum, & poteſt Argolus ſecuriſſime in propoſito ſuo pergere. Opuſculum meum de diametro Solis nondum abſolutum eſt; ſed velim nihilominus accurate mihi ſignifices conditionem, & ſtatum D. Peireſii, ut aut illud, aut aliud ei offeram; ſiquidem id omninò mihi ſtat propoſitum. Meretur Heros iſte, ut nomen ejus perpetuetur eruditorum virorum monumentis; & me quoque noſtri peculiariter ei eſſe obſtrictum. Excuditur hic ſcriptum Claramontii de ſede ſubluuari Cometarum; ubi illud abſolutum fuerit, puto excudendum meum adverſus Bartholinum; interea perficere decrevi, Deo dante, illud de diametro Solis, quod [ut & alterum] pulchra habebit Optica, & Aſtronomica. Dioptricas contemplationes iterum deſerui, & ad Aſtronomicas redii, ſed non ſine percepto inſigni fructu circa Tubum Diopticum, quem in publicum cum tempore proferam. Quid tu in ratione Viſus, aut alia philoſophandi materia, oro communices quædam, expectaturus paria a me. Morinus veſter, Deus bone, quos non ſtrepitus edit de inventione longitudinum! ſcripſi ad eum jam ſecunda vice, & varias difficultates movi, in quibus nondum mi-

hi

hi ſatisfecit. In ſumma cenſui, & cenſeo, inventionem ejus ſuper mari eſſe prorſus impoſſibilem quoad accuratam praxim. Video eum propoſuiſſe ſchema D. Galterii de demonſtratione diſtantiæ Solis a Terra, quod alias ad me miſiſti; & vituperare illud Lansbergii, quod eſt in Uranometria, tamquam non Geometricum. Quod certe neſcio qua de cauſa feceris; nam ut hic de ſchemate D. Galterii aliquid inſuper dicam præter illa, quæ alias ad te ſcripſi, ſi paritatem diametrorum Solis, & Lunæ in Apogæo ei eripias, extra demonſtrationem Lansbergii nihil habet. Pares autem eſſe Solis, Lunæque in Apogæo diametros Ptolomæus ſtatuit, & Keplerus, ſed neuter ſolida ratione comprobavit, & proculdubio eſt falſum. Mira quoque promittit de parallaxi Solis, æquatione temporis, Theoriis Planetarum, &c. ſed ego omnibus iis ante facta experimenta nequaquam confido. Quid tu ſentias, xvide ex te intelligam. Vale mi optime D. Gaſſende, & ſi me amas, quam ſæpiſſime reſcribe. Inprimis fac, ut quam citiſſime (rebus meis ſic exigentibus) certus reddar de ſtatu D. Fabritii, quod unice ab amicitia tua expecto. Datum Amſtelodami 16. Maii 1636.

Viro clariſsimo doctiſsimoque Domino Petro Gaſſendo Amico unice colendo S. P.

VIr clariſſime. Accepi quas ad Deodatum noſtrum dederas Eclipſis Lunaris Anni 1635. Auguſti 27. obſervationes, pro quibus maximas tibi, & illuſtri Fabricio ago gratias. Profecto amor, & ſtudium illius Herois erga artem noſtram non uno ore laudandum. Sed utinam tam laudabili propoſito debita reſpondiſſet obſervatorum omnium diligentia! ſi Romano, Ægyptio, Neapolitano, Syriaco adfuiſſent magis idonea inſtrumenta, certius de meridianorum differentia licuiſſet concludere; cum nunc in illis nihil niſi conatus veniat æſtimandus. Quis enim in tanta obſervatorum diſcrepantia, & unica Eclipſi de vera differentia longitudinum audeat pronuntiare? ſi illuſtris Fabricius in eodem inſtituto perſeveret, & futuras Eclipſes majore diligentia in illis locis obſervari curet, habebit unde famam, nomenque ſuum cum omnium eruditorum inſigni commodo ulterius extendat. Neſcio an alias ad te ſcripſerim; ſaltem nunc ſilere nequeo, quod non illubenter accipias. Nimirum Wilhelmum noſtrum Blaev inde ab anno 1634. apud Præfectos Societatis Indiæ orientalis procuraſſe, ut omnes gubernatores navium, qui inpoſterum navigaturi ſunt in Indiam, teneantur Eclipſes Lunæ tam in mari, quam in terra obſervare. Dedit autem illis ſuper hac re inſtructionem typis excuſam; & non dubito, quin nupera, & utraque anni 1635. Lunæ Eclipſis, diverſis locis ad Orientem ſitis jam ſint obſervatæ. Nonne vides quantum id faciat ad promotionem rei Geographicæ, & Nauticæ? Prudentiſſime ergo feceris, ſi D. Fabricium in propoſito ſuo confirmaris, quandoquidem ubi naucleri iſti redierint, ſi vivant, obſervationes omnes vobis tranſmittere decrevi; atque ea ratione, & gratitudinem meam oſtendere, & ad Geographiæ emendationem ſymbolam qualemcumque conferre.

Intellexi ex litteris D. Morini non tantum te per inſtrumentum 30. pedum obſervare diametrum Lunæ, ſed & variabilem deprehendere pro diverſa ſupra horizontem altitudine. Scribe quæſo quomodo id obſerves, & quænam ſit inſtrumenti ſtructura. Nulla enim ratione mihi perſuadere poſſum, Phænomenum iſtud realiter Lunæ adeſſe; ſed exiſtimo ab Optica aliqua luminis proprietate, oculiſque tuis dependere; & videor mihi cauſam videre manifeſtam. Nam cum Luna humilis eſt, oſtendit atmoſpheram profundiorem, denſioremque. Itaque tingit aërem majori lumine, quam cum eſt alta, idque ea ratione, ut annulus quidam lucidus judicetur Lunam circumſtare, ejus limbo ad ſenſum continuus. Et hinc fit, quod viſus in humiliori ſitu Lunæ inter contactum limbi, & pinnacidiorum ægrius diſcernit, quam in altiori; adeoque ut diametrum juſto majorem obſervet, arripiendo lucem aliquam aëris pro lumine ipſius Lunæ limbi. In majori autem altitudine illud non fit, quia ob aërem puriorem, purior quoque offertur Lunæ limbus, & præciſior, minorque diameter. Tu vide, num cauſa hæc ſalvando phænomeno ſufficiat, & ſimul conſidera, ſi realis ſit iſta diametri Lunaris mutatio, debere quoque locum habere in Sole; & ſi locum in Sole habeat, neceſſe eſſe, ut quemadmodum aërem in Cœlo comparet, revera quoque obſervetur per Teleſcopium. Verum enim-verò, & tibi ignotum eſſe nequit, & mihi ſæpiſſime exploratum eſt, diametrum Solis ne tantillum quidem variari in quacumque obſervetur ſupra Horizontem altitudine, excepta contractione Elliptica, quæ obvenit diametro erectæ a diverſitate refractionis ſuperioris, & inferioris limbi. Conſequens ergo eſt, phænomenum illud ex accidenti Lunæ ſupervenire ab aëre illuminato, & oculis obſervatoris. Clariſſimus Valeſius non ita dudum mihi per litteras indicavit te diametrum Solis, Lunæque in Apogæo non majorem ſtatuere ſcrup. 30. ſec. 4. Lubentiſſime intelligam qua id ratione obſervaris. Ego obſervando diametrum Solis per varia foramina inſignem in ea inveni diverſitatem, & plerumque majorem ſcrup. 30. diametrum autem Lunæ nondum accurate, & ex voto obſervare potui ob debile lumen. Si tu eam obſervaris per pinnacidia, & inſpectionem ocularem, ſcito me audere ſtatuere, neminem unquam ad ſcrupula ſecunda hoc obſervandi modo ejus quantitatem determinaturum; quod tamen requiritur, ſi quid acturi ſumus, quod omnes prædeceſſorum vincat conatus. Si occaſionem, & commoditatem obſervandi haberem, non diu eſſet, quin videres quid ego ad obtinendam eam præciſionem queam præſtare. Nunc differendum eſt, & premendæ inventiones aliquæ ad Aſtronomiæ bonum non parum conducentes. Significaram Morino, arcanum illud Aſtronomiæ maximum, quod ſe inveniſſe putabat in viſione Stellarum Fixarum diurna, mihi non eſſe inſolens; ſed ante ipſum a me viſas per Teleſcopium Fixas poſt ortum Solis. Reſpondit, ſe non credere, cum alioqui non tacuiſſem; quaſi verò de fide mea quidquam dubitandum haberet, eò quod tot circumſtantiis, & ineptiis rem non propoſui, ut ille pag. 230. partis 6 de longitud. Non ſoleo inventa mea cum tanto ſtrepitu protrudere. Plura habeo circa Teleſcopium, & quidem egregia; ſed non dabo antequam poſſim cum maxima nominis gloria, & ſpe immortalitatis. Quod autem Fixas poſt ortum Solis viderim, colligi poteſt ex mea tecum diſſerta-

tione

tione pag. 39. ubi viſioni Veneris diurnæ ſubjuugo obſervationem diornam Juvis, & Fixarom; idque dudum antequam D. Morinum noviſſem; ſed hæc eadem ad illum ſcripſi, & ſpero agniturum ſe non eſſe primum tanti arcani, ſi tantum eſt, inventorem. Si nolle, tu intercede, & impelle virom, ne tantillum honorcm mihi invideat. Quid de Schikardi ſcriptis? nihil-oe auditur? ſperaveram ea aut per D. Deodatum, aut illuſtr. Febricium haberi poſſe, & tu quoque operam promiſeras. Scribe oro quid ſpei ſuperſit, & multum vale, Amſtelodami 12. Octobris 1636.

Tuus ex animo Martinus Hortenſius.

Summo Viro D. Petro Gaſſendo Dinienſis Cathedralis Eccleſiæ Præpoſito, Domino, & amico cumprimis honorando S.

NOlI expectare, maxime Gaſſende, ut Schikardi uoſtri diſceſſum ex hac vita exequar pluribus. Non enim charta hæc tam ſancta deſideria caperet, quibus Chriſtianiſſimus hominum Cœlum obſidebat, & perrupit; non illam invicti animi præſentiam, cum feralis, & epidemius graſſator neceſſitatem denuntiaret ultimam, non denique ſuprema, Deoque plena verba, ac ſuſpiria, cum immortalis anima evolaret ad Creatorem ſuom. Et quid, mi Gaſſende, in triſtiſſimo tunc corde volutaſſe me putas? cum Medico qoidem pridie proſpera cuncta, & reduœem valetudinem promittente, poſt ſequentis tamen noctis meridiem de ſubito omnia mutarent in peius. Quid? cum mox exciperetur anhela, & lamentabilibus gemitibus interrupta vox valedicentis mihi, cum gratiis, votiſque ſummam pietatem teſtantibus. Quid? eum interjecto brevi ſpatio nuntios ſuccederet horribilis, candidiſſimum expiraſſe pectus, omnis & ſapientiæ, & honeſtatis promum condum extinctum Academiæ Poſphorum, atque ſummas ſpes uno veluti momento concidiſſe. Quid? At non ſuſtineo jacturæ gravitatem hic expendere amplius; unum me conſolatur non parum, ſupereſſe adhuc defuncti fratrem Lucam, elegantiſſimis moribus hominem, ac præter ceteras artes Mathematicis ſtudiis non vulgariter eruditum, qui non tantum quæ noſter ille, ὁ μακαρίτης publico bono deſtinaverat, colliget, & ſicubi latent nonnolla [quod credo equidem] eruet diligentiſſime; verum etiam operam impendet omnem, ut Schikardianum nomen perenni gloria vigeat, atque novorum ſubinde meritorum acceptionibus magis, magiſque illoſtretor. Peregre ebeſt Lucas cum Principe ſuo; in patriam rediturus quamprimum leniores aſpiraverint Auſtri. Eſt inſoper in magna apud nos expectatione Moglingus juvenis ingenio validus, ac reliquos Schikardi diſcipulos induſtria, & profectibus longe ſupergreſſus; & quem tantus Magiſter judicaverat dignum, qui ſibi in Profeſſorio munere aliquando ſubrogaretur. Hunc producam ego quantum potero. Spem pronuper faciebat is mihi Mercurii Theoriam abſolvendi, dummodo obſervationibus juvaretur; qua in re nullus Tycho tantum ſuppetiarum ferre poteſt, quam tu, mi ſapientiſſime Gaſſende. Optimus Schikardus noſter cum ingentem epiſtolam deſtinaſſet tibi, fato conatibus ejus intercedente, vix principiom ille calamo expreſſit; quod hic mitto. Ex paucis tamen lineis æſtima magnitudinem obſervantiæ, & amoris, quo te ille proſequebatur. Addo etiam litteras ad illuſtrem Peireſium; & ſimul aliquod exemplaria laudationis, honori, & memoriæ Schikardi dictæ, quæ omnia ut cures te vehementer rogo. Vale, ſumme Vir, & vale. Dabam Tubingæ Cal. Novemb. A. C. 1636.

Tui obſervantiſſimus Thomas Lanſius.

Reverendo, & ſapienti Viro D. Petro Gaſſendo Cathedralis Eccleſiæ Præpoſito, & Mathematico ſimul Eminentiſſimo

W. SCHIKARDUS S.

TAntum tibi debeo, mi D. Gaſſende, Vir admodum Reverende, ac modis omnibus honoratiſſime, quantum vix mortalium alteri cuiquam; ut quoties beneficiorum, & effuſiſſimi amoris ubertatem cogito, totics exhorreſcam, nil æquivalens in me reperiri, quo tibi viciſſim ſervire poſſim. Quid enim dicam de tot prolixis non epiſtolis, ſed integris libris, qoos mei cauſa manu propria ſcribere non tæduit, vel inter medias occopationes graves! Aliter ſane gratitudinis declarandæ medium non ſupereſt, niſi ut aliquando cum reſtituta pace iſta edidero, poſteritati ſeræ indicem, quantum Aſtronomiæ reſtaurandæ interfuerit Gaſſendum naſci. Ceterum ut ab Eclipſi verna ordiar, novum & prorſus ſingulare eſt, qood in ipſo corpore Lunæ tu lynceus, quatoor illa puncta contactus notare potuiſti, ex quorum intervallis proportio umbræ ad lucem, una cum latitudine queat elici, etiam abſque præcognitis alienis, dubiiſqoe. Quo




autem ratiocinio tu inde deducas triplam, ego quidem ignoro; quid verò mihi ea cogitatio ſoggeſſerit, indicabo ut examines. *A* ſit initium, *D* finis, *B* immerſio, *C* emerſio, ex obſervatione tua diſtant *AC* 25. grad. *CB* 142. grad. *BD* 30. grad. *DA* 163. grad. niſi oportet neceſſario bina intervalla oppoſita *BD*, & *AC* æquari [quod autem tu non tradis æqualia, factum agnoſco veritatis amore, qoia non ſoleas obſervationes ad arbitrium corrumpere, amplector ingenuitatem, & millies præfero rudiuſculas ejuſmodi aliorum comptis, ex compoſito fictis] Sunto igitur ambo *BD*, & *AC*, pariter inter exceſſum, & defectum medio, ſcilicet 27. cum dimid. manentibus ceteris intervallis.

In aſſumpto quopiam circulo umbram deſignante, diſponantor quatuor puncta dictis ſpatiis reſpondentia, quæ ſint *α B C ð*. Horum bina *BC* [quia Lunam ſubiiciunt intra umbram] ita maneant, reliqua duo (quæ contactui exteriori reſpondent *α*, & *ð* continentia ad oppoſitum, ut acquiram veros contactus *AD* connectentia *α ð*, *AD*, & *BC*. Dico inter eas verſari aliquam parallelam, quæ ſic abſcindat e centro egreſſas, ut exterior pars *AE* interiori *BVV* æquetur. Habeo autem demonſtrationem (prolixitate

Digitized by Google

xitate ſua hîc tædioſam futuram), quod ejus proportio ſitus inter extremas vicinas ſit eadem, quæ notorum *P O* ad *P M*. Trahantur ergo *A M*, & parallela *L H* inde Orthogonalis ſupremæ *H K*, denique ex puncto ſectionis *I F* ea monſtrabit apud *F* tranſitum quæſitæ. Hinc innoteſcunt omnia reliqua. Nempe, ſuppoſita diametro ☽ *B N* min. 30. (qualem hunc obſervaſſe refers), ſemidiameter umbræ *B O* 39. cum dimid. [quippe univerſis altior ibat ☽ quam vulgo creditur]. Et diſtantia centrorum, ſive latitudo ☽ in medio deliquii *O F* minut. 8. tantum. Sapienti ſatis, &c.

Hæc epiſtola præ morte non finita fuit.



Digitized by Google

CONSTANTINUS

GASSENDO SUO S.

ÆGre, moleſteque fero te tandiu verſari in Provincia, nec poſſe te ullis precibus obſecrari, ut te conferas in urbem noſtram, in qua oſtendiſti lumen ingenii tui, quod facit nobis abſentiam tuam plenam deſiderii, & ſollicitudinis, quo fit, ut non ceſſem te inanibus appellare litteris, & ad te mittere, quæ apud nos geruntur, ut habeas, quos ſuperioribus meis tibi pollicitus fueram, libellos, in quibus nonnihil rei eſt, quæ te ad eorum lectionem accendat, & ſcenam vitæ humanæ tuis ſubiiciat oculis. Facerem imprudenter, ſi putarem illam te non propius inſpexiſſe, qui optimis diſciplinis inſtitutus cognitas habes eorum artes, qui gloriantur arbitratu ſuo cœlum ſicere, & Deos præberi faciles, eaque opinione capi imperitos, quos fracto, & abjecto animo ſub ſuum jugum mittunt, ut arbitrio careant ſuo. Hæc per ſe nota ſunt, nec tutum eſt Poëtarum μυστήρια, ni mavis, μεσοθήρια aperire. Lugent enim Athenæ Socratem ſuum, qui Poëtarum inſidiis in vincula conjectus Areopagi venenum hauſit. In eo vivunt homines, ut omnium, qui borum partibus non ſe dederint, perturbent animos, & quos non poſſunt ingenio, metu aſſequantur. Plangore, & lamentatione domos complent, ac queruntur Deorum ſacra violari, quæ res apud eos perpetuo recinit. Non norunt ceci tantum ſcelus ſuo dari vitio, quod cœlum ſcenam, & Deum drama faciant. Vetera ſibi prætendunt, ut plus auctoritatis habeant, nec patiuntur illa antiqua commenta ex æquo, & bono reſcindi, neque ſe veritate, & ratione convinci. Nihil penſt habent, ſi ſuis conſiliis Remp. conciteut; ad cædes, & incendia homines acuant, & nomen Philoſophi in commune vocent odium. Nihil niſi ſubdole, & verſute agunt, qui ſi revincuntur mendaciis quærunt latebram. Noſtra ætas tantam effudit Poëtarum copiam, ut in oppidis tumultuentur homines plus æquo ſui ſtudioſi per ſectas, & hæreſes diſſideant, qui dum ſe impeti ſentiunt, veniunt in belli ſocietatem, & cives occupant, e quorum marſupiis non deiiciunt oculos, donec exhauſerint. Quod in cauſa eſt, ut florentiſſimas urbes faciant ingenii ſui theatra, ubi ſuis Apologis deludunt homines, qui ceco quodam timore horum partes ſequuntur:

Et veluti pueri trepidant, ac omnia cecis
In tenebris metuunt, nec ſomnia cernere ceſſant,
Sollicitamque gerunt caſſa formidine mentem.

Vetus eſt clariſſimorum Philoſophorum querimonia, parvulos tradi imperitis mulierculis, quæ eorum animum ad res humiles abiiciant, vaniſque frangant terroribus, deinde tradi inſtitutoribus, qui bonarum rerum rudes, falſum, aut veriſimile pro vero doceant, ſuiſque ſomnis, quibus, etiamſi in viros evaſerint, deluſi, facile ſe credunt Poëtis, qui horum ignoratione ad perniciem abutuntur, & optimates, in quibus gratiæ, & præſidii eſt plurimum ſuis laqueis irretiunt, ut iis, qui ſecum non conſentiunt, uncum impingant. Hæc palam aguntur, & nemo audet hiſcere, quin vocetur in crimen. Felix nimium prima ætas, quæ iis præſtigiatoribus caruit; nam ante Orpheum, & Linum nulla eſt littera. Poëtas etiam tollunt e ſua Rep. viri pii, quia Poëtæ eſt fingere, & verſari in nugis, quibus evertendis operam poſuit Seneca in eo libello, qui de ſuperſtitionibus inſcribitur, & quem periiſſe dolemus. Adverſus Poëtarum furorem, & audaciam Varro vim eloquentiæ oſtendit, & eorum damnavit μυθικὴν θεολογίαν, vultque hos homines omnino extingui, & eorum memoriam ſempiterna oblivione deleri. Plura dicerem, niſi ſcires, quos hæc omnia attingunt, quique rem eandem verſant, cum unaquæque gens habeat ſuos Poëtas, quorum nutu, & artibus optimorum civium fortunas tentari, famam lædi, ipſumque caput in diſcrimen vocari legimus. Uteree exemplis, niſi ea noſſes, & eorum technas, qui Poëtarum myſteriis initiatos ſe eſſe venditant. Nos verò ab eorum moribus, & ingenio ſumus alieni, qui diſſidiis æternùm vale diximus, nihilque beatius, ac antiquius habemus animi quiete, quæ facit, ut gaudeas in ſinu tuo, & felici otio fruaris. Vale.

Maxime Reverendo, ſummoque Viro Petro Gaſſendo Eccleſiæ Cathedralis Dinienſis Præpoſito, Domino, & fautori honoratiſſimo S.

PLurimum Reverende Domine virorum eximie. Parum abeſt, quin a redditis tuis ad me litteris, humanitate ſingulari, hoc eſt, nationi veſtræ propria refertiſſimis, quintus jam menſis effluxerit. Et quia reſpondendi officium eò uſque differre viſum eſt, dum excellens carmen tuum, ceteraque in honorem Schickardi τοῦ μακαρίτου parata, ex officina Typographica unà irent, ita factum eſt, ut expectatione tardior eſſe cogerer. Modicum hanc urbem inter, atque Tubingam, nec niſi bidui intervallum interjacet. Et quia tamen propter itinera militaribus undique latrociniis infeſſa, ultro, citroque commeare tutu non licet, omnia lente proceſſerunt, & quod valde doleo, exempla parentationis, quorum unum ab illuſtri D. Luillerio accipies, non ſaltem ſub finem noſtri mercatus, ubi commodiſſima erat occaſio, rectà Lutetiam ea tranſmittendi, ſed nunc demum, Lanſio noſtro mittente, allata fuerunt, ut non niſi cum mora longiore, & per viarum ambages pervenire poſſint. Dabis igitur huic tarditati, ſed & litterarum mearum brevitati veniam. Nihil poterat exoptatius accidere mihi, quam ut prolixam, & pridem admiratione divinorum ingenii monumentorum, in animo conceptam tui obſervantiam prolixa item epiſtola explicare, & ultro oblatæ tanti Viri amicitiæ captare fructus uberiores mihi liceret. Verum exhauſtæ quatrimeſtri morbo, & proſtratæ vires vix pauculis hiſce ſcribendis ſuffecerunt. Ut primum valuero rectius (id, quod ope Dei, Medicorumque brevi futurum ſpero) reſumpto calamo, ſi permittis, amplioribus verbis ulteriori me gratiæ tuæ inſinuare conabor. Vale, Vir ſumme. Scribebam Argentorati, 19. vel 29. Januarii 1637.

Tuæ Reverendæ dignitatis cultor obſervantiſſimus Matthias Berneggerus, Hiſtoriarum Profeſſor in Academia Argentoratenſi.

Doctiſ-

Doctiſsimo Viro Petro Gaſsendo Theologo

ATHANASIUS KIRCHERIUS S. P. D.

MOrem tibi geram, mi Gaſſende, & tanto quidem libentius, quanto juſſio tua mihi gretior, & occaſio tibi gratificandi opportunior; hac enim futurum ſpero, ut quam dulciſſimi Peireſii noſtri operâ quondam Aquis-Sextiis tecum contraxeram neceſſitudinem, eti locorum interespedine, ita occupationum, itinerumque complurium diſtractione pæne extinctam e favillis reſoſcitem, & quanti te, tuaque ſtudia faciam, quamque dicto juſſis tuis ſim obediens hocce breviuſcolo teſtarer epiſtolio. Juſſiſti ut Eclipſin, quam die prima Junii currentis anni Sol ſubiturus erat, obſervarem; feci quod juſſiſti, & ea quidem diligentia quam jubentis merebitur auctoritas; quod ſi expectationi tuæ non uſquequaque ſit ſatisfactum, non meæ id in negotio exequendo promptitudini, ſed injuriæ Cœli, quod eo ipſo die adeo ſe contumax, ac turbulentum exhibuit; ut facile monſtraret id ſe nobis invidere, quod videre a tot annis plerique optarunt Mathematici. Rem igitur eo, quo ſequitur modo, & methodo eggreſſus ſum prima die Junii hora 2. pomeridiana, inſtrumenta obſervationi deſtinata loco opportuno expoſui. Tubum opticum loco particulari per obſcuratæ feneſtræ relictum foramen, fulcris, quæ vertebris iniis ad tubum in omnem partem, ſitusque differentiam facile contorquendum inſtruebantur, unum in ſubnexam Tabulam, in qua futuræ Eclipſeos in ſuos digitos, & minuta diſtributæ ſchema delinearam, direxi. In contiguo loco duæ aliæ feneſtræ erant, in quarum una quadrans azimuthalis in horizontis centro circumvolubilis in gradus, & minuta ſummo ſtudio diſtributus ponebatur; in altera ſciotericum duplex. Aſtronomicum videlicet, & Italicum in quadrantes, & minuta a Clavio quondam exacte diſtributum Soli exponebatur. His igitur omnibus ita rite inſtructis, adſcitisque in operis executionem duobus aliis Patribus multum exercitatis, ego tubo ad punctorum Solarium obſcurationem indagandam dirigendo, alter altitudini Solis, horis denique meriendis tertius intentus, unuſquisque ad commiſſo ſibi munere probe fungendum, tempus rei bene gerendæ opportunum opperiebatur. Primum itaque Solis obſcurati punctum, quantum nobis quidem nubes, earumque lucida intervalla permiſerunt, ope vitrorum viridium obſervavimus incidere in horam 5 a meridie, & min. 33. quibus in quadrante reſpondebant 18. gradus altitudini Solari, & min 24. Hiſce nobis occupatis veluti ſuccenſens Cœlum, Solem adeo enormi nube texit, ut de obſervatione perficienda pæne deſperaremus. Poſt nubila tandem aliquandiu deſideratiſſimus nobis illuxit Phœbus. cujus faciem ego tubo excipiens 4. punctis, & 15. minutis obſcuratam inveni, eodem tempore in quadrante altitudo Solis inveniebatur graduum 18 min. 36. & in horologio hora 5. a meridie, & min. 48. hora 6. & min. 10. denuo diſcum Solarem 8. circiter punctis obſcuratum inveni, Sole alto gradibus 9. min. 43. Poſt hæc luminaria adeo profunda nube ſe abdiderunt, ut inpoſterum videri amplius non potuerint. Atque ex hac noſtra obſervatione, mi Gaſſende, facile colliges Argolum fere mediam horam a vero aberraſſe, magnitudinemque Eclipſeos puncto integro a vero defeciſſe cognitum eſt. Sed hæc omnia tibi exactius explorands relinquo.

Ceterum multa mihi de calamitoſo itineris mei Melitenſis ſucceſſu tibi ſcribenda forent. Mira quoque, quæ dum Æthnam, & Veſuvium conſcendi, hujus voraginem quoque dum Liparis adii, dum inauditis Terræ motibus in Calabria præſens interfui, communicanda eſſent. Verum quandoquidem de iis particulari libro forſan tractaturi ſumus, ſupervacaneum eſſe ratus ſum iis recenſendis tempus perdere. Modo Romæ dego in gratiam cum priſtinis Muſis reverſus. Hieroglyphico operi noctu, diuque intendo, in quo ſi aliquid laude dignum præſtitum fuerit, poſt Deum D. Peireſio acceptum fero; hic enim fuit primus hujus operis adeo per totam Europam exoptati promotor, nec enim ego unquam tantæ molis opus humeris meis imponi mihi paſſus eſſem, niſi is auctoritate ſua, qua pollebat maxima, me fulciviſſet, opus ipſum pecunia clam ſuppeditata, libris, aliiſque ad rem bene gerendam neceſſariis abunde animaſſet; imo alios quoque ad opus quacumque tandem ratione promovendum, præſertim Mecœnatem meum continuis ſtimulis incitaſſet. Hujus Viri inexplicabilem peritiam, atque in promovendo litterario negotio fervorem ego 80. epiſtolis prorſus longis omni reconditioris eruditionis genere, atque veteri ſapientiæ arcanis refertis, quas ad me de Hieroglyphico negotio dedit, teſtari poſſum. Atque hæc de ſtudio Hieroglyphico. Interim ſucceſſivis horis aliud opus molitus ſum, quod dum hæc ſcribo ad coronidem perduco. Eſtque de arte magnetica opus tripartitum, cujus primus liber intitulatur magnes, ſive de effectibus raris, & prodigioſis magnetis; alter magnes applicatus, in quo quæ miranda in Geometria, Catoptrica, Statica, Aſtronomia, Gnomonica, Mechanica, Steganographia, Thaumaturgica, Coſmographia, ſimilibusque magnetis ope fieri poſſint varie oſtenditur. Tertius liber Catena Magnetica dicitur, qua totum Mundum, ſingulasque ejus partes μαγνητίζειν oſtendo. Opus, ni fallor, placebit, cum omnia in eo varia probatiſſimorum experimentorum demonſtratione, ſine qua omnem Philoſophiam non immerito mancam, atque inutilem exiſtimo, comprobantur. Mox ubi impreſſus fuerit, dabo operam, ut te ejus participem faciam. Atque hæc ſunt, quæ tibi breviter, mi Gaſſende, communicanda duxi. Quid eo porrò modo moliaris ſcire aveo; non dubito omnia ut ſoles magna, & ardua, quæ ut ad finem deſideratum perducas, Deum Optimum Maximum obnixe deprecor. P. Scheiner impreſſit modo opus novum contra conjectores Aſtrologos, quod tamen ad manus meas nondum pervenit. Ubi Romam appulerit, dabo operam, ut tibi propediem exemplar tranſmittam. Cetera D. Naudæus utriuſque amicus optimus ita, & integerrimus perſcribit. Ignuſces manus volantis errores; valde enim timeo, ne inconditis hiſce litteris meis bilem tibi potius, quam cor moveam. At cum occupationes meas noris, multaque ſcribendi materia litteris formandis inhærere non me permittit, facile feſtinationis meæ veniam a te me impetraturum confido. Vale, amicorum optime, meque ut ſoles, amare ne deſiſtas. Datum Romæ 1. Junii 1639.

Tui, quem noſti amantiſſimus
Athanaſius

Clariſsimo, & nobiliſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo

HIERONYMUS BARDIUS S. P. D.

IN doctiſſimi mei patrio ſolo plurimum conjuncti, & indiſſolubilibus amicitiæ vincolis obſtrictiſſimi Liceti typis datis epiſtolis tuam vaſtiſſimam eruditionem, doctrinamque ad Sydera extollendam contemplans me tibi maxime oppigneratum opperi, quod factum eſt. Ut me in amicorum tuorum album inſcribi curarem, quod quidem ſi feceris mihi gratiſſimum erit, qua de re plurimum te etiam, atque etiam exoro. Scirem libenter, an Petrus Joannes Faber Medicus Monſpellienſis Caſtrinodaveri Medicinam jam ſteiens vivat, quo loci degat, quid agat, qoid meditetur; an ſuum Paochymicum, & Philoſophiam reformatam evulgaverit, habeo enim præ manibus multis ab hioc annis opus, in quo Philoſophiæ libertatem eem ipſa Jatrochymia vindicare contendo in genere, & in ſpecie, eorum propriis cauſis, & elementis, qualitatibus, & paſſionibus in lucem evocatis, & jam primam partem habeo fere ad umbilicum elaboratam, ſed actum agere ita ſemper iniquum fuit, admoneas quæſo, Vir eruditiſſime, an aliquod conſimile opus ſubolfeceris a quoquam meditari, multa in tenebris conſepelivi, quæ omnino nova, & ratione methodi, & rerum pertractandarum digeſtione non erant, illaque Endimioni conſecravi huic me operi addixit mea adverſa corporis valetudo, & medicamentorum craſſa farrago exhibita, quæ mihi nativum calorem, humidumque fixum fere conſepelivit; quapropter nova vivificatione indigerem. Scire præterea vellem cui morbo expellendo Aquæ Sextiæ comprobentur. Diu Mantuæ huic ſcientiæ ſedulam diligentiam navavi, & poſtremo Piſis, quo in loco Ariſtotelem, & Platonem poſt eruditiſſimum Mazzonium poſtremus per aliquot annos ſum interpretatus, & occaſione amplæ Pharmacopæa Chymicæ, Mediceæ Florentinæ conſimilis multa ad actum practicum experientia circumvallatum produxi, ſed præ imbecillibus viribus uſque adhuc omnia experiri non licuit. Habeo enim ego ſolus doctiſſimi Viri Vincentii Thornei Angli arcanum philoſophicum, quod quidem ex ejus epiſtolis ſyngraphis, & ejuſmodi ſcriptionibus conſtat Ferrariæ, & Venetiis ad actum practicum eduxiſſe; præſertim verò ex Ædis Monetariæ Ferrarienſis reſcripto, & quidem patet lucrum 80. pro quolibet 100. reddidiſſe Duci Alphonſo, de cujus mandato opus aſſumpſerat exequendum, quod quidem arcanum habeo ejus manu adamuſſim exaratum, & duorum menſium ſpatio perficitur, & facili negotio a Viro in his negotiis experientiis comprobato, in actum practicum educeretur, & ex his, quorum vidi Myriadas mihi plurimum arridet, eo quod præſertim rationibus philoſophicis innitatur, & phanaticis imaginationibus non adhæreſcat, & quia in his regionibus multos huic operi addictos perſentio, libenter cum aliquo fido Achate me conjungerem, ne palinodiam canere mihi eſſet neceſſarium.

At enimverò quod opus urgeas, & quid meditería Typographiæ commendandum admoneas velim, præſertim verò de his, quæ Epicuri Philoſophiam reſpiciunt. Ego enim etiam Platonicam prædicare, & a tricis, & nodis extricare contendo, & quæ omnino nova in Phaſibus, & Phenomenis Cœleſtibus obſervatis ſcribas. Mitto ad te opoſculi exemplar, de quo judicium tuum elucidare ne graveris. Typis excuſus eſt liber Galilæi de motu quatuor dialogis Italicis ſuo more expeditus, de quo quidem Senis apud ipſum decem dialogos videram; multa quidem nova, ſed libellà phyſicâ, & mathematica lance æquilibranda proponit. Vale magnum Matheſeos incrementum, meque tuis juſſis paratiſſimum perſentias. Datum Rapalli 11. Calend. Octob. 1639.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro Domino Petro Gaſſendo

FORTUNIUS LICETUS B. A.

ACcepi luculentiſſimam epiſtolam tuam, Petre Gaſſende, Vir omniſcie, quæ tantum abeſt, ut longitudine ſua volumen integrum æxequans ullo me tædio moleſtaverit, quod potius ingenioſis digreſſionibus, & argutiis admodum paradoxis, in ea ſubinde ſe ſe conſequentibus, me adeo delectaverit, ut eam legere aggreſſus, nequiverim niſi tota perlecta, ſingulisque partibus ejus attente conſideratis, de manu deponere. Suſpicio miram ingenii fecunditatem, in omni doctrinarum genere tam docta ſcribentis ſolertiam, abditas rationes e rerum natura tam prompte depromentis; & felicitatem difficilia, & obſcura tam expedite, dilucideque proponentis. Oſculor inſuper inſignem animi modeſtiam tam urbano, liberalique more cum Antagoniſta controverſias agentis. Quamobrem eſt ut ingentes tibi gratias habeam de tam ingenua comitate, qua mecum diſputas, & de multi-juga doctrina rerum occultiorum, qua me cumulare voluiſti. Meum verò reſponſum ad ea, de quibus tecum nequeo conſentire, non eſt cur unica diſceptatione breviter abſolvenda comprehenſum expectes; tot enim ea ſunt, tamque difficilia, ut neque ſub unius libri titulo ſingulari contineri valeant, concludive debeant; neque brevi temporis tractu ſatis expediri poſſint, a me præſertim in aliis occupatiſſimo. Quia verò mihi neceſſitas ingruit in præſentia reſpondendi Cl. Galilæo de candore Lunæ, cogitavi ſimul in ea diſceptatione perpendere, quæ tu illi conſentiens contra meas rationes affers ad calcem epiſtolæ, quorum exemplar ipſe tranſmiſi nuper ad inclytum Virum, quod ex tuis ad optimum Naudæum datis agnoverim, te percupere cogitationes iſtas tuas earum cupidiſſimo Viro communes fieri. Reliqua capita ſuperiora tuæ diſputationis decrevi ſeorſim expendere in altero volumine de quæſitis per epiſtolas a Cl. Viris, quod jam adornare cœpi. Interim mittam ad te, vel per Clariſſimum Naudæum, vel per Bardium noſtrum, quæ poſt Litheoſphorum e typis hactenus mihi prodierunt opuſcula. Tu verò me amare ne ceſſes, ut ego te plurimum colo. Vale, Dabam Bononiæ 6. Idibus Novembris 1640.

Petro

Petro Gaſſendo Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito digniſsimo

Antonius Godeau Epiſcopus Graſſenſis S. P. D.

INgratus. & inhumanus eſſem, Vir doctiſſime, ſi Clariſſimi Viri hiſtoria abſque voluptatis, quam ex illius lectione cepi, ingenua ſignificatione in manus tuas rediret. Cum primum audivi ab amicis tuis, te hanc Spartam excolendam ſuſcepiſſe, non dubitavi, quin exornares. Sed, ut verum fatear, non exiſtimabam litterati hominis mores, & ſtudia iſtam poſſe conficere hiſtoriam. Dii boni! quam nobilem, quam omnibus numeris abſolutam, quibus, quantiſque ſcientiarum, artium ornamentis illuſtrem feciſti? Ita nobiliſſimi, & ſuâ famâ majoris hominis præclaram indolem, ingenii vim, memoriæ felicitatem, inexhauſtam diſcendi cupiditatem in ſcientiis, & diſciplinis illuſtrandis, ab omnibus vindicandis, & compendioſiori via explicandis, indefeſſum ſtudium, ita mirem in naturæ miraculis explorandis, variiſque experimentis probandis diligentiam; ita generoſum opum contemptum, morum innocentiam, in amicitiis retinendis conſtantiam, in omnibus bonis juvandis, & colendis alacritatem, & ſollicitudinem, ita, inquam, hominem ad vivum exprimis, ut Peireſium audire, & præſentem contemplari mihi viderer, cum eruditiſſimos, & terſiſſimos tuos commentarios legerem. Dignus ſane ille Vir, qui poſteritati commendaretur, ſed felix, qui Gaſſendum laudum ſuarum præconem invenit. Quidquid librorum, gemmarum, Iconum, numiſmatum, & cæterorum id genus ſumma cum diligentia, nulliſque parcens ſumptibus, in unum colligere potuit, injuria temporum, vel alio caſu diſtrahi facile poteſt. Sed tu illa omnia in tuto collocaſti, cum ita accurate de ſingulis poſteros voluiſti certiores facere. Mirus ſtyli candor, infinita eximiæ eruditionis argumenta, exquiſitæ de rebus occultiſſimis conjecturæ, omnia, ut uno verbo perficiam, & Peireſio, & Gaſſendo, & melioribus ſæculis, & æternâ hominum memoriâ digniſſima. Scis quam procul ſim ab adulatione; itaque, mi Gaſſende, crede me ex animo tuum opus laudare. Quas moras nectis, quare litteratis hominibus, litterarum decus, & præſidium in tuis ſcriptis redivivum, exhibere procraſtinaris. Hoc a te manes Peireſii poſtulant, hoc a te Reſpublica litteraria expectat. Hæc currente calamo ſcripſi, non dubito, quin barbare. Sed tibi, tuiſque Muſis loquor, quæ ſtyli barbariem, ut ſunt humaniſſimæ, facile excuſabunt. Saluta meo nomine Illuſtriſſimum Comitem, nec ita illum tibi totum ſerva, ut illius amantiſſimo, & obſervantiſſimo copiam non facias. Pluribus amicis tantus Vir poteſt ſufficere. Vale, & nos ama, idipſum ut faciant, Clariſſimi amici noſtri D. de Beaurecveil, & de Berville opto, enixe peto, & facturos ſpero. Fruere dulciſſimo illorum convictu, nos rupibus noſtris affixi, animi tædium, & ſolitudinis moleſtias ferre conabimur jucundius tui gratiſſimi adventus expectatione. Vale iterum, & loquacitatem excuſa. Thononi die 9. Decembris anno Incarnationis 1640.

PETRO GASSENDO

PAULUS DU MAY S. P.

TUi conſuetudinem, imo potius arctiorem amicitiæ inter nos neceſſitudinem anteſtor, Vir Clariſſime, ut in eminenti litis futuræ periculo, Illuſtriſſimi Provinciæ Provinciarum Proregis oraculum, ex Tripodis tui cortina conſulere mihi liceat, ne domeſticis laceſſitus negotiis, qu. fratris, & nepotis ex fratre animos neſcio quo fato dividunt, calamitatem privatam ingemiſcere feſtinem; illi ſiquidem Toloſani Senatus Tribunali ex programmatis Regii formulæ abdicati, & Aquenſis juriſdictionem ſortiti forſan litis ordinem in judicio proſequentur, quem nihilominus interturbant ex privato voti noſtri ſuffragio Illuſtriſsimus Princeps Condæus cum nuper Idibus Novemb. Toloſæ ageret; etenim agnatos circa negotiorum tricas in ſinu dulciſſimæ patriæ arbitrum calculo addixit, qui alterum ſi diſſentiant in dirimenda lite deſtinent; crediderim illos, Vir erudite, circa mandati, tantæque gratiæ religionem obſequii gloriam ſectari, attamen inter ſpem, metumque dubius, Illuſtriſsimum Principem Comitem D' Aletz tui ope, & auxilio ſupplex adire feſtino; ne ſcilicet alterum cognatorum privata auctoritate in Senſu commendet, ſed ex amuſsi, & trutina tranquillo vultu utriuſque delicta pendat, & Illuſtriſsimi Principis Condæi genio morem gerere obluctanti perſuadeat, & Toloſam redire jubeat, ne rei domeſticæ commodis litigandi procax libido detrimentum pariat, & inſano litis, itineriſque labore rationes expenſi ſera in fundo parcimonia computet. Bene vale, dum mandatum ex epiſtola Heroia, qui te amicum e re nata novit expecto. Divione pridie Calendas Februarii A. D. 1641.

Robertum bene-valere te noſſe velim, grataque recordatione ſacros cineres Lazari, & Magdalenæ lucubrationibus tuis ex pignoris formula appone.

Reverendo, Clariſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo

SAMUEL PETITUS S. P. D.

INvitus pæne juſſi tibi dari, Vir ſumme, cum hoc epiſtolio exemplar obſervationum noſtrarum; nollem enim doctiſſimum Perſium, id eſt te iſta legere, ſed quia jacta eſt alea, vide, & ſi me amas mone, atque emenda; hic enim unicus finis eſt, cur ad te mittam; nihil certe magis pro amico feceris, nihil mihi gratius, quod ut a te impetrem enixe te rogo. Vale, Vir eruditiſſime, & nos amare perge. Nemauſi ad diem Cal. Sextil. anni Dionyſiani 1641.

Digitized by Google

Clariſſimo, & doctiſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo

HIERONYMUS BARDIUS S. P. D.

A Naudæo intellexi te Pariſiis pro commoda occaſione edendorum tuorum librorum commorari, teque meas ſimul cum clari noſtri Liceti dialogis recepiſſe, quod mihi quidem gratum maxime fuit. Opus meum typis etiam excudendam promptum erit; ideoque aliqua commoda, ſeduleque Typographi tibi familiaris opera uti vellem, pro qua tuam humanitatem vehementer imploro, & deprecor. Juſtum quidem volumen erit duobus, vel pluribus Tomis, prout illi ſatius videbitur dividendum, deque Philoſophiæ libertate ad Platonis aures, & de Jatrochymia, ut quarto, & præcipuo Medicinæ inſtrumento, ac de Medicina ſacra inſcribitur. Opus quidem novum erit non rerum tractatione, ſed jucunda Encyclopædiæ permixtione, qua curioſum erit, ideoque [ut me clarus Licetus, & Naudæus admonent] ab omnibus expectatum, & facilem exitum omnino præſtolatum. Claro Gaffarello multas meas do litteras, de quibus nullum mihi gratum reſponſum accidit. Idem & claro noſtro Liceto evenit. Scire vellem, an librum de erroribus Medicorum ex Hebræo manuſcripto Codice, quem in præfatione ad Medicinalia Campanellæ promittit, evulgaverit, & curet, ut ejus opera ad nos tranſmittantur, ne tanti Viri laboribus diutius jejuni ſimus, quod & de tuis a te factitatum iri peroptarem. Ab eo vellem litteras valde commendatitias pro claro Gauffrido Sereniſſimi Ducis Parmæ, &c. a ſecretis pro meis negotiis cum ipſo pertractandis, vel quæ tuæ eſt ſura benevolentiæ illas mihi percommodas cures. Infudat Licetus noſter in reſponſione ad epiſtolam Galilæi, aculeis omnino, & ſalibus ſine ſale conditis refertam, quæ propediem lucem expectat. Vale, mi amantiſſime Gaſſende, meque tuis juſſis, ac nutibus a me valde peroptatis paratiſsimum perſentias, & cognoſcas. Genuæ 12. Julii 1641.

Doctiſſimo, Clariſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo

Philibertus de la Mare, in ſupremo Burgundiæ Senatu Regis Conſiliarius S.P.D.

GEſtivit animus ex quo te Cl. Peireſii vitam ſcribendam ſuſcepiſſe accepi; nemo enim erat, qui elegantius concinnaret, nemo, qui Virum omni hominum memoria dignum propius obſervaſſet, quam tu, qui tum communis patriæ cum ſtudiorum ratione arctiſſimam cum eo neceſsitudinem habuiſti; & ſi Alexander edixit olim, ne quis ipſum alius, quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles ſculperet, quam Lyſippus ex ære duceret, quidni & ſolius Gaſſendi opus eſt vita Peireſii, cum te Virum omniſcium litteratus orbis ſuſpiciat, & demiretur. Jampridem mens mihi eadem fuerat, quæ huncce tibi laborem ſuggeſsit, & ob id a Cl. Viro Rientio Senatore Aquenſi popoſceram nonnullos in eam rem commentarios, ſed ut ille monuit, te huic operi ab aliquot menſibus incumbere, animum a propoſito revocavi tum propter tuum in te ſtudium, cum quia tenuitatis meæ conſcius verere, ne male habita eſſet Peireſcii fama poſthuma, ſi me ſcriptore vulgaretur: Tibi ergo hæc Sparta incumbit, & tuâ gloriâ, & Peireſii memoriâ digna, ergo neque tantum hoc nomine beatum illum dixi, quod res cedro dignas geſſerit, ſed quod eum Gaſſendus celebrare inſtituerit; magnum ergo erit, quod debeat tibi Reſpublica litterarum, ſi ſuſceptum opus feliciter (uti ſperatur) confeceris; ego gratiam habebo nullo unquam modo rependendam, eoque ſtrictiorem, quod Cl. illius Muſagethæ virtutem, & doctrinam perpetuo cultu proſequutus fuerim, præter-quam quod mihi ad te Virum toto orbe celebrem aditum fecerit; quod ſi te meis votis ſecundum recepero, tuamque demereri benevolentiam valuero, nihil ultra conatus meos erit, quo æternam obſequii in te mei fidem teſtatam relinquam. Vale. Divione 5. Calendas Auguſti 1641.

Clariſsimo Viro D. Petro Gaſſendo Theologiæ Doctori, & Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito

ANTONIUS FRANCISCUS PAYENUS S. P. D.

ETſi tardius Muſas noſtras ad te perveniſſe credideris, qui illas cum edita a te Peireſii noſtri vita publicas faceres, dum jam prælo excuſſum opus in lucem prodiit, dum conſignata tibi exemplaria exegere forſan, ut jam communia fierent, prout me Baronis inclyti litteræ certiorem reddiderunt; adhuc tamen tempeſtive ſe ſe offerunt tibi, ut ſe tuæ mancipent clientelæ, ut tuas amicitiæ vinculo charites ſibi devinciant. Nimirum alian nuſquam mentem habuerant, quam ut tibi ſua amoris, & honoris pignora traderent, dicata tuæ virtuti obſequia nunciarent. Lætamur quod citius, quam crederemus conſcriptum e typis opus exierit, cum inde citius in publicum prodire debuerit, ut nova admirationis argumenta, novæ laudis acceſsione commendent auctoris merita. Expectabam in dies partum ingenii, quem mihi notus tibi Sangencſius promiſerat de tuis, & Peireſii laudibus editurum, ea mente, ut mei ruditatem ſtyli, politioris cujuſdam manus induſtria leniret, temperaret ingenii peritia; ſed neſcio quis animi ſcrupulus, ut palinodiam caneret, impulit, aut quis genius, ut fetus emergeret, impedivit; ita ut eluſa ſic expectatio noſtra moras rumpere debuerit tranſmiſſo ad te hoc epiſtolio, contenta ſcilicet, ut ignorantiam noſtram agnoſceres, dummodo affectum in te noſtrum probares, ingenuitatem mentis gratam haberes. Unum addo, ut ſi quid aliquando ſuperſit otii, aliqua ex obſervatis communicare memineris, ut promiſerunt tuæ ad nos gratiarum manu conſcriptæ litteræ, nec non etiam ſi quid novi fuerit ſuper acus magneticæ declinatione deprehenſum, de qua dum ſcripſi aliàs P. Athanaſio Kirchero Soc. Jeſu in urbe Roma Mathematum Profeſſori tibi noto, is mihi reſponſum dedit ſuſe de ea ſcripſiſſe in libro, quem noviter ipſe in lucem edidit, & magneticum opus nuncupavit, in quo tui nominis, & doctrinæ mentionem, ut decet, feciſſe reſcripſit. Ceterum finire nequeo, quin meritas tibi grates rependerim de humaniſsima, quam habuiſti de me in Baronis inclytâ litteris, recordatione; quæ me inde tanto obli-

gationis

Digitized by Google

gationis nexu devincit, ut me in ævum omne memorem ſimul, & debitorem reddat; nuſquam ergo tanta tibi beneficia rependam, ut immortaliter a te pendeam. Salutem illam, quam juſſiſti tuo nomine dedi eximio noſtro San-legerio, qui tua obſervans merita, exegit a me, ut reciprocas ejus nomine ſalutes hæc carta rependeret. Vale, Vir celeberrime, ac doctiſſime, & amore, quo cepiſti immeritum proſequi perge. Datum Avenione poſtridie Calendas Octobris 1641.

Nobiliſſimi, ac Excellentiſſimi Viri Nicolai Fabricii Fabri Toparchæ Peireskii, & in ſupremo Senatu Aquenſi Regii Conſiliarii

EPITAPHIUM.

Peireſci quid Parca dies præſcindis? an illi,
Quod nulli parcas, parcere ſæva negas?
Falleris; & dirâ tentans abrumpere falce
Fata Viri, falſis ludis imaginibus.
Vivit Peireſii, vivit ſub marmore nomen,
Vivent Fabritii neſcia facta mori.
Munere Peireſii vixit dum Pieris ipſa,
Vivet Peireſius munere Pieridis.
Quid mirum! Muſas aluit, pro munere vitam,
Quæ vitam accepit, reddere Muſa poteſt.
Vivit in illuſtri virtus tranſmiſſa Nepote,
In quo pars ſupereſt magna relicta ſui.
Officioſe nimis tumulo ſtrede viator?
Peireſii fatis Parca nocere nequit.
Nempe vices hominis ſuperat Peireſius Heros,
Inde ſuas voluit fallere Parca vices.

Clariſſimo, ac Reverendiſſimo Viro Petro Gaſſendo Philoſophicæ, ac Theologicæ facultatis Doctori, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, & Peireskii Vitæ ſcriptori facundiſſimo

ELOGIUM.

PALLADIS, ET PHIDIÆ ICON ALLEGORICA.

Sic Palladem Phidias expreſſit, ut etiam ſui ſpeciem impreſſerit,
Ne venerari liceret formam illius,
Quin raperet admiratio alterius.
Eâ inſeruit arte unam alteri, ut eadem utriuſque referret effigiem,
Ac ſi ex immortali Pallade immortalem fierî poſſe crederet,
Æternique operis gloriâ æternum Auctorem referret.
Sed tu, Gaſſende, dum ſtylo pene cœleſti
Peireſcii vitam exprimis, tuam imprimis,
Simulque immortalem reddis.
Dum vitam, quam ſcriptis deſignas,
Tuis etiam factis ad vivum repræſentas;
Peireſcium in te redivivum facis,
Et meliori quam Phidias æternitate
Tuam ex Peireskii gloria gloriam auges.
Scilicet Phidias tempori, tu æternitati pinxiſti,
Debuit ergo illum periiſſe tempori, dum tu vives æternitati.

VOTUM.

Perge, Vir inclyte, perge, & ille, qui te provocavit amor,
Ut Peireskii noſtri vitam, tuis & ſcriptis, & factis expreſſam
Duplici gratitudinis fœnore publicam faceres,
Ille idem excitet te ad ſublimia nutum;
Ut quæ de incognita Epicuri ſapientia,
Quæ de Solis, & Lunæ diametris,
Quæ de Mercurii motibus tibi uni notis,
Vivente, imo vidente Peireſcio,
Perdius, & pernox obſervaſti,
Meritam in lucem edas.
Non poteſt Mercurius ſemper ſub Solis radiis deliteſcere;
Erumpere tandem in lucem debet auſpiciis tuis
In neceſſarium Aſtronomiæ Reipublicæ commodum, ac votum.
Indigebat quippe novo Tychone Aſtronomia,
Qui præcoci morte præventi Brahæi vices expleret,
Parallaxes, refractiones, Solis, Lunæque diametros corrigeret,
Aſtronomiam numeris omnibus impleret.
Quid mirum! Te jam alterum Tychonem agnoverat
Schickardus ille totius Germaniæ laus, & Aſtronomiæ decus.
Ille te hac de re ſuis ad tuum in Sole Mercurium litteris interpellavit.
Hoc velut ex Tripode Tubingenſis Orator
Etiam inter Schickardi funera effudit oraculum,
Scriptis confirmavit Lansbergius,
Tuis dum ſuas hypotheſes firmavit Phænomenis.
Quid plura? dum Galliæ caput Lutetia
Muſarum Parnaſſus, litterarum Athenæum, Orbis Epitome
Te talem proclamat.
Prædicat Germania, venerantur Aquæ-Sextiæ,
Admiratur æmula Romanæ urbis Avenio,
Fatetur omnis regio Solis illuſtrata radiis
Tuæ conſcia virtutis.
Hoc unum ſupereſt,
Ut dum tuam laudibus Peireskii bine uſque ad Sydera noti Pieridem unimas,
Reſonet apud omnes perennis tui nominis gloria.
Decet nimirum omnes, quibus ſe ſe præbuit familiarem tua virtus,
Admiratione raptos, ad Peireskii nominis, tuique famam,
Velut ad Orphei Lyram exilire,
Mutuoque laudum certamine victoriam ambientes
Tuis meritis applaudere,
Et utriuſque gloriæ perennitatem
Æternis utriuſque geſtis modulari.

I licet Viator hoc prius Carmen lege

Dum mea Muſa canit Gaſſendi carmine laudes
Peireſiique fugit, cui ſua dona ferat,
Siſtat Muſa gradum: Muſas tractavit uterque,
Sic utrique poteſt laus utriuſque dari.

A. F. P.

PETRO

PETRO GASSENDO SUO

PHILIBERTUS DE LA MARE S.

TAutum abeſt, ut mihi periculum in mura fuerit, quod meis ad te datis maturius non reſponderis; quin-imu tui beneficio Clariſs. Viri Peireſcii vitam a te nuper ſcriptam accepi, legi, pellegi, nam illa eſt, cojus contemplatione quiſque ad virtutem, & capeſſenda ſerio ingenuarum artium ſtudia ſingi poteſt: Sed quod pluris eſt, acceſſit huic muneri benevolentiæ tuæ ſponſio omni munere major, de qua grates teſerre non opis eſt noſtræ, nam mutuum non repoſcit tanti beneficium, agere autem omnino animi mei eſt omni ſtudio tibi devotiſſimi. Ar nemo ne poſt deſeriptam magni illius Muſagethæ vitam, Pinacothecam illius reſertiſſimum omnis antiquariæ ſupellectilis penu deſcribet? certe Reipublicæ litterarum ulmium intereſt, ne tot laboribus, & ſumptibus, quibus non pepercit Vir ille heroici ſpiritus, comparata antiquæ hiſtoriæ documenta pulvere, & ſqualore ſepulta dormiant (ut ita dicam) penes hæredem; illud mihi in votis fuit, & etiamnum totis animia exopto, ut eb erudito quopiam id operis ſuſcipiatur, qui graviſſimis clarorum ſeriptorum teſtimoniis res illas priſcæ ætatis illuſtret, præſertim eas, quas de ponderibus, & menſuris veterum ſibi comparaverat Peireſcius, a cujus ſchedis non leve auxilium ſuppetet, nam illum accepi paucis ante obitum ennis operam poſuiſſe paucis huic rei inter abſoluti ævi ambages meo ſenſu difficillimæ. Ab amico tuo, qui epiſtolam dedit, audivi te illuſtrandæ Epicuri Philoſophiæ totum eſſe: Bene erit, tu nempe falſam imperiti vulgi ſententiam haud ſane huic Philoſopho æquiorem radicitus evelles, ſcilicet cum de illo mentio habetur, circumſertur tanquam omni vitiorum genere corruptiſſimus, at pravis licet nonnullis erroribus imbutus, veri tamen Philoſophi ſpeciem in multis præſefert, neque adeo Epicurus eſt, quam populari dicterio jactatur, tantumque illi tribuit Lucretius, ut crediderit Epicurum ceterorum omnium Philuſophorum lumen obſcuraſſe; tuum etit, ut probatas Epicureæ Sectæ ſententias ſententiæ tuæ pondere, & calculo firmare, ita & illius nævos pro acerrima ingenii tui acie repellere. Ego autem Jacobi Guyoni rerum apud Æduos noſtros capitalium quæſitoris opera vulgare cogito, hominem ſi non vultu, fama ſaltem tibi notum fuiſſe opinor; nam ille τῦ μακαρίτυ Caſaoboni, & clariſſimi Viri Salmaſii familiaris non pauca reliquit felicis ingenii monimenta, ſi quæ apud te ſint illius ſtylo, ſtricta, vel ſoluta oratione, græco, vel latino idiomate exarata, copiam facias velim, nec non eorum, quæ de vita, & moribus illius acceperis. Vale, & me ama tui ſtudioſiſſimum. Scribebam Divione 9. Cal. Novembris 1641.

Clariſſimo, & doctiſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo, litteratorum Primipilo merititiſſimo,

HIERONYMUS BARDIUS S. P. D.

TUam admirabilem experientialem Philuſophiam typis exaratam eſſe intelligo, quæ tamen adhuc ad nos non pervenit, meam tamen ideam Medicinæ Sacræ Claro noſtro Naudæo commiſſam tuas manus cum meis litteris occupaſſe mihi perſuadeo, cui quidem ſcribo, quid pro meorum opuſculorum permutatione magna tuorum manus habeatur. Typis Romanis imprimitur Meteorologia Patris Nicolai Cabei Societatis Jeſu, in quo volumine unam experientialem Philoſophiam promittit. Pater Merſennius cum Claro Joanne Bapriſta Baliano diutius eſt commoratus; & ad meas aures non pervenerat, cum tamen ejus Religioſis Patribus, ejus adventus notitiam mihi juſſerim manifeſtandam. Vale diutius incolumis tibi, & Reipublicæ litterariæ, meque redamare ſatagas. Genuæ Cal. Novembris 1641.

Litteræ Illuſtriſſimo Domino Joannetino Juſtiniano pro Rege Chriſtianiſſimo agenti committantur.

PETRO GASSENDO SUO

PHILIBERTUS DE LA MARE S.

QUoniam de Guyonio noſtro nonnulle cognoſcere cupia, paucis habe. Patria illi Auguſta Æduorum, genus omnino litteratum; bini nempe illius fratres politioris litteraturæ ſtudio inclaruerunt, eorum unus præter hujus gloriæ decus, etiam & ſanctitatis famam addidit, eo celebriorem, quod urbis patriæ inſulas ſibi oblatas rejecerit, quaſi irritamenta malorum tenui in Lexoviis Sacerdotio contentus; Jacobus autem noſter rerum capitalium apud ſuos quæſitor pangendis carminibus delectatus inprimis neminem ſuo ævo habuit, quicum eo de poëticis ſtudiis jure poſſet contendere; nam neque quæſitus verborum ambitus, neque molles ſermonis luſus in illius operibus animadvertuntur, ſed concinna oratio repit cum levioribus, & cum gravioribus eſſurgit ad rei dignitatem; omnium inſtar eſto judicium Nicolai Borbonii inter melioris notæ Poëtes doctiſſimi, qui cum nonnulla Guyonii opere legiſſet, ea cedro digna renuntiavit. Mitto illum arabici ſermonis ſcientia celebrem Iſaacio Caſaubono innotuiſſe, quorum cum uterque Grammaticam hujus idiomatis texuiſſet, hæredum incurie periit ea, quam confecerat Guyonius. Multa quoque in græcos Patres molitus adnotaverat, ſed indigeſta, verum omni opera Poëticæ data, hoc ſcribendi genere potiſſimum ingentem ſibi famam quæſivit. Hæc habui, quibus te de Guyonio noſtro monitum vellem, quem mortalium rebus ſubduxit annus 1625. Quod non omnino deſperata ſit Peireſcianæ Pinacothecæ deſcriptio maxime gaudeo, ſi modo is, qui ſe digeſturum recepit, ſpartæ huic par ſit, nam res eſt non ardua tantum, ſed omni fere conatu ſuperior propter immenſam omnis Chartaceæ, &

Anti-

Digitized by Google

Antiquariæ ſupellectilis congeriem, cui illuſtrandæ non modu conjecturis opus eſt, verum exquiſitis veterum ſcriptorum teſtimoniis: Sed ægre fero, quod variis caſibus actus a ſuaviſſimo Muſarum conſortio abſtractus fueris hactenus, deinceps verò reſtituendus ſedulo, quoniam, uti me monuit Robertus tuus, menſque, Lutetiæ Penates poſuiſti, ita aveo, & voveo tum mihi, tum Reipublicæ litterarum, quam ornare, & juvare non deſinas quamdiu Gaſſendus eris. Naudæum tuum hunc avitare tua fretus litteris adire placuit; tu, ni grave fuerit, ſcribenti præibis, meumqua in illum ſtudium ſignificabis, remque longe ſuaviſſimam feceris, ſi quam ad illum ſcribo mittendam curaveris. Romæ illum agere in præſentiarum opinor apud Mæcenatem ſuum Cardinalem Barberinum. Vale, & me, ut facis, ſemper ama. Divione 8. Idib. Decembris 1641.

Si quæ tibi nota ſint de prælio Lepanthino indicare velis oro, atque etiam oro; nam exactam illius, ſeu pugnæ dixeris, ſeu belli (quia tantum ſanguinis fuſum eſt, quantum cruentiſſimo quoque bello) hiſtoriam ſcribere animus eſt; ſinguli enim quique auctores nonnihil habere circa eam rem peculiare, neque eorum unus omnia ſcripſit; ego modis omnibus conabor, ut tam celebris, licet non adeo utilis, Chriſtiani nominis victoria raſtituatur in integrum. Iterum vale.

Illuſtriſsimo Viro Domino Domino Petro Seguierio Franciæ Cancellario.

ΓΕΝΕΑΛΟ'ΓΙΑ.

Stemma, genuſque tuum gens imperterrita bellum
Vaſconidûm illuſtri ſanguine prima tulit.
Inſignita dein proavorum purpura faſtis
Claruit, inſontis murice tincta toga
Præſidit hic ubi ſub trabea, majoribus atque
Inter avos geſtit, te, Seguiere, colit.
Teque Palatini Comitatus culmen adeptum
Novit, ut arcano numine cuncta juves.
Dum tua cæruleo diſtinguit fata colore
Torquis, & in gemina ſorte ſigilla geris.
Queis bullata vigent Orbis monimenta ſub armis
Regis, & imperii quà via lata patet:
Sic dum conſilio Germani Eccleſia ſurgit.
Labantem populis firmat utrque fidem.
Fortunata nimis, tantoque Lutetia partu
Aucta, tuum bino ſydere cinge caput.
Ut jactata diu nondum ſubmerſa ſuperſit
Navis, & attonito turbine ſiſtat iter:
Arma licet tractent Proceres ſub fulmine belli,
Quorum Richelii dextera fræna premet.

Lutetiæ vovebam Heroi 16. Cal. Aug. A. D. 1641.

PETRO GASSENDO

PAULUS DU MAY S. D.

PEllegi Panegyricum amici noſtri, Vir erudite, cujus elegans ſeries calami tui nativa pulchritudine aſſurgit, & alterum Plinium naturalis hiſtoriæ aſſertorem ſibi vindicat. Doleo clariſſimi Peireskii vicem, ſed dum adhuc ſpirantem in tua pagina contemplari licet, fato ſuperſtes inter eximios vivit, quamvis genius commendatus ſit. Novi quo benevoli propenſa animi affectu illuſtriſſimus ſacri Palatii Quæſtor eruditionis tuæ delicias proſequatur; ex occaſione noſtri apud illum fiat mentio iterum, atque iterum rogo; quod ſi dies noverca conſilio noſtro adverſetur, aliam, quæ ſit favens amplexare. Carmen, quod aliquando in ſui gratiam effinxi, e re nata κατὰ πόδα comminiſcere colore quæſito, quod ante diſceſſum ejuſdem copiam tibi fecerim, quia meas eſſe aliquid putas nugas. Ἠθικὴν Epicuri prima quoque die tua induſtria explanatam videre mihi videor, una cum Fabroti noſtri lucubrationibus ad Βασιλικὰ Juris, quæ Petri Fabri San-lorani monumentis conſignata, poſt obitum magni Cujacij Toloſatis noſtri Lutetiam translata interpretem celeberrimum ſibi deſtinarunt, ejuſdemque Quæſtoris, & Herois [cui bene ſit] auſpiciis in lucem prodire feſtinent. Clariſſimi Bocharti Champinij Abbatis gratiſſimam recordationem abſenti illibatam conſerva, & de te, illoque vicino tuo epiſtolam exhiberi jube a Roberto tuo neceſſitudinis ineundæ conſilium obteſtatus ſum conſuetudinis tuæ, illiuſque eruditionis patrocinio ſuffragante. Bene vale, & me ama. Divione 6. Idibus Decembris A. D. 1641.

Docliſsimo, Clariſsimoque D. Domino Petro Gaſſendo Theologiæ Doctori Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito

ANTONIUS FRANCISCUS PAYENUS S. P. D

LIcet tardius, quam deberem, aut ſerius ac optaſſem tuis hæ noſtræ reſpondeant litteris, ingenita tibi humanitas innocentis negligentiæ crimen condonabit, aut potius æquitas tua librato cauſæ pondere, quæ me a debito prohibuit ſcribendi munere, non injuſte repellet juſtiſſimam accuſationem tuam. Ea nimirum fuit ſilentij noſtri ratio, quod excitata de monetis celebris controverſia me elapſis proxime feriis Lucalibus ad publicum in Univerſitate noſtra legendi munus provocavit, quod ne perfunctoriè tantum implerem, neve a forenſibus propterea curis recederem, ſed utrumque penſum abſolverem, adeo temporis ſollicitus eſſe debui, ut vix aliquid ſupereſſet otii, quod intentum curis animum recrearet, vel intenſam mentis aciem remitteret. Sed ne major me contumacia reum faceret, aut ne Dominus San-Legerius eximii Patris tibi noti filius ad te ſine epiſtolio adventaret, decuit purgare moram, ſi tamen adhuc facere ſatis poſſim, dum tot urbanitatis tuæ nominibus adſtrictum ſuperaddita vincula ex acceptis nuperrime litteris ſtrictiori me nexu obligarunt, ut fateri cogar invitus me non ſolvendo factum, qui poſſim æqua lance contractum æs exſolvere. Quod verò aſſeris, ne tua παραδόξως deprædicaſſe merita, ac ſi vitro quodam convexo in te noſtra reſpexiſſet oratio, da veniam, ſi te tibi ipſi impoſuiſſe dixerim, qui tua per myoptram intueris merita, dum te tantopere deprimis, ut mihi te nullum fere perſuadeas, ut te ad punctum

pænc redigas, qui tamen Galliam omnem, ne dicam orbem ſplendore nominis imples, ac eminens, ut hoc Humeriſtem Παντὸς ἀρέτῃσι κεκάσμενος; & licet ea mihi tribuas, quæ quidem optarim ſemper, ſed nunquam fuerim aſſequutus, quæ nec ego ob ingenii mei tenuitatem ſuſtinere, nec tu propter judicii tui dignitatem pertinacius tueri poſſis. Capior tamen falſis hujuſmodi gloriæ imaginibus, & fera conditionis meæ oblitus inter hujuſmodi phaleras, & ornamenta æreſco; ſaltem non audeo, ne a te omnino diſſentiam, & auctoritati tuæ nimis detraham, me ipſum prorſus contemnere, quod ut majori cum fiducia, & minori cum jactaoria fiat, enitar omnibus viribus, & continuis laboribus efficiam, ſi potero, ut des aliquando veritati, quod modo amicitiæ largitis. Interim dum fidem liberaſti tranſmiſſis ad me optatis obſervationibus tuis de Mercurio, Marte, Venere, & Jove, aliiſque me graviori obligationis onere devinctum jam oppreſſiſti, ut debitam a me tibi fidem exſolvere non valeam; dum ſtudiis, & curioſitati noſtræ proximis hiſce natalitiis feriis ſecero ſatis, an Argulicæ, vel Copernicex, au Lansbergianæ, vel Rudolphinæ exactius Cœlo reſpondeant tranſcriptas ad te, ut in licaſti remittam obſervationum ſchedulas, calculique noſtri rationes, tuum ſuper his judicium expectaturus. Ceterum quoad nuperæ Eclipſeos Lunaris obſervationem a te factam cum eximio Bullialdo, cujus nominis fama, & virtus non me latet, dolui quam-maxime, quod Cœlum nobis fuerit minus propitium, quam tibi, cum ita craſſis obſcurum nubibus nobis extiterit, ut ne quidem vel minimam inter rimas Lunæ phaſim a nobis obſervari licuerit; accincti eramus cum Illoſtriſſimo Domino San Legerio noſtro, ut optata nobis obſervatio fieret tibi communis; ſed eluſit infidum Lunæ Sydus expectationem noſtram, quæ Terræ umbram indignata, ne nubis orbata lumine deformis appareret, maluit nubium velum induere, ut verecundiam tegeret; vel obſervatoris tenuitatem aſpernata ſubtractu elegit aſpectu deliteſcere in nubibus, ut temeritatem plecteret. Proximo Aprili menſe, Deo dante, conabor inſignem Luciuæ defectum obſervare, ſi Cœlum, ut ſpero, felicius faverit, & quia inſtrumenta nobis ſunt minus apta, ut opinor, vix enim palmos tres quadrantis Aſtronomici diameter excedit, ita ut ſola ſcrupula prima quinario numero diſtincta intercipi poſſint, acceptum haberem, ſi requiſitam longitudinem, dum tibi liceret per otium, notares; aliaque pro ſulcro firmando neceſſaria, ne vel minimus in obſervando ſuperſit inde ſcrupulus, tam in Phaſibus, quam in totali immerſione, vel emerſione, principio, vel fine, & altitodine Fixarum, ac quæ ſit habenda ratio refractionis in obſervanda oræ Lunaris altitudine, vel Fixæ de tempore obſervatæ Phaſeos, nec non ſecundari luminis oræ Lunaris pro determinando ejus limbo, ceteraque ad hanc rem ſcitu digna pro exacte peragenda obſervatione; ſi tamen ſeria, quibus detineris negotia patiantur, rem gratam facies, cum a magnis Viris tibi ſimilibus ediſcere in gloriæ parte reponam, ut obſervationibus tuis noſtræ reſpondeant pro definienda illa Meridianorum differentia in publicam, cui laboras, totius orbis utilitatem. Neſtoreos ad hoc, & alia, quibus natus vivis tibi deprecor annos, quales mereris, quales exigit Aſtronomiæ reſtitutio. Vale, Vir celeberrime, & doctiſsime, addictumque ex aſſe tibi, amore proſequere. Dabam Avenioni 3. Id. Decembris 1641.

Clariſsimo, & Doctiſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo

HIERONYMUS BARDIUS S. P. D.

INaudiveram jam a Clar. Meyſſonnerio te Lutetiæ commorari pro editione heroicarum virtutum oſtentanda Viri Illoſtris Domini Fabricii, & cujus tui operis duo exemplaria hac die habeo, & Liceto noſtro deſtinatum nunc quidem mihi data commoda occaſione tranſmitto. Hujus autem meum tibi ſenſum aperire non poſſum, cum ab exemplarium latore pro reſponſione Domini Valavez, illique, cui commendata, pro debita cura facere nimis urgear. Prima autem fronte videtur mihi magni Viri argumentum, quod ipſi operi complementum præoccupat; at quidni maxime cuique arridere debeat? Cum ab illo maximo Philoſopho, & eruditiſſimo Viro Apollini, & Muſis conſecrato, & Minervæ, & Mercorio dicato omnium ſcientiarum vaſtiſſima arce dependeat, & originem ducat non eſt profecto, qui poſſit inficiari. Sed hæc pauca pro magna laudum mole tibi dicam. Si haberem doctiſſimi Allatii elogium pro noſtro Liceto, cujus multa exemplaria a noſtro librorum vaſtiſſimo Helluone, & præſtantiſſima tinea Gabriele Naudæo miſſa ſunt. Unum tibi transferendum hac occaſione curarem, ſed ab amicorum hic manibus omnia mihi avulſa fuere. Expecto a noſtro Liceto velitationem, & Theoriam, quam diſcutit ex tuis obſervationibus de Lunæ luce, &c. cum claro Galilæo, quam ſtatim ad te mittam.

Urgeo nunc tranſcriptionem ideæ Medicinæ ſacræ typis hic excudendæ in 16. quod opus erit Prodromum Iatrochymiæ meæ in generali, & particolari, & veſtigii libertatis Philoſophiæ in Platonis Timæum. Et eum his ſubſequetur Medicina ſacra in particulari in unoquoque Sacræ Scripturæ loco dignum punctum faciens, & adoptata methodo cuncta eventilans, Encyclopediæ tum prophanæ, tum ſacræ conſecrata, & Phyſicomedicis animadverſionibus corroborata. Scire averem a te, quod opus præ manibus habeas, neque enim unquam te otioſum intellexi.

Occaſione autem ſtudii Iatrochymici Medici, cui me plurimum deditum eſſe profiteor, mihi communicata fuerunt quædam non ingratæ notæ ſcripta Vincentii Thornei Angli, qui etiam de Philoſophica ſublimatione perſcripſit, ex cujus ſcriptis, & relationibus mihi conſtat fuiſſe virum quidem in hac arte inſignem, & plurimam mulem auri tempore Ducis Alphonſi Ferrariæ ope multiplicationis compaginaſſe. Quod mihi conſtat ex ſyngraphis, & ædis monetariæ illius urbis calculis digna obſervatione peractis, cujus quidem apud me arcanum eſt dignum, ut experimento comprobetur. Enimvero lucrum certum 80. pro quolibet 100. dat. Et quia in his regionibus tuis Viri adſunt hujus artis peritiſſimi, optarem, ut de hoc me certiorem faceres, ut cum illis totum arcanum communicarem ad majorem ſaltem Dei gloriam, juxta Salomonis inſtitutionem in Templorum ædificatione ejuſmodi

Digitized by Google

di oſtentandam, vel cum ipſis experimenti trutinam ſubire poſſem. Certus enim ſum hoc mihi tantum ſecretum eſſe cum Dei benignitate ejus ſcripta ab uxoris ejuſdem, quam hic ſenex accepit manibus habuerimus, & adamuſſim ab eo reſcriptum eſſe in ſuis ſcriptis, in quibus ipſe ajebat habere theſaurum recluſum, & hoc in actum practicum eduxit. Nam primo dives Londini, dein tota gaza in hujuſmodi Sophiſticis operationibus depopulata peregrinabundus has noſtras regiones petiit, & ut vero Philoſupho Deus hujuſmodi ſecretum communicavit, quo ſibi duodecim millia ſcutatos comparavit, quibus vitam commode ducere ſibi perſuadebat, quos uxori reliquit, ut poſt ejus mortem in pia opera ab ipſo deſtinata remanerent. Ceterum me ama, Vir clariſſime, & tuis me juſſis condecorare ne graveris. Vive Neſtoreos annos Reipublicæ litterariæ magnum decus, & ornamentum. Vale: Genuæ 23. Januarij 1645.

De operibus tuis ad me tranſmiſſis quantas tibi poſſum animo non niſi gratiis tuis grato rependo.

Magno in litteraria Republica Senatori inclyto, ac perilluſtri Viro Petro Gaſſendo

SEBASTIANUS BALDUS
Genuenſis Medicus S. P. D.

EN tibi mitto, Vir Clariſſime, elogium, quod ſapientiæ Præſuli eximio Liceto noſtro, veluti donarium, & anathema conſecrat Leo Allatius. Virum loquor, in cujus pectore nidulatur ſapientia ipſa, & quem Muſæ mellitiſſimæ in humanitatem adornatunt. Licetum ſcis qualem Virum, quem ſcio te unice diligere, admirari ejus laudibus ſenſu mitu affici, & cujus dotibus ita excultis vileſcat omnis laudatio. Mitto ego manu ruſtica, ſed animo omnino diſpari erga tuam humanitatem, doctrinam, & in re utraque excellentiam, quibus mirifice ſum obſtrictus, mitto inquam flores boſce amœnitatis, quibus fructus magnæ doctrinæ veluti redimuntur.

In his habebis, unde minus repudies inanitatem animi mei, quem ſi minus comptum, & excultum deprehendes, ipſe ſibi animus nibilominus candore, & obſequio munitus ſibi feret ſuppetias, & tibi litationes movebit. Sin minus accipe proxenetam eundem Licetum, magnu mihi amicitiæ nexu devinctum, & in paucis mihi carum. A me, qui jubar doctrinæ adeo eximiæ non queo ferre, quid aliud expectes niſi animum tibi omnino addictum, & veluti ligamine vinctum, ne laudum tuarum molitionem, quibus ſum omnino impar, adeo ut admirationi locus ſupereſſe tantum videatur. Sed ecce dum Gaſſendum hac epiſtola convenio, ruditatem animi explicatam calamo patefacio, Viro nimirum, qui apes in ore, in pectore Charites habet, qui volucrem famam ubique Terrarum, ubi theatrum poſuit eximiis doctrinæ ornamentis, ſed nunquam caſuram poſſidet, cujus monumentis litterariis gaudet Apollinis Curia univerſa, proficit in dies, & incrementum capeſſit.

Cum Hieronymo Bardio, ac promeritorum ejus fulcruria metuet minus mea infantia, minus exhorreſcet doctiſſimi Viri conſpectum; is mihi auctor fuit, ut tibi non tam hanc ſcriberem epiſtolam, ſed elogium Liceti inſuper tranſmitterem; arripui omnibus votis hanc jucunditatis plenam occaſionem, ſcripſi propterea, a ruditate haud timens, ſciens tibi non defuturum ſpiculum illud humanitatis, qua mea ſenſa in bonum acciperes, & opus impolitum veluti lima, ac ſcalpro perpolires; non quidem in cordis tabulis, in quibus plenitudinem dilectionis inſculpſi; nam animus ab amore non patitur inanitatem.

A trium-viratu magnorum Virorum Liceti, Pauli, Areſii Deuthenenſis Epiſcopi, & Sylvaſtri Petra-Sanctæ è Societate Jeſu, quos unice veneror a doctrina, monumentis æternis, morum integritate, & quos familiares habeo; id etiam mihi uti ſpero acceſſerit, ut a te Viro hercle eximio, in tuam amicitiam dicam, an clientelam? aſſumar, & veluti inſitus ramuſculus propago magnæ arboris efficiar.

Sed dum Bardium tibi appello, opus Medico-ſacrum, quod in lucem parat, & æternitatem circumſcribere debeo; in eo ſublimiori obtutu Medicinæ arcana, Philoſophica praxide diſcludit Vir egregius; Sacros Scripturæ ſenſus defoſſor induſtrius eruit Iatrochymiam ad Hippocratis normam ita ſolide, erudite, floride explicat, ut remotis Sectarum divortiis, jam Medicina unitatem agnoſcat: Nobilitatem ejus, fructus uberrimos diffundit ubique, & brevi compendio magnas opes includit. Quod alias ſcripſi, rurſum repeto, habet ibi unde Medicinæ Apotheoſim ſapientiæ calculo commendet. Vale, & Neſtoreos impleas annos, ut tui perennitate floreat litterarum Reſpublica. Genuæ 28. Januarij 1642.

PETRO GASSENDO SUO

PHILIBERTUS DE LA MARE S.D.

RObertus ille noſter benignior eſt etiam leviſſimorum officiorum æſtimator, quandoquidem cum commendat officia, quæ abs me experiri dicit, veris majora tibi retulit: Utinam daretur utriuſque veſtrum ratione meum in utrumque ſtudium, prout eſt, exhibere; videret equidem ille ſi non utilem me ſaltem rerum ſuarum apprime ſtudioſum. Ceterum erupit noviſſime pæne me inſcio Commentarius de bello Burgundino; illum a Marnæo noſtro Senatore Divionenſi meo nomine accipies, nefas putavi, ſi te illo quanquam leviſſimo, & rudi, quod ajunt, Minerva ſcripto indonatum vellem, & amici, non amicum in eam rem judicium expoſcerem; probe quippe mihi notum eſt cum tu illi calculum adjeceris, a cenſoria aliorum virgula immunem fore. Naudæum Lutetiam jamjam venturum gaudeo, & quas poſſum gratias ago, quod eam, quam ſcripſi epiſtolam tranſmitti curaveris, minus certe Eminentiſſimi Mazarini famam augebit nova, quæ nunc fulget purpura, quod ſi Naudæum in familiam ſuam adſciverit, deſinet tunc aliquomodo Gallorum querela, qui ſtirpes apud ſe enatas in alieno ſolo radicem agere queruntur, ſed omnino deſinat, velint Superi, brevi Salmaſii, & Carteſii reditu, quorum prior apud nos agit proximo Vere in

Digitized by Google

Bataviam migraturus, uterque, ut poſt-liminij jure parenti ſuæ Galliæ reddatur, & opto, & cordatiorum quotquot ſunt hominum votum eſt. Vale. Divione Caleod. Februarij 1642.

Admodum Reverendo, atque ampliſſimo Viro, ac Domino D. Petro Gaſſendo S. Theologiæ Doctori, atque Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, digniſſimo Amico cumprimis colendo S.

ADmodum Reverende, atque ampliſſime Vir. Magnorum Virorum ardentibus ſollicitus precibus fores benignitatis humanitatiſque Reverentiæ veſtræ denuo pulſo, ſi importunior ſim ignoſcas rogo. Cauſam petitionis meæ brevibus aperio, cum magneticarum declinationum obſervationes in arte mea magnetica propoſitæ per univerſam Europam ab inſignibus Mathematicis factæ, eximiis quibuſvis hic Romæ viris mirum in modum arriſerint, atque hoc ipſo experimento, quantum unanimis mentium in unam rem indagandam conſpiratio poſſit, compererint. Magnum haud dubie Reipublicæ litterariæ, ſi ſimiles obſervationes ſimili animorum cum pari induſtria conjuncta conſpiratione inſtituerentur, augmentum acceſſurum credebant; dum igitur felix dictarum ſuſpiciunt obſervationum auſpicium, ad aliorum ſimilium obſervationem oculis, animiſque adſpirant. Me igitur continuis ſollicitantes precibus, & præ ceteris ipſe Eminentiſſimus Cardinalis Barberinus inſtanter urget, ut qua induſtria magneticas declinationes obſervari curaſſem, eadem & duarum hujus anni futurarum Eclipſeon obſervationes inſtitui curarem, quorum quidem æquæ, & laudabili poſtulationi refragari nefas eſſe duxi.

Horum itaque nomine R. V. obnixe rogo, ut memoratorum Virorum votis annuens in hoc ipſo ad boni communis promotionem inſtituto negotio ſe impigrum gerat, id eſt, Eclipſin alterutram omni diligentia, ac induſtria obſervare non gravetur. Ita autem eam obſervari velim, cum utraque Eclipſis totalis ſit, præciſa temporis momenta ſingulorum 4 punctorum inceptionis totalis obſcurationis, ex umbra emerſionis, & totalis definitionis una cum ejuſdem Lunæ iiſdem momentis, ſicut & alterius Stellæ fixæ ab horizonte altitudine ſummo ſtudio obſervet. Quo facto obnixe rogo, ut pari ſtudio ſingulas obſervatæ Eclipſeos circumſtantias una cum eorum, qui præſentes, & dictæ Eclipſis indices, teſteſque fuerunt, Mathematicorum nominibus comprehenſos Romam tranſmittere dignetur. Faciam enim, ut eæ propediem hic publici juris fiant. Quamobrem, ſi quos peritos Mathematicos amicos noveris, eos ad eandem obſervationem faciendam omni ſtudio extimulare non omittas. Sic fiet, ut opus in bonum publicum cedens communibus etiam ſuffragiis inſtituatur. Nihil porrò reſtat, niſi ut me R. V. SS. PP. & SS. commendem. Romæ 13. Februarij 1642.

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto
Athanaſius Kircher.

Reverendæ Dominationi Veſtræ gratias habeo de honore, & ſplendidis teſtimoniis, quibus me in vita D. Peireſcii exornavit. Rependam ego R. D. V. ſimilia in operibus meis. Si aliquid in arte mea magnetica correctione neceſſarium, vel ad augmentum operis jam denuo Coloniæ imprimendi conferens noverit, id mihi propediem ſignificare non gravetur. Ceterum uti magneticas declinationes ſummo ſtudio obſervavis, ita & Eclipſeos accuratam obſervationem mihi non denegaturum confido.

PETRO GASSENDO

PAULUS DU MAY S. D.

NOn ingratus grates ago, Vir erudite, urbanitatis tuæ officio propinquis in acerbioti litis ordine opportuno, cujus illecebris irretitum videre videor Illuſtriſſimum Principem Valeſium Pro-regem Patriæ, quæ tuis cunabulis gaudet, cui epiſtolæ tuæ copiam faciam, quam-primum intellexero alterutrum affinium contumacem adverſus mandatum Illuſtriſſimi Principis Condæi, ex cujus formula totum iſtud negotii ſine ſtrepitu fori viâ leniori deſiniri debet; ſi quid invicem de Roberto rependere poſſum pro modulo virium parturienti obſtetricabor. Bene vale, Vir erudite, obſequiique noſtri pignus D. Abbati de Champigny, ut utar verbis I.cti. opponas iterum, atque iterum rogo. Divione 12. Cal. Martias A. D. 1642.

Viro Maximo, incomparabili Petro Gaſſendo S.

VIr clariſſime. Cum primum veni Amſtelodamum, nihil prius habui, quam ut Elzevirium convenirem, & de tuis libris excudendis mentionem facerem; nec multis opus fuit, ut perſuaderem, ſi quos ad me mitteres elegantibus illis typis adornares. Quare non eſt jam, quod diutius detineantur penes te, invideaſque theſauros tantos eruditis, quos omnes puta uno ore per me Virum eruditionis amantem graviter expoſtulantes tecum de tam longa procraſtinatione. Non immemor eſt Voſſius ante decennium, ſe ſpem ipſi tunc feciſſe brevi proditura in lucem commentaria in Epicuream Philoſophiam. Non ignoro quid praſtiteris, & quid præſtare poſſis, Rivetus, Barlæus, Heinſius, Regius, alii, quos omnes audivi, non ſine magna animi voluptate de te, ut par erat, verba facientes. Mitte igitur ad nos quæ priora publici juris facienda conſtituiſti. Ego provinciam libenter ſuſcipiam ſpecimina typographica corrigendi, & opera urgendi. Periculum fac vel in reſponſione ad Carteſium, cujus expectationem feci illi ipſi viro, cum viderem ſcilicet opinione tanta ingenii ſui tumentem ut minimo te provocaret; nam quod in poſtrema Metaphyſicæ ſuæ editione forte legiſti de iis, qui ſcripta in ipſum clanculum legenda tradunt inimicis, id de te mihi expoſuit, ut de animadverſionibus tuis nondum excuſis, quamquam ſcio ea te eſſe manſuetudine, ut miſſa ſponte facias, quæ ad hominem militem cedere neſcium ſpectant, dum ad rem ipſam, in qua latet vitium properas: Sed hæc in autem tibi uni dicta velim. Ceterum, quæſo

ſo ita cenſeas, neminem eſſe, qui te pluris faciat, ſuſpiciat magis, veneretur, & amet, quam ego. Itaque nulla ſunt benevolentiæ, & obſequii officia, quæ a me, quoties ſe dabit talis præſtabit occaſio, expectare non debeas. Vale, & nos, Vir clariſſime, viciſſim ama. Amſtelodami 8. Junii 1642.

Tui obſervantiſſimus, & addictiſſimus Samuel Sorbertus.

R. P. Merſennum plurimum ſalutatum velim. Prateo noſtro ſub diſceſſum tradidi libros tuos, & diſſertatiunculam noſtram, quæ puto in manus tuas veniſſe.

Viro Maximo, incomparabili Petro Gaſſendo S.

VIr eximie. Iterabo quod in prioribus meis jam indicavi: Quidquid operum tuorum ad nos tranſmittes prælo ſine mora committetur. Suaſi Blavio Typographo, ut Paradoxicarum exercitationum tuarum in Ariſtoteleos novam editionem curaret; ſed te prius conſulendum cenſui, ut ſi quid mutari, addive oporteret indicares, & præterea copiam faceres exemplaris, quod nullum hîc reperiri potuit. Ego Hagæ Comitis nunc dego apud D. Rhingravium, unde Sluſam ſum profecturus circa brumam; quare ſi quid mittas poſt illa tempora ad nos, dirigendum erit ad D. Rivetum, vel ad D. Guillelmum Grotium, per quos tuto accipiam. Vale, & perge me amare. Hagæ Comitis 25. Auguſti 1642.

Vir Eximie

Tui obſervantiſſimum, tibique addictiſſimum Samuelem Sorberium.

PHILIBERTUS DE LA MARE

PETRO GASSENDO SUO S.

NUnquamne deſines, mi Gaſſende, & rem litterariam tuis lucubrationibus promovere, & me novis in dies cumulare beneficiis? Nunquam ſane, nam ut inexhauſta eſt ingenii tui vis, ita & humanitas tua minime ſibi temperare poteſt, quin alia ſemper veteribus addat beneficia, quamobrem de munere tuo, quod tranſmitti ad nos curavit Cl. Du Maius noſter, gratias ago quas poſſum, ego autem quam maximas; mire præſertim placuere in ea epiſtolæ illæ de motu, ſed maxime ubi de Terræ motu diſſeris. Rem verò longe ſuaviſſimam feciſti, cum univerſa Epicuri dogmata brevi a te fore illuſtrata pollicitus es, quibus ut cito colophon addatur & ſuadeo, & opto. Interim vale, brevique Rempublicam litterarum tam præſtanti opere locupletem velis; iterum vale, & me, quod facis, æternum ama. Scribebam Draciaci in Eduis 16. Calend. Novembris rebus prolatis 1642.

PETRO GASSENDO

PAULUS DU MAY S. D.

LIbros de motu, & apparitione Solis humilis eruditionis, & Phaſeos elegantia ſparſus accepi, Vir clariſſime, quo nomine tibi gratias ago, meque tibi ex aſſe devinctum profiteor. Eoſdem Domino Bouchu Curiæ primo Præſidi legendas commodavi, poſtquam in Palatio Regis Senatores Collegæ contrectarunt, dum a te Domino de la Mare exemplar deſtinatum dedi, quorum ſententia politi, & reconditæ doctrinæ pignora habentur. Quod ſi Bibliopolæ eorumdem copiam præſtitiſſent, unumquemque Bibliotecæ privatæ tractatus tuos e re nata inſeruiſſe velim credas; etenim materies, ejuſdemque partitio, & enucleatio calami tui forte accurata ſic eluceſcit, ut unuſquiſque in tui admirationem a tuo genio motore primo impellatur; & in Solis licet humilis irradiatione obſtupeſcat, quod ſi meridiem ignibus illuſtraret, de oculorum, & ingenii cecitate dubitarem inter delectationis illecebras, & irritamentum. Bene vale, Vir erudite. Divione 16. Calend. Novembris 1642.

Clariſſimo, Sapientiſſimoque Viro D. D. Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito digniſſimo

PETRUS CAZRÆUS

SOC. JESU P. S.

QUas ad nobiliſſimum, clariſſimumque Se- 1.
natorem Dominum de la Mare de motu impreſſo a motore tranſlato epiſtolas tuas benevolentiæ nomine tranſmiſiſti, eaſdem ille pari benevolentia mihi communicatas eſſe voluit, quas ambas tanto avidius decurri, quanto præeunte tui nominis fama jam altius animo meo inſederat, ſetus omnes ingenii tui non poſſe a tanto parente eſſe degeneres. Neque certe expectatione mea deluſus ſum; plurima enim ingenio tuo, & publica luce digniſſima in iis adverti, & maxime quæ fere tota epiſtola experimenta profers, quibus etiam clare, evidenterque concludis quod initio probandum aſſumis: *Si id corpus, cui inſiſtimus transferatur, motus omnes noſtros, rerumque a nobis mobilium perinde fieri, apparereque, ac ſi illud quieſceret*; unde ulterius quoque evincitur, nihil contra motum Telluris ea argumenta concludere, quæ a projectilium motu vulgo deducuntur. Ego certe ante annos plus viginti cum in Academico pulvere deſudarem, eadem argumenta omnia, quamvis non tam præclaris inductus experientiis, ut invalida, nulliuſque momenti abjeci. Hoc itaque cum citra omnem dubitationem a re evidenter conſtitutum ſit, patiere [ut mihi quidem perſuadeo] etiam perlibenter, ut de quibuſdam aliis, quæ mihi paſſim in ipſo utriuſque epiſtolæ decurſu minus probata ſunt, amice tecum agam; non ſane altercandi ſtudio, multoque minus reprehendendi gratia, ſed ut tu ipſe de te profiteris, ſolius

in

in re magni momenti veritatis inquirendæ voluntate.

2. Atque ut relegam veſtigia tua, non ante præcipuam de Telluris motu quæſtionem attingam, quam ea, quæ tu quoque præmiſiſti in examen adducam, illudque in primis, quod a Galilæo excogitatum pro urbanitatis tuæ ingenuitate, non ſine auctoris laude pag. 20. aſſumis, & pag. rurſum 70. ingenioſe ſane illuſtrare contendis; gravia ſcilicet dum ſponte naturæ deſcendunt, temporibus æqualibus ſpatia continuo majore decurrere, & in ea quidem ratione Arithmetica, quæ ſecundum numeros omnes impares, ab unitate incipientes perpetuo procedat. Equidem mihi plane perſuadeo, nunquam id a te Galilæi decretum in examen adductum fuiſſe; ſi enim feciſſes, proculdubio falſum illud eſſe, & quam longiſſime a veritate alienum pro ingenii tui ſagacitate reperiſſes, ſatiſque perſpexiſſes illud e Galilæo colligi ex principiis falſis, & non-niſi evidante paralogiſmo confirmatis, dialogo 3. de motu accelerato pag. 164. quod nos fortaſſis ſuo tempore alias, & quod conſequens etiam eſt, cetera quoque omnia, quæ toto illo dialogo tertio ingenioſiſſime alioqui concludit, falſa eſſe demonſtrabimus. Sed quoniam ad propoſitum tuum nihil refert, quà tandem, arithmetica-ne, an geometrica ratione gravium acceleratio procedat, diutius hoc loco non immoror. Rectius de motu parabolico philoſophatus eſt Galilæus, modo quæ a motore translato impelluntur, nec a ventorum incurſu, nec alio quopiam adventitio motu, atque impulſu impediantur, quod merito ſupponitur.

3. Tuum verò jam illud eſt, quod pag. 24. tertio loco ex ſuperioribus elicis, vim ſcilicet ſurſum impellentem a virtute in latus deflectente non modo non deſtrùi, ſed ne ulla quidem etiam ratione imminui. Unde ulterius item Corollario 6. & 7. ſupponis, quod clare, ac diſtincte Corollario 10. & 11. jam exprimis, nempe, ſi pro inæquali velocitate translati motoris linea parabolica ejusdem ſemper altitudinis, nunc contractior, nunc latior, atque apertior fiat, eam nihilominus æqualibus ſemper temporibus tranſcurri, & iisdem etiam præciſe, quibus inquiete eandem altitudinem per rectum parabolæ axem aſcendendo, ac deſcendendo idem mobile decurres. At ex præaſſumptis non inferuntur iſta neceſſario, & niſi aliis experimentis fulciantur, etiam apud harum rerum peritos non invenient fidem. Receptum enim eſt, mobile quodcumque duobus motibus in diverſas partes actum tantò ſegnius in unum terminum deferri, quanto fortius in alterum tendit, quod experimentis palam obviis ita conteſtatum eſt, ut tamquam effatum vulgo habeatur. Accedit, quod in motu projectilium, & univerſim in quolibet motu medium ſemper aliquid reſiſtat, quo majus igitur, ac longius perrumpendum eſt medii ſpatium, eò reſiſtensia efficitur major. Cum itaque linea Semi-paraboles major ſit axe, & tanto quidem major, quanto apertior eſt, difficilius per curvam illam, decuplo forte, & ſi placet etiam centuplo longiorem, projectile movebitur, quam per axem multo breviorem. Ratio igitur poſtulat, ut neque ab eadem vi, neque eodem tempore ad eandem altitudinem, aut diſtantiam idem mobile in motu, & in quiete tranſmittatur.

4. Vide tamen quantum tibi deferam, & quam non obſtinate meis rationibus, aut receptis etiam vulgo decretis adhæreſcam. Tu, qui non ita longe diſtas a mari, fac iterum pro tua opportunitate hujus rei periculum. Hunc in finem arcubaliſtam para, quæ globum potius ejaculetur, quam ſagittam, & ad eam ſolum altitudinem, quæ navis, aut triremis malum non excedat, ut aſcenſus globi diſtinctius notetur. Hoc inſtrumento cum pari ſemper impetu globus idem emittatur, experire primum accurate, ac diligenter, quieſcente navigio, ad quam altitudinem emiſſus aſcendat globus; ac deinde iterum, dum concitatiſſimo curſu idem navigium movebitur, vide an idem globus ad eandem nihilominus altitudinem aſcendat; & ſi tuis decretis hæc quoque experientia ſuffragetur, magnum ſane paradoxum probaveris, idem ſcilicet projectile ab eadem, & æquali virtute emiſſum, per vias longe admodum inæquales poſſe eodem tempore pervenire ad eundem terminum, ſimulque rem nihil perjucundam, gratiſſimamque feceris, cum me a contrario errore etiam abſtraxerit.

5. Eſt & aliud, in quo tuam quoque eruditionem imploro; cum enim tecum ego quoque ſentiam, quod Corollario quarto, & quinto aſſeris, tempus, quo projectilia aſcendunt æquale eſſe tempori, quo deſcendunt, & conſequenter velocitatem quoque motu aſcendendo, ac deſcendendo eſſe reciproce æqualem; dum tamen etiam inde cogor concludere, pari omnino impetu, & quod conſequens eſt, æquali etiam effectu globum ex aëre decidentem percutere, quo idem igne ſulphurato è catapulta emiſſus feriret, id ſine ſcrupulo non concedo. Etſi enim non ignorem, globi decidentis ingentem, & ſi ad calculos exigatur, pæne incredibilem eſſe impetum; refugit tamen, hæretque animus, cum recidentis, atque è catapulta emiſſi globi, æqualem impetum, atque effectum pronuncio.

6. Nunc ad tua redeo, & occaſione quidem motus naturalis pleraque meo quidem judicio nimia facilitate pag. 34. & aliquot ſequentibus admittis, quæ Viris eruditis, ac piis minus placitura videantur; ut quod motus omnes, ortus, & interitus, incrementum, & decrementum, omniſque alteratio, qua calor, frigus, humor, ſiccitas, itemque color, odor, ſapor, qualitates aliæ gignuntur, nihil aliud eſſe videantur, quam motiones quædam locales, quibus rerum principia, tenuiſſima licet, atque inſenſibilia, varie inter ſe concernuntur, excernuntur, accedunt, abſcedunt, tranſponuntur, &c. Item quod inceſſus tibi naturalis videatur, ſaltatio violenta; & ſimiliter volutio globi ſupra planum naturalis, quia nihil repugnat; deſcenſus gravium violentus, quia inæquabilis eſt. Motus cæleſtis maxime omnium tibi naturalis videtur, quia præ ceteris æquabilis eſt, ac perpetuus; contra motuum omnium violentiſſimum putas deſcenſum gravium, quod [ut tu quidem cenſes] a cauſa externa neceſſario eſſe debeat, & ſummam habeat inæqualitatem. Hæc porò omnia ex occaſione potius a te adducta, quam quod ad inſtitutum finem neceſſaria viderentur, vereor ne eam approbationem non inveniant, quam eruditio tua, & fama nominis tui merentur.

7. Atque, ut a minoribus initium ducam, cur tibi ſaltatio violenta, inceſſus verò naturalis videatur? Uterque enim motus ab eodem interno principio eſt, nempe ab anima; & ſi pondus corporis ſaltationi obſiſtit, inceſſum quoque impedit; & ut ipſemet poſtmodum advertis, violen-

lentiam defatigatio evidenter concludit. Uterque igitur motus partim naturalis eſt, partim violentus, neuter abſolute naturalis, neuter abſolute violentus.

7. Mirum etiam eſt, quomodo volutionem globi ſupra planum, naturalem velis, quam a ſolo principio externo non dubitas oriri; idemque de ipſo quoque cœleſtium corporum motu ſtatuendum fuerit, niſi forte ea decernat a propriis ſingulorum formis, aut naturis cieri. Quod enim motui nihil repugnet, aut æquabilis ſit, non ſtatim naturalis dicitur, niſi præterea ab interno principio, ipſaque rei natura effective procedat. Quamquam ſi advertere etiam volueris, in volutione globi ſupra planum partes alias deſcendere, alias præter inclinationem aſcendere agnoſces.

8. Deſcenſus quidem gravium, ſi ut ipſe contendis, a principio externo procederet, non eſſet ſine dubio naturalis; non continuo tamen propterea violentus cenſeri deberet, niſi relu ctante etiam natura fieret, quod opinor non affirmaveris, ſi pro tua ſagacitate deſcenſum ab ejus acceleratione ſecreveris. Neque propterea te ad Academiam revoco, ut de diſtinctionis modo inquiramus; ſatis nobis fuerit, quod motui major, minorve acceleratio superveniat, ut deſcenſum ab acceleratione adveniente mente, atque animo ſecernamus. Hanc tibi eruditi omnes violentam concedent, non deſcenſum, niſi hunc ab ejus acceleratione mente, ut dictum eſt, ſejunctum, a principio externo, & contra naturæ inclinationem procedere evidentius oſtendas. Accelerationem quidem violentam ſatis evincis, dum eam naturæ diſſolutionem moliri advertis; & deſcenſum ipſum natura reluctante fieri nuſpiam probas, & opinor non credis.

9. Multa profecto mones, ut gravia non e propria natura, ſed a Terra, diffuſis circumquaque corpuſculis illecta, atque etiam illigata deorſum trahi perſuadeas; quæ quomodo a te ſerio ſcripta ſint, ut verum fatear, vix intelligo. Primum enim quid profers, cur gravia deorſum non poſſint natura moveri? aut quid in ea re abſurdum, vel impoſſibile agnoſcis? Tellus ipſa ſi loco tantiſper dimoveatur, ut in vehementioribus ejus commotionibus, a qua alia Tellure in priſtinum locum retrahitur? Etſi fortaſſis divina, aut angelica vi a propria ſede dimota verſus Lunam milliaribus aliquot attolleretur, illic ne ſponte naturæ conſiſteret, an ad priſtinum potius locum reverteretur? Si primum credit, qua tandem inductus ratione? aut cur ita nunc ſuum locum affectat, ut nullis concuſſa motibus ab eo dimoveri valeat, ſiquidem ubivis locorum perinde bene, & æque commode ſe habeat? Quod ſi proprio loco, ac ſitu expulſa, ad illum reverteretur, a quo tandem attracta id faceret? Finge verò in Terræ meditullio cavernam aëre, vel aqua plenam, ut vacua non ſit; in eaque, ſed extra ejus, Terræque centrum lapidem conſtitutum, quid in eo caſu futurum putas? aſcendet ne lapis ad concameratum cavernæ fornicem attractus a Terra, an ad cavernæ, ipſiuſque Terræ centrum deſcendet? Si hoc ſecundum; cur illic Terræ magnetiſmus non viget? cur a viciniore Terræ parte lapis ille non corripitur, atque illaqueatur? Sed a quo lapis idem deorſum trahitur, & longius a Terra removetur? An potius igitur dicet aſcenſurum lapidem, a Terra viciniore magnetice attractum? Cur igitur per puteum demiſſus lapis a viciniore item Terra illectus, attractuſque ad putei latera non adhæreſcit? Sed ipſamet Terra, rupto fornice, ad centrum deſcenderet, levioraque inde corpora expelleret; quanto magis ſeparatus jam lapis id faceret? Putas enim diſrupto fornice, totaque ſi placet Terra in arenulas redacta, eam non confluxuram ad centrum? Conflueret ſane, & quidem non ab alio corpore attracta, ſed ſponte naturæ, & a principio interno, atque innato. Cur de ceteris igitur gravibus idem ſimili ratione non dicatur?

Rides opinor & tu ipſe in ſinu, cum inviſibiles illos uncinus, harpagones, aut etiam chelas, ſi valia, & tenſos illos funes tuos tractorios fingis; imperare enim mihi non poſſum, ut credam, hæc a te dici, quod vera putes, ſed ut ne nihil dicere videare, ut tu ipſe ſatis inſinuas. Sed neque eſt cur magneticam fieri vulgo dictam attractionem in exemplum adducas; magnes enim, & ferrum non fictis illis tuis harpagonibus, aut inviſibilibus catenis quaſi vi adducta, ſed utrimque ſponte naturæ incitata in mutuos amplexus accurrunt; nec propterea timendum tibi eſt, ne cum Thalete admittere cogaris in rebus omnibus animam, imo & ſenſum. Si enim ne vincula ipſa, quibus omnia trahi putas, ſenſibilia ſunt, ut paſſim inculcas, cur qualitatem magneticam, minus utique corpoream, neque adeo rigidam a ferro ſentiri times? Quo enim tu ſenſu catenas illas tuas percepiſti, quibus ne ſurſum avoles Terræ alligatum te cenſes? Cur ergo vereare, ne gravia deorſum, & ferrum ad magnetem, ceteraque corpora ad electrica, ſine ſenſu concurrere non poſſint? Ad hoc certe effectus abunde ſufficit rebus omnibus a ſapientiſſimo earum opifice indita naturalis inclinatio ad conſervationem, perfectionemque propriam, adde, ſi velis, ad conſervandum Univerſi ordinem, ut opus non ſit ad figmenta hæc tua confugere. Si enim eam tibi vim concedit, ut projectilibus inclinationem [voca motum, voca impetum, aut aliter ut volueris] imprimere talem poſſis, quæ recedentibus a te iiſdem projectilibus, diutius in illis perſeverat, & in quamcumque partem deſtinaveris eadem deferat, atque impellat; imo, quæ obvio etiam impedimento non ſtatim tota deſtruatur, ſed aliam in partem projectilia abducat, ut in reflexione tu ipſe contendis; eris ne tam parum æquus rerum arbiter, ut a ſapientiſſimo, ac præpotente Univerſi conditore, rebus quibuſlibet inclinationem longe perfectiorem imprimi poſſe addubites? Finge vim a te impreſſam eſſe ejuſmodi, quæ obviis impedimentis ſiſti quidem poſſit, ſed non deſtrui, aut etiam minui; an non ſublato impedimento motum redintegraret? Talis omnino naturalis rerum inclinatio eſt, nec habet unde impoſſibilem, aut ipſis etiam gravibus reipſa inditam non eſſe concludas. Cur eam ergo agnoſcere detrectas, ut ad inania tua illa figmenta recurras? 10

Infinita quidem ſunt, quibus illa convelli 11.
poſſint, ſed malo rem ipſam paucis, quam modum explicandi pluribus adurgeri. Si gravia deorſum a Tellure magnetice traherentur, neceſſarium eſſet, ut quò Terræ viciniora eſſent, eò fortius ab ea traherentur, ut in ferro, ac magnete evidenter contingit. Deberet igitur corpus grave quodcumque juxta Terram ſuſpenſum, aut ipſi etiam Terræ inſiſtens majus exhibere pondus, quam longius a Terra ſuſpenſum; itemque per centum pedes Terræ vicinos velocius deſcendere, quam per totidem alios pedes a

Terra

Terra remotiores. Utrumque autem quotidianæ experientiæ evidenter repugnare non ignoras, ejuſdemque ſemper corporis idem ubique pondus exhiberi; aut ſi quid uſpiam diſcriminis interſit, juxta Terram potius, quam in ſuperiore aëria parte levius inveniri, atque per æqualia item ſpatia, altiora, aut depreſſiora, æquali omninò velocitate corpus idem deſcendere. Evidens eſt igitur gravia magnetice deorſum a Terra non trahi.

12. Sed amabo te, Vir doctiſſime, quid eſt, quod ais, ortum, & interitum, incrementum, ac decrementum, omnemque alterationem, qua calor, frigus, humor, ſiccitas, itemque color, odor, ſapor, & qualitates aliæ gignuntur, nihil videri eſſe aliud præter motiones locales, quibus rerum principia, tenuiſſima licet, atque inſenſibilia, varie inter ſe concernuntur, excernuntur, accedunt, abſcedunt, tranſponuntur? Ergo-ne Epicuri, ac Democriti Atomos tanto jam tempore a regno philoſophico merito ſuo exulantes, & tot jam ſeculorum, ac ſapientum omnium præjudicio damnatas revocare ab exilio, iterumque in Academiam retrudere moliris? Audio certe tibi etiamnum in manibus eſſe juſtum volumen aliud, quo hæc Epicuri, ac Democriti ſomnia illuſtrare labores. An igitur ſagacitatem tuam fugit quo tandem uſque ſemel inducta hæc perſuaſio proceſſura videatur? Si ortus, atque interitus nihil aliud videntur præter locales Atomorum, vel ut mitius loqueris, tenuiſſimorum, atque inſenſibilium principiorum motiones, de formis rerum ſubſtantialibus conclamatum eſt. Sed majus etiam aliunde imminet malum: Si enim alterationes quoque omnes, quibus calor, frigus, humor, ſiccitas, itemque color, odor, ſapor, & qualitates aliæ gignuntur, nihil aliud eſſe videntur præter locales tenuiſſimorum corporum motiones, formæ igitur accidentariæ nullæ ſunt, multoque minus inveniri, & eſſe poſſunt ab omni ſubſtantia ſeparatæ. Quid ſanctioribus igitur noſtræ Religionis myſteriis fiet? Vix per Deum immortalem ut tui nominis auctoritate infirmioribus quidem errandi, ceteris verò præ-conceptam ingenii tui, ac judicii ſagacitate opinionem imminuendi præbeas occaſionem. Nemo certe negaverit e pleriſque corporibus halitus calidos, frigidos, humidos, odoratos, ac ſapidos expirari; ac inde univerſim concludere alterationes omnes, quibus hæ, atque aliæ qualitates gignantur, ortumque ipſum, atque interitum nihil eſſe aliud præter locales Atomorum, atque inſenſibilium corporum motiones non videtur eſſe ſapientiæ, atque eruditionis tuæ. Omitto cetera, quæ in priore tua epiſtola inquiſitione indigerent, ut tecum aliquando ad primarium totius diſputationis tuæ inſtitutum de Telluris motu accedam.

13. Ais igitur initio poſterioris epiſtolæ, videri ex obſervatis circa motum a motore tranſlato impreſſum, infirmum reddi argumentum, quo vulgo ſolent Philoſophi quietem aſſerere globo Telluris. Plus dico, idem argumentum etiam inde nullum convinci. Addis non eo te propterea adduci, ut inde pronuncies, moveri haud dubie Tellurem, ſed ut inſinues conquirendam eſſe rationem veriſimiliorem. Bene habet; ſi ſcopus iſte tuus eſt, collimaſti; pluribus opus non eſt, ad 'proque jam fine fruſtra, atque inutiliter laboras. Tamen ſi amplius aliquid non quæris, quid eſt, quod pag. 508. præmiſſa plurimorum ſimilium conglobatione interrogas. Cur non ratione eadem ſuadente fiat veroſimilius, probabilius magis conſentaneum moveri Terram verſus ortum, ac totam Mundi machinam, Syderaque omnia ſalutare ex ordine, quam totam illam machinam, totque, & tanta Sydera circum ipſam ire, eamque ſalutare? Quid eſt, quod tantopere etiam urges, atque exaggeras, majora ex cœleſtium corporum, quam ex Telluris motu abſurda ſequi, atque incommoda? Cur adeò ſtudioſe cetera quoque omnia Copernicanorum argumenta congeris, ſi hoc ſolum contendis vulgatum illud aliorum Philoſophorum a projectilium motu petitum argumentum infirmum eſſe, atque invalidum? Cur verò etiam de Telluris ejuſdem circa Solem motu tam prolixam, nec ad prædictum finem neceſſariam adjungis diſputationem, in qua non modo Copernicanorum argumenta omnia, & rationes qua potes, & vales dicendi facultate ſtabilire, & confirmare, ſed aliorum quoque objectiones infirmare pari ſtudio, & contentione moliris? Quid amabo te amplius eras facturus, ſi eam ſententiam animo deſtinato aſſerendam, propugnandamque aſſumeres? Tolerandum fortaſſis, & certe non ita inconveniens videretur, ſi cum Heraclide Pontico, & Ecphanto Pythagoræo Terram in medio Univerſi conſtitutam quotidiano tantum motu circa proprium axem moveri contenderes; ſic enim concitatiſſimum illum Syderum motum, qui pleriſque Copernici Sectatoribus diſplicuiſſe viſus eſt maxime, tolleres; & ſatis moderatum, quo ſacris litteris facilius ſatisfaceres, tam errantium, quam inerrantium Syderum motum, quem proprium vocant, retineres; atque in portentoſa, quæ ex Copernici opinatione ſequuntur incommoda, atque abſurda non incideres. Nempe meminiſſe ſemper oportet, nos non Philoſophos tantum eſſe, ſed etiam Chriſtianos, philoſophiamque noſtram nec debere, nec verò etiam poſſe a Chriſtiana Fide diſcrepare.

Cogita igitur non quid tu forte ipſe ſentias, ſed quid æſtimaturi ſint plerique alii, qui tua vel auctoritate, vel rationibus inducti ſibi perſuaſerint Telluris globum inter Planetas moveri. Concludent primum unum e Planetis ſine dubio eſſe Terram, quæ cum incolas habeat, proclive erit deinde etiam credere, in ceteris quoque Planetis, atque adeò in ipſis item inerrantibus Stellis incolas non deeſſe, & tanto quidem præſtantiores, quanto reliqua Sydera Terram magnitudine, ac perfectione excedunt. Hinc Geneſis in ſuſpicionem vocabitur, dum ait Terram ante reliqua Sydera factam, illaque quarto tantum poſt die condita, ut illuminarent Terram, temporaque, & annos metirentur. Inde tota Verbi Incarnati Oeconomia, atque Evangelica veritas ſuſpecta reddetur, imo & tota Fides Chriſtiana, quæ & ſupponit, & docet Sydera omnia non ad hominum, aut aliarum creaturarum habitationem, ſed ſolum ut Terram ſua luce colluſtrent, fecundentque, eſſe a Deo conditore producta. Vides igitur quam iſta periculoſe in publicum divulgentur, & a viris præſertim, qui ſua auctoritate fidem facere videantur; & quam non immerito jam inde a Copernici tempore Eccleſia ſemper huic ſe errori oppoſuerit, eumque etiam noviſſime non Cardinales tantum aliquot (ut ais) ſed ſupremum Eccleſiæ caput, pontificio decreto in Galilæo damnaverit, & ut ne in poſterum verbo, aut ſcripto doceretur ſanctiſſime prohibuerit. 14.

Miror autem qua fronte communi, ſaniori- 15.

que

Digitized by Google

que ſententiæ, erroris iſtius ſectatores exprobrent, quaſi abſurda quædam inducere videatur, cum illi abſurditatum portenta propemodum infinita admittant, excolantes culicem, & elephantos deglutientes. Tangis eorum nonnulla, ſed diſplicet, quod ea etiam excuſes. Agnoſcis certe, motum Terræ circa Solem ſuſtineri non poſſe, niſi etiam admittatur magnum illum orbem, per quem Tellus deferri fingitur, inſtar puncti reſpectu Cœli obtinere (quod de Telluris corpore communis ſententia concedit) alioqui non ſemper integrum Cœli hemiſphærium e Terra proſpiceretur, quod experientia tamen cogit fateri. At diſſimulas, aut certe elevas quæ inde ſequuntur abſurda, ut quod inerrantia Sydera propemodum omnia tam prodigioſæ molis admittenda ſint, ut eorum ſemidiameter interjectam a Terræ centro ad Solis centrum diſtantiam excedat. Quod ſi tibi abſurdum, atque ab omni ratione abhorrens non videtur, quid amabo judicabis abſurdum? Elevas certe pleraque alia, quæ ex eadem Telluris circa Solem translatione ulterius ſequuntur abſurda, a quibus tamen ut te expedias, fingis alia fortaſſis adhuc abſurdiora, ut quod illuſtriora illa, quæ in Firmamento apparent Sydera credi poſſint ut mole majora, ſic etiam Sole ipſo longe lucidiora; adeo tibi facile eſt, tot, tamque ingentes in Cœlo pro tua voluntate verbo unico creare Soles. Similiter quod etiam ais fieri poſſe, ut Sol hic noſter, quamvis comparatione ſuperiorum Sydcrum adeò exiguus, ac pene nullus admittatur, ab immenſa tamen illa Syderum diſtantia conſpicous nihilominus appareat, ac tantæ etiam magnitudinis, quanta eſt tota regio Planetaria, idque ob lucem ejus vegetam, diffuſoſque ipſius radios, quibus oculus afficiendus eſſet, ea ratione, qua flammula candelæ noctu ſpectata ignis ingens apparet; id inquam ingenii tui admirabile quidem, ſed incredibile figmentum eſt, quod exemplo candelæ commode non pateat. Et ratio quidem diſcriminis in promptu eſt, quod e flamma continuo diffugiant halituoſæ partes non pauce, minus ad inflammationem diſpoſitæ, quæ luce nihilominus ejusdem flammæ illuſtrentur, & e longinquo quidem, atque in minore lumine aſpectabiles fiant, cum e vicino ab eximio flammæ ſplendore occultentur. At nihil in Sole, aut Syderibus tale reperitur; alioqui quales, & quanti nobis apparerent ingentes illi tui, quos nobis narras Firmamenti Soles! Sed ſatis tibi etiam conſtat, Lunam, ac Martem cum propius ad nos accedunt, non minores videri, ſed majores; ubi verò longius a Terra removentur, non majores conſpici, ſed apparere minores. Præſcindo cetera, ut ad tuam rationem accedam, quam cum Galileo ab æſtu maris deducis.

Dicis, atque audacter affirmas Galilæum ex aſſignatis Telluris motibus ita maris æſtum expoſuiſſe, ut videatur denique cauſam ejus germanam adinveniſſe. Equidem neſcio, an ex tarditate ingenii mei, an aliunde accidat, ut longe aliter, quam tu hactenus hac in re ſenſerim. In primis enim ignorare te non arbitror, etiam ex illis Terræ motibus cauſam ſufficientem non reddi, cur circa Æquinoctia æſtus fiant adeò magni præ ceteris, cum illis temporibus vix inæqualitas ulla in Telluris motu appareat, & ea, quæ minima in punctis Æquinoctialibus notatur, non ſubito, aut una tantum die exoritur, ſed paulatim, diuturnoque tempore accreſcit, ac poſtmodum etiam paulatim decreſcit, cum æſtus illi tamen, nec ita ſenſim, & ſucceſſive uſque ad aliquem maximum accreſcant, parique deinde ſucceſſione paulatim decreſcant; nec majores item eo tempore æſtus fiant, quo Tellus in punctis Æquinoctialibus conſtituta majorem illam motus inæqualitatem patitur, ſed in Plenilunio ſolum proxime inſequente. Rurſum ex imaginariis illis Telluris motibus cauſa non redditur, cur in Pleniluniis mare vehementius æſtuet, quam reliquis temporibus, cogiturque Galilæus ipſemet in ſocietatem cauſæ Lunam adſciſcere; multo minus ea iiſdem motibus aſſignari poteſt, cur in Europa Plenilunio, in India verò Orientali Novilunio majores æſtus excitentur. Neque profecto ſtatim acquieſcit animus, cum ad ea, quæ aliter explicari nequeunt, uno verbo reſpondetur, hæc, & ſimilia ex particularibus locorum affectionibus oriri. Sed vide etiam, ſi placet, an ipſemet quotidianus maris æſtus duplex ſatis ex quotidiana Telluris revolutione explicetur. Nam cum Tellus viginti quatuor horarum ſpatio proxime revolvi ſupponatur, neceſſe eſt, ut quæ partes hoc momento celerius, tardiuſve moveri incipiunt, iterum poſt horas viginti quatuor ſimili celeritate, aut tarditate moveantur, ut manifeſtum eſt. Si hæc igitur diverſitas motus cauſa eſſet quotidianorum æſtuum, deberent præciſe poſt horas 24. recurrere, cum una fere hora quotidie tardius recurrant; quo fit ut ſingulis menſibus, tum mare maxime quieſcat, cum habita ratione motus Telluris ſumme fervere deberet, & contra tum vehementius ferveat, cum illud pacate quieſcere oporteret. Hæc quidem omnia accuratiorem ſine dubio exigerent operam; ſed vereor, ne prima hac vice nimis importunus inveniar. Ceterum ſi candor animi tui non diſpliceat, nec grave, aut tædioſum fuerit meas quandoque litteras percurrere, ingentis gratiæ loco ſemper ducam, mea quoque tecum etiam quandoque communicare ſcoſa, tuæque cenſuræ ſubiicere. Bene, & feliciter Vale 3. Nonas Novembris 1632.

Tuus ex animo, ac ſincero affectu Petrus Cazræus.

PETRO GASSENDO SUO

PHILIBERTUS DE LA MARE S.

POſt ultimam ad te non ita pridem datam ecce iterum aures tuas verbero, mi Gaſſende, importuna forſitan ſcriptione nonnihil tibi otii ſuffuraturus. Ubi tuum de motu Commentarium accepi, illius ſtatim copiam facere pro more, Viro Cl. R. P. Cazræo Soc. Jeſu Collegii apud nos Rectori non cunctatus ſum, tum quia id a me officii poſtulare videbatur, quæ intercedebat inter nos neceſſitudo, cum quia aliqua jam pridem illum meditari de motu acceperam. Legit ille, perlegit, & ubi ad me retulit Commentarium, ſimulque aliqua in hanc rem diſputavimus, ſubjunxit ille nonnulla eſſe, quæ tuæ ſententiæ aliquid adverſarentur, de quibus ſumme optaret tecum agere, ſi e re ducerem daturum ad te epiſtolam, quæ ſua tibi dubia aperiret; non abnui propoſitum, imo probavi ratus nullam non eſſe tentandam viam, qua

ducat ad notitiam veritatis, teque haud-grave laturum, ut ſi quis non conveniret tecum, is ſuæ ſententiæ rationes amice declararet; his itaque nixus ſcribit ad te Cazræus noſter, de quo hoc apud te præſtare poſſum, eum eſſe, qui hæc ad te ſcripſerit non ſeveriori Catholicæ fidei tuendæ ſtudio adductus [quam nonnulli putarunt ſummopere concuſſam fore, ſi ſententia de Terræ motu vim haberet rei judicatæ] ſed unius veritatis inquirendæ ratione, vir alioquin maximæ inter ſuos exiſtimationis, & philoſophicis, mathematiciſque diſciplinis large imbutus, ut tu melius aliquando ex illius ſcriptis noveris, quæ non pauca habet de motu. Ceterum is eſt illius erga te cultus, ut te non dubitet ſibi in poſterum Cenſorem imponere. Vale, & me, & Cazræum meum ama. Divione 7. Idib. Novembris 1642.

Doctiſſimo, clariſſimo, celeberrimo Viro D. Petro Gaßendo

JOANNES BOCHARTUS SARONIUS S.

PErjucundæ mihi fuerunt tuæ litteræ, quibus intellexi te perſpicere meam in te pietatem; quid enim dicam amorem, cum illud ipſum graviſſimum, & ſanctiſſimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis eſſe videatur. Quod autem chariſſimam habueris, quam nuper meis ad patruum litteris teſtatus ſum memoriam tui, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam ea grata ſint, quæ prætermitti ſine ingrati animi labe non poſſunt. Ceterum hortaris me ad litterarum ſtudia, & magnam de me ſpem reſtatis, quorum alterum mihi facere neceſſe eſt, ſi volo is eſſe, quem tu me eſſe voluiſti; altero verò magnopere gaudeo quod te ſpei, quam de me concepiſti ſponſorem habeam. A me profecto omnia ſumma in te ſtudia, officiaque expecta, non fallam opinionem tuam. Vale. Lugduni 3. Idus Martii 1643.

Viro maximo, incomparabili Petro Gaſſendo

SAMUEL SORBERIUS S. P.

VIr eximie. Legi commodante Cl. Hugenio epiſtolas tuas de apparente magnitudine Solis, & de motu impreſſo duas, quas non poſſum, ut cetera omnia tua non ſuſpicere, atque adeò impenſius efflagitare, ut reliquum theſaurum Commentationum tuarum Epicurearum nobis aperias. Nam ſi nos tantopere delectant rivuli, quid cum ad fontes ipſos acceſſerimus? Id in primis mire arriſit, quod de attractionibus magneticis ita philoſopharis, ut nihil verò ſimilius, ne dicam verius, & ratione comprobatius, unquam legerim. Sane putaram cauſam hujuſmodi affectuum humanæ menti eſſe imperviam, cum deficeret fortaſſe ſenſus aliquis. At tu rem acu tetigiſti, & ſolertia tua effeciſti, ne id amplius ignoraremus, quo nihil in tota natura ſcitu dignius, & cujus cognitio innumera alia myſteria teſerat. Ferax eſt ſæculum iſtud magnorum Virorum; ſed duos jactabit merito ceteris præfulgentes, velut inter ignes fulget Luna minores, Galilæum, & Gaſſendum, quibus debetur ſcientia æſtus marini [quidquid obſtrepat Thomas Anglus] & cauſæ cur magnes trahat ferrum, cur decidant quæ gravia vocamus. Ego me fortunatum duco, qui viam monſtrante olim Bonello Medico, & Mathematico acutiſſimo Monſpelienſi, nugamentis ceterorum philoſophantium mature relictis, defecatioribus animum appuli ratiociniis, & Lutetiæ R. P. Merſenni familiaritate ſuaviſſima, doctiſſimaque biennium uſus, in te Virum tantum incidi tandem. Nam licet parcius adfuerim tibi, fieri tamen ſolet neſcio quod e Viris tui ſimilibus bonæ mentis effluvium, ut gloriari libeat exinde multum acceſſiſſe mihi unde melior, moderatior, & in indaganda veritate naſutior evaderem. Quæ quidem magna inter beneficia repono, ſed pretio quoque ſuo æſtimare novi amicitiam, qua pro inſigni humanitate tua dignaris me complecti, tibi ætate, ingenio, doctrina, tanto intervallo inferiorem, nulloque commendabilem titulo, præterquam affectu ſincero, cultu, & veneratione, qua te, ſimileſque tui proſequor, & quoadiu vivam proſequuturum nunc ſpondeo. Vale, Vir eximie, & perge nos amare. R. P. Merſenno ſalutem quæſo plurimam. Hagæ Comitum. Prid. 9. Maii 1643.

Rogo te, ſi quid ad nos ſcribas, indicare velis rationem cur pyxidis nauticæ acus vertatur verſus polum borealem, item quid ſit calor, quid frigus, & in genere unde ſenſus doloris.

Clariſſimo Viro Petro Gaſſendo, Dinienſi Præpoſito

GOTIFREDUS VENDELINUS S.

NOn de nihilo eſt, Virorum maxime, quod nihil me jam factum credidiſti, qui poſt tuas anno 1636. perſcriptas, & cum ipſis Regalibus 1637. Condati traditas nihil a me viciſſim exire curaverim. Et tamen grates tibi gratias ſcito ſi non actas, at certe habitas in Collectaneis meis Eclipſium ab anno 1600. ad hunc uſque a me, aliiſque obſervatarum ob tranſmiſſas ad me illas orientales Cahiri, atque Aleppi; maxime autem ob illam tuam anni 1636. quam ego Condati nulla ex parte mihi conſpectam tanto majoris feci, & propter ſtupendam tuam illam diligentiam, Eclipſium omnium Reginam indigitavi, magis etiam, quoniam ea collata cum Eclipſi 1641. die 18. Octobris, certiſſimum mihi dedit argumentum eliminandæ omnis dierum æquationis. Utrobique enim eadem proxime Anomalia, proſtaphæreſeſque ☽ magno commodo nos beant, ad arcanum hoc citra hæſitationem intelligendum. Hoc ergo in opuſculo, quoniam tu partem longe maximam habes, patere me ſic de ceſſatione iſta mea ſatisfacere, & ſilentio non invidendo, ſi aggrediar contexere malorum interim meorum Iliadem, quorum oblivionem præſentibus lacrymis ſepelio. Sed miſſa hæc, quoniam vivum adhuc ecce me vides, & tui quam memorem, tam cultorem, admiratoremque ſummum; quem ut amplius beare velis, hoc uno mihi indulgeas, ut me in colligendis antequam edan-

Digitized by Google

dantur Eclipſibus Lunaribus adjuvare velis, voles autem ſi poteris naneiſci Meſtlini libellum ſuper Eclipſi Lunæ an. 1605. die 3. Aprilis, quam ego Forcalcarii ab initio ad maximum vigorem obſervavi nubibus reliquum eripientibus, ille totam dedit. Ejus ergo Phaſes anhelo anxie propter Lansbergianas affanias [& ex αὐτοψίᾳ mea convicta mendacia] plenius iſto etiam teſtimonio convincendas. Sic & Eclipſin an. 1620. [quæ tuarum prima eſt] edito Argentorati libello *VVelperus*, fruſtra e me ubique terrarum quæſitus, deſcripſit: Utinam & harum ex illo phaſium eumporem facias! Ego enim Hercii nubibus obſtantibus phaſin vix unam, aut alteram obtinere potui. Eclipſis anni 1623. die 15. Aprilis nulla mihi ex parte patuit. Tu illam obſervaſti ad occaſum uſque Lunæ. Hic verò memoriam quæſo advoca quot ſuperfuerint digiti cum occumberet, nam vel rudis eorum æſtimatio mirum quantum me beabit. Eclipſis anni 1628. die 20. Januarii Bruxellæ mihi patuit finiens hor. 11. min. 15. aut 16. ad ſummum. Mei fratres Bethaſiis initium nacti ſunt ex hora 7. min. 40. paulo plus immerſionem hor. 8. min. 40. Emerſionem hor. 10. min. 20. fare, finem hor. 1. min. 19. ad ſummum, quæ omnes phaſes ad miraculum paria faciunt cum Keplerianis, & Pragam Bruxellæ ie ortum removent minutis horariis 44. circiter, quos idem ego ex Eclipſi 1603. verna Valentiolæ a me obſervata deprehendo diſtare Pragam Aquis-Sextiis; ut alias interim taceam plane ut certiſſimus ſim Aquas-Sextias, & Bruxellam ſubſterni eidem Meridiano, itidem ut Maſſiliam, & Antuerpiam, Diniam, & Hercium, ſeu mavis Ducis-Silvam. Quæ cum clara ſint, tum verò iſtud Cimmeriis tenebris obſcurius eſt, qui factum ſit, ut Eclipſin, de qua hîc ago 1628. Paireſcius noſter Aquis-Sextiis denotaverit his phaſibus initium hor. 7. min. 49. Immerſionem hor. 8. min. 48. Emerſionem hor. 10. min. 25. Finem hor. 11. min. 24. Omnes enim iſtæ phaſes totis 10. minutis poſtumant. Ego culpam confero in Intermorium viru illi ſolenne, dum nimis anxia cura non rapit occaſiones, ſed prenſat, & eum mora indicat. Idem enim adverto & in Eclipſi 1635. die 28. Auguſti. Sed ἐπέχω & judicium tuum præſtolor. Anne autem docere me poteris de initio Eclipſeos conſpectu uſpiam anno 1630. die 25. Maii? Nam ego an Bethaſiis occidente Luna quidquam viderim uti affirmare non audeo, ita pertinacius negare non velim, & in hoc ergo te mihi opus eſt Theſeo, & in eam, quæ Novembri ſequuta eſt. Eclipſin anni 1632. die 15. Maii veſpere nuſquam meo Belgio, quod ſciem, patuit, ita perpetua nubes Cœlum obduxerat. Narravit mihi R. P. d'Auxon Societatis Jeſu Mathematicus Lugduni ubi tunc rexerat cum cura denotatam emerſionem paulo ante octavam, repletionem Semiquadrante circiter in nonam reliquo, promiſitque miſſurum ſe mihi & hujus, & aliarum obſervationes ſcrupuloſas, tu ſi quid, & hujus nactus es, item & ſequentium promus eſſe malis, quam condus, atque ita tecum decernere, ſcriptorum tuorum me eſſe Amanuenſem, & Logiſtam, ſi uſpiam certe in calculo Eclipſeos illius tuæ 1636. ad miraculum felicem, ſimul enim illam nactus fui, & ad tabulas meas exegi, inveni Initium Diniæ hor. 9. min. 43. ſec. 30. medium hor. 10. min. 39. ſec. 25. Finem hor. 11. min. 35. ſec. 0. Qui eſt conſenſus cum obſervationibus tuis prodigioſus. Atque adeo cum ſupra catus, quoniam plurimum fido alienæ diligentiæ, minimum ſemper meæ, ideoque ad ſingulas Eclipſes congero quotquot naneiſci poſſum teſtimonia, ne poſteritati φιλαυτίᾳ mea fucum facere voluiſſe judices, quo magis etiamſi potes impertire Eclipſin anni 1638., & 1641. quam ſupra memoravi. Utique autem & illam, quæ contigit 1642. die 15. Aprilis, cujus ego phaſes omnes accuratiſſime obſervavi Hercii, ubi initium fuit hora 12. min. 3. Finis hor. 3. min. 41. Medium hor. 1. min. 52. præciſiſſime, prout eam plenius repræſento. Quæ ſequuta eſt die 8. Octobris mane nulla mihi ex parte, aut Belgæ cuiquam patuit. Hæc ergo te expectat vindicem, ut & iſta, quæ jam in diem 27. Septembris inſtat. Atque hæc quidem de Eclipſibus Lunaribus; nam de Solaribus alia erit ſcribendi occaſio, cui viam ſternat reſponſio tua, ſi qua me dignum cenſebis. Hanc dum præſtolor, interim ad Stellas Patris Antonii Reitæ quod attinet; legi, ac ſtupui Judicium tuum tam accuratum, tam elimatum ſuper novo illius Teleſcopio, quod revera ipſiſſimum eſt cujuſmodi tu cenſuiſti. Omnia enim permutatim exhibet, dextra ſiniſtris, ſupera inferis oppoſita. Venerat ad me optimus Pater menſe Octobri inſtante, ut mecum communicaret de ſuis, quorum editionem molitur, ſcriptis, ubi cum ſermo eſſet de anſulato Saturno, & Marte montuoſo, ac monſtroſo, quomodo Pariſiis ad nos pervenerant Schemata Campanellam auctorem præferentia, cepimus inter nos agere de Teleſcopii modulo, & fabrica, tandemque conventum eſt, ut ſimul rediſſet Coloniam aliquid in eo genere curaret apud Chryſtallarios, quod & præſtitit, ſed eo, quo dixi ſucceſſu, ut permutatim ſpecies rerum influerent in oculos, itaque lætus rei novitate gaudium ſuum ſtatim omne, ſed crudum effudit in ſinum Puteani noſtri. Cum verò deinde rediſſet ad nos, maxima cum doloris ſignificatione deprehendit me abſentem domo [eram enim Bruxellæ] atque ita datis inde e Muſæo meo ad me litteris ſignificavit ſe mox adfuturum. Neque tamen rectà huc venit, ſed Antuerpiam abiit, dum ego ad Pentecoſten domum repeto. Illic ergo vix tandem potitus caro capite Cryſtallis ab eo donatus ſum, idem præſtantibus, quod jam dixi, & quia fidem ei obſtrinxi meam, preſſurum rem ſilentio, donec ille ſua edat nondum edoceo vitrorum rationem. Hoc interim addo, me inveniſſe inſuper quo dextra dextris, relique reliquis reſpondeant, ſecus ac aliis hactenus Teleſcopiis uſuvenit, quod tamen cum illo nondum communicavi. Ceterum dum ſimul ſumus, legimus ſtudioſe judicium illud tuum; & cum dolorem optimi Patris non obſcuris judiciis perſentiſcerem edocui illum, & qui viceſſes, & quam alienus ab aliorum moribus, qui de alieno contemptu exiſtimationem ſuam metiuntur. Itaque & lenire illum viſus ſum, & ut apud te excuſationem ſui inſtituerem oravit, ſignificaremque non eo conſilio ſcripſiſſe ad Puteanum, ut publici juris fierent, ſed ut tantiſper rerum novarum (ſi novæ eſſent) expectatio arreptos faceret animos, donec certiora dies docuiſſet illum verò vix dum conceptum fœtum, immaturo nixu edidiſſe in lucem, ſed alliſiſſe in tenebras. Interim autem, & venerari eruditum iſtud judicium tuum, & agnoſcere non unius ævi ſpatium ad tanta conſtituenda idoneum. Inter hæc non dubito, & tibi, & Merſenno noſtro factam copiam Lampadis meæ, quam ſub finem Maii extuli in publicum, præbita mihi occaſio-

Digitized by Google

caſione de ſcripto Puteani mei ſuper Anagrammatiſma. Slingelantius certe miſiſſe Lutetiam exemplaria aliquot ad Naudæum affirmat. Cenſete ſevere oro, atque obteſtor; nam blandiens medicina venenum eſt. Tu verò, optime, ac doctiſſime Merſenne, quem ſimul hac epiſtola alloquor, a me prope diem expecta de caſu lapidis, quod ſcio te expetere avidiſſime. Heri demum [in Conventu veſtro Bruxellenſi apud opt. Patrem Coëmans pranſus] opus tuum harmonicum videre, ac legere datum eſt, atque illic opiuationem meam agnoſcere ſuper celeritate increſcentis motus juxta rationem quantitatis media, & extrema ratione ſectæ, a qua ſcito dudum me abiiſſe, & ad rationem duplicatam deveniſſe, antequam Galilæus ſua edidiſſet. Inde enim habeo caſum lapidis hinc ad centrum minutis horariis 12. ex Lunæ concavo ſeſqui-hora, ex Sole [quem Semidiam. terreſtribus 14400. ſubmoveo] die uno præciſe, prout hoc problema jam pridem pervagatum eſt. Batavos atque [uti intelligo] etiam in Gallias penetravit, fors & Italiam. Ex hinc ergo non eſt mera libera nobis. Paſcimur, & quod poſcor præſtabo, ſi me uterque veſtrum juvabitis veſtris ſanctis precibus, ac ſacrificiis. Bruxellæ 21, Julii 1643.

Ex æquo utrique devinctum Gotifredum Vendelinum Paſtorem Hercanum, & Canonicum Condatenſem.

Salutem plurimam optimo Naudæo, & ſi illic eſt Petavio illic meo impertire.

Clariſſimo, & eruditiſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo, Philoſopho, & Mathematico celeberrimo S.

PErnobilis, & clariſſime Vir. Jam multum temporis effluxit, a quo tuas non habui. Cauſam autem nonniſi in meæ peſſimæ fortunæ ſortem refundere non debeo. Quid noſter Licetus agat tu ipſe ex ejus litteris, & libro pro reſponſione ad Clarum Gallæum optime noſti, qui totus in tuas debitas laudes excurrit. Ex primo præinſerto mei operis folio tanquam ex eximio quid repræſentet re ipſa cognoſces. Quare tuum pro eo judicium vehementer exopto, etſi in aliqua me re aptum vides promptiſſimum, ac paratiſſimum me omninò recognoſcas, tuiſque nutibus excipiendum habilem tuæ maximæ humanitatis ſtimulis omninò facias. Vale iterum, atque iterum. Genuæ Idibus Julii 1643.

Excellentiſſimæ Dominationis tuæ humillimus, & dediſſimus ſervus Hieronymus Bardius.

Præclariſſimo Domino Petro Gaſſendo S.

ILluſtriſſime Domine, ſapientiſſimum te naturæ Myſtagogum diutius latere portentoſam ejus arcanum exiſtimaſſem nefas, quem ab illa feliciorem fatentur omnes accepiſſe, quo id nobis citius reſerates. Pones forte calamum, hunc ſi pro tua benignitate aſſumpſeris, aut illum ſane e manu extorquebit præceps, ad ignotum hominis nomen, admiratio; haud ſcilicet potui facilis, magna tenetioris æraris parte, ſecretiorem Medicinam adipiſcendi conſilio, apud Germanos tranſacta, a te ipſus ignorari non credere, illis licet Gaſſendum notiſſimum, & ipſus non ſemel gloriatus fuerim agnoviſſe. Litteras attamen accepiſti forſan noſtro nomine, a quibus te ne dum excuſationem meam approbaturum ſpero, ſed & conceſſurum confido licentiam; admitti ſiquidem ad altaria non ſolum paſſum eſt Numen homines, verum & ad penetrale juſſit, neque ſciſcitanti negavit unquam aniculæ reſpondere. A te per epiſtolam, ſemel atque iterum uſum rogavi Abaci antiqui, cujus protypum etiam commiſeram, ut facilior uteret impertitu; reſcriptionem ſperarem hanc, ſi ſciſcitatus fuiſſem de te ſemel ſaltem benemeritus, non tamen moræ impatiens deſpero, quia de omnibus ipſe bene meritus gloriari potes. Interea ſpem interpoſitus, & fiduciam propoſitæ portenti hiſtoriæ accommodabo, quo potero calamum artificio, ut certior, vel Phyſicus, vel Augur de illo pronuncies. Veritus tibi litteris obſtrepere, abſtinuiſſem forte etiam a ſcribendo conſultus, niſi Reverendiſſimus Epiſcopus Dignenſis [quo cum in multam cenam ſarmonem produxi noſtris nunc aquis utente] timorem vincerem meum, & ad te quam-primum per otium licuiſſet impiger ſcriberem, juſſiſſet rei eventum admiratus. Menſis vigentis die 2. mane horam proxime ad nonam apud Illuſtriſſimum Dominum Præſidem de la Roque conductitia nunc temporis Domini Franc Medici Illuſtris Viri Domini Peireskii domo utentem, Gallina domeſtica ovum enixa eſt ab illis, quæ diebus ſingulis aſſidue pepererat ante nihil omninò diſcrepans in media interioris domus area, e quo, quum illud aggreſſæ una paſcentes Meleagrides quinque frequenti roſtro concerpſiſſent in fruſta, Anas numeris omnibus abſoluta, vivens, & ad vulnus [a quo hora ab ortu altera occidit] altius capiti inuſtum pipiens prodiit, adſtantibus obſtupeſcente Domus Oeconomo, cubiculario miniſtro, ceteriſque fere omnibus domeſticis, quam uno omnes ſpiritu ad Dominum immorati obtulerunt; illum tamen contemptorem primo, mox objurgatorem habuerunt. Verum enim-verò me una, & pluribus occurrentibus magni etiam nominis Viris, multis ultro, citroque propoſitis dubitationibus, iiſque per ipſum rei eventum eliminatis, protinus Dominus admirationem ſincera narratione prodidit, nec tacitus conceptum de Augurio timorem, leviſſimum licet, occultavit, quem facilis tamen divina, qua donatus eſt, ſapientia ſua oppreſſit minus nihilo religioſus. Anatem hanc parenti meo commiſſam, mihi aſſervo in liquore balſamico; atque hæc eſt rei ſeries, admirationis cauſa plurium, paucorum diſquiſitionis. Ipſe, pro ea, quam ſortitus es Deorum, & laboris ope, ingenii ſagacitate, ſi quid inter tot tenebras exprom-

ptum

ptum compereris, futurum aliquando virtutis tuæ panegyriſtam diligentiſſimum, nunc ſervum tuum devotiſſimum edoce Tuum. Dabam Aquis-Sextiis.

Joan. Gautierium, Doctorem Medicum.

Viro Clariſsimo, maximoque Domino Petro Gaſſendo

SAMUEL SORBERIUS
S. P.

FAſciculum librorum tuorum accepi, Vir eximie, quorum gratiam tibi maximam habeo. Perlecta autem diſquiſitione tua [Deus bone! quantæ ſolertia, quanto judicio condita]? Amſtelodamum me contuli, ut quam elegantiſſimis typis excudatur, eaque forma, qua epiſtolæ tuæ ſunt excuſæ. Reverendus Senex Dominus Courcellæus curabit, ne quid poſſis deſiderare in iſta editione, mittetque ſpecimina Typographica, recte ad te, vel per Martellum noſtrum. Vix potui perlegere, adeo me tædebat ineptiarum Morini velitationem. Non putabam te reſponſurum; gaudeo tamen natam inde occaſionem, ut plura extent tui ſcripta, æque immenſo eruditionis tuæ acervo aliquid depromas plus uno menſurum perenne ſæclo. Ne quid autem mihi deſit operum tuorum, rogo te mittas per Courcellæum noſtrum exemplar, tum exercitationem Fluddanam, quam hic fruſtra quæſivi. Vides quam frontem perfricuerim; tu ſi quid velis quod poſſim impera. Vale, Vir eximie, & perge me amare. Reverendo Patri Merſenno ſalutem, quæſo, meo nomine plurimam. Sluſis Flandriæ 15. Octobris 1643.

Reverendo admodum, clariſsimoque Viro D. Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Cathedralis Præpoſito

GOTIFREDUS WENDELINUS S.

ANte menſem iſtum proximum, cum in hanc urbem veniſſem ad Chiphletios meos, accepi a te miſſas jam aliquanto ante litteras multi erga me affectûs, pleniſſimi officii in immerentem teſtes. Itaque, quod unum licuit, dedi operam, ut ſi non reſponderem, ſaltem non tacerem. Et meditatas quidem dudum, atque affectas habeo, prælo etiam dandas ad te, quibus te, omnemque poſteritatem beem Eclipſibus nuper mihi compertis anni 1580. in Januario, 1581. item Januario, 1584. in Novembri, 1588. in Martio, 1591. in Januario; & denique eodem 1591. in fine Decembris, annotatas ad Cornelium Gemmam pro Meridiano Leodienſi, & quidem manu Viri (quantum ego judico non indocti, certe cum meis tabulis tam pariliter paria facientes, ut vix minuto uno, aut altero vacillent uſpiam. Utinam ſequentium annorum plures ſuppetant! Ceterum ad Eclipſes, Gaſſende, tuas, ut guſtulum meæ ſententiæ promam, exiſtimo pleraſque illarum derivatas Cœlo per quadrantes ſeſſiles, ſeu azimutales Amuſſio ſuo inſidentes, quos ea propter [miſſo facto Arabiſmo] Amuſſiales malim indigitari. In his perpetua eſt mihi diffidentia, quoniam ſcilicet tum fallunt inſidioſiſſime faſtidioſiſſima hallucinatione, cum te credis tutiſſimum; atque adeo cum Pariſiis te eſſe pronuncias, Amuſſium ſuum tantillo inclinatum interim te ſiſtit, vel in Belgio, vel in Aremoricis. Schicardum certe cum ſua Tubingа non ſemel exhibuit in Burgundia, vel ipſo Dinienſi Meridiano ἀντικώτερον. Camillum glorioſum veneror, & invenio vel in Epiro exulantem.

Igitur ut ad te veniam Eclipſis tua anni 1620. in Junio tres primos digitos largitur [pro narratione tua] hora Aquenſi 11. min. 32. circiter, ut fuerit Hercii hora 11. min. 37. Ego tamen illos hor. 11. min. 27. habui, clarius idem adſtruit Eclipſis anni 1628. cujus Phaſes omnes limita utraque mora, duratio tota meis calculis reſpondent ad miraculum exceptu, quod alterius ſine horizontis, & in 10. tota minuta orientalioris. Itaque medium, quod tu cenſuiſti Aquis-Sextiis ad horam 9. min. 36. revera non exceſſit hor. 9. min. 26. quod τὰ ἰσορρόπευτα Pragenſia, Bruxellenſia, Pariſienſia [ut de Bethaſienſibus nihil dicam] jam dudum apud te confido perviciſſe, nam nihil ſuper his meas ad te datas ſugillaſti.

Alia ſubinde, ſed minora jam diſſidia intercurrunt, illa excepta, quam tu cum doctiſſimis illis Viris Puteanio, atque Iſmaële Bullialdo Cœlo derivaſti. Sed inclinatione Amuſſii prodigioſa, & quæ Pariſius exhiberet Hercio, jam orientaliores ad 2. vel 3. minuta. Et meis ergo verbis, & poſteritatis omnis votis rogati eſtote omnes vos *Trium-Viri Rei Aſtricæ conſtituendæ*, ut [quod commodo veſtro fiat] redeatis ad eundem locum, ubi peracta fuit obſervatio, advocetiſque velut in re præſenti memoriam quiſque ſuam, quibus, ſeu ædibus, ſeu pinnis, ſeu turribus imminuerit Luna, ſaltem una aliqua ex præcipuis phaſibus audeo ſpondere vos inventuros initium factum hora 11. min. 45. Immerſionem hora 12. min. 44. Emerſiſſe hora 14. minut. 25. deſiiſſe hora 15. minut. 24. planiſſime, quod ipſum cujuſmodi fuerit avide expectabo.

In Eclipſi 1641. die 18. Octobris admiror conſenſionem Bullialdi cum calculo item, & obſervatione mea ſtupendam. Scribit enim defectum habitum digitorum 6. *Satis præciſe* hor. 7. min. 33. Calculus meus a ſummo defectu ad digitos iſtos 6. minuta colligit 24. non plura plane, ut medium fuerit Pariſiis hora 7. min. 10. ad ſummum, ac proin Hercii hor. 7. min. 18; quo nihil poteſt concinnius cogitari.

Poſtrema Eclipſis 1643. die 27. Septembris vide, quam conſpiret inter nos, & Bullialdum in momenta ipſiſſima. Digitos 5. habuit Bullialdus hora 7. min. 12. nos Antuerpiæ hor. 7. min. 25. Rurſum digitos 4 ille quidem hora Pariſiis 7. min 23. Nos in Commentarios retulimus ſicut legis hor. 7. min. 36. digitos 3. Bullialdus exhibet hora 7. min. 31. nos Antuerpiæ damus horam 7. min. 44 ut denique digiti 2. cadant in hor. 7. min. 51. conſenſione hactenus manente in Meridianorum differentia, & Tabularum mearum calculis ſtupenda.

Sed nihil ago, niſi & futuram proximo Februario Eclipſin exhibeo. Eam ergo meæ Tabulæ in Atlantico ſic exhibent

Hor.	Min.	Sec.	Digiti.	Hor.	Min.	Sec.
3.	53.	27.	O.	6.	53.	57.
3.	59.	40.	I.	6.	47.	44.
4.	6.	3.	II.	6.	41.	21.
4.	12.	40.	III.	6.	34.	43.
4.	19.	36.	IV.	6.	27.	48.
4.	26.	57.	V.	6.	20.	27.
4.	34.	52.	VI.	6.	12.	32.
4.	43.	42.	VII.	6.	3.	42.
4.	54.	27.	VIII.	5.	52.	57.
5.	10.	52.	IX.	5.	36.	33.
5.	23.	42.	O. 15. mi.	5.	23.	42.
Ab initio ad medium.				A medio ad finem.		

Tota duratio hor. 3. min. 0. ſec. 30. præciſiſſime.

Pariſiis ergo
Principium Hor. 5. min. 29. ſec. 5.
Medium Hor. 6. min. 59 ſec. 20.
Finis Hor. 8. min. 29. ſec. 35.
Aquis-Sextiis.
Bruxellæ.
Antuerpiæ.
Principium Hor. 5. min. 42. ſec. 25.
Medium Hor. 7. min. 12. ſec. 40.
Finis Hor. 8. min. 42. ſec. 55.

Atque ad iſtum modum per alia loca deinceps.

Tu quid illic obſervaveris mecum communicatum velis. Ego certe mihi non deero, ſi adhuc ero.

Dum autem hæc præſtolamur, interibi fac reſciſcam ecquid ſuper Oſcillationum Hybernarum ab æſtivis differentia ceperis experimenti? Ego ſatis totam æſtatem ſedulus fui. Et quod Oſcillum mihi Jactationes Hybernas, ſeu Perigæas dedit 473. Idem ipſum æſtivas largitum eſt 458. ad ſummum horarias. Sciat hoc, & ringatur qui te non amat. Sapienti dictum ſat eſto, & ſat in præſentiarum ſcriptum. Nam hora me ad quietem vocat, cras hinc diſceſſurum apud te ſemper manſurum. [Bruxellæ 20 Octobris hora pomeridiana 10. in Muſæo *Julii Chiphletii* Ιὐλυ Χιφλήτῦ floris noſtri, ſi flores ſunt, & quidem certi fructus *Juli*]

Tuum integra deſiderio
VVendelinum.

Clariſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo Diniensi Præpoſito

GOTIFREDUS WENDELINUS S.

FActum optime, optime, doctiſſimeque Virorum, quod eodem admodum biduo abs te faſciculos litterarum accepi duos; alterum ex Idibus Juniis datum, alterum ex 12. Cal. Auguſti; ab his tamen abfuit exemplum earum, quas ante ſeptennium ſcriptas (fortuna neſcio qua librante) acceperam Condati, ad utrumque unica ſcriptione reſpondebo. Atque ad illum primum quod attinet, gaudeo ſanè Maſſiliæ latitudinem ſatis jam accurate deprehenſam gr. 43. min. 19. ſummum quod alioquin ex obſervatis illis tuis dudum confeceram. Si ergo Pytheas centrum Solis Solſtitialis habuit a ſuo vertice remotum grad. 19. min. 27. ſec. 0. ſicut ad te ſcribere memini, neceſſe eſt profecto, ut obliquitas illi fuerit grad. 23. min. 52. quam tamen Loxias meus 54. cum dimid. daret; & neque retracto. Ecquem enim ſponſorem habeo, qui fide jubeat meridianam lineam illi accuratius fuiſſe exploratam, quam hactenus tanto tibi? Sane ſi vel tantillum ultra, citrave pronunciavit meridiem Pytheas, ſi horas aliquot, atque adeò etiam diem ipſum ſuſpicioni ſuæ indulſit; ſi denique extra urbem peracta eſt obſervatio, imo enim-verò ſi hæc omnia concurrerunt, vides ut gradus illi 19. min. 27. revocandi ſint vel ad grad. 19. min. 24. plane ut de obliquitate illa mea grad. 23. min. 54. cum dimid. *pellibus incumbam ſtratis*. Tu tamen judicium tuum interpone, & ſententiam pronuncia. Venio ad poſteriores litteras, in quibus me tot Eclipſium donis beaſti. Quas ego [qui hoc jam hic ago] publico proponam. In his illa 1628. cur a meis fratribus diſcrepet minutis totis 10. vel etiam 12. cauſas intelligo, & Intermorium interpretor Aquis-Sextiis tuum. Ecce enim Doctiſſimus Petavius perſcribebat initium Pariſiis conſpectum hora 7. min. 27. ab iis autem, qui Teleſcopium adhibuiſſent, animadverſum hora demum 7. minut. 35. ſimilia & ego expertus ſum non ſemel, & plenus iſtis eſt Keplerus. Idem Petavius addidit paulo poſt finem deliquii fuiſſe Arcturum eltum 9. min. 30. ideoque horam tunc fluxiſſe 11. min. 7. Non addit quanto ante deſierit; hoc tamen auſero, non potuiſſe multo poſt horam 11. min. 0. deſiiſſe, ſi jam tum caruit penumbra. Hæc & meo fini Bruxellæ ante hor. 11. min. 10. pronuncianto, & meorum fratrum Bethaſiis hor. 11. min. 19. nactorum, & ad extremum Pragenſi repondent ad miraculum. Cum certum habeam abeſſe Pragam Bethaſiis, & Dinia tua minutis 38. ſatis præciſe, Bruxellæ, & Aquis-Sextiis ſaltem minut. 42. Pariſiis denique min. 56 exactiſſime exploratis prout ea jam do. Reliquarum Eclipſium, tum vel maxime anni 1638. mira eſt mecum conſenſio, & quæ tantum abeſt a dierum exigenda peræquatione, proſtaphæreſibuſque extra lineam oſcillatoriam computandis, ut potius in contrarium nonnihil niti videatur. Sed hæc calculi mei repræſentati clarius evincent. Unica eſt anni 1642. verna, cujus tu initium largiris hor. 12. min. 10. Immerſionem hora 13. min. 10. admodum [nam hora 13. minut. 11. jam erat, ais, immerſa] emerſionem hor. 14. min. 47. Finem hor. 15. min. 48. ſummum. Tota ut duratio fuerit hor. 3. min. 38. Mora hor. 1. min. 37. Medium verò Pariſiis hor. 13. min. 59. Tabulæ meæ dant eandem durationem hor. 3. min. 38$\frac{1}{2}$. Moram hor. 1. min. 40. Medium verò Pariſiis hor. 13. min. 34. tantum. Quid hoc prodigii? Dices tu, dico, & exclamo ego. Quid ego Herceæ obſervaverim exhibeo fideliter. Scito ergo me nullas unquam obſervaſſe Eclypſes Lunares, aut obſervare voluiſſe per altitudines Stellarum, aut ipſius Lunæ, ſi poſſem aliter, eo quod lubrica inſtrumento-

rum

rum tractatio, & plerumque infida ſemper mihi ſuſpecta fuerit Scioterica ergo capio, lapidea, magna, pedalibus non minora, quæque ſingula minuta, minutorumque partes aliquantas largiri queant. Ea verò collocoquam pote exactiſſime, ut in illis umbra Lunæ horam, ac minuta indicet, de facili (ut tu ſcires) reducendam, atque omni nos, & corporis, & animi tranquillos titubatione, ac ſollicitudine abſoluturam, præ qua ſimplicitate implexus eſt omnis labor. Sed neque Teleſcopio cœlum aggredior propter illud, quod jam commemoravi ſolemne intermorium; dum Luna pervidetur etiam dudum poſt inchoatam Eclypſin, dudum poſtquam umbra jam immerſa eſt. Adhibeo mihi adoleſcentes, aut amicos acuti viſus, & harum rerum ſi non peritos, at ſaltem quantum a me moneri poſſunt non omninò rudes. Meridianos deſignatos habeo ſemper, & Herea quidem duos certiſſimos per Templi mei turrim utramque. Adhibeo & Cleplydras arenaris durationibus emetiendis commodas, & Horiſonia ſi non auſculto, audio. Obſervationis ergo univerſam hiſtoriam hanc vide, ut ſe habuit Herea.

Horiſonio Templi.	Hora cœleſti.	Culminationes, & Phaſes.	Pariſiis ergo
Hor. min.	Hor. min.		Hor. min.
12. 0.	11. 55.	Lunam ſtringebat Meridianum limbo occiduo.	11. 37.
12. 5.	15. 0.	Nadit in Meridiano. Ergo Media nox.	11. 42.
12. 8.	13. 3.	*Initium deliquii* manifeſtum omnium judicio.	11. 45.
12. 15.	12. 9.	Sextans peripheriæ. Amplus digitus, rubens clate.	11. 51.
12. 30.	12. 23.	Digiti quatuor non minus inſigniter rubentes.	12. 5.
12. 45.	12. 37.	Digiti $7\frac{1}{2}$. Plus ſemicirculo. Obſcuritas langueſcens.	12. 19.
13. 0.	12. 51.	Digiti 10. aut non multo minus tenebroſi.	12. 33.
13. $7\frac{1}{2}$.	12. 58.	Culminabat lanx Auſtralis digiti $10\frac{1}{2}$. tantum.	12. 40.
13. 11.	1. 1.	Debebat immergi per calculum meum.	12. 43.
13. 15.	1. 5.	Adhuc tenuis limbus digiti 11. min. 30. tantum.	12. 47.
13. 30.	1. 19.	Jam erat immerſa: lanx Borea aberat adhuc $1\frac{1}{2}$. grad.	13. 1.
14. 0.	1. 47.	*Culminabat corona* præciſe ☽ diſparuerat.	13. 29.
14. 45.	2. 29.	Manus Ophiuchi tranſierat culmen grad. 1. min. 15.	14. 11.
15. 0.	2. 43.	*Emergebat* cum ipſiſſimo ſono tertiæ.	14. 25.
15. 15.	2. 57.	Lucebant digiti tres minimum.	14. 39.
15. 30.	3. 11.	Lucebāt digiti 6. ſatis præciſe, pluſquā ſemis peryph.	14. 53.
15. 45.	3. 25.	Lucebant digiti 9. culminabat caput Herculis.	15. 7.
16. 0.	3. 39.	Adhuc deerat aliquid minimum. Fere Finis.	15. 21.
16. 2.	3. 41.	*Finis.* Et poſt 4. minuta culminabat caput Ophiuchi.	15. 23.

Hæc eſt via mei proceſſus tota, etiam Scioterico pene ſtante, & Clepſydris fluentibus complanata, quibus inter ſe conſentientibus potuit horiſonium horas ſuas habuiſſe minutorum 56. tantum ſingulas. Meridiani mei dudum certiſſimi ſunt, & tam vaſti, ut ſi velim, etiam ad ſecunda poſſim deſcendere. Itaque tempora mea indubitata habenda ſunt. Certe Lovanii Gutiſcovius Mathematicus initium obſervavit hora 12. min. 0, quod cum meo momento hereeuo congruit ad miraculum. Idem immerſionem notavit hora illic 1. minut. 16. juxta mecum paria faciente. Itaque cum hæc ita ſe habeant, cum inquam ego αὐτοψίαν meam, meorumque incuſare non poſſum prodigii mihi ſimile eſt nos totis 25. minutis diſcrepare. Quod ergo te deinceps oro, illud eſt, ut velis per Scioterica, & culminationes quam fieri poteſt vaſtiſſimas [turrium puta vel ædium] inſtituere obſervationes. Nunquam te conſilii mei pœnitebit.

Eclipſis Ilerdenſis incredibile dictu eſt, quam ad unguem reſpondeat meis calculis; quam [dico] mei calculi cum illa conſpirent. Madritum inter, & Bruxellam exquiſite intercipiuntur minuta horaria 29. quod Eclipſeis me docuerunt utrobique obſervatæ perquam luculenter. Ilerda eſt Orientalis Madrito minutis 18. circiter, niſi nos fallunt omnes Tabulæ Geographicæ. Ilerda ergo abeſt Bruxella in Occidentem minutis 11. planiſſime; qua ex hypotheſi colligit meus calculus Ilerdæ initium hora 1. min. 10. poſt mediam noctem, digitos 2. hora 1. minut. 20. digitus 2. & eò plus hora 1. minut. 21. digitos 7. hora 2. minut. 47. digitos 10. cum dimid. hor. 3. minut. 3. quæ omnia fulciuntur accurate Agarrati tui obſervatis. Emerſio in altitudine Lunæ gr. 18. min. 0. horam indicat 4. minut. 50. cum dimid. ego 4. min. 50. ſupputo conſenſione in his ſtupenda. Scripſeram hæc ante Eclipſin inſtantem; ea verò hic Antuerpiæ in ædibus Cl. Viri Jacobi Edelerii præſentibus aliis, item Clariſſimis Viris Caſpario Gevartio, Jacobo Eychio, ipſoque, quem ſupra nominavi, Guſtiſconuio Medico, atque Mathematico, atque aliis Viris præſtantibus a me eſt obſervata diligenter, & maxima omnium expectatione; anne [quod prædixeram] deſitura eſſet cum ipſiſſimo momento, quo Sciotericum indicaret horam 8. min. 0 præciſiſſime? illud verò jam illic confectum eſt ab eodem Gutiſcovio murale, magnum, accuratum, cum Meridiano, quem & ego pridie diligenter examinavi, duxique per hortum in culmen remotioris domus exactiſſime conſentiens. Aderant Automata, & Horiſonium urbis fortuitò quidem labens, ſed quod ipſiſſimam ſignaret octavam, cum & umbra Lunæ eandem declararet in Scioterico. Ergo cum audiremus hor. 6. min. 30. Luna eluctata eſt per nubes, deficiens digitis pluſquam 6. cornua nondum erant parallela ſuæ orbitæ, multoque minus Ecliptieæ, nondum ergo erat medium. Rurſum inde nubes uſque ad Horiſonium hor. 6. min. 55. cum jam Luna victrix nubium ſe libe-

ram

Digitized by Google

ram exbibuit. Cornua jam fuerant parallela Eclipticæ, ſed arcus per centra tendebat ſupra caput Andromedæ. Jam ergo peractum erat medium. Horiſonio hor. 7. min. 0. deficiebat adhuc pluſculum dimidio. Arcus per centra tendebat in extremam alam Pegaſi. Jam ergo ante 4. minuta fuerat commiſſa oppoſitio, ac prom maximus ἀποσκολισμός ante minuta 12. hoc eſt, Horiſonio hor. 6. min. 48. ſatis præciſe. Horiſonio h. 7. min. 15. culminabat Aquila, imò culminaverat. Jam arcus per centra admovebatur Armo Pegaſi, quod iterum horiſonium illud hor. 6. min. 48. confirmat, horiſonio hor. 7. min. 30. deficiebant digiti adhuc quatuor, vel plus tantillo. Horiſonio hor. 7. minut. 45. cum jam ante tria minuta culminaſſet cornu Capricorni, aberant adhuc digiti duo ſatis præciſe. Gutiſcovius pronunciabat quintam partem circuli, horiſonio hor. 7. min. 50. digitus adhuc hor. 1. min. 30 culminabat clara Cygni, horiſonio hor. 7. minut. 58. nondum finis omnium judicio deerat adhuc aliquid, horiſonio hor. 7. min. 59. Teleſcopio conſpicuus erat totus limbus. Horiſonio hor. 8. minut. 0. cum ipſiſſimo primo ictu omnes pronunciarunt depuratum limbum. In Scioterico Lunæ indicabat horas 8. minut. 0. vel tantillo minus, quantum poſſit eſſe ſemi minutum. Parallaxis Lunæ Aſcenſionalis, ejuſque centrum a centro umbræ digreſſum oſtendunt fuiſſe horam veram, ac cœleſtem 8. min. 4. cum dimid. aut ad ſummum min. 5. Verus ergo finis incidit in horam Antuerpienſem 8. min. 3. juxta meum calculum, a quo nihil luxatur obſervatio ad verum ſuum tempus reducta. Et medium plane quadrat in horam cœleſtem 6. min. 51. Quid tu Pariſiis [vel ubi ubi es] obſervaveris aveo diſcere impatienter. Hoc dico interim. Finem Pariſiis debere intelligi hora 7 min. 50. ſatis præciſe. Ex te fac, quid hujus ſit, intelligam.

Caſum lapidis, ſeu ponderoſi cujuſvis non patiar a te diutius ignorari. Sic ergo habe, ut ſe habet quadrans ad radium, ita ſe habet oſcillatio ad caſum æque altum, hoc eſt, ut 7. ad 11. ſeu mavis 226. ad 355. Jam verò oſcillatio de ſuſpenſura 42. pedum habet jactationes horarias 543. in media Telluris a Sole diſtantia [plures Sole Perigæo, pauciores Apogæo.] Et ſunt hujuſmodi ſuſpenſuræ hinc ad centrum Terræ 447600. non plures. Quoniam ergo intervalla ſunt ad tempora oſcillationum in ratione ſemiſſe radix tot iſtarum ſuſpenſurarum [cum ſit 670. ad ſummum] ſi dividas per 543. horæ unius, emerget oſcillatio hor. 1. min. 14. quod eſſet tempus oſcillationis ſuſpenſæ de filo hinc ad centrum Terræ longo. Quadrantalis ergo oſcillatio erit minutorum 18. cum dimid. ideoque caſus erit minutorum 11. ſec. 46. aut min. 12. ſec. 0. ſi Telluris ſemidiameter eſt quantam facit Snellius. Idem tibi dabit Merſennii noſtri ratio, de ſuſpenſura pedum 3. cum dimid. cujus oſcillatio dat jactationes horarias 3600. ſeu meo more 1800. utique minuta 12. non excedet. Multa habeo, & quidem prodigioſa circa hanc rem, & quam propediem molior edere ſub titulo Lampadis Arcanorum Terreſtrium, quorum nucleus hac nuce tegitur

Sum cor tam multis, quare via ſeparet ulla?

Qui ex hoc verſu verſum alterum exſculpſerit, is nucem recluſerit, enucleaverit. Keplerus ubinam Solem extulerit ad ſemidiametros Telluris 13876. nondum legi, & neque omnium ejus ſcriptorum copia eſt. Tu quæſo indica. Nam meas 14400. videor ſtabiliviſſe ſatis bene cum ex Parallaxibus, quas non invenio excedere ſec. 14. tum ex Dichotomiis Lunaribus paulo accuratius penſitatis, tum vel maxime ex caſu, quem puto me deprehendiſſe futurum unius diei præciſe, ſi hinc caderet Tellus in Solem. Denique autem ex curſu quotidiano centri Telluris [in ſyſtemate Pythagorco] quod ſenis quibuſque minutis naturaliſſime abſolvet ſemidiametrum, dictim verò ſemidiametros 240. non pauciores. Ut proin neceſſe ſit diſtantiam illam ſic conſtitui. Sed hæc altioris ſunt contemplationis, ac prolixioris, quam ut hic paucis poſſint explicari, aut debeant, ne non identidem occuper, quoties ad te ſcribam, ac tu etiam reſcribes, ſive hoc facies deſtinatis litteris Antuerpiam ad Clariſs. Gevartium inpræſentiarum hoſpitem meum, ſive ad Slingelantium, ſive etiam ad Patrem illum optimum Cœmans Minimum Bruxellenſem, aut qua cenſebis. Quas incluſas mitto, iſtæ ad Mercatorem deſtinantur, qui ſolis meis litteris ad ſe datis numeravit pecunias quaſdam captivo apud Senonas; velim autem ſcire cuinam Bruxellæ, vel Antuerpiæ ſim eaſdem reſtituturus. Peſſime enim me habet plus illum de me cenſuiſſe, quam ſenſiſſe. Si quid etiam tua poteſt auctoritas (quæ certe gratioſa eſt) quod in captivi liberationem fieri poſſit, non expectabis, quam mox dicam, oro te. Prodiit jam hic menſis Januarios Vitarum Sanctarum. In iis eſt & Marii Abbatis Bodanenſis, Boſcoden vocant, ejus Reliquiæ ſervantur Forcalcarii, & illic in Legendario ejus vita ſcripta per Dynamium ſtylo ſane bono, quam ego exſcriptam illic reliqui, atque ut ad me mitteretur Arnaudum meum rogaveram τὴν μακαρίτην. An miſſam eaſos malus interverterit neſcio, unum ſcio dignam eſſe, quam tu cures, ita res anni 523. Francicas illuſtrat. Sollicitor eo magis hoc petere, quoniam nomen quoque meum iſtic ſidejubet, quo me faſce tu levare potes. Cum tibi ſcribo, ſcribo etiam doctiſſimis illis Galliæ Luminibus Petavio, Merſenno, Naudæo, & quem prenſo Bullialdo me his tu aſſere, illis teque pleniſſimum. Antuerpiæ 25. Octob. 1643.

Gotifredum VVendelinum.

Clariſsimo, & Eruditiſsimo Viro Domino Petro Gaſsendo Mathematico celeberrimo

HIERONIMUS BARDIUS
F. P. P.

TAndem gratiſſimæ tuæ ad me litteræ pervenere, quibus recreatus ſum, tum ab animi tui maxima modeſtia, qua me afficis maximopere cum excuſationes non debitas in medium affers, tum etiam ob ejuſdem affectum, quo me perſequeris. Gratiſſimum fuit audire de te, tuiſque laboribus, quæ Naudæus noſter renunciavit: Utinam tibi omnia proſpera eveniant! Meum opus, quod mox prælo ſupprimitur, eandæ duritiem in ultima excoriatione experitur Typographi incuria, & duplici lingua. Mirum eſt quot ambages, quot dolores expertus fuerim, technaſque, & dolos oculis hiſce viderim, neque unquam patiar hujuſmodi meum cor

ſubire

ſubire laborem, potius alia opera in tenebris ſepelientur. Spero tamen plurima iſthac exemplaria tranſmittere medio Legati noſtri Lutetiam adventuri, cum quo & Liceti noſtri librum habebis. Si autem ſecus acciderit tua juſſa capeſſam. Vale interim, & me ama, amicoſque omnes plurimum meo nomine ſalvere jobeas; præſertim verò Cl. Naudæum, Gaffarellum, Meſſenium, &c. Genuæ Calend. Novemb. 1643.

Studioſorum Litteratorum Patrono Patri Santino me plurimum debere profiteor, tibique, quod tuis mihi illi litteris amicitiæ vinculis obſtrinxeris. Aliquot mei Operis folia Cl. Naudæo noſtro miſi, a quo reſponſum expectabam.

Clariſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo

M. NEURÆUS S. P.

ITerato cur inſolens idioma conſuetum illud noſtrum interpellat epiſtolare commercium, non ultra mirabere, Vir inclyte, ubi noveris præſentis epiſtolæ argumentum eſſe quam procul a vulgo remotum. Anguſtus profectò nimia mihi viſus eſt, & profanus ſermo noſtras, quam ut auguſtum adeò pro majeſtate hoc tractare valeret arcanum. Non hic familiare, non officioſum, non de negotiolis noſtris, ne quidem de ipſa Philoſophia inſtaurare vacat colloquium; aliud quid majus occurrit, quod tibi ſignificare non ſolum volui, ſed juſſus ſum. Illa autem intelligentia, quæ te primoribus priſcæ ſapientiæ ſociavit Heroibus, in tantum famam tui extulit, ut ſi quid inuſitatæ rei, arduæ-ve quæſtionis oriatur, protinus ad te, ut ad tripoda, aut adipoda referre juvet. Utinam ille, cui contigit videre portentum, quod nunc tibi communicatum eſſe vult, parem ſibi nactus fuiſſet ſcriptorem! tunc revera longe concinnior, evidentiorque hujus tibi myſterii pateret hiſtoria; non tantum quod plurimum interſit ſua narret aliquis, an aliena, ſed quia neminem uſquam reperturus ſit, qui eadem, qua ipſe elegantia, congruentia, fidelitate, ac perſpicuitate rem ab eo viſam queat enarrare. Nec tu ſane refragaberis, imò in hanc confeſtim pedibus ibis ſententiam, cum tibi quis ille ſit aperuero. Si dixerim, Vir eſt ingenii præſtantia ſublimis, fulgurat in nullo (ut ſecundus de Imperatore ſuo) unquam verius dicta vis eloquentiæ Doctiſſimorum hominum eruditionem, aut æquat, aut ſuperat, procul dubio utcumque tunc poteris ſubodorari hominem, at tum demum perfectiſſime, ſi ſubiiciam eundem eſſe & Principem; hæc enim nota eum ab eruditorum grege, ut egregium ſegregat; non ſecus ac ipſa ſcientia a Principum turba. Scias igitur mihi nuper Maſſilia redeunti contigiſſe, ut eadem, quæ Regium illum Principem (quem jam agnoſcis tu, & ego ab inſigni comitate, ſi non aliunde, Comitem dici velim) me rheda vexerit. Ille verò me ſuo dignatus alloquio, cum ultrò, citroque verba mearent, ac tandem nonnulla περὶ τῶν πολυτρυλλύτων δὶα γύκτα φασμάτων, intercidiſſent faſſus eſt, ſe hactenus ejuſmodi apparitionum narratiunculis nihil ſemper, aut minimum fidei impertitum, in præſentiarum verò nonnihil; plurimum verò deinceps, dum ſibi liquidò non conſtabit manifeſto fuiſſe errore deluſum. Aſſerit itaque ſe conſtantiſſimam, certiſſimamque habuiſſe viſionem, non ſolitarium, non dormitantem, nec ſemel, atque iterum, ſed per juges quinque noctes, dum una cum nobiliſſima, ac ſolertiſſima Conjuge vigilantibus oculis in lecto jaceret; hanc autem fere ſic refert. Maſſiliæ hoſpitabatur propter ædem Civitatis publicam, inque conclavi dormiebat nonnihil, ut poſtea reſcivit, infeſtatione Cobalorum, aut Cluſiorum infami. Noctium igitur prima ubi uterque decubuere, obducta, ut mos eſt, ſuis velis ſponda, in interiore conopeo lumen quoddam micare viſum; id ſuſpicatus ſagaciſſimus Princeps, e candela haud procul accenſa fluere, excitatis cubiculariis eam removeri jubet; nihilominus idem ſplendor perſeverabat. Verum, quoniam ſuſpicio etiam tum ſuberat, ne aut e lucernis domus, aut e prætereuntium in platea facibus ea lux derivaretur, placidiſſimæ quieti uterque ſe dedere. Sequenti verò nocte priuſquam decumberent, ſecum reputantes, quidnam tandem eſſet, & unde heſternus ille radius, geminis papilionibus totum cubile exactiſſime obvolvi curant; candelam in proximo, ſed apprime clauſo cubiculo amandant, quam etiam denſiſſimo ſtragulo obnubi voluerunt; feneſtras quoque craſſiſſimis obturant pannis. Sic quaquaverſum lumen abigunt, ac ſubtiliſsimos quoſque, & cujuſcumque lucis arcent radiolos; atque hunc in modum accerſitis undecumque tenebris, cuncta opacant; & ſubinde ſuo ſe componunt grabato, in quo primum cum nihil præter cæcam caliginem obiiceretur, jam gratulabantur ſibi, quod a dormituris oculis importunum illud jubar depuliſſent. Aſt oppidò diuturnum gaudium hoc non fuit, nam ſenſim ſe fundere cepit pridie viſum lumen. Quod ambo quidem eadem plane ſedulitate luſtraſſe, eodemque ſemper modo ſibi apparuiſſe affirmant; & ita ferme deſcribit eloquentiſsimus Princeps. Splendor eſt, inquit, infra Solis quidem fulgorem micans, ſed etiam ſupra Lunæ nitorem fulgens. Figuræ, ut & intercapedinis ambiguæ; modo enim angularis rhombum, modo verò circularis, & oblongus Ellipſim exprimebat; nunc ad communis manus exporrectus latitudinem, nunc ad unguis minimi areolam contractus, ac denique in tantam arctatus anguſtiam, ut exilitate ſua inimitabilem repræſentaret puncti imaginem. At vivido nitore ſemper, qualis ſufficiat legendis litteris, præſertim cum dilatatus uberius lumen funderet, mobilis tamen, ac perpetuò fluitans

Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine Lunæ
Omnia pervolitat late loca, jamque ſub auras,
Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti.

Haud aliter ille, præterquam quod non ita velociter ſedem mutabat, in eamque ſemper lecti partem, quam ego occupabam vergebat, ſive ad cervical accederet, ſive ad pedes recederet. Ubi verò conſtantiorem nactus typum, tranquillius ſedebat, conſpiciebantur in eo natantes umbellæ, quæ nonnullos utcumque efformare videbantur characteres, ſed tranſverſum præcipue tigillum, diagonalium illorum inſtar, qui hodierna ſtemmatum ſcuta dirimunt; qui cum tenebricoſus eſſet, quaſdam tamen ſublucidas etiam admittebat notulas. Aſpectu autem totus ille ſplendor jucundus adeò, & blandus eſt, ut intuentium oculos verius exhilaret, quam terreat, ut in cujus contemplatione acies intenta ſemper delectetur, & nunquam fatiſcat. Nihil habuit horridi, fœdi, aut ſordidi nihil, murmur aberat, & placidiſſimo migrabat, meabatque ſilentio; quo ſemel a me

dıta opera rupto continuo evanuit. Manum enim in ipſum cum valide impegiſſem, exploraturus ſcilicet, num aliud, quam ſerieum, in quo fluitabat palparem actutum velut ſtrepitu eaceſſus, aut plaga obliteratua ultra non comparuit. Verum non in perpetuum, nam ſequentibus proximia noctibua redux eodem prorſus tenore, quo ſuperioribus conſpicuum ſe nobis poſtliminio reſtituit. Noſtrûm autem, qui prior expergeſactua eum cerneret, alterum cubito ſetiens excitabat in viſionis ſocietatem, ut ex alienæ ſpeculationis collatione propriæ hallucinationis ſuſpicium emendaret. At in omnibus ſemper utrique ira concors fuit repræſentatio, ut poſt accuratiſſimum ſuſpectæ illuſionia examen, omne prorſus erroris dubium faceſſat neceſſum ſit, & nihil non vel ſuperſtitioſa ſollicitudine expertia rariſſimi æque, ac veriſſimi prodigii fidea relinquatur; ſic ille. Tuum verò nunc eſt, Vir eximie, pro altiſſima, qua polles ſapientia, quid portentoſa ſibi velit hæc apparitio rimari. Nam ego ex tam ſcrupuloſa Viri, vel ipſo Lynceo perſpicacioris obſervatione nullatenua ambigo, quin ea lux in omen aliquòd cœlitus expreſſa ſit; & quidem fauſtiſſimum, ſi mihi quoque ariolari fas eſt. Quid enim aliud portendit leniſſima hæc claritas, quæ tanta com ſuavitate radiavit? Mitto profanorum fabellas; non me movent ab eiſdem excogitata Regiæ dignitatia præſagia, nec

——Summa de vertice viſus
Fundere lumen apex; tractuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Aſt cum ſuccurrit ubique gentium, lumen ſemper habitum fuiſſe propirium, ac naturæ ita beneficæ, ut nonnulli Philoſophorum Dei partem eſſe corpoream opinati ſint, lumenque dictum quaſi Numen, nec hoc videam a doctrina melioris notæ, hoc eſt, Chriſtiana abhorrere, in qua Deus ipſe non ſemel lux vera appellatur, pater luminum, lumen de lumine, qui ſuis tam frequenter apparuit amictua lumine ſicut veſtimento, ut Moyſi in rubo, Salomoni in templo, &c. Bonique Angeli, lucis dicantur; ut contra, mali, tenebrarum. Quid mihi aliud de hoc jubare coniiciendo n relinquitur, quam dextrum aliquid, lætumque eſſe optimi cujuadam eventua ſignum? Nihil enim habuit triſte, nihil terrificum; imò Celſiſſimua Princeps eò tantopere delectatus eſt, ut quamprimum Maſſiliam repetendi deſiderio maxime flagret, in dieſque reditum paret, quo ſibi tam grati luminis aſpectu iterum frui contingat. Quod quidem minime appeteret, ſi aliquid illorum ſulgorum habuiſſet, qui tetrica utplurimum aut comitari, aut ſequi ſolent portenta. Non eodem ſane rurſua afflari optaſſet Commenus Imperator, qui circa Neapolim venando perculſus, qui poſtquam immanem aprum uſque ad Mare, in quo ſe præcipitem egit, inſequutus eſſet, extemplo ſubita adeò, ac valida coruſcatione perſtrictua eſt, ut excuſſus equo ſemianimis jacuerit. Apage talia fulgoria monſtra, nihil hîc ſimile memoratur.

Hæc ſunt, quæ voluit, ut ad te ſcriberem tui ſtudioſiſſimus Princeps, qui pluria-ne te faciat, quam amet, neſcio. An verò quaurum merearis, utrumque penes ipſum judicium eſto. Vale. Aquis-Sextiis. 3. Non. Novemb. 1643.

Viro Maximo incomparabili Petro Gaſſendo

SAMUEL SORBERIUS S.

VAlde me recrearunt litteræ tuæ, reliquiis morbi bimeſtris adhuc ægre reluctantem. Indubium enim facis, Vir ſumme, quam tibi alte in pectus deſcenderim, quæ fuerat votorum meorum ſumma; nam cum a puero vehementer magnorum Virorum amicitiam expetierim, quibus vel innoteſcere magno mihi futurum emolumento, ut melior fierem, optimus avunculua ſuadebat, non potui ſane, quin tuam, ut primum obtulit ſe occaſio, ambirem. Et bene ſe habuit, quod humanitas tua nihil ſpectare voluit aliud præter ad res bonas proclivitatem, & in bonos affectum puriſſimum; quem ut quandiu ero ſuperſtes, Deo favente, conſervabo, ita ſpero tuæ erga me benevolentiæ perennitatem. Gaudeo tibi probari ſpecimina Typographica diſquiſitionis tuæ, neque injucundam fuiſſe præſatiunculam noſtram. In Carteſium, hominem laudabilis inſaniæ nolui quid aſperius dicere; nam exemplum tuum mibi propoſui. Ceterum quia de tempore alicubi profiteris diſquiſitionem eſſe difficillimam, viribuſque parcens conſultò rem non aggrederis, ſubiit ſententiam tuam tanta de re expoſtulare, atque una mittere nugas quaſdam cum vacabit refutandas, niſi una litura expungere malis. Vale, Vir ſumme, & me tui obſervantiſſimum, obſequentiſſimumque amare perge. R. P. Merſennum, quæſo, plurimum a me ſalutes. Sluſis Flandriæ 10. Calend. Januar. 1644.

De Tempore.

REa ſunt, ex quo e nihilo, ſecundum hypotheſim, creatæ fuerunt; & quoniam nihil hodie creatur, nihil etiam incipit eſſe; ſed tantum ſit, ut quod erat hic, & hoc modo alibi alio ſit. Mutatio autem iſta nullam infert novam entium in rerum natura poſitionem. Inde tamen deſumuntur variæ temporum differentiæ, quibus ad mutationum diſtinctionem utimur; nam etſi diverſa diſpoſitio entium in ſitu, loco, & diverſo aliorum entium appulſu, & conjunctione, revera nihil ſit ſolidi, & quod entia nomen mereatur; tamen entia, quæ per generationes, & corruptiones, quas vocant, perpetuo mutantur, ita ſenſibus noſtris diverſa apparent, ut vera de novo entia fieri plerique exiſtimemus. Atque hæ novæ creationes a nobis in eo maxime diſtinguntur, quod una poſt aliam fiat, cum animadvertamus, ens quoddam extitiſſe alio nondum exiſtente. Sed fallimur longe, meâ quidem ſententiâ, qui mutationes iſtas pro creationibus habemus; nulla enim ſit creatio, præterquam animæ humanæ. Nos igitur cum tempori differentias aſſignamus, nihil aliud facimus, quam mutationem unam alteri comparare in eo, quod illa erat antequam hæc eſſet. Itaque ſi nulla ſuperveniret ulli enti mutatio, idque in eodem ſitu, & diſpoſitione permaneret, nihil dici poſſet præteritum. Cui opinioni noſtræ fortaſſe favet quod non quæ in ſomniis deſtituta fuit breviſſima nobis apparet, tota ſimul præſens; quaſi nihil intermedium inter primum ſomni, & exſuſcitationis punctum fuerit. Mutationes nullæ noſtro

reſpe-

Digitized by Google

reſpectu fuerunt, qui eas ignoramus, & ſine eis non poteſt dici aliquid prius, aliquid poſterius fuiſſe; nullæ, inquam, aſſignari poſſunt præteriti, & futuri diſtinctiones. Quare ſi non tantum noſtro reſpectu, ſed revera nullæ omnino eſſent mutationes in rerum natura, præſens eſſet ſine ullo præterito, & futuro. Hæc cum aſſerimus inter mutationes, de quibus loquimur reponimus mentis cogitationes, ad quas fit nonnunquam ut reſpiciamus, cum nullæ ſint aliæ inſigniores, quibuſcum, vel alias, vel ipſam entis cujuſdam permanentiam comparemus. Ita nox inſomniis multis agitata longior videtur; & ſi quis ſenſibus privatus eſſet, atque motu omni animali, is temporum intercapedinem non cognoſceret, niſi cogitationum ſuarum beneficio; poſteriorem ſcilicet priori comparando.

Admodum Reverendo, atque Clariſsimo Viro D. D. Petro Gaſſendo S. P.

JAmpridem, Vir Excellentiſſime, & Clariſſime, tecum per litteras agere affectavi; ſed verecundia impeditus quominus auſus fuerim inani ſcriptione graviſſimas tuas occupationes interpellare; jam verò ex animo quidem lætor per T. Cl. judicium de novem Stellis circa ♃ viſis mihi oblatam eſſe ad te ſcribendi occaſionem, nihilominus te per fas humanitatis obteſtandum putavi, ne hanc peregrini hominis temeritatem in ſequiorem partem interpreteris, quod cum impetravero, certe inpoſterum habebo, cur non ſolum gloriari, & felicitati meæ gratulari potero, quod fata mihi aditum ad illuſtrem tuam gratiam, amicitiamque tecum ineundi patefecerunt, quem conſentiens fama celebrat tanquam primarium ſæculi virum ingenio, doctrinâ, judicio, & a ore omnium laudum, atque rerum honeſtarum; ſed & nihil erit uſquam tam promptum, ac paratum, quam ad omnia, quæ T. Clarit. voluerit humile obſequium, atque officium meum. Quemadmodum, Vir eximie, ingentem cumulum lætitiæ ex litteris Rev. P. Antonii M. de Reita hauſerim, ſi nimirum novem Erraticas animadvertiſſe circa ♃ Stellas, ita non parum contriſtaris, me illas antea nunquam vidiſſe; præſertim cum diligentiſſime pro mea tenuitate hactenus invigilaverim obſervationibus, tum circa Jovem Jovialium, quam Stellarum Fixarum, anno nimirum 1642. menſe Auguſto, Septemb. Octob. & Novemb. & quidem continue, ſingulis diebus, quando Cœli ſerenitas id permiſit, & nunquam plures, quam illas quatuor Erraticas jampridem a Viro illo magno Galilæo detectas deprehendiſſe, quamvis adminiculo tubi optici non unius, ſed quamplurimorum haud vulgarium; Fixas autem memini me multoties undique circa Jovem diverſæ magnitudinis, & ſæpenumero in ipſo ordine Syderum Medicæorum vidiſſe, & annotaſſe, ſicuti & circa illas quinque in effuſione aquæ quintæ, & ſextæ magnitudinis, quas T. Clar. delineavit in ſuo judicio, triginta duas diverſæ magnitudinis, quas omnes pro viribus longo temporis intervallo, ac quotidie obſervationibus iteratis cum earum longitudinibus, & latitudinibus delineavi, inter quas & hæ quinque obſervatæ ſunt, quas Rev. P. Ant. M. de Reita in numerum Erraticarum Stellarum adoptare voluit, cum tamen nullæ aliæ, quam Fixæ abſque tubo inviſibiles in ſchemate præſenti cum C H I K L notatæ, inter quas Jovem degentem, & ego anno 1642. die 2. & 4. Septemb. conſpexi plane in ipſo loco, ubi die 29. Decemb. Rev. Patri viſus fuit, mihi autem auſtralior tunc temporis erat, & die 28. Auguſti in illo loco, ubi die 4. Januarii ipſi apparuit, quod præſens delineatio fuſius declarabit. Invenit enim T. Cl. Reverendum Patrem ſolummodo unam C ex illis quinque hactenus in globo annotatis pro Joviali accepiſſe, nimirum in primo fluxu aquæ duarum ſequentem, reliquas fuiſſe H I K L Fixas hactenus incognitas, quas omnes ſi cum illius ſchemate collationaveris, præſertim ſi talo ex meis Fixis conſtruxeris, deprehendes illas ipſas fuiſſe, quas Erraticas eſſe putavit, ut & motui illarum, quem intra ſpatium aliquot dierum ſecundum illius opinionem confecerint, ex Jovis motu directo ſatis, ſuperque patebit. Ne autem quis exiſtimet, illis quinque nihilominus fortaſſe novas fuiſſe Joviales, ſciat me illas prænominatas poſtea non ſolum per quatuor menſes fere quotidie, ſed & nuperrime iterum anno 1643. menſe Novemb. aliquoties obſervaſſe in illo ipſo loco, ubi tum temporis obſervatæ, ſimulque adhuc aliam minutiſſimam, a Fixa 1. grad. min. 5 diſtantem cum M notatam inveni, ex qua colligitur tubum Rev. Patris non adeo excellentem eſſe, uti ſibi imaginatur, cum illam minimam non viderit, aliàs decem Joviales in ordine annumeraſſet, neque reliquas Fixas, quas ego circa has Stellas detexi, quemadmodum & nuperrime melius alias Fixas, inter quas quotidie ♃ deprehenſum annotavi, ſæpenumero in una linea recta cum Jovis Comitibus repertæ, & niſi illas probe noviſſem, forte & ego fortaſsis deceptus fuiſſem: Sat autem hac vice dictum de illis falſis Jovialibus. Jam verò quia certus ſum tibi tanquam obſervatori accuratiſsimo, & diligentiſsimo non ingratum fore obſervationes Eclipſium, ſi tecum communicentur, idcirco quaſdam hic apponam, & ſi in poſterum tibi ejuſmodi obſervationibus, ut & aliis, macularum nempe Solarium [quarum aliquot centum obſervatas habeo] ut & Jovialium, quam aliarum Planetarum gratificari potero, promptum, paratumque me ſemper habebis.

Prima anno 1639. die 1. Junii ſtylo Gregoriano obſervata eſt a me Eclipſis Solis hic Dantiſci; initium quidem ſecundum approbatum, & correctum horologium hora 5 min. 20. ſec. 42. veſperi maximam obſcurationem hora 6. min. 21. ſec. 31. finem hora 7. min. 14. ſec. 55. magnitudo Eclipſeos erat digit. 10. min. 48. Cum autem hanc Eclipſin per nudum foramen ſolummodo obſervaverim, idcirco mihi etiam minor apparuit, quam revera extitit, neceſſe igitur erit, ut ab hac obſervatione detrahatur fimbria, uti doctiſſimus Keplerus monet in Aſtronomia Optica, ita prodibit vera quantitas Eclipſeos circiter digitorum 11. cum dimidio. Si omnes Phaſes videre placuerit, quas tum temporis annotaverim, habebis illas in hiſce ſchedulis.

Secunda anno 1642. menſe Aprili Cœlo admodum ſereno Eclipſis ☽ obſervata eſt, initium quidem hora a media nocte 1. min. 13. ſec. 42. initium totalis obſcurationis hora 2. min. 22. ſec. 0. recuperationem luminis hora 3. min. 53. ſec. 20. occidebat lumine reſtituta quatenus id colligere potui hora 4. min. 55. ſec. 30. Colorem quod attinet, ſtatim ab initio atrâ caligine fuit obducta, & infuſcata; circa medium verò Eclipſeos plane nobis in Cœlo evanuit, & viſui ſeſe ſubtraxit, ita ut vix indicium aliquod ſupererat,

Digitized by Google

& niſi locum ex Fixis noviſſem, quæ durante Eclipſi ſatis, ſuperque tam quartæ, quam quintæ magnitudinis cernebantur, ſane nec per tubum opticum (quod aliquibus ex noſtris ſpectatoribus obtigit) Lunam ipſemet inveniſſem.

Tertia præterito anno 1643. menſe Septembri iterum Eclipſin Lunæ hic Gedani obſervavi, cujus initium contigit ſecundum correctum horologium [quod ſingula ſecunda, & dena tertia indigitat] hora 6. min. 36. ſec. 30. hora autem 6. min. 48. ſec. 30. obſervata eſt altitudo Arcturi grad 25. min. 0. per quam invenitur hora 6. min. 48. ſec. 44. hora 7. min. 14. tempore Eclipſeos centralis min. 9. ſimul ☽. & ♄ obſervata eſt, diſtabat verſus Auſtrum ſub ☽ circiter minut. 45. erat ſane ſpectaculum jucundiſſimum. Hora 7. min 35. ſec 30. circiter 6. digiti erant eclipſati. Hora 8. min. 59. ſec. 30. finis hujus Eclipſeos obſervata eſt, ſimul etiam altitudo Aquilæ grad. 20. min. 20. ex qua liquet horam fuiſſe 8. cum min. 58. cum autem hæc Stella admodum vicina Meridiano tum temporis eſſet, idcirco adhuc ſemel obſervata eſt altitudo Lyræ grad. 56. min. 0. hora nempe ſecundum prænominatum horologium 9 min. 7. ſec. 30. ex altitudine invenitur hora 9. min. 7. ſec. 0. patet igitur horologium ſatis accurate tempus indigitaſſe, & via emendatione opus habeat, digiti fuerunt eclipſati circiter 6. cum dimidio.

Quarta anno 1630. die 19. Junii veſperi poſt ☉ occaſum circa horam undecimam in Dania non procul Uraniburgo obſervatus eſt a me Saturnus a ☽ tectus, ipſum quidem momentum temporis occultationis, tum qua parte præciſe Luna illum texerit, accurate obſervare nequivi idoneis inſtrumentis deſtitutus. Si autem inpoſterum tale quid obſervandum, vel etiam Eclipſis ☽ occaſio daretur, multo accuratius id perficerem; non ſolum annotarem qua parte Lunam iniret, ſed & exiret; in Eclipſibus qua defectus inciperet, qua deſineret, tum etiam diametrum umbræ, quæ omnia ex iconiſmis meis lunaribus facillimo negotio indigitare poſſum, quos nuperrime ſummâ diligentiâ, ac patientiâ non ſolum quidem Plenilunium, quadraturasque tam extra, quam circa nodos, ſed & Phaſes Lunæ varias, varietatesque vivis ſuis coloribus, propoſitionibusque, & ſitu ſervato depinxi, ex quibus jam triginta, quarum diametrorum magnitudo eſt ſex pollicum pariſienſ. maxima curioſitate delineavi, decem adhuc reſtant, quæ brevi, quamprimum ſerenitas Cœli id permittet, & auxiliante Deo, perficiam. Non ignoro T. Clarit. cum illo nunquam ſatis laudatiſſimo Peireſcio jamdudum in votis habuiſſe talem ſpeciem Selenographiæ inſtituere; num autem id præſtiterint, nondum intellexi; idcirco optarem ut hanc meam vidiſſet, quo ſimul judicium tuum hac de re perciperem. Quod ſi ſcirem rei litterariæ ex hoc opuſculo aliquid emolumenti redundare poſſe, tum Aſtronomiæ cultoribus id non ingratum fore, operam darem, quamvis in obſervando, & delineando jam incredibilem hauſerim laborem, nihilominus & ipſemet has Phaſes ſi vita, & otium ſuppeditet, æri inciderem, certus enim ſum nullum Cælatorem tam accurate illas poſſe cælare, & mentem obſervatoris exprimere, tum quoad colorem, valliumque profunditates, umbrasque, quam obſervatorem, ac delineatorem ipſum, qui harum rerum notitiam ex crebris obſervationibus ſibi comparavit. Sed de his tantum, & fortaſſe plus ſatis, quam, atque alteram notabilem adhuc obſervationem Jovialium hic apponam, ut & periodum unam macularum, & facularum Solarium (quæ modo longe faciliori, quam Scheineri obſervatæ ſunt) quæ omnia cum annotationibus in hiſce litteris invenies. Interea iterum T. Clarit. etiam, atque etiam rogatam velim, ut mihi ignoſcat, quod tam licenter tua benignitate abutor, hasque meas obſervatiunculas, quamvis parvi momenti, ultro confiteor, nihilominus æqui, bonique conſulas, meque gratia, amicitiaque tua complecti non dedigneris, officia mea tibi iterum prompta, parataque ſemper offero. Vale, Vir eximie, multisque nominibus mihi plurimum obſervande. Dabantur Gedani anno 1644. die 14. Januarii ſtylo Gregoriano.

T. Excell. & Cl. obſerv. Joannes Hevelius Dantiſc. Reip. Patrop. Scabinus.

Schema ♃ excidit.

Ampliſſimo, & perilluſtri Domino D. Petro Gaſſendo S.

Vir eximie, ac celeberrime. Subibit haud dubie animum tuum admiratio, quod ego de facie pariter, ac nomine tibi ignotus haſce ad te dem litteras; ſed enim ita facere impulit affectus, quo te jam multos annos proſequor; ex quo enim tuas in Ariſtotelem Exercitationes Paradoxas vidi, ac legi, cepi unice te, & libertatem in philoſophando tuam adamare; cui amori, & affectui in te meo incrementum dedit lectio tuæ exercitationis in Fluddum, & diſſertationis de Mercurio in Sole viſo; at poſtquam incidi in tuum de apparente Solis magnitudine, & de motu impreſſo a motore translato tractatum, & nuperrime in dubitationes tuas, & inſtantias adverſus magni Viri Renati des Cartes Metaphyſicas meditationes, ibique deprehendi, tantâ modeſtiâ, tam facili, & levi ſtylo, tam dextrâ analyſi, ac tanto judicio concinnatum omnium ſectionum, ac punctorum examen, ita me Deus amet, ut ego totus ſui abreptus tui amore, atque admiratione. Macte iſto animo, Vir maxime, ac bene de Republica Philoſophica mereri perge, ac ne diutius invideas ſæculo noſtro, quas a longo jam tempore, multisque annis promiſiſti, exercitationum in Ariſtotelem Paradoxarum reliquas ſectiones; facito nobis quoque copiam Philoſophiæ tuæ Epicureæ, quam confectam jam a te nobis expoſuit elegantiſſimi ingenii juvenis D. Henricus Bornius, tuarum virtutum admirator, ac buccinator maximus: Non ſunt illa, quæ veritatem promovere poſſint, invidenda poſteritati. Si quid metuas periculi, aut detrimenti ex illorum editione apud veſtros, ad nos ingenii tui fetus tranſmitte, qui Typorum nitorem, & elegantiam promittimus, curam, ac fidelitatem in corrigendo, cum ſub prælo ſudabunt, ultro pollicemur, ac quidquid a nobis præſtari poterit jubentes præſtabimus. Vale, & amantem redama. Deus te diu ſervet incolumem. Lugduni Batavorum 1644. Februarii 25. ſtylo Gregoriano.

Tui obſervantiſſimus Adrianus Heereboord, Philoſophiæ in Academia Lugduno Batavorum Profeſſor.

Dum

Dum hæ litteræ acceſſum D. Bornii aliquot dies expectant, incidi in Libellum Lovanio ad nos tranſmiſſum, qui continet refutationem tuæ epiſtolæ de IX. Stellis circa Jovem, ſex circa Saturnum, aliis circa Martem obſervatis a P. Antonio Reita; idem Libellus adjunctum habet examen tuæ ſententiæ de perpendiculorum inconſtantia. Auctor utriuſque eſt vir doctus Joannes Caramuel Lobkovvitz. Hoc te neſcire volui.

Ampliſſimo, & perilluſtri Viro Domino Petro Gaſſendo S.

LOvanii, ſapientiſſime Vir, ad te ſcripſi, imo & mittendas edidi in Libello de ſeptem Stellis Jovem circumvenientibus; nondum tamen ambitionem meam tuis beare litteris dignatus es. At quia te urbaniſſimum veneror, vel meas tibi non fuiſſe traditas, vel tuas periiſſe exiſtimo, quorum ultimum probabilius eſſe meus excurſus in Germaniam perſuadet. Diſceſſi ipſo cinerum die, Regis Catholici liberalitate ad Diſembergenſem Abbatiam promotus, & Crucinaci in inferiori Palatinatu habito, ubi tuas expecto. Te curioſum Hiſtoricum, & Aſtronomum jam ego a multis annis; nec videbatur mirum; Hiſtoria enim, & Aſtronomia, ſi bene examinem, una, & eadem ars. Principes, Cœli politici ſunt Sydera; Sydera militiæ cœleſtis ſunt Principes, adeoque arte Aſtronomica politicorum Syderum curſus, & Hiſtorica Planetarum, & aliorum Syderum motus, periodi, Synodi, & comitia deſcribenda ſunt. Sed quod præter eloquentiæ ſuaviſſimos flores, quibus illuſtria amicorum facinora tranſtuliſti ad Sydera, & Syderum clandeſtinos congreſſus ad amicorum oculos, etiam Metaphyſicas ſubtilitates eximius, & ſubtilis pervaderes, & obſcuriſſimas controverſias divinitate tui ingenii illuſtrare libere, non credidiſſem referenti, & tamen crediturus ſum. Ad nundinas Francofurtenſes curioſitatis gratia veni: Multos quæſitos ſcriptores non reperi, adeoque meum illud iter judicaturus ſuperfluum, aut infelix ni mihi non quærenti occurriſſes. Speculationes illas tuas in Carteſium Blaviana officina non ſine Simoniæ civilis ſuſpicione ambitioni meæ vendidit; admirabundæ quidem, quod viderit pretio commutari, tametſi divinas, & cœlicas. Rem fatear; non cognoſco Carteſium, amo tamen propter vivacitatem ingenii; ſed quod abſit ab univerſitate, viro magno condoleo; acutæ enim menti cos deficit, & exercitium Academicum menti magnæ eſſet coti. Nauſeabundus ille, ſuperbuſque ſcriptitandi modus omnino diſplicet; cum enim nec puræ mentes, nec puræ carnes ſimus, plus carnis, quam mentis nos habere convincimur, cum evomimus, quæ mens civilis, & urbana concoqueret. Quercus decrepita altas radices egit, nec baculo tametſi toroſa manu acto deiicitur, ſed ſoli cedit bipenni.; & peripatetica Philoſophia, quernea quidem, & ruſtica, ſed quæ per multos annos in ſcholis obtinuit, & radices immiſit profundiſſimas, deiici, & eradicari poterit, non tamen baculo, & fuſte, ſed bipenni, & ſecure, non inurbanitate, incivilitateque, ſed acutiſſimis rationibus forti mente conceptis, ſcriptis calamo ſuavi, & urbano. Tu igitur, cui acre ingenium converſationis elegantiâ conditum Deus indulſit, progredere, & rem Metaphyſicam tuis inventis illuſtra. Prodibo & ego, multaſque Carteſii ſpeculationes proſequar, multas perſequar; habet enim nonnullas, quæ ſunt mentis ſublimis indices, aliquas, quæ inſinuant debere Auctorem exerceri, ut urſæ ſimilis abortiva acumina perficiat, & reformet. Utrum mihi urbanus futurus ipſe ignoro; ſed ſi tam bene Politica, quam Metaphyſica ſapiat, aderit urbaniſſimus mihi unam, & ſolam veritatem quærenti, ipſumque urgenti, & exercenti, quod magna mente cœlitus donatum crediderò; aliàs enim contemnerem, nec loquentem, tacentem-ve morarer. Judicium tuum in hac materia magni facio; libera tamen, ſervatâ debitâ reverentiâ, aut intendo, aut remitto, & fundamentis demonſtratis accommodo, quod, ut exiſtimo, tibi erit gratum; ego enim libenter examinor, ut accedente amicorum calculo ſciam, quid poſſim ſecure proferre, quid debeam ſecundo examinare. At tuo, tuorumque Pariſienſium judicio in materia digniore, & ſublimiore indigeo. Controverſias ſcriptito, & has theſes apud Viros magnos reperio: *I. Concilia Generalia errare non poſſunt. II. Summus Pontifex extra Concilium Generale [hoc eſt ſolus, aut in Conſilio Nationali] imo & ipſa Nationalia Concilia errare poſſunt.* Utramque tuetur Adrianus Papa VI. *in quæſt. de confirm.* Cardinalis Cameracenſis, Cuſanus, Panormitanus, Florentinus: Primus *de auctoritate Eccleſ.* ſecundus, *de concordia Catholica lib. 2. cap. ultim.* tertius, & ipſe, qui nomine Abbatis citatur, *cap. ſignificaſti extrav. De electione*. Ultimus *ibidem*, quibus adhæret magnus ille Doctor Hiſpaniæ Alfonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus *in cap. 18. matth. quæſt.* 108 & ne quis dicat inconſiderate, & obiter difficultatem reſolviſſe, eandem theſim reſumit *in difenſoria part. 2. cap.* 69. in majori Salmanticenſi Collegio, quod S Bartholomæo inſcriptum, Profeſſor, & Collega olim fuit, & exiſtimo tanti a ſuis hodie fieri, ut vix reperiendus ſit, qui affirmet, eum docuiſſe ſententiam improbabilem. Ejuſdem opinionis fuerunt Joannes Gerſonius, Joannes Major, Joannes Pariſienſis, Jacobus Almainus, & alii *in ſuis tractatibus de poteſtate Eccleſiæ*. Franciſcus de Victoria in Salmanticenſi Academia eximius, Sacræ Theologiæ Profeſſor [ſic eum appellat Poſſevinus in ſuo indice] *Relectione 4. de poteſtate Papæ, & Conciliorum, propoſ.* 32. ſic inquit: *De comparatione poteſtatis Papæ eſt duplex ſententia. Altera eſt S. Thomæ, & ſequacium multorum, & aliorum Doctorum, tam in Theologia, quam in Jure Canonico peritorum, quod Papa eſt ſupra Concilium; altera eſt communis ſententia Pariſienſium, & multorum etiam Doctorum in Theologia, & Canonibus, ut Panormitani, & aliorum contraria, quod Concilium eſt ſupra Papam. Non eſt locus hic diſputandi, quæ illarum ſit verior; puto utramque eſſe probabilem opinionem;* idem omnino docet Navarrus, tametſi ſcrupuloſiſſimus Doctor, qui cum ubique ſtrictiſſimas ſequatur ſententias, cenſendus hanc crediſſe ſtrictiſſimam, & ſecuriſſimam: *Eſt maxima diſcordia Romanorum, & Pariſienſium*, ait Navarrus citatus ab Widdringtono, *cui principalius poteſtas Eccleſiaſtica fuerit a Chriſto collata. An Eccleſiæ toti, an verò Petro? Illi enim (nimirum Romani) atque ideo Papam Concilio eſſe ſuperiorem, ii verò (nempe Pariſienſes) quibus Gerſon adhæret, totam datam eſſe toti Eccleſiæ, licet exercendam per unum, atque ideo in aliquot ſaltem caſibus Concilium eſſe ſupra Papam; quæ-*

eam

Digitized by Google

rum illa ſcilicet Romanorum videtur placuiſſe Thoma a Vio, ubi altius omnibus, & profundius hoc demonſtrare curatur. Altera verò placuit Panormitano, qui pro Pariſienſibus eſt, quem frequentias noſtri ſequuntur, ut tradit Decius, quam mordicus tuetur Jacob Almainus e Sarbona Theologus, qui reſpondit Thomæ a Vio Libello juſto, & Joannes Major, qui idem facit, ait, Romæ nemini permitti tenere Pariſienſiam, & Panormitani ſententiam, nec rurſus Academiam illam Pariſienſem (notetur bene) *pati, ut contraria opinio aſſeratur in ea*. Et ille, qui Navarrum recognovit, & additiones aliquot contextui adſcripſit, quem *Additionatorem* Sanchez *de matrimonio* ſæpiſſime, & Widdringtonus *in Apologia num.* 29. nuncupant, tametſi velit remittere paulisper ſui Auctoris ſententiam, Pariſienſium opinionem probabilem, & Romanorum probabiliorem clare affirmat, cum verum ſit in moralibus ſufficere probabilitatem. Tomo etiam quarto Conciliorum, referente Petro Molinæo *libro de Monarchia temporali Pontificis Romani cap. 7. pag. mihi* 106. Bulla recognitionis reperitur, in qua Æneas Sylvius, qui & Pius II. agnoſcit ſe in tenebris ambulaſſe, & procul a vera luce receſſiſſe, quando credidit, Concilium eſſe ſupra Papam; & ne temere credidiſſe diceretur, ſuæ credulitatis rationem, & occaſionem expreſſit dicens: *Contra Concilii dignitatem mutire, crimen hæreſis fuit*. Unde colligo, ante hujus Pontificis promotionem adeo fuiſſe communem ſententiam, ut haberentur omnino hæretici, qui docerent contrariam. Pariſienſibus, re bene examinata intrepide ſubſcripſit Rogerus Widdringtonus Catholico-Romanus Anglus *in diſputationis Theologica de jurament. fidelitat. cap. 3. ſect. 1. num. 8. & cap. 10. num. 27. & in reſponſ. Apolog. num.* 28. Hanc videntur ſupponere Lovanienſes Doctores, cum Janſenii in Bayo olim a duobus Pontificibus condemnatas opiniones defendunt, hanc cum Urbano VIII. Janſenianam doctrinam condemnanti hoc, vel illo prætextu quæſito non acquieſcunt.

Certe, Vir optime, ſi hæ duæ theſes a Pariſienſibus publice defenduntur, probabiles ſunt, quidquid in contrarium Bellarminus inclamet; & ſi probabiles, facilius ad nos reducere poſſumus Germanos errantes, & tyrannidem Pontificiorum [ſic nos vocitant] perhorreſcentes. An vere hodie Pariſiis permittantur, & defendantur neſcio; tu ſcis, & ex te reſciam. Quid ſi ipſe, utpote majori Gallorum Auctorum copia inſtructus, velis aliquos juniores, ſenioresve recognoſcere, & ea adnotare, quæ meæ intentioni favere videbuntur? Quid ſi Sorbonicos, aut alios Doctores eximios adhuc vivos dignareris conſulere? rem ſane mihi gratiſſimam faceres; ego enim ſtante bello ſcribere in Gallias non poſſum ſtrepentes epiſtolas, & conſultationes Academiæ ſemper fiunt cum ſtrepitu, præcipue ſi cogantur Doctores ad petitionem peregrini. Multum tibi debebo, ſi me adjuves, imo, ſi meos: *Hanc ſententiam vere eſſe probabilem deſidero, & ſi Pariſienſium, ut circumfertur, ſit, non jam probabilis, ſed mihi probabilior futura*. Tu meis conatibus magnus Apollo ſis. Si tempore conſultatio ipſa indigeat, patienter expectabo, modo ſtatim ſcribas, te rem habere cordi, velleque meæ petitioni ſatisfacere. Vale humaniſſime, & ſapientiſſime Vir, & tuis famulis adnumera.

Tuæ doctrinæ, & perſonæ perilluſtri addictiſſimum

I. Caramuel Lobkovvitz Abbatem Diſembergenſem.

Sapientiſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo

M. NEURÆUS S. P. D.

NOnnulla de Phoca veſtro in mari nuper capto prælibaveram tibi, Vir ſapientiſſime, eaque pauca; & male fida, quia ex auditu tantum; nunc verò, quoniam te his aliquanto delectatum ſignificas, & ejuſdem mihi quoque licuit eſſe αὐτόπτην, quæ in eo obſervavi curatius, fuſiore epiſtola tibi narrare conſtitui, ut intelligas me nihil velle mirari ſine te, per quem non licet inani admiratione torpeſcere. Noſti quale ſit animalium, ut ſpecie ambiguum, ut biforme, Cherſothalaſſium, & alia id genus, de quibus paſſim apud veteres, quibus forte ejus non fuit, ut mihi, in promptu copia, & quorum plerique varia referunt Geographorum ritu, qui ut plurimum vix ſuas greſſi tabernas, immenſos terræ, mariſque tractus delineant, non ut ſunt, ſed ut ab ipſis exiſtimantur. Sed enim, quod ævum ſufficiat luſtrandis tot infinitæ naturæ miraculis? Et quotuſquiſque, qui ſic abdicaris quibuslibet aliis vitæ negotiis, omnem in ruſpandis tam diverſarum rerum formis curam, & ætatem ponat? Scio innumera quidem ſcripſiſſe Auctorem illum, de quo tuarum ad me noviſſima, pluraque ſolum, quam omnea ſimul; ſed, amabo, vidit ne ſingula? Et ſi vidit, pervidit-ne? quamplurima ſæpe fruſtrantur vel intentiſſimâ oculorum perſpicacium aciem! Aſt ille, ut & alii, obvios habuerint Phocarum greges, eiſque notiores ſint, quam ipſi Proteo; ac denique ſic hujus feræ indolem, formam, ac diætam depinxerint, ut nihil neoterico ſcriptori ſuperſit; quid ad me? In eorum meſſem falcem inijcere non eſt animus. Tibi uni annotata a me loquuntur; nec Theriographum ago. Epiſtolium tibi ex officio condictum, aut verius reſponſum conſcribo, cujus argumentum eſt de viſo a me Phoca. Huc igitur tandem advectus eſt ab agyrta quodam, qui inde maximam pecuniarum vim conflare agitat, nec diffiteor, ſi Lutetiam uſque vivum perduxerit; hunc ex piſcatoribus vili redemiſſe ferunt, qui juxta Stœcades infeſtum piſcationi ſuæ animal retiis intricatum, in ſiccum protraxerant. Solent enim ejuſmodi Phocæ piſcantibus inſidiari, eorumque retia piſcium turmis oppleta ſenſim exinanire, non ut captos liberent, ſed ut ibidem enecatos, indeque protruſos poſtmodum devorent. Nam ipſi qua ſe inſinuant, elabi norunt, mitaque ſolertia poſt excuſſam prædam ſe tricis expediunt. Haud præcipua indidem piſcatui labes; plus enim prædæ territando abigunt, quam corripiendo aſſumunt. Quod non ſine gravi jactura frequenter experiuntur tynnorum captatores. Quoties enim eorum indagines pervadunt [madragas vocant] concluſa turba confeſtim dilabitur, hoſtemque protinus horreſcens ejus metu uſque adeo urgetur, ut objecta plagarum clauſtra, vel impingendo perrumpat, vel reſiliendo prætervolet. Hæc de Phocis piſcatores, quos irretitos in mari, quandoque capiunt ſæpius in littoribus altiſſimo ſopore merſos, prodente ipſos ſtertore vitulino mugitui proximo, unde vituli nomenclatura inquit Plinius; nam corporis habitus parum congruit, ſi pilos demas. Hi per totam animantis cutem fruticant palpantibus blandi; ut qui levi mollitie tactum ſuaviſſime demulceant; bicolores, nam in capite, & perpetuo tergo hypoleucophæi bombicinos pannos æmulantur, quos vulgo avel-

go avellanæ nuci concolores dicimus; ſubtus ventrem, & per ilia albicantes, ſed ubique ita conferti, ac complanati, ut talpam contrectare putes, niſi qua corpus abit in piſcem; ubi etſi non rariores, ſunt tamen raſiores, & quodam ſemper velut glutine inviſcantur. Licet enim villoſa pellis vel brevi poſt emerſionem ſicco tepore caleat, tamen circa alas, imamque caudam æquoreum virus exudat, cujus nidor gravis, dum ingrato nares ſetore afflat, ſtomachum identidem tentat. Caput habet plane ferinum, & moloſſi canis, aut ſi mavis britannici, cui detractæ aures, unde nullæ illi creditæ, ſed perperam, nam etſi erectæ, prominentesque auriculæ deſint, mearuli tamen bini utrinque hiant, lanugine contecti, quæ nonnihil a reliquo colore deſciſcit. Nec par erat, ut tam acuto auditu pollens animal acouſticis deſtitueretur organis. Grandes illi oculorum orbes mobilibus obducti palpebris, quibus rara cilia. Pupilla qua verſum volubilis, cui adnatum conjunctivæ involucrum albo circulo nigerrimum, & verſatilem circumſcribit globum. Patulæ nares cum meanti ſpiritui diducit, aliàs occluſæ, & jacentes, quibus quandoque ſternutanti ſimilia alte reſilientem mucum explodit. Ritus immanis, gemino dentium ordine minax, quos dum irrito morſu collidit, horrificum ciet ſtrepitum, præſertim ſi una vox quoque admurmuret, ut fere ſemper. Ea autem qualis ſit, quanta, quam horrenda non ſatis ediſſeram. Balatus non eſt, non boatus, non latratus, ſed ſimul omnes. Exoriens enim incohat a priore, adulta vegetat inſequenti, ac in poſtremo ſeneſcens tandem ab incondito ſtemitu ſuffocatur. Memini confixos a me cervos olim gemitum huic borboryſmo haud abſimilem identidem emiſiſſe, donec expirarent. Cervix quieto brevis, ac tenui diſcrimine caput a corpore dirimens, ſed longe porrectior ubi incedit, aut *lubrica convolvit ſublata pectore terga; attollitque iras arduus*; tunc enim ea penitus exerta, ac in longum extenuata δολιχόδειρος dici poteſt, pendulas habet ex humeris hinc, & inde pinnas, alas diceres ſi toti corpori magnitudine reſponderent. Harum infimus limbus unguiculis diſtinguitur, forte ſulcandis facilius aquis; etenim eas humi ad armos reductus, ſemperque contractus gerit, quas natatui tantum explicat. Reliquum corpus cauda tenus in conum acuminatur, in quo nihil præter villos, non umbilices ſubſidens, non protuberantes papillæ, id negante forſitan ætate talibus nondum matura ſignis. Obeſa terga, mollis alvus, & qua juxta caudam deſinit, rima ſatis ampla cernitur, qua excrementa deiicit, lotium, fæcesque, quas more canum egerit. Credibile eſt huic quoque ineſſe genitalia, cum alibi nuſquam appareant, idcirco huic nella firma ſatis nota ſexus; & quia nihil prominet, ſuſpicio eſt eſſe ſeminam. Cauda illi trifida, niſi dixeris affixas ei, inſitasque utrinque pinnas remorum inſtar paſſas, quæ dum undas, aut verrunt, aut impellunt ipſa media, & poſterior vice clavi natatum regit. Quod ſi ita ſit, permodica ſane eſt, pinnæ verò latiſſimæ, & utraque conſimilis caudæ illius viliſſimi piſcis, quem vulgo *Marvam* indigitamus, aut etiam milvi, aëris liquidum iter radentis, aurasque circinantis, hic enim ſimili modo, & figura ὀρθογωνίως pennas aperit, quarum varia inflexione volatum moderatur. En quoad belluæ typum, deinceps de ejus vitæ ratione nonnihil. Vixerat jam extra mare 30. dies primos a captura jejunus, captivitatis tædio; ceteros, ſtrenua voracitate jejunia penſans, uno enim prandio pluſquam octonas variorum piſcium libras deglutit, nec ſatiatur, nulla illi eſca præter piſces, quos in aqua ſumit, tantum humi quamlibet reſpuit, ejus tamen cuſtodi ſpes eſt, ut carnes etiam quandoque edat, nam & vervecinum jecur ſemel abſorpſit. Anguillæ polypi canes marini ei ſunt in pabulum, quos in imis repertos aquis ſurſum attollit, & capite ſummam undam exſuperante, diu, multumque quaſſatos, dein leviter præmanſos, aut qua obduruere contuſos, ingenti conatu, crebraque totius corporis ſuccuſſione inguttarat. Subinde protinus mergitur, & ſæpius reſupinato corpore necdum emergit, niſi præda potitus, idque tandiu iterat, quandiu aquis immoratur. Ubi etiam laſcivienti quadam geſticulatione ludit; nam & vocanti ſe adnatat, manum prætendenti adlatrat, cibos porrigentibus blanditur, quos fervidus obmurmuranti anhelitu ſibi poſtulat, ſexcenta alia ejuſmodi intra latices ludrica exhibet, quæ circumdantem turbam mirum in modum exhilarant, donec ipſe aut ſater, aut aquarum ultra impatiens, piſcinæ margini adlabitur, & in inclinato ad id aſſere humi ſe proripit nullo pinnarum niſu, reclamante licet Plinio; nam certum eſt eum extra aquas iis nullatenus inſiſtere, nec quovis modo ingredi, ſed ſerpere adducto, reductoque e pectore tantum.

——— pars cetera terram
Pone legit, ſinuatque immenſa volumine terga.

Haud ſegniter repit tamen, nam & agmine ſatis propero, & repetitis crebrò, velociterque orbibus pervolvitur.

Addere plura poteram, ſed nox urget, & ſpes eſt te quoque belluam tandem aliquando viſum ire. Vale Aquis-Sextiis Calendas Martii 1644.

Ex Poſtſcripto	Longitudo 42. circiter pedum.
	Craſſitudo qualis corporis humani.
	Pondus librarum circiter centum.

Viro Clariſſimo, Maximoque Domino Petro Gaſſendo.

SAMUEL SORBERIUS
S. P. D.

QUæ ad me in ſuperioribus tuis de Tempore ſcripſiſti, ea ſunt, ut nullum plane dubitationi locum relinquant. Evidentiſſime enim oſtendiſti quæcumque erant a me de Motu dicta, non ad eſſentiam temporis, ſed ad ejus notitiam referri debere. Itaque manus libenter do, & pro eo labore, quem in me dedocendo ſuſcepiſti, devinctum me tibi fateor. Utinam autem auderem & alia bene multa te vindice digna proponere, quæ cum tu tanto acumine pervideas, mihi, & ceteris conſimilibus denſiſſima caligine involuta jaceat prorſus incomperta, qualia ſunt, quæ adverſus Carteſianum illud dogma dici poſſent: *nullum dari vacuum*, ſed omnia eſſe plena, quia eſſentia materiæ conſiſtit in extenſione, adeò ut ubicumque erit ſpatium aliquod

aliquod menſurabile, ibi ſit futurum & corpus, proindeque nec concipi quidem poſſe vacuum in rerum natura, cui etiam introducendo par non eſt divina potentia. Quam vellem & illud mihi expedires *de dolore*, an ſcilicet poſita ſit in divulſione particularum noſtrarum; quid autem referat illis, ut in ſpatio mundano hoc, vel illud ſpatium occupent, unde tam ægre diſcedant, divellanturque? An verum ſit, quod ſomniabam paraduxum, ferrum candens, imò ignem ipſum non eſſe calidum, cum inanimatum tale dici poſſit, & ſit calor non tantum certus quidam motus particularum corporis alicujus, ſed perceptio motus illius, quam perceptionem habere non poteſt corpus anima, & ſenſu non præditum. Verum etſi de tua comitate, & propenſo in me animo nequaquam dubitem, importunus eſſem, ſi efflagitarem, ut mihi tantulo homuncioni reſpondere dignareris, avocaremque oracula ore facundiſſimo fundentem tot eruditiſſimis Viris, qui te quotidie de rebus graviſſimis, tanquam naturæ interpretem conſulunt. Unum voveo, ut quam diutiſſime ſoſpes, & incolumis ſcientiæ naturalis limites promoveas. Quod te ſumma felicitate præſtiturum confido in illo immortali Opere, de cujus editione ſpem fecit Typographus lectoribus Diſquiſitionis tuæ. Id niſi jam ſit adfectum, poſſes tamen partium, quas continet quatuor aliquam præmittere, prout videretur conſultius. Quæ quidem puta mecum bonæ mentis ſtudioſus omnes expetere; at inprimis Bornius ille, quem cum a candore, ab eruditione, & prono in me affectu vehementer diligam, eo nomine pluris facio, quod tui ſummus eſt admirator; & ſane cum nudius tertius Leidæ primum inviſiſſem divelli vix poteram, adeò me deliniebat virtutum tuarum præconium, quo ſermones orſi poſt aliquot horas ægre deſiimus. Vale, o decus meum, & perge me amare. R. P. Merſenno ſalutem quæſo plurimam. Hagæ-Comitum 18. Aprilis 1644.

Viro Maximo, Reverendoque Domino Petro Gaſſendo Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito

SAMUEL SORBERIUS S.P.

VIr maxime, reſponſum tuum ad quæſita mea accepi, quo mihi ſatis abunde factum, etſi paucis veriſſime tam multa complexus fueris; quare gratias nunc ago quantas poſſum maximas. Huc venerat Carteſius in Galliam profecturus, cum primum edita erit pars Phyſiologiæ ſuæ, quæ de rebus inanimatis diſſerit; accepto itaque Epiſtolio tuo, tanto libentius, incunctantiuſque adii. Ad ea autem, quæ objeci, deſtructo ſcilicet quod intra cubiculum eſt corpore, non deſtrui tamen ſpatium, quod proinde arguitur ab occupante corpore non pendere; pernegavit ille, coituroſque tunc parietes prædixit. Cum urgerem, an motu aliquo coitio illa fieret, ita ut adinvicem parietes accederent, medio utrinque ſuperato ſpatio, reſpondit Vir ille acutiſſimus, nullo opus motu futurum, ſublato nempe cum materia ſpatio, quo parietes, dum corpus maneret, divellebantur. Verum cum non ſatis conſtringere hominem nodo illo poſſem, alia via inſtiti, petiique, an nulla fuiſſent ſpatia corpore vacua ante Mundi creationem, quam materiæ e nihilo eductionem vulgò exiſtimamus, rurſum pernegavit, & una cum corpore aſſeruit creata fuiſſe ſpatia, quæ nulla erant antea. His opinionum portentis alia adjecit circa flexilitatis, & duritiei, raritatis, & denſitatis naturam [quam ego ad vacui minorem, uberioremve intermixtionem referre ſolebam] quaſi tarum, & flexile fiat aliquid, dum partibus ejus interponuntur corpuſcula alia moveri aptiora, & quæ jam revera agitantur externo appulſu auræ ætheris, unde fit, ut manui, verbi gratiâ, ſpongiam prementi reſiſtentia tantò minor, quantò ocyus movetur jam aër, quem manus pellere perſeverat.

Habiti deinde ſermones de te, & de diſquiſitione tua, ex quibus cognovi nihil illum repoſitorum, ſeu propriæ tenuitatis conſcientia, ſeu excogitatorum amore deceptus putet nullo momento infirmatum fuiſſe meditationum ſuarum pondus; quod tamen non ita videtur Viris doctiſſimis permultis, & inprimis Samſuno illi Jonſſono Sereniſſimæ Reginæ Bohemiæ concionatori, qui cum ante lectam diſquiſitionem tuam eſſet Carteſianis dogmatis addictiſſimus, nunc ſæpius coram me pronunciavit, eorrvatas a te omninò demonſtrationes Carteſii, ita ut reſtitui in integrum non poſſint, & aliæ recudendæ ſint meditationes, tum ſolidiores veritati ſtabiliendæ, tum ad aſſenſum extorquendum enucleatiores. Miſſum eſt hodie ad me Amſtelodamo Caramuelis examen judicii tui circa obſervationem Aſtronomicam Reitæ, Lovanii editum, cujus auctorem amo, quod agat tecum, ut inter eruditos, & ſapientes decet, quamvis in nonnullis defæcatiorem ſtylum requiram.

Proſtat ejuſdem audax Matheſis, quo in ſcripto nititur ſuperſtruere principiis Arithmeticæ, & Geometriæ quæcumque ad Logicæ præcepta, ad Metaphyſicam, & ad Theologiam ſpectant; unde probat æqualitatem Filii, & Spiritus Sancti cum Patre, quia Sanctiſſima Trinitas triangulum æquilaterum conſtituit, quod niſi æquales eſſent perſonæ, ſcalenum, aut iſoſceles evaderet. Ita, ſi bene memini, Remundus ille Sebunde probat Trinitatem ex eo, quod vulgò dici ſoleat, tres faciunt collegium, quibus argutiis nihil inanius, ſed illud tuum immortale circa Philoſophiam Epicuream opus ecquando ad nos tranſmittes? Quid de te tam male meritum eſt genus humanum, ut tantæ frugis libro diutius carere debeat? Imperitos quid moraris Vitiligatores, næniis aſſuetos, nil ſolidum crepantes, quibus ſolis erudiendis operam perderes? at æterno devincies tibi beneficio bonos omnes, qui partem illam, qua homines ſumus colunt, nec pecorum inſtar proni degunt, ventri, & peſſimæ corporis parti obedientes. Epicedia Peireskiana cur premantur adhuc miror. Niſi habeas, copiam faciam Epigrammatis græci, quo deflet obitum Herois illius Juſtus Rickvvardus, Medicus Roterodamenſis, Vir *ἑλληνικώτατ@*, nec minus rara virtute, quam doctrina conſpicuos Vale, o meum decus, & perge me amare. *R. P. Merſenno* ſalutem, quæſo, plurimam. Hagæ Comitum ad 6. eid. Maii anni Dionyſiani 1644.

Admo-

Digitized by Google

Admodum Reverendo, atque Clariſſimo Viro Domino D. Petro Gaſſendo S. P.

QUantum lætitiæ hauſerim, Vir admodum Reverende, & Clariſſime, perlectis litteris tuis, vix verbis exprimere poſſum; præſertim cum intellexerim, ſcriptionem meam tibi vehementer gratam accidiſſe, tegi amicitiam meam non reſpuiſſe, ſed ex animo me complecti non fuiſſe dedignatum; quapropter magnis pignoribus me tibi devinctum tenes, gratiaſque ingentes me tibi & habere, & debere profiteor, nec ullam ſane prætermittam occaſionem, ubi in hoc amicitiæ munere tibi iterum gratificari potero, ſed illum me ſemper præſtabo, quem amicitia infucata efflagitat. Satis, ſuperque, Vir amiciſſime, coniiecre poſſum, te non minus unam ex illis Fixis prius inviſis in Aquario obſervaſſe; & hoc ex obſervatione, quam 2. Septemb. hora 8. veſpertina cum ſemiſſe habuiſti; quatuor enim Mediceos a te viſos affirmas, & quidem hoc ordine; duos ad Ortum propiorem diſtantem a ♃ diametris 2. cum dimid. remotiorem 15. duos ad Occaſum, &c. eadem die etiam a me hic Dantiſci obſervatos eſſe ſcias; quod ratem de illis, & quibus verbis in adverſariis meis annotaverim hic apponam [ut tibi demonſtrem Orientaliorem fuiſſe Fixam prius inviſam, quam ego in illa delineatione, quam tibi tranſmiſi cum ♏ notavi, non Jovialem, uti exiſtimas] die 2. Septembris hor. 10. min. 0. Orientalis vicinior habebat latitudinem Borealem, eratque omnium minima. Reliquæ ſplendidiſſimæ intercapedines inter ipſas, & Jovem erant æquales, nempe unius, & dimidii minuti, præter illam Orientaliorem, quæ a ♃ min. 13. & amplius diſtabat; num hic ſluvii ♄ ex jovialibus vix credibile [ante quatuor enim dies, die nimirum 29. Auguſti ♄ intermedius erat in Occaſum] nam tam ingens ſpatium in iſtis quatuor diebus peragrare non potuit: Hæc ex obſervatis meis. Illa Orieotalior, quæ mihi circiter min. 13. a ♃ remota. Jam die 29. Auguſti hor. 10. min. 27. videram, & quidem in hoc ordine, quatuor Stellulæ tum temporis cernebantur. In Occaſum tres, quarum media erat maxima, propinquior adeò exigua, ut vix cerneretur, extrema verſus Auſtrum declinabat, Orientalis diſtans a ♃ min. 5.

```
. . .     A   B        C   D
  *       O   *        *   * fixa.
                       ♄
```

Diſtantia (A B min. 2.
B C min. 6.
C D min. 7.)

Eadem die etiam quidem etiam in illa opinione, omnes quatuor joviales me obſervaſſe, ſed poſtea ex obſervationibus antecedentibus, & ſubſequentibus ſatis, ſuperque colligere potui, intermedium in Occidente fuiſſe ♄ jovialem, & occidentaliorem Fixam ♏, quæ propter motum ♃ retrogradum ſatis velocem ex Occidente in Orientem, & quidem tam longiſſime a ♃ pervenire potuit, quod nullo modo fieri potuiſſet, ſi ex numero Mediceorum fuiſſet; ſecundo illa Orientalis die 29. Auguſti aliquam etiam habuit latitudinem, quæ nunquam alias in maxima elongatione Mediceorum animadvertitur; tertio, & ex obſervationibus ſubſequentibus, die nimirum 4. & 6. Septembris ſatis conſtabat Fixam eſſe, quia ſemper longius in Orientem recedebat, ita ut die 4. Septembris hora 9. veſpertina, jam circiter min. 30. a ♃ diſtaret; in quali diſtantia joviales nunquam ſpectantur; quod & ipſemet deprehendes, ſi motum Jovis collationaveris cum illa Fixa ♏ in mea delineatione Fixarum; ita ut veriſſimum, Stellam illam orientalem remotiorem, quam die 2. Septembris obſervaſti, non fuiſſe Mediceam, ſed Fixam, unam ex illis, quas Reverend. Pater Antonius Maria de Rheita pro Errone habuit. Ceterum gratias tibi habeo ingentes pro communicato Plenilunio, non minus ultima quadratura, quæ mihi gratiſſimæ fuerunt; nam pridem ſcire deſideravi, num etiam aliquæ phaſes æri inciſæ fuerint. Fateor te multum hac in parte præſtitiſſe, quantum hactenus a nemine, quod ſciam factum, laboremque habuiſſe non exiguum, præſertim in recte conſtituendis, ordinandiſque maculis, quas nemo equidem colligere poteſt, quam qui ipſemet id tentaverit; video te multas maculas, montes, valles, lacuſque in ☽ bene vidiſſe, & obſervaſſe, niſi quod Pictor, & Sculptor non ita fortaſſe, ut debuerit, delineaverit, tum quoad ſitum, diſtantiam, & geminum colorem, uti inprimis in quadratura apparet; optarem num hæ Phaſes ante annum antequam obſervare inceperim ad manus fuiſſent, certe non parum auxilii initio ex illis petiiſſem. Meas quod attinet, quarum circiter quadraginta jam delineatas habeo [tam creſcentis ab ipſa prima die, quam decreſcentis ad ultimum uſque cum quibuſdam Pleniluniis, & variis quadraturis] tum etiam quindecim jam æri ipſemet manu mea, quantum pro viribus licuit, inciſas, ex quibus has duas Phaſes, & heſterna die primum excuſas tibi tranſmitto, ut aliquo modo tuas recompenſem, teque rogo, ut judicium tuum de his communicare non graveris. Phaſis Lunæ falcatæ creſcentis obſervata eſt anno 1644. die 10. Aprilis hora 8. a Meridie numerata, a conjunctione verò 16. diei 4. currentis. Altera Phaſis Lunæ lunatæ creſcentis obſervata eſt die 11. Aprilis hora 9. a Meridie numerata, a conjunctione verò 17. diei 5. currentis. Omnes maculas quaſcumque ſaltem obſervare licuit, quoad figuram, quantitatem, ut & præſertim quoad colorem pro viribus expreſſi, tum quotidianam variationem vallium [quæ inpoſterum ex ſubſequentibus Phaſibus luculentius patebit] quam etiam ☽ variationem, & librationem ipſam, quæ me maxime, diuque excruciavit, de qua in Selenographia mea fuſius. Lætor porrò me tibi gratificari potuiſſe, participem te reddendo obſervatiuncularum mearum, & quod Viro illo eximio, & egregio Iſmaeli Bullialdo (cui meo nomine plurimam ſalutem una cum prompta officiorum meorum oblatione referas velim) propter differentias Meridianorum non minus utiles eſſe poſſe; ideircò unam, atque alteram adhuc Eclipſeos obſervationem tibi tranſmitto, ut & 12. obſervationes Eclipſium ☽ habitas Regiomonti per Doctiſſimum M. Albertum Linnemannum Profeſſorem Mathem. Academ. Regiomont. tum etiam copiam litterarum illius Viri, quæ tibi haud ingratæ erunt, quia de diverſis differentiis Meridianorum in illis diſſeritur; rogo itaque humaniſſime has ipſius litteras prænominato Doctiſſimo Bullialdo communices, fortaſſis & aliquid certi ex ipſis excerpere poterit.

Digitized by Google

Prima Eclipſis ☽ obſervata a me hic Gedani anno 1641. die 18. Octobris initium quidem hora 7. minut. 1. ſec. 15. ſecundum correctum horologium. Finis hor. 9. minut. 51. ſec. 0. Maxima obſcuratio hora 8. min. 26. ſec. 15. tota duratio hor. 2. minut. 50 ſec. 0. quantitas 7 digitorum. Tempore maximæ obſcurationis obſervata quoque eſt diſtantia ☽ a ♄ hora nimirum 8. min. 27. ſec. 10.

Secunda Eclipſis ☽ anno 1642. die 15. Aprilis, cujus obſervationem hic Dantiſcanam jam tibi tranſmiſi, etiam a Domino Eichſtadio Stetini Pomeranorum obſervatam, & quidem principiom deliquii ex altitudine caudæ ☊ in plaga occidentali grad. 39. min. 12. Principium totalis obſcurationis eum Spica elevaretur grad. 20. minut. 18. circa principium recuperationis luminis altitudo Arcturi erat in eadem plaga gr. 41. min. 9. & proinde initium Eclipſis ☽ in Stetinenſi Meridiano hor. 0. minut. 58. a media nocte, principium totalis obſcurationis hor. 2. minut. 56. Principiom recuperationis luminis hor. 3. min. 40. Finis Eclipſis hor. 4. min. 38.

Caterum libenter a te perciperem, num tale quid inventum a Campanella, quod ad nos ante aliquot annos his verbis perſcriptum fuerit. Thomas Campanella circa illud tempus, quo Delphinus in Gallia natus eſt, inſtrumentum invenit tubo Galilæi longe ingenioſius; bujus beneficio obſervatum eſt, Lunam bis majorem apparere, quam locus ille eſt, qui Pariſiis *la Place Royale* appellatur Jovem, & reliquorum Planetarum incrementa, & decrementa ☽ inſtar habere. Martem, & Saturnum non modo longe majores, quam nobis apparent eſſe, ſed & formam, & ſtructuram babere hactenus inauditam. Mars quippe in medio ſui habere montem nigricantem, non conſiſtentem, Lunæ montibus, quæ Terræ montibus altiores ſunt, excelſiorem; cingulum item rotundum colore ad Iridem proxime accedens, ſed paulò rubicundius pedem iſtius montis circumdat, & reliquum diſcum hujus Planetæ abſolvit. Saturnus non immenſæ magnitudinis Planeta ex tribus corporibus compoſitus apparet; unum ovalis eſt figuræ in medio; duo ad latera, inter quorum extrema duæ apertura, ſeu hiatus, per quos Cœlum videtur. Hoc mirum, quod beneficio hujus Teleſcopii Stellæ Firmamenti majores non appareant, ego puto propter nimiam ipſarum a nobis diſtantiam, unde maxime Copernici ſententia de Firmamenti immenſa a nobis diſtantia confirmatur. Hæc ille. Primum rogo perſcribas baud gravatim, ſi tale Teleſcopium inventum, num id fuerit ex ſectione ſpherica, vel hyperbolica præparatum, & qualis proportio, ſtructuraque fuerit; magnopere enim delector illis rebus, præſertim præparandis vitris dioptricis manu propria, uti & nuperrime tubum opticum conſtruxi, cujus beneficio Stellas Fixas tam primæ, quam ſecundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ magnitudinis abſque crinibus, & radiis adventitiis exacte rotundas, & minime hirſutas, vel ſcintillantes invariatis coloribus obſervare licet, tum quoque in vera proportione erga reliquos Planetas Jovem, Venerem, &c. Miror ſane Galilæum, Hortenſiom, & Campanellam per Teleſcopium nunquam id præſtitiſſe uti verum. Nuperrime cum illas obſervarem, inveni non equidem tam exiguæ parvitatis eſſe, uti Galilæus, & Hortenſius exiſtimant, ſed longe majores, ita ut Stella primæ magnitudinis circiter tertiam partem diametri Jovis adæquet, cujus rei D. Eichſtadium ocularem teſtem habeo. Canis major liceat appareat nudo viſui admodum magnos, ac ♃ fere major, nihilominus via notabilis particula major, quam Aldebaram, aut alia Stella primæ magnitudinis. Quod ſupereſt Domino Eichſtadio amico meo haud vulgari plurimam a te ſalutem dixi, uti petiiſti, qui iterum te quam officioſiſſime reſalutare data occaſione juſſit, quod ſatis, ſuperque ex illius litteris, præſertim ex his verbis patet: *Illud enim voluptate non mediocri ſenſi, in animo tanti Herois in omni re litteraria exercitatiſſimi, & quod Aquilæ inſtar Cœlum petit, me tantillum quoque hærere. Tam divino Viro data occaſione amiciſſimam a me referas ſalutem velim. Utinam liceret mihi hanc affectionem mutuo litterarum officio fovere, & conſervare! certe ſi minus poſſem ingenio, modeſtia tamen judicium ejus promererer. Deus optimus maximus ipſum Reipublicæ litterarum diu præſtet incolumem.* Hæc ille. Edidit nuperrime prænominatus Dominus Eichſtadius Tabulas harmonicas cœleſtium motuum in folio Stetini Pomeraniæ, ut & tertiam partem ſuarum Ephemeridum hic apud nos Dantiſci, quarum exemplar tibi per noſtrum Gaſparum Forſterum a Domino Cramoiſy Bibliopola tranſmitto, quas acceptare non dedigneris. Si apud vos nuperrime aliquid novi prodiderit, quæſo, ſi libet certiorem me facias, præſertim num hi libri editi ſint, nec-ne. Primo Gaffarel cribrum Cabaliſticum. Secundo Gaffarel *advertiſſement aux Doctes, touchant la neceſſité des Langues Orientales*. Tertio Gilberti Gaulmin Liber de Ritibus Judaicis Novi Teſtamenti. Quarto de Theologia Muhammedis. Quinto Gaulmin Diatriba de Apocryphis Hebræorum libris. Sexto Gaulmin Aramicæ Parabolæ Turcicæ, Æthiopicæ, & Hieroſolymitanæ. Vale, Vir honorande, & litteris reciprocis exhilara. (Dabam Dantiſci 1644. die 23. Junii.)

Tuum

Joannem Hevelium.

Anno

Digitized by Google

Anno 1639. 1. Junii Stylo novo obſervata eſt Eclipſis Solis in Camera obſcura per unicum vitrum convexum, Regiomonti Pruſſorum.

Creſcentis obſcurationis Phaſes.

Horologium accuratum	Inſtrumentum Electorale. Altit. ☉.	Enucleata tempora.
Initium proxime hor. 5. min. 21.	grad. min	hor. min. ſec
Medius digitos hor. 5. min. 25. Hic acominatus, non rotundus apparebat.	22. 20.	5. 25. $\frac{1}{2}$. 5. 29. $\frac{1}{2}$.
Digiti. hor. min.		
1. 5. 27.		5. 31. $\frac{1}{2}$
$1\frac{1}{2}$. 5. 30.		5. 34. $\frac{1}{2}$
2. 5. 32.	21. 20.	5. 36. $\frac{1}{2}$
$2\frac{1}{2}$. 5. 36.		5. 40. $\frac{1}{2}$
3. 5. 39.	20. 15.	5. 43. $\frac{1}{2}$
$3\frac{1}{2}$. 5. 41.		5. 45. $\frac{1}{2}$
4. 5. 43.	19. 40.	5 47. $\frac{1}{2}$
$4\frac{1}{2}$. 5. 45.		5. 49. $\frac{1}{2}$
5. 5. 50.	19. 20.	5. 54. $\frac{1}{2}$
Hic apparebat cornibus valde denſis, & craſſis.		
VI. 5. 52.	18. 0.	5. 56. $\frac{1}{2}$
$6\frac{1}{2}$. 5. 55.		5. 59. $\frac{1}{2}$
7. 5. 57.	17. 50.	6. 1. $\frac{1}{2}$
$7\frac{1}{2}$. 6. 0.		6. 4. $\frac{1}{2}$
8 6. 2.	17. 0.	6. 6. $\frac{1}{2}$
$8\frac{1}{2}$. 6. 4.		6. 8. $\frac{1}{2}$
9. 6. 5.		6. 9. $\frac{1}{2}$
$9\frac{1}{2}$. 6. 7.	16. 5.	6. 11. $\frac{1}{2}$
$9\frac{3}{4}$. 6. 9.		6. 13. $\frac{1}{2}$
10. 6. 11.		6. 15. $\frac{1}{2}$
$10\frac{1}{4}$. 6. 13.		6. 17. $\frac{1}{2}$
$10\frac{1}{2}$. 6. 15.		6. 19. $\frac{1}{2}$
$10\frac{3}{4}$. 6. 16.		6. 20. $\frac{1}{2}$
11. 6. 17.		6. 21. $\frac{1}{2}$
$11\frac{1}{4}$. 6. 19.		6. 23. $\frac{1}{2}$
XI$\frac{1}{2}$. 6. 20.		6. 24. $\frac{1}{2}$

Decreſcentis obſcurationis Phaſes.

Horologium accuratum.	Inſtrumentum Electorale. Altit. ☉.	Enucleata Tempora.
Digiti. hor. min. ſec	grad. min.	h. min. ſec.
XI. 6. 23. 0.	14. 0.	6. 27. 0.
$10\frac{1}{2}$. 6. 26. 0.		6. 30. $\frac{1}{2}$.
10. 6. 28. 0.	12. 55.	6. 32. $\frac{1}{2}$.
$9\frac{1}{2}$. 6. 31. 0.		6. 35. $\frac{1}{2}$.
9. 6. 34. 0.		6. 38. $\frac{1}{2}$.
$8\frac{1}{2}$. 6. 36. 0.		6. 40. $\frac{1}{2}$.
8 6. 39. 0.		6 43. $\frac{1}{2}$.
$7\frac{1}{2}$. 6. 40. 0.		6. 44. $\frac{1}{2}$.
7. 6. 43. 0.		6. 47. $\frac{1}{2}$.
$6\frac{1}{2}$. 6. 45. 0.		6. 49. $\frac{1}{2}$.
VI. 6. 47. 0	10. 27.	6. 51. $\frac{1}{2}$.
$5\frac{1}{2}$. 6. 50. 0.	10. 0.	6. 54. $\frac{1}{2}$.
5. 6. 52. 0.		6. 56. $\frac{1}{2}$.
$4\frac{1}{2}$. 6. 55. 0.		6. 59. $\frac{1}{2}$.
4. 6. 57. $\frac{1}{2}$.		7. 2. 0.
$3\frac{1}{2}$. 7. 0. 0.	8. 20.	7. 4. $\frac{1}{2}$.
3. 7. 2. --		7. 6. $\frac{1}{2}$.
$2\frac{1}{2}$. 7. 4. 0.		7. 8. $\frac{1}{2}$.
2. 7. 7. 0.		7. 11. $\frac{1}{2}$.
$1\frac{1}{2}$. 7. 9. 0.	7. 20.	7. 13. $\frac{1}{2}$.
1. 7. 11. 0.		7. 15. $\frac{1}{2}$.
$0\frac{1}{2}$. 7. 13. $\frac{1}{2}$.		7. 17. $\frac{1}{2}$.
$0\frac{1}{4}$. 7. 15. 0.		7. 19. $\frac{1}{2}$.
Finis. 7. 16. 0.		7. 20. $\frac{1}{2}$.

In momento quaſi evaneſcebat hic margo lucidus in Camera ſcilicet inferior, & fiebat ſuperior, non aliter ac ſi fulgur abortum fuiſſet, tuncque notavi lucida cornua cum lucida parte reliqua in circulo deſcripto poſſidere 212. gradus proxime.

Cum horologium oſtenderet horam ſeptimam cum 18. minutis, Electorali Aſtrolabio capta eſt altitudo ☉ grad. 6. min. 25. cum Cameram obſcuram inſtituere vellem hor. 1. circiter, ingens Halos circa Solem obſervabatur a me, cujus Diameter comprehendebat 413. grados proxime, altitudo marginis inferioris Halonis erat 33. gradus circiter. M. Albertus Linnemanus Regiomonti hæc candide ſcribit 6. Junii.

Sub eodem mediæ obſcurationis tempore ſpecioſe viſa eſt Venus, quæ poſt 10. cum dimid. digit. decreſcentis obſcurationis evanuit. Per medium foramen alii obſervarunt partem deficientem in maxima obſcuratione vix excedentem $\frac{8}{9}$ partes ipſius Solis, notetur. Per obſervationem ſecundi, & tertii digiti invenitur tempus addendum horologio min. 4. ſec. 30.

Eclipſium Lunarium obſervationes Regiomonti per Aſtrolabium electorale adminiſtrata, prout ſubſequenti die quælibet ſunt aſſeri publico affixæ.

PRima, anno 1635. intra 3. & 4. Martii, Eclipſis ☽ totalis cum mora obſervabatur; juxta horologia incepit ante octavam, & deſiit ante nonam. Phaſes Aſtrolabio Electorali obſervatæ ſunt hæ; Eclipſeos initium ob Cœlum nubilum obſervari non potuit; digitis verò 6. proxime eclipſatis (ſiquidem naſus monſtroſi viri in Luna maculari apparentis cum umbra communicabat) Jupiter, Fixis non apparentibus, ſupra Horizontem elevatus erat grad. 56. min. 50. ad Occidentem Moræ initium ſereno Cœlo apparebat, cum Procyon, ſive Canis minor altus erat grad. 41. min. 0. ad Occidentem.

Recuperata particula lucis dimidii digiti ♃ elevatus erat grad. 51. min. 40. Finis Eclipſeos offerebatur cum ♃ altus erat grad. 44. min. 40. color erat ex rubeo, flavo, & ſubviridi mixtus, ita ut rubor ceteris antecelleret. Præterea ſub obſcuratione totius, ſeu Moræ initio pars ☽ dimidiæ Occidentalis multum lucida aliquandiu manebat, ſucceſſive decreſcens verſus Boream, albicans hic color, ſeu pars lucidior circa dimidiam Lunæ circumferentiam ab Occidentali parte per Auſtralem plagam, uſque ad Orientalem partem, qua luminis recuperationis initium capiebat Luna, circumvehebatur continuo, parte plaga Boreali obſcuro colore infecta.

Secunda anno 1635. nocte ſequente 27. diem Auguſti Eclipſis Lunæ totalis obſervata eſt: Phaſes ſunt ſequentes: Initium Eclipſeos oſtendebat altitudo Stellæ Aldebaram grad. 35. minut. 40. color ☽ mutari incipiebat in fuliginoſum, & ipſa umbra, & lux dentatam faciebat ſectionem. Cum tres digiti fere eſſent obſcurati Aldebaram elevabatur grad. 37. min. 25. color idem, qui prior. Cum digiti quinque circiter in umbra verſarentur Aldebaram alta erat grad. 38. min. 25. colore nigro, & ſubruſo, ſub hoc tempore Venus oriens rubicunda abunde ſcintillabat. Cum digiti ſex in umbra eſſent (cum ſcilicet monſtroſi viri naſus ab umbra lamberetur) Aldebaram alta erat grad. 39. min. 20 color erat flavus eum fuliginoſo participans. Cum 2. cum dimid. digiti lucerent adhuc elevabatur Aldebaram grad. 40. minut. 40. color in Luna apparebat ruſus. Moræ initium notabatur cum Aldebaram obſervabatur grad. 42. min. 30. alta. Color ex parte Boreali erat ſemper lucidior, ac notabilior, quam qui erat in parte Auſtrali; hic enim perpetuò craſſe ruber, vel omninò niger conſpiciebatur. Ceterum cum Luna eſſet adhuc aliquor gradus ſupra Horizontem evanuit, ita ut, nec nudo viſu, nec etiam perſpicillis eam perſequi liceret. Horizon autem fœculentiorem aërem denotabat.

Tertia anno 1636. nocte ſequente 20. diem Februarii ſtylo novo. Eclipſis partialis habita. Sub initium, quod accurate ſatis obſervatum eſt per tubum. Arcturus ſupra Horizontem elevabatur grad. 26. min. 0. Occidentalis. Cum quaſi medium erat; ubi a 2. cum dimid. ad 3. digitos, obſcura eſſet Luna Arcturus altus erat gr. 30. min. 20. Finis Eclipſeos eſt exbibitus cum ♃ [nam nulla Fixa apparebat] grad. 48. minut. 20. præter propter altus erat, ſiquidem totum fere Eclipſeos tempus nubila occuparant.

Quarta anno 1641. intra 18 & 19. Octobris ſtylo novo. Eclipſis partialis obſervabatur, cujus Phaſes

Initium contigit cum Aquila elevaretur grad. 41. min. 20. ita tamen in dubium ſit inter grad. 41. min. 20. & gr. 40. min. 50. ob penumbram magnam.

Digiti.		grad.	min.
2½.	Aquila lucida alta	40.	40.
3½.		40.	20.
4½.		38.	10.
5.0.		37.	0.
5½.		36.	0.
6.0.		35.	18.
6½.	Digiti cum umbra raderet medium lucidioris maculæ, ſub maxime albente circello naſi Lunaris; nec enim ulterius creſcebat umbra, hinc medium Eclipſeos concludebatur cum elevaretur Aquila grad. 33. min. 36.		

Digiti.		grad.	min.
6.0.	Aquila alta	32.	30.
5½.		30.	43.
5.0.		30.	0.
4½.		29.	55.
4.0.		28.	48.
3.0.		28.	7.
2½.		27.	40.
2.0.	Digiti cum obſervaretur altit. ♃	7.	10.
	altitudo ♄	23.	55.
1½.	altitudo ♄	24.	0.
0½.	altitudo ♃	5.	27.
Finis exacte capiebatur cum Aquila elevaretur		23.	45.

Quinta anno 1642. intra 14. & 15. Aprilis Eclipſis ☽ hora 12. noctis horologio ingruebat denſiore nebula, ubi lucida Lyræ elevaretur gr. 52. minut. 30, aſt ☽ grad. 28. minut. 5. in hiſce nebulis fœtidis obſcurata ☽ nullatenus apparuit.

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo S. P.

VIr Ampliſſime, Fautor, & Amice multum honorande, dulciſſimæ noſtræ confabulationes diu ſatis ſiluerunt, hinc tribus efficiam, ut rurſus ſubmurmuranter audiantur noſtri ſuſurri ex colloquiis noſtris variis, & mihi maxime

Digitized by Google

maxime gratia Dantiſci habitis, eum nuper relegerem Diarium, ſeſe offerebat dubium ventilatum de vera differentia Meridiani Dantiſcani, & Regiomontani, quam denuò ventilavi, & adhuc dum majorem 7. minutis temporis conſtitui non debere affirmo, quod evincam ex tribus Eclipſibus Dantiſci, & Regiomonti habitis, quæ ſimul anſam dabunt inveſtigandi differentiam Meridiani noſtri, & Stetinenſis, & Amſtelodamenſis, & Maſſilienſis, prout nunc ex ſubjectis pateſcet.

Prima Eclipſis Lunæ contigit anno 1635. 3. Martii, in qua more initium diverſis locis obſervatum eſt. Amſtelodami ab Hortenſio, cum Regulus ad Ortum altus erat gr. 52. minut. 36. ex litteris Hortenſii ad M. Crugerum. Stetini a D. Eichſtadio, cum idem Regulus ad Ortum altus eſſet grad. 41. min. 13. in Pædia Aſtronomica pag. 128. Dantiſci a M. Crugero P. M per accuratum horologium ad Solem rectificatum hora 8. min. 47. in litteris Domini Crugeri ad Linnemannum. Maſſiliæ a Doctiſſimo Gaſſendo, & Peireſcio medium obſervatum eſt hora 8. min. 45. In vita Peireſcii pag. 307. Regiomonti a memetipſo, cum nempe Procyon altus eſſet ad Occaſum gr. 41. min. 0.

Hinc inſtituto calculo.		Ergo differentia Meridianorum.	
Amſtelodami contigit	hor. 7. min 51	Regiomonti, & Dantiſcani	min. 7.
Stetini	hor. 8. min. 27.	Regiomonti, & Stetinenſis	min. 27.
Dantiſci	hor. 8. min. 47.	Regiomonti, & Amſtelodamenſis	h. 1. m. 3.
Regiomonti	hor. 8. min 54	Regiomonti, & Maſſilienſis	h. 1. m. 1.
Maſſiliæ (dimidia mora 52. min. ſubtracta.)	hor 7. min. 53.		

Secunda Eclipſis Lunaris accidit 1641. 18. Octobris, cujus finis obſervatus eſt Dantiſci per temetipſum, honoratiſſime amice. Horologio ad Solem correcto hora 9. minut. 51. Regiomonti verò a memetipſo cum Vultur volans, ſive Aquila ad Occidentem elevaretur grad. 23. minut. 45. ſcilicet hora 9. min. 56. ſec. 32. in quibus 7. minuta temporis nondum concluduntur.

Tertia Eclipſis Solaris eſt obſervata anno 1639. 1. Junii in diverſis locis. Leydæ in ſpecula Academica, Finis Eclipſeos, cum Sol elevaretur gr 6. minut. 27. ſec. 19. hor. 6. minut. 28. Ryper in litteris.

Hor. 7. min. 15. Dantiſci finis eſt obſervatus ex litteris tuis.

Hor. 5. min 26. Regiomonti initium.

Ex hiſce obſervatis juxta præcepta 175. & 176. Kepleri in Tabulis Rudolphinis eliciuntur

	Primo ad initium Regiomonti.	Secundo Dantiſci finis.	Tertio Leydæ finis
	gr mi. ſec	grad min. ſec.	grad. min. ſec.
Locus ☉	20 49. 4. ♊	10. 52. 25. ♊	10. 51. 32. ♊
☊	19 24. 0. ♊	19. 24. 0. ♊	19. 24. 0. ♊
Diſtantia ☉ a ☊	8. 35. 0.	8. 32. 0.	8. 32. 0.
Latitudo ☽ Borealis.	0. 47. 23.	0. 47. 7.	0. 47. 7.
Summa Semidiametrorum.	0. 30. 35.	0. 30. 35.	0. 30. 35.
Tempus Anom. 6 d 11. h.		6. d. 13.	6. d. 13.
Parallaxis ☽ a ☉ Horizontalis.	0. 59. 25.	0. 59. 38.	0. 59. 38.
Parallaxis ☽ a ☉ longitudinis.	0. 39 48.	0. 39. 29.	0. 42. 20.
Parallaxis ☽ a ☉ latitudinis.	0. 37. 53.	0. 43. 59.	0. 39. 44.
Latitudo ☽ viſa Borealis.	0. 9. 30.	0. 3. 8.	0. 7. 23.
Diſtantia Centrorum.	0. 29. 4. ſubtr.	0. 30. 26. Add.	0. 33. 25. Ad.
☽ locus elicitus.	10. 59. 48.	12. 2. 20.	12. 7. 17.
Superatio ☽	0. 10. 44.	1. 9. 55.	1. 15. 45.
Motus Lunæ horarius ☽ a ☉.	0 30. 41.	0. 30. 45.	0. 30. 45.
Superatio in tempus verſa.	0. 20. 59.	hor. 2. 16. 25.	h. 2. 0. 27. 48.

Differentia ſuperationis Regiomonti, & Dantiſci, hor. 1. min. 55. ſec. 26. Initium apparens Regiomonti, hor. 5. min. 26. ſec. 0.	Differentia ſuperationis Regiumonti, & Leydenſis, hor. 2. min. 6. ſec. 49. Initium apparens Regiomonti, hor. 5. m. 26.
hor. 7. min. 21. ſec. 26. Finis apparens Dantiſci, hor. 7. min. 15. ſec. 0.	hor. 7. min. 32. ſec. 49. Finis apparens Leydæ, hor. 5. min. 26.
Differentia Meridiani Dantiſci, & Regiomonti, hor. 0. min. 6. ſec. 26.	Differentia Meridiani Regiomonti, & Leydæ, hor. 1. min. 4 ſec. 49.

Hiſce tribus argumentis accedit relatio quorumdam Nautarum, qui per Mare Balticum Dantiſcum proficiunt, quorum quidam 14. milliaria, quidam 16. audacter; quidam 18. milliar. meticuloſe

caloſe

culoſe directum hoc iter conſtituunt; ſed 7. minuta in tali ductu paralleli exhibent $15\frac{1}{4}$. milliaria, quæ omninò egregie conveniunt; hinc minus dubitanter aſſero ultra min. 7. pro differentia Meridiani in tempore, ſive grad. 1. min. 45. aſſumi non debere; ex quo patet differentiam Meridiani, Regiomonteni, & Uraniburgenſis minorem min. 38. conſtitui debere. Vale Amice optime. Dabam Regiomonti die 10. Januarii 1644.

M. Albertus Linnemannus Math. P. P. Facultatis Philoſophicæ pro tempore Decanus.

Ampliſſimo, & Perilluſtri D. D. Petro Gaſſendo S.

AMpliſſime Domine. Tuas litteras humanitate plenas jam tandem aliquando recepi, & in ipſis mentem illam tuam, quanta eſt, admiratus, & veneratus ſum. Faves, & gratias agis, & vis videri honoratus, quod honorem impenderis. De ſatellitibus Reithanis non multum diſputo, aurleus omninò teſtis, ut in judicio expono, ubi ex hypotheſi loquutus ſum. Sed an illa ipſa hypotheſis debeat admitti non bene valerem decidere. Ad Illuſtriſſimum Ghiſium ſic ſcripſi: *Demonſtraturus ſum, vel Reithanas obſervationes infideles, vel Stellas obſervatas circa Jovem Erraticas.* Et ſub finem: *De illis* (nimirum ſatellitibus) *nihil poſſum adſtruere, aut deſtruere. hac enim ſcriba ſecunda poſt Plenilunium die, & tametſi Jovis Galilæanos ſatellites clare conſpiciam, novos iſtos, ſed neque minutiſſimas Stellas Firmamenti ſub Novilunium obſervabiles ipſe reperio. Reithana inſiſto obſervationi, quæ ſi exacta, &c.* Et meus diſcipulus Franciſcus Cſenneman, eum ad Bortynnm librum mitteret, ſic inquit: *Nihil hodie celebrius in Europa Saturnino, & Joviali Satellitio nuper invento...... Aſſerit Uranoſcopus vigilantiſſimus Antonius Reitha, negat Doctiſſimus Petrus Gaſſendus; medius intereſt Joannes Caramuel ..... Ille ſe Saturni, & Jovis Satellites videre, & obſervare conſtanter affirmat, alter hos ipſos Fixas Stellas ſuſpicatur; at media via Caramuel, vel Reitha obſervationes falſas, vel Gaſſendo non ſtandum demonſtrat.* Ecce vides me obſervationem illam velle ſupponere, non examinare; qui enim alienas tueri vellem, qui proprias ante limam collationem, & privatam cenſuram amicorum non audeo. Nec temere Reithæ creditur; hominem enim cognoſco familiariſſime, ſanctum, & doctum; ſed qui decipere non vult, falli potuit, & hac via vel invitus decipere. Dabit Deus, ut ſuos ipſe oculos nobis concedat, nam tubum habui, & novos illos ſatellites non vidi; forte etiam in Syderibus ſicut in altis nominibus requiritur ſua fides, & affectus pius, ſine quibus nemo adſenſum præbeat, aut effectum obtineat. Et quidem, ut exiſtimo, ſtabunt mea illa duo Theoremata, & tua etiam vigebit ſuſpicio, & ſi ſit error aliquis, erit ex parte obſervationis, quam nunquam defendere libuit. Sed neque hunc libenter admittam, maxime cum & Scheinerus plures Satellites, quam quatuor a multis annis obſervaverit.

Diametri viſæ, & veræ in Planetis proportio pulchra eſt, & tota tibi debetur, quia tota ex tuis obſervatis eruta; mihi ſolum illationis gloriam adtribuo, & illius veritatis notitiam ex tuis obſervationibus feliciter diduxiſſe congratulor.

De motu Veneris aliqua ſpecialia ſuo tempore, & ideò nihil hîc reponam, maxime cum omnes obſervationes ejus difficiles, & videantur arguere eam eſſe Soli valde excentricam, & per conſequens Tellurem quieſcere, quod non omnes admittunt.

Caliguoni auctoritati multum detuli; nam & ego homo, qui erro ſæpe, & corrigi deſidero, non carpi. Ipſe Angelus haberi non vult, nec ego illi viros magnos præponi; ſatis doctus, qui in re tam ſubtili errare potuit. Illud enim ipſiſſimum periculum, quod inſtituit ſine magna Geometriæ, & Aſtronomiæ notitia non incipitur. Rhombum pro quadro in lapidis herculei ſuperficie, quam reſpiciebamus, expreſſim notavimus nonnulli a multis annis eorum expertiſſimo adamanticida. Et ille non erat artis ſuæ ignarus, inquit, qui hunc errorem commiſit. Et meritò; magna enim induſtria, & arte opus, ut eo adamantem promoveas, poliaſque, ut poſſis de laterum inæqualitate tantum argui. Hoc idem de nobili illo Delphinate ſenſi, dum ſcriberem, hoc ipſum etiam nunc de ejus eruditione ſentio.


Sed quia duo gratularis, illa hîc tametſi breviſſime reſumam; ſub onere tamen, quod recognoſcas, & liberrimam cenſuram remittas. Herculeos fruſtra labores Tycho Brahe in multis occaſionibus perdidit, quod innixus hypotheſi dubiæ, aut falſæ. Eſſes mihi crudelis, ſi methodum meam, quæ magnis mihi laboribus, incommoditatibus, imò & morbis ſtetit, & ſtat, non corrigeres, non facilitares, ſi me vel errare, vel exorbitare animadverteres. Lege, relege, examina, & hominem errori obnoxium angelico tuo ingenio dirige.

Modus menſurandi tempus.

MUltos habuerunt veteres omnes, tamen dubios, incertoſque, incapaces, qui poſſent Aſtronomico rigori ſervire. At noſtro ævo oſcillationes ſunt inventæ, quibus tempora exacte metimur.

Prout a ſuo Auctore traditæ, bonæ, & ſecuræ ſunt, vix ſenſibili errori obnoxiæ; at prout a me promotæ, videntur inæqualitatis omnem cauſam vitare, omnem ſuſpicionem effugere. More meo brevitati ſtudebo, oſcillatoriumque ab ipſa conceptione, & embryone in perfectiſſimam figuram diducam.

Inventio.




PRimum pendulum, quo ſumus uſi, filo, & pondere conſtitit, ut præſens figura manifeſtat, in qua a puncto C. plumbum B. filo C B. appenditur.

Pronun-

Pronuntiavimus omnes excurſus eſſe Iſochronos, hoc eſt, fieri eodem omninò tempore, unde ſeu pondus a linea perpendiculari extraheres ad D, ſeu ad O, ſeu ad E, Iſochrono moto ad B excurſurum. Sed tametſi experientiæ viderentur ſuccedere in inferioribus ſemicirculi gradibus, hoc eſt prope B, in ſuperioribus, nimirum prope E, & G non ſuccedebant. Inquirentibus cauſam occurrit plumbum B non formare lineam ſphericam, ſed quaſi ellipticam. Nempe F H I B. nam conſtituto in I, filum E N I, non tenditur per lineam rectam, ſed arcuatur ſuo pondere in N, aut etiam in M, plumbo in H conſtituto.

Hæc motus varietas etiam tempora alterat; certum eſt enim, ſi paria ſint reliqua, velocius caſurum plumbum ab F, quam a G.


Lineas has deſcribenti occurrit excentricitatis, & Ellipſeos Planetariæ ſalvandæ aut ratio, aut ſuſpicio. Nam Errones nec moveri in concentricis, nec in circulis jam ſatis notum eſt; Periodis ſuis Ellipſes imperfectas deſcribunt, & plus a terra, aut centro ſuo diſtant in Apogæo, minus in Perigæo, & in locis mediis nonnihil a circuli perfectiona deficiunt, ſed ao hæc ipſa mechanice ſalvari poſſint periclitabetis in delineatione ſubſequenti,



Sit in præſenti Figura B oſcillatorii centrum D plumbum; ſi integram periodum conficiat, non deſcribet circulum D M F G, ſed lineam D I K L A O D; filum enim ſuo pondere incurvabitur, & plumbum coget centrum verſus. Lineam A S divide in duas partes æquales in C. & centro C, radio C A, vel C S, duc circulum A V S A, & T H D K T, qui Ellipſin in duobus punctis T, & D continget. Poſtea centro B, & radio B A duc circulum A E R S; & centro iterum B, & radio B D, circulum F G D M F. His perfectis, ſi ponas oculum in B non-ne habebis delineationem Theoriæ Solis? aut ſi Solem in B non-ne iter Saturni, Jovis, aut Heliocyclii cujuſcumque? An non B erit centrum, B C excentricitas, D Apogæum, A Perigæum, A E R S A concentricus concavus, F G D M F concentricus convexus K D craſſitudo orbis deferentis augem, A F ejus complementum. T A, aut S D craſſitudo orbis deferentis? An non plumbi diameter in I K, & L oblique incidens circulum in latera contrahet, & Ellipſi ſimilem arcum formabit? Puto omnia ad oculum oſtendi. Planeta erit in D Apogæo tardior, in T velocior, non ſolum reſpectu oculi poſiti in B, ſed etiam reſpectu poſiti in C; quia quò a centro B remotior, eò ipſe tardior; quod & etiam in ſuo Marte olim Keplerum obſervaviſſe memini.

Quid ſi cœleſtia ſic? Sed quali filo ipſa librata? Radio viſuali ſimili, quem non eſſe rectum, ſed in medio vaporoſo gravaſcere, & incurvari ipſæmet refractiones manifeſtant. Non enim iis adſentior, qui in ſola ſuperficie illas concipiunt, nam ſi radii in ea refringerentur, æquales eſſent in eadem ſuperficie, at in vino majores refractiones fiunt, quam in aqua, tametſi ſuperficies ſit eadem; ergo præter ſuperficiem etiam datur ipſa materiæ qualitas radium inficiens, & incurvans, & elevans, An non & in Magnete ſuos etiam radios, & hos inviſibiles, imò & male rectos percipimus? Ergo hinc non ſuboritur urgenda repugnantia; nulla igitur ſublatet, aut veniet aliunde quærenda.


Correctio Prima.



Obſervaverimus filum inflecti diſtantias centri, & plumbi contrahi, motum verſus F intendi, & ut exorbitantiæ occurremus ex ſolida materia fudimus oſcillatorium, cujus pondus B eſſet adnexum virgæ ferreæ tantæ craſſitudinis, quanta inflecti non valeat. Et onus hac linea delatum tantum diſtabit a C in B, quantum in D, aut in O.

Sed & hæc oſcillatorium tamet in inferiori arcus parte non deviaret ab æqualitate quæſita non ſatisfaciebat voto dimiſſum ab E, aut aliqua gradu illi proximo, adeoque, ne ſemper teneremur caute illud a D, aut O dimittere ſpeculandum fuit, qui poſſet corrigi hæc inæqualitas oſcillatorii?

Correctio ſecunda.




Juſſit fundi æneum circulum digitu craſſum; cujus radius, ſeu ſemidiameter eſſet digitorum quinque, nempe A B C D, & in acie cultro ſimillima ſuſpendi ab A, & expertus ſum adhuc ſuperiores gradus melius ad æqualitatem reduci. Sed quia etiam varietas impulſus, & formæ debebat aërem frangere, & frangendo impediri, quærenti, qui fieri oſcillarorium poſſet, quod aërem non frangeret, hæc idea occurrit.

Corre-


Digitized by Google

Correctio tertia.



Circulus æquales priori ex bene purgato metallo binos apparo, & ita omnia diſpono, ut unum, & idem ſit centrum figuræ, & motus, vel dente ſuperpoſito, ut in O, aut radio dependente, ut in P. ſed quia majus pondus inferior requirebat pars, ut oſcillationes excurrerent, paravi binos alios ex ligno, & in G partem plumbi fudi, ut illac ponderoſiores eſſent. Et optimus ſucceſſus fuit.

Correctio quarta.



Tandem rebus omnibus conſideratis, placuit oſcillatorio ultimam perfectionem tribuere, & curavi ex materia levi (pinum elegi) Spheram exactiſſimam tornari, jam perfectæ acus polares A B. poſui, quibus liberrime moveretur, & latere ad perpendiculum perforatu in C. plumbi libram inferi, ut latus lateri præponderaret. Hoc, ut exiſtimo, perfectiſſimum oſcillatorium eſt, in quo centra motus, & figuræ coincidunt, aër non frangitur, & omnes excurſus Iſochroni, & exactiſſimi videntur eſſe. Globus iſte, vel leviter motus, longiſſimo tempore nutat, vacillatque, & ſi in C, aut puncto eidem adverſo pingatur notula obſcurioris coloris, poteris clariſſime, & diſtinctiſſime oſcillationes etiam in parva Sphera numerare. Tantæ mulia erat præciſe noſcere tempus, ſed quo præciſe cognito in reliquis non poſſis errare.

Modus menſurandi Lunæ Diametrum.

SÆpe quadrante, ſæpe radio etiam 30. pedum ad hoc ſolum parato, ſæpe aliis inſtrumentis fuimus uſi, at ſemper dubii de tribus, imò de quatuor minutis. Lux Lunæ vivida, oculi debiles, nec unquam ſufficientes ejus extremam peripheriam diſtinguere. Radius tranſmiſſus per foramen ambiguus, & obſcurus, per tubum multo incertior; & tamen me tenet obſervandi ambitio, & præciſionem non deſpero.


Appenditur chorda bene rotunda, bene tenſa perpendicularis, craſſa medio digito. Et in azimutho noto oculus conſtitutus, & tubo Batavico armatus percipit Lunæ ad hujuſmodi chordæ appolſum. Cum contactus percipitur, mano plauditur, & miniſter numerare oſeillationes incipit, quouſque totá Luna tranſiverit. Sic non ſolum totam Lunæ plenæ diametrum, ſed & multarum macularum loca determinavi. Cognito oſcillationum numero tempus cognoſcitur, quod cum Lunæ azimutho, & altitudine collatum exactiſſime dat magnitudinem.

Sed quia Luna non ſemper perfecte eſt Spherica, quantum deficiat, & qualiter poteſt exacte definiri, ſi diverſæ chordæ ponantur, & intra eandem horam [Diameter non poteſt imitari ſenſibiliter tam brevi tempore] diverſæ obſervationes fiant. At quia funiculus triplex difficile rumpitur, tres ponamus. Prima chorda decidat perpendiculariter; ſecunda ſit axi terreſtri parallela, tertia per Meridianum ducta parallela Horizonti diſtet a Terra aliquot ulnis. Notato bene tempore obſervo primò quot oſcillationes in tranſitu ſuo impendit, ut azimuthum determinatum Luna ſuperet, quot ut polarem, quot ut alteram lineam [quam placuit domeſticam dicere, quod circulo magno reſpondeat, ibi Horizontem procedenti, ubi ipſe, & Meridianus a circulis domorum dividitur] & poſtmodum collatis diverſis obſervationibus diverſæ male rotundæ Lunæ noſcuntur diametri.

Sed ſemper advertendum, Parallaxim, refractionemque in medii gradus differentia [non eſt Luna major] non multum alterare obſervationes poſſe; ſed ab hujuſmodi etiam parvolis ſcrupulis immunes obſervationes illas, quæ utuntur perpendiculo, oculo in noto azimuthu compoſito, quoniam nec refractio, nec Parallaxis perpendiculum variant.

Loco chordæ non æque ſecure uteris ædificio, nam anguli non ita acuti, & perpendiculares, ut velis, & lapides non ſemper cohærent ad amuſſim, adeoque tutius, & facilius chorda, modo ejus locum prius mediocriter exploratum habeas. Mediocriter, inquam, quia ſi in Meridiani deſignatione, aut cujuſcumque alius azimuthi definitione medio gradu erretur non alterabitur diametri Lunaris obſervatio.

Magnitudinem viſam ad veram reduces, ad-




notando Lunam in vertice ſexageſima ſuæ diſtantiæ parte, aut circiter propiorem, adeoque majorem videri, quam ſi eſſet in Horizonte conſtituta, ut patet in præſenti ſchemate; nam linea C B eſt major linea A B, quaſi integra Telluris ſemidiametro, unde ſi Luna in C diſtet a B ſemidiametris 60. diſtabit in A ſolummodò 59. ſi in C videatur minut. 30. in A videbitur min. 30. ſec. 30.

Digitized by Google

Modus menſurandi Solis Diametrum.

RAdio tranſmiſſo per tubum, vitrum, aut nudum foramen aſſequi magnitudinem Solis impoſſibile eſt; ſemper enim, aut radii refringuntur, aut ultimi regionem viciniam illuminant, & Solem exhibent multo majorem vero. Sed non omnino ejus quantitatem ignoras, ſi ſcias eſſe tanto minorem. Quadrante vix quidpiam aſſequimur; nimio enim ſeſe ipſe ſplendore tuetur, & defendit. Hac ego utor methodo, chorda [aut ædificio perpendiculari, ſi lapides bene cohæreant] uſurus, oculum in azimutho determinato conſtituo, & tranſitum Solis obſervo. Si tranſmittere radium libeat [hoc enim facilius eſt] nemo negare poterit percipiendum eſſe in tranſmiſſo radio, cum primum Sol ædificium, aut chordam perpendicularam attingat; ab eodem puncto incipiant oſcillationes numerari, quouſque Sol totus immerſus ſit, & cognitis tempore, azimutho, declinatione, & altitudine, nemo puer diametrum poterit ignorare, præcipue ſi Meridie obſervet.



Modus hic a Langrenitoo ſicut & arte, ſic etiam ſecuritate, & præciſione diſſidet; ipſe enim Solem tubo tranſmittit, ita ut in area adverſa limbo anteriori lineam BC tangat in A, & oſcillationes numerat, quouſque poſteriore eandem tangat, ſed quia vitri fallaciæ ſatis tibi ſunt notæ, non eſt cur immorer in hoc modo impugnando. Melius adhuc eſſet per nudum foramen, ut Kepleros faciebat, radium promittere, ſed ut notavimus ſuperius reperiremus Solem multo majorem vero. Ergo bene ad ſubmerſionem per ædificium, aut tranſitum per chordam recurritur; quia ſive Sol appareat in radio magnus, ſive non, incipiet deficere cum primum ad perpendicularem appulerit, nec prius ab umbra explicabitur in radio tranſmiſſo, quam in Cœlo.

Modus menſurandi Diametros Planetarum, & Stellarum.

PRaxis eadem, quæ in Luna, tubus alter. Non ſufficiunt Batavici huic miniſterio; ſed dabo novum, cujus fabrica facilis ſit. Ex optimo vitro circulum quaſi quatuor digitorum latum excide, & cura ita ex uno tantum latere poliri, ut convexum maneat, & reſpondeat portioni circuli, cujus radius ſit quaſi trium pedum. Appone tubo ductili, & in parte adverſa tubi laminam perforatam ſed carentem vitro. Paulatim tubum produc, quouſque Stellæ imago rarefacta incipiat ſinuoſa, & male circinnata videri; tunc ceſſa, ſinus enim, ſi magni, obſervationi officerent. Erit igitur tibi Jupiter ſimiſſis palmæ manus, Mars Terræ æqualis, Sydera primi honoris ſatis magna, & reliqua ut craſſiſſimus Digitus. Si igitur in Meridiano conſtitutus contactum Jovis, & ædificii perpendicularis obſerves, & a puncto contactus Oſcillationes numeres, certo ſcies quantum temporis in occultatione impendatur, quod ſi oſcillatorium trium, aut quatuor digitorum radium exæquet, erunt tam frequentes recurſus, ut in unius Planetæ occultatione quadraginta, aut plures numeres, & poſſis de unico judicare. Hac etiam methodo diſtantias Jovis, & ſatellitum aliquoties ſecuriſſime dimenſus ſum.

Condona, Humaniſſime Vir, brevitatem homini occupatiſſimo, non enim uberius debuerunt deduci quæ ad expertiſſimum, doctiſſimumque mitterentur. Omnia ſcripſi, quia ſatis ſcripſi, non enim debebam rebus notis, vulgaribuſque, aut te onerare, aut tempus ſine cauſa conſumere. Unum ſupereſt, ut ſingula digneris examinare, ſingula alta mente perpendere, obſervationes aliquot [paucas quidem, octo, vel decem de ſingulis Planetis, ſi Lunam excipias, de qua plurima] habeo, & obſervandi difficultate terreor, mihi minus confideos, ne olim errorem in methodo viſurus ſim, qui hodie latet, & perditurus ſum oleum, operamque; ſavebis ſi nihil urbanitati, nihil amicitiæ, nihil perſonæ meæ deferas; ſed potius libere aut corrigas, aut reiicias, quod expoſitum errori appareat; non enim ambio doctus apparere, ſed eſſe, & Pariſios uſque excurrerem, ut vel unam diſcerem veritatem.

Te ante annos aliquot Imo etiam Peireſkium, qui magnus fuit, & a te depictus jam eſt maximus, Selenographiæ vacaſſe a meo Puteano accepi, & deſideravi aliquid obtinere, quod poſſet meum opus exornare; ſi dignus videar, cui delineationes mittas, articulis cujuſcumque pacti ſtabo. Primo æri inciſæ facili negotio in charta excudi poſſunt, & in epiſtola per tabellarium ordinarium tranſmitti. De nondum exculptis, ſed pictis major videtur difficultas, ſed quæ vinci eodem modo poſſet, ſi duæ, vel tres præcipue mitterentur, ut ego curarem exſcribi, & remitterem poſt paucas ſeptimanas. Celebrabimus obſervationes tuas in noſtro opere, & quia Cœlum Cœlo correſpondet, inde etiam noſtra confirmabimus. Occultationem Quadrilateri Pleiadum non poterit communicare Wendelinus longe abſens, facilius erit tibi præcipue Amanuenſi, ut unam copiam ad me mittat. Nominibus amicorum promontoria, inſulas, & valles huc-uſque diſtinximus, tibi, nec-non Peireſkio tuo, Merſenno; & Naudæo, aliiſque viris magnis loca competentia adſignavimus; placet enim illuſtrium hominum famam provehere, imo & Cœlo donare. Sed & nomina illa a te tranſmiſſa placuerunt omninò, & quantum liceat pleraque retinebo, eroque in omnibus ingenii tui admirator, & laudum præco. Vale, Spiræ 8. Julii 1644.

Ampliſſimæ, & Per-illuſtris Dominationis tuæ ſervitor addictiſſimus I. Caramuel Lobkovvitz, Abbas Diſembergenſis.

Digitized by Google

Ampliſſimo, & Perilluſtri Domino, Domino Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, Domino ſuo colendiſſimo S.

Rideas mecum, ampliſſime Vir, Gallos abſentes amo, diligentius, quam alios veneror, ſuſpicioque, præſentes timeo, & fugio. Spiræ eram, & irruente Chriſtianiſſimi Regis exercitu exceſſi, & Francandaliam appuli, ubi litteras tuæ dominationis avide expecto. Duas ſcripſi; alteram de ſententia illa Pariſienſium, quæ Pontificem Concilio Generali ſupponit; alteram de modo obſervandi diametros Planetarum, & Stellarum diſtantiam. Priorem dederit, ut opinor, Reverendiſſimus D. Merſennus, & Tabellarios poſteriorem. Has addo, ne forte contingat, ut reſponſum Spiram deſtines, & recuperare inde non poſſim, quia inter Spirenſes, & Francandalienſes nulla communicatio, tametſi diſtemus quatuor leucis. Vive, & vale, Vir optime, & me Deo, & amicis commenda. Francandaliæ, quæ Palatinatus inferioris Metropolis, die 10. Septembris 1644.

Ampliſſimæ, & Perilluſtris Dominationis tuæ famulus ad me omnia paratiſſimus, I. Caramuel Lobkowitz, Abbas Diſembergenſis.

Celeberrimo Viro, fautori ſuo optimo D. Petro Gaſſendo

HENRICUS BORNIUS
S. P. D.

Immane quantum doleo, magne Vir, quod ultimæ, quas ad te ipſis Calendis Maiis dedi litteræ, Tabellariorum incuria alicubi oberrantes, in manus tuas non pervenerunt, non adeò quia ſic jure merito tibi viſus fui officio meo defuiſſe, quam quia per illas te certiorem reddideram quorumdam, quæ ſcire tua intererat, illorum nimirum, quæ impreſſionem epiſtolarum tuarum fidei meæ commiſſarum ſpectabant; ſcripſeram enim Elzevirios, qui Leydæ degunt, operam in ſe ſuſcepiſſe, & fidem dediſſe ſe abſoluto incomparabilis Salmaſii *de Cæſarie Virorum, & mulierum coma ſcripto*, ſcripta tua ſtatim prælo eſſe ſubjecturos, addideram Dominum Heereboord ſummopere gaviſum fuiſſe, quod illum tanta humanitate reſalutaſſes, & niſi me fallit memoria, aliquid etiam notaveram de Thraſonicis Carteſii ſuper ultimo tuo contra illum ſcripto, dictis, ſcilicet illum ſciſcitantibus diſcipulis quando ſe ad refutandum illud accingeret, nihil aliud ſolitum eſſe reſponſi dare, quam te mentem illius non cepiſſe, ſe tamen ut illis morem gereret aliquid annotaturum in nova ſua philoſophia (quæ jam in lucem prodiit) ex quo vel puer minimus illorum nodos, quos ipſe nexueras, poſſet ſolvere. Summum viri ingenium exoſculor, ſed hunc agendi modum præſertim in cauſa mala, ubi ipſi ſemper hærebit aqua, cane pejus, & angue odi, non Philoſophi, ſed profani vulgi illum eſſe judicans, effutiat, quæcumque in buccam venerint, nunquam tamen efficiet quominus illius Metaphyſica inpoſterum a ſolide eruditis ſibilis, & cachinnis non excipiatur, & nullus dubito, quin niſi hac nuper edita Phyſicæ parte, damnum, quod ex nominata Metaphyſica paſſa eſt ejus fama, reſarciat, philoſophi nomine apud multos excidat. Tuarum ſane videtur eſſe partium, Virorum optime, & illam examinare, & quos ibi forte an repereris errores Mundi oculis ſubjicere, hoc mecum a te flagitant ſummi, & principes Bataviæ noſtræ Viri, qui quotidie vota illa concipiunt, quibusdam ex illis promittere debui, me ſubmiſſe a te illud eſſe petiturum, præſertim cum me non omninò deſperare ſignificarem te fortaſſe an pro tua in me benignitate, & ſummo erga omnes, quicumque tandem ſint, qui veritati litant affectu, nos voti non eſſe damnaturum. Ut itaque promiſſis ſtem, illud a te oro, petoque ardentiſſimis precibus, dummodo res tuæ illud ferant, certus te æternum hoc nunquam obliviſcendo beneficio nos omnes obſtricturum eſſe. Ceterum cum me jam mihi vindicarim ex negotiorum illorum fluctibus, quibus miſere, poſtquam peregrinabundum pedem in patriam retuli, implicitus hactenus fui, meque relictis ceteris omnibus, quæ vulgus curare ſolet, veritati inquirendæ conſecratum tu ſat ſcis, ſumme Vir, æqui, bonique conſules, ſi tuam ſubinde mihi operam poſcam, quam ſi mihi concedere digneris, conceptiſſimis tibi juro verbis te ſumma illa beneficia non eſſe perditurum, verum me id operam eſſe laturum, ut aliquando ſcias cui illa dederis. Vale interea, rerum mearum dulce decus, & me tui ſumma cum veneratione amantiſſimum amare ne deſine. Dabam Tolutim Trajecti ad Rhenum anno a Chriſto nato 20. Septembris 1644.

Petro Gaſſendo, Viro verè Sapienti, & Philoſopho Lynceo

A. PRATÆUS S.

Ea ſemper fuit animi mei in te propenſio, & ut ita dicam, impetus, ex quo divina illa tue, & pluſquam magnetica virtute tactus fui, ut præ te nullum ex tot claris Viris, qui litterarium orbem ſcriptis illuſtrant, aut amem impenſius, aut colam ſtudioſius, aut mente, & oculis geram ſæpius, & jucundius. Tu certe jam factus mihi videris melior pars mei, quippe qui licet abſens, præſens, & præſes, & conſiliarius interſis omnibus conſiliis, cogitationibusque meis, omnique vitæ meæ rationi, quam tu moderaris, & temperas præceptis, & exemplo, dum ad illa pro ingenii tenuitate me compono. Vix prima lineamenta magni illius capitis, & fortis illius, philoſophique pectoris, quo tu præ ceteris vales, me expreſſiſſe ſcio, ita mihi adverſatur mea Minerve; mihi tamen valde gratulor, quod in mente, tanquam in tabula, tui quædam veſtigia agnoſcere videar, aut ſaltem umbrulæ quandam ſpeciem, hanc ita amo, ita deoſculor, ut qui me ſemper, ut par fuit, parviſecerim, jam illius cauſa me aliquo in pretio habeam. Amore quidem, & intimo cordis affectu Gaſſendum alterum me jamdudum factum ſentio; quod & omnes agnoſcunt ex ore,

di-

dictiſqoe meis, quoties nomini tuo inſerviendi datur occaſio, morum tuorum ſuaviſſimorum facta rudi quadam imagine, daraque doctrinæ tuæ leviſſima idea iis, qui tui deſiderio, & admiratione tenentur. Hinc intelligere potes, Vir clariſſime, quæ cauſa me ad ſcribendum impulerit; nempe, dum multa tui virtus noctu, diuque animo recurſat, hærentque infixi pectore vultus, verbaque, non potui me diutius intra ſilentii limites, quos mihi propria verecundia, tuarum occupationum gravitas, & ſtudiorum dignitas, præſcripſerant, continere. Accipe igitur æquo animo hæcce incorruptæ reverentiæ, & nunquam intermorituri cultus ſincera teſtimonia. Beaveris certe, ſi Prætæum tuum χρήσει, καὶ κλήσει factum, quaſi tuum benevolentia fovere, & amplecti pergas. Sed hæc plus ſatis tibi virorum optimo; non tamen finem facio, etſi ſciens, videnſque prætergrediar omnem reverentiæ modum. Scias velim, quod cum inſtitutionibus anatomicis Caſp. Bartholini Lugduni Bat. excuſis, gallicis faciendis nuper operam dediſſem, totus gaudio perfuſus fuerim ubi perveni ad eam Joannis Wallæi Medici epiſtolam de motu ſanguinis ex mente Harvei, quæ hujus operis Anatomici ſeriei fuit intexta, in qua tui mentio facta eſt hiſce verbis: *Refert Petrus Gaſſendus, Vir eruditus, & candidus exercitat. in Fluddan. Philoſoph. part. 3. cap. 17. vidiſſe ſe Payanum oſtendentem ſeptum cordis intermedium per varios mæandros, flexuoſque quaſi cuniculos pervium eſſe; eoſque poſſe inveniri ſi ſtylo in foveam aliquam leviter immiſſo, eam ſurſum deorſum, & ad latera patientiſſime contorqueas, & ulteriorem aditum ſemper explores, uſque dum ejus extremum invenias. Et revera id non rarò ſuccedere ſumus experti, ſed obſervavimus ſimul eas vias, eos mæandros nequaquam a natura factos eſſe, ſed a ſtylo, aut criſpide cultri, dum facto viam aperimus, aut ulteriorem quærimus; caro enim cordis ita tenera ſimul, & conſiſtens eſt, ut minimo rei perforantis attactu ſtatim diſrumpatur, & cavitatem relinquat; adeo ut & latera cordis ita potuerimus pervia invenire.* Tu ſi quid habes, aut experimentorum, aut rationum, quibus ſententiam tuam tueri poſſis, & velis, ad me perſcribito, ut ſi per te liceat, inſtar appendicis operi anatomico attexam. Chyli viam ad epar per meatum bilarium, tum ex vita peireſchiana, tum ex ſermonibus familiaribus te aperuiſſe, antequam Aſellius lacteas venas demonſtraſſet, probe memini. Ego, qui in re Anatomica nullam opinionem temere reiiciendam puto, præſertim ſi a viris graviſſimis, & ingenii acumine, judiciique pondere præſtantiſſimis proponetur, tuam pervelim plenius hac in re noſſe. Si quid pro tua in perſpicientia viri ſolertia, in corpore humano obſervaveris hactenus aliis incompertum, communicatum mihi non dedigneris, qui indicato Auctore, & veluti fonte, ad communem utilitatem ſum adſuturus. Scio te in utroque Mundo, magno, & parvo oculatiſſimum. Noli te minus liberalem in parvi amantes, & cultores gerere, quam te præſtas erga magni ſtudioſos; quippe magnam laudem, & æquam gratiam ab utriſque reportaturus. Nuperrime accepi, te prælo philoſophiam illam egregiam tories, & tam avide a me expetitam, commiſiſſe. Te niſi Galliam noſtram tuis doctrinæ luminibus, & Theſauris minime ornandam, & locupletandam cenſueris, patere ut in tanta bonæ mentis eſurie, & utilium librorum inopia, ſublimem illam tuam ſapientiam, ſermone peregrinam, ſermone gallicam faciam, ut quæ jam noſtras eſt Cœlo, & Solo, Patria, & Parente, ex omni parte noſtras dici poſſit, & ut ex illo immenſæ frugis opere ea patria noſtræ pars major, quæ peregrini eſt idiomatis neſcia, aliquid fructus percipiat. Magna peto, magna poſco, ſed magna poſſum duce, & regente Gaſſendo. Doctiſſimus Medicus, tuique amantiſſimus Carolus Sponius te ſalutat. Vale, & ama diligentem te. Dabam Lugduni ptidie Calend. Octobris 1644.

PETRO GASSENDO

HENRICUS BORNIUS S.

IMmane quantum doleo, Gaſſende Doctorum decus, quod tam miſere ab Elzeviriis, qui mihi, præſente communi noſtro amico Hereboordo, fidem dederant ſe litteras tuas, abſoluto Salmaſii de coma opere, prælo eſſe ſubjecturos, deceptum eſſe. Nullam aliam, quominus dictis ſtarent, allegerunt cauſam, quam ſe magnam ſatis exemplarium, litterarum jam impreſſarum copiam Pariſiis accepiſſe, ac ſe proinde vereri, ne impreſſio, quam jamdiu urgebam ſibi damno eſſet futura. Spe itaque mea fruſtratus, me contuli ad *Le Maire*, celeberrimum etiam Typographum, qui promiſit ſe manum operi eſſe admoturum ſimul ac ſibi conſtabit de privilegio epiſtolis jam impreſſis in favorem *Hengueville* præfixo. Poteris me proxima occaſione certiorem de omnibus reddere, & juſſa tua pro virili meo exequar. Si hactenus negotium hoc votis, & conatibus meis non reſponderit, quæſo, virorum optime, ne illud incuriæ meæ imputes. Summum rerum arbitrum ad teſtimonium cito, me ter, ut provinciæ, quam in me ſuſceperam vacarem, Leydam periiſſe, & omnia molitum ut teſtatum darem, quanti facerem tibi inſervire. Vale, magne Vir, & tuum Bornium, qui ſumma cum reverentia te ſuſpicit, amare ne deſine. Dabam ſumma cum feſtinatione Ultrajecti, ipſis Calend. Novembris Styl. veter. 1644.

Doctiſſimo, ac clariſſimo Domino Petro Gaſſendo, Doctori Theologo, ac Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito

Antonius Franciſcus Payenus I. V. D. addictiſſimus ex aſſe S. P. D.

ETſi ea, quæ tibi mittitur oratio, roſeo quaſi pudore ſuffuſa judicium tuum effugiat ruditatis ſuæ conſcia; audet tamen interrite ſe tibi ſiſtere, & ſua quamvis levitate tremula copiam ſui facere, tuis innatæ benevolentiæ ſecura præſidiis. Neque verò cogitat propriæ, quæ te non latet, ignorantiæ larvam obtendere, & ſimulato quodam ingenii conatu fucum pigmentis inducere; puderet ſane hiſtrionicam agere, qui nihil niſi ſerium ſapis; po-

teret ſeſe tibi ridiculam exhibere, qui tales plectis ſilentio. & gratiſſima tui conſuetudine mulctas quaſi pœna ceteris graviori. Nec etiam ea mens eſt, ut hic aliquid novi, quod jam non ſciveris legas, qui omnia tenes, vel ut oſtentationis gratia gloriolam ex approbatione tua aucupari contendam. Abſit a me vel ipſa tanti ſceleris rea cogitatio. Sola nimirum animi in me tui innata propenſio impulit me hunc ingenii fœtum, quantuluſcumque ſit, ad te mittere, in amoris erga te mei certa pignora, & idonea honoris, quo te proſequor, argumenta. Interim ſcias apud me Mathematicas ab aliquo tempore ſiluiſſe Profeſſorio Juris munere mentem alio avocante. Rem tamen gratiſſimam faceres, ſi certiorem me redderes utrum ſecunda Philolai pars a Bullialdo, qui edita prima parte ſecundæ deſiderium omnibus fecerat, e typis emerſerit, qua de re ſuſurrus neſcio quis aures excuſſit. Hoc a tua humanitate obtenturum me non dubito. Vale, & mihi, qui tibi addictiſſimus ex aſſe vivo, fave, repetita aliquando apud te mei recordatione. Datum Aven. poſtridie Calend. Novembris 1644.

Viro Celeberrimo, ac doctiſsimo Domino Petro Gaſſendo

ADRIANUS HEEREBORD
S. P. D.

NOn deſuimus officio noſtro in procuranda editione tuarum apud nos epiſtolarum, neque ego, neque communis utriuſque noſtrûm Amicus, præclaris animi dotibus ornatiſſimus Bornius; ſed enim fidem datam violarunt poſt moram aliquam interjectam, qui impreſſionem ſuſceperant Elzevirii, quod nonnulla nuper exemplaria tuarum de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis, ac de motu impreſſo a motore tranſlato epiſtolarum Pariſiis ad ſe eſſent delata; itaque egimus cum alio non minus celebri Typographo Joanne le Maire, qui nihil detrectat totum hoc epiſtolarum partim excuſarum, partim excudendarum opus imprimere, modo privilegium Regium, quod ex ſumma ejus præfixa Ludovico de Heugue ville videtur conceſſum, non obſtet, aut in ſe poſſit tranſportari, quod fieri poſſe Bornius noſter exiſtimavit, quandoquidem in veſtra hoc eſſe manu, & vobis, non Typographo, indultum ſignificavit idem Bornius. Cetera curæ noſtræ committe, qui omnium ad editionis nitorem requiſitorum ratione habebimus, ac te plurimum ſalvere jubemus, diuturnam, ac felicem vitam ad Reipublicæ litterariæ bonum te vivere, toto animo exoptamus. Lugduni Batavorum poſtridie Cal. Novembris 1644.

Admodum Reverendo, Clariſsimoque Viro Domino Petro Gaſſendo, Sacræ Theologiæ Doctori, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito digniſsimo

GOTTIFREDUS WENDELINUS S.

QUo die poſtremas ad te dabam, Gaſſende Clariſs. duplicata felicitate auctus fui; nam & hic Bruxellæ ad manus meas venerunt Tabulæ quædam membranaceæ Joannis de Linetiis Ambianenſis, confectæ anno 1332. quamquam Epochas ſuas ordiantur ex anno 1320. & ex Alphonſinis ſunt expreſſæ totæ, & eadem veſpera Lovanii accepi admirandas tuas litteras [dicam an commentarium?] quas ad me feciſti jam inde primum ex anno 1636. rurſumque ante annum deſcripſiſti, ſed quæ apud Nobiliſs. Slingelandum jacuerunt abditæ in ſcrinio, dum ille ex Batavis uxorem petit. Verba me deficiunt, quibus gaudium meum explicem, maxime ſuper honore mihi habito Maſſiliæ, cujus ego ἔξαρμα tandem conſtituo grad. 43 min. 18. præciſiſſime. Nam quia ratio gnomonica dedit a vertice ad limbum Solis Borealem gradus obſervatos 19. minut. 34. ſec. 1. ſed correcto poſtea tibi ipſi meridiano ad minut. 1. ſec. 1. plane jam confecit grad. 19. min. 33. ſec. 0. vides profecto ſubtracta Parallaxi mea ſec. 5. [poſtrema, eademque tandem veriſſima] ſupereſſe grad. 19. min. 32. ſec. 55. additaque ſemidiametro Solis (item mea) min. 14. ſec. 45. ac denique ab inde ad æquatorem grad. 23. min. 30. ſec. 20. colligi exquiſitiſſime grados omnes τοῦ ἐξάρματος grad. 43. min. 18. ſec. 0. idque ad ipſum Collegium, ac Templum primarium; nam alioquin eadem urbs etiam grad. 43 min. 18. ſec. 30. forſan dare poteſt, ſi recte poſitionis meminit. Non eſt hujus paginæ adſtruere Parallaxin maximam ſecundorum 14. quantam in Eclipſibus meis repræſento, ut neque diametrum Solis quantam aſſerui, alius hic locus, aliud tempus debetur. Hoc tamen te admoneo, quam per pinnacidia nactus es Solis ſemidiametrum min. 15. ſec. 4. revera minorem habendam, eo quod (lævor, forte an & candor) inferioris, radios Solares illiſos repercutiens reliquam umbram ſeipſa minorem exhibuerit oculis, ac proin ſemidiametrum ſolarem ſeipſa majorem. Et verò mirabile eſt, ac ſtupendum, quod inter diametrum meridianam min. 30. ſec. 8. eandemque declivem maxime minut. 28. ſec. 52. medium feriendo exhibes ipſiſſimam meam min. 29. ſec. 30. præciſiſſime, hoc eſt, ſemidiametrum min. 14. ſec. 45. conſenſo prodigioſo, de quo toto argumento, ſimul & Lunari plenius agetur.

Inter hæc autem, quod ſuper ævo Pytheæ ſentiendum exiſtimem ſic habe. Scripſi ad te vixiſſe illum Alexandri Magni temporibus, nec retracto. Nam præter Dicæarchi cavillos in virum Philoſophum, ac Mathematicum contumelioſos neſcio quâ interpretatione Peireſcii noſtri (non enim tuâ) aliorſum flexos; Plinium adi, atque audi, de Succino loquentem verbis Pytheæ cujuſmodi, hodieque vera ſunt, & quibus Timæus credidit Agathoclis inimicus exulans mirum in Maſſiliæ, atque in quotidiana frequentatione Pytheæ. Ecce ergo, ut Pythæas noſter vixit etiam ante Agathoclem, & omnino per ævum Dicæarchi, hoc eſt, per Olympiadem
faltem

Digitized by Google

ſaltem 117. Illo tempore ex calculo mei Loxiæ fuerit Anomalia obliquitatis grad. 280. min. 30. ideoque λόξωσις grad. 23. min. 54. ſec. 32. Jam verò tu tale nihil cogitantem admonuiſti veri gnomonis Pythæani 60 ad umbras grad. 20. min. 50. unde diſtantia limbi ſolaris borei a vertice Maſſilienſi fuerit grad. 19. min. 8. ſec. 53. Hinc ergo examinemus. Parallaxis mea adhibita relinquet grad. 59. min. 8. ſec. 48. & ſemidiameter Solis tunc min. 14. ſec. 47. commonſtrat ecce a vertice Pytheæ ad centrum Solis æſtivi grad. 19. min. 23. ſec. 35. ſuperfuerint ergo pro complemento latitudinis a te inventæ grad. 23. min. 54. ſec. 25. Eſt-ne hæc ſcripti mei vel felicitas, vel divinatio, vel divinitas? Nec eſt cur fidem Pytheæ velut ſubleſtam, aut ὀλιγοχερῆ, ſugilles non ſine quadam in comprovincialem injuria; ecce enim poſt annos circiter 30. Timocharis, cum obſervavit anno Adami 3686. (meo) τὸ νότιον μέρος ἥμισυ τῆς Σελήνης ἐπιβεβηκὸς ἐπὶ τὸ ἑπόμενον ἦτοι Γ″, Η″, ς″. μέρος τῆς πλειάδος ἀκριβῶς plane me docuit mediam Pleiadum tunc obtinuiſſe latitudinem grad. 3. min. 48. quæ nunc eſt grad. 4. min. 0½. unde conſectarium habeo Timocharidis obliquitatem non fuiſſe minorem, quam grad. 23. min. 54. circiter, pro eo, ac in Loxia meo factum habes indicium. Si ante totos iſtos 8. & quod excurrit annos licuiſſet mihi potiri tuis litteris, jam erat, ut Loxiam meum, tuumque ex curis ſecundis legeres quatuor libris explicatum, & S. P. Q. Maſſilienſi (cui ſane, & debetur, & adornatur) inſcriptum, cujus tamen faciendi tu mihi auctor eſto, vel dehortator, vel diſſuaſor.

Neque verò tibi nunc commemoro, ut ſub Artemidoro, hoc eſt, Auguſti primo ævo λόξωσις fuerit grad. 23. min. 49. præciſiſſime, eademque imperante Severo grad. 23. min. 45. In Geſneri Bibliotheca legiſtin' quendam Agatemiz? Agathemerus is eſt ſcriptor Geographiæ antiquus Græcus Ptolomæum profeſſus in quibuſdam corrigere, quem de M S. codice Chiphiletiorum ter adeo iſta mea manu deſcripſi ſemel, & latine verti. Exemplarium unum ſecum Romam Dormalius abſtulit, alterum eſt penes me, tertium una cum verſione latina aſſervant Chiphletii; ubi reſcivero ecquid probes conſilium meum ſuper dedicatione Maſſilienſibus devota plenius hæc dabo. Felicitatem mei Loxiæ ſupra omnem expectationem, ac fidem (ſpero) tibi, hoc eſt, omnibus per ſe doctis approbaturus.

Venio ad Epiſtolam tuam poſtremam, quam Lovanii accepi die 25. Novembris; in ea gaudeo me legere, quod alioquin quotidie mecum replico, & hominem eſſe me, & errare poſse. Enimvero, quoties intra me hominem quæro, toties valde hominem invenio; unde hoc auſero, ut ſi quid humanum mihi excidat interdum, neque ejus valde me pudeat, neque ſi quid ultimæ diligentiæ ſuperſit reliquum valde me pœniteat. Ad meridianam tamen lineam inveniendam quod attinet, ejus rationem jam editam legis, per Stellas ſcilicet circumpolares, quâ methodo, quid tutius poſſit, aut compendioſius inſtitui ego ſane non video. Sic ergo comparatus, & Eclipſes omnes alias, & illam anni 1642. obſervavi ſumma religione, & quod obſervatum habui religioſiſſima fide retuli.

At enim tu quoque nec ſolus eandem ſumma cura deduxiſti, unde ergo inter nos tota 25. minutorum diſſenſio; Cum de fide, deque induſtria tua, omniumque veſtrum trium dubitare mihi religio ſit, quippe qui ſemper quidquid a te profectum venit, oraculi vice habuerim. Eclipſin verò iſtam triumviralem ſi ſollicitem ſacrilegii me reum faciam in Tripodem irreligioſus; altius quid, ac penitius hic latere deprehendo. Vides ipſe quam anxie circumſpexerim Amuſſiorum pertugia, & hoc puto, ac confido te ſentire de me, non eum eſſe, qui per meridianorum ſucos graſſari velim in laborum alienorum gloriam. Atque adeo ubi deſcripto mihi quadrante tuo pendulo ſomnia illa mea excuſſiſti. Tandem multa verſans animo, totaſque noctes trahens inſomnes, tandem, inquam, tenebras iſtas denſiſſimas diſpuli, & novam rebus cœleſtibus facem exhinc ſpero prætendi, & lampadem, quam tibi exhinc trado. Refractionum non una eſt, ac ſola ratio, quam nobis Tycho commonſtrat; duorum profecto ſunt generum. Sunt Anaclaſticæ, atque illæ hactenus cognitæ; ſunt & Cataclaſticæ, Sydera interdum horizonti viciniora exhibentes, quam revera cœlum agnoſcit. Vidi ego non ſemel [vidiſti credo & tu] Lunam interpoſita longa nube, velut trabe quadam ſecari mediam, tumque velut in eculeo ſic extendi, ut pro triginta minutis diametri ſpectetur, longa etiam gradus duos, aut amplius, quorum ſuperior eſt Anaclaſticus, inferior Cataclaſticus. In Eclipſi anni 1642. ſubter Lunam, ac ſupra hoc noſtrum Belgium, ac Pariſios tuos ingens vis pependit vaporum, in Friſia, atque Ultrajecti nubilorum Bruxellæ etiam nubium apud vos ſaltem nebularum; quæ ſcilicet vera demum cauſa fuerunt, cur Luna penitus extincta videri non potuerit. Hinc vaporum glomus etiam tibi venit in mentem, dum ſuſpicaris *nubila quædam tenuiora* effeciſſe, ut pars Lunæ deficiens ſemper fuerit inconſpicua. Neque verò is totum Cœlum opplevit, ſed Lunari plagæ adhæſit, eſtque hæc vera tandem, atque unica cauſa, cur interdum Luna plane emoriatur, fugiatque conſpectum omnem. Hi vapores circa plagam Lunæ in glomum ſuum adunati refractiones Stellarum a Luna remotiorum faciunt Cataclaſticas, & quidem ſi obſerventur ad Orientem tempora exhibent maturiora, ſi ad occidentem (quod vobis contigit) tardiora. Et quanto quidem propiores Stellæ ſunt ipſi glomo mihi aſſerto κατάκλασιν ſentiunt majorem, ſenſeruntque vobis tantam, ut initium deliquii ſignaverint ad horam 12. min. 10. quæ poſtea minus aliquanto affectæ hoc incommodo, ea tempora dederunt, eoſque digitos, qui neceſſario initium reponunt in horam 12. min. 4 tantum.

Habes judicium ſuper diſcrepantibus inter nos rationibus, non etiam temporibus meum. Quod ſicut hactenus tibi videbitur inauditum, ita magis etiam accendet ſtudium redeundi ad eundem locum, atque recenſendi, quibus, ſeu ædibus, ſeu pinnis, ſeu turribus imminuerit Luna per φάσιν, vel unam aliquam confido fore, ut quod hactenus tantum ſuſpicor eventus ſit comprobaturus. Dignus eſt nodus Gaſſendo vindice; hoc eſt, homine, quo ego ſcio neminem hodie vivere ſolertiorem, aut veri ſollicitiorem, aut cui plus eruditio debeat, cui nemo minus ſit ſolvendo. Bruxellæ poſtrid. Cal. Decemb. 1644.

Me uſquequaque impare
Gottifredo VVendelino.

Inje-

Digitized by Google

Injeciſti mentionem aliquando Philolaïcæ Aſtronomiæ, quam Iſmael Bullialdus ſob prælo haberet. Illam ego videre velim: Illum a me ſalvere una cum Patre optimo Furnerio, qoibus me tu conceſſera, oro. Vidi apud Langerenum iſtud ſcriptum ſub Ariſtarchi nomine, doctum ſane, & reconditæ Phyſicæ pleniſſimum auctorem; quiſquis is eſt deveneror. Petavium πολύπειρον ſtupeo, & ſaluto. Scriberem ad amicos in Provinciam, Aroaodam inprimis meom, ut ita loquar poſtumom, ſed majoria eſt otii, ideoque differendum iupræſentiarum. Iterum, iteromque vale.

Celeberrimo, Doctiſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo, Philoſopho longe præſtantiſſimo

ANNA MARIA SCHURMAN S. D.

ADeo gratioſe me uuper humauiſſimis tuis littetis ad ipſius exemplar virtutis effinxiſti, Vir Clariſſime, ot nou aliam æternæ mei memoriæ ſtatuam decerni poſtularem; ſiquidem hîc gratiæ, ac veritati per omnia bene conveniret; verum, quando te cetera acerrimum veritatis vindicem, vel famæ blandientis aurâ, vel nimio qoodam iu nos ſtudio eò abductum intelligo, ut meis laudibus cumulandis, animi potius tui candorem, quam meam effigiem expreſſeris, uon levirer iu genium tuum peccarem, niſi te hoc qualicunque errore, quamprimum poſſem, liberarem. Video te oostram de politioribus Virgioum ſtudiis diſſertatiunculam tam benevole excepiſſe, ut inde non parum tuæ de me exiſtimationi acceſſerit. Atqui quid obſecro in hoc ſcripto magnopere prædicaudum, præterquam quod cauſam liberaliorem, & meo quidem calculo, æquiſſimam, quantum per modeſtiam licuit, acriter agere conata ſum. Illuſtre verò tui in veram ſapientiam amoris argumentum eſt, quod etiam in noſtro ſexu qualemcunque ejus ſcintillulam adeo uon contemnas, ut eam vel iuſigni tuo favore ſovere, atque inflammare non dubites Quare, tametſi variis de cauſis nihil litterarum ad extraneos dare jam ante in animom indoxerim; tamen, quia merito te virtus tua, ſummaque benefacta in univerſum orbem litterarium collata de horum numero eximunt, omues mihi gratias iratas haberem, ſi non aliquo ſaltem monumento teſtarer quantopere mihi gratuler, quod vitæ meæ inſtitutum ſuffragio tuo comprobare dignatus ſis. Paucis equidem, quando τὸ πολλοῖς ἀρέσκειν τοῖς σοφοῖς ἀπαρέσκειν ἐςὶ, boniſque placere cupiu; tibi verò in primis, quem ego tot armis, copiiſque inſtructum video, ot, quemadmodum nuper antiquæ Philoſophiæ decos ſuum egregie aſſeruiſti; ita, ſi opus ſit, communem bouarum artium, ſive litterarom cauſam contra profeſſos ejus hoſtes, aut certe fœminei nominis contemptores tutari facile poſſis. Vale, Ultrajecti 12. Calend. Jaouarij 1644.

Clariſſimo, & doctiſsimo Viro Domino Petro Gaſsendo, Philoſopho excellentiſsimo, Dinienſi Præpoſito S. P.

VIr Clariſſime, & præſtautiſſime. Acceptis a Schurmanna mea hiſce litteris ad te curandis, uon debui hauc occaſionem negligere, qoa non iutermortoam, ſed aliquandio ſopitam uoſtram communicationem renovarem. Non mihi excidit memoria benevolentiæ, & amicitiæ, qoam mihi ultro detuliſti, dum hîc eſſes, quam poſtea aliquoties foviſti, tam gratiſſimis litteris tuis, quam opera oostri Merſenni, qui ſobiude mihi ſignificabat quam conſtans eſſes io tuo propoſito de me bene merendi. Sorberius etiam tuus, qui factus eſt meus, ſæpiſſime de te, & ſtudiis tuis mecum verba commutavit, deditqoe elegantiſſimom, & acutiſſimum Opuſculum contra Philoſophiam Carteſianam. Habes nunc ipſius fundamenta in opere novo, quod judicium tuum, & cenſuram expectat. Ego id mihi non arrogo, qui ultro fateor me non capere Viri illios, alioquin eruditi, & acuti, principia, & placita, nec iu eis eruendis vacat plurimum temporis, & operæ inſumere, aliis curis intenta. Id tibi, & ſimilibus, qui poſſunt, relinqoo, & a te peto, ut de me cenſeas ſemper, tanquam de eo, qui tuam eruditionem, & humanitatem magnifacit, tibique hunc inchoatum annum felicem, & proſperum precatur. Vale. Hagæ-Comitis in Batavis poſtidie Caleud. Januarij 1645.

Tuus omni officio Andreas Rivetus
73. ætat. anno.

Admodum Reverendo, atque clariſſimo Viro D. Petro Gaſſendo S. P.

VIrorum Clariſſime. Haud ita pridem litteras tuas Idibus Octobris Pariſiis datas me accepiſſe ſcias; ex quibus æquum tuum de phaſibus meis lunaribus judiciom, ſimulque eainde ſincerum erga me tuum, miuimeque ſimulatum affectum ſatis, ſuperque cognoſcere licuit; quam benevolentiam uti merito exoſculor, ita nil magis exoptans, quam ut occaſio iterum ferret, animum meum gratum tibi teſtandi. Rectiſſime ſentis, ſi illud tempus ſolummodo antehac indicatum phaſibus apponeretur, aut me hallucinatum exiſtimenr, aut certi nil quidquam adjutentur ad intelligendom librationis tempus, ac periodos, qoibus eædem phaſes fuerint inſpectandæ. Tales autem nudas inſcriptiones nunquam apponere animus fuit, licet in litteris prioribos temporis, fortaſſis parcendi gratia reliqua omiſerim. Non ſolum enim propter unicum illum librationis motum, confinia lucis, & ombræ, ſed & propter alios in Luna diverſiſſimos motus, maxime variaut; hinc centrum Luoæ mox ſurſum, mox deorſom, mox ad latera, certo tamen tempore fertur. Hæc cum apprime noverim, idcirco tales inſcriptiones Phaſibus apponere placuit, ex quibus ſimul omnia illa, quæ ad veram cognitiouem harum figu-

Digitized by Google

figurarum neceſſario requiruntur, unicuique [attamen rerum Selenographicarum non plane ignaro] ſtatim innoteſceret; quin fieri etiam poſſit, nullus ſane dubito, neceſſe autem erit inprimis, ut deſcriptiones, & annotationes Selenographicæ prius ſint in promptu, quorum adminiculo tum motus librationis, quum reliqui omnes in Luna apparentes intelligantur. Proferam, Deo dante, aliquid certi de his rebus, præſertim de mirabili illo motu centri Lunæ, unde tanta Phaſium diverſitas; quo uſque ſeſe termini illi variationis extendant; quo tempore maxima, vel minima libratio ſit expectanda, ac quanta differentia tum inter quadraturas, quum Plenilunia ipſa obſervetur, quæ differentia neceſſario requiritur ad obſervationes Eclipſium recte inſtituendas. In Phaſium itaque titulis primo indicabitur, in quo Eclipticæ gradu Luna ſit obſervata; ſecundo, num circa nodos, vel limites, Boreum nempe vel Auſtralem; circa abſides, aut in punctis intermediis tum temporis viſa fuerit; reliqua omnia ex his, vel ex Ephemeridibus, vel ex animadverſionibus, & notis patebunt. Videris præterea tibi perſuadere, maculam illam, quam tu mare Caſpium, ego verò paludem Mœotidem nomino, ſemper unam, eandemque tam figuram, coloremque præſeferre; longe autem aliter experientia, obſervationeſque teſtantur; ſcis enim propter motum illum librationis, nunc maculam prænominatam eſſe viciniſſimam limbo, nunc ſatis etiam longe abeſſe; in priori diſtantia longe tenuior, acutior, debilior, languidiorque quoad colorem obſervatur, in poſteriori verò multo latior, obtuſior, nigricantior, vividiorque ſpectatur. Hujus rei rationem ex Opticis in promptu habemus: Quo obliquius enim quid ſpectatur, eò magis comprimitur, coarctatur, minuſque videtur; quo autem directius opponitur, eò magis dilatatur, extenditur, atque perfectius conſpicitur; hinc patet, cum Palus Mœotis circa maximam librationem, vel elongationem a limbo verſetur, cur obtuſior, nigricantior, vividiorque appareat, ſicut in viciniſſima diſtantia quo vicinior, eò tenuior, debilior, acutiorque cernitur. Hæc mutatio de die in diem creſcente Luna, præſertim quando macula eſt viciniſſima limbo, variatur. Quam variationem etiam, quantum fieri licuit, pro viribus expreſſi, cujuſmodi exemplum, quod circa librationem maximam obſervatum eſt jam antea a me accepiſti, & ut habeas etiam phaſim aliquam circa minimam remotionem, ſeu potius intermediam, ecce tibi offero Lunam falcatam, ex qua differentiam videbis tam formæ, quam coloris paludis Mœotidis (quamvis hæc palus adhuc tenuior certo tempore conſpiciatur) ſimulque cognoſces, me illa lucida puncta ultra cuſpidem auſtrinam, ac in ipſo limbo equidem vidiſſe, & obſervaſſe; quod autem in Phaſibus prioribus non fuerint annotatæ, tempori adſcribendum, quod minime tum affulſerint. In Phaſibus delineandis huic rei inprimis operam dedi, ut omnia punctula, quæ ſolummodo conſpexerim, annotare minime intermiſerim, nec unquam ullas inæquabilitates, tam in ſectionibus umbræ, quam circumductu macularum volens prætermiſerim, quas ſaltem depingere, & adumbrare licuit, ubi autem nullæ inæquabilitates repertæ (uti ſæpiſſime contigit) ibi quoque nullas delineavi, nam nihil quidquam fingere, ac pro libito apponere volui. Videtur porrò circumductus Paludis Mœotidis paululum laceratior pingi debere; fateor interdum ſuperius, atque inferius lacerationem me conſpexiſſe, ac delineaſſe, ſicut in poſterum patebit, attamen non ſemper æquè diſtinctè conſpicitur. Quod maculas majores tam nigricantes ſculpſerim, id ſummo ſtudio a me peractum, niſi enim ejuſmodi colorandi modum arripuiſſem, nunquam illos diverſiſſimos colores in ſuperficie Lunæ expreſſiſſem, præſertim in Quadraturis, Gibberoſis, & Pleniluniis. Adhæc quod maculæ eædem mihi aliquantulum nigricantiores appareant, quam fortaſſis tibi, hoc fortitudini mei Teleſcopii adſcribo, nam quò fortior tubus, eò partes in Luna luminoſas, clariores, maculas verò nigricantiores, diſtinctioreſque offert. Ceterum gratias tibi habeo ingentes, quod typum Phaſeon quinque Lunarium Antonii Fabri, nun cum tua primaria delineatione tranſmiſeris; ſicuti profecto mihi ſunt cariſſimæ, ita tibi iterum par pari ut referam, unam ex meis decreſcentibus tranſmitto; reliquas omnes, ut & Selenographiam ipſam, quamprimum ad finem fuerit perducta, quod proxima, Deo volente, ſpero æſtate, habebis. Interea ignorare te nolo, me equidem talem primariam Ichnographicam delineationem jam dudum conſtruxiſſe; alias certe labor me oppreſſiſſet, facile autem colligere potes, me ſtatim ab initio, cum obſervationes inſtituerem, talem delineationem nondum habuiſſe, nam per crebras, diuturnaſque obſervationes, & Phaſes permultas illam primum conſtruere, & corrigere oportuit, jam verò talem habeo, præſertim quoad diſtantias, proportioneſque macularum, qualem diu deſideravi. Porrò non parum contriſtavit, operam plane perdidiſſe, quicumque elaborare vitra hyperbolica tentaverint; attamen nondum deſpero, priuſquam id ipſemet expertus, brevi opus illud aggrediar, viâ plane aliâ, quam Carteſianâ. Interea Deum Optimum Maximum precor, ut conatus meos ſecundet. Vitra mea Dioptrica quod attinet, tam utrimque convexum, quam concavum, ex nulla alia ſectione, quam ex Sphærica, niſi quod ſumma diligentia ſint elaborata; convexum quidem ex ſegmento Sphæræ magnæ, cujus radius æquatur pedibus 6. Gedanenſibus, qui ſe habet ad pariſienſem Regium, ut 904. ad 1055. Concavum itidem ex ſectione ſphærica, cujus diameter circiter ex $4\frac{1}{2}$, pollicibus conſtat pariſienſibus. Rogas inſuper, ut tranſmitterem par vitrorum meorum, quorum auxilio experiri liceat deradiationem Fixarum, quod lubens, volenſque promitto, quamprimum duntaxat occaſio perferendi ſe exhibuerit, ac tantillum otii a Selenographicis laboribus reliquum erit: Interea quo idipſum etiam abſque meis vitris, ſolummodo per tuum Teleſcopium praſtare poſſis, modum tibi communicabo: Hic modus quamvis ſit facillimus, reſque parvi momenti ſcienti, uti apparebit, nihilominus ne divulgetur priuſquam Selenographia mea in lucem prodierit, rogo. Conſiſtit plane, ut brevibus me expediam, in radiorum coarctatione, illorumque adventitiorum abſtractione, & luminis ſuperflui prohibitione; quod fieri feliciter poterit, ſi convexo foramen minutulum certæ proportionis, alio aſſitato ſuperimponas. Neceſſe autem, ut habeas in promptu foramina aliquot diverſæ magnitudinis, alio enim, aliquantulum nempe minori uti oportet ad Stel-


præ-

Digitized by Google

las primi honoris, præſertim lumine vividiore præditas, alio paululum majori ad Stellas tertiæ, quartæ, vel quintæ magnitudinis, nempe debiliores. Si ſcirem, qualis, & cujus fortitudinis tuus eſſet tubus, certam quantitatem foraminis determinare poſſem; hoc cum minime conſtet, idcirco prima vice hujus circiter magnitudinis foramen applies,



quod ſi nondum ſufficienter radios adventitios abſtrahat, cum alio, atque alio minori fac periculum, uſque dum veram deſideratam inveneris



proportionem; certiſſime ſcio, ſi tubus opticus ſaltem tantæ erit fortitudinis, ut Joviales diſtincte repræſentet, non ſolum te Stellas Fixas rotundas, majoreſque, ſed & Martem, ac Mercurium rariſſimum hoſpitem (quod multoties expertus) qui alias vix unquam abſque crinibus cernuntur, conſpecturum, fabulamque meram eſſe deprehenſurum, Martem ſpeciem alicujus montis cum cingulo rotundo colore ad invicem proxime accedente referre; quod autem Neapolitano nobili ita apparuerit lumen ſuperfluum, & radii adventitii id cauſarunt. Hoc notandum aperturam tubi nihil decreſcere, ſed tam Joviales, quam Jovem, Saturnum, Lunamque ipſam, licet ſint longe viciniores, minime conſpici poſſe per illa minora foramina, ſed Fixas ſaltem Martem, Venerem, & Mercurium, de quibus fuſius inpoſterum in prænominata Selenographia; cum itaque per modum indicatum Fixas contemplatus fueris, quæſo judicium de illarum magnitudine diametrorum, & quidquid inſuper notatu dignum occurrerit, communicare haud graveris, ſicuti gratiſſimum mihi feceris, ita nullam iterum occaſionem prætermittam tibi inſerviendi. Vidiſti proculdubio cenſuram Lobkovvitzii, in qua annititur obſervationes Rheitanas conſervare, verum cum ſuis propriis argumentis, contrarium demonſtrari haud difficile poſſet; quid de illius circum Saturnales, & circum Martialea ſentias, quæſo fac me certiorem: ego ut verum fatear, nullas Erraticas novas, tam circa ♄, quam ♂ invenire poſſum, ſed Fixas novas hactenus incognitas circa illos quotidie quamplurimas, quales obſervationes non paucas paratas habeo, ſi tu nihil amplius ad cenſuram illam replicare decreveris, fortaſſis pro mea tenuitate aliquid in medium proferam, ut cuique pateat R. P. Antonium de Rheita nullos novos Errones hactenus inveſtigaſſe; gratum eſſet, ſi oculus ejus Enochiinus tandem in lucem prodiret, de quo num aliquid tibi conſtet, fac ut ſciam rogo. Quod ſupereſt commendo tibi majorem in modum optimæ ſpei juvenem Joan. Heckerum Dantiſcanum Conſobrinum meum, rerum Mathematicarum aliàs amantiſſimum, quem ſpero brevi ex Hollandia Galliam petiturum; qui uti certiſſime te ſalutatum veniet, ita rem mihi non ſolum feceris gratiſſimam, ſi illum amicitia, benevolentia, & humanitate tua complecti non dedigneris, ſed tum me, tum illum ſummo beneficio in perpetuum tibi devinxeris. Plurima ſalute ſalvere jubebis Nob. Dan. Aubertum, ac celeberrimum Bullialdum, quem ut & te non minus officioſe ſalvere juſſerunt clariſſimus Linnemannus, & Eximius noſter Eichſtadius, qui nuper ab ampliſſimo noſtro Senatu hic Gedanum vocatus, tam Matheſin, quam Medicinam in Gymnaſio noſtro profeſſurus. Vale Vir obſervande, & me tui amantiſſimum ſolito more fac proſequare. Dantiſci anno 1645. pridie Nonarum Januarij.

Joannem Hevelium.

Ampliſsimo, & Perilluſtri Domino D. Petro Gaſſendo, Dinienſi Præpoſito, & Domino ſuo colendiſsimo S. P.

PErilluſtris, & clariſſime Vir. Te confidentiſſime adeo, Vir Maxime, ita ſecurus, ac ſi Religio omnem dubitationem excluderet. Vacat Moguntiæ Epiſcopi Suffraganei dignitas, quam mihi per litteras Eminentiſſimus Princeps promiſit; at diploma hæret, & ut audio eſſet gratum Principi urgeri, & ornari a natione victrice. Si dignareris unum quemcunque Principem Gallum (multi honorant Pariſios ſua præſentia) tibi amicum mihi devincire, & ſuadere, ut Electori Principi commendatitias litteras ſcriberet, res eſſet Electori grata, & mihi omnino utilis, & tibi facilis. Tenor Epiſtolæ eſſe poſſet:

Joannem Caramuel omnem promotionem hucuſque habuiſſe ex Gallorum favore, Chriſtianiſſimæ Reginæ Matris mandato ad Diſembergenſem Abbatiam promotum, a Reverendiſſimo Abbate Claravallenſi Vicarium Generalem denominatum a Reverendiſſimo Domino Abbate Morimundenſi ad Diſembergenſem adſumptum, matre Bohema, & Patre Lutzelburgenſi natum, victrici nationi amicum, dignumque, ut ſua Eminentia commendetur, ut ad Suffraganei dignitatem promoveatur, &c.

Sed & tuas, eximie, & perilluſtris Vir, ad eundem Principem Moguntinum in eundem ſenſum ſcriptas adjunge; viros enim doctos ipſe diligit, & tu in ejus opinione, vel me reſtificante, doctiſſimus: Rem præſtabis candore tuo digniſſimam, meque æternum jam tibi devinctum novo favore obſtringes. Vale. Francofurti ad Menum 25. Jan. 1645. volanti calamo.

Eximiæ, & Per-illuſtris Dominationis tuæ addictiſſimus ſervus,
J. Caramuel Lobkovvitz,
Abbas Diſembergenſis.

Eruditorum optimo Gaßendo ſuo.

M. NEURÆUS S. P. D.

JAm nunc tibias ocreis libero, Vir maxime, ut actutum epiſtolari officio me apud te liberem. E Maſſilia redeo, quo me miſerat Illuſtriſſimus noſter Campinius Regis, & Regiorum obſervantiſſimus ſi alius unquam. Litteras acceperat a Supremo Galliarum Cancellario, quibus eum monebat Vir ſummus, ut ſi qua poſſet jacturæ, quam ſe paſſum iri metuebat, intercederet. Quærebatur ſe per Eoum Orbem peritum emiſiſſe Virum, qui ſibi manuſcriptos græcos conquireret, ſed fruſtra, quia conquiſitos in Galliam tranſmittere nequiret; reſciviſſe

tamen

tamen quoſdam cjus notæ libros Maſſiliam advectos, quos ſibi deſtinatos augurabatur, jamque proſtare venales, & ni quis mature occurrat, periculum eſſe ne diſtraherentur. Hos ego jampridem ſubodoratus, me revelaturis emptorem ſpoponderam. Sed quis venditor ſibi forte nonnihil ſycophantiæ conſcius erat, altiſſimo in poſterum ſilentio mercem premere tutum duxit, donec tandem alios ſubinde, & clam quæritando emptores ipſi Domino præter ſpem aperuit, non penitus tamen; verum ego rem, ut opinor, confeci, & quam nulla hactenus ſagacitate veſtigare potui, arte nunc, aut aſtu texexi: Urbem ingreſſus Bibliopolam mihi utcumque notum compellavi, tanquam aliquid Librorum licitaturus. Ille roganti mihi nunquid novi? nunquid vetuſti? repoſuit ſe nihil inpræſentiarum habere; ſcire tamen ubi manuſcriptorum græcorum laudabilis congeries venalis eſſet, at non ſibi, quia nimio: Mihi ergo, inquam, ſi luſtrari codices alicujus eſſe momenti aperueris. Ille continuo ſe mihi ducem offerr, accipio, ſequor, & ignotos verundatoris tectum ſubeo, qui audita adventus mei cauſa, extemplo voluminum fecit mihi copiam. Vidi, ſumpſi, & evolvi, at non qua optaviſſem accuratione, quia non aliam librorum peritiam fateri volebam, quam quæ Librario mercatori congruere viſa mihi; tum quod Tractatuum Elenchus, quem excerpere velle cauſabar, mihi ſtatim oblatus eſt barbare quidem adſtructus, ſed illuſtrando negotio non omnino ineptus. Rumor eſt actuariam navim, quæ horum ſagma Librorum vehebat, in Piratas Corſos incidiſſe, qui, diſtributa inter ſe præda, partem hanc, ut infrugiferum ſibi mercimonium conſortibus ſuis Maſſilienſibus remiſerunt.

Hæc autem omnia præfari libuit, ut fidem facerem quamminimum ſuperfuiſſe temporis multa de noviſſimo Lunæ defectu tibi ſcribere; paranti illuxit tandem Eclipſeos dudum expectatæ dies, non modo, ut optaveramus, ſerena, ſed etiam ſupra votum limpida, adeo ut quem inſuperabilem dixeram antecedentium nitorem longe ſuperaverit. Cœli nunquam magis aperta facies, nunquam aura blandior, nec aſperius quidquam habuit, quam torrentiorem pro tempeſtate Solem, qui jam per menſem hic æſtivis prope ſævit fervoribus, non ſine præcocium frugum labe, ſi nocturni frigoris rigor minus diurnos temperaret æſtus.

Locum autem Uranoſcopiæ peropportunum delegeram ſpeculam bipatentibus feneſtris quatuor adamuſſim cœli plagas admittentem, ſummiſque ſub Aſtra eductam tectis. Illuc conſcenderamus vergente jam Sole, ut orientem Lunam anteverteremus; ſed ubi Aſtronometrum quadrantem expedivimus humilior feneſtra apparuit, quam ut liberum per Diopteram quantum ſatis exaltandam ſineret prætertendere oculum. Hinc ideo confeſtim digreſſi, ad Peireſcii tui properavimus ædes, amicis tuis nunquam non patentes. Olympum illico ſcandimus tibi, & deſignatione tua extructum. Ubi Aſtronomica noſtra ſuſtentaculis aptando Solem condidimus, e veſtigio converſi ad Orientem brevi poſt emerſuram oculis per oppoſita montium juga volitantibus venabamur Phœben; quæ tandem ſummam umbonis marginem exeruit, qua Caſpia inficitur macula, tum maxime conſpicua. Et ſenſim integer Μύδρος, ac mirum in modum candicans evaſit; integer quidem, ſed non oculo ſaltem nudo, inferne enim aliquanto verſus Aquilonem abſoluta orbis rotunditas deſiderabatur, & nonnihil reducto ſinu ora illic apparebat obtuſior. Suſpicabar hac adhuc parte latere Sydus, nondumque toto orbe recreviſſe; at ſibi non conſtabat oculus, admoto nempe Teleſcopio ex aſſe reparatam agnoſcebat lampadem, ſed qua truncari prius ſentiſcebat, non ita terſam. Hinc mihi ſuborta ſuſpicio, interiectæ jam tum Telluris umbra affricari, aut viciniori tenebrarum confinio impalleſcere. Conjecturæ ſuffragatus eſt labor illac pedetentim ſerpens, qui manifeſta demum obſcuratione particulam illam labefactare cepit; quo autem momento hic habes in ſubjecta computi recenſione. Non ſine voluptate verò caliginem mirabamur ſe orbiculariter per incrementa diffundentem, ſenſimque ad ſuperiorem diſci limbum enatantem, donec reduci penitus lumine ad maculæ Caſpiæ propiorem evaneſceret crepidinem. Phaſes autem qua potuimus diligentia indagavimus, & Stellarum altitudines eo uſi organo, cujus ſemidiameter quadripedalis eſt, & quilibet gradus in 60. min. dividitur, quodque Capularis amicus tuus Galterius in ipſa ætate jam decrepita extrui curavit, in cujus effœto corpore mens vegeta nihil non adhuc ſcientiarum molitur. Vivat ille, vive tu, nec unquam valere deſine. Aquis-Sextiis 16. Calend. Martii.

Lunæ Eclipſis, quæ contigit anno 1645. die 10. Februarii obſervata Aquis-Sextiis.

digiti.	grad. min.	hor. min.
Nudo oculo deficere prius viſa Cane majore elevato adhibitis	16. 23.	5. 42.
etiam perſpicillis, eodem Cane exaltato	17. 25.	5. 50.
I.	18. 15.	5. 56.
II.	18. 35.	5. 59.
III.	19. 30.	6. 6.
IV.	20. 10.	6. 13.
V.	20. 50.	6. 18.
VI. exacte explorato.	22. 28.	6. 32.
VII.	23. 10.	6. 39.
VIII.	23. 58.	6 47.
IX.	24. 40.	6. 54.
X.	26. 30.	7. 15.
Cane autem majore ſegnius ſe movente ad Procyonem diopera converſa eſt quo elevato grad. 26. min. 30. luci reſtituta fuit Lunæ medietas.		
Ex Dodrante.	49. 10.	8. 26.
Abſolute reſtituta.	50. 48.	9. 0.
Corde etiam Leonis exiſtente in	38. 50.	8. 49.
Lunaque ipſa	39. 0.	8. 56.

Ampliſſimo, & perilluſtri Domino D. Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, Domino ſuo S. P.

AMpliſſime, & petilluſtris Vir. Petii ab ampliſſima dominatione veſtra, ut mihi commendatitias litteras ad Eminentiſſimum Principem Moguntinum procuraret, quod ſi obtentæ mittantur, aliàs potuerunt intermitti, nam quod petebator obtentum jam enim ipſe Vicariatum ſuum mihi contulit, & monitoribus nobis non indiget. Interim ſi quid pro me aut voluerit, aut fecerit gratias immenſas ago.

Eclipſis hîc feliciter eſt obſervata, ſed & Pariſiis fuiſſe puto. Meus Amanuenſis tardus eſt, & qui curnua militaria audire, & ſcribere neſciat; illam tamen prout a nubis viſa per primum tabellarium tranſmittam. Epiſtolæ ſecuriſſime veniunt Francofurtum ad Menum. Eò poterit ampliſſima Dominatio tua, ſi quas velit dirigere. Vale optime Vir, & diligere perge. Francofurti 15. Februar. 1645.

Addictiſſimum tuum Joannem Caramuel Lobkovvitz, Denominatum Epiſcopum Miſienſem Sanctæ Sedis Moguntinæ Suffraganeum.

Admodum Reverendo, eruditiſſimoque Viro Domino D. Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito

ANTONIUS FRANCISCUS PAYENUS Univerſitatis Avenionenſis Regens, ac Profeſſor publicus S. P. D.

HUmaniſſimæ tuæ litteræ, quibus me nuper donaſti, eo gratitudinis nexu amorem in te meum devinxerunt, ut ne ingratus diutius videar hunc ingenii fraterni conatum, quantuluſcumque ſit, ad te tranſmittere voluerim, non ut me tibi ex aſſe ſatisfacturum mihi perſuadeam, ſed ut quoddam veluti pignus noſtræ gratitudinis offeram: Novi eam, quæ tibi innata eſt benevolentia, qua muneris pretium ſoles ex offerentis animo potius, quam ex rei merito æſtimare; ſic ſe tibi commendat frater, ut in eo fratrem referat, qui te pari cultu proſequitur, tuamque humanitatis jure depoſcit amicitiam. Eximio San-Legerio, quam mihi ſalutem injunxeras, reddidi, qui te viciſſim ſalutat. Vidi ἐν παρόδῳ ſecundam Philolai partem, ſed ni fallor non æquat primam, aut, ut verius loquar, nec dum mihi per otium licuit eam, ut decet, attentius expendiſſe: Vale, & me, fratremque, qui te ſalutat animitus amore proſequere. Avenione 9. Calend. Maij 1645.

Celeberrimo, clariſſimoque Domino D. Petro Gaſſendo
HENRICUS BORNIUS S. P.

IMmane quantum doleo, ſumme Vir, quod provinciam, quam in me ſuſceperam, procurandæ ſcilicet impreſſionis Epiſtolarum tuarum, mihi ornare non licuerit: Unum eſt, quod

me

me conſolatur, me nimirum officio meo non defuiſſe, litteris, amicis, iiſque alicujus etiam auctoritatis ſæpius uſus ſum, ut Typographos datæ fidei admonerem, imo ter, quaterve ipſe Leydam petii, ut viderem quid ſpei eſſet reliquum, verum comperi homines iſtos ſpecioſa promittere, ſed pauca præſtare. Ne itaque ſolidæ Philoſophiæ amatores meditationibus tuis diutius carerent placuit tum mihi, tum communi noſtro amico D. Heereboordt epiſtolas tuas, ut petis, ad te remittere, ambo ſperantes te pro ſumma tua æquitate, æqui bonique conſulturum, ſi eventus conatibus noſtris non reſponderit: Ego Deum teſtor me majorem diligentiam ne vel ipſi proprio parenti adhibere potuiſſe. Non etiam tibi, mihique defuit optimus noſter Heereboordt, qui ſe Typographorum levitatem, ſi occaſionem nanciſci ipſi datum fuerit, præſertim Elzeviriorum, qui miſere nobis impoſuerunt. vindicaturum ultimis ſuis mihi ſcripſit. Nobiliſſimus juvenis Dominus Turretinus magni parentis magnus filius, illas tibi eſt redditurus, quem quæſo meo non tantum nomine, ſed excellentium præcipue virtutum, quibus præditus eſt, tibi commendatum habeas, non pœnitebis unquam collatorum in illum beneficiorum; jam enim dudum illi nomen tuum ſummo in pretio fuit, majori futurum, ſi incomparabilem illam humanitatem, qua tuam familiaritatem expetentes amplecti ſolitus es, erga ſe experiatur. Carteſius adhuc prope Almariam degit, nocte, dieque abſque intermiſſione rerum naturam ſcrutans, verſatur in animalium, herbarumque indole explicanda, promittis ſe omnia per ſua principia Mundo jam nota explicaturum, ita ut tota philoſophantium cohors videat, quantis in tenebris Ariſtoteles, illiuſque Sectatores rerum naturam involverint. De reſponſione ad refutationem tuam ne verbum quidem amplius loquitur. Dominus Regius Vir ſummus in Phyſicis ante dies aliquot ipſum ſalutatum ivit, qui petiit ab illo, ut vellet ſcriptum tuum refutare; ſe certum eſſe, quod ſi demonſtrare poſſet rationes tuas nullius eſſe momenti, magnam famæ illius partem additum iri; verum dixit ſibi ad illud non ſatis jam eſſe otii, ſeque aliis, iiſque præſtantioribus curis occupatum eſſe. Poſtquam ſcriptum tuum in omnium manibus verſari cepit, tam altum de ipſius Metaphyſicæ laudibus ſilentium, ut putares ſomnium eſſe, illam tantis acclamationibus olim exceptam fuiſſe. Fama eſt Lobkovvitz aliquid etiam contra Carteſii Metaphyſicam edidiſſe, ſed quid præſtiterit nondum licuit examinare. Antequam finiam, te ſumma animi cum veneratione rogo, atque obteſtor, ut mihi amorem continues; dabo operam, ut quoad fieri poterit me illo dignum præſtem. Litterarum commercium jam aliquandiu intermiſſum quæſo reiteretur, ut hic ſaltem liceat calidiſſimum, puriſſimumque illum in te affectum, quem ſumma tua, qua me amplexatus es humanitas, incomparabiliſque tua virtus tibi peperit, in ſinus tuos effundere. Vale magne Vir, amicitiæ meæ dulce decus, & me amare perge. Dabam Tolutim 16. vel 26. Junii 1645. Ultrajecti.

Quæſo, niſi grave eſt, mihi ſcribas ubi communis noſter amicus optimus Martellus jam degat, ut intermiſſum litterarum commercium cum ipſo redintegrare poſſim; tantam enim nobiliſſimi juvenis virtus ſui animo meo impreſſit memoriam, ut nulla dies mihi vix prætereat, quin grata ipſius olim converſatio mihi non obſervetur. Iterum vale.

Reverendo, ac nobiliſſimo Viro D. Petro Gaſſendo S.

ADmodum Reverende, ac nobiliſſime Domine. Perquam abunde commendationi R. D. tuæ gratia Principis Illuſtriſſimi reſpondit. Quod quo genere officii R. Dominationi tuæ compenſem in curta ſupellectile non invenio; ſaltem ut arbor infructifera fertili ſolo excepta, qua foliorum viriditate, qua umbræ opacitate plantatori ſuo placere conſuevit; ſic ego immerita Reverendæ Dominationis tuæ opera in gratiam Illuſtriſſimi Principis inſertus, cum dignos gratitudinis fructus referre nequeam, ad minus leviſſimorum officiorum promptitudini non indormiam. Quod verò tibi fautori, & benefactori meo gratias agam ſerius haud negligentia, ſed partim itineris mora, partim repentina corporis ex caloribus hujus patriæ intenſiſſimis orta mutatio; partim denique Illuſtriſſimi Principis votorum de me ignorantia, non animum a propoſito, ſed manum tardavere a calamo. Nunc verò ſtatus mei gnarus commoda potius occaſione humillima obſequia, meque ipſum ſingulari favori, ac benevolentiæ Reverendæ dominationis tuæ commendo; cujus ut ſuaviſſima, & deſiderabili præſentia quantocius frui poſſim ex animo opto, Deumque precor. Aquis-Sextiis, 1645. Auguſti

Admodum Reverendæ, ac Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ obſequentiſſimus, ac minimus Joannes Michael Ongevigni Roxlanus.

Clariſſimo Viro Domino D. Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, ac in facultate Theologica doctori eximio

ANTONIUS FRANCISCUS PAYENUS S. P. D.

REus ſane extitiſſem, niſi te de diſceſſu, quem meditor Romam, ab Univerſitate noſtra Legatus pro rebus Collegiorum alendis Sabaudis ſcholaribus fundatorum certiorem redderem. Hinc ad Calend. Septembris expectabo lubens hic Avenione, donec quæ mihi illuc agenda, obſequii tui cauſa ſignificaveris, qui tibi ea aſſe addictus vivo. Interim quia decet, amicitiæ Lege omnia tecum eſſe communia, tibi legales has, quas huic epiſtolio junxi Theſes, offero, quibus inſpicias, ac legas primos contentioſæ noſtræ juriſprudentiæ conatus in lucem editos, contra quas Archiepiſcopus noſter, ac Prolegatus publice argumentatus eſt, quod non tam ceſſit in admirationem inſignis, qua tantus Præſul coruſcat eruditionis, quam in laudem noſtrarum Theſeon, ac omnium communem applauſum. Neſcio an oratiunculam de B. V. Annunciatione a Fratre meo editam, & Cardinali Sfortiæ dicatam acceperis a menſe Majo proxime elapſo, quam alicui è meis amicis conſignaveram; utcumque ſit, ſpero, quod ſingularis tua, ac continua benevolentia nuſquam erit mihi defutura. Vale, & vive mihi, Univerſitati noſtræ, & toti demum litterariæ Reipublicæ. Datum Avenione 19. Calendas Sextiles 1645.

Admodum Reverendo, atque clariſſimo Viro Domino D. Petro Gaſſendo S. P.

Litteræ tuæ expectatiſſimæ Calendarum Aprilis Pariſiis datæ, Vir admodum Reverende, non ita pridem mihi traditæ ſunt una cum exoptatiſſima Aſtronomia Philolaïca, & Ariſtarcho, quibus me donare voluiſti; quamobrem non ſolum gratias tibi ago quas poſſum maximas, ſed & omnem adhibebo operam, ut hanc erga me benevolentiam prima data occaſione recompenſare poſſim. Rem mihi quoque feciſti gratiſſimam, quod me participem reddere volueris accuratiſſimæ obſervationis Eclipſeos lunaris; Utinam Cœlum nubiloſum tum temporis hanc eandem obſervationem hic apud nos non impediviſſet, animo lubentiſſimo illam iterum tranſmitterem! verum nihil quidquam; propter aërem continuo turbidum, tum hic, tum Stetini Pomeranorum, tum Regiomonti Pruſs. obſervatum. Interea ut aliquo modo nihilominus par pari referam, en tibi obſervationem Eclipſeos ſolaris nuperam, hic Dantiſci a me adminiculo Teleſcopii peractam, una cum typo ejus æri inciſo, ex quo videre licebit, quas, & quot Phaſes Cœlum indulſerit; animus quidem erat, in quolibet quadrante cujuslibet digiti Phaſes, & tempora annotare, altitudinemque Solis per quadrantem meum Orichalcicum ſeſqui-cubitalem ſingula minuta monſtrantem inveſtigare; verum nubes denſiſſimæ Solem ſæpiſſime obvelantes intentionem meam perturbabant, ita ut præter has nullas obſervare potuerim, quas autem licuit, ſumma ſcio diligentia eſſe peractas. Inſuper ſimul communico obſervationes ejuſdem Eclipſeos Virorum Clariſſimorum, Doctorum nempe Eichſtadii, & Domini Linnemanni, quæ nuperrime ad manus venerunt, ſpero tibi obſervatori vigilantiſſimo haud fore ingratas. Si modo antehac perſcripto periculum feceris Stellas Fixas abſque crinibus, & radiis adventitiis detegendi, rogo iterum quam officioſiſſime judicium tuum hac de re data occaſione ut percipiam. Obligare me quoque poteris, ſi me certiorem feceris, num Claudius Mydorgius quatuor poſteriores libros de ſectionibus Conicis in lucem ediderit. Præter hæc nihil occurrit ſcriptione dignum, niſi quod te non neſcire velim Clariſs. Dominum Laurentium Eichſtadium, qui te plurimum ſalvere juſsit, ante aliquot dies habitationem ſuam hic Dantiſcum tranſtuliſſe, cum vocatus ſit ab ampliſsimo noſtro Senatu profeſſionem tam Medicam, quam Mathematicam ſuſcipiendam, cujus adventus mihi præ ceteris gratiſsimus, quod amicitia ejus amabili coram frui dabitur occaſio. Celeberrimo, ac doctiſsimo Bullialdo meis verbis ſalutem impertiar velim, quæque iu me proficiſci poſſunt omnia pollicearis, ac deferas, cui multum me debere profiteor, quod exteras gentes Aſtronomia ſua Philolaïca inſertum meum nomen innoteſcere voluerit. Vale, & tui amantiſsimum viciſsim ama. Dabantur Dantiſci die 7. Iduum Septembris, anno Chriſti 1645. St. N.

Joannem Hevelium.

Obſervatio Eclipſis Solaris in Stetino veteri Pomeranorum inſtituta, quæ accidit anno Æræ Chriſtianæ 1645. die 21. Auguſti, per doctiſſimum Eichſtadium.

Tempus in horis a minutis.		Phaſes in digitis. ſeu punctis Eclipticis.
hora	min.	Digiti.
XI.	8.	Principium Eclipſis Solis.
XI.	15.	1.
XI.	22.	2.
XI.	30.	3.
XI.	37.	4.
XI.	45.	5.
XI.	55.	6.
XII.	6.	7.
XII.	16.	7½.
XII.	25.	7.
XII.	35.	6.
XII.	48.	5.
XII.	56.	4.
	3.	3.
	10.	2.
	17.	1.
	24. Finis Eclipſis	0.

Obſer-

Obſervatio Novilunii Ecliptici Regiomontana M. Alberti Linnemanni, anno 1645. die 21. Auguſti.

Ob Horologium rectificandum obſervatæ ſunt altitudines Solis ſequentes.

Cum Sol eſſet altus grad. min.	Horologium, quod ſingula minuta habet commonſtrabat. hor. min.	
42. 30.	X. $19\frac{1}{2}$.	
43. 35.	X. $33\frac{1}{3}$.	verior.
44. 35.	X. $45\frac{2}{3}$.	
44. 45.	X. $49\frac{1}{3}$.	
45. 45.	X. 3.	variab.
46. 45.	XI. 19.	Margo ſuperior.
46. $47\frac{1}{2}$	XI. 22.	Margo ſuperior.
47. $17\frac{1}{2}$	XI. 38.	Centrum.
47. $47\frac{1}{2}$	XII. 24.	
46. 10.	XII. 42.	Margo inferior
46. 0.	XII. 50.	Margo inferior.
45. 45.	XII. 56.	Margo inferior
44. $47\frac{1}{2}$	I. 9.	Margo inferior.
43. $47\frac{1}{2}$	I. 25.	Margo inferior.
43. $12\frac{1}{2}$	I. 31.	Margo inferior.
42. 55.	I. $33\frac{1}{2}$.	Margo inferior.
41. 55.	I. 45.	Margo inferior.
41. 40.	I. 49.	Margo inferior.
39. 20.	II. 11.	Centrum.
39. 30.	II. $12\frac{1}{3}$.	Centrum.
39. 40.	II. $17\frac{1}{4}$.	Margo inferior.
36. 30.	II. $38\frac{1}{2}$.	Centrum.

Horologium anticipat minutum unum in ſingulis obſervationibus, ex. gr. cum Sol eſſet altus grad. 42. min. 30. Horologium monſtrabat horam X. & $19\frac{1}{2}$. min. erit ergo hora X. & $18\frac{1}{2}$. minut. & ſic in ceteris.

Quæ hîc dicuntur margo ſuperior: margo inferior, centrum reſpiciunt gradus, ac minuta altitudinum Solis in ſiniſtra parte poſitarum.

Cum obſcurati eſſent Horologium monſtrabat.

digiti.	hor. min.	digiti.	hor. min.
$1\frac{1}{2}$.	XI. 48.	8.	XII. 47.
2.	XI. 53.	$7\frac{1}{2}$.	XII. $55\frac{1}{2}$.
$2\frac{1}{2}$.	XI. 55.	7.	I. 3.
3.	XI. $58\frac{2}{3}$.	$5\frac{1}{2}$.	I. 18.
4.	XII. 6.	5.	I. 23.
$5\frac{1}{2}$.	XII. $18\frac{2}{3}$.	$4\frac{1}{6}$.	I. 27.
6.	XII. $24\frac{1}{2}$.	4.	I. 31.
$6\frac{1}{2}$.	XII. 28.	$3\frac{1}{2}$.	I. $33\frac{1}{2}$.
7.	XII. 33.	3.	I. 37.
$7\frac{2}{3}$.	XII. 41.	2.	I. 45.
		$1\frac{1}{6}$.	I. $47\frac{1}{2}$.
		$\frac{1}{6}$.	I. $55\frac{2}{3}$.

Plurimæ nubes perpetuo intervenerunt, hinc finis conſpici haud potuit.

Ecli-

Eclipſis Solis obſervata Gedani Anno Æræ Chriſtianæ 1645. die 21. Auguſti.

Creſcentis obſcurationis

Phaſes. Initium.	Secundum accuratum ſciatericum lineæ Meridianæ applicatum.			Altitudo Solis quadrantem orichal. ſeſquicubitalem.			Tempora inde ſupputata.		
digiti.	hor.	min.	ſec.	grad.	min.	ſec.	hor.	min.	ſec.
	11.	23.	45.						
$\frac{1}{6}$.	11.	27.	0.						
	11.	31.	30.	47.	15.	0.	11.	31.	6.
1-$\frac{1}{6}$.	11.	33.	30.						
2.	11.	38.	0.						
2 $\frac{1}{3}$.	11.	42.	30.						
3 $\frac{1}{6}$.	11.	45.	30.						
4 $\frac{1}{4}$.	11.	56.	0.						
5.	12.	1.	30.						
5 $\frac{1}{2}$.	12.	7.	30.						
6.	12.	11.	30.						
6 $\frac{1}{3}$.	12.	16.	30.						
6 $\frac{2}{3}$.	12.	21.	0.						
7.	12.	22.	0.						
7 $\frac{1}{8}$.	12.	25.	0.						
7 $\frac{1}{6}$.	12.	27.	0.						
7 $\frac{1}{3}$.	12.	30.	0.						
7 $\frac{1}{2}$.	12.	31.	0.						
	12.	36.	30.	47.	0.	0.	12.	37.	13.
7 $\frac{1}{2}$.	12.	41.	20.	46.	50.	0.	12.	41.	52.
Decreſcentis obſcurationis.									
7 $\frac{1}{2}$.	12.	45.	30.						
7 $\frac{1}{4}$.	12.	50.	40.						
7.	12.	54.	45.						
6 $\frac{1}{2}$.	1.	1.	50.						
6.	1.	6.	0.	45.	40.	0.	1.	6.	8.
5 $\frac{1}{4}$.	1.	8.	30.						
5 $\frac{1}{2}$.	1.	12.	20.						
5.	1.	15.	30.	45.	5.	0.	1.	45.	36.
4 $\frac{1}{2}$.	1.	20.	0.						
4.	1.	23.	45.	44.	20.	0.	1.	24.	25.
3.	1.	31.	30.						
1.	1.	47.	30.						
$\frac{1}{6}$.	1.	49.	0.						
Finis.	1.	53.	0.						
	1.	56.	0.	41.	55.	0.	1.	55.	50.
	2.	26.	0.	38.	46.	0.	2.	26.	40.
	2.	30.	0.	38.	24.	0.	2.	30.	0.

Admodum Reverendiſsimo, ac Nobiliſsimo Viro Petro Gaßendo S.

ADmodom Reverende, ac nobiliſsime Domine. Prima Epiſtola gratitudinis, & obſervantiæ meæ erga Reverendam dominationem tuam teſſera benigna fronte potuit admitti; ſecunda ne importunitatis anſam habeat vereor: Reverendæ enim dominationi tuæ rerum graviſſimarum occupationi intentæ, accerſere levioris nugotii laborem eſt plane eſſe importunum; verum importunitatis venia ab innata tua humanitate impetrata, votorum meorum deſiderium aperio. Paucis ante diebus incidi in humaniſsimum, & doctiſsimum Dominum Neuré, quem cum poſt mutuam ſalutationem, & amicum colloquium ex numero, Reverendæ Dominationis tuæ intimorum intellexiſſem, quamvis ab eo multa benevolentiæ, ac humanitatis ſymbola expertus ſim ſæpiſsime experiar; ad illius tamen bonum animum magis promerendum, humaniſſima Rever. Dominat. tuæ commendatione opus exiſtimavi; quam humillime expeto, & avide expecto; Aulicus enim ex improviſo factus ducentium, & trahentium aulæ fatorum non neſcius tempeſtive de aſylo providen-

dum ſtatui; quod quidem licet principale, ac ſingulare in liberaliſſimo R. D. T. patrocinio audeam collocare; tui tamen amiciſſimurum gratia quoque officioſu obſequio reſtat invitanda. Nec dubito quin votis meis beneficentiſſima R. D. T. voluntas faveat; qui enim vivam, ſempirernamque in pectore meu R. D. T. imaginem, nec mutum in ore nomen quuridie ſtudeo retinere; beatum me ſure autumu, ſi boc idem ceteris etiam optimæ nute huminibus debere te auctore valeam. Aquis-Sextiis Sept. 20. au. 1645.

Obſervantiſſ. & obſequentiſſ.
I. M. Ugevigni.

Reverendo admodum, clariſſimoque Viro D. Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito digniſſimo

GOTTIFREDUS WENDELINUS S.

Magna fuit illa pernicitas [virorum maxime] quæ literas tuas poſtridie lunaris deliquii datas intra octiduum, hoc eſt, ad 19. Februarii mihi tradidit in manus, lentior fuit mora, quæ alteras extremo demum Maju pertulit. Reſpondere utriſque diſtuli hactenus, dum Bullialdi liceret Aſtronomiam inſpectare, de qua inaudieram, quæque nonniſi curſim eſt mihi viſa; dumque præſtolarer Eclipſim ſolarem, ut ſimul transderem quidquid tibi gratum ſore judicarem. Et quidem ad tuam lunarem Eclipſim quod attinet, eam ego Hercii ubſervavi, ſi unquam ullam aliàs accuratiſſime. Cum ſub occaſum Solis omnia compoſuiſſem, Horiſonium jam affabre correctum, ſciotericum ſeſquipedale, Clepſydras duas, Teleſcopia quatuor, Schemata duo cum variarum magnitudinum ſemicirculis umbralibus, adeſſentque in area mei cœmeterii ſpectatores ſupra 50. viri, juvenes, adoleſcentes, ne meis oculis fiderem, ſaveret verò Cœlum defæcatiſſimum, Sole jam Horizontem attingente (hoc eſt, ſine refractione jam infra eum depreſſo) hora utique 4. minut. 48. emiſſa eſt in fluxum Clepſydrarum altera, qua fluente dudum poſt auditam hor. 5. min. 15. una cum hor. 5. min. 20. limbus inferior ad ſiniſtram viſus eſt imbui colore peregrino luteo illo, ſive autem Xerampelino; quo magis, magiſque invaleſcente, manifeſte pars illa cepit temerari, ac rubore quodam ſuffundi, donec poſt 10. minut. ſonante hora 5. minut. 30. poſt muſſatum ſæpius habet, jamdudum limbus hebetatus fuit lurore pallido, ac fuſco.

hor.	min.		digiti.	Culminationes.	Hor. Pariſ. hur.	min.
5.	35.	Pallor vergere cepit in fuliginem craſſiorem.				
5.	41.	Fuligo denſior magis, magiſque viſa intendi.		Juppiter.	5.	23.
5.	45.	Fuligo denſiſſima, limbus adhuc conſpicuus.			5.	27.
5.	47.	*Merum, ac verum initium.*		Medis Plejas.	5.	29.
5.	48.	Verſa utraque Clepſydra primum.	$\frac{1}{2}$.		5.	30.
5.	53.	Sextana Peripheriæ. Obſervatio certiſſima.	I.		5.	35.
6.	0.	Quinta pars circuli lunaris.	II.		5.	42.
6.	$1\frac{1}{2}$	Quadrans ferme circuli certiſſima obſervatio.	II$\frac{1}{2}$.	Palear. ♉		
6.	6.	Plus quadrāte deficiēs obſcuriſſima	III.		5.	48.
6.	15.	Plus triente Peripheriæ.	IV. $\frac{1}{2}$.		5.	57.
6.	20.	Pars deficiens atra valde præciſe.	V.		6.	2.
6.	29.	Nondum ſemis Peripheriæ.	VI.		6.	11.
6.	30.	Cuſpides in perpendiculo Pariſiis.	VI$\frac{1}{2}$.		6.	12.
6.	36.	Cuſpides mihi in perpendiculo.	VII.	Aldebara.	6.	18.
6.	37.	Digiti VII. magis præciſe.			6.	19.
6.	45.	Plus ſemicirculo. Pars deficiens atra valde.	VIII.	fere.	6.	27.
6.	48.	Verſa Clepſidra iterum.	VIII.		6.	30.
7.	0.	Fides Horiſonio ex ſcioterico, vix	IX.		6.	42.
7.	12.	Cornua Parallela Eclipticæ.	IX$\frac{1}{2}$.		6.	54.
7.	18.	Cornua Parallela via lunari, & arcus per centra tendebat in pectus Leonis, unde *Medium ipſiſſimum*, & digiti $9\frac{1}{2}$. accurate admodum obtenti.	IX$\frac{1}{2}$.		7.	0.
					1.	1.
7.	$27\frac{1}{2}$	Digiti $9\frac{1}{2}$. ad ſummum certe non amplius.	IX. $\frac{1}{2}$.	Siniſter humerus Orionis.	7.	$9\frac{1}{2}$

Omni-

				Culminationes.	Hor. Pariſ.	
hor.	min.		digiti.		hor.	min.
7.	30.	Digiti 9. tantum indicati ſunt, & quod mirati ſumus omnes, tantillo incremento luminis tantillo decremento deliquii, jam Lunæ fulgor ſplendebat auctior, diſcrimine claritatis manifeſto in rebus adſpectabilibus.	IX.		7.	12.
7.	36.	Obſervatio digitorum certiſſima non toti.	IX.	Caput Orionis.	7.	18
7.	45.	Cuſpides in Baſiliſcum.	VIII.		7.	27.
7.	48.	*Verſæ Clepſidræ tertium* digiti ſatis præciſe.	VIII.			
7.	56.	Semis Peripheriæ obſervatio certiſſima. Confide	VII½.	Humerus dexter	7.	38.
8.	0.	Fides rurſum Hortſonio ex ſcioterico.	VII.		7.	42.
8.	8.	Obſervatio certiſſima digitorum paulo minus.	VI.		7.	60.
8.	15.	Obſervatio certiſſima digitorum ſatis præciſe.	V.		7.	57.
8.	22.	Certiſſima obſervatio digitorum ſatis item præciſe.	IV.		8.	4.
8.	30.	Satis bona. Utique non amplius quam	III.		8.	12.
8.	37.	Optima. Minus aliquantillo, quam	II.	Pes Geminorum.	8.	19.
8.	43.	Digitus ultimus ſatis præciſe denotatus.	I.		8.	25.
8.	45.	Plus ſemiſſe digiti, paulatimque fere finis. Dum interim muſſatur inter ſpectatores. Nondum. Nondum. Nondum, adhuc, adhuc, aliquid, aliquid, aliquid, ac denique.	0½.		8.	27.
8.	49.	Tandem exclamatur ab omnibus Actum eſt: *finita jam tertia Clepſidra præciſe*.	0.	Nondum Syrius.	8.	31.
8.	50.	Limbo jam conſpicuo nodis etiam oculis poterat tamen adhuc quibusdam judicari adhuc deficere, iſque haberi finis ſpurius.		SYRIUS.	8.	32.
8.	55.	Fuligo adhuc denſa, ſenſim dilutior			8.	37.
9.	0.	Penumbra paulatim langueſcens, atque evanida, finis ſecundarius ſpurius.			8.	42.
9.	15.	Ultimum veſtigium Penumbræ oculis etiam meis.			8.	57.

Omninò ergo hujus deliquii duratio a prima ejus ſuſpicione ad ſupremum Penumbræ veſtigium tenuit horas 3. min. 36. ab initio ſpurio ad finem item ſpurium hor. 3. minut. 6. a mero initio ad merum finem hor. 3. min. 2. ad ſummum. Quæ rite, ac recte a me ſic obſervata fuiſſe aliunde ecce conſtat.


Leodii doctiſſimus *Linus* obtinuit initium hor. 5. minut. 48. quod [ſi verus ego fui] non excesſerit hor. 5. min. 49. tanta eſt hæcce inter nos conſenſio. Reliquam obſervationem non peregit occupatus precibus tunc quadragenariis indictivis. Antuerpiæ *Gutiſcovius* una cum optimatibus in Ædibus Edelberii magno apparatu huic obſervationi operatus, finem pronunciavit h. 8. min. 45. ad ſummum. Et ſi ſpectatorum alii ſubmuſſarent nondum, nondum, nondum, ac denique ubi omnium conſenſio fuit ſuper fine, oſcilli jactationes adhuc numeravit Præfectus 42. hoc eſt minutum ferme unum, donec culminaret Syrius; ita nemo illic finem extendit ultra hor. 8. min. 49. Ceterum Gutiſcovio pronuntiatus finis ad miraculum conſpirat cum meo. Jam verò & Francofurti ad mœnum *Caramuel* hæc ferme ſcribebat,

bebat, quæ ante iſtod biduum nactus ſum. Uſi fuimus [inquit] inſtrumeuro oſcillatorio [ego dixerim oſcillo] modo ſpeciali approbaro, quod intra horæ ſparium 2818. recorreret. Nam inter horam arbis publicam VI. & VII. dedit oſcillaciones 2816. inter VII. & VIII. 2824. denique inter VIII. & IX. 2816. onde hanc ipſam obſervationem cum prioribus componendo ſecure, ac confidenter ſuppuſui oſcillationes horarias 2818. aut ut plurimum 2819. ſæpius explorata Luna viſa eſt ea rum primum deficere, cum audiretor primos ictus ſextæ. Hinc oſcillationes percurrerunt, & dederunt ultimum Eclipſeos finem oſcillarione 8705. Nam oſcillatione 8700. adhuc percipiebatur nonnihil obſcoritatis in Lunæ limbo ſupra mare Caſpium, & tandem oſcillatione 8710. Eclipſis evanuerat. Sumendo ergo medium 8705. prodiit hora 9. minut. 3. ſec. 13. & tota duratio horarum 3. minut. 3. ſec. 13. Maxima obſcuratio digitorum 10. min. 15. circa hor. 7. min. 30. ſed ne videremur horologio publico fidere tametſi bono, & illa die ſpeciali cora gubernaro juſſimus oſcillaciones procurrere, reperimuſque oſcillatione (quæ ab bora ſexta horiſonij erat) 9000. Dubbeo, & peoultimam Caudæ in eodem azimotho, ſeu perpendiculo, & quia illa oſcillatio dat horam 9. mio. 15. ſec. 18. poterit ex doctrina triangulari tempus judicari. *Hæc ille*. De cujus verbis ego quidem conficio horam revera fuiſſe 9. minut. 12. non amplius; atque ita eepiſſe Francofurti hora 5. min. 57. deſiiſſe hora 9. min. 0. mediumque incidiſſe in horam illic 7. minut. 28. quod cum bercana mea obſervatione conſpirat ad ſtuporem; & quod mihi omni auro eſt carius cum Tabulis meis ſupra votum, & ad miraculum. Eæ ſane momenta hæc omnia repræſentant exqoiſitiſſime, & durationem largiuntur horarum 3. min. 2. omnioo, quod ideo adiicio, quoniam io prænunciatione ad re data neſcio, qoo errorcolo nou niſi horas 3. & minutum ferme 1. collegeram, cum digitis 9. minot. 24. qui tetractatis calculis 9. min. 30. fiunt exquiſitiſſime.

Cererum hæc eom ita ſe habeant, tum illod mihi gratulor, quod vobis Pariſiis jam inde a tertio digito ad ipſom uſque medium omnes Phaſes ita conſpirant cum meis, ot nec ovum ovo ſit ſimilius. Nam initium ipſum poſtumat vobis aliquantillo; qood ego interpretor oculorum conſtitutioni adſcribendum, qui pleoæ Lunæ lumine ſemel perſtricti idolom impreſſum tardius patiuntur expugnari. Unde & eadem ratio finem tardius patitur ſentiri, qui cum vobis debuerit obtineri hora 8. min. 31. vix hora 8. min. 40. ſe inſinuavit. Et ſi hoc intermorium eſt exiguum, & medium deliquii vix ultra hor. 7. min. 4. protelat.

Atque orinam tam prope mecum paria feceritis in Eclipſi 1642. neque doctiſſimus Bullialdus illa deluſus ſibimet illoſerit! Utinam inquam hoc abs vobis impetrare mihi licuiſſet, quò rediretis ad eundem Ædium Thuanarum locum, advocatuti memuriam quiſque veſtram, quibus, ſeo ædibus, ſeu pinnis Templorum imminuerit Luna per unam aliquam Phaſin! certe, ac certo certius deprehendiſſetis initium illius commiſſum Pariſiis hora 11. min. 45. non [quod retuliſtis hor. 12. min. 10. vel uti ex digirorum rationibus eruo 12. minut. 4. Nam ur fidem meam (mihimet ipſi moleſtam) alieno teſtimonio liberem, ecce Gutiſcovius Mathématicus, ut & Medicus ſane egregius, & quod eſt palmatium Mechanicus excellens, com pridie illios diei in area ſuarum Ædium Lovanii diſpoſuiſſet omoia, comparaſſetque lapidem ſatis magnom lævem, ac bene politum, & ad Horizontis planum libellarum, cui induxiſſet lineam Meridianam per alritodines Solares ſemel iterum tertiò, ac ſæpios comprobatam ſumpſit ſibi perpendiculum, umbramque fili accorate cum ſocero ſuo item Mechanico in lapide illo denotavit, ut angulum Azimuthi nanciſceretur, dequo illo tempus admeriretur. Cumque ego poſt aliquantum temporis compos eſſem factus peractæ ab illo totius obſervationis, & induſtriam exoſculatus ſum, & conſenſum inter nos ſupra quam dici poteſt admiratus. Ceterum quam mihi ſchedam tranſdidit, eam ut to quoque examines lubens, volenſque hic repræſento; quam dum traderet Puteano deſtinandam ad me, prorupit in hæc verba. Profecto D. Wendelini calculus feit admirabilis!

Schema, & verba Gutiſcovii.



Meridiana ecce linea eum lineæ umbræ Lonaris intercipiebant angulam grad. 13. min. 10. cum deficerent digiti ſaltem ſeptem, Peripheriæ ſemis ſcilicet. Et quidem ſi Nadir umbram illam daret ſine ulla Parallaxi occidoa, item & latitudinaria in Auſtrum tempus erueretur hor. 0. minur. 45. poſt mediam noctem; at quia decedit quid a centro ombræ ad medium Meniſci, lucem, & umbram fundentis, ona cum Parallaxibus jam memoratis, manifeſtum eſt angulom interceptum non attigiſſe gradus 12. vixque

que etiam 11 $\frac{1}{4}$. ſuperaſſe. Unde conſectarium eſt fuiſſe horam Lovanii o. minut. 39. vel 40. ad ſummum, cum jam deficerent digiti ſeptem, & amplius. Ceperat ergo deliquium hora ſaltem 12. min. 3. ſive autem [ut ipſius mihi denarravit] cum ipſiſſima nocte media; quod admirabiliter cum obſervatione mea conſpirat, qui Hercii obtinui principium hor. 12. min. 3. ac certo nimis mihi mirum viſum ſemper fuit, ſi errare hic potuiſſem in obſervando, ſi mei calculi poſſent in numerando, qui ut omnes taceam alias Eclipſin illam tuam Dinienſem 1636. tam partiliter ad ultima momenta exhibuerunt. Quare tertium jam oro te, atque obteſtor, ut præſentem Ædium Thuanarum locum tandem aliquando reviſere digneris, & quod dixi memoriam advocare. Beabis [mihi crede] poſteritatem, cujus æternus εὐφημισμὸς radios erit parte in Cœlis, & de Cœlis gloriæ, ac beatitatis tuæ. Si verum eſt iſtud Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, non verebor addere Τρίται φροντίδες σοφώτεραι, quod dum facio te tui ipſius admoneo; de nominis inquam tui Anagrammate, neque inſubido illo, atque (ut ſunt pleraque ejuſmodi) inſulſo, ſed ſeria Γνώμη quid a te res ipſa poſtulet inculco,

Si ter diſpe ſas pondus, ſapientius urges
Vaſtius diſpeſſus pennipotens graderis.

Non ſimul, quia ſemel te obſervatione perfunctum exiſtima, niſi & iterum, & tertium, & ſæpius, ſæpiuſque recolendo tandem eò pervenias, ut quo altius evoles, quod latius evolvas non ſuperſit. Sed heus! ubi locorum ſum! unde! quo! qua exerravi. Reduc in viam obſecro, & ignoſce, vel ideo peccanti, ut ſit cui ignoſcas.

Ad Eclipſin Solis venio die 21. Auguſti 1645. conſpectam. Ejus initium non puto per Belgium conſpectum uſpiam, ita nubibus obſeſſus Sol delituit. Antuerpiæ *Gutiſcovius* finem obtinuit in corona Optimatum cum hora 12. minut. 33. ſec. 2. *Ego* Hercii cum hora 12. minut. 37 cum dimid. quantum tempora potui rapere per umbram azimuthi. Et eſt conſenſus iſte admirabilis, cui & meæ Tabulæ adſtipulantur ſcrupuloſiſſime. *Caramuel* Alderſpachii ad Danubium quatuor leucis a Paſſavio in Occidentem ſcribit ſe nactum initium hora 11. minut. o. ſec. 9. finem hora 1. min. 20. ſec. 18. durationem totam hora 2. min. 20. ſec. 9. medium hor. 12. min. 10. ſec. 13.

Digitos obſcuratos ad Septentrionem hora 5. minut. 45. ſec. o. ab igne lunari hora 5. minut. 20. ſec. o. aëre lunari hora 5. minut. 5. ſec. o. a terra lunari.

Tres [inquit] ſemper umbras habui, quarum minimam, quæ nigerrima erat, Meditullii ſolidi lunaris fuiſſe exiſtimo; mediam, quæ ſanguinea, lunaris aëris; extimam, quæ crocea, fuiſſe lunaris ignis. Crocea ſemper fuit duplo latior, quam ſanguinea, & medium ipſa digitum comprehendit exacte. Si fides meis Tabulis ſua ſtabit Pariſiis, eadem cepit hor. 10. minut. 9. ad ſummum; deſiit hora 12. min. 16. ſatis præciſe cum defectu digitorum 5. min. o. nullus dubito quin quidquid ejus fuerit apud vos obtentum ad me ſis deſtinaturus illico, ad eum modum, quo Eclipſin illam præpetibus pennis tranſmiſiſti, quæ conſpecta fuit poſtremo Februario, ſic tamen, ut ſimul etiam mittas conſpiciendam Januario proximo, cujus Phaſes Cardinales tres vobis patebunt aliquanto, quam nobis plenius.

Anno 1646. die 30. Januarii conſpicietur Eclipſis Lunæ totalis, cujus

	Pariſiis.			Æquatio daret.		Hercii.			
	Hor.	min.	ſec.			Hor.	min.	ſec.	
Initium.	4.	6.	25.	3.	50.	4.	24.	25.	Penumbra anteverteret forte ad 30. m.
Immerſio.	5.	3.	32.	4.	48.	5.	21.	32.	Optica fallacia extendet forte ad m. 5.
Medium.	5.	53.	0.	5.	37.	6.	11.	0.	*Poſt mediam noctem.*
Emerſio.	6.	42.	23.	6.	27.	7.	0.	23.	Judicari poterit citius emergere.

Hæc tempora æquatio dierum daret totis 15. vel 16. minutis maturiora, magno diſcrimine.

Erit hic Exeligmus anni 1628. quod ideo admoneo, ut de hujus experimento conſtet, an non illic vobis Aquis-Sextiis poſtumarint tempora totis 10. minutis, ſicuti ſcribebam.

Interim autem ſciendi deſiderio torqueor quid cogites tu ſuper vitis Sanctorum Provincialium edendis Marij Dunati, atque aliorum; quorum ſunt præclara monumenta in Codice illo Forcalcariano, qui nunc eſt penes Epiſcopum Siſtaricenſem. Qui tanta patriæ tuæ præſtitiſti, præſta hoc quoque, quo nihil eſt præſtantius.

Lego in vita Peireskij accepiſſe illum aliquando Babylone antiqua, latereulorum fragmentum, inſcriptum litteris ignorabilibus. Ego quidem quos Plinius commemorat certus ſum complexos Epocham diluvii 480. annis ante Phoroneum, hoc eſt ante Chriſtianam Epocham annis 2310. cum dimid. ferme, eaque eſt diluvii mei tandem aliquando proditurí materies. Velim ergo [quod tuo commodo fiat] exemplum illorum ad me tranſdi, ut vel lucis aliquid illis afferam, vel ab illis auferam, ſiquidem iidem ſunt cum plinianis. Infinita alia lego in vita illa, quæ vitam mihi brevem faciunt. Ita coram de iis tecum agendi amore langueo, ſed hæc Deus aliquis forte dabit, & beata pax, quæ ſi Europam

pam noſtram ſemel reviſerit, non rettacto de reviſendo te, meaque altera Patria Provincia forte illic me relicturus.

Loxiam meum toto hoc anno recudi, nec ſemel, atque ad eam certitudinem perduxi, ut non exiſtimem ſuperfore, de quo dubitetur, at enim delibero mecum de titulo inſigniendo Paraſtatis illuſtribus te, ac Pythea. Quare oro velis ad me Iconem tuam deſtinare, item & Pytheæ, concipiendam pro modulo præſtantis alicujus Maſſilienſis, & cordati, litteratique viri. Interim autem hoc habe. Deprehendiſſe me ἔξαρμα Norimbergenſe, atque in illa urbe Walteriani obſervatorii graduum 49. min. 27. ſec. 4. vel 5. unde conficio obliquitatem anno 1488. & 1492. fuiſſe grad. 23. min. 30 ſec. 52. quæ nunc eſt grad. 23. min. 30. ſec. 15. tantum, decreſcens etiam num, etſi eam Bullialdus juxta cum Phocylide faciat increſcentem.

Et ad Bullialdum quidem erant, quæ ſcriberem, ut litterarum commercio amicitiam cum illo viro [quem pro eo, ac mereor ſuſpicio] conteſſerarem; ſed audio abiiſſe illum in Italiam, ac Venetias, an forte petiturus Byzantium, aut Alexandriam, aut utrumque? & certum nobis daturus ἔξαρμα utriuſque loci? dignus profecto eſt iſto vindice hic nodus, ſi minus plene ſolvit illum Bartholomæus Creſcentius, & relationes quædam Nautarum, quarum mihi ante 35. annos copiam fecit Galterius noſter Aquis Sextiis, & de quo videor retinuiſſe gradum Alexandriæ 31. min 32. Nam poſterius Batavorum relatio inter grad 31. min. 10. vel 31. 12. me incertum reliquit. Ac miror Bullialdum retinuiſſe gradus antiquorum Gnomonicos Ptolomæi, ac Pappi 30. min. 58. cum neque tu quidpiam certius de obſervatione ulla perſcripſeris ad me, neque gradus illos meos 31. min. 10. credam erroris convictos, poſt tantum temporis, ex quo Loxias meus primum prodiit; cujus non dico aſſertio, ſed vel ſola admonitio excitare provinciales omnes debuit ad aliquid tentandum. Multa erant, quæ ſcriberem alias, niſi alia me premerent; ſimul ut ſit reliquum aliquid in aliarum litterarum argumentum; finem ergo facio, ſed cum altero tui nominis Anagrammate γνωμικωτάτῳ eccіſto:

Sis proſper nudis; at ſit genuina Deus ſpes.

Vis Sydus penetres? Spes tua grandis inopi.

Digno [mo Deus] quod tumulo tuo inſcribatur, nam & morum eſt tuorum Elogium, & deſponſæ tibi æternitatis εὐλόγιον. Quam ego cum ineunte 9. anno feram tamen nec niſi poſt multos Janos viſendam adprecor. Bruxellis 25. Novembris 1645.

Tui plenus
Gottifredus VVendelinus.

Quoniam quæ jam ſcribebam non ſunt deſtinata cum ſui diei curſore, addam quod te magis etiam obſtringat ad laterculos illos Babylonios mecum communicandos. Cameum illud ſacelli regii quot Interpretes nactum ſit tu ſcire potes, mihi divinandi poteſtas ſuperaſt, qua ad interpretamentum uſus. Video [ſi quid video] expreſſum illo adoptionem Tiberii, quam Reſpublica, ſive autem Roma admovet Auguſto inter Scriboniam, & Liviam ſedenti, & ſerpentina ægide amictum, qua indicantur civilia bella, & in ejus caput conjurationes ſublatas. Qui adſtat poſt tergum Mars, & Gradivus, pone quem Rhea Silvia ſedet in δίφρῳ. Is Jovem affatur, ut ſicut volens, liberoſque Romulum ex ſe genitum non Pegaſo Bellerophunteo, ſed equo ſuo ſubvectum in Sydera in Deorum numerum admiſit, ita porrò & altera ex parte Julium pone ſubeuntem Divum admittat, Orbemque Terrarum Anchiſæ, ſive autem Æneæ poſteritati gubernandum æternum decernat. Devictarum ſub iſto Auguſtæo Cœlo gentium imagines videor agnoſcere Sicambros illos, quos apud Strabonem, & Paterculum legere eſt. Actuatius ille, qui Poſterganeus ſedet, Parthus Rex videtur. Omine deſumpto a Perſe Macedonum ultimo Rege, cujus filius ſcriptum Romæ fecit, quale quid de Partho ſibi pollicetur adulatio. Poſt Tiberium puerulI, Cajus mihi ſunt, & Lucius, quibus nimirum mortuis ille adoptionem meruit. Hæc an feliciter interpretatus ſim tu judica, & judicii tui me participem facias; facies verò, ſi laterculorum, quos dicebam, exemplum aliquod tranſdas.

Dum hic ſum nactus doctiſſimi Merſennii nuperum opus, reperi pagina 369. factam mei mentionem ſane quam honorificam. Quo nomine me debitorem illi profiteor ſupra quam ſim ſolvendo. Quod autem illic miretur aſſeri a me hibernas oſcillationes horarias plures eſſe, quam æſtivas; ſciat [oro] me experimentis innumeris hoc deprehendiſſe. Etenim ſumpto oſcillo ferri ponderis librarum 52. de ſuſpenſura pedum 45. in templo meo, neque autem conſulto horiſonio, ſed clepſydris uſus duabus, deprehendi jam annis aliquot continuis, & obſervationibus iteratis, ac repetitis ſæpiſſime hiberno Cœlo, ſeu ſudo illo, ſive humido, ſive gelido, ſive tepido jactationes ſemper 493. vel 494. conſtantius, quam ut caſus credi queat, ejuſdem oſcilli, ac ſuſpenſuræ jactationes æſtivas Sole Apogæo habui in iiſdem clepſydris, & quocumque item Cœlo habito 473. vel 474. continuis jam aliquot annis, diebuſque ante, & poſt Solſtitium aliquam multis. Ea res me perpulit, ut jam etiam demonſtrari poſſe confidam & Terram moveri, & quotenis minutis ſuam diametrum per auram æthereAm pervolitet. Nam quia certo certius deprehendi caſum hunc ad centrum telluris ea celeritate increſcente ruere, ut lapis perventurus ſit illuc intra 12. minuta ad ſummum, illicque habiturus eam horman, quam ſi habuiſſet jam inde a principio caſus totam ſemidiametrum pervolaſſet minutis 6. ad ſummum, quantam habet ipſiſſimum punctum centri, quamque ipſa [pars magnæ matris homogeneæ] quærit, & affectat. Profecto ſicut centrum telluris Sole Perigæjo celerius movetur, quam Apogæjo, mirum non eſt, ſi caſus lapidis illud ipſum æmulatur. Rurſum autem hinc conficio centrum illud ſpatio minutorum 1461. percurrere medio motu ſemidiametros ſuæ telluris 244. ut minimum quantiſper Sol ſemidiametros ſuas 4. percurrere videtur plane ut diametri telluris, & Solis hinc colligantur ſicut 1. ad 62. ut minimum, vel utique 64. quod aliunde probatum dabo, etſi adhuc hæſito de 1. ad 60. propter rationes alias bene multas. Cogitata illa Mathematica ut ſublimia ſunt, & mentis valde erectæ, ac depuratæ, ita ut & ille, & tu me ex æquo puriſſimis veſtris precibus, ac ſacrificiis complectamini ardentibus votis opto. Idem ego, qui heri. Scribebam hæc 26. Novembris in Ædibus Chifletianis. Undidem ſaluto amicos in Provincia meos, ac nominatim ampliſſimum Arnaudum Miræ-Vallis Toparcham, ad quem litteras iſtas feci, ſed a te legendas, præbendas, deſtinandas cum inſcriptione, cujuſmodi ad illum pertinere tu ſcires.

Reverendo, Clariſſimo, doctiſſimoque Viro D. D. Petro Gaſſendo Theologo, Philoſopho, Mathematico ſummo S.

REverende, clariſſime, doctiſſime Vir. Cum Trajecto Lugdunum abiturus tuus, meusque Bornius vale mihi diceret, multus de te nobis ſermo incidit occaſione libri de proportione, qua gravia decidentia accelerantur, &c. nuper a te editi; quem, ut erat ad me miſſus, incompactum manu tenebam. Hic ego multiplicem, & ſolidam tuam eruditionem, ille ſingularem tuam comitatem, uterque liberam tuam, dexterrimamque philoſophandi rationem nobis mutuo commendare cepimus. Quo factum, ut cum ille poſt biduum, triduumve ſcripturum ſe tibi ſubjungeret, paratumque ſi quid, & mihi placeret, ſuis incluſum litteris ad te bona fide tranſmittere, conditionem mox arripuerim. Hinc natæ hæ ad te, Clariſſime mi Gaſſende, litterulæ, quas ut verecundiuri, dummodo in Gaſſendum modo in me oculos mentis defigo, ſcribere tamen auſus ſum. Tua enim tantopere depredicata mihi comitate fretus, in ſinum quoque tuum deponere quid verear & affectum illum meum, quo te proſequor, & obſervantiam, qua te ſemper colui? Verum ne me Paraſitaſtrum credas, plura de his addere ſuperſedeo. Ad alium te nunc vocabo pulverem. Ex appendice Exercit. Fluddiſticarum, ex epiſtola de ☉ humili, & ſublimi ad F. Licetum, ex alia ad Gabrielem Naudæum de 9 Planetis circa ♃ detectis, ex Bullialdi Aſtronomia Philolaica, ex ♀ in ☉ viſo Hortenſii [tuum enim videre nunquam licuit] aliiſque ſatis perſpectum habeo, continua te opera Cœlo invigilare, nec ſi quid obſervatu occurrat dignum, facile inexpertum relinquere. Non eſt itaque, ut dubitem, quin Eclipſin Solis præcedenti anno menſis Auguſti die 11. St. Vet. viſam obſervaveris, modo Cœli vobis clementia faverit. Beabis me, ſi quæ ad illam tibi certa communicare dedignaberis. Nam & ego obſervavi partim immiſſo per teleſcopium in cameram obſcuram Solis radio, partim per amplum ſextantem, quo Solis capiebatur altitudo; ſed finem tantum. Initium enim, & quantitatem denegavere nubes; fato harum regionum neſcio quo, non neſcio quanto. Eædem nobis invidere nuperam Lunæ Eclipſin, quæ in 21. Januarii St. Vet. incidebat. Vix dubito [nam id calculus poſtulare videbatur] quin circa medium in Cœlo Luna prorſus evanuerit, uti contigit Keplero anno 1621. & nobis hic anno 1642. interim tamen ſiquidem in demonſtratione hic non verſer geometrica, ἐπέχω, donec vel a te, vel ab alio Viro docto, quid hac in re factum ſit edocear. Pluribus mi Gaſſende [patere ut ita te compellem] hac vice te non detinebo. Finiam [nam id charta monet] ſi hoc unicum te rogavero, ut redames tui amore ebrium Jacobum Ravensberg. Scribebam Trajecti ad Rhenum 2. Maii Juliani, anno 1646.

Summo, Clariſsimoque Viro D. D. Petro Gaſſendo

HENRICUS BORNIUS S. P.

MAgnas tibi habeo, & ago gratias, Vir magne, quod mei memor doctiſſimas tuas epiſtolas unà cum gemino Inauguralis tuæ orationis exemplari mihi dono miſeris. Donum hoc tuum vehementer mihi gratum fuit, at gratius ſane fuiſſet, ſi epiſtolio concomitatum ad manus meas perveniſſet. Nihil enim mihi gratius unquam fuit, quam ex litteris a te mihi redditis de rerum tuarum ſtatu, tuoque in me continuo affectu certior fieri. Verum quemadmodum plurimis jam detraheris, & inquietaris undique curis, ita in aliam occaſionem litteras ad me pro tua in me benevolentia exarandas differre neceſſe habuiſti. Nihil tibi inpræſentiarum gratitudinis teſtandæ ergo remitto; verum ſimul ac Regii Phyſica [de qua pluribus ad Martellum noſtrum] typis deſcripta fuerit, exemplar illius unum, aut [ſi placet] alterum tibi tranſmittam. Litteras, quas meis incluſas inveniſti, dedit ad te Vir doctiſſimus Ravensberg. Matheſeos in Utrajectina Academia Profeſſor, cui cum plurimus de te quotidie mecum eſſet ſermo, ſcire ex me tandem voluit, num in grave tibi eſſet, ſi tibi pro ſummo ſuo in celeberrimum tuum nomen ſtudio epiſtolà aliquâ ſalutem diceret. Juſſi Virum doctum, ac tua amicitia plane dignum, ſecuro eſſe animo, tibique nihil gratius evenire poſſe affirmavi, quam ab illius ſimilibus, qui ſolide bonam mentem amant, humane ad litterarum ultro, citroque mittendarum commercium ſollicitari. Quæſo te itaque, Vir magne, & Viri docti ſummi tui cultoris haſce litteras, niſi grave eſt, reſponſo aliquo digneris. Ceterum beavit me Sorberius noſter, quod duas ſimul tui imagines oculis meis objecerit; mentis ſcilicet, & corporis, quarum tamen alteram, quippe a te ipſo profectam, alteri, a pictore valde mediocri delineatæ multum præfero; qualiſcumque tamen illa fuerit, prima data occaſione, ut deſiderium abſentiæ tuæ quocumque poſſum ſolatio levem, illam a pictore depingendam mihi curabo, donec ſubtiliori alicujus artificis manu huic venerandi tui vultus umbræ, imo vix umbræ, melius ad ſimilitudinem tui præciſa imago, qua Muſæum meum, dum vivam, condecoretur, ſuccedat. Summopere etiam mihi, totique bonæ menti operam navantium choro gratulor, quod tandem animum appuleris ad Epicuri Philoſophiam, tantis votis a nobis expetitam, prælo ſubjiciendam. Jam animus eſt in doctiſſimo illo tuo ſcripto evolvendo occupatus, quippe in ſolidum perſuaſus magnos inde ad ſe redituros fructus. Urge ſolummodo operas, ne moras nectant, & gaudia noſtra morentur. At tu interea, Vir magne, amicitiæ meæ ſummum decus, vale, & me, quem hactenus tanto affectu complexus es, rogo amare pergas. Dabam Tolutim Hagæ Comitis 28. Maii 1646.

Clariſſimus Heereboordus, cui alterum orationis tuæ inauguralis exemplar dedi, petiit a me, ut peramice te ſalutarem, tibique ſuo nomine omnia ſua offerrem. Iterum vale, Eruditorum decus.

Reve-

Reverendo, ac nobiliſſimo Viro D.D. Petro Gaſſendo

JOANNES OUGEVINI S. P.

QUod imbecillæ preces meæ apud Excellentiſſimum Principem obtinere non valuere, id graviſſimæ, mihique gratiſſimæ inteteeſſioni R. D. T. ulıro conceſſit. Deus Optimus Maximus benevolentiſsimo, & prompriſſimo Reverendæ D. T. in aſſlictos patrociuio par præmium reddat; ego æternæ gratitudiui non indormiam; adhuc tamen ab Excelleutiſsimo Principe propter aliqua negotiola præſtanda, duorum forte menſium ſpatio humaniter ad manendum invitatus, te Patronum meum continua debita, etſi minus digna grariarum actione, diſceſſurus, non fruſtrabor: Valeat diu feliciſſime. Junii 5. 1646.

Reverendæ, ac nobiliſſimæ D. T. minimus obſequentiſſimus Joannes Ougevini Roxol.

Summo, ac celeberrimo Viro D. D. Petro Gaſſendo

HENRICUS BORNIUS S. P. D.

CUm amico meo nuperrime Intellexerim Carteſium hortatu quorundam aggreſſum eſſe refurationem poſterioris tui contra ipſius Metaphyſicam ſcripti, non ingratum tibi fore judicavi, te illius a me certiorem fieri. Latine tibi non reſpondit, ſed gallice, quia tota illa Metaphyſica cum omnibus objectionibus, & reſponſionibus in vernaculum veſtrum ſermonem verſa jam in Gallia typis deſcribitur. Verum, ut ſincere tibi meam de hoc Carteſii molimine ſenrentiam aperiam, credo ipſum Æthiopem dealbare; nunquam enim ſe ex illis, quibus illum irretitum renes, laqueis expediet; ſic mecum judicat optimus Regius, cui propter editionem Phyſices Carteſius etiam non parum eſt infenſus. Subolſecir, credo, ibi quædam lectum iri, quia ſuis placitis abludunt. Utinam, optime Gaſſende, eximius alioquin ille Vir mitiori eſſet erga diſſentientes ingenio, moremque tuum æmularetur. Regii illa Phyſica ad finem properans, & jam ad umbilicum perducta fuiſſet, niſi ſculptor operas moratus fuiſſet. Simul ac publici erit juris, ad te exemplar tranſmittam in ſignum gratitudinis meæ erga te, beneficiisque, quibus tibi obligor. Interea te ſubnixe rogatum volo, ut litrerarum ultro, cittoque mittendarum commercium jam aliquandiu mea culpa interruptum, iterum inter nos fervear. Non enim tua mihi nota virtus patitur, ut verear, ne ægre tuleris, quod re infecta, epiſtolas, quas imprimendas me curaturum promiſeram tibi remiſerim; cum incuriæ meæ imputari non debeat, quod fallacibus Typographorum quorundam promiſis eluſus fuerim. Commendaveram tibi tanquam de meliori nota doctiſſimum, & tua amicitia digniſſimum, juvenem Joannem Merryvvater, neſcio an litteras meas tibi reddiderit. Iterum te quæſo, & rogo, ſumme Vir, ut hunc meum amicum omni virtutum genere ornatiſſimum, ac bonæ mentis indefeſſum cultorem aliqua favoris tui parte dignere. Interea vale, & immortalis tui nominis ſolidiſſimum cultorem redamare perge. Dabam Tolutim Lugduni Batavorum 9. Julii 1646.

Viro maximo, incomparabili Domino Petro Gaſſendo Theologo, & Profeſſori Regio

SAMUEL SORBERIUS
Εὐπράττειν.

DUdum eſt, quod ad te nihil litterarum ſcripſi, quamvis ab appulſu jucundiſſimas tuas acceperim, quibus de libro Viri ſummi ſententiam tuam exponis. Sed quæ mihi peragenda fuerint, quantique momenti negotia non ignoras. Nunc Leydam concedo Lares ibi fixurus, quod fauſtis utinam avibus fiat, atque ex utilitate ſit mea, aliorumque, quibus bonæ mentis ſtudioſis domus noſtra patebit. De editione Apologiæ Epicuri audio lente, & tardiſſimo paſſu rem procedere. Quam vellem eodiecm tuum tradidiſſes? Effeciſſem enim, ut Blavius, poſthabitis ceteris omnibus, opus illud deſideratiſſimum velociſſime promoviſſet. Sed de reliquo opere, quæſo, cogitemus. Affinis quidam meus eſt circa Brumam huc reverſurus; juvenis eſt, qui ſapientiæ, & mercaturæ ſtudia conjunxit; cui proinde tanto incunctantius librum committere poſſes. Scribe igitur quamprimum Hagam apud D. *Renaud* quid tibi animi ſit, ut moneam affinem eum Lutetiam redierit, & Typographo, tuique nominis cultoribus ſpem iniiciam, aut dilationem ſpei æquius ſane illi ferant conſilii tui facti participes. Vale, Vir ſæculi noſtri primarium decus, & me amare perge, qui te ſemper, ſeu mortali in corpore divum, καὶ σῶμα σοφίης colam, & venerabor. R.P. Merſenno ſalutem plurimam, atque verſus tradas, quæſo, amici cujuſdam filiorum D. Hugenii Præceptoris eruditiſſimi. Hagæ Com. Calend. Septembris A. S. 1646.

Scire velim, an ad Guiraudum noſtrum reſcripſeris. Vir eſt non ſpernendi acuminis, quem ſi reſponſo digneris vel breviſſimo, ad majora, quibus impar non eſt, ſtimulabis. R P. Merſennus novit hominem, & apud Rozellum vidit Nemauſi.

Reverendo admodum, Clariſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, & Matheſeos Profeſſori Regio

GOTTIFREDUS WENDELINUS
ὑγιαίνειν, καὶ ζῆν.

DUm hic ſum Virorum ſumme occupatus [ut ſoleo] rebus privatis amicorum, quos tueor, ecce die 17. hujus menſis hora matutina inter ſecundam, & tertiam ereptum mihi *Erycium Puteanum*, quem ſanum, & incolumem die 4. Septembris reliqueram; ecce alterum de te nuncium, qui eminus bis exploratum Cœlum cominus pervadere voluiſſe narrabaris. Ego, qui ſexageſimum & ſextum jam annum numeravi, quam pæne Puteanum ubi eſt lætum mœſtus adii! Sed recreavit me melior de tua valetudine fama, itaque tecum hactenus vi-

vere

vere opto, donec ſaltem ſarcinas colligam, & quod eſt ſub manibus perficiam; tanto id cupidius, quanto me video poſtulari ultro a Bullialdo, cujus ego totum opus totis his octo menſibus ſtudioſe perlegi. Si quid de illo cenſeam quæris, abſolutæ ſubtilitatis Aſtronomum loquitur, & Geometram artis reconditiſſimæ. Unum doleo, cum ceteras meas obſervationes non improbet in Eclipſi anni 1642. ſe inſcripſiſſe adverſum me actione falſi, quaſi ego tantus natu hoc profecerim, ut cum ſplendore exiſtimationis diſcerem mentiri. A quo certe crimine me abſolvunt Lugdunenſes Batavi, ubi Golius in obſervatorio Academico initium factum ſcribit [ex altitudine Reguli grad. 31. min. 22. ſec. 50.] cum hora 12. min. 0. ſec. 12. digitos ſex obiente, & [ex altitudine caudæ ♌ grad. 42. min. 35. ſec. 40. cum hora 12. min. 37. ſec. 34. Iſtos tamen ego propter opticas ſallacias in ſeptem totos facile extendo more ſolemni. Quæ quidem utreque, ſed principium inſignite conſpirat cum obſervatione mea ſupra omnem fidem, & ad miraculum induſtriæ. Obſervationem hanc cum hoc menſe Junio demum nactus ſum, & quidem adnitente hanc in curam Hugenio Magni Principis Camillo, jamque Selcheimi Toparchæ, cujus in me affectum epigramma [quod ejus in libris eſt nuper editis] teſtatur. Multa ſunt alia, quæ cum Bullialdo communicanda in præſentiarum cogor differre, quod non ſum apud meos libros. Itaque nec plene reſpondeo ad illas, quas abs te miſſas die 6 [ni fallor] Martii accepi Leodii; & ſimul rediero domum dabo operam ſedulam, ut expectationi tuæ fiat ſatis. Hoc interim interfatus, Eclipſin Januarii poſtremi propter nubes nulli Belgarum conſpectam. At in compenſationem illius vidimus nos Hercii finem Eclipſeos lunaris die 27. Julii, qualem penumbra repræſentavit evidenter ad horam uſque 7. min. 55. circiter; aſcenderam templi mei turrim tantillum ſaltem de Parallaxi ☽ lucriſacturus, unà cum aliis vegeti viſus amicis, qui priores me quamquam teleſcopium uſurpanti, viderunt Lunam per aërem ἀτμώδη ſuperiore parte [contra quam oporteret aliàs] multo hebetiorem, quam inferiore meus calculus finem dabat [ſi recte memini] hora 7 min. 25. ita penumbra tenuerit min. 30. quomodo tibi juxta mecum idem contigit anno 1638. Eclipſin, quæ futura eſt menſe Januario proximo, & quidem in ipſo Lunæ Perigæjo tandem aliquando decidet quidquid ſuper dierum æquationibus inter Bullialdum, & me controvertitur, quamquam ipſa horna, a te obſervata toto fere ſemi-horio poſterior calculo Bullialdo, meo non niſi 9. minutis poſtumat, paucioribus etiam ſi præter intermorium captatum ſibi tempus ex altitudine Lunæ aliis præſero, ſic enim conſenſio eſt inter nos ſtupenda. Plura non addo in præſentiarum, quam ut intelligas, me tum demum videri valere, cum te valere cogito, & [ſpero] quantocyus intelligam ſic futurus tam hoſpes, quam te valente valens, in tui recordatione unice vivus. Gottifredus Wendelinus. Bruxellæ 20. Septembris 1646.

Saluta [oro] P. Merſennum Petavium, Fornerium, & quem jam commemoravi Bullialdum futurum aliquando Soſigenem, niſi me ratio fugit, & illum φιλαδέλφα. Interim proceſſum Apheliorum Veneris, & Martis [ferme & ☿] quam pariliter ille mecum! docebo, quid illum fugerit in ♄. & ♃.

Meus calculus Eclipſin hanc poſteriorem exhibet Maſſiliæ adhuc conſpectam totum fere quadrantem horæ poſt occaſum Solis. Nec dubito ſuper ea re jam ad te perſcriptum; oro, communica, ut & quidquid ſuper priore acceperis undecumque. Iterum, ac ſolidum vale.

Reverendo admodum, Clariſsimoque D. Petro Gaſſendo, Cathedralis Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito, Regio Matheſeos Profeſſori

GOTTIFREDUS WENDELINUS S. P. D.

OCtavus iſte eſt dies, Vir Clariſsime, cum ad te ſcripſi; & quamquam præter id, quod tunc ſcripſi nihil admodum aliud habeo; quo te occupem, non potui tamen non teſtatum facere, quantum te unum ſemper cogito, qui de hoc ſolo argumento materiam ſcribendi ſumo; ſterilem quidem dices, quod in me verum eſt, ſed in te gargara ſunt, & meſsis plena. Credo jam inductum tibi, ut credere velis, non oſcitanter me obſervaſſe Eclipſin illam 25. Aprilis 1642. & circumſpicere vos omnes quid lateat ſallaciæ non quidem in meridianorum intervallo, quod utcumque certum eſt, ſed in ipſis inſtrumentis, quibus uſi eſtis; quod ut ſerio examinetis, res ipſa vos orat, & poſteri. Quod ad Lunares Proſtaphæreſes attinet ex æquo imas cum ſummis æquales, id monſtri ne ſollicitum habeat Bullialdum cogitet, me prima illa meæ lampadis face, *in cœlis par eſt hodiernæ craſtina ſumma*, me dimidium tantum ejus, quod dicendum habui dixiſſe. Duo ſunt magne Mundi corpora ſuos dies, noctesque alternantia, Lune, & Tellus, hec quidem hora 24. præciſe, ille hora 708 min. 44. ſec. 3. ter. 12. præciſiſſime ſemper, nulla ingeſta varietate, quantumvis anomaliæ videantur reclamare. Longa, multiplicique obſervationum fide ſum edoctus, qui umbilicus, aut cuſpis in Luna circa quadraturam [hoc tempus eſt commodiſsimum] incipit illuminari hodie, cui ſcilicet Sol incipit oriri ſemper, ac conſtanter relatis diebus 29. hor. 12. min. 44 ſec. 3. tert. 12. rurſum eodem modo illuminandum; itaue Lunares creaturæ dies item ſuos ſentiant æquabiliſsimos. Nunquam ut alia dies ſit horarum 700. alia 720. quod nec eſſe foret anomalias expendenti, profecto *Spiritus vita eſt in Rotis*. Tibi non addo plura. Quoniam ergo Luna æqualibus temporibus ſuo Sole frui vult equaliter, hinc prodigioſa illa, & in ſpeciem ἀγεωμέτρητος Proſtaphæreſeon oſcillatio cogitationes noſtras in corticem geometricum defixas jactat omni oſcillatione vacillationes, ne cogitemus viam lunarem ſuam orbitam longe aliam facere, ac nobis ϖροληψει occupatis in mentem venire patimur. Ea enim neque circulum deſcribit, neque ellipſin, ſed ovalem planiſsime, ut ſcilicet ab Apogæjo ingrediatur intra ellipſin uſque ad diſtantiam mediam, inde ellipſin egreditur. Unde fit, ut ſupra medias longitudines ellipſis media ſit inter ovalem, & circulum, infra eaſdem ovalis jam media incedat inter circulum, & ellipſin. Atque ita etiam geometrice Proſtaphæreſes oſcillato demonſtrentur, ſi ſemel ovalis geometrice ſit conſtructa, quod Bullialdum ſcio momento effecturum pro illa fecunditate ingenii, quam in illo elucentem ſtupeo; cui & hoc [a me ſalutato] ſuggeres, obſervationem Saturni anti-

antiquiſsimam illam non cadere in diem 1. Martii [quod Ptolemæus duceret] ſed in diem 31. qui revera illo anno fuit 5. Xanthici. Quo ſemel agnito [ſicut & alii ſunt in Ptolemæo παραχρονισμοὶ] & ſitus Lunæ, quem Ptolemæus ævo ſuo ſe obſervaſſe ſcribit ad unguem paria facit cum Cœlo, & Annus Saturni Tropicus dies habet 10747. hor. 22. min. 12. & Aphelii proceſſus annos habet illos meos ſane quam exquiſite, & de hoc ſemel conſtituto Jovis quoque Aphelium quem ſervet motum elucefcit juxta mecum; & ad Mercurium quod attinet, in antiqoiſsima illa obſervatione nimis item credulus fuit hallucinanti Ptolemæo, nimis eidem diffiſus eſt obſervationem ſuam lunarem cum ☿ comparanti. Rectiſsime ſane Aphelium Mercurii ſub Ptolemæo defixit in grad. 3. vel 4. ♏ illud non recte, quod obſervationem antiquiſsimam habitam anno



Dionyſii 21. ſic interpretatus juxta cum Ptolemæo, quaſi ☿ fuerit comparatus cum boreali, & media frontis ♏, cum revera fuerit facta iſta comparatio cum media, & borealiſsima frontis, ſtante tunc Mercurio non in grad. 1. min. 57. ſec. 30. ♏, ſed ſupra 6. grad. ejuſdem ſigni. Unde & latitudo ejus major, & nodus aliorſum reponendus eſt, atque etiam hic unà cum omnium Planetarum nodis aliis contra ſignorum ordinem retrocedit, & denique lampadis meæ tertium lumen elucet. Doleo, atque adeo indignor ſolertem Virum Lunares Ptolemæi conſignationes vitaſſe pro ſcopulis, qui revera pharus erant, & portus tutiſsimus. Sed vivit adhuc vegetus, & valens, & qui, ut nuper ſcribebam, ſibi ſuus erit Soſigenes. Hæc cum ad te ſcribo, ad illum quoque me ſcribere exiſtimo, & an falſus ſum ipſe vel ſilentio indicabit, vel ſcripto, quo ſi me cohoneſtet, beabit utriuſque veſtiûm plenum Gottifredum Wendelinum.

Scribo utcumque feſtinò, quæ omnis erit mea culpæ deprecatio, ſi quid [quod non pudet] peccavero. Reverendum Merſennum, & Furnerium, ſed & eximium Waſſclarium a me quæſo ſaluta. Bruxellæ 28. Septembris 1646.

Admodum Reverendo, ac nobiliſsimo Viro D. D. Petro Gaſſendo S.

NObiliſsime, ac admodum Reverende Domine. Neſcio quid me magis promiſſorum fecit contumacem; tuæ ne humanitatis, & benevolentiæ candor, an mei obſequii, & gratitudinis in te continuanda materies? ut tertium fierem importunus; quidquid ſit, ut amici ita, & clientes muſicis non abſimiles non ſemper tempeſtivos audientibus ferunt ſonos; meas tamen litteras Reverendæ Dominationi tuæ accipio non ingratas; tuæ vero ſunt mihi delicium, quibus teſtaris quidquid me rerum attineat Reverendæ Dominationi tuæ eſſe cordi; unde & illa benevolentiæ plena apud humaniſſimum Dominum Neuræum proceſſit mei recommendatio. Quis Deorum immortalium te fabrum fortunæ, & gratiæ apud tuos, mihi extraneo, niſi ſingularis virtus, & innata tua fecerit humanitas? Abeunti ignoto viaticum credidiſti, commendatione apud Illuſtriſſimum Comitem auxiſti, & ulteriorem, ſi qua in re expediret, humaniſſime promiſiſti; meis ergo officiis adhæc ſteriliſcentibus, ſit tibi merces pulcherrima virtus. Nunc quibus fortunæ velis navigem Reverendæ Dominationi tuæ fautori meo paucis aperio. Studium linguæ noſtræ negotiorum mole Illuſtriſſimum Principem aliò avocante, æſtate quidem tepebat, hyeme verò penitus obriguit, & conticuit; me interim panem otioſe comedentem pudet, & lupum [ut ajunt] auribus tenere pœnitet. Aliquot ante Septimanis ab humaniſſimo Domino Neuræo de conditione mea cum Illuſtriſſimo Principe peragente amicum accepi reſponſum, ut linguæ gallicæ incumberem; & ſi rebus meis conſulere melius vellem, Reverendæ Dominationis tuæ ulteriorem apud Principem Illuſtriſſimum urgerem recommendationem; verum ego Reverendam Dominationem tuam ulla abſtineat obnixe precor; quid enim abſente promerendi per laborem occaſione, importunas ab hominibus velim extorquere eleemoſynas; otioſo interim panis (& ſi contra Divum Paulum) & ſpes excuſandæ ignaviæ ex inſtructione leviſsima Illuſtriſsimæ Virginis gliſcens ſufficiunt; tali ſtatu gaudendum, qualem ipſe cetra incertis poſtponens acceptavi. Verum tamen, Κυρίε, qui ſe nuere canant ἐλεηϑέν in aula; ego verò brevi ab hoc choro me expediam, nec in longum aulica ſpe abripiar. Nunc quia ſic fata ſortem meam conglutinavere, præſens vita [donec quo titulo vocatus fueram id ſaltem ſcripto, etſi non docendo præſtitero] tranſigenda; & Reverendæ Dominationis tuæ beneficentiſsima voluntas, ac immeritum patrocinium intimo pectore æternùm retinenda. Pro illa porrò liberaliſsima apud doctiſsimum, & humaniſsimum Dominum Neuræum mei recõmendatione Reverendæ Dominationi tuæ gratias ago immortales; ea me proſequitur benevolentiâ, quæ ab homine litterarum gloria, & morum ſinceritate ornatiſsimo poſsit expectari. Da tandem importuno veniam, viveque feliciſſime, ac diutiſsime Deo, litteris, & amicis; nec non minimo, ac humillimo Reverendæ Dominationis tuæ

Clienti Joanni Ongevignio Roxolano.

Admodum Reverendo Clariſsimo Viro D. Petro Gaſſendo S.

CLariſsime Virorum Gaſſende. Accipe, quod hic nobis Cœlum nuper dedit, pluviam purpuream, cujus jam ſcio ad vos pervolaſſe famam. Hujus verò a me habe hiſtoriam [quoad ejus a me præſtari potuit]. Totam ubi eam perlegeris, ſi judicium tuum promes, illud unum totius Galliæ inſtar apud me quidem erit, ſicut apud Tragædum quemdam ſolus ſpectator Plato inſtar erat omnium Athenienſium. Quo magis etiam te oro, ut ſicut ille ſuis non invidit ſtatuam ſui, tu item effigiem tui ſæculo non invideas. Non eſt [mihi crede] vanitatis oſtentatio ſaltem pati, ut hoc a te impetretur; & ingratitudinis nota noſtra tota ſit hoc a te non petiiſſe merito, ut nos culpat poſteritas. M. Antoninus Bojonius Imperator cum aliquando eſſet

Niceæ

Digitized by Google

Niceæ in Bythinia, vidit io urbe Græcula Græculas ineptias populum ſtatuarum. Et cum inter omnes unam requirerer omnium reliquarum populum, Hipparchi Aſtronomi, neque is uſquam compareret, quam viri iſtius admiraror, tam Nicænis infenſus, quod Civem ſuum fuiſſe neſcirent, aut ignorarent, grandi mulcta millenorum aliquot modiorum frumentatione annua, quam Populo Romano penderent afflixit ultima meritos. Digni erant & Maſſilienſes pari pœna, niſi Pytheæ ſui ſtatuam poſſent oſtendere, quam ego certum habeo, illam eſſe eandem, cujus tu mihi Iconem curaſti. Ita & priſmati ſuo inſiſtit more illarum omnium, quarum apud Ful. Urſinum, aliosque expreſſæ ſunt imagines, Sophoclis, Demoſthenis, Platonis, & aliorum; hoc ergo toties oratus, exoratus tandem eſto. Loxias meus jam prodiiſſet, ſi a Magiſtratu Norimbergenſi obtinuiſſem maximam Solis æſtivi altitudinem in illa domo Walteri, quam incoluit ante annum 1495. Etſi enim jam certus ſum Poli Norimbergenſis ἔξαρμα eſſe grad. 49. min. 27. non tamen hoc mihi ſatis eſt, qui urbem illam ſcio, & recordor facile occupare minutum totum, ut ex æquo verum ſit, & eſſe latitudinem ejus grad. 49. min. 26. & grad. 49. min. 27. Sed enim quoniam circa minutiſsima λεπτολογίαν non poſſumus eſſe ſatis anxii, qui etiam de ſecundis ſollicitamus calculis, ſcripſi ad illos, ut vellent eum mihi honorem habere, quem tam prolixe exhibuit Maſſilia, ut certo poſſet conſtare de domo Walteri. Et ſi alioquin vel omnia me fallunt, vel ejus latitudo eſt grad. 49. min. 27. ſec. 4. vel 5. neque plus, neque minus. Porrò enim maximam Solarem Proſtaphæreſin eſſe grad. 2. min. 0 ſec 0. præciſiſsime. Ideoque exceſſum ſemicircularium temporum eſſe dierum 4. hor. 1. min. 34. ſec 36. qui additi, vel ſubtracti de 182. hor. 14. min. 54. ſec. 33. componunt maximum tempus ſemicirculare dierum 186. hor. 16. min. 18. ſec. 10. iſque fuit ſemicirculus æſtivus ab ♈ ad ♎ anno noſtro 1268. quando Apogæus ☉ fuit in hor. 0. min. 0. ſec. 0. ♋ Rurſum dico exceſſus temporum ſemicircularium ſe habere adinvicem ut ſinus Apogæi elevati ſupra lineam oppoſitorum cardinum. Itaque ſi Apogæus ſit in grad. 30 ♈ vel in grad. 30 ♌ tunc verò exceſſus dierum tantum 2. grad. 0 min. 41. ſec. 48. dieſque æſtivos fuiſſe, & fore 184. hor. 15. min. 36. ſec. 21. atque ad eum modum proportione. Quoniam ergo ſub Waltero anno 1488. Apogæus ☉ ſtetit in grad. 3. min. 48 ♋ hoc eſt grad. 86. min. 12. ſupra lineam oppoſitorum Æquinoctiorum, cujus ſinus eſt 99780. fuerit exceſſus totus dierum 4. hor. 1. min. 14. ſec. 16. ſemicirculus ergo æſtivus fuit dierum in univerſum 186. hor. 15. m 38. ſec. 40. admodum.

Hunc autem ſemicirculum æſtivum ut eliciam ex chordis Walteri (cum Parallaxi mea ſcilicet) non invenio aliud ἔξαρμα Walteriani obſervatorii, quam grad. 49. min. 27. ſec. 5. Quo ſemel dato, Solſtitiales chordæ exactiſſimæ, & certiſſimæ omnium dant declinationes maximas grad. 23. min. 30. ſec. 52. præciſiſſime, quæ nunc eſt hor. 23. min. 30. ſec. 14 vel 15. ad ſummum. Sed de his alibi, & id nominis quoque tui gloriam in poſteros tranſdendam. Gaudeo Bullialdum præclariſſimam peregrinationem ſuſcepiſſe Bizantium, ubi poli ἔξαρμα inveniet grad. 43. min. 17. ſec. 45. ſi explorabit in Serralio, alioquin Peræ habebit ſupra grad. 43. min. 18. Faxit Deus, ut hoc ab illo diſcero mibi liceat, tum & illud de Poli Alexandrini certitudine, ſed & Portus Rhodienſis, quem certus ſum eſſe graduum 36. min. 20. nihil aut plus, aut minus. Atque adeo tu ſi ad illum ſcribes, ut & hoc agat meo nomine moneas. Inter hæc Eclipſin Januarii proximi mei calculi ſupputant Pariſiis cepturam hor. 8. min. 3. ſec. 20. deſituram hor. 10. min. 15. ſec. 44. Medium ut in hor. 9. min. 9. ſec. 44. ſit caſurum. Si tu ſolitum obtinebis capiendis altitudinibus, habebis forſan hor. 8. min. 7. cum dimidio circiter, & finem circa hor. 9 min 15. & propter oculos tuos umbræ ſactos facile hor. 9. min. 20. Sed quæſo auſculta vel hic mihi, & culminationes adbibe in conſilium, experieris me non falli, ſi item oculos plurium advoces, qui de fine pronuncient uno ore, ſicut apud nos factum perſcripſi. Non dubito quin R. P. Merſenous jam periculum fecerit oſcillationum abs ſe inſtitutarum per utrumque tempus tropicum, ſeu potius Apogæum, & Perigæum ☉ ſucceſſum præſtolor avidiſſime. Tu interea vale mea anima, & ama vero pectore. [Raptim Bruxellæ 19. Octob. 1646.]

Tuum VVendelinum.

Admodum Reverendo, ac Nobiliſsimo Viro Domino Domino Petro Gaſſendo

JOANNES OUGEVIGNY ROXOLANUS
S. P. D.

TAndem Aulico ſtadio peracto, in quo cum toties cæſpitantem me ſingularis favor, & immeritum Reverendæ Dominationis tuæ patrocinium benigne erexerint, gratias Reverendæ Dominationi tuæ licet impares ago, & habeo immortales. Nun minus interim gaudeo, mihique gratulor Galliam vidiſſe, ac in ea vixiſſe, quam quod eo tempore viderim, & vixerim, quo Gaſſendi rara modeſtia, matura prudentia, & exacta ſapientia in orbe Sorbonico fixa, non modo toti Galliæ, verum univerſæ Europæ clare reſplendebat. Infelix ego, qui huic lumini Pariſiis degens fueram ignotus; dein factus notus ab eo in Provinciam elongatus, nunc adhuc longius Venetias ſecedo. Ædepol ducant, an trahant fata homines neſcio! Mihi nihilominus abſenti ſupereſt indelebilis benevolentiæ, ac beneficentiæ tuæ imago, grato animo, & pectore æternum retinenda: Tu modo diu feliciſſime vivas, atque valeas. Aquis-Sextiis 1646. die 2. Novembris.

Admodum R. D. tuæ minimus, ac obſequentiſſimus ſervus I. Ougevigny

---

Admodum Reverendo, atque clariſsimo Petro Gaßendo S. P.

QUemadmodum litteras meas ultimas menſe Septembri Anno 1645. exaratas, cum obſervatione, & typo Eclipſeos Solaris tranſmiſſo te accepiſſe haud dubito, ita & tuas eodem anno, & menſe datas cum obſervatione accu-

Digitized by Google

accuratiſſima Eclipſeos lunaris communicata, mihi perquam gratiſſima, licet admodum tarde, ad manus meas perveniſſe, ſcias: Utinam par pari rependere poſſem! ſed nihil quidquam hactenus ſingulare in Cœlo deprehenſum. Ad illam ipſam Eclipſin Lunæ præteritam, vigilantiſſimum quidem oculum tum temporis direxeram; ſed fruſtra pæne fuit, eo quod Cœli inclementia, nubeſque denſiſſimæ Lunam obvelantes ad impediverint, ita ut nihil omnino præter initium, & Phaſes ſequentes deprehenderim. Primo initium ingruebat circiter, cum lucida Lyræ ad ortum elevaretur gradibus 46. min. 8. hora ſcilicet 5. min. 21. ſec. 4. Secundo umbra cum Lunam ad 4. digitos invaſiſſet, altitudo ejus Lyræ capta fuit 42. grad. 57. min. ex qua elicitur hora 5. min. 33. ſec. 36. Tertio cum umbra ad dimidium digitum ulterius Lunam terminaret, elevabatur Lyra 49. grad. min. o. hinc horam tum fuiſſe 5. min. 40. ſec. 48. certo deprehenditur. Quarto Luna cum undecim circiter digitos obſcurata appareret, altitudo Stellæ in pectore Cygni deprehendebatur grad. 39. minut. o. ex qua iterum invenitur, fuiſſe hor. 6. min. 12. ſec. 52. Nunc obſervationibus Jovis ſcilicet, & Lunæ, obſervatu longe digniſſimis jam jam inſtantibus nos accingamus; quod ſi quidquam mihi annotare, & obſervare continget, non deero, quin prima occaſione tuam R. Dign. illarum rerum participem reddam; id, quod de te mihi viciſſim polliceor. Selenographia mea adhuc ſub prælo ſudat, de qua maturanda licet maxime ſim ſollicitus, omnemque adhibeam operam, nihilominus ante tempus vernale, cum opus illud præter ſpem in molem creverit, vix ultima manus illi imponetur. Litteras has incluſas admodum R. P. Merſenoo tradas rogo; ſi quid iterum erit, quo tibi gratificari potero, animo lubentiſſimo, atque paratiſſimo id facturum promitto. Iterum vale, Viroſque Clariſs. quam humaniſſime ſaluta, inprimis Eximium D. Bullialdum, nomine.

Tuæ Reverendæ Dignit. Devinctiſſimi Joannis Hevelii.

D. Laurentius noſter Eichſtadius nominis, virtutiſque tuæ admirator te iterum quam officioſiſsime reſalutare juſsit.

Dabantur Gedani Anno 1646. die 15 Novembris.

Clariſſimo, Excellentiſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, & in Academia Pariſienſi Mathematum Profeſſori Digniſſimo S.

TRanſmiſſum mihi fuit, clariſsime Gaſſende, ipſo fere anni initio egregium illud tuum de motus acceleratione contra Cazræum opus; quod quidem quanta cum animi voluptate legerim, effari pro rei veritate non poſſum; adeo mihi arriſit tum perſpicua Galileanorum decretorum explicatio, tum ſubtiliſsima opinionis contrariæ refutatio. Conſtitueram autem & ipſe tunc temporis aliquid ea de re ſcribere in Galileanæ ſententiæ confirmationem, collecturus ſcilicet aliquas ſpicas, quæ tuam ipſius metentis manum fugerunt, uberioris exſpes meſsis, quam alia præripuiſti. Verum quoniam Nannetis degebam amœniſsimæ urbis deliciis irretitus, quibus non mediocriter afficiebar e moleſtiſsima navigatione redux, nunquam mihi per otium licuit, quamvis per totum illud tempus otioſiſsimo, manum operi admovere, quoad uſque poſt meum a duobus circiter menſibus in hanc Provinciam ſeceſſum intermiſſa diu ſtudia reſumpſi, relectiſque nova cum admiratione tuis epiſtolis præ-conceptam diſputationem ſcriptis tandem mandavi, Cazræoque inſcribendum eſſe duxi, reſponſum ipſius expectaturus, ſi quid forte reſpondendum ei ſuccurrerit. Addidi autem aliqua de motu Telluris propter primam tuam ad eum epiſtolam, in qua quoniam rationes contra opinionem affirmativam ab ipſo adductas ſatis, ſuperque probaſti, nihil neceſſario concludere; meum eſſe exiſtimavi idem etiam de Sacris Litteris (quæ eſt altera contra Copernicum machina) demonſtrare, Erciſcundi, igitur philoſophi partes agens, eas in hac controverſia eſſet quoque Erciſcundas oſtendere conatus ſum; fruſtraque a Ptolemæi, & Copernici aſſeclis pro ſuis opinionibus allegari, cum & utrique parti faveant, & utrique adverſentur; ideoque nihil certi ex illis quoad hujuſce controverſiæ deciſionem inferri poſſit. Viſum autem hæc qualiſcumque ſint, tibi communicare, & cenſuræ, judicioque tuo ſubmittere, utpote quorum auctor præcipuus extitiſti, & quibus ortum dedit jucundiſſima ſcriptorum tuorum lectio. A te igitur peto, humaniſſime Gaſſende, ut haſce meas cogitatiunculas boni conſulere, & [quod ardentius cupio] amicitiam tuam, qua olim beare me voluiſti, & [quæ tua bonitas fuit] ſuaviſſimis etiam monumentis confirmare, ſemper inviolatam conſervare mihi velis. Vale. Vir clariſſime, diuque vive tibi, tuiſque amicis, tum etiam totius philoſophicæ, mathematicæque Reipublicæ bono. Gergoviæ Arvernorum 8. Calend. Decembris 1646.

Tuus, tibique obſequentiſſimus, & inutilis Servus Jacobus Ale ander Tennevrius, Patricius Pariſinus,

Tuam ſuper hiſce meis nugis ſententiam ſummopere deſidero; ſed veram eam, ſinceramque, ſicut & Merſenni noſtri, cui idcirco rogo te illas ut communices, quamvis optime ſciam non eſſe hic Iliadem Atti ebriam veratro. Ceterum an, & quid reſponderis ad ea, quæ ſcripſere Caramuelius, & Reitanus circa tuum de novis boni iſtius Capucini phænomenis, judicium reſcire nondum potui Ea de re ſi me certiorem feceris, habebis vel hoc ſolo nomine me tibi devinctiſſimum. Litteras autem tuas fratri meo præſentium latori dare poteris; eas enim mihi certiſſime reddi curabit.

Clariſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito digniſsimo

JACOBUS ALEXANDER TENNEVRIUS S. D.

SEro reſpondere videbor ad tuas litteras datas poſtr. Id. Decemb. prius tamen non licuit, cum eas a ſez duntazat diebus acceperim. Quod in illis miraris, differre me tibi plenam in diſputatione de motu accelerato meſſem, mihique tantum tribuis, quantum nec poſtulare poſſum, nec alii concedent, facis amice magis, quam juſte. Nemo enim noſtra utriuſque ſcripta legerit, qui non facile advertat; ſi quid in meis laudibus dignum reperiatur, id me totum debere tibi, & ex tuorum lectione ortum eſſe. Nam, ut cetera taceam, argumentum illud, quo uſus ſum, ut probarem fruſtra laboraſſe Cazræum in efformando ſuo decreto de continua proportione dupla ex eo, quod idem dici de qualibet alia proportione poſſit, manifeſtum ſe præbet in epiſtola tua prima, ſicut & illud aliud, quo probatur longius fore ex Cazræanis decretis primi ſpatii tempus, quam reliquorum omnium ſimul. Quod reliquum eſt in diſputatione de motu Telluris, non ignoras id partim ex Galilæo deſumptum, quamvis affirmare auſim Cazræo nonovum, & inauditum. Ea propter adduci facile non poſſum, optime Gaſſende, ut, quod optare teſtaris, opuſculum illud, in quo vix quidquam meum agnoſco præter verborum texturam, publici juris efficiatur; ut tui autem, libentiſſime; quandoquidem tuum eſt, potiuſquam meum, & tuum fieri deſideras. Exemplar igitur illud, quod tua lectione honorare voluiſti, reddi tibi curabo, ſatis uberem laboris mei fructum conſequutus, quod & tibi gratum fuerit, & ipſum aſſervare velis. Vereor tamen, nenon ita gratum tibi fuerit, quando, dum ea in me fuiſti bonitate, ut illud uno tenore hauſeris, valetudinem tuam non ſatis firmam commovere, morbumque exaſperare potuiſti. Abſit, ut ſimile quidquam contingat; plenam potius Cazræo victoriam ceſſerim, aut a contradicendo abſtinens liberum ipſi campum reliquerim, quam valetudinem læſerim tuam mihi ſumme caram, reique publicæ litterariæ tantopere utilem. Quædam igitur alia de motu accelerato proponere tibi decreveram; verum ſuperſedendum eſſe duxi, cum tibi fortaſſe nunc per ægritudinem tuam non liceat ejuſmodi ſtudiis incumbere. Ceterum mirum quam impoſueris adverſario ſilentium; debebat enim ſtare ſaltem promiſſis, & eam inſtantiam proferre, quam pollicitus fuerat; quandoquidem id ipſi conceſſiſti, propter quod efferebat ſe acrius inſtitutum. Verum ſatis ipſi fuit minas, ut ais, intentaſſe; & poſt infelicem congreſſum maluit Theatro verboſus haberi, quam fidem exſolvere, verſuſque fortunam experiri quam parum amicum habuerit. Inſinuavit mihi Merſennus noſter eſſe aliquem alium, quem totius Societatis acutiſſimum vocat, qui aliquid etiam adverſus Galilæum molitur, gloriaturque ſe demonſtraſſe ſpatia æqualibus temporibus in deſcenſu gravium emenſa eſſe inter ſe ut ſeries naturalis numerorum 1. 2. 3. 4. 5. Monuit autem bonus ille noſter, ut ad illam me pugnam accingerem. Verum hæc tibi gloria debetur, neque quemquam haud dubie deceret, niſi te recuſante, illud inire certamen, in quo tam ſtrenue te geſſiſti. Fac igitur quam primum valeas, ut cum novo illo hoſte dimicare, victoriamque reportare poſſis, meque ſemper ama, & crede tui obſervantiſſimum 17. Calend. Februarii 1647.

In cauſa procul dubio fuit ægritudo tua, cur non reſponderis ad ea, quæ rogabam prioribus litteris ſuper Caramuelio, & Rheitano. Rem itaque non jam urgeo, ſperans cum firmiore valetudine fueris, id te libenter præſtiturum.

Clariſsimo Viro D. Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito S.

I. A. TENNEVRIUS S.

HEſterno die allatum mihi fuit præter expectationem Cazræanum ad diſputationem meam reſponſum; quo quidem avidiſſime lecto, prorupi in hæc verba Baſilii ad Gregorium quaſi Cazræum alloquens: *Ἐπέγνων σοῦ τὴν ἐπιστολὴν, ὥσπερ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐπιφαινομένης αὐτοῖς πρὸς τεκόντας ὁμοιότητος ἐπιγινώσκουσιν*. Adeo quippe ſui ſimilis ubique Cazræus, adeo manifeſtum ſe præbet in ſuis ſcriptis, ut abſque ulla ſcriptione alio quolibet judicio præter ipſa verba, audenter affirmare poſſis eſſe Cazræanum fœtum. Uno verbo, vix quidquam in illo agnoſcas, præterquam quæ jam ab eo ad te conſcripta ſunt, unde non magno labore refutari poterit. Quamprimum autem accepero te firmiore eſſe valetudine, Cazræanum ſcriptum ſimul, & reſponſionem meam mittam tibi, tum quod credam tibi rem gratam fore, tum quod ipſe-met Cazræus in epiſtola gallice ſeparata cupere videatur ſuum illud opuſculum a te legi.

Ceterum monitum te velim [id enim excuſare vix poſſum] de lapſu quodam a me admiſſo, quod quidem ante lectionem Cazræani reſponſi non animadverteram, & quod magis miror, ipſe-met prætergreſſus es, ſaltem de eo nihil ad me ſcripſiſti. Id autem hoc tandem, quo ſequitur modo detexi. Cazræus ut probet non recte determinari a Galilæo ſpatia temporibus æqualibus decurſa, præmittit hæc duo.

1. Si mobile quodlibet temporibus diverſis æqualibus duo pertranſeat diverſa ſpatia, erunt ipſa ſpatia inter ſe ut velocitates. Et ſi ſpatia diverſa in eadem fuerint ratione, qua diverſæ velocitates, quibus percurruntur; tempora erunt inter ſe æqualia.

2. Si ſpatia, & velocitates, quibus percurruntur, in diverſa fuerint ratione, æquali tempore non percurrentur.

Ut ſcilicet concludat ex primo, ſpatia duntazat duo, non autem tria vult Galilæus, ſecundo tempore decurri. Atque, ut vides, clariſſime Gaſſende, reſponſio in promptu eſt; dicendum enim hæc duo effata vera quidem eſſe in motu æquabili, non item in motu accelerato. Verum tunc inſtabit Cazræus fruſtra me probare velle ex ſecundo meo Corollario duplicata celeritate, qua decurſum fuit aliquod ſpatium, æquale poſtea ſpatium intra dimidium temporis primi decurſum iri, cum verum non ſit niſi in motu æquabili tanto diminui tempus decurſus in æqualibus ſpatiis decurrendis, quanto creſcit celeritas. Quod tamen generaliter enuntiavi abſque ulla diſtinctione; neque

verò

verò mihi quidquam prodeſſet, quod de ſolo motu æquabili verificaretur, quandoquidem diſputatio noſtra eſt de motu accelerato. Vides igitur quemadmodum

Iliacos intra muros peccatur, & extra

Hæc te volui ut videas, ſi quoquo modo ſalvare poſſim effatum meum. Vale 15. Calend. Februarii 1647.

Clariſſimo Viro Domino Domino Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito

I. A. TENNEVRIUS S.

VEllem equidem amplius moleſtus non eſſe tibi circa quæſtionem de motu accelerato, tum propter invaletudinem tuam, tum etiam, quod ejuſmodi ſtudiis animum jam non adhibeas. Verum quoniam ſignificavit mihi Cazræus deſiderare ſe [quod ex ejus epiſtola gallica ediſcere poteris] ut ipſius ad meam diſputationem reſponſio tibi etiam communicaretur, veniam dabis, humaniſſime Gaſſende, quod in cauſa ſim, cur novus tibi labor accedat. Eam quippe, quamvis invitus, & poſt longam dilationem, examinandam ad te mitto, & ipſi morem gerens, & auxilio tuo egens. Profert enim ipſe novum, quod ait, experimentum, bilancis, factumque in mei gratiam, de quo cum judicium ferre non poſſim obſervatorum imperitiſſimus tuo illud examini ſubiiciendum eſſe duxi. Ad reliqua autem reſponſionis ejus capita, jam ab aliquot diebus reſcripſi; tuumque conſilium ſequutus, palinodiam cantare non erubui circa æquivocationem a me admiſſam, cum id vitare non poſſem. Scriptum iſtud lectione tua honorare ſi velis, communicabit tibi Merſennus noſter; illud autem ad te mittere auſus utique non ſum, ne forte nondum ſatis firmo non valde gratum foret. Ceterum habet & ipſe librum illum Rheitæ de cœleſtibus, quem inſinuas, cuique *Oculus Enoch* pro titulo eſt. E duobus enim exemplaribus e Belgio accerſitis unum ipſi donum dedi. Miror autem illum te nondum vidiſſe, cum habeat inter alia epiſtolam unam Auctoris ad te datam. Valetudinem tuam cura diligenter, ſuaviſſime Gaſſende, tibique addictiſſimum amare perge. 14 Calend. Aprilis 1647.

Admodum Reverendo, Clariſſimo, atque excellentiſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo, Præpoſito Eccleſiæ Dinienſis, amico ſingulari S. P.

JAm tandem ad litteras tuas 2. Calendarum Februarii datas (quis citius fieri ob graviſſimas occupationes haud licuit) reſpondeo; ſimulque opuſculum meum Selenographicum cum oculis, tum præclaro, acerrimoque tuo ſubiicio judicio; idque quamvis munuſculum ſit perexiguum, ab amico tamen tibi addictiſſimo benevole accipere ne recuſes etiam atque etiam rogo. Ex tribus verò reliquis exemplaribus hic adiscentibus, unum eximio Iſmaëli Bullialdo, cum prompta officiorum meorum oblatione, domum, ſi Byzantio redierit, offeres [ſecus, ad ejus uſque adventum id reſervabis] alterum exemplar R. P. Merſenno, Viro omnigena eruditione clariſsimo, atque tertium Celeberrimo Robervallio, ex inſtinctu nobiliſsimi Viri D. de Noyers, Secretarii Sereniſsimæ Reginæ Poloniæ, litteris itidem compellato, tradas velim. Ceterum gratias ſane debeo, quod obſervatione tam Eclipſeos Lunæ, quam Jovis me beare volueris: utinam illarum, & jam obſervationum, quas eximius Bullialdus ex Oriente adferet, particeps fieri poſſem! Nihil gratius, crede, mihi accederet unquam. Meas quod attinet obſervationes hactenus habitas, quas tua ſcire intereſt, cum Eclipſium Lunarium, tum Palilicii, tum Jovis, nec non tranſitum ejus notatu, & judicio dignum, una cum earum Schematiſmis in Selenographia invenies, ibidemque modum tales obſervandi ſimul percipies, qui, num omninò arrideat, necne, quæſo libere data occaſione detegas. Præter dictas autem obſervationes opere meo comprehenſas, adhuc alium tranſitum Lunæ, & Jovis nuperrime, die ſcilicet Junii a me animadverſum, ærique inciſum, tibi tranſmitto, quem & aliis Viris Mathematicarum peritis, præſertim Merſenno, Bullialdo, atque Robervallio exhibebis. En ecce igitur aliquot obſervationis illius icones. Inſuper autem figuras aliquot primariæ meæ delineationis lunares ad varias obſervationes accommodatas hic habebis, ut [quomodo ratio obſervandi non plane diſplicuerit] inpoſterum ad contemplationes cœleſtes adhibeantur. Quarum plures ſi expetantur, verbulo tantum ſignificanti mittentur. Promiſſa de Tuboſpicillo manu mea perficiendo, & ad te perferendo, adhuc probe vigent in memoria; quibus certe jampridem ſtetiſſem, niſi curæ Selenographicæ obſtaculo fuiſſent; jam verò cum aliquantulum otii conceſſum, opere videlicet noſtro cum Deo ad finem jam perducto, adnitar, ut brevi id fieri poſſit. Reſtat igitur nihil amplius ſcribere, niſi quod voluptati erit a te percipere, quid novi Pariſiis, vel alibi locorum in Gallia, in re litteraria ſcilicet opera edita, vel brevi edenda ſint, &c. de quibus ſi me certiorem feceris, ut nullus dubito, profecto plurimum me tibi obſtringes. Interim opto te valere, & me amare. Dabam Gedani anno ſalutis 1647. die 15. Julii.

Tuæ R. D. Cultor Joannes Hevelius.

Clariſſimus noſter Eichſtadius juſſit tibi multam adſcribi ſalutem. Vale iterum.

Clariſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito

I. ALEX. TENNEVRIUS S. D.

NOn ceſſas bene mereri de omnibus, clariſſime Gaſſende, dum eximias tuas lucubrationes in lucem emittis; de amicis autem optime, dum iis operum tuorum exemplaria benigne communicas. Paucis abhinc diebus redditum mihi fuit inſtitutionis tuæ Aſtronomicæ exemplar; in quo operis præſtantia, an benevolentia tua me magis affecerit, haud facile dixerim; quandoquidem, & clarorum Viro

rum ſcripta legere ſuave eſt, & eorum amicitia beari non minus jucundum. Ago equidem tibi, mi Gaſſende, de tanto munere gratias; verum utinam referre poſſem. At qui-nam illi par rependere mihi liceret, cui ætas noſtra parem non agnoſcit? Gratitudinem itaque meam, quam inviolatam ſervabo ſemper, boni conſule, nihilque amplius a nihil amplius petente deſidera, quam quod habebis me tibi ſemper devinctiſſimum. Vale 6. Cal. Sept. 1647.

Admodum Reverendo, atque Clariſsimo Viro D. D. Petro Gaſſendo Præpoſito Eccleſiæ Dinienſi, amico honorando S. & officia.

NUllus certe dubito, Vir honorande, quin litteras meas die 15. Julii datas, una cum quatuor exemplaribus meæ Selenographiæ per Dominum Cramoiſium recte acceperis. Cum vero nuper nimium mihi feſtinanti evenerit, ut obſervationem ♃, & ☽ die 6. Junii hic Gedani a me inſtitutam non addiderim, ideirco hac occaſione, & illius obſervationis aliquot icones, & ſimul parvæ Ephemeridis D. noſtri Eichſtadii ad annum proximum ſupputatæ aliquot exemplaria cum ejuſdem oratione benevole accipe. Scire te autem inſuper cupio, ad manus meas nuperis diebus veniſſe obſervationes Fontanæ, qui valde extollit Tubum a ſe adhibitum, quaſi infinitis partibus vincat omnes, qui ſunt, aut quotquot unquam fuere, perſuaſus, & perſuadere volens, ſe primum eſſe ejuſcemodi, ſi ullus aliquis ſimilis apud alium reperiatur, auctorem. Mirari autem ſatis nequeo Fontanum, tam profecto [ut ipſi videtur] Teleſcopio inſtructum, nec accuratiores phaſes delineaſſe, nec ſatis certi quidquam ex ſuis obſervationibus prodidiſſe; ſiquidem meo judicio lectores, præſertim mathematicarum rerum non uſque adeo gnaros, ancipites potius, perturbatoſque, quam certos, aut bene doctos dimittit. Vix ipſi certe rerum cœleſtium bene expertes, mentem ejus percepturos puto; dum ſcilicet variis in locis [quantum mihi obiter iſtas obſervationes evolventi viſum] ſibimet ipſi contradicit, & præterea tam obſcure loquitur, ut obſcurius non potuerit. Niſi forte ego nimis rudis ſum, & profanus, ut myſteria hæc me fugiant. Sed abſit, ut malo animo hæc protuliſſe videar, quaſi iſtius auctoris occupationes vilipendam, quò noſtræ qualeſcumque majoris fiant. Tua potius, tuique ſimilium (ſi quos ſimiles habes) hoc eſt communium noſtrorum amicorum, utpote Merſenni, Bullialdi, atque Robervallii a me amiciſſime ſalutatorum, auditur ſententia. Quo verò in te ſum animo, & affectu, eodem te proſequi credas Dominum noſtrum Eichſtadium, ut & M. Albertum Linnemannum Profeſſorem Mathematum in Academia Regiomontana, quorum ille ſemper eſt in noſtro complexu, hic ſe nobis hoſpitem brevi ſiſtet, ad confabulationem litteratam, cui tu quoque certe a nobis iterum, iterumque honoris, amoriſque cauſa nuncupatur intereris. Vale. Dabam Gedani die 31. Auguſti, anno 1647.

Tuus ex animo Joannes Hevelius.

Admodum Reverendo, clariſſimoque Viro Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito

GOTTIFREDUS WENDELINUS S.

ANnus jam eſt, aut eo quid minus unicum eruditionis decus Gaſſende mi, decus idem meum, ex quo ad te poſtremas hinc dedi, unde nunc iſtæ ad te veniunt, ſatis confidentes de parabili abs te venia, ſi ſcies quid illud fuerit, quod me a ſcribendo retinuit. Hinc poſtquam diſceſſi per diem 17. Decembris, variis modis, atque iis incommodis me non unum infortunium exercuit maximum id, cum rediens foris a functionibus Paſtoralibus ſternax alienus equus me excuſſit, alliſitque caſu gravi, unde & poſteriores coſtas adflixit, meque adfixit lecto aliquandiu. Commodum ad me tranſmiſſæ fuerant tuæ litteræ tunc primum poſt longam 4. menſium moram, quibus hic adventum meum fuerant præſtolatæ. Habes quod ego dolui, quod doluiſſe tantum tu [credo] gaudeas. Habes ſane me ſoſpitem, & hactenus incolumem. Ad obſervationem Eclipſeos lunaris tuam quod attinet, incredibile eſt quantum mihi gratulatus ſim de te, tuaque obſervatione pariſienſi, de qua ſtabilienda eſt omnis fides, quando nemini [quod ſciam] mortalium per Belgium noſtrum illa patuit. Non eſt ea mihi conſpecta Hercii, non Patri Lino Leodii, non Lovanii, non Bruxellæ, non Antuerpiæ. Tua fuit iſta felicitas, & Cœli faventia, ut & initium, & medium, & finem obtineres. Quam ſcire velim ecquid ejus, atque ubinam terrarum Bullialdus noſter obſervaverit? Quid interim tu de Byzantii latitudine, quid de Alexandriæ certi didiceris? Ego quidem ex menſe Majo medio datis ad Senatum Noribergenſem litteris inſtiteram, ut hanc vellent non mihi, ſed Reipublicæ litterariæ dare opellam, qua exploraretur in iiſdem, quas olim Walterus incoluit ædibus per annos 1488. ad 1492. quanta eſſet Solis æſtivi altitudo maxima, & an non jam obliquitas decreverit adhuc ad ſecunda forſan 40. Vereor autem, ut litteræ pervenerint ad manus; nam apud Veredarium jacuerunt in ipſum uſque Junium; neque autem quidquam reſponſi hactenus retuli. Quare & hinc ante iſtos dies alteras niſi vel ſaltem habeam ἴξαμμα Walteriani obſervatorii per Stellas, quod ſpero me obtent..am, ac ſimul ero potitus tecum communicabo. Audeo interim mihi perſuadere iſtud ipſum eſſe graduum 49. min. 27. ſec. 5. dies docebit. Hoc unum reſtat, ut Loxiam tuum iterato prælo ſubiiciam. Ad alia venio, ad id, quod tu aliquando ad me ſcribebas, diſpicerem an-non aliqua ſit in definiendis Meridianis Pariſios inter, & meam Hercam oborta mihi hallucinatio? Recte admonuiſti, & eſt ſane decumana. Intervallum iſtud ego ſtatui, ut ſcis, minutorum horariorum 18. Bullialdus etiam in min. 21. extendit. At enim longe eſt brevius; nam quia Herca mea latitudinem obtinet grad. 50. min. 53. ſec. 25. Ultrajectum verò grad. 51. min. 7. ſub eodem proxime uterque locus Meridiano; manifeſtum eſt differentiam eſſe grad. 1. min. 14. ad ſummum. Sunt verò leucæ mediæ, vel 24., vel 25. pro æſtimatione omnium itinerum, & viatorum. In gradum

ergo

Digitized by Google

ergo imputantur leucæ noſtræ 20. ſatis præciſe; ideoque in parallelo meo leucæ 12$\frac{6}{15}$. colligunt gradum. Jam verò Herca Gravelingam ſunt leucæ in directum 40. Duncherckam 38. exploratiſſimæ, qui jam eſt Meridianus pariſienſis. Ecce ergo ut Herca in Meridianum tuum pariſienſem gradus habemus 3. minut. 0. nihil amplius; & quod hujus eſt conſectarium Pariſios inter, & Bruxellam, atque Antuerpiam minuta interjacent 8. nihil amplius. Quo cognito vide nunc, & obſtupeſce in Eclipſi anni 1643. obſervationum habitarum conſenſum. Bullialdus finem habuit Pariſiis hora 7. min. 59. Tu Sucii hora 8. min. 2. ſecundum quæ debuerit Antuerpiæ obtineri finis cum hora 8. min. 7. quem ego hor. 8. min. 6. inveni. Quid conſpiratius? Rurſum in Eclipſi 1645. die 10. Februarii, quam eſt arctus inter nos conſenſus? Tu medium obtinuiſti Pariſiis hora 7. min. 6. aut tantillo plus, ego habui hor. 7. min. 18 admodum dicas nos de compacto inter nos conſenſiſſe. Jam & illa anni 1642. non quidem ſanatur tota, ſed tamen propius redit in gratiam. Scribit ad me Magnus ille Ricciolius Avenione conſpectum ejus initium hor. 11. min. 59. Iſtud ergo Hercii daret hor. 12. min. 4. ad ſummum; ego hor. 12. min. 3. inveni. Hæc ergo nobis gratulemur, de quibus eſt, quod Eruditiſſimus Bullialdus ſibi quoque aliquid gaudeat, cum Soſias Soſiam, Soſigenes dicu Soſigenem tractabit; quod jam ſcio poſci, quoniam utcumque exemplaria procuſa ſint plurima, pauciora tamen auguror eſſe, quam quæ Europæ ſuffecerint, ita longe plurima jam ſunt etiam in hoc Belgio. Et quantum eorum arbitrabor eſſe in Italia, in Germania, in Pruſſia, in Dania, in Anglia? Omninò ergo iteranda eſt editio, quam ſi adornabit tom verò inter Aſtronomiæ Principes ne omiſerit Joannem de Lineriis de Monteforte Picardum Ambianenſis Diœceſis, qui anno 1320. floruit Pariſiis, & longitudines ad annum 1350. Stellarum habet iſtas.

		grad. min.			grad. min.	
Flumin.	♈	18. 20.	Alramech.	♎	14. 7.	
Aldebaram.	♊	0. 50.	Alchimech.	♎	14. 59.	
Alharar.	♊	23. 10.	Pes Centauri.	♎	26. 30.	
Pes Orionis.	♋	8. 0.	Wega.	♑	5. 30.	Libet hic
Alhabor.	♋	5. 50.				adſervatur
Algomeiſa.	♋	17. 20.				in Biblio-
Cor ♌	♌	20. 40.	Piſcis Meridio-			theca PP.
Duæ in Urſa minori.	♌	5. 20.	nalis.	♒	18. 10.	Soc. Jeſu.
	♌	14. 20.				
Cauda ♌	♌	22. 40.				

Ex quo erat, ut alia transderem, exſcripta dudum a me, & tibi devota; ſed neſcio quomodo ea domi reliquerim, inter ſchedas certe meas hic non comparent. Tu me illum habe, quem me haberi apud te opto ſimul optimas animas Petavium, Merſennium, Furnerium ſi iſtic eſt, & Bullialdum ſaluta a tuo Wendelino. Bruxellæ præfeſtine ipſo D. Lucæ.

Viro Maximo, incomparabili Domino Petro Gaſſendo, Theologo, & Profeſſori Regio

SAMUEL SORBERIUS
χαίρειν.

SÆpius a me petierunt amici, ut ſemel narrarem; rogavit verò Proteus noſter, ut perſcriberem dubitationes a te olim inſtitutas adverſus chyli trajectionem per venas lacteas, & ſanguinis per arterias circulationem; cum ſcilicet referrem iis de rebus me audiviſſe te aliquando fuſe diſſerentem, atque inſuper commentationem quandam tuam vidiſſe, unde præclara multa excerpſeram. Morem tandem geſſi, Vir maxime, ratus æqui te, bonique libertatem noſtram conſulturum; præſertim cum nomen tuum velitationi iſti non oppoſuerim, & profeſſus fuerim tamen, non mihi, ſed viro cuidam magno, cujus ſermonibus ſapientiſſimis interfuetam, acceptas referri debere objectiones doctiſſimas, quas quidem auctor protuliſſet, ut anſa diligentiori inquiſitioni præberetur, non ut opinionem veriſimillimam inde labefactatam, everſamque putaret. Et ſane diſſertationem iſtam Scepticam nominavi, appoſito hujuſcemodi titulo: *Diſcours Sceptique ſur le paſſage du chyle, & ſur le mouvement du cœur, ou ſont touchees quelques difficultez ſur les opinions des veines lactees, & de la circulation du ſang*, atque orationem meam ita temperavi, tam caute, & reverenter me geſſi, ut nihil ſit, quod famæ, & exiſtimationi tuæ obeſſe poſſit, quod etiam probare omnino non debeas. Si quæ ſint autem, quibus cum inſigni modeſtia tua minus bene conveniat, affectui noſtro in te, & eximia opera tua condonabis, neque me benevolentia ideo minus dignum cenſebis. Vale. Lugd. Batav. 10. Novembris 1647.

Clariſſi-

Digitized by Google

Clariſſimis Viris, & Amicis Petro Gaſſendo, & Iſmaeli Bullialdo

GOTTIFREDUS WENDELINUS
Sal. max.

Quem toties ex obliquo ſum affatus Bullialdum ſequeſtro affectus in illum mei Te Gaſſende, aliquando aggredi audeo ſcriptione directa, maxime poſtquam tu Bullialde ἦλθες ἐκ περάτων γῆς, quem reditum tibi, reique Aſtronomicæ fauſtum, ac ſoſpitem me quoque par eſt gratulari. Beaſti Europam cum Smyrna obſervationes duas deliquiorum Lunarium advexiſti, de quibus eſt, quod tecum agam. Eclipſin anni ſuperioris 1546. die 27. Julii & ego ſpectavi ex parte, ſi penumbra pars eſt ſpectaculi. Cum mei calculi abdicarent omnem ejus conſpectum Hercii, finiendæ quippe antequam horizontem Luna conſcenderet. Volui tamen attendere, adſumptis mecum pluribus, an iſtas ſaltem reliquias daretur contueri; cumque is dies fuiſſet ſerenus ſuis, ſpes erat aliquid oblatum iri, quod vel ſatisfaceret expectationi meæ, vel calculos meos refelleret. Favit caſus, & de ſumma noſtra turri, quam conſcenderamus, vidimus eluctantem ex atmoſphæra, & vaporibus borizontalibus Lunam ſuperiore margine lucidam, atque obtuſam fuligine arcuata pro eo, ac fert umbræ ratio, & quamquam vapores eſſent ſatis denſi, vix ut Luna pervideretur; illud tamen atrum nobis omnibus patuit in ſuperiore diſci parte, non inferiore; quia tamen vapores denſiores debuerant diſcum Lunæ oſtentare multo hebetiorem, Fuliginis iſtud craſſamentum ſenſim dilutius [& quo Luna magis attollcretur magis diſcerni, ac notari commodum] deſiit porrò univerſum cum ipſa hora 7. min. 55. aut minimo, quo poſt, idque fuit poſtremum penumbræ veſtigium.

Deliquium iſtud fuit digitorum 10 cum dimid. proxime, digito admodum uno majus illo, quod dedit annus 1645. die 10. Februarii; quod meus item calculus repræſentavit digitorum 9. cum dimid. conſenſu præclaro, cum eo, quod fuit obſervatum, & Pariſiis, & Hercii, & in Germania, cujus medium fuit Pariſiis hor. 7. minut 7. Hercii hora 7. min. 17. cum dimid. Francofurti, obſervante Caramuele, hor 7. min. 29. circiter; Altorfii hor. 7. min. 43. prout jam ad me reſcribi curavit Magiſtratus Norimbergenſis per Matheſeos Profeſſorem illic ſuum M. Abdiam Trevv. Hujus autem deliquii penumbram ut inque habui minutorum 27. ad ſummum; quam ſi & in hac Eclipſi anni 1646. penumbra tantum temporis impendit, noſque illam notavimus ultra hora 7. minut. 55. admittimus penumbram totidem minutorum, profectò finis deliquii contigerit Hercii cum hora 7. min. 30. circiter. Et verò mei calculi largiuntur horam 7. min. 31. ſec. 50. ac tanta erit meorum numerorum fides. Hinc jam quid colligendum ſit deſpiciamus. Refers, Bullialde Doctiſſime, Smyrnæ oblatum finem cum hora 8. min. 30. ergo-ne Smyrna diſtabit Hercio vix horam unam totam? Profectò, tunc ille Joannes Faber Maſſilienſis in Automatu ſuo ad ſemiſſem horæ hallucinatus fuit, quod quam proclive ſit in lineolis horas, ſemihoriaque maligne diſpungentibus non es docendus. Itaque reverà metus finis obtentus illi fuit in ſigno lineolæ, ſed horariæ, hora dico 9. min. 0. forſan etiam tantillo plus, ſi quid oculi potuerunt peccare amplius. Omninò ergo Smyrnam inter, & Hercium erit ſeſquihora proximæ, cumque Hercium meum abſit mihi a Meridiano Atlantico grad. 28. minut. 24 aberit ſecundum iſta Smyrna gradibus ſaltem 50. min. 30. præter propter.

Longitudinem hanc ſmyrnenſem definiet porrò magis partiliter obſervata illic abs te ipſo Eclipſis Lunæ poſtrema, quam de Cœlo ſervaſtis ab hora 9. min. 55. ad hor. 12. miu. 7. tota ut duratio tenuerit horas 2. min. 12. quot idem ego ante annum prænunciaveram ex meis Tabulis, magna illarum etiam hinc commendatione, & conſenſus iſte tam arctus cum eo, quod eſt obſervatum incredibile eſt quanta me voluptate profuderit. Hujus ego medium ſupputabam Hercii fore cum hora 9. min. 27. cum dimid. Iſtud verò vos iſtic habuiſtis hora 11. min. 1. Inter Hercium ergo, & Smyrnam interjacent hor. 1. minut. 32. cum dimid. Siquidem recte ſe habent meæ Tabulæ prorſus, ut Smyrna ſit abſutura a Meridiano Atlantico mihi præſumpto hora 3. minut. 26. cujuſmodi ego Alexandriam definio hora 7. minut. 36. quaſi jam inter Smyrnam, & Alexandriam media ſint minut. 10. admodum.

Quia verò deliquium iſtud, & Pariſiis obſervatum eſt, & Dantiſci, Hercii verò nec mihi, neque autem ulli toto Belgio patuit, diſpiciamus [oro te] quanta ſit Meridianorum Pariſienſis, Hercani, & Dantiſcani, denique autem & Regiomontii differentia? Primum ergo leucæ noſtrates Auſtraſiæ conſtantis ſatis magnitudinis Folcalcario Hercium uſque mediæ ſunt 140. ſatis curioſe a me, ac pedibus iſtis meis permenſæ, nempe Forcalcarlo Gratianopolim 25. Inde Veſontiunem 37. Hercium denique 78. Atque hæ quidem ſub eodem Meridiano, quam proxime plane ergo in gradum leucæ iſtiuſmodi quadrant 20. præciſe. Idem intervallum, quod eſt Hercio Ultrajectum leucarum 25. ſaltem non amplius, cum medius ſit grad. 1. min. 14. tanquam ſub eodem Meridiano, quo rurſum firmatur 20. leucas Auſtraſiis imputari in gradum. Jam verò Hercio Pariſios non ſunt leucæ 54. ſaltem nihil amplius. Sunt ergo maximi circuli grad. 2. minut. 42. qui jam in longitudinem minuta horaria 11. non excedunt, quod ſane exile eſt intervallum præ illo 21. minutorum, quæ tu definiviſti. Rurſum Bruxella Pariſios leucæ numerantur 50. ad ſummum, quarum poſtremæ ſunt multo noſtris Auſtraſiiis breviores, prorſus, ut ipſas 45. non excedant, ſi tamen etiam attingunt. Denique autem cum Tabulæ omnes Geographicæ Meridianum Pariſienſem per Ambianum protendant in ipſam Duncherckam, vel etiam Orientaliorem ſtatuant tantillo; ego quidem Hercio Duncherckam leucas noſtrates permenſus ſum accuratiſſime 34 quarum in iſto parallelo 38. conſtituunt 3 gradus, ſeu minuta horaria 12. leucæ ergo iſtæ 34 nec totæ ad Meridianum Pariſienſem dabunt min. 10. ſec. 30. atque iſtud eſt veriſſimum intervallum noſtrorum, cui obſervationes adſtipulantur hactenus, ut ſtupere oporteat.

Tu ipſemet Bullialde, anno M.DC.XXXVIII. nactus es medium Eclipticum die 21. Decem-

bris

Digitized by Google

bris mane Lutetiæ hora 1. minut. 10. ſec. 10. qood ego Hercii habui hora 2. minut. 21. perquam præciſe.

Anno 1643. die 27. Septembris habuiſti finem Eclipſeos hora 7. min. 59. cum dimid. magno conſenſu cum eo, qood Sucii obtinuit Gaſſendus, atque alibi Agarratus, prorſus ut fine iſto nihil ſit certius. As enim eundem iſtum nos obtinuimus Antuerpiæ hor. 8. minut. 6. ad ſummum: Lovanii Caramuel cum ſociis hora 8. min. 8. perquam concinne mecum; Finis ergo iſte fuerit habendus Hercii hor. 8. minut. 10. planiſſime. Rurſum ecce Pariſios inter, & Hercium min. 10. ſec. 30. Denique anno 1645. die 10. Febeuarii Gaſſendus medium Eclipticum obtinuit Pariſiis hora 7. min. 7. accuratiſſime; id verò ego Hercii exquiſite nactus ſum hor. 7. minut. 17. cum dimid. quo nihil cogitari poteſt cum ſuperioribus conſonum magis.

Maneat ergo Pariſios inter, & Bruxellam, ſive & Antuerpiam eſſe minuta huraria 6. admodum, aut, ut verius enunciem, Antuerpiam quidem $6\frac{1}{2}$. Bruxellam 6. cum dimid. Hercium min. 10. ſecund. 30. ad unguem, idque ſemel ratum, ac certum eſto. Nam quod ego alioquin 18. hactenus conſtanter aſſerui, hoc tu mihi præiviſti Bullialde, cui ego tantùm ſemper detuli, ut errare tecum duxerim etiam glorioſum. Quoniam enim in Eclipſi anni 1635. ſex digitos reſtitutos pronunciabas hora pariſienſi 4. min. 12. quos ego eosdem Hercii certus eram me habuiſſe hor. 4. min. 30. præciſe, non dubitavi quin eſſent inter nos min. 18. ipſiſſima. Rurſum cum anno 1643. haberes in Septembri digitos decreſcentes quinque hora 7. minut. 12. quatuor hora 7. minut. 23. tres hor. 7. minut. 31. qui fuerant Antuerpiæ hor. 7. minut. 25. hor. 7. minut. 36. hor. 7. min. 45. obſervati, quid ſupererat, niſi ut Pariſios inter, & Antuerpiam tota minuta ſtatueremus 13. vel 14. Hercium denique 18. Hoc ergo intervallum ſic interpretare tanquam a te ipſo proditum.

Ex Pariſiis quidem Hercium uſque complanata eſt via; pergamus hinc Dantiſcum, atque inde Regimontium, interque duo Pruſſiæ loca tabula Geographica, magnum artificem, atque induſtrium inſinuans (& cui plane confido) minuta horar. 9. ſec. 20. non plura. Jam verò inter Regimontium, & Lugdunum Batavorum Linnemannus de Solis deliquio 1639. eruit hor. 1. min. 4. ſec. 49. quod eſſet Hercium uſque h. 1. min. 0. ſec. 49. an proin Dantiſcum abeſſet Hercio min. 51. ſec. 29. & certe per alias obſervationes invenio ego Hercio Dantiſcum min. 50. tantum ſatis accurate. Ecce enim Eclipſis anni 1635. in Martio medium ſuum habuit Hercii mihi hor. 8. min. 49. ad ſummum. Dantiſci h. 8. min. 39. emerſio mihi notata eſt hor. 9. min. 40. Hevelio hor. 10. min. 30. ac denique Eclipſis 1643. deſit nobis Antuerpiæ hor. 8. minut. 5. cum dimid. admodum; Dantiſci verò hor. 8. minut. 59. ut inter hæc duo loca media ſint minut. 54. fere, unde & hic conficitur Dantiſco Pariſios numerari horam 1. min. 0. ſatis præciſe. Sane, ſi Eclipſis iſta 1643. deſiit vobis Pariſiis hor. 7. minut. 59. Dantiſci verò hor. 8. minut. 59. vides certitudinem conſtantiſſ. His ad hunc modum cognitis, veniamus nunc ad Eclipſin poſtremam Januarii 1647. hujus medium Gaſſendus habuit hora 9. min. 12. Pariſiis, Hevelius Dantiſci hor. 10. minut. 23. cum dimid. vel Gaſſendo ergo adiiciendum eſt tempus, vel detrahendum Hevelio. Ego in tam lecto pari artificum partitionem arbitratus ex æquo Gaſſendo quidem adſtruo hora 9. min. 17. Hevelio hor. 10. minut. 18. ad ſummum. Unde conficio Hercii medium fuiſſe revera per horam 9. min. 27. cum dimid. pro eo ac mei calculi largiebantur. Atque ita tandem pronuncio Smyrnam abeſſe Hercio meo hora 1. min. 33. cum dimid. ſatis præciſe; hoc eſt, Meridiano Atlantico hor. 3. m. 27. ad ſummum, aut ſaltem, qua minimum hor. 3. minut. 26. in quo acquieſco. Hæc ſunt, quæ ſuper Smyrnæ longitudine meditanti longitudinum quoque aliarum mihi alluxerunt facem, quæque ad te interim tranſdere viſum eſt, ut ſi contingat iteratò Tabulas tuas Philolaïcas prælo ſubiici (quod ego mihi perſuadeo fore prope diem neceſſarium, & jam eſſe exemplarium penuriam) quid ſuper his cogitandum ſit amplius interim deliberes. Atque etiam cum amiciſſimo utrique noſtrûm Gaſſendo in conſilium eas ad illa, quæ ante annum cum illo communicavi, quæque tua ſcire perintereſt. Etſi nullus dubito, quin jam tecum ſint communicata dudum poſtquam illuc rediſti. Utique in his leges affectum in te meum; ſtudium in exiſtimationem tuam interpretaberis. Atque id quidem hactenus.

Ad latitudinem illam tuam Byzantii gr. 41. min. 30. fando tibi tantum non experiundo compertam, quod attinet, ante iſtos 15 annos inſtiteram apud Conſtantinum Hugenium Arauſienſi Principi ab Arcanis, ut hoc mihi ageres apud Legatum Ordinum ad Portam Ottomannicam, ut reſcire tandem poſſem, an non Byzantii latitudo eſſet gr. 43. min. 17. vel 18. Quid ille reſcripſerit repræſento tibi ex Teutonico latine,

Mi Domine,

Præſtiti quidquid ejus potui, cujus me admonuiſti; ac tandem intellexi ex Aſtronomo hujus urbis celeberrimo, itemque ex Fautore harum artium, Viſiro uno, Sultanum Amurathem tertium, perquam ſedulò curaſſe inveſtigari longitudinem, ac latitudinem hujus urbis; & quidem in Topchana; deprehenſamque organis idoneis latitudinem quidem gr. 41. min. 30. longitudinem gr. 56. min. 47 præciſiſſime, certius nihil, aut verò propinquius obtinere licuit. Scio quidem longe hoc abeſſe ab opinione communi, quantum ad latitudinem attinet (quæ paſſim hic degentibus aſſeritur gr. 42. min. 30.) longiſſime verò ab eo, quod ad meta præſcribis. Nemo hic eſt ab Aſtrolabiis idoneis inſtructus, quibus experimentum capi queat; etſi mihi eſt ſpes unius facta. Quotquot hic ſunt Arabes Matheſeos Profeſſores in id conſentiunt, quod retuli. Quotquot extra hanc orbem ſcripſerunt, errarint; prorſus ut ego quidem cenſeam ſtandum experimento Imperatorio. Super his expectabo reſponſionem tuam avide. Conſtantinopoli, ultima Aprilis 1633. C. Haga.

Atque ita quidem ille: Poſt quæ fruſtra Te Bullialdum Aſtronomorum Principem, ita fruſtra fuiſſe Byzantii, ut non venerit in mentem rationis gnomonicæ, apud Legatum Regium, apud tot alios præſtantes Viros Gallos Peræ agentes, & Galatæ. Ubi intra privata ſecta nullum a Vaniis Turcicis periculum, indignor, ut gravius nihil dicam. Interim tamen me conſolor, quod hæc ipſa te objurgandi libertas adiget te ad aliquod

faci-

Digitized by Google

facinus; tandem iſtud eruendi via quacumque alia.

Cogitavi mecum ſæpe, an non in Sultanicis iſtis numeris Arithmetici characteres ſitum permutaverint, in quem ſint reſtituendi? Et profectò tale ſubeſt quidpiam; nam ad longitudinem illam grad. 56. min. 47. quis non videt delirium? omninò ergo τὸ 7. aliò eſt referendum, & ſic quidem etiam, ut ſitum habeat in fine aliquo nòn rectè graduum longitudinis, non etiam latitudinis, ſed omninò finem claudat minutorum, atque illum latitudinariorum, ut nimirum totidem hi characteres 5647. 4130. componant gr. 56. min. 40. & gr. 43. min. 17. quo nihil jam manifeſtius. Et favet huic invento Strabo, qui Byzantium aſſerit abeſſe ab Æquatore ſtadiis 30300. qui ſunt ipſiſſimi noſtri gradus 43. minut. 17. ad unguem ab Hipparcho proditi ſcilicet, unde Strabo ſua.

Et hæc quidem ſuper iſto Byzantii climate. At quod gaviſurum te confido. Scito jam me nactum eſſe die 23. Novembris ἔξαρμα Noribergenſe graduum 49. min. 27. & amplius; & Altorfii quidem elevatio ex circumpolaribus deprehenſa eſt grad. 49. minut. 26. cum dimid. Noriberga verò cum ipſis oculis teſtibus eminus conſpecta diſcernatur ſeptentrionalior, firmatur mea adſertio, qua ſcribebam ad Magiſtratum inclytæ illius urbis videri mihi latitudinem domus, & Obſervatorii Walteriani grad. 49. minut. 27. ſec. 5. Abdias ille Trevv ad me juſſu Magiſtratus ſcribens, poſtquam Altorfii latitudinem definivit gr. 49. min. 26. ſec. 30. hæc ſubjungit

Quia itaque Noriberga Altdorffio Septentrionalior eſt (licet non multum, ut ſitus ejus eminus e monte juxta Altdorffium conſpectus indicat) colligitur ex hac obſervatione rectè ſentire Dominum VVendelinum in eo, quod latitudinem loci Noriberga non æſtimet tantum grad. 49. minut. 26. aut grad. 49. min. 24. ut alii, ſed ultra grad. 49. minut. 27. quidquid ſit de ædibus VValterianis.

Obſervationem pleniſſimam promittunt mihi per Solſtitium æſtivum proximum. Inter quæ ſi quid Conſtantinopoli nactus es, quod nos amplius inſtruat, ejus oro te fac indicinam. Tum quid in Mercurio adeptus ſis, quo triumphea magis, ad cujus motum, ut ſymbolam quoque meam conferam, ecce tibi in Chronico Colmarienſi verba iſta expendenda. *Anno 1284. die 17. Calend. Decembres Venus, & Mercurius ſimul fuerunt.* Tu iſta examina, & quid ſuper his, aliiſque dudum ad Gaſſendum transditis judices [ſi mereor] verbulo ſignifica. Valete carorum Capitum par lectiſſimum, & amate amantem vos ſuſpicientem, colentem venerabundum Gottifredum Wendelinum. Bruxellis 29. Novembris 1647.

Perquam Reverendo, Præclariſsimoque Viro Petro Gaßendo Præpoſito Eccleſiæ Dinienſis, amico obſervando, S.

MIror ſane altum ſilentium tuum; nam minimum octo lapſi ſunt menſes, a quo binas [alteras ſcilicet die 15. Julii, alteras 13. Auguſti datas] cum Selenographia, rebuſque quibusdam aliis, ad te tranſmiſi, ad quas hactenus reſponſum tuli nullum. Id tamen tibi imputare nefas eſſe duco; quippe animum erga me tuum nullo non tempore ſtudioſiſſimum pluſquam ſatis perſpectum habeo; ſed mercatoribus, nautiſque id adſcribo, quibus tuæ concreditæ ſunt reſponſoriæ, quas intra manus alienas etiamnum hærentes mirum in modum expeto, cum ob judicium tuum ſuper Selenographicis meis laboribus, quod mihi in illis certò pollicitus ſum, tum ut perciperem, qua fronte Præclariſſimus Bullialdus, & Robervallius eam ipſam Selenographiam exceperint. Sperasſem inſuper ex illis ipſis litteris me intellecturum quædam de itinere Bullialdi, deque acquiſitis in Oriente obſervationibus, atque aliis ſcitu digniſſimis rebus; verum ſi dictæ litteræ perierint, fruſtra hæc a me expectantur omnia, niſi forte illa ipſa data occaſione repetere placeat. Ceterum diu eſt, quod ſum, ratione lentium promiſſarum, in ære tuo, nunc verò ſatis paratus ad ſolvendum, poſtquam paululum nactus ſum otii; ſiquidem eas omninò jam expolitas habeo, nec quidquam deficit, niſi optima tranſmittendi occaſio. Quod ſi autem intra pauciſſimas ſeptimanas per amicum quendam opportuna nulla ſeſe offeret, curabo illas ipſas lentes, incluſis litteris, abſque tamen fractionis periculo, per tabellarium ad te perferri; tumque te pluribus certiorem faciam de omnibus, quorum tua ſcire intereſſe putabo. Denique fac, quæſo, ut primo quoque tempore ſciam, num qui ſint Pariſiis (ut mihi quidem perſcriptum) qui Selenographiam noſtram deſiderent? Quod ſi ita eſt, non deero, quin quam certiſſime tot exemplaria, quot opus erit (quodlibet ſcilicet 12. Imperialium pretio redimendum) ad vos tranſmittam. Sin verò quidam modo dictam Selenographiam hic Dantiſci redimere mallent, atque ſuo periculo illam mari committere, iis pro 10. Imperialibus concedetur. Qua de re etiam niſi grave erit cum Domino Cramoiſio, vel cum quibusdam aliis Bibliopolis loquaris, rogo, ut indicent num aliquot exemplaria pro modo dicto pretio cupiant necne? Quod officium, ut magni beneficii loco ducam, ita viciſſim feriò tibi perſuadeas velim, ſi quid poſſim tui cauſſa, nunquam non effecturum, utpote qui ſum, quique ero. Gedani die 24. Aprilis 1648.

Tuæ Rever. Dignit. ſemper ſtudioſiſſimus
I. Hevelius.

Reve-

Digitized by Google

Reverendo Admodum, Clariſſimoque Viro Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito

GOTTIFREDUS WENDELINUS
S. P. D.

QUinque jam ſunt menſes, Optime, Doctiſſime, Præſtantiſſime Gaſſende, ex quo diſcedens Bruxella poſtremas ad te ſimul, & Bullialdum in medium communes feci. Interea dum abſum parlata ſunt ad Ampliſſimum Chifletium duo Volumina, quæ tu ad me transdidiſti; Aſtronomicum alterum, alterum de vita, & moribus Epicuri. Sed ſine litteris ullis, aut Bullialdi, aut tuis, ut dubitare ſubeat, anne illas meas poſtremas acceperitis; in quo ſi quid peccatum eſt a Veredario, nolim hercle factum; ſed tamen ſi factum eſt, indignationem meam paro, quod ſcripti mei ſervaverim (neſcio quo fato præter morem meum bono) tuere exemplar, quod ipſum ſi de te verum reſciam communicabo, atque adeò vel hinc ſummam ejus communico; qua Smyrnam inter, & Hercium meum intervallum adſtruo hoc grad. 1. m. 33 quod ipſum magis quoque jam confirmatum de illa eadem Eclipſi per obſervationem habitam Majoricæ [cujus Polus eſt grad. 39. min. 35.] ab hora 8. minut. 16. ad hor. 10. min. 31. Medium ut fuerit hora 9. min. 23. cum dimid. quæ tempora Smyrnæ Bullialdus habuit hor. 9. min. 55. & hor. 12. min. 7. unde Medium eruitur hor. 11. minut. 1. plane ut Majoricam inter, & Smyrnam intercedant hor. 1. minut. 38. ad omnem *ἀκρίβειαν* ſenſuum. Eclipſin hanc communicavit mecum Doctiſſimus Ricciolus Soc. Jeſu Profeſſor Mathematum Bononiæ habitam Majoricæ per P. Vincentium Mutium ſecundum altitudinem Procyonis grad. 39. m 10. & Capellæ [ad Occaſum] gr. 68. min. 28. Addebam illis Pariſios inter, & Hercium non intercipi minuta plura 10. cum dimid. ſatis præciſe, idque & de itinerariis intervallis, & de Bullialdi ipſiuſmet obſervatis evincebam. Adſerebam denique, quod mihi videretur ſtatuendum ſuper Examine Byzantii conjectura correctoria illius obſervationis, quam juſſu A nuratis III. factam tranſmiſit ad me Haga Legatus Ordinum Batavorum ad Portam Turcicam.

Quæ omnia, quæque de Noribergæ Polo jam certiore, & grad. 49. min. 27. ſuperante anne acceperitis, ſimulque quid deſideretis amplius, diſcam de proxima veſtra ſcriptione. Nunc in agendas gratias pro munere converſum me, ac quomodo eas explicem implicatum, vix invenio; unum viſum optimum. *Retaliare*. Habe ergo a me hoc *ἀντίδωρον*. *Joannem* ipſum *de Lineriis*, pro cujus indicato ſolo nomine tu nuper voluptatis dediſti ſignificationem. Exhibeo tibi illum quantum potui verò vultu, atque etiam cum Theſauro, quem poſſidet toto. Is verò eſt ſitus 55. nobilium Stellarum conſtipitus paucarum de pluribus, & quas ego video fuiſſe 48. ſed reliquis 33. deperditis gratulandum eſt nobis, quod ſaltem has adhuc habemus Lineriani laboris reliquias, quas ipſas plenius conſervavit Codex Arnaudinus, qui poſt annos a Linerio 14. omnes (ſaltem 47.) repræſentat; quaſdam ex iis etiam rectificatas pro anno 1364. Agnoſco in his Magiſtrum Linerium Provincialem diſcipulum, & eſt operæpretium hos inter ſe componere.

	Anno 1350. grad.	min.		Anno 1364. grad.	min.
Fluminis ultima	18.	10.	♈	18.	20.
Aldebaran.	0.	50.	♊	1.	0.
Alharath.	13.	10.	♊	13.	10.
Pes Orionis.	8.	0.	♊	8.	0.
Alhabor.	5.	50.	♋	6.	0.
Algomoiſa.	17.	20.	♋	17.	20.
Cor Leonis.	20.	40.	♌	20.	40.
In Urſa minore.	5.	20.	♌	5.	19.
Altera.	14.	20.	♌	14.	19.
Cauda Leonis.	12.	40.	♍	12.	45.
Alramech.	14.	7.	♎	14.	10.
Alchimech.	14.	50.	♎	15.	0.
In Centauri pede.	26.	30.	♎	26.	30.
Wega.	5.	30.	♑	5.	30.
Piſcis Auſtrinus.	18.	10.	♒	15.	10.

Quinque Stellæ nobiles, ultima fluminis, Aldebara, Alhabor, Cauda Leonis (præter ceteras] & Alchimech ſatis indicant artifici poſteriori (Linerium cetera exprimenti) circa iſtas ſaltem non defuiſſe curam, aut ſefelliſſe ſolertiam. Etſi enim alias Stellas non aliis longitudinibus ſignavit, quam eas ſignaverat Linerius [quem utique manifeſtum eſt eum exſcripſiſſe] in iſtis tamen fuit, quod illum moverit, ut diligens eſſe vellet. Et quidem cum inter Caudam Leonis, & Spicam definiverit intervallum grad. 32. minut. 15. quod Tychoni eſt grad. 32. minut. 53. clarum eſt magnam hic adhibitam induſtriam, ac

ac de Cælo derivatum, quod prodidit. Ideoque certum mihi eſt Spicæ locum ante omnia illi fuiſſe definitum ex latitudine grad. 2. minut. o. & ea declinatione, quam deprahendit. Atque ab hoc jacto fundamento molitum retro, ac porrò rectificationes, ſi non omnium, certe nobilium Stellarum aliquot.

Et verò videamus quam hæc ſint accurata. A Linerio ad Tychonem mediis annis 250. præciſe motæ ſunt Stellæ mihi quidem grad. 3. minut. 31. ſec. 36. Keplero, & Bullialdo grad. 3. minut. 32. ſec. 30. hoc eſt, ad omnem ſeorſum grad. 3. minut. 32. unde ab anno M. CCC. LXIV. ad Tychonem motus colligitur grad. 3. min. 20. ſatis præciſe. Jam verò quoniam inter Cor Leonis, & Spicam intervallum ſumitur Ptolemaïcum grad. 54. minut. 20. quod eſt ſolum grad. 53. minut. 59. profectò ſi hoc iſtud fuiſſet artificibus iſtis explorarum definiviſſent utique loca hæc, Reguli grad. 20. minut. 45. ♌ Spicæ grad. 14. minut. 44 pro anno M. CCC L. Linerius, Reguli grad. 20. minut. 47. Spicæ grad. 14 minut. 56. pro anno M. CCC. LXIV. Provincialis, quo nihil dari poterat accuratius.

Expende hæc, doctiſſime Gaſſende, & Linerium jam poſtliminio Galliæ ſuæ redditum ſuſcipe, ac ſuſpice. Ac meeum etiam iſtud conſidera, quod ad annum M. CCC. XXXII. obliquitas Zodiaci aſſinitur grad. 23. minut. 31, ſec. 45. Hoc enim Pariſiis obtineri non potuit, ubi refractiones hybernæ anguſtius debuerunt exhibere intervallum duorum Tropicorum, An ergo Provincialis ipſemet hoc ex provincia detulerit Pariſios, quod Linerio alliverit? Quid vos circa hybernum Solſtitium, cujuſmodi refractiones ſubinde adverteritis ſcire pervelim. Atque etiam (ſi ad vos illæ meæ pervenerunt) a Bullialdo intelligere ecquid me amet. Bruxellis 23. Maii 1648.

Ex æquo utriuſque veſtrûm plenum
Gottifredum VVendelinum.

Ex Codice Membranaceo, qui fuit civis Atrebatenſis, ſervatur verò nunc Bruxellæ in Bibliotheca Societatis Jeſu

Exſcripſit hæc, quæ judicavit ſcitu digniora (Gallis utique) Gottifredus Wendelinus, imitatus manum.

Incipiunt ſcripta Domini Joannis de Spira, Alamani ſuper Canonis Almanach Magiſtri Joannis de Lineriis Picardi Ambianenſis Diœceſis.

CIrca Canonem de inventione augium tria ſunt intelligenda; primum eſt de tempore Tabulæ non deſinentis; Secundum de opere; Tertium de cauſa operis. ℂ Tabula iſto modo componitur; in prima enim linea proponuntur anni Chriſti collecti, & incipiunt a M. CCC. XX. completis, & colliguntur prouſque ad annos M U. XX. completos, ut patet in fine lineæ. Præterea in directo cujuſque ponuntur iſta per ordinem; primo ponitur aux Solis pro principio anni M. CCC. XXI. præterea aux Saturni pro principio ejuſdem anni; dein aux Jovis, poſt aux Martis. Prius aux Mercurii, demum dicitur ultimo ratio diſferentiæ; aux verò Veneris non ponitur, ibique eſt eadem cum auge Solis, ut patet ex Theorica illius, atque ad hunc modum pergit iſte Joannes de Spira totis ſex foliis, donec ſexto folio verſo finem facit ſuæ Iſagoge his verbis: *Expliciunt Canones ſuper Almanach Magiſtri Joannis de Lineriis Ambianenſis Diœceſis.*

Interjecto deinde ſpatio duorum Pollicum ſequuntur iſta:

Radix mediorum motuum ſubſcriptorum ad tempus Chriſti Pariſius; ideſt Pariſiis.

	S. G. M. S. T.	Radix Mediorum motuum ad an. 1320.	S. G. M. S. T.
Radix Solis.	9. 8. 19. 2. 14.	Radix Solis	9. 18. 0. 54. 14.
Radix Lunæ.	4. 2. 20. 29. 7.	Radix Lunæ.	9. 27. 30. 48. 13.
Radix centri Lunæ.	1 18. 2. 54 0.	Centrum Lunæ.	1. 18. 59. 47. 0.
Radix argumenti Lunæ.	6. 18. 34. 7. 0.	Argumentum Lunæ.	10. 1. 27. 5. 0.
Medius motus capitis.	3. 1. 55. 46. 20.	Medius motus capitis.	1. 2. 46. 5. 54.
Radix Saturni.	2. 14. 5. 16. 11.	Radix Saturni.	0. 23. 52. 5. 29.
Argumentum Saturni.	6, 24. 3. 46, 0.	Argumentum Saturni.	8. 24. 8. 49. 0.
Radix Jovis.	6. 0. 37. 10. 45.	Radix Jovis.	9. 28. 41. 5. 44.
Argumentum Jovis.	3. 7. 41. 51. 0.	Argumentum Jovis.	11. 19. 19. 49. 28.
Radix Martis.	1. 11. 24. 26. 50.	Radix Martis	11. 20. 16. 4. 0.
Argumentum Martis.	7. 28. 54. 45. 24.	Argumentum Martis.	9. 27. 45. 0. 24.
Argumentum Veneris.	4. 9. 24. 49. 0.	Argumentum Veneris.	0 10. 4. 50. 14.
Argumentum Mercurii.	1. 15. 17. 45. 11.	Argumentum Mercurii.	9. 9. 42. 29. 0.
Radix Mediæ elõgationis Pariſius, *ideſt Pariſiis*, tẽpore Chriſti.	6. 24. 1. 29. 42.	Motus acceſſus.	2. 7. 5. 43. 0.
Radix motus acceſſus, & receſſus. Pariſius, *ideſt Pariſiis*, tẽpore Chriſti	11. 29. 12. 34. 0.	Media elongatio Solis, & Lunæ.	0. 9. 29. 53. 19.
Radix augis Solis ſine motu.	2. 11. 25. 23. 0.	Radix argumenti latitudinum.	0. 0. 16. 14. 7.
Radix augis Saturni.	7. 23. 23. 42. 0.	Radix augium ſine motu ad annos 1320.	S. S. M. S. T.
Radix augis Jovis.	5. 3. 37. 0. 0.	Aux Solis.	2. 21. 9. 10. 39
Radix augis Martis.	3. 25. 12. 13. 0.	Aux Saturni.	8. 3. 5. 54. 42.
Radix augis Mercurii.	6. 10. 39. 33. 0.	Aux Jovis.	5. 13. 18. 52. 43.
Radix mediæ elongationis Solis, & Lunæ.	6. 24. 1. 77. 0.	Aux Martis.	4. 4. 54. 5. 43.
Radix argumẽti latitudinis Lunæ.	7. 24. 6. 15. 0.	Aux Mercurii	6. 20. 21. 25. 43.
		Ergo motus octavæ Spheræ.	0. 8. 17. 6. 48.

Atque hactenus quidem folium iſtud ſextum verſum concluditur; abinde incipiunt Tabulæ ſane quidem operoſæ; ſed in quibus nihil ullarum eſt obſervationum, donec folio 33. incipit alia manus charactere majore, & quantum judico antiquiore cum hoc titulo.

Tabula ſemidiametrorum Solis, & Lunæ, & umbræ, & pertinet ad Eclipſes. Eadem omnia repetit folium 34. manu non multum diverſa, quod miror.

Folio 35. verſo duæ ſunt Columnæ.

Declinationes			Nomina Stellarum.		Longitudo grad.	Longitudo min.	Latitudo grad.	Latitudo min.	
1	31	61	Aries	Mirach.	7.	0.	14.	0.	S.
2	32	62		Cioit.	22.	0.	32.	30.	S.
3	33	63							
4	34	64	Tauros	Menkar.	6.	0.	1.	0.	S.
5	35	65		Aldebarao.	29.	0.	14.	20.	S.
6	36	66							
7	37	67	Gemini	Regel.	11.	0.	10.	0.	M.
8	38	68		Alhageth.	6.	0.	43.	40.	S.
9	39	69							
10	40	70	Cancer	Alhabor.	3.	0.	15.	30.	M.
11	41	71		Algomoïſa.	13.	0.	7.	9.	S.
12	42	72							
13	43	73	Leo	Alforac.	9.	0.	15.	30.	M.
14	44	74		Cor Leonis.	19.	25.	15.	51.	S.
15	45	75		Urſa.	20.	0.	35.	0.	S.
16	46	76							
17	47	77	Virgo	Corvos.	1.	0.	11.	30.	M.
18	48	78		Algarab.	22.	0.	13.	30.	M.
19	49	79		Canda Leonis.	5.	0.	19.	30.	S.
20	50	80							
21	51	81	Libra	Alchimech.	13.	50.	24.	10.	S.
22	52	82		Alramech.	18.	0.	2.	0.	M.
23	53	83							
24	54	84	Scorpius	Yeth.	14.	0.	13.	0.	S.
25	55	85		Alpheta.	2.	0.	37.	0.	S.
26	56	86							
27	57	87	Sagittarius	Alhanc.	21.	15.	7.	0.	S.
28	58	88							
29	59	89	Capricornos	Vega.	10.	0.	50.	0.	M.
30	60	90		Alcayr.	21.	0.	7.	0.	M.
			Aquarius	Aldirah.	10.	0.	50.	0.	M.
				Scheat equi.	30.	0.	19.	0.	M.
			Piſces.	Humerus.	6.	0.	24.	0	M.
				Cauda ceti.	30.	0.	22.	0.	M.

Maximam declinationem grad. 90 exhibeo. Neque enim fuit viſum repræſentare omnes alias, & ſingulorum gradoum declinationes expreſſas dare Imo grad. 47. min. 3. ſec. 30. dimidium pro anno 1332. grad. 23. min. 31. ſec. 45. eſt veriſſima declinatio hujus temporis.

• • • • Hæc legi non potuerunt.

1256.

Apparet eſſe Catalogum aliquot Stellarum rectificatarum ſub Alphonſo anno 1256. quando revera Cor Leonis fuit in grad. 19. minut. 25. ♌ in quam Stellam videntur artifices illi curioſius inquiſiviſſe onde reliquarum loca invenirent. Latitudines verò cum declinationibus confunduntur.

Folium 44. Verſum poſt Tabulam Retrogradationum, Stationum, & directionum hæc habet.

Prima dies Arabum Jovis eſt ſed tertia Perſis,
Sexta quidem Græcis . . . . . Saturnique Latinis.

Folium 46. verſum ſic incipit manu triplici.

Prima Manus, Tabula ad ſciendum motum Solis, & Lunæ in uno minuto diei, & minuto diei Lunæ.

Secunda Manus, includitur æquatio centri.

Tertia Manus, & eſt compoſita anno Domini 1332. incompleto menſe Januarii per Magiſtrum Joannem de Monte-forti ſecundum calculationem Tabularum Alfoncis.

Num.

Num. annorum.	Tempus conjunctionis, & oppoſitionis, & quatuor aſpectuum.	Motus Solis, & Lunæ.	Augmentum Lunæ.	Argumentum latitudinis Lunæ.
1	9. 0. 50. 54.	4. 58. 28. 10.	4. 17. 33. 32.	3. 12. 52. 55.
2	27. 54. 42. 33.	5. 14. 52. 5.	3. 48. 10. 39.	3. 51. 35. 54.
3	16. 16. 44. 5.	5. 4. 8. 55.	2. 57. 58. 46.	3. 59. 38. 39.
4	5. 38. 45. 36.	4. 53. 25. 45.	2. 7. 46. 53.	4. 7. 41. 24.
5	24. 32. 37. 15.	5. 11. 49. 0.	1. 43. 24. 1.	4. 46. 24. 23.
6	13. 54. 38. 47.	5. 1. 5. 50.	0. 53. 12. 8.	4. 54. 27. 7.
7	2. 16. 40. 18.	4. 50. 22. 41.	0. 3. 0. 15.	5. 2. 29. 52.
8	21. 11. 31. 57.	5. 8. 45. 55.	5. 38. 37. 22.	5. 41. 12. 51.
9	10. 32. 33. 29.	4. 58. 2. 45.	4. 48. 25. 29.	4. 49. 15. 37.
10	29. 16. 25. 8.	5. 18. 26. 0.	4. 24. 2. 37.	0. 27. 56. 36.
11	17. 48. 26. 39.	5. 5. 42. 49.	3. 33. 50. 44.	0. 36. 56. 22.
12	7. 50. 28. 11.	5. 54. 59. 40.	2. 43. 38. 51.	0. 44. 4. 6.
13	26. 4. 19. 50.	5. 13. 22. 54.	2. 19. 15. 59.	1. 22. 47. 55.
14	15. 26. 21. 22.	5. 2. 39. 44.	2. 29. 4. 6.	1. 30. 49. 50.
15	3. 48. 22. 53.	4. 51. 56. 35.	0. 38. 52. 13.	1. 38. 52. 35.
16	22. 42. 14. 33.	5. 10. 19. 49.	0. 14. 29. 20.	2. 7. 35. 34.
17	12. 4. 16. 4.	4. 59. 38. 40.	5. 24. 17. 27.	2. 15. 28. 20.
18	1. 26. 17. 36.	4. 48. 43. 30.	4. 34. 5. 34.	2. 33. 41. 6.
19	19. 20. 9. 15.	5. 7. 16. 44.	4. 9. 42. 42.	2. 14. 24. 5.
20	8. 42. 10. 46.	4. 56. 33. 35.	3. 19. 30. 49.	13. 20. 26. 49.
21				
22				
23				
& ſic ad annum 1373.				

Nota quod hæc capſula incepit anno Domini 1330. completo 9. die menſis Januarii completo, prout in prima linea continetur, & hæc fuit prima conjunctio in anno 1331.

Nota diſtantia inter Toletum, & Pariſius, ideſt Pariſius, *longitudo 12 grad. quibus correſpondent duo minuta dierum.*

Nota, inter Pariſius, ideſt Pariſios, *& Magdeburgum ſunt variatæ per tres gradus longitudinis, hoc eſt per 12. minuta horæ, quibus correſpondent diei 30 ſecunda. Et ſi ſecundum hæc volueris mutare tempora hic reperta ad tempus adde 30 ſecunda diei penitus omnes motus debent teneri ſecundum, quod hic reperiuntur. Quoniam ſi cum radice cujuſque Regionis intretur, idem proveniret.*

Atque ad iſtum modum denique per annus 43. totos pertexuntur calculi mutuum, quibus hæc pagina impletur, quam tutam repræſentare laborioſu tædiu, nec utili non putavi magnum operæ pretium, quæ ad marginem columnarum iſtarum annotata ſunt, quoniam ætatem Linerii confirmant, annumque 1331. ceptantem non potui umittere, quin repræſentarem quam potе religioſiſſime. Ut etiam hinc appareret ſupinitas, & imperitia librarii intervalla inter Toletum, Pariſios, & Magdeburgum [patriam credo Joannis da Spira] permutantis. At verò folium hoc ipſum 48. verſum Theſaurum ecce nobis uffert immenſæ jam æſtimationis. Quamquam [heu!] abjectum in ſtercus ſcriptoris imperitiſſimi, quique fœdiſſime dehoneſtavit hos atlantæos labores Linerii, neque ex 48. Stellis Fixis, quas rectificaverat Linerius plures exſcripſit, quam 15. omnes pleno fere numero ſunt in Codice Arnaudino, quædam etiam rectificatæ poſt annos 14. pru anuo 1364.

grad.

Digitized by Google

Folio 48. verſo e medio paginæ.

	grad.	min	latitudo.		Partes.	Magnitudo	Complexiones.	Nomina.
♈	18.	10.	13.	10.	M.	1.	♃	fluminis ultima.
♉								
♊	0.	50.	5.	10.		1.	♂	Aldebaram.
	13.	10.	22.	30	S.	1.		Alharath.
			31.	30	M.	1.	♃ ♄	Pes Orionis.
	8	0.	39.	10.	M.	1.	♄ ☿	Alhaboz.
♋	5.	50.	16.	10.	M.	1.	♂ ☿	Algomoiſa.
	17.	20.				1.		
						1.		
	20.	40.	0.	10.		1.		
♌					S.	1.		
	5.	20.	72.	50	S.	1.	☿ ♃	Cor Leonis.
			74.	50.	S.	2.	♄ ♀	Duæ in ſtellatione.
	14.	20.				2.	♄ ♀	Urſæ minoris.
♍	12.	40.	12.	50.	S.	1.	♄ ♀	Cauda Leonis.
♎	14.	7.	31.	30.	S.	1.	♂ ♃	Alramech.
	14.	50.	2.	0,	M.	1.	♀ ☿	Alchimech.
	26.	30.	41.	10.	M.	1.		In Centauri Pede.
♏								
♐								
♑	5.	30.	62.	0.	S.	1.		Wega.
♒	18.	10.	23.	0.	M.	1.	♄ ♃	Piſcis Auſtrinus.
♓								

Hæc Tabula Stellarum Fixarum æquata eſt ex Tabula Stellarum Fixarum, quas Alfoncius Rex verificavit anno Domini 1350. completo. Longitudo earum eſt gradus circuli ſignorum, per quæ tranſit circulus tranſiens per Polos Zodiaci, & centrum Stellæ. Latitudo verò earum eſt arcus circuli prædicti cadens inter gradum, & centrum Stellæ.

Clariſſimo

Clariſſimo, & Excellentiſſimo Viro Domino D. Petro Gaſſendo, Mathematico Pariſienſi celeberrimo, amico meo S.

GRatulor tibi, vereque gratulor, Clariſſime Gaſſende, illuſtrem, quam in te ſuſcepiſti provinciam celebrandi Nobiliſſimum noſtrum Tychonem. Digniſſimus ſane eſt, ſi quis alius, cujus famam, laudemque ab oblivione hominum, ac ſilentio vindicent omnes illi, qui de litteris bene mereri cupiunt; ad hoc laudabile tuum inſtitutum promovendum, quæ ego promiſi documenta mittam intra pauculas ſeptimanas. Hoc tempore iis, quæ tecum communicat Celeberrimus noſter Wormius, adjungere mea non potui, veritus, ne faſciculus in nimiam excreſceret molem. Hoc verbulo tibi indicare jam volui, ne de meo in te animo dubitares, neve de ceſſatione hac mea quidquam ſiniſterius judicares. Vale, celeberrime Gaſſende, & me inter eos numera, qui te, uti jus, faſque eſt, colunt, ac venerantur. Scripſi feſtinanter Hafniæ die 9. Junii ſtyl. vet. 1648.

Tuæ dignitatis addictiſſimus
Georgius Frommius.

Viro Clariſſimo, & Excellentiſsimo D. Petro Gaſſendo

OLAUS WORM. S.P.P.

SCripſit ad me non ita pridem amicus meus grata familiaritate conjunctiſſimus Dominus Iſaacus Peyrerius te conſtituiſſe vitam Tychonis Brahæi noſtri conſcribere, & in honorem tanti viri apud vos typis edere, ut ſi quid haberem, quod ad rem facere poſſit, communicarem. Addidit præterea chartam, in qua conſignata erant, quæ deſideras; ſimulque amoris, & benevolentiæ tuæ erga me teſtimonium, eruditum tuum de vita Epicuri commentarium; quem licet nondum acceperim, tamen & pro benevolentia, affectu prolixo, & munere, gratias ut ago maximas, ita optarem me par pari reddere, & votis tuis ita reſpondere poſſe, ut meam operam te haud fruſtra expetiiſſe agnoſceres. Nihil intermittens, quod huc ſpectare poſſet, rem cum amicis communicavi, in primis Mathematico noſtro Frommio, quem non pauca tenere ſciebam, quæ tuo inſtituto ſervire poſſent; ut Craigii Scoti ſcriptum contra Tychonem cum ſua Apologia, & vitam Tychonis a ſe elaboratam. Nuper in publica Panegyri recitatam, epiſtolas præterea quaſdam, hocque ab eo obtinui, ut tuam ambiens amicitiam, & favorem tecum per litteras ageret ipſe, atque quæ haberet communicaret, a quo ſpero te habiturum, quæ in meis hiſce ſchedis deſiderantur. Accipe verò hic a me quæcumque in temporis hac anguſtia corradere valui, eaque in meliorem interpretare partem, ea hinc ſeligens, quæ propalandis ex uſu, & honore ipſius Tychonis, & patriæ noſtræ fore exiſtimas. Ac ut nihil prætermiſiſſe videar eorum, quæ expetis ad ſingula chartæ tuæ momenta brevibus reſpondebo.

Quo præciſe anno natus ſit Tycho docent ſchedæ meæ num. 6. Oratio item Funebris Tychonis a Jeſſenio Pragæ dicta, anno nempe 1546. die Decembris 15. intra hor. 9. & 10. matutinam, in Avito prædio Knudſtrup in Scania ſito.

Fratres habuit Georgium, Axelium, Stenonem, Canutum, omnes magnæ in patria auctoritatis, & ex parte Ordinis Senatorii Regni: Sorores habuit Ingeburgam, Elizabetham, Sophiam, hæc verò Aſtronomiæ non plane inerudita, ſed in Thematibus erigendis expedita. Reliquit eadem filium Daniæ Senatorem inclytum, Dominum Tagonem Tot de Ericsholm, Equitem Auratum, litteratorum fautorem ſummum, cui ego monumentum Steroenſe dicavi. Vide numero 3. 24.

Quando Vandesburgum appulerit, & quo nomine uxor (quæ Pragæ obiit) fuerit, docebit Frommius.

Qui ex liberis mares, &c. ab eodem habebis. Interim conſule num. 6. 12. 18.

Quæ vera fuerit ejus annua penſitatio colliges ex num. 24. dum hic fuit. Illa omnia a Rege Chriſtiano IV. P. M. ipſi fuere conceſſa, quæ a parente habuit, dum Magnates ſibi habuit faventes, num. 24.

Alios ex proprio non videtur habuiſſe reditus, quam quos Knudſtrupium ipſi ſuppeditavit.

Roeſchildenſis Canonicatus vulgò Prebenda Regum vocatur num. 24. cujus annuus reditus mille daleris imperialibus æſtimatur, nullis obnoxius eſt oneribus, præterquam quod ejus Poſſeſſor Sacelli huic additi, in quo Regum ex familia Oldemburgica Mauſolæa extant tecta ſarta ſervare teneantur. Jam ordinarie Cancellario Regis confertur.

De cauſis diſceſſus vide num. 8. 11. 29. diſceſſit autem anno 1597. Rege nec invito, nec inſcio; ejus ſcitu organa abſportavit, nullo aut Regio, aut Ranzoviano navigio. In Huena nihil reliquit inſtrumentorum num. 18. Inſula poſt abitum ſemper in feudum data nobili cuidam, ſive viro, ſive feminæ, in qua jam campus ubi Uraniburgum fuit. Jam feudi titulo vidua quædam nobilis eam tenet Inſulam. Quo tempore ad Ranzovium acceſſerit, &c. diam, & ſuam litteræ, quas mitto docebunt. Wandeſburgi eum fuiſſe apparet in Aprili anni 1598. vide n. 13. Inde diſceſſit Wittebergam, ubi adhuc commoratus fuit ultimo die ejuſdem anni, & 11. Januarii 1599 ut vides num. 14 15. Hinc ad Rudolphum Imperatorem conceſſit, evocatus, n. 15. quem Pragæ invenit, ubi in ædibus Curtianis aliquandiu ſubſtitit num. 16. 24. prius Pragæ fuit, quandiu collige ex num. 18. Benaticæ quis ſitus, & conditio num. 17.

Incidit in morbum 13 Octobris, obiit ejuſdem menſis die 24. anni 1601. ut patet ex Oratione funebri a D. Jeſſenio habita, & num. 23. ſepultus Pragæ in Templo veteris urbis primario 4. Novembris ritu equeſtri honorificentiſſime. Oratio funebris habita a D. Jeſſenio a Jeſſen, quæ excuſa Pragæ typis Georgii Nigrini anno 1601. ſi apud nos venalis extaret mitterem; unicum ſaltem ejus exemplum apud amicum vidi. De Tumulo, & Epitaphio nihil habeo præter ea, quæ vides num. 21. appoſita Orationi Jeſſenii. Ibidem Elogia quædam extant Joannis Kepleri, & Pauli Coldingii Cimbri, qui Tychoni morienti adſtitit, cujus etiam quædam vides num. 24.

Mor-

Mortuo Tychone organa omnia Pragam ſunt tranſlata, & aſſervata in ædibus Curtianis, ubi militum ſævitia [ut ferunt] occupata a Palatinis urbe ſunt diſtructa, & diſtracta. Sed globus antea Jeſuitis in Collegio Nieſſano dono datus. Nieſſa autem Sileſiæ eſt non ignobilis urbs, ad Niſſam fluvium ſita, Sede Epiſcopali clara; vide Mappam Sileſiæ, quo tempore Princeps Uldaricus eam ceperit vide num. 4.

De obſervationibus nil eſt, quod dicam, niſi quod ferunt Pragæ apud Virum doctum extare, ſed de iis forſan Frommius.

Synopſin obſervationum, cujus mentionem facis, inter Schedas Longomontani invenire non potuimus. Credo non aliam fuiſſe, quam quæ ſparſim in ejus Aſtronomia invenitur.

De epiſtolis, & aliis, quæ Frommius tenet, ipſe reſponſurus eſt. Quæcumque ego congerere potui, ut & Diſcipulorum Catalogum, aliaque ex meis chartis hic habes omnia. Si quid præterea progreſſu temporis nactus fuero, quod huc ſpectare videatur, tranſmittam, ut ſtudium meum tam laudabiles conatus promovendi agnoſcas. Interim publico nomine gratias ago, quod hoc honoris Civi noſtro exhibere volueris, tuoque calculo ejus ſtudia orbi litterato probari, qui & amicis hic in Dania rem gratam, & omnibus, qui ejus laboribus (cujuſcumque tandem ſint nationis) oblectantur, ſis præſtiturus non dubito. Valetudinem [quam ex litteris Peireſii lubricam tibi eſſe intellexi] precor firmam, ut divinis ingenii monumentis publico bono diu prodeſſe valeas. Hafniæ 5. Iduum Junii 1648.

Admodum Reverendo, atque Clariſſimo Viro D. Petro Gaſſendo, S.

REverende admodum, & præclariſſime Vir, Amice officioſe honorande, jam tandem expectatiſſimæ, atque exoptatiſſimæ tuæ litteræ 8. Calend. Novembris anno præterito datæ, quas jam dudum periiſſe putabam, mihi cum aliis 4. Eidus Martii, hoc anno currente exaratis, optime traditæ ſunt; eæque profectò tanto fuere gratiores, quanto plenius in illis ipſis benevolum affectum erga me tuum exprimere haud fuiſti gravatus, id quod ex tam præclaro tuo judicio ſuper opuſculo meo, ſuper additoque iſto munere egregio, abunde ſatis videre eſt; pro quibus tam egregiis animi tui teſtificationibus non ſolum debitas habeo gratias, ſed & tibi viciſſim quavis occaſione, & tempore me totum dabo. Lentes illas, quas dudum ſum pollicitus, manu mea expolitas, nunc domum hiſce adjunctas tranſmitto; citius certe, ut ut maxime etiam voluerim fieri, ob varias occupationes haud licuit. Tubus, cui hæ lentes inſerendæ, ſit 4. pedes, polliceſque 4 vel 5. Pariſienſ. Regio circiter longus; circiter inquam; nam accurate indigitare longitudinem illius tubi nequeo, uti ſcis, propter diverſam oculorum aciem; nullo tamen negotio a te rerum harum optime gnaro inveniertur genuina Teleſcopii extractio. Habes verò hic quoque foramina iſta, quæ tam convexo, quam concavo ſuper-imponi debent. Sed inprimis ſuadeo, ut tibi compares tubum, qui pauciſſimis conſtat ductibus, atque ſi poſſibile duobus, vel ſummum tribus; ut tantò minus a recta abludat linea. Nam ſi vel tantillum incurvatur, tum profectò, etiamſi omnium optimæ ſint lentes, vel quidquam diſtincte, accurateque earum ope apprehenditur. Ceterum Teleſcopium ex hiſce lentibus probe adornatum, ut opinor, inprimis ad maculas Lunares Eclipſes, Mercurium, Venerem, Martem, & Jovem, Saturno excepto, [ad quem accurate diſcernendum multò longior requiritur] ſuum ſatis præſtabit officium. Et melius quidem hoc accepiſſes, ſi nitidius chryſtallum artificiale fuiſſet in promptu, & nec vires, nec tempus defuiſſent. Si tamen hoc ipſum clarius eſſe exoptas, verbulo tantum ſignifices rogo, ſtatim aliud concavum convexo anteponendum ſum tranſmiſſurus, cujus beneficio rerum viſibilium ſpecies multò lucidiores, ſed minori forma animadvertes. Interea qualeſcunque lentes haſce æqui, bonique conſule, iiſque cum in rei litterariæ commodum, tum tui ipſius oblectationem, quam diutiſſime fruere, quemadmodum iſtud a Supremo Numine animitus tibi comprecor. Miror de cetero valde, Patres Societatis intrepide pronunciare, ſe obſervationes Tychonicas ex dono poſſidere Imperatoris; cum tamen certò certius ſit, Dominum noſtrum Keplerum hic Regiomonti degentem, ipſa habere autographa, cum variis optimi ſui Parentis poſthumis ſcriptis luce digniſſimis, quæ partim ipſe ego, partim Clariſſimus Dominus Eichſtadius pervolutavit, perſpexitque. Hincque iterum, iterumque miror, quomodo exemplum dictarum obſervationum nanciſci potuerint; cum optime ſciam, has in Patrum manus nunquam incidiſſe, ut ut illis inſidias, quemadmodum Dominus Keplerus me docuit, avide ſtruxerint. Jam quod iſta attinet, quæ ſcire percupis, de quibuſdam Tychonem, Keplerumque concernentibus, cum ad Linnemannum, tum Kepleri filium ſcripſi, quidquid innotuerit, prima occaſione, quam lubentiſſime te ſcire faciam. Interim tene ea, quæ a Domino noſtro Eichſtadio, aliiſque accepi. Nobiliſſimus Dominus Bernetius, auditor, amicuſque tuus, quem ob neceſſitudinem, quæ ipſi tecum intercedit, quam humaniſſime nullo non tempore excepi, die 15. Julii Warſoviam profectus eſt; inde autem brevi, ut percepi, Germaniam, Italiamque ſuo cum Comite petiturus. Doleo verò maxime tum ejus, tum inprimis Illuſtriſſimi, ac Excellentiſſimi Legati cauſa, qui aliquoties ædes meas intrare, ſpeculamque meam Aſtronomicam aſcendere, nec non omnis generis honore me afficere fuit dignatus; quod Cœlum noſtrum Gedanenſe minime ipſis fuerit propitium; ſic ut nec maculas Solares, nec Lunares, ut taceam reliquos Planetas, illis hic præſentibus exhibuerit unquam. Solares quidem ab initio Maii huc-uſque nullæ prorſus [id, quod admirabile] in Sole extitere; Lunares verò non apparuere ob Cœlum fere ſemper nubiloſum. Denique Præcellentiſſimus D. noſter Eichſtadius te multum ſalvere jubet, mittitque aliquid de ſuo auro fulminante, cujus vires explorare, cumque tuo conferre poteris. Tu verò viciſſim, niſi grave eſt, de tuo auro, nec non pauxillum Chalybis fulminantis, quem te habere percepimus, nobiſcum communicabis, ut & nos de illius vi certi eſſe poſſimus; namque valde dubitamus, ſimile quiddam ex Chalybe, ſive alia quavis materia dari poſſe. Itemque cupide expectamus tuam Philoſophiam Epicuream, quæ ut reliqua

omnia

Digitized by Google

omnia pæne a te confecta, quam-primum prodeat in lucem faxit Deus Optimus Maximus. Quod, ut citò feliciùs conſiat, vires tibi reſtitul, teque ſalvum, ac incolumen ſervari quam diutiſſime optamus. Vale. Dabam Gedani 1648. die 31. Auguſti.

Tuæ Reverendæ Dignitatis toto animo
J. Hevelius.

Mihi has obſignaturi litteræ a Domino Keplero traduntur, ex quibus percipio, ſe curaturum, ut brevi utriuſque vitam, Tychonis ſcilicet, & Kepleri, ut & originem cum omnibus circumſtantiis typis exſcriptam habere poſſis. Vale iterum.

Clariſsimo, & Doctiſsimo Viro Petro Gaſſendo Philoſopho, & Mathematico celeberrimo

HIERONYMUS BARDIUS
D. S. P.

TUæ a me diutius expectatæ litteræ ad manus meas non perveniunt, cum tamen meas tibi conſignatas fuiſſe mihi perſuadeam. Tibi etiam exemplar mei opuſculi ideæ medicinæ ſacræ, mediantibus PP. Societ. Jeſu Lugdunum tranſmittendum eſſe curavi, & cum noſter Naudæus doctiſſimus cum ipſis peregerit, mihi perſuadeo tibi fuiſſe conſignatum, quod certo ſcire peroptarem, cum mea vilia ſpernere non debeas, cum tua maxima, præſertim verò vitam D. de Peireſek mihi dono a te miſſam maximi faciam, de qua, & de quam ſummo Viro quid ſentiam ad te tunc perſcripſi: Nunc totus in prophanis verſor, ut a noſtro amantiſſimo Naudæo intelliges, tuam Philoſophiam experientiis comprobatam valde peropto, & ſcire etiam quo in opere compaginando detinearis, cum tuum vaſtiſſimum ingenium nunquam poſſit feriari, præteres quod ego ſcribo noſtro Naudeo tibi erunt communia, ne tibi omninò moleſtus ſim. Vale ſæculi noſtri jubar præfulgidum, & Reipublicæ litterariæ maximum incrementum, & me tua quærentem mea expectantem te videre mihi perſuadeo, cum totus quatenus ſis amicorum tuorum ſis. Vale iterum, atque iterum vale, & me tuis juſſis paratiſſimum eſſe certò ſcias. Rapalli ex meo Muſæo Calend. Septemb. 1648.

Illuſtri, & admodum Reverendo Viro Domino Petro Gaſſendo Theologo, Philoſopho, Mathematico, Profeſſori Regio, necnon Præpoſito Eccleſiæ Dinienſis Digniſſimo, Domino Fautori ſuo deveneranda S.

VErus affectus ex lectione tuorum eruditiſſimorum, modeſtiſſimorumque Librorum in te mihi natus eſt, iſque etiamnum in penetrali animi mei hæret, & ad extremum vitæ halitum hærebit, jamque vetus eſt. Proinde cum ab anno æræ Chriſtianæ 1636. Ephemeridas quaſdam evulgaverim, caſque nonnullis Præclaris Mathematicis dedicaverim, hoſce faſtos exiguos ad inſtantem annum Æ. C. 1649. [quem tibi, & univerſo Orbi Chriſtiano fauſtum, ſalutarem, & pacificum precor] ultrò inſcribere debui, & volui, præſertim non abnuente Ampliſſimo Viro Domino Hevelio, communi noſtro Amico, interprete, ac conciliatore mutui affectus; rerum namque cœleſtium, nec-non naturalium crebram meditationem, cum Clemente Alexandrino lib. 6. Στρωματέων ὑποβάθραν τῆς κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίαν eſſe judico. Etſi enim Biblia quoque ſacra libenter volvam, ut me in pietate, & fide inſtruam, & vitam emendem; tamen & geſtio Ζητεῖν τά τε ὑπὸ ἐπουράνια, καὶ ὑπὸ τὴν γῆν, in qua diſquiſitione, Illuſtris, & Sapientiſſime Vir, dextre nobis præiviſti, qui ſubnixus huic innocentiſſimo naturæ ſtudio mihi Σοφώτατον τὴν κατ' ἄνθρωπον σοφίαν videris agere. Nihil autem mihi gratius poterit accidere, quam ſi tanti Viri admonitionem, & cenſuram tum de Diario meo, tum de noſtris obſervationibus Aſtronomicis audiam, & mihi ſicubi lapſus fuero, non ſaltem corrigi, ſed & corripi contingat; ſiquidem meæ tenuitatis probe mihi conſcius volo inter eos eſſe, qui non ſolum poſſunt labi; verum etiam geſtiunt reſurgere, & emendari. Reverendum Patrem Merſennum ad τῶν μακάρων ſedem raptum nobis nuntiatum eſt, cujus equidem vicem haud queo dolere, dum hanc cum meliori vita commutavit; ſed meæ ſorti ingemiſco, quod mihi tantum ſemel humaniſſimis ipſius litteris gaudere, & frui contigerit. Interim publicum me urget commodum de tua valetudine ſollicitum eſſe, cum ſciam Aſtronomiam, & Philoſophiam noſtram paucis illuſtribus Viris, tui ſimilibus inſtructam eſſe, & tantos Atlantes perquam paucos reperiri; ideoque Deum Opt. Max. ſupplici prece veneror, ut te magnum Virum nobis adhuc in multorum annorum decadas ſervet, & ſemper incolumem præſtet ad exantlandum feliciter affecta opera. Gedani Calend. Novemb. 1648. properante calamo, animo devoto, & ſubjecto

Laurentius Eichſtadius D.

Viro Clariſſimo Domino Petro Gaſſendo Mathematico Pariſienſi Regio, Amico S.

SApientiſſime, & Excellentiſſime Gaſſende, dudum audivi a te, me inſcio, compilatis ſeriniis perſcripta eſſe, quæ ego tibi promiſeram ad illuſtrandam vitæ Tychonis noſtri deſcriptionem. Non ſolviſſent iſti Mortales, mihi crede, tot ænigmata. niſi, ut ſactum habet adagium, in vitula noſtra araſſent. Vides quantopere contendamus tibi, ut gratificemur. Diſeo apud rivales eſſe minus apto animo. Si quid præterea deſideras, Gaſſende eruditiſſime, id verbulo velim indices; ſtudebo qooad potero, uberrime tibi ſatisfacere. Affini meo perdilecto, qui has tibi tradit, id negotii dedi, tecum ut de ſingulis maximis minimis conferat. Ei faveas, quæſo, ipſiuſque conates, ac ſtudia tibi habeas commendata. De Inſtitutionibus tuis Aſtronomicis, luculento opera, ſane, ut debeo, quammaximas tibi ago gratias. Gratior ero, ubi quid habuero, quod redhoſtimenti loco remittam. Deus te ſervet bono publico, & in primis ſyderali ſcientiæ, quæ a te vitam expectat, & ornatum. Dum affinis meus Petrus Scavenius apud vos erit, ſcribam ſubinde, & ſæpius alias. Tu interea, Gaſſende Clariſſime, explica, & fac ſciam, qua in re mea opera tibi, tuoque inſtituto utilis eſſe queat. Vale quam diutiſſime, & me iis annumera, qui te colunt, æſtimantque pro meritis. Scribebat Hafniæ die 11. Novembris 1648.

Tuus ex anima
Georgius Frommius.

Domino Petro Gaſſendo, ſeculi præſentis Philoſophorum Principi

C. E. L. C A P E L L A
Χαίρειν.

QUod inſolito te affari velim idiomate, tum naſcentis anni audentem facit origo, tum obſervantiæ erga te meæ ſummæ recordatio, inprimis incomparabilia animi tui, cujus æternas opes dum conſidero, inſuſurrare illud ad Janum venit in mentem:

O tu principium, ſimulque finis
Lapſu continuo fluentis anni
Ævi ſancte Parens, bifronſque Jane,
Cui Vates duplicem dedere vultum,
Ut poſſes duplici videre vultu,
Et quæ præteritis fuere ſeclis,
Et quæ ſunt aliis futura in annis;
Dicas Jane Pater rogamus omnes,
Dicas te rogat univerſus Orbis,
Videruntne parem patres ſepulti,
Videbitne parem futura proles
Gaſſendo Phyſica inclyto Patrono,
Verarumque Patri Scientiarum?

Hæc, quæ paucula Muſa dedit eatmlna ſuſcipito, & amare perge quem tot gravare dignatus es beneficiis. Vale. Dabam Monſpelii Calend. Januarii 1649.

Domino D. Petro Gaſſendo amico ſingulari S.

PErquam Reverende, ac Clariſſime Vir, Amice Chariſſime, hac commoda uſus occaſione has ad te dare volui litteras; tum, ut optem tibi commodam valetudinem, tum, ut rogem, quo nunciare haud graveris quamprimum, num poſteriores meæ de die 21. Auguſti, cum lentibus per Dominum Cramoiſium tranſmiſſis, pervenerint ad manus? De te namque nihil quidquam litterarum 8. menſium ſpatio, & amplius, me vidiſſe ſcias; quod qui factum ſit, tu omnium noveris optime. Communi noſtro amico optimo Merſenno humanum illud contigiſſe nuper quidem inaudivimus (quod me certe non parum excruciat, præſertim, cum non ignorem, quantum ſimul cum illo deceſſerit rei litterariæ) ſed utinam res ſeſe habeat aliter, & ex tuo relatu certiora, lætioraque percipiamus! Clariſſimus noſter Eichſtadius, qui te multum ſalvere jubet, tibi ſimul parvam ſuam Ephemeridem cum noctibus noſtris Gedanenſibus tuo nomini inſcriptam mittet; quod quidem multò citius fieri debuiſſet; verum deficiente occaſione, id excuſabis facile. Me quod attinet, ſperaſſem itidem, vacuis haud te compellaturum manibus, ſi Cœlum duntaxat noſtrum Boruſſiacum tempore Eclipſeos nuperæ lunaris nobis magis fuiſſet propitium; ſed ob aërem continue nubilum, ne gry quidem obſervare licuit, ut ut maxime oculum, mentemque in id intenderam. Cum igitur ſpe hac vice exciderim, navabo operam, ut currentis hujus anni Eclipſes, cum Deo, felicius delineare non nequeam. Interea has accipe pagellas ab amico meo ſingulari Chriſtiano Otlero, Viro egregio, atque Geometra, Mechanicoque inſigni, vulgatas. Si quædam viciſſim habes, quorum mea ſcire, vel poſſidere interſit, fac, obſecro, ut teneam, habeamque officia paratiſſima, ut ſemper iterum ſpondeo. Vale amice chariſſime, atque annum hunc, quem, ut ſpero, optoque feliciter es ingreſſus, cum Deo ſecundiſſime abſolve. Gedani die 28. Januarii 1649.

Tuæ Reverendæ Dignitatis cupidiſſimus
J. Hevelius.

Viro Clariſſimo, Domino D. Petro Gaſſendo S.

DOmine, libellum hunc *de Seirio*, Antverpia ad me miſit Dominus Cavendyshe, mittendum tibi, ſi tanti putarem; ego verò an tanti ſit nec-ne, tui potius, quam mei judicii eſſe volo. Promittunt etiam neſcio quid nomina illa Ulug Beigus, & Tamerlanes Magnus, & incogniti illi characteres. Itaque omninò mittendus erat. Quid de eo cenſeas ſcire velim, ſi tibi vacat; vacare autem videtur; nam Philoſophiæ tuæ finita eſt impreſſio, & exemplaria ejus huc advecta nunc ſunt in Telonio. Quorum exemplarium unum, quamprimum potero, miſſurus ſum Hagæ Comitis Domino Sorberio expetenti, a quo etiam juſſus ſum te ſalutare. Ego pro ætate ſatis bene valeo, & mihi nimium indulgeo, ſervans me, ſi forte contingat, reditui in An-

Digitized by Google

in Angliam. Opto interea præſentiam tuam, qua ſi cariturus ſum, cupio non modo, ut valeas, ſed & id ipſum te valere ſciam, qui quantum ego in hominem inſpicere poſſum, ſcientia omnes Mortales, & ſcientiam virtute ſuperas. Pariſiis 22. Septembris 1649.

Servus tuus
Thomas Hobbes.

Rolandus Paludanus Petro Gaſſendo Mathematicarum ſcientiarum Regio Profeſſori S.

LInguarum, & Hiſtoriarum accurata cognitio quàm utiliſſima ſit, & præſtantiſſima nemini dubium eſt. Linguarum enim beneficio ad optimos Scriptores nobis aditus patet; ex hiſtoriis præter prudentiam, quæ per has præcipue petitur, ordo temporum, & rerum ab orbe condito maxime memorabilium notitia colligitur; quo ſtudiorum genere nullum jucundius, aut fructuoſius eſſe poteſt. Verum ut quis abſolute doctus appellari poſſit, longe alia, & majora requiruntur, Philoſophiæ nimirum, Mathematicarumque diſciplinarum, & aliarum ſublimiorum artium cognitio. Per has enim res addiſcuntur, in quibus ſcientia proprie conſiſtit. Per linguas verba tantum, quas licet pæne omnes, ut Joſephus Scaliger, calleas, & ſis inſuper humanis, & ingenuis artibus excultus, tamen ſi hic ſubſiſtas, non magnos profectus feceris; etenim hæ artes circa ſermonem ſolum verſantur, & ad reliquas aditum præbent. Si verò etiam hiſtorias ſcias omnes tanquam ungues, digitoſque tuos, noveris quidem quidquid unquam ſit geſtum hiſtoria dignum, quamquam quot res memorandæ hominum memoriam fugerunt, ſed quamplurima reſtant addiſcenda: hiſtoria naturalis, quæ prope infinita eſt, Mathematicæ diſciplinæ, quæ tam vaſte patent, Theologia, quæ primo loco nominanda erat, Medicina unicuique ad tuendam propriam ſalutem tam neceſſaria; jus denique non tam Græcorum, & Romanorum, quam naturale, & omnium gentium commune. Igitur ut aliquis eruditi nomen merito ſibi vindicare poſſit, orbem illum doctrinæ attigiſſe debet, ſine quo perfecte doctus non dicetur, quantumvis elegantioribus litteris expolitus. Eapropter jure merito, Vir Clariſſime, doctus ab omnibus exiſtimaris, utpote qui Philoſophiam, & Mathematicas ſcientias calles, eaſque longe aliter, quam vulgus Profeſſorum doces. Relicta enim illa via, quæ ab aliquot ſæculis obtinuit, & in Scholas barbaram quamdam Philoſophiam induxit, de rebus pulcherrimis eleganter, quantum materiæ difficultas patitur, diſſeris, nec rerum ſublimitatem verbis ſordidis dehoneſtari ſinis. Quod teſtantur egregia tua monumenta, ex quibus altiorum ſcientiarum notitiam cum politioribus litteris te conjunxiſſe manifeſte apparet. Iſtiuſmodi verò rerum mediocri cognitione minime contentus fuiſti, ſed eas penitiſſime pervidiſti, & inventis a priſcis illis Thalete, Anaximandro, aliiſque primis Philoſophiæ, & reliquarum artium auctoribus nova quotidie addis; quæ laus fortaſſe non multo minor eſt, quam inveniſſe; quibus quidem ſummis Viris eò tantum cedere videris, quod te tempore præceſſerunt. Quæ cum ita ſint, non mirum, ſi a noſtro Principe tibi Regiæ Profeſſionis munus delatum eſt, quod quondam honorificum, nunc tamen meritis tuis non ſatis congruit. Auditorium enim eruditione tua dignum tibi non contingit; adeò præclara illa ſtudia frigent, & tanta eſt Academiæ vaſtitas, quam pueri tantum incolunt, qui primis litteris dant operam, idque non valde ſeriò, nec ulteriora attingere admodum curant; ii ſane ad percipiendam eximiam tuam doctrinam non ſatis idonei ſunt, & optandum erat, ut diſcipulos te dignos haberes. Verum huic querelæ non eſt hic locus. Itaque, Vir doctiſſime, valebis.

Petro Gaſsendo Viro Eruditiſsimo

MORISOTUS Sal.

CUm rure eſſem, & in lectione Epicureæ Philoſophiæ a te illuſtratæ noctes, dieſque exigerem, tantus amor diſcendi erat, tantus ardor explendi me utiliſsima lectione; aliqua annotaveram, quæ mihi ex opinione tua non videbantur, quæ tamen olim mihi contigerant, eaque Epiſtola ad te ſcripta mandaveram, ſed illa, quia Lugduni, ubi te eſſe exiſtimabam inventus non es, periit, nec mihi, nec tibi reddita, nulla alia jactura, niſi quod citiùs tu quam per Barancium cognoviſſes, quantum eruditionis tuæ, quantum virtuti tribuam. Faſtos Ovidio per me ſuppoſitos, quia oſtendis velle perlegere, ad te mitto. Tantum opus doctiſſimus quoſque allicere debuerat ad hoc ſupplementum, ut quod omnium ignaviſſimus temere aggreſſus ſum, ipſi cum honore exequuti eſſent; nam & ea pars Faſtorum, quæ antiquam Aſtrologiam tangit, ingenium tuo ſimile poſcebat, & fluiditas ſtyli, argumentorumque, & rerum ſoliditas, meliorem, & doctiorem, quam ego ſum, Poëtam. Tu, qui grandia in publicum dare ſoles, & majora polliceris, exiguis, ſi mea legis, tenebere, ſed ſi placet hic impetus, brevi alia accipies, dummodo ea mente ſis erga me, qua ego erga te ſum, quem ut ingenioſum, ut eloquentem, ut eruditiſſimum & colo, & amo. Vale. Divione 24. Decemb. 1650.

Sapientiſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo

MORISOTUS Sal.

BAranciꝰ ille, quem ab æſtimatione tua metiebar, partem mihi in amicitia ſua, & epiſtolarum commercium pollicitus, circa finem Novembris hac urbe exivit. O DI, quam frigidus, & obliviofus amator; puto flumine letheo poros nihil promiſſi meminit, etiam litteris meis ſollicitatus in recordationem mei; num ille de genere glirium eſt? nequaquam; vere jam adulto excitatus non ultrò obdormiret, evigila, quæſo, eum, cui Epicurum tuum tradidiſti, ne credatur cum eo inter hortenſes voluptates ſepultus.

Quod autem tarde Faſti mei ad te pervenerint, tota illius culpa eſt, cui mittendos ad te commiſeram. Vellem & mandata typis forent, commentaria mea in duodecim libros illicò ad te majori cum cura mitterentur, & ſi quid aliud ex me unquam naſcetur dignum lectione tua, quod ut faciam ſedulò enitar, ne me indignum amicitia tua exiſtimes. Vale. Divione 11. Calendas Majas 1651.

Reverendo, Nobiliſſimo, ac Doctiſſimo Viro Domino D. Petro Gaſſendo

JOANNES MICHAEL OUG. PINAVI
S. P. D.

NOn eſt gratitudo in pectore meo extincta, quamvis conſuetudo teſtandi ipſam per litteras nonnihil intermiſſa videatur. Accepiſſe beneficium a te, Vir Doctiſſime, ac Nobiliſſime coram tui nominis amantiſſimis, & famæ ſtudioſiſſimis altiſſima ubique voce profiteor, illud ne minima quidem ex parte rependiſſe erubeſco; ſit tua beneficentia ipſa tibi pulcherrima merces. Maneo Romæ ſtudio Matheſeos pro virili deditus; quo nuperrime Philoſophiam Reverendæ Dominationis tuæ triumphali laurea ornatam intraſſe vidi, ab omnibuſque Viris doctiſſimis honorifice exceptam, & in arce Minervæ Phidiæ collocatam gratulor; hac ita Franciſcus Sluſius Leodienſis Vir omni ſcientiarum, & linguarum peritia inſtructiſſimus, Geometra præſtantiſſimus, delectatur; ut quotieſcumque familiaris ipſi cum ſui ſimilibus congreſſus contingat, toties Gaſſendi dotes admiratur, amat, & deprædicat; optatque ex animo, ut quem per ſpeculum, & in ænigmate cognoſcit, eundem facie ad faciem aliquando intueri valeat, cujus ego nomine Reverendæ Dominationis tuæ officioſiſſime ſalutabo. Pater Sanctinius Lucenſis angulum non ultima opera triſecuit, ideoque multis obſtrepentibus, & contradicentibus. Pater Athanaſius Kircherus Obeliſcum Pamphilium edidit; dolet ſe non quamprimum Reverendæ Dominationi tuæ tranſmiſiſſe. Litteras ad Excellentiſſimum Principem Valeſium, & ad Dominum Neoræum mitto; notu, & favore Reverendæ Dominationis tuæ dirigendas precor. Vale, viveque quam diutiſſime, & feliciſſime litterarum, ac litteratorum decus. Dabam Romæ 6. Maii anno ſalutis 1651.

Nobiliſſimæ, ac Reverendiſſimæ Dominationis tuæ promptiſſimus, ac obſequentiſſimus ſervus Joannes Michael Oug. Pin. Sclavonus.

Portatorem præſentium Juvenem optimæ ſpei, mihi amiciſſimum Reverendæ Dominationi tuæ commendo, ſi qua in re tuo ſalutari conſilio, & adjumento indiguerit. Dignetur illum nominis, & virtutum tuarum præconem ſocium mihi adjungere. Is tamen non alius quiſpiam, ſed Ambroſius Vayſius Excellentiſſimi Ducis Longavillæ ſervus eſt.

Clariſſimo, Eruditiſſimoque Viro Domino Petro Gaſſendo

JACOBUS ALEXANDER TENNEURIUS
S. D.

CUm non me lateat, Clariſſime Gaſſende, divertere te non rarò e viridariis Mathematicis ad amœnos hiſtoriæ campos, necnon e ſylvis Phyloſophicis ad Genealogicos etiam ſaltus quandoque te conferre, non injucundum utique tibi fore exiſtimavi veritatem vindicatam, quæ in hiſtoriis, genealogiiſque tota fere verſatur. Accedit etiam, quod, cum onus ſit ſcientiarum [quas aſſidue colis] ſcopus, veritatis inveſtigatio, patriæque ſtudio teneamur omnes, fieri non poſſe videatur, ut tibi per-charum non ſit, quod ego adverſus virum mendacem, Franciæque oſorem, ſuſcepi veritatis, Franciæque patrocinium. Quas igitur ad te mitto, utriuſque vindicias boni conſule; quique non multum auctore ſuo, at certe argumento commendatur liber, ſingularis in te meæ obſervantiæ monumentum puta; ſi non aliud, ſaltem conatum lauda; meque [quod pro innata bonitate non ſemel pollicitus es] amare perge, & diu vale. Pariſiis prid. Id. Jul. 1651.

PETRO GASSENDO SUO

PHILIBERTUS DE LA MARE S.

QUod tamdiu litterarum ad te mearum officium intermiſerim duo fuere; primum minus proſpera, qua uſus ſum valetudine ab eo fere tempore, quo ab Epiſtolarum commercio ceſſavimus, maxime verò variæ Burgondiæ noſtræ commotiones, quæ ſingulis annis novum nobis bellum debere videntur, utrumque puto pro ea, qua vales humanitate tibi ſactorum ſatis, interea hoc habe me a virtutis tuæ demiratione perpetua non receſſiſſe; doleo unum, quod nullam mihi anſam præbueris, qua meum in te ſtudium teſtatum, probatumque facerem. Nactus ſum æſtate proxime elapſa nummum æreum

Digitized by Google

reum, cujus iconem ad te mitto, quem ideo vulgavi, quia cum varie de Popeonano illo inquiſiviſſem, nibil tamen e me hactenus de illo compertum ſit, ſeu apud romanarum rerum, & byzantinarum Scriptores, ſeu apud eos, qui rem nummariam Commentariis illuſtrarunt, tuum erit, quod a te deprecor, nodum hunc reſolvere pro ea, quam cum Nicolao Claudio Fabricio Peireskio [quem nominare, laudare eſt] communem habuiſti rei nummariæ, atque adeò antiquariæ peritiam, Interea me totum eſſe ſcito in colligandis ex conſilio Illuſtrium Puteanorum Leonardi Aretini Operibus, ſeu editis, ſeu nondum editis, ut omnia illa ſimul prodeant, præmiſſa auctoris vita, & graviſſimorum de eo ſcriptorum teſtimoniis; ſi quæ ſint apud vos [nam plurima illius ſcripta nondum fuiſſe edita quotidie comperio] quæ ad inſtitutum meum faciant, moneas velim. Vale, & me tui ſtudioſiſſimum amare perge. Vale iterum. Divione rebus prolatis pridie Non. Novemb. 1651.

Doctiſsimo, & Ornatiſsimo Viro Petro Gaſſendo Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito

JOANNES LUDOVICUS CASTANÆUS
S. D. P.

SUave inter Doctos commercium ex eo ſemper conjectavi, Vir Ornatiſſime, quod grandiores animi contactu mutuo fulgurant cœleſtem, qua vivunt, flammam; perindeque ingratum, & rude, quod rudes cum doctis conſortium tentant; infimo ſiquidem illi oberrant aëre, quam par ſit iſtis inſectari. Quamobrem neſcio quo te primum nomine ſalutem, qui nec doctrinæ privilegium preferam, quo præcipue omnes ſtudioſi te facile compallare poſſunt; nec iis ſtudiis ſim addictus, quæ tua aliqua ſimilitudine interpellare confidant. Sed his difficultatibus occurrit blanda Muſarum indoles, quæ mire, ſi aliàs unquam, conveniens cum genio tuo, æquali temperie inferioribus ad ædificationem, & æqualibus (ſi qui tamen ſunt) in admirationem animum tuum ultro exhibet, & aperit. Accedit & amor tuus in Patrem, cujus & hoc bonum natura mihi offerre videtur. Igitur ingenium meum explicare tibi vellem, non qua judicii ſagacitate omnia diſcernis, ſed qua benigna humanitatis luce cum hominibus converſaris, amplectendum. Philoſophiam ne primis quidem labiis deguſtavi, tamen propter neceſſitatem amo Philoſophum. Suſpicor autem Philoſophiæ neceſſitatem ex eo, quod mens humana continuis, & ſuccedentibus rerum radiis ita urgeatur, ut iis tanquam contubernali luce, & flamma ſenſim informetur, foveatur, & quaſi accincta vigeat, habeatque inſitam facultatem extenuandi omnes rerum ſpecies, & in intellectualem figuram redigendi; Deinde aſſumat artem, quæ conſervet omnem naturæ probum vigorem, augeat lucem, ſapientiam confirmet. Hanc artem quis te luculantius hoc ſeculo profitetur, Vir Doctiſſime? quis ſuavius delineat & ſcriptis, & colloquiis? quis adamuſſim humanitatis magis collimavit, qui Epicurum propter commune voluptatis nomen infamem, & inſepultum evocaſti in officinam intellectualis voluptatis? hanc animorum diſciplinam forte dictam Aſtra, quod videamus mentes hominum excultas, & ſublimes impatienter ferre diſtantiam Intelligentiarum, &, ut ita dicam, abſentiam. Amant pererrare connaturale hoc pelagus (eſt enim firmamentum Oceanus, cujus agitationes, & revolutiones ex ſubſtantia ſpiritali, & ſubjectione animali experiuntur) ſunt qui gaudent legere Syderalem contextum ingenuæ exercitationis amore; alii dominationem Cœlorum, qua mobilem intellectus humani manſionem revolvi, & in diverſas quotidie poſitiones transferri ſentiunt, obſervare delectantur. Alii denique ſtudent vinculum illud, quo Planetæ hominem vellicant, impetum, quo urgent, rependentes vicem auctoritatis intellectualis, qua omnia Cœlorum officia deducunt in permanentem utilitatem, ſtudia tua cum his poſtremis recenſeo, & ſi quid in meteorologicis tuis ſimile tractaſti, moneas obſecro, item de Marſilii Ficini mente, & intentione judicium tuum proferas, niſi importunus videar occupationibus tuis. Optarem legere in aliqua Planetologia hæc, aut ſimilia. In Luna contubernium animæ rationalis, & naturæ, intellectum naturæ practicum, ſpeculum vitæ, & mortis rationis humanæ exſcriptam e Luna imaginem; In Venere ingenium vitæ rationalis, ſympathiam animæ cum inferioribus, concentum, & harmoniam animarum; in Marte neceſſitatem actionis, quæ quiſque ſuo Marte gaudet, antipathiam univerſalem, & particularem, animorum diffidia cum everſis coruſcationibus tonant; ex Mercurio, Veneris, & Martis ſatellitium, quod utriſque artem, & ſolertiam ſubminiſtret. Quatuor illi Planetæ inferiorum rectores, & animos inferioribus contemperantes multarum rerum doctrinam exhibent. Tres reliquos ſubintelligo, informare mentem ad ſuperiora. Juppiter providentiam, Sol Religionis lucem, Saturnus immortalitatis revelationem, & quaſi denudationem inſinuant. Nimis urgeo pudorem meum majori, quam par eſt, benignitatis tuæ confidentia. Sed memoria benevolentiæ, qua etiam olim provocabas naſcentia ſtudia removet metum, ut ingenuam ſtudiorum licentiam comparem cum humanitate tua. Bene vale, & bono litterariæ Reipublicæ ſemper feliciter labora. Siſtarici 6. Idus Februarii 1652.

Doctiſsimo, Clariſsimoque Petro Gaſſendo

H. DESCALES

Baro de Bras, Senator Aquenſis S. D.

MAximam quidem lætitiam mihi tua attulit epiſtola, Vir doctiſſime, tum quia perpolita eſt, tum quia te mei amantiſſimum eſſe ſcio, eam indeſinanter lectito, quippe quæ elegantiſſime, ac lepidiſsime ſtructa ſit, nulla in ea inutilia verba, nihilque neceſſarii deeſt; & ſæpiſsime ſimilem peroptarem, niſi hoc tibi grave onus eſſe exiſtimarem; tanta voluptate moleſtiæ, quibus vexor, e mente depulſarentur; parcas Inertiæ meæ hoc unicum te rogo, nec me abſque cauſa laudibus immeritis efferas. Sequitur de rebus noſtris ut loquamur: Hoſtes

Aquis-

Aqui Sextienſes, quos, ut ſolet, victoria ſuperbos fecit [ſi tamen victoria ſit vincere non repugnantes] pacem cupiunt, eamque facillimam arbitrantur, ſed hoc a natura inſitum nobis eſt, ut e quorum inſidiis evaſerimus, hos ſemper odio habeamus, ita ut ſola ſpes ſit bellum olim nobis horrendum, hodie verò cariſsimum. De rebus pariſienſibus Sacriſta veſter Gaillardus te participem faciet. Reditum Ducis Inculiſmenſis maximopere expectamus; faxit Deus Omnipotens, ut citiſsime promiſsis ſtet; nunc valetudinem tuam jucundiſsimam, diuturniſsimamque exopto; cum ab ea gaudium, & lætitia mea pendeant. Vale ſæculi prodigium, ac patriæ tuæ decus, & ornamentum. Dabam Anſoiſiu 10. Calendas Junii 1652.

Clariſsimo, doctiſsimoque Petro Gaſſendo

H. DESCALES S.D.

NOn immerito ſane tibi epiſtolam tremebunda manu ſcribo, Vir doctiſsime, cum & a peritiſsimu hominum, atque eruditiſsimo conſpici debeat: Sola ad hoc me invitant, & ſumma eloquentia, & inſolita tua benignitas. Quamobrem doctiſsimorum magiſtrum, meum fateri non dubitarim; ſed ut ad hujus ſæculi res deveniamus, ſcies Ducem a *Mercœur* quibuſdam hujuſce Provinciæ nobilibus comitatum Aquis-Sextlis inſolito populi applauſu, inauditoque Magnatum gaudio fuiſſe exceptum, pacem ſe facillime introducturum exiſtimat, quod mihi, cunctiſque amicis difficillimum, omninoque ἀδυνάτον eſſe videtur. *D. Daiguebonne* aulam petit, & jus noſtrum apud Regem fortiter defenſurum aſſeruit: Senatus Pariſienſis legati rediere, nec fuit iſta legatio prima fructuoſior, nunc Rex eſt apud S. Germanum, ſuas copias hic cauſa omnibus ignota expectans. Inter hæc Dux Lotharingius tempus ad ſuas res accommodans, pro Tullenſe civitate, Stenai, & Iamets ſuas copias ad Principum exercitum ipſemet adduxit numero 8000. hominum; ita ut omni pacis ſpe ſublata ad bellum gerendum quiſque ſuam mentem vertat; hæc ſigna ruentis Imperii, o inaudita cupido, qua tantum, tantique Principis imperium fere ſubvertitur! De rebus noſtris nil novi. D. Dux Inculiſmenſis ſubitaneum reditum ſemper pollicetur, qua de cauſa mutuas pecunias ſumpſit. Jam tempus adeſt, quod ſi perdamus, irreparabile, hoſtem fieri fortiorem ne ſinat, efficiatque redeundo, ut promiſſa appareant. Illud unicum ſupereſt remedium. Vale ſæculi prodigium, ac Provinciæ tuæ decus, & ornamentum. 14. Maii 1652.

Clariſsimo, peritiſsimoque Petro Gaſſendo

H. DESCALES S.D.

QUa efferor lætitia, tam ſuaviſſimarum tuarum litterarum adventu, Vir doctiſſime, nullo modo exprimere queo, quemque faciam in earum lectione progreſſum, omnino incredibile dictu; quis enim in Terrarum Orbe te melius ſua imitatione inſtruere quemque poteſt? auget deſiderium tuos ſequendi tramites, & mirifici ingenii, & tuarum virtutum recordatio; enim verò honeſtatis, ac humanitatis exemplum in te eluceſcit, pietas, & mens ad æternum Deum incredibilis, atque ita philoſophicis, ceteriſque pulcherrimis ſtudiis decoratus es, ut veteres celeberrimorum imagines non ſolum expreſſurus, ſed longe ſis ſuperaturus. Ut verò quod quotidie agam, quodque e tua tam ſuavi ſocietate acceperim noſcas, ſolius Plutarchi pertractationem elegi, quippe quod deditum varietati animum non valde tranquillum cenſeant, ſæpiſſimeque accidat, ut e tam diverſis librorum ſtudiis nihil omnino retineamus, opinor; illum ergo excellentem auctorem libentiſſime lego, quem tecum in una conſurmem notavi, quod ſcilicet nihil tempore carius ſit, ipſum tamen pro nihilo ductum, quia exitus ſemper a nobis remotiſſimos conſideratur, nec ad monumentum indeſinenter nos accedere prævidemus, quamobrem ad bene, beateque vivendum tempus adimpleamus, cum eo ſolo tantum certiſſime fruamur, de quo præcipue rationem præſtituri ſumus. Unaſquaſque res novas Sac iſtam veſtrum Gaillardum tibi oſtendere rogavi. Quod ſupereſt (Vir doctiſſime) Deum Optimum Maximum ſupplex veneror, ut te incolumem, & florentem conſervet. Vale ſæculi prodigium, & patriæ tuæ decus, & ornamentum. Dabam Anſuiſio 3. Calendas Jun. 1652.

Incomparabili Viro Domino Petro Gaſſendo Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito

SAMUEL SORBERIUS
χαίρειν, καὶ εὐπράττειν.

NOn ego ſolus, & ſine rivali mea amare velim, Vir maxime, nec defendere delicta, quam vertere malim. Tecum itaque ſentio male tornatam incudi reddendam eſſe verſionem noſtram Syntagmatis tui. Quod bis, terque expertus fruſtra, meliora reponere ſi nequeam, lubens delebo, nec ultra ſumam operam inanem. Palmam aliis non invidebo, nec pœnitebit me tamen omnino emenſi, quamvis non ſine lapſu, ſtadii. Cadet forſan & qui nos ſequetur, nec ἀναμάρτητος ullus erit, ſi ἀκρίβεια illa adhibeatur. Nullum eſt ovum ovo adeo ſimile, quin diſcriminis quid intercedat, ſi propius intuearis. Poſſem quidem opus refingere; ſed ſeponendum potius videtur, cum tibi, nec mihi forſitan expediat, ut publici juris fiat. Alia nunc agito, de quibus ſub diſceſſum paucis egi tecum, & quæ, ſi Deus bene vertat, aliò me vocabunt. Nec famam quæro, quam ſi ullam nactus ſim, ut ais, totam amicitiæ tuæ acceptam refero, nec prorſus contemno, ne virtutes contemnere videar. Mentem opto ſanam in corpore ſano, & tuam ſapientiam, pietatemque, ævi quod ſupereſt, imitandam mihi propono, modo faveat ille πάντων ἐάων δοτήρ, apud quem rogo precibus intercedas tuis. Plura, ſi negotium ulterius proceſſerit, ſcribam. Hæc autem paucola aut tibi dicta velim. Interea vale, & me ſemper ama, Vir Reverendiſſime, tibi obſequentiſſimum. Fuſius ad Nobiliſſimum Dominum Conradum circa editionem verſionis noſtræ ſcripſi, quæ tecum communicabit, ut quid conſilii capi queat unà cum

cum Domino Capellano videat. Scio enim vos omnes in me bene affectos, & rebus meis probe conſulturos. Iterum vale. Arauſioni 18. Junii 1653.

Viro celeberrimo Domino Petro Gaſſendo

OLAUS WORM. S. P. D.

QUantum lætitiæ tuæ mihi attulerint effari nequeo; tum quod ex iis intellexerim te vivere, valere, & in Tychonis noſtri vita conſignanda ſtrenue pergere; tum quod ſincerum tuum in me affectum, & benevolentiam abunde declaraverint. Ego quidem divina gratia, variis morbis, & difficultatibus conflictatus, ſenio, & curis fractus, tibi ad quævis amici officia paratus utcumque valeo. Ceterum de Keplero aliquid de Tychone noſtro meditante, hactenus nihil percepimus; nec credo iis inſtructum eum ad hoc negotium accedere, quibus tu abundas; niſi velit poſt Homerum Iliada condere. Recte igitur facis, quod a propoſito te abſtrahi non patiaris, quo tibi illuſtris familiæ gratiam, omnium favorem concilias. Me quod concernit, ex quo ad te ſcripſi, nihil peculiare in hoc genere expiſcari potui, præter epiſtolam quandam ad Imperatorem Rodolphum, qua ei ſecretum ſuum inventum detegit, contra peſtem, & morbos malignos, quam ante annos aliquot publici juris fecit Clariſſimus Dominus D. Caſparus Bartholinus in eleganti tractatu de aëre peſtilenti corrigendo. Quia verò dubito an ad vos ſit delatus, epiſtolam deſcribi curavi, & bis addo. Credo hoc ipſum eſſe medicamentum, de quo tecum egit Nobiliſſimus Dominus Retzius. Nam hoc nobis familiare, & in Pharmacopoliis noſtris titulo *Elyſiris Tychonis* venditur. Ego creberrime in morbis malignis uſus ſum, magno ſucceſſu ſudores potenter movet, malignitati reſiſtit. De ejus unguento nunquam quidpiam percepi. Nobiliſsimus Dominus Petrus Retzius jam Theſaurarius Regius, ejuſque frater Gurgerius Secretarius, hic jam non ſunt, nec ante dies quatuordecim hic expectantur, alioquin hac de re cum iis egiſſem, tuaſque litteras legendas dediſſem, ſunt enim mihi amiciſsimi. Quia verò feſtinato opus eſſe ex litteris tuis intelligo, nolui in adventum eorum reſponſum differre. Ubi redierint, ſi peculiare quid habuerint, te faciam certiorem. Quia vere tam ſubito deſcribi Oratio Jeſſenii non potuit, cum poſſeſſore egi, mihi ut concederet, promittens ipſi viciſsim vitam Tychonis a te deſcriptam, & eandem hanc orationem Pariſiis nitidius editam. Cape igitur, & tuis uſibus accommoda. Neſcio an tibi ſcripſerim de fatuo illo, quem Uranizburgi alebat Dominus Tycho, *Leppe* nomine, qui ipſi valde fuit in deliciis. Pranſurus ad pedes hunc habebat diſcumbentem, cui ex quadra ſua delicatiores cibos offerebat, aſſidue garriebat multa ridicula, male cohærentia, & quandoque quædam alicujus momenti. Quocirca ejus eloquia curioſius obſervabat, cum viſus ſit quandoque vera quædam prædicere. Referam quæ de eo ex ore Domini Longomontani P. M. ſæpius audivi. Abiit Hafniam Tycho, nec reditus ejus tam ſubito expectabatur. Ceperunt ſtudioſi, quos Uraniæburgi alebat, hilarius genio indulgere, quibus aderat hic Leppe, qui inter reliquos garritus ex improviſo exclamavit *Dominus adeſt*. Illi ſcientes ipſum quandoque vera nunciare, quemdam ad obſervatorium ablegarunt ſpeculatum, qui rediens nunciavit Tychonem jam in littore conſiſtere, unde turbati omnes ad ſua ſe penſa ſubito contulere. Alio tempore amandavit Tycho duos ex ſuis diſcipulis Hafniam, negotia quædam curaturos. Quos præſcripto die redituros cum ſciret, ipſo prandente hic idem inter reliqua exclamare cepit: Ecce ot tui jam in mari ſe lavant. Quo auditu ſuſpicabatur Tycho, quod res erat, ablegatos nempe naufragium paſſos. Juſſit igitur, ut ad obſervatorium ſe conferret quiſpiam, viſurus an in mari ſcapham cum ſuis videret Hafniâ redeuntem; qui retulit vidiſſe ſe in littore quoſdam madidos, & male diſpoſitos, ſcapham verò, qua vehebantur ſubverſam. Si quis in familia ægrotaret, idque fato huic indicarent, perquirentes an moriturus eſſet æger, vera ſemper dedit reſponſa. Plura ejus generis, quibus ipſe interfuit, narrare ſolitus erat Collega meus conjunctiſſimus; ſed an ejuſmodi digna ſint, quæ ejus vitæ inſerantur, tute melius me judicaveris. Saluta quæſo, meo nomine officioſe Clariſſimum Dominum D. Patinum, cujus in ignotum, amorem, & benevolentiam toto pectore exoſculor. Vale, ac bono publico diu vige, mi Gaſſende. Hafniæ pridie Calendas Octobris 1653.

Clariſſimo, doctiſsimoque Domino D. Petro Gaßendo S.

CLariſſime, ac Excellentiſſime Vir. Cum in Lyguriam æſtivis ſtudiorum vacationibus ineuntibus Bononiâ veniſſem, & ex iis, quæ Vir Clariſſimus Iſmaël Bullialdus de noviſſimo Cometa ediderat, te Diniæ morari intelligerem, ſtatueram ante reditum meum ad te venire, ut tecum coram de communibus ſtudiis diſſererem, opemque obſervationum tuarum ad opera Aſtronomica, quæ jamdiu molior, implorarem. Jamque Niceam veneram menſe Septembri iter ad te proſequuturus, cum forte incidi in Joannem Bovis Curatum Intervallium, qui ſe tuum olim familiarem, tuiſque obſervationibus aliquando adſtitiſſe teſtabatur, a quo audivi incertum eſſe Diniæ-ne, an potius Aquis-Sextiis per id tempus degeres. Quamobrem donec in incerto eſſem tempori, & labori itinerum parcendum duxi, miſſoque qui de te mihi certa referret, poſt obſervatam ibi altitudinem Poli, Podium Raynaldi meam in Liguria habitationem redii. In reditu cum Monœci Principem ſapientiſſimum, omniqee profundioris eruditionis genere ornatiſſimum, noſtriſque etiam ſtudiis deditiſſimum, a quo in tranſitu fueram clementiſſime exceptus, deque locorum ſitu, rebuſque notatu digniſſimis liberaliſſime inſtructus, iterum reverer; conſiliumque meum Viro Clariſsimo, Eruditiſsimoque Domino Carulo de Venaſque ſuæ Celſitudini a ſecretis expoſuiſſem, is mihi humaniſsime exhibuit ſe facturum, ut quocumque in loco eſſes, meæ ad te litteræ tutiſsime perferrentur. Cum igitur jam intelligam, te nec Diniæ, nec Aquis-Sextiis, ſed Pariſiis eſſe, per eum has tibi litteras tradere conſtitui. His ego te etiam, atque etiam rogo [quanquam audax nimium in rogando videri poſſim] ut pro tua beni-

benignitate me tibi jamdiu addictiſsimum in tuam conſuetudinem digneris excipere, tuumque ad ea, quæ peto auxilium. quod facile potes, ne deneges. Ea eſt oratio operis, quæ te facilem ad hoc indulgendum præbere poſsit. Problema ad Aſtronomiam ſumme neceſſarium, quod tamen nemo hactenus mortalium, quamquam multi, iique doctiſsimi, atque ingenioſiſsimi adnixi ſint, ſolvere potuit; imo prorſus inſolubile pronunciant Keplerus de motu, & Bullialdus in Aſtronomia Philolaica, duo magna Aſtronomiæ lumina; ipſe tamen omnium poſtremus ſolvi. Problama eſt ex datis unius Planetæ duobus intervallis mediis, & veri motus, invenire geometrice excentricitatem æquantis, & lineam abſidum, ſeu ut proponit Bullialdus ex datis quatuor angulis ad umbilicum ellipſis deinceps, ellipſim deſcribere. Huic, & ſimilibus inventis novam Aſtronomiam ſuperſtruo, ad quam neceſſariæ mihi ſunt exactæ obſervationes, quales ego per ætatem adhuc mibi comparare non poſſum, ſed a ſeuioribus, qui in hoc ſtudii genere ætatem conſumpſere, hoc eſt, a te ferme ſolo ſunt requirendæ. Ergo, ſi tu ſaltem præcipuas earum, quas his poſtremis temporibus non adhuc vulgatas habuiſti mihi indulgere velles, immortali me beneficio afficeres. Poſſes ab oppoſitionibus ſuperiorum Planetarum incipere, & ternas unius Planetæ tranſmittere, quæ meæ methodo opportuniſsime acciderent, ſi omnes in eadem eſſent excentrici parte, ſed in notabili adiovicem diſtantia. Tuum ergo de hac re reſponſum impatienter expecto.

Quod reliquum eſt, Vir Clariſsime, Chriſtophorus Storanus Canonicus Anconitanus expoſuit mihi per litteras opinionem ſuam ſingularem de Cometis, quas exiſtimat eſſe ex Stellis præexiſtentibus de novo incenſis, petiitque a me, ut ſi ad te venirem, aut ſcriberem, judicium de ea tuum extorquerem. Ejus fundamenta ad Bullialdum tranſmiſit, quæ habere ab eo poteris. Quamobrem te rogo, ut quid de ea ſentias, mihi exponas. Vale, Vir Clariſsime, & me tibi addictiſsimum commendatum habe. Scribebam Podii Raynaldi die 21. Octobris 1653.

Excellentiæ tuæ ſtudioſiſſimus
Ja. Dominicus Caſſinus.

Sapientiſſimo, & incomparabili Viro Domino Petro Gaſſendo Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito Reverendiſsimo

SAMUEL SORBERIUS
χαίρειν, ϗ εὐπράττειν.

EPiſtolas meas ad diem menſis ſuperioris nonum datas per Dominum Conrardum in manus tuas perveniſſe puto, quibus ſcilicet ſignificabam ſeceſſum meum Vaſionem, ut me in Eccleſiæ Catholicæ ſinum reciperem, quod ſane pridem avebam, nec ſeſe præſtandi obtulerat occaſio. Qui me triplici illigatum chimeræ demum expediret adfuit illuſtriſsimus, ac Reverendiſsimus Dominus Joſephus Maria Suareſius Vaſionenſium Epiſcopus, cujus nomen eruditis notiſſimum, tum ob ſtupendam diſciplinarum omnium, ſed rerum in primis ad Eccleſiam ſpectantium cognitionem; tum ob illam, qua ceteris præfulget Præſulibus pietatem. Is me benigne, & familiam meam excepit, fovetque, donec mihi de munere proviſum fuerit Eccleſiaſtico ab Eminentiſſimis Cardinalibus Barberino, & Bichio, quorum divinâ providentiâ jam mihi paratum eſt patrocinium, ut Antiſtites taceam quamplurimos, qui mihi volunt ex animo. Itaque ſpero futurum brevi, ut reſarciatur bonorum omnium meorum jactura, quam veritatis cauſsâ alacriter feci. De te, Vir ſapientiſſime, mihi cum illuſtriſsimo Patrono meo plurimus ſermo fuit. Voluit itaque quid tecum inſtituere commercii litterarii, cum ſpopondi, te inchoando fore paratiſsimum. Sed non ſuſtinuit niveum illud pectus longiores moras, & prior en ad te ſcribit. Reſponſum tuum Avenionem ſi mittas per Veredarium ad Dominum Suares Præpoſitum Eccleſiæ Domini Epiſcopi fratrem, tuto, & brevi Vaſionem perveniet. Bernerium noſtrum vidi paulò ante diſceſſum meum, & feſtinantem domi totum biduum detinui. Prætæum utinam ad partes noſtras pertrahere poſſemus. Tu qua inſigni pietate, & doctrina rerum divinarum polles urge, quæſo, ut animam illam Chriſto lucri facias. O utinam ego poſſem ſemel caput charlſsimum alloqui! Lugdunum intra menſem cogito prælo ſcriptiunculam quandam, cui nunc incumbo traditurus, unde lubenter Lutetiam excurrerem; nam ſi Romam ineunte Vere proficiſcar, amicis longum erit fortaſſe vale dicendum. At æterna nos manet patria, in quam audio Celſiſsimum Principem Valeſium Mecœnatem tuum nuper conceſſiſſe. Durum illud tibi, ſed animo ferendum, quo decet non mollem virum. Deus Optimus Maximus te diu ſuperſtitem, & incolumem ſervet, unà cum delibato illo eruditorum flore Monmorio, Capellano, Neuræo, qui tuam virtutem colunt. Vale igitur, Vir ſæculi noſtri decus primarium, & me, quod hactenus feciſti, ſemper ama. Vaſioni 11. Calend. Januar. 1654. quem tibi fauſtum voveo.

Domino Petro Gaſſendo S.

PErilluſtris, & admodum Reverende Domine. Memini ante annos 21. Romæ a me oblatam Eminentiſsimo Cardinali Barberino Mecœnati meo tuam obſervationem de Mercurio in Sole viſo, & Venere inviſa, quin alia obſequia deinceps præſtita ſuggerente Viro incomparabili Peireſcio. Diu poſt Aquas Sextias dum pertranſirem cum Eminentiſsimo Cardinale Bichio, Romamque repeterem, conciliavit me tibi coram ipſe Peireſcius. Te itaque vidi, & ſalutavi, tecumque amicitiam ſanxi, quam tamen mihi, Aulicis, & Epiſcopalibus curis diſtracto excolere hucuſque non licuit. Verum Clariſsimus Vir Samuel Sorberius ſingulari Dei beneficio ad Eccleſiam Catholicam, & in ædes meas receptus in ſua litteratiſsima conſuetudine, qua fruor ad votum, præſtantiſsimos ingenii tui fetus mihi exhibuit. Silentium igitur confeſtim meum damnavi, uſque amiſsi temporis diſpendia compenſarem, crebris te litteris adire, initamque amicitiam ſancire, atque inſtaurare conſtitui. Quamobrem rogo te iterum, iterumque, ut excipias perlibenter hanc epiſtolam mei veteris erga te affectus recentem indicem, & me tuæ veræ pietatis, & ſolidæ doctrinæ admiratorem in tuæ benevo-

nevolentiæ ſinum admittere, inque amicorum tuorum prima cera uti priorem tempore locare ne renuas. Certe non poſſum non admirari tuæ mentis perſpicaciſſimam aciem, acutiſſimamque ſolertiam in arcanis naturæ penitius, & certius indagandis; ſinceras inſuper, & puras de auctore naturæ Deo religioſe colendo, deque rectiſſimis Eccleſiæ Catholicæ Dogmatis tuendis ſententias, quantumvis obganniant nonnulli ſcioli, qui diſciplinis liberalibus leviter tincti tenebras inſcitiæ ſuæ quaſi nebuculas offundunt; ſed tu ſcientiarum *ἐγκυκλοπαιδείαν* complexus diſpellis illas, & diffundens longe, lateque radios eruditionis tuæ promicas, & caligantes harum noctuarum ocellos luce majore perſtringis. Vive felix, Vir perilluſtris, Eccleſiæ, ac Reipublicæ litterariæ bono, & decori, eaſque lucubrationibus tuis ornare, ac illuſtrare perge. Operam quidem meam omnem quantulamcumque denuo tibi ex aſſe offero, & ubicumque res feret, ſtrenue navabo, nec ullum amantiſſimi, ſtudioſiſſimique tui officium prætermittam. Vale. Vaſioni 6. Calendas Januarias 1654.

Perilluſtris, & admodum Reverendæ Dominationis tuæ addictiſſimus ſervus Joſephus Maria Epiſcopus Vaſionenſis.

Perquam Reverendo, ac eximio Viro Petro Gaſſendo, Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito digniſſimo, necnon Philoſopho, ac Mathematico noſtri ſæculi celeberrimo, amico plurimum colendo S.

PRæclariſſime, ac celeberrime Vir, amice plurimum colende. Quo rariores hactenus ad me dederis litteras, eò certe jucundiores, gratioreſque mihi tuæ 4. Calendas Novembris anno 1652. datæ extiterunt. Vix namque verbis exprimere poſſum magnitudinem lætitiæ, qua ſum affectus, iiſdem viſis, perlectiſque; cum non ſolum de valetudine tua, de qua admodum eram ſollicitus, quævis proſpera, ac exoptatiſſima nunciarent; ſed & priſtinum amorem, favoremque ſpirarent. In primis verò, quod tam humaniter, ac benevole, præter expectationem, publicam meam qualem qualem exceperis interpellationem maximopere mihi gratulor. O utinam occaſio daretur adhuc clarius oſtendendi meam tibi inſerviendi promptitudinem. Non eſt autem, cur tam ſollicite, ac prolixe diuturnum tuum depreceris ſilentium; amicitiam enim non ex crebris litteris, ſed ex animo tuo ſincero, mihique addictiſſimo æſtimo. Profecto neceſſitudo, quæ inter nos convenit, adeo altas jam egit radices, ut nonniſi morte ipſa diſcindi valeat. Nec ſane eſt cur tam ampliſſimas mihi referas gratias pro Nobili Domino Bernerio exhibito honore; cum, crede, eruditio, virtuſque ejus optime id mereatur, ac quidquid tum factum fuerit, tui præſertim gratia, atque ex animo ſumme erga te benevolo profectum ſit; imo, ſi curta mea non obſtetiſſet ſupellex, lubentiſſime majora exhibuiſſem, tam ob arctiſſimam animorum noſtrorum conjunctionem, quam ob tot, ac tanta præclariſſima, nunquamque intermoritura tua erga rem litterariam merita, quæ certe nemo mortalium ullo valet rependere modo. Ceterum a Domino Bernerio (quem humaniſſime ſalutes velim) vitra iſta Venetiis tranſmiſſa optime accepi, grataque fuerunt quam quæ maxime; quemadmodum etiam litteris ad ipſum brevi deſtinandis declarabo. Dominus noſter Eichſtadius, qui multam tibi adſcribere juſſit ſalutem, pro pulvere iſto fulminante gratias agit ingentes; præſertim, quod benevolentiâ tuâ eum complecti non dedigneris; profecto, dum vivet tibi obſtrictum eſſe fatetur; deinde memini me perſcripſiſſe, Kepleri filium Regiomonti commorantem Tychonis vitam edere voluiſſe; ſed haud ſtetit promiſſis, imo dubito an unquam faciet. Idcirco nomine publico, ſi quid poſſum te obnixe rogo, ut Tychonis vitam, aliorumque nobis haud deneges, facies certe, præſertim litteratis rem gratiſſimam. Adhæc tam Tycho, quam Copernicus optime id meriti ſunt, ut a te laudatiſſimo Viro ſempiternæ gloriæ, ac memoriæ hoc modo commendentur. Gratias inſuper habeo pro communicata Eclipſeos lunaris die 17. Septembris anno 1652. obſervatione; non dubito quin etiam Dominus Bullialdus tibi tranſmiſerit excerpta quædam ex obſervatione eadem mea, integram obſervationem ſuo tempore, cum aliis quibuſdam notatu dignis adhuc reſervo. Multum quoque tibi debeo pro tranſmiſſa Optica Clariſſimi Viri Zucchii; vellem, ut par pari referre poſſem. Jam nihil perſcribere reſtat amplius, quam te non neſcire velim, optimum, & doctiſſimum Virum M. Alb. Linnemannum fato, præterito Autumno, conceſſiſſe; quem caſum admodum doleo, tum quod intimum amiſerim amicum, tum quod tota res litteraria ex hoc capite haud mediocrem fecerit jacturam. Sed ſic nobiſcum eſt comparatum, tum denique omnes noſtra intelligimus bona, loquente Plauto, quum quæ in poteſtate habuimus ea amiſimus. Vale, ò chariſſimum caput, ac amicitiæ meæ decus! meque porrò favore tuo complectere. Dabam Gedani die 10. Aprilis 1654.

Tuæ Reverendæ dignitatis, ac præclaritatis addictiſſimus I. Hevelius Conſul Gedan.

Clariſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo

SAMUEL JOS. SORBERIUS S.

ETſi non tanti erat, Vir Clariſſime, epiſtola illa ad Pecquetum, ut ex libro obſervationum Anatomicarum depromptis ad te mitteretur; exiſtimavi tamen officii mei eſſe, ut data exinde occaſione monerem, adeo plene confirmatam noſtris oculis patuiſſe illam chyli in ſubclavias venas, & in cordis ventriculum dextrum derivationem, ut nullus plane locus dubitationi ſuperſit. Utinam autem ad nos tu redeas, antequam in Occitaniam proficiſcamur, quo poſſis rem illam oculis ipſe tuis uſurpare? quippe quæ maximi momenti, & digna videtur omnino, quæ calculo tuo comprobetur. Certe ut ſpes daretur te in urbem brevi reverſurum, qui per triduum iter infeſtum imbre, lutoque olim ſuſtinui, ut te Diniam viſerem, libenter nunc ad te non tam procul a nobis diſſitum advolarem unà cum Prataeo, Martelloque Viris tui juxta mecum amantibus; neque enim aliis facile conce-

derem ut paria mecum in te amando, colendoque facere contenderet; quidquid ſe Bornius veteris notæ amicis illis immiſcere velit in ſcriptis nuper ad me humaniſsimis litteris Lugduni Bat. Idib Auguſti. *Ex te* [ait] *viciſſim intelligere percupio ſupra omnia quid agat incomparabilis ille communis noſter præceptor Gaſſendus, quem ex Hagienſi Typographo Ulaquia auru adhuc frui ætherea ante dies aliquot intellexi, & majori cum gaudio; quo acerbior de ejus immortalis Viri obitu rumor hic ſparſus mihi fuerat. Rogo virum illum inclytum pluriſmum ſalutes, ipſique ſimul ſignifices, ejus honorem, nomenque illuſtre ſemper, ut in animo indelebile, ita & in ære futurum.* Verum admittatur & Bornius noſter, ut quadriga fiat clientum, & diſcipulorum tuorum haud poſtremo forſan ordine recenſendorum, tum propter laudandam virtutis tuæ, & eruditionis æmulationem; tum [quæ meæ potiſsimum ſunt partes] propter affectus ſinceri, & jugis obſervantiæ pluribus luſtris eodem tenore præſtitæ conſtantiam. Quo quidem nomine audeo nunc efflagitare, ut ad Rev. Epiſcopum Conſtantienſem perſcribas me tibi interioris notæ amicum eſſe, & cujus cauſſa cupias utatur illa, qua pollet apud Eminentiſsimum Cardinalem gratia. Nempe in me bene affectus exiſtit ſummus ille rerum moderator, & ſæpius pollicitus eſt, ſe mihi de beneficio Eccleſiaſtico proſpecturum. Ego itaque tantum monitore, qui promiſſa in memoriam ſubinde revocet, qui bona verba ſpargat, & me non indignum virorum magnorum, tui ſimilium, judicio prædicet, in quem munificentia exerceatur. Scis quam forti pectore, teque hortante, quaſi naufragus emerſerim, atque fortunæ dulci repudium ſponte miſerim, quò receptus ille meus in Eccleſiam illuſtrior evaderet. Scis quo animo ſim in bonas litteras, quas ut deinceps excolere, tuis inſiſtens veſtigiis, unice cupio. Id unum ſupereſt, ut Dominus, qui pars eſſe voluit hæreditatis meæ, & calicis mei ſit qui reſtituat hæreditatem meam mihi. Hac de re ut ſerio, & amice quamprimum ſcribas ad Illuſtriſsimum Epiſcopum rogo. Expectabo itaque litteras tuas, antequam Aula diſcedat tradendas, vel confeſtim mittendas. Vale, Vir ſumme, & me ſemper ama. Lutetiæ Pariſiorum Eid. Septembris 1654.

Sapientiſsimo, ac doctiſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo

JACOBUS GAFAREL S. P. D.

CUm meditatum in Hollandiam iter, ex quo doctiſsimus Sorberius ab hoc conſilio deflexerit perficere amplius non cogitaverim, Parens meus cariſsimus Italiam mecum inviſere in animo habuerat. Sed & valetudo non ſatis firma, & rerum domeſticarum cura ipſum a domo ſua tam procul diſcedere non ſinunt. Itaque cum me ſolum ei regioni permittere nollet, in qua & ſapientiores, & ætate provectiores vix tam inſueti aëris contagium effugiant, Lutetiam me nunc rediturum decrevit. Nutantem adhuc, & dubium omnino perſuaſit nuncius, quem nuper accepit, te tam cito Pariſios non relicturum, & benevolentia, qua in ipſum propendes, quam in me derivari aliquantulum poſſe exiſtimat. Nihil enim æque mihi conducere exiſtimavit, quam ut conſpectu tanti Viri frui, & ſatiari liceret, mihique ſæpe ante oculos poſuit Doctiores Europæ illuc confluere, quos tui nominis fama, & tuorum operum admiratio potentius alliciat, quam deſiderium inclytæ urbis, & celeberrimæ orbis curiæ inviſendæ. Et quamvis ex eo quod ſit tibi totus jampridem addictus, Vir præſtantiſsime, Parens meus, hanc mihi polliceri poſſe felicitatem videar; ne tamen in temeritatis vitium vererer, ſi ad tantam adoleſcens ego aſpirare amicitiam alia ſpe, quam ſummæ bonitatis tuæ innixus auderem. Nunquam certe tanta lætitia perfuſus ſum, quantam mihi ultimum iſtud propoſitum attulit, quod tui videndi, amplectendi, & vivam vocem audiendi facultatem dabit, præſertim cum te non ægre viam, quæ in ſtudiis meis ſectanda, erit deſignaturum putem. Quibus aut nullam unquam operam dedi, aut certe incepi dum Philoſophiæ tuæ lectioni incubui. Sed vale, Vir Illuſtriſſime; timor namque, ne pretioſum aliquod momentum tibi uberior epiſtula ſurripiat, calamum e manibus excutit, mihique tantum otii ſolummodo concedit, quantum ad audaciæ meæ veniam rogandam par eſt. Datum Mannæ 15. Septembris 1654.

Clariſſimo Viro Petro Gaſſendo Præpoſito Dinienſi

JO. HENRICUS BOCKLERUS S. P. D.

PErtinebit, ſi quid hæ litteræ peccarint, culpa ad Illuſtriſſimum Equitem Scipionem Scaligerum, qui mihi auctor fuit, ut cultum devoti tuis meritis animi non dubitarem propiori obſequio profiteri. Gratulatus mihi ſum plurimum de tanto patrono, cujus vel ſolum nomen apud te, Vir Clariſſime, ad abſolvendam meam audaciam valere poſſe omnino confidebam. Addet autem, ſpero, optimus mei deſiderii interpres quanto ſtudio concupiſcam, ambiamque, ut dignus videar, qui mandata tua excipiam. Ea mihi occaſio erit uberius inſinuandi obſequia. Vale, illuſtre ſæculi decus, & fave. Scribebam Argentorati 4. Novembris 1654.

Ornatiſſimo Viro Petro Gaſſendo Præpoſito Dinienſis Eccleſiæ

JOANNES LUDOVICUS CASTANEUS S. D. P.

QUod exercitationis amore, antequam Pariſios abires, tibi propoſueram, Vir doctiſſime, hoc idem ad aliquid ſerium me jamdiu excitavit; licet autem privatis primum ſtudiis concludendum videretur, tamen jam urget me ad lucem, ſi non publicam, ſaltem privatam apud cordatos aliquot, qui forte fovere poſſent, & promovere ad bonum publicum. Tibi primum declaro mentem meam, quod ex humanitate tua ſperem ſincerum judicium, an probari poſsit ex contextu, & diſpoſitione orationis diſſertatio, quæ ab omni ævo puriorem dedit humanæ menti contemplationis materiam; quæ-

quæque inſunt hæc tempora exercitatis, & illuminatis ingeniis plena, omnem ſcientiæ ambitionem in priſtinum reſtituat humanæ modeſtiæ candorem. Sed non poſſum vincere pudorem meum, quod impari ingenio, & doctrina tam magnum præferam; niſi prius benevolentiæ tuæ examinandum proponerem, ut ſi vel paululum deguſtare poſſis hortatu tuo huc omnia ſtudia mea conſeras, vel intereeſsione tua veniam in communicatione hominum, qui parturienti calamo obſtetricentur. Hoc enim mihi eſt ingenium (confidenter tibi explico) quod privatis ſtudiis parum in ſeſe incaleſcat; externis jaculis exponitur, avideque iis excitari, & feriri gaudet, iis ad laborem accingitur, ad lucem componitur. Vici pudorem meum. Pariſios ſuſpiro, ubi illuſtrem bonæ mentis palæſtram Illuſtrium Virorum ope, & opera aperire me poſſe confidam, eorumque animos ſuccendere, qui ad id præſtandum prudentia, & ingenio prævalent, ibi totam ſupellectilem ſibi ſuam auguratur ingenium meum, procura mihi aliquem Mœcenatem. Audio multos ludicras illas humanæ vitæ tabulas theatro concluſas ardenter fovere; numquid non excipient qui veram animorum palæſtram novis coloribus adumbrare delectetur; forte melius dicam nova luce (cum enim omnia nova placeant novam dixi licet æternitati coævam) ſed inviſa eſt hoc ſæculo hujuſmodi præfatio. Idcirco tibi tantum exhibeo, qui virtutis privilegio, & multa ſtudiorum felicitate noſti captare omnes quotquot litterarum amore aliquid agunt, Muſarum gratia benevoli fiunt. Hæc fere inſcio Patre ſcribo, licet aliunde gaudeat me ſollicitare veterem cum illo amicitiam tuam. Quippe timeret, corpuſculo obiiceret etiam deeſſe mihi illam in colloquiis familiaribus facundiam, ſine qua nulla commercii litterarii lsus tardus progreſſus. At ſicut palæſtram in umbra deſigno [donec generoſior aliquis aperto marte, Academicis (ut vocant) conventibus interſerat] ita me ſub umbra exercebo, procurabo mihi ignes, quibus lubenter ſoveatur animus meus. Alterum tollet amicitia tua, ſi Patri perſuadeas, quod ego tibi perſuadere vellem; ſcilicet in corpuſculum prævalere animum meum, ſi advenerit ſuprema ſua delectatio. Intereſſe magnorum hominum cœtibus, diſſertationes audire, in iiſque deguſtare ſuavem illam doctrinæ, & morum temperaturam, ſapientiæ, & comitatis harmoniam; hæc enim ſicut pulchritudo in alieno corpore non habentes etiam delectant; præterea obſervare tot artes, tot ſtudia hominum, admirari aulæ nitorem, unde adeo elegans humanum commercium, & magnificentia, unde bonis artibus multa lux, plena fecunditas, lege ſi per otium liceat, nam majoribus te affixum audio, deſignationem meditationis meæ. Aliam præfationem compoſui; Lunam, & Venerem meo gradu emenſus jam Martem ſuſpicio ſine ſpecillo Batavo; eſt enim hoc ſæculum diſſimilitudine multum ſpectabile. Mercurii contemplationem ad mercurialium contactum transfero, ſi adſit copia, aut Vare proximo, aut alias. Porrò nulla ambitione volvitur hic ingenii mei rivulus; aquarum affluentiam aliunde quærit, quibus ad aliquam juſtæ abundantiæ exigentiam accreſcere, perindeque æternam veritatem ſitientibus æſtum levare, animum humectare poſsit. Et quidem materiæ dignitas hoc exigit, ut quod opus fortium temere fere ſuſcepi, eorum ſaltem opera proſequar. Hominem non habeo in iis, ut ita dicam, cantibus. Cum enim præ laboris, & ſtudiorum infrequentia rude mihi ſit ingenium; non poſſum jam me committere, ut vulgo Tyronibus imponitur ad luſtrandum Platonis ampliſsima ſpatia, nec Ariſtotelis Euripos transfretare, nec etiam D. Thomæ, etſi tranquilliſsimum, mare conſcendere. Hominem quæro, qui ſicut Epicurus a te reſtitutus nullam eruditionem eſſe duxit, niſi quæ beatæ vitæ diſciplinam juvaret; ita naturalis ſcientiæ, diſciplinæ civilis, & morum ſummam continuo gloriæ divinæ vinculo velut aurea Homeri catena colligare noveris; hominem quæro, qui in illo lucis æternæ immenſo globo (velut peritus Coſmographus in Mundo) diſtinguat terras, animalia, plantas, urbes, nemora, mare, ejuſque ſecretas diffuſiones, & in ipſum præcipitia aquarum; aëra, ejuſque effuſiſſimam naturam vitæ beneficia, cœlorum vires digerentem, & in inferiora tranſpirantem, ignem beneficum, quia ab infinito hoc lucis corpore exciſum. Te ſolum convenio, qui ſeriem rerum, & pulchritudinem, & Univerſi hiſtoriam diſtincte explicaris, omniumque connexionem perfectiſſime calles. Noſti quam promptum conciliandi homines vinculum ſit litterarum ſtudium, eo nomine ſollicito genium tuum; & licet in me deprehendam nævos amico vinculo ineptos, tamen exurgit in me quoddam deſiderium admirandi, obſervandi doctos, ut perinde non inutilem naturæ impetum auſpicer. Cum maxime tui obſervantiſſimum me ubique, & ſemper reddiderit, bene vale. & ex voto meo cito proſperentur bono publico omnes labores tui. Siſtarici Nonis Decembris 1654.

Palæſtra bonæ mentis deſignatio.

NEque cum doctis ſcriptionis laudem æmulor, neque cum indoctis invidiam deprecor, ſed cum omnibus neceſſitatem bonæ mentis conſector [candide lector]. Voco bonam mentem, quæ inhærentem nobis erroris ambitionem frangat, quæque Dei ſuam eſſentiam imitantis opus ſic ſe intelligat, ut omnem mobilitatem ſuam componere poſſit juxta eam, quæ æterna eſt in Deo, conſiſtentiam. Quod ita fieri poteſt, ſi quæ continuo ipſi obiicitur gloria conditoris, eam ſibi in omni progreſſu familiarem reddere contendat. Nimirum ſi ad univerſalem de uno omnium opifice ſententiam addat, rerum commercia manu Dei diſtincta, naturam velut experimentum ſapientiæ, & virtutis divinæ, rationis cum æterna providentia conſenſum neceſſarium. Similiter ab eodem principio deducat naturæ auctoritatem, & liberalitatem, hominumque artes, quibus illam ſibi conciliant, iſtam ſibi longius producunt; & in convictu humano, quod virtute probatur vel vitio diffamatur a Deo illud decorum conſervari, iſtud indecorum expungi. Quæ omnia quoniam exercitatione addiſcuntur, & exercitationis propter libidinem ingenii compendioſa ſimul, & lucida via vix pateat; ego certam, & univerſalem liberis animi progreſſibus diſciplinæ viam deſcribo in gloria Dei, quippe cujus uniformi luce Mundi varium temperamentum ſuis numeris diſtinguatur; quæque quod ad ejus contagium animus noſter præcipitium patitur ſemper contineat, & moderetur donec ſuæ immutabilitatis plenius participem reddat; quæ denique neceſſario præfertur univerſalis diſciplina, ſub qua reliquæ inſtituendi animi rationes velut ſpecies ſub genere comprehenduntur. Propterea palæſtram uſurpavi, antiquis

nomen univerſale, quod omnibus cum animi, tum corporis exercitationis erat commune; affinitas enim utriuſque alterius in alterum commoda tranſpirat. Et certe quæ in Academia porticu horto Epicuri florebant exercitationes vegetationis corporum rationem, & praxim continebant; & quæ in Gymnaſiis edebantur ſpectacula animi dignitatem & ſpectatoribus explicabant, & Athletis conſervabant. Itaque quot modis natura, & ars nos exercent, iis [quantum facundia conſequi potero] procurabo fidem ex gloria Dei, quæ cum utramque inter ſe complicavit, ut ars naturam ſequatur, artem verò natura admirtat, inde plenius nos ſibi obligavit: natura enim ſæpius arte ſollicitari gaudet, ut ſe æterna arte compactam exhibeat, ars verò in natura ſequitur conſtantem, & æternam, in qua fundata eſt, legem.

At ſtadium tandem aliquod componendum eſt, in quo omnes tum artis, tum naturæ claſſes diſtinguat animus noſter, & ſuo ſingulas gradu percurrat. Quod quia ex antiquis imitandum habeo, ipſi Circi maximi diſpoſitionem affingere ingratum non erit. Etenim Romani ſelicius univerſalem aliquam naturæ imaginem edere potuerunt, qui totius orbis compendium urbe ædificarunt. In hoc ſic factum eſt, inquit Caſſiodorus, ut naturæ myſteria luderentur. Et quoniam illic totum Concilio gerebatur, ut tota illa epiſtola eleganter idem proſequitur, ex ceteris convenit orationi meæ, quod Chaboti, in Satyr. Horat. erat ovara figura inſtar Cœli, & in medio habebat Obeliſcum pro Sole, & utrimque ternas metas pro reliquis ſex Planetis, quaſi ſtadium animo decurrendum ſit Cœlum, in quo ſpatia diſtinguant ſex Planetæ; ſcilicet tres priores, Luna, Venus, & Mars ſecretam naturæ vim, & lucem; poſteriores Mercurius, Juppiter, & Saturnus, artis univerſa inſtrumenta in inſtitutione generis humani explicent, & ſicut illi in Cœlo Julian. circa Solem choreas agunt; ita & tota naturæ vis, & rationis humanæ auctoritas circa Deum, cujus magnificum ſymbolum eſt Sol, ſemper revolvuntur. Hoc itaque in hoc curriculo aſſequendum propono, ut naturæ ſecreta ſuggeſtio, & rationis humanæ apertæ definitiones in Deum ſemper deſinant. Quod licet omni tempore a multis recte demonſtratum ſit; tamen non male audiam, ſicut qui diſciplinas recte inventas, ac feliciter propagatas novis ornamentis augent, vel qui olim in circo nova ſpectacula, novas decertationes, amplioraque ad currendum ſpatia producebant. Planetarum ſymbola, ut ſere Poëtæ, & ad illorum imitationem Philoſophi, præſertim Platonici hic tantum proſequor, non ut Aſtrologi phyſicos effectus. Jucundius enim fuit pulcherrimis Phænomenis dividere ſua menti ad diſcurrendum, & philoſophandum ſtadia, quam ex affectionibus corporum, quas illi inurunt, multa dignitatis animi tractare diſpendia. Quæ itaque Mundi converſatio natura, & arte comparanda mentem occupat, ex hujuſmodi Planerologia multam lucem accipiet. Naturæ quidem in univerſum progreſſus [rationis humanæ proximam materiam] Luna adumbrat, ſicut mutationes librare videtur, deinde ſimilitudinis in ea, & diſſimilitudinis, ſive convenientiæ, & diſparitatis conſequentiæ Venere, & Marte velut quibuſdam Aſteriſcis notantur, ex quibus mihi apparet cohærentia lucis æternæ, ſicut D. Auguſtino ex pulchris, & deformibus in Mundo ordinis tenor. Artis autem ſubſidia revelant Mercurius, prout ſenſibili magiſterio traduntur; Jupiter, quatenus inviſibili providentiæ virtute naturæ adæquantur, Saturnus, ut ſuper continua rerum ſucceſſione monumenta æternitatis ædificant. Sol autem religionis, ut ita dicam, Magiſter in medio naturæ, & artis poſitus illius fecunditatem conſervat, hujus ornamenta componit. Et hæc tantum mihi impoſui, ut dilatarem dicendi carceres. In hoc enim examinationem tuam prævenio (Lector) quod non dicendi Magiſter, ſed Tyro tibi occurram, ne in nobiliſſimo dicendi genere ulla rudis, & informis calami invidia, vel meditationem meam tibi ſubducat, vel tuam intercipiat, aut retardet. Nec repetitum verbum [Gloria Dei] ſive per ſe, ſive per ſynonima tibi nauſeam pariat, nam præter quam quod eſt vinculum orationis meæ, quod fractam dictionem quodammodo connectat, eſt etiam internum mentis verbum perſeveranter reponendum, donec Verbo æterno adæquari poſſit. Quæ autem plurima deſunt compone animo tuo, quia jucunda, quia neceſſaria, ſcriptis etiam explica, quia & hoc ſummum charitatis præceptum mihi eſt, ut alter alteri exponat quas in animo habet, vel communes, vel ſingulares gloriæ divinæ lineas, quamdiu loquor, imagines. Titulum acceptum refero ſpectabili Viro Ericio Puteano, qui Palæſtram bonæ mentis pro munere ſuo Oratorio inſtituerat, in qua (*hoc age*, inquit, *ut qui ſapere ſupra vulgum deſtinarunt, promptam, & exercitatam ad ſuperiora ſtudia eloquentiam adferant, ſcilicet ad magna litteræ mentem præparant, non occupant*). Sic enim hoc ego obtinere vellem, ut qui undique diffuſum gloriæ divinæ lumen familiare ſibi reddere contendunt, conſentientem ipſi rerum omnium ſcintillationem obſervent, colligant ſcilicet ad id omnia ſive ſobjecta oculis, ſive commercio deſtinata mentem præparant, non occupant. In re publica, & privata notum eſt quantum hanc lucem præferant, quantum conſequantur, & hoc omnium ſæculorum fuit negotium, ut directio humani generis proxime intelligeretur accedere ad mentem rectoris inviſibilis. Hoc non proſequor, quia ubique recte, & docte in Republica Chriſtiana tractatum eſt. Privata tantum ſtudia, illa ſcilicet humani ingenii ſolatia [ut philoſophiam vocant] ſive ſenſum, quo quiſque percipit objecta, & ad illa afficitur, quo in ſeceſſu, vel in turba componitur, quo ſucceſsiones rerum colligare pertentat, æternæ hujus lucis communicatione vigere, vellem demonſtrare. Ea tamen mihi non eſt temeritas, ut omnium hominum rem agere præſumam, non enim novi tot hominum artes, animorum claſſes, ingeniorum molimina, quæ hic exſcribere poſsim; menti tantum in peramœnum lycæum tanquam equo in planitiem curſum concedo, ut forte aliorum feliciorem genium excitare poſſim. At quoniam (benedicere ad paucos, bene autem vivere ad omnes pertinet) nec omnes, quorum una intereſt mentem habere bonam, artium, & ſcientiarum, quibus illa excolitur, ſubſidia aſſequi poſſim. Porrò una videtur neceſſaria exercitatio, quæ omnibus bene vivendi artem conferat, quæque artium, & ſcientiarum inſtrumenta admittat, tamen etiam ſine iis bonæ mentis progreſſus proſpere deducat. Vide (Chriſtiane Lector) an alia occurrere poſſit, quam perpetuus circa gloriam Dei ſyllogiſmus, quo rationis humanæ primum, & æternum officium vertitur. Vale.

Lib. 3. Var. ep. 51.

Orat de Palæſt. bonæ ment. circa medium

Lact. l. 1. inſtit. c. 1.

Clariſsimo Viro, Philoſophorum bujus ævi longe Principi, D. D. Petro Gaſſendo τρίκυνον.

IIs litterarum tuarum muneribus, Vir Magne, quibus univerſum orbem litteratum demeruiſti, mirum in modum tu me tibi devinxiſti. Per ea diſcipulus tuus factus ſum, tuus debitor, atque amicus tibi; ſatis jam tua liberalitate, tanquam ἀχάριςος in ſinu gaviſus ſum. Proinde gratiam acturus ad te proficiſcor, ſpe pellectus, & ductus humanitatis tuæ. Quod hucuſque ſilui, meus pudor effecit, cum æquitas quidem rei, ac officium meum, maturius agi tibi gratias poſtularent, mea verò reclamaret inſcitia. Audeam ne te tantum Virum alloqui, ego homuncio tantum Doctorem, ego novitius, reddam ne tam liberali Domino talentum rubigine corruptum potius, quam auctum mea diligentia? Si fecerim, inquam, perierit mihi frons. Et hæc quidem olim, cum nihil præter doctrinam, atque amplitudinem tuam de te cognitum haberem. Jam per tempus doctior effectus, audacior itidem evaſi, poſtquam & de tua humanitate ea accepi, quæ me prope demerſum tædio τῆς ἀχαριςίας, non parum erexerunt. Intellexi enim tum a Patre, tum ab Avunculo qua me, fratremque benevolentia digneris, etiam in ſumma valetudine noſtri non immemor. Quo quidem nomine ſingulares tibi gratias habeo; magnum autem mare ingrediar, & inſuperabile, ſi quot præterea, quantiſque beneficiis tibi obſtrictus ſim, incipiam oratione proſequi. Debere me tibi profiteor ſingulari nomine quidquid unquam in commune bonum ſcientiæ profudiſti. Et quoniam innumera ſunt tua in nos bene merita, omnium in uno gratiam accipe. Tuas in Epicuri philoſophiam lucubrationes quando cogito, videre mihi videor novum quemdam orbem doctrinæ; tot ſunt in hoc opere magno, Phyſica, Metaphyſica, Ethica, Theologica documenta magna, eaque nova. Hujus orbis quaſi Cœlum efficiunt tuæ præclaræ virtutes, in quibus præfulget pietas inſignis, quæ vel illum ipſum Epicurum, pro quo alioqui certas [& tecum ratio] ſicobi errat ſevere caſtigas: τῇ ἀρετῇ τὸν λόγον κοσμῶν τὴν ἀρετὴν ἢ τῷ λόγῳ; ῥήτωρ ἂν ἀγαθὸς τοῖς νόμοις ἐλομαίνῃ. Tuo candori debemus, quod nos ratione, non auctoritate obſtringis, quodque iis in rebus quæ verſantur in dubio integram tuo Lectori libertatem conſervas; tuæ ἀγχινοίᾳ, ingeniique acumini tuo, quod dubia multa certa feciſti, erronea antiquaſti, rudia, & impolita adornaſti, incognita prodidiſti. Tuæ diligentiæ, fortitudini, μεγαλοψυχίᾳ, tuis denique laboribus, quod non vulgares tuæ litteræ, ſed interiores quædam, & reconditæ tanquam ex arce Parnaſſi prodeunt. Super his, Vir λογιώτατε, καὶ φιλοσοφώτατε æternum tibi tua virtus monimentum condidit, ære longe perennius vives, Vir clariſſime, per omnia ſæcula tibi ſuperſtes, nunquam intermoriturus, niſi cum eruditio, virtus, pietas peribit, & exulabit e Mundo; tum & ego velim perire, & tecum cumque virtute φυγαδεύειν, interim vive, vige, vale, ab omni liber ægritudine, longos annos. Tecum vivet, & vigebit univerſa res litteraria; valebit verò inprimis, qui ſic ἐκ τῆς καρδίας, καὶ ἐξ ἄκρου μυελοῦ vovet tibi in æternum, Vir clariſſime.

Addictiſſimus, obſequentiſſimus
Franciſcus Prataus.

Scribebam Daugei in ora Belſiæ Anno 10. Dinyſimo 1654. ἄχωλος Δεκεμβ. 6.

Clariſſimo, & Spectatiſsimo Viro, Domino Domino Petro Gaſſendo, Matheſeos Profeſſori Pariſienſis S.

CUm litterato Orbi innoteſcat (eruditiſſime Vir) quantos in re Aſtronomica labores & ſuſcepiſti, & continue ſuſcipis, tam inſtituendis cœleſtibus obſervationibus, quam alibi inſtitutis colligendis, rem tibi non ingratam fore judicavi, ſi Eclipſeos ſolaris obſervationem a me Oxonii anno præterito inſtitutam tecum communicavero. Auſus ſum igitur clariſſimum Virum, quanquam non aliunde mihi magis, quam ex ſcriptis tuis notum, hac auſa data interpellare; paucis tamen, ne importunus videar, tuiſque ſeriis moleſtus. Id ſaltem orans, ut obſervationem illam, quam tibi cum his litteris mitto, candide digneris acceptare; & quidem, ſi per tua negotia id commode fieri poſsit, ut exemplarium alterum clariſsimo Domino Iſmaëlis Bullialdo (mihi pariter ignoto) tradendum cures. Ideo autem ſerius aliquanto propter aliam, quam nudius tertius expectavimus exiguam Eclipſin ſolarem, ut nempe ipſius ſimul aliquam, ſi fieri poſsit, rationem acciperes. Verum nubilus, & pluidus aër, qui per aliquot dies præcedentes Cœlum obſcuraverat, etiam tunc temporis aſpectum Solis penitus impedivit, ut nihil prorſus eâ de re referre valeam. Supereſt, ut ſalutatione officioſe præſtita, omnimodam tibi felicitatem precatus, valere jubeam. Dabam Oxonii 29. Januarii 1654 Stylo Angliæ 1655 Stylo Juliano. Februarii 8. 1655. Stylo Gregoriano.

Tui obſervantiſſimus Joannes VVallis.

PETRO GASSENDO

PETRUS MARIDAT S.

CUm te nuper Lutetiam vita ſoſpite reducem vidi, riſi plane Morini deliria, qui tuum in caput conſpiraſſe Aſtra omnia tuæ geneſeos multo ante juraverat; & riſi quidem non tua modo cauſa, quem inter vivos eſſe diu omnium intereſt; ſed etiam mea, quippe quem pariter (ſi quæ Morino fides) ex adverſo Syderum aſpectu defeciſſe vita tunc debuerat. Typum ecce nativitatis meæ mitto, quem ille erexerit, ac ſcrupuloſe verſarit, reverſarit, expenderit; ceterum quod ut pondus nugis inaniſsimis apud æquos judices eſſe debeat vel ex me cognoſcas, quædam exponam, quæ de me ille commentus eſt; ne tamen exiſtimes me nimium plus, & Arti, & Doctori tribuiſſe, qui Mori-

Morinum tanquam fatorum interpretem adierim, aperio primum quid cauſæ fuerit, cur ipſum conſulerim. Ardebam amore Puellæ nobilis, jamque de Hymenæo cogitabatur, cum avidum me cepit cupiditas eventum rei e Syderibus noſſe; levavit impatientiam D. Monconiſii mihi perfamiliaris urbanitas; hoc deductore Morini fores pulſo, meam, ac puellæ porrigo geneſin, ille utriuſque ſpondet Horoſcopum; de pretio [quod ſane coëmendis nugis non permodicum fuit] convenitur; diebus exin poſt aliquot, Sybillinis plenas foliis chartas refert, & primo quidem puellæ Horoſcopus toto Cœlo aberravit, de meo quid dicam? Sydera ſe tetigiſſe digito putabat, aſſequutus nempe aliquid, quo rebatur apprime rectificatum nativitatis meæ momentum: Quis proinde non crederet loquuturum e Tripode? At vide quam parum fuerit *præſaga mali mens*; inditum vult mihi ab Aſtris proclivem ad Artes Divinatrices animum, cujuſmodi eſt Aſtrologia, *Mercurii enim, & Veneris*, inquit, *conjunctio, dum maxime Venus eſt Domina primæ Domus*, *at mihi fere ſemper hanc ingenii famem excitat*; at hac fame confectum, tabidumque me hactenus omnino non ſenſi, ſiquidem ea, quæ curioſitatem irritant, tantum inutilibus nunquam non accenſui, & judiciaria apud me ſemper habita eſt tanquam ſortes, vel aleæ luſus, ubi anus, quam Zingaram Itali, nos Bohemam appellamus, ſæpe de futuris felicius quovis ocolatiſſimo Aſtronomo vaticinabitur. Diem Octobris 24. inauſpicatum mihi in reſolutione 27. pronunciat; ego jucundiſſima venatione totum exegi, nec quidquam in illa periit mihi præter feram; idem puta de ceteris diebus, quos tanquam ægyptiacos notaverat; præterea annos ille ex conjunctione Martis, Mercurii, & Solis in oppoſito Saturni, morborum inter, hoſtiumque aſſultus mihi eſſe luctuoſiſſimus debuit; & eo tamen anno mihi conſtans a morbis, atque hoſtibus quies. Bilem in me flavam humorum principem conſtituit, & atræ me plus habere ſentio. Quam-pluribus me morbis, ac diuturnis obruit; & ab anno ætatis 14. vix brevem Ephemeram ſenſi, præter morbos, quos illi enumeraveram, Vitæ demum non longos terminos ponit; ſentio tamen Patrui, & Avunculorum in me vires, quis credat! ex his ſex etiam-num incolumes quinque ſæculorum annos implent. Cum de conjugio hæc habet: *Si natus trigeſimi primi anni tempus abſque conjugio præterierit*, *vix unquam nubet*, & alibi: *Signum Domus ſeptimæ, quæ eſt conjugii neque femininum, neque fecundum eſt; deinde Mars Dominus ſeptimæ eſt peregrinus in loco ſterili, & duodecima Domo; tertio, Saturnus conjugii præcipuus hoſtis inter Planetas cuſpidem ſeptimam occupat, damnatus in Ariete, & oppoſitus Horoſcopo, quæ conſtitutio vel nati animum avertet a matrimonio, vel ne contrahatur, impedimenta, & infortunia varia concitabit; quarto, ambo Planetæ feminini, Luna, & Venus, quos in virorum conjugiis præcipue ſpectandos eſſe volunt Aſtrologi, hic etiam prave afficiuntur; Luna quidem obſeſſa oppoſitione Martis Domini ſeptimæ ex duodecima, & conjunctione Saturni damnati in cuſpide ſeptimæ, at Venus peregrinatione, & combuſtione, neutraque dignitatem ſortitur in ſeptima, imo Venus interdiu ſpectanda, ut volunt pro uxore, eſt inimica ſeptimæ ob Signum Arietis exilium Veneris; cum igitur ſic ſe habeant ſupradicta, conjugium ob Aſtris denegari dicendum eſt*. Subdit non multo poſt: *Si natus vi propriæ libertatis uxorem duxerit, uxor illa vel erit deformis, vel conditionis infimæ, vel ſordidorum, pravorumque morum, ſuperba, arrogans, malitioſa, ac nato inimica, quod Saturnus ſit oppoſitus Horoſcopo; Mars autem in duodecima; multaque mala, lites, jurgia, animi triſtitias, zelotypiamque ipſius mulieris cauſa patietur invitus, nec talia effugere erit in ejus poteſtate, ſed dumtaxat ferre patienter, etſi a conjuge ſemper abhorreat ob Saturnum prave affectum in cuſpide ſeptimæ*. Amabo, Gaſſende mi, tam fœdo omine deterritus an eſſe mihi pronubus, ac paranymphus voluiſſes? quis non amens conjugales tædas execratus non eſſet? & nupſi tamen reclamante Cœlo, ac Morino, quo eventu? vix de Conjuge cogitavi, cum ea mihi obtigit, qualem & optare ſapientiſſimus, & obtinere feliciſſimus potuiſſet; forſan inclamaſſet etiam Poëta: *Femina nulla bona eſt*, at mihi, *neſcio qua fata res mala facta bona eſt*; adeo concordem ducimus vitam, ut etiam nobis aliquando conveniat vetus illud Epitaphium: *Vixerunt ſimul annos* 30. *ſine jurgio, & querela*. Cum de liberis hæc refert: *Sive natus nupſerit, ſive non, geneſis hæc, aut nullos, aut ſaltem perpaucos liberos pollicetur, primo enim Signum quintæ Domus, quæ eſt liberorum ſterile eſt, quæ Saturnus ejus Dominus natura ſua ſterilis deprimitur in Ariete, Signo minime fecundo; Mars autem Dominus Saturni, & ſeptimæ etiam natura ſua ſterilis peregrinatur in Signo quoque ſterili; hæc verò nullos, aut ſaltem perpaucos ex matrimonio liberos præſagiunt*. Minaris ſteriles Thalamos, ac domeſticam ſolitudinem, Morine, & tamen annus conjugii ſine Lucina nullus præe hactenus fuit; mihi ab hærede nullo metum facis, & tamen liberi ſuperſunt plures, quam neceſſe olim fuerit in Provincia ad excuſationem Tutelæ; ſed hoc mitius fero, quam quæ addis, dum concubina torum fœdas, impleſque ſpuriis Domum? Apage Syderitum Sycophantem; hæc enim familiarum carcinomata odi, atque execror, nec odium aliquando faventibus Superis ponam. Variis in locis Stellas præire monet ad Clericatus apicem, & Clauſtrorum ſepta; & tamen leviticas inſulas reveritus ſemper, nunquam ambivi; de Monachatu verò, & cucullo vel cogitaſſe me aliquando non memini. Sororum mihi odia comminatur, quamvis domeſticæ charitati ne gutta unquam fellis inſperſa ſit. Parentum hæreditatem aditurum me egræ pronuntiat, ex qua tamen mihi nihil vi, nihil lite decerptum eſt. Cantoribus, Pictoribus, Poëtis addictum me fore dicit; ego Viros induſtrios ut non odi, ita Murinos, ac Motiones plus æquo non diligo. Ab Alchymiſtis imminere grande fortunis meis periculum putat; mihi verò ſtat animus cum Ciniflonibus æris, nec temporis quidquam perdere. Quadrageſimum annum exitialem fore admonet, qui ægritudinis, & timoris vacuus fuit. Demum ut improſpera felicibus condiat, ex directione medii, Cœli ad Solem, mihi in ſinum congerit honorum, opumque cumulos; verum qui ad credulitatem minis non flector, pollicitationibus non adducar, & qui altum fecit ſilentium de Magiſtratu, quem adeptus ſum anno 1640. & de Conjuge, quam nactus ſum 1646. meliora videre haud potuit. Magnatum benevolentiam ut ſperem admonet; ego Virorum Principum favorem pæne non minus, quam odia pertimeſco. Familiam mihi amplam, ac ſplendidam ſpondet; ego quod honeſtæ neceſſitati ſuperfluit nec expeto, nec expecto. Quæres modo, Gaſſende mi, quo in Muſæi loco deliri ante ſilicer-

nium

Digitized by Google

niam heminis ætras reponam? plane non longe a tuis lucubrationibus, nimirum ut Nepotes in utroque videant cur reverentiam, cui ſibilus debeant, & a talibus nugis avertantur, Horatiani illius memores:

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetque ſi mortalis ultra
Fas trepidet———

Plura hac de re non addam, ne *Sus Minervam*; quæ mihi non acciderunt expoſuiſſe ſit ſatis. Vale, dabam Lugduni ad 7. Calend. Novembris 1654.

Præclariſſimo, ac Doctiſsimo Viro Domino Petro Gaſſendo, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, ac Regio Matheſeos Profeſſori, amico ſuo ſingulari S.

UT magno certe perfuſus ſum gaudio acceptis, perlectiſque binis tuis deſideratiſſimis litteris, ita ſane viciſſim maximo mœrore ſum aſſlictus, cum nuper ad nos perlatum fuerit, te amicum ſingularem noſtrum adeo decumbere graviter, ut vix ſpes aliqua ſuperſit convaleſcendi. Sed poſtquam divina gratia quemadmodum per Dominum Nucerium certo reſcivimus, priſtinæ iterum es reſtitutus valetudini, merito gaudemus, exultamus, ac Deo optimo Maximo ex toto pectore agimus gratias; cumque ſupplices inſuper rogamus, ut te, qui cum paucis admodum hoc ſeculo famam rei litterariæ adhuc ſuſtines, quam diutiſſime ſalvum, & incolumem conſervet. Aureum tuum libellum, vitam ſcilicet Tychonis, Copernici, Peurbachii, & Regiomontani, munus perquam carum, optime tandem accepi, alterum exemplar mihi reſervavi; alterum verò juſſu tuo, Domino noſtro Eichſtadio tradidi, qui mecum maximas tibi agit gratias, nobiſque gratulamur ſummopere, quod horum eximiorum Virorum, & laudatiſſimorum, de Urania optime meritorum memoria poſteritati adeo diligenter, ac docte, a laudatiſſimo pariter Viro commendata fuerit, qui profecto dignus, ut ſuo tempore a quopiam præſtanti Viro pari benevolo excipiatur affectu. Rem præterea feciſti nobis gratiſſimam, quod diligentiſſima tua utriuſque Eclipſeos anni præteriti obſervatione nos beaſti. Quid verò de illis ipſis, & ego deprehenderim, & in quantum negotium ſucceſſerit jam Typis menſe circiter Octobris mandavi cum alio quodam opuſculo de motu Lunæ libratorio, quæ omnia per generoſum Dominum Nucerium tibi jamdudum fuerunt tranſmiſſa; non dubitans, quin ea etiam recte acceperis. Num verò bene ad ſcopum nec ne collimaverim, in definiendo nimirum memorato illo motu, penes te, alioſque rerum expertos eſto judicium, id, quod haud gravatim mihi detegas officioſe rogo. Utinam quod attinet Eclipſin partialem Solis, quæ in diem 6. Februarii nuper incidit, nequaquam ob aërem toto illo die turbidum animadvertere potuimus; vos autem quid in Gallia conſpexiſtis, propediem expectamus. Edidit nuper Joannes Placentinus Profeſſor Matheſeos in Alma Viadrina, novum, & accuratum longitudinis locorum ſcrutinium, uti quidem titulus promittit; ſed vereor quin rem acu tetigerit; quas pagellas, uti ab auctore eas accepi, tibi hiſce tranſmitto. Vale, mi Gaſſende, ac Doctiſſimum Dominum Bernerium data occaſione meo nomine peramanter ſaluta, meque amare non deſine. Dabam Gedani, Anno æræ Chriſti 1655. 31. Martii.

Tuus ex aſſe Joannes Hevelius,
Reip. Patr. Gedan. Conſul.

Doctiſſimo, & Spectabili Viro Domino Petro Gaſſendo, Dinienſi Præpoſito

I. LUDOVICUS CASTANEUS S.

QUod humaniter exceperis litteras meas ex tuis novi; & gaudium inde natum jam accingebat me ad laborem, & opes communicationis tuæ felicitatem auſpicabatur, cum intercepit animi dilatationem naſcens tum temporis hydrops in amantiſſimo patre, naſcentem dico, quia hucuſque ignotum etiam tuo ſagaciſſimo Laotarctio exercuit per totum Februarium, & Martium, tandem inundavit altera die poſt Paſcha, & ſimul, proh dolor! ſuſtulit delicias meas, cytharam meam fregit; amaritudinem tamen temperat memoria gratiæ divinæ, quæ illum per id tempus tam ſuaviter deduxit, fortiterque protexit, ut quod a viro prudente, & Chriſtiano requiritur, feliciter exequutus fuerit; rem domeſticam compoſuit ea prudentia, & æquanimitate, quæ in patre familias expetenda venit. Animum, ut in ea diſtrictione imbuendus eſt æternis, ſic applicuit ad extrema vitæ momenta æternitati colliganda, ut ultra nil deſiderarent qui circumſtabant, & mirarentur quomodo qui innumeris rerum ſpeciebus onuſtam, [ut ita loquar] gerebat mentem, tam cito unus abjecerit, quò expeditior curreret ad ſuum principium. Sic qui intellectu vixit, intellectu quoque prævaluit uſque ad finem aſpirante gratia Dei; & ubi incepit deficere cerebrum, ſcilicet exundatione ſpirituum animalium vehicula occupante, adeò tranquille, & tranquilla voce, affectuque ſuperſtites quatuordecim horas peregit, ut videretur rediiſſe in primam infantiam, prius tamen immediate [ſicut alias ſæpe] hac confeſſione delectatus, ſe maximas, & multas Deo gratiarum actiones debere, & reddere, præſertim de providentia, quam mihi præſentem, dicebat ſemper palpavi. Maximum ſane vigentis intellectus donum, ut erat impiger ad laborem, nam non omnis induſtria hodie reflectitur ſuper ſecretas providentiæ artes. Porrò nec inquieta fuit ſuprema luctatio etiam animalis. Hanc communem volui tibi ex amicis illius cum familia conſolationem; ad jucundam redeo epiſtolam tuam. Quod meæ alterum caput ſuaviſſime reponis, feliciſſimum, illeque etiam de tuo laudis genere acceptiſſimus ad currendum ſtimulus, quod alterum files, conſoltiſſimum videtur. Nam ex tardo in privatis ſtudiis ingenii gradu, bonum erit longius producere utiliſſimum laborem. Ne tamen his temporibus appoſitam meditationem contineam, brevius quid nuperrime excogitavi, quo excitari poſſint ad id citius, & felicius exequendum, qui doctrina, & eloquentia maxime vigent; nam nulla me tenet ſcriptu-
ritio-

ritionis ambitio, aut cupiditas, niſi ut aliquos ſtudiorum gratia amicos mihi lucrifaciam, in te primum intendo, & interceſſione tua accedent alii, ubi elaboratius quid labor improbus obtinuerit. Darem exemplum, niſi ſperarem me adornare poſſe quod ineunte Junio benevolentiæ tuæ committam, ſi ſignificatum fuerit me non obſtrepere graviſsimis occupationibus tuis. Poſtea me accingam ad propoſitum ſtudium, cujus jam præconceptum animo ordinem tibi declarandum, ſicut omnia mea, exiſtimo Primum quidem eos, qui ex phyſicis ad ſimilitudinem divinorum ſubtiliter ducti radii nos feriunt, colligendos deſtinavi ex uno, quem illuſtrem vocas, Gerardo Voſſio de origine, & progr. Idol. habeo præ manibus, deinde quæ ex moralibus, & obvia ingenii, arriſque obſervatione congerenda ſunt, ea induſtria colligare vellem, qua tu Philoſophiam Epicuri, ſcilicet ſicut ad illius imitationem omnem Philoſophiam quaſi ad bene vivendum artem ornaſti, ita felicitatis noſtræ officinam demonſtrare vellem in illa luce divina, quæ nos ad ſui contemplationem ſemper allicit. Procura, ut copiam faciat egregius tuus Dominus Tornator minus, quam par eſt importunum me ſentio, ſive quod Muſarum in te effuſiſſimum cor noverim, ſive quod amicitiæ tuæ fides ſit apud me certiſsima, benigne excipe quas interdum ad te deſtinabo litteras, quod vel ſaltem obſervatiſsima tui imago tunc animo obverſans inſpirat vim elaborate loquendi, & ubi conſopitum videbitur ingenium excitabit, ut nunc experior; niſi enim ſubiiſſet mentem tui memoria, diu de libris non cogitaſſem. Bene Vale, Vir ſuaviſſime, & quod maxime in votis eſt, me ama. Siſtarici Calend. Aprilis 1655.

Admodum Reverendo, ac Spectabili Viro Domino Petro Gaſſendo Præpoſito Dinienſi

J. LUDOVICUS CASTANEUS
S. D. P.

QUamvis ignorem utrum litteræ meæ otio tuo conveniant, nec-ne, tamen nihil cogitare poſſum, quod ad te non perferam. Vide, Vir humaniſſime, utrum benigna, quæ in præcordiis tuis ſpirat Muſarum indoles, iſtas a me perturbationes inſinuare poſſit majoribus tuis curis. Donec acceſſerit animi tui ſincera (qualem ubique novi) explicatio, non poſſum me continere, quin mea gravioribus tuis ſtudia interſeram. Hoc idem, quod nuper ſaxum volvo [utinam utiliter] & quod ad illud coram movendum me urget, te ſolum teſtem, & Judicem requirit. Repone quod ex judicio, doctrina, & noſtrorum temporum experientia prævales; longiora mea ſtudia ſemper ſuſpicio, abbreviare tamen cogito. Primum compendium videbis in exemplo eorum, quæ deſtinavi ad ſummum Pontificem; & quia de illius promotione nondum apud nos innotuit, interea conſilium tuum acerſere volui. Unum pertimeo, ne quaſi temporum ruſticus compoſitor accedam. Propterea eum jam Secretario Apoſtolico committere cogitarem, prius te conveniendum exiſtimavi de ceteris non multum anxius; nunc tuum in ipſo cenſuram majorum præſentias, ſimulque da litteras Romam ad aliquem ex amicis tuis [non dubito multos fore, præſertim eorum, qui ſtudiorum gratia liberali genio gaudent] qui interceſſione tua non recuſet laborem perferendam codicem meum ad Cardinalem præfectum Sacræ Rituum Congregationi, & procurandi gratiam Apoſtolicam, cujus exemplum hic adjunctum videbis. Relatum fuit a Secretario Apoſtolico Avenionenſi me via ordinaria obtinere non poſſe. Tamen gratiam tentare non nocebit, quam mihi maxime prævidet neceſſariam, ſaltem pro hyberna remiſſione? Propterea ſollicitare vellem in gratiam hujus propoſitionis meæ, quam ſpero non fore inviſam, licet in meis cecutire poſſim. Da quæſo de ſingulis ex animo judicium tuum, & me ama. Vale. Siſtarici 8. Calendas Majas 1655.

Clariſſimo Viro, Domino Domino Petro Gaſſendo, Præpoſito Dinienſi, & Regio Matheſeos Profeſſori S.

VIr ſpectatiſſime. Quoties de tua ſingulari doctrina, ceteriſque tuis ornamentis, incredibili, qua quemcumque capis, comitate, conditis, attentius apud me cogito, [cogito autem ſæpiſſime] toties mihi venit in mentem tui, meique perinde ac veritatis amiciſſimi *Gabrielis Naudæi*, cum de litteris, litteratiſque omnibus, tum hoc præſertim nomine de me optime meriti, quod mihi primum olim aditum patefecerit ad te contuendum, atque deveneraudum, e quo & Hiſtoriæ, & Phyſices, & Matheſeos peritiſſimi, quique nullo non die certiſſima petunt oracula. Tibi autem ego jam adſcriptus amicus, ex eoque ad gravem iſtum morbum, qui tuo pulmoni, corruptelæ, ac proinde tibi præſentiſſimum vitæ periculum intentabat, profligandum [ſi quid arte fieri poterat] ante annum accitus; exultavi lætitia, gaudioque tum demum triumphavi, cum eam, quam tibi navabamus operam ſic fortunavit Deus, ut litteratorum omnium ex tibi reddita valetudine, (pro qua votum fecerant) communis hilaritas in nos quoque redundaret; & qui ex variis Europæ regionibus, ad quos jam pridem ſummæ tuæ eruditionis, nuper tuæ ægritudinis fama permanarat, tibi ſuperſtiti tum per litteras gratulabantur incolumitatem, ſibi non ſatis putarent factum, niſi & nos certatim, nunc ſoluta, nunc certis adſtricta numeris oratione collaudarent, ob noſtram qualemcumque induſtriam, atque ſtudia in te Eruditorum Principe conſervando collata.

Quo igitur & elegantioribus diſciplinis maximum te ſublato detrimentum paſſuris, & tibimet ipſe conſulas, principem in eu curam ſtatuito, & quem nactus es pulmonem, a primo quidem ortu infirmiorem, at vigiliis, & nimia litterarum meditatione prope quaſſatum, lactis aſinini, puriori ſque aëris hauſtu ruſticando reficias, recrees, atque corrobores; ne alioquin impendentis hyemis vim, atque injurias ſuſtinere minus poſſit; quod enim magnus docet Hippocrates, refertque ex Euripide Cicero: ψυχρὸν λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον, notius eſt, quam ut te fugiat; ſive autem primo quoque die tua pro-

profecturus es, ſive adhuc aliquandiu Lutetiæ remanſurus; antequam locorum intervallo diſiungamur; id me ex Veterum monumentis doceas velim, quid veneni, & quale potionis genus fuerit illa cicuta, qua extinctus eſt Socrates, quæque in majoribus, ac primæ notæ Urbibus Magiſtratuum Edicto proſtabat; quemadmodum ex Theramenis, ac Phocionis morte colligere eſt. Solo noſtratis herbæ, cui Cicutæ nomen eſt, ſucco ſuapte natura pernicioſo deletos fuiſſe tot claros Viros, multorum quidem fuit opinio; ſed quam qui animo imbibere libenter ſint remiſſuri, ſi tantiſper expenderint validiſſima rationum momenta, quibus convelli ſolet. Placet pluribus, Athenienſium cicutam longe a noſtra fuiſſe diverſam; at cujuſmodi venenum fuerit qui expediret, repertus eſt nemo; adeo tota res ab eorum cognitione fuit remota. Veriſimillimum mihi videtur quidquid hoc erat veneni, quod *Cicutæ* nomine circumferebatur, *Narcoticum* quidpiam fuiſſe; nec forſan aliud ab eo, quod deſcribit *Theophraſtus*, circa initium *libri noni hiſtoriæ plantarum capite decimo ſeptimo*, ubi de *Traſia Mantineaſi*; conſtat enim *Socratem*, *Theramenem*, *Phocionem*, imo & ipſum *Senecam* Neronis præceptorem, & conſtat ex *Cornelio Tacito lib. 15. Annal.* & multos alios eodem modo e vivis eſſe ereptos, quo multi hodie apud nos pereunt ex Opio, vel Laudano ab Imperitis, ac temerariis de Paracelſi grege nebulonibus propinato. Tu, Vir clariſſime, qui unus totam tenes, atque illoſtrare potes antiquitatem, quid in re tam dubia, & abſtruſa conſtituti habeas, & quid ſentiendum ſit, ubi commodum erit, per litteras mihi quæſo declara. Vale. Lutetiæ Pariſiorum 24. Junii 1655.

Tuus ex anima Guido Patin Bellovac. Doctor Medicus Pariſienſis, & rei Anatomicæ, Botanicæ, atque Pharmaceuticæ Profeſſor Regius.

Celeberrimo Viro Domino Domino Petro Gaſſendo S.

AMpliſſime, & clariſſime Vir. Te, quem inter primos, poſtquam Lutetia profectus ſum, litteris meis colere, ac adire debueram, tamdiu venerari diſtuli non oblivione, aut incuria, ſed ſtudiorum tuorum intuitu, quibus te pro bono publico, & litterarum occupatiſſimum privatis amicorum alloquiis interpellari intempeſtivum duxeram. Ne tamen ſilentium meum longiore temporis tractu in incivilem modeſtiam degeneraret, rumpendum tandem fuit, præſertim cum humanitate tua fretus nihil metuendum habeam, ne fortaſſe litteræ meæ tibi, aut importunæ, aut ingratæ videantur. Inter eos enim, qui ſummam virtutem cum ſumma eruditione arctiſſima ſocietate copularunt, tu, Vir clariſſime, principem hac ætate locum tenes, in quo major ne ſit doctrinæ amplitudo, an comitatis gratia, nemo facile diſpexerit. Me certe facilius tua, qua me ignotum tibi antea, & in Illuſtriſſimi, optimique Puteani noſtri ædibus ſemel, iterumque forte viſum, cum Hadrianus Valeſius Vir clariſſimus, & communis amicus noſter me tibi commendaſſet, excipere dignatus es, adeo tibi obſtrinxit, ut illius diei, quo tecum domi tuæ colloquutus ſum, dulciſſimam recordationem nunquam ex animo ſim depoſiturus. Ex eo tempore cum ante hac tot ſcientiarum in te concurſum admiratus eſſem, ad ſuaviſſimum morum tuorum concentum obſtupeſcere, eoque pluris te facere cepi, quo comitas tua communicabilem eruditionem tuam pluribus reddidit, copiamque ejus latius diffundit. Noſtra Germania paucos habet eruditos, pauciores alit claros, ac celebres Viros; triginta enim annorum, quæ gentem noſtram tantum non confecere bella non minus civilia, quam externa, bonarum artium cultum ſimul, & cultores tantopere extinxit, ut ſi quod olim litterarum ſtudium inter Germanos floruit, ejus nunc vix veſtigia ſuperſint. Feliciorem hoc nomine Galliam tuam, Vir ampliſſime, quæ inſignes Viros per media civilium diſſidiorum, hoſtiliumque tumultuum tempora genuit, produxit, conſervavit! Domus, quam Lutetiæ colis, quid aliud, quam Sapientum eſt Concilium, quo quidquid in tanto orbe egregium eſt agmine facto confluit? Muſæum tuum appello, in quo cum tu Vir maximus aſſidue verſeris, nunquam fere ſolus, ac ſine magnis amicis agis. Hanc felicitatem, gloriamque tuam neque capiunt noſtri Germani, neque ſi caperent conſequi poſſent in tanta meliores diſciplinas amantium paucitate. Illud tantum boni omnes, Deum unice precantur, ut valetudinem tuam crebra e ſummis laboribus tuis incommoda ferentem curet, & ab omni morborum impetu protegat. Hoc ut ſerio voveamus quotquot ſtudiis favemus jubent, ac exigunt a nobis merita tua, quibus tibi quidquid uſquam eſt eruditorum devinxiſti; poſtulant hoc fugitivæ toto orbe litteræ, quibus retinendis, & a barbarie paſſim ingruente defendendis tu cum pauciſſimis par es. Verum deſino horas tuas melioribus dicatas litterarum mearum garrulitate morari. Vale, ampliſſime, & clariſſime Vir, ac conſtanter ama, celeberrimo nomini tuo (Ratisbonæ poſtrid. Non. Julii 1655.)

Devotiſſimum J. A. Portnerum.

Lettre de Monſieur le Grand Maiſtre de Dannemark a Monſieur Gaſſendi.

M*Onſieur. Au retour de la Cour, qui a eſté abſente prés d'un an, & demy a cauſe de la peſte, dont cette Ville a eſté miſerablement affligée, un pacquet m'a eſté rendu par les heritiers du feu* D. Olaus VVormius (*qui durant la dite maladie contagieuſe eſt mort d'une fievre chaude*) *dans lequel il y avoit quatre exemplaires du Livre, qu'il vous a pleu mettre en lumiere de la Vie de* Tycho Brahe. *C'eſt un bon heur, Monſieur, à ma patrie d'eſtre obligée à un Eſtranger ſi celebre comme vous, de l'honneur, qu'avec ledit Livre vous luy faites, & à moy par-*

ticulierement y eſtant intereſſé par proximité de ſang. Les Exemplaires ont eſté diſtribuez ſelon le conteuu de voſtre lettre, & le Roy mon Maiſtre a eu pour fort agreable celuy, que ie luy ay offert de voſtre part. Mais devant de finir ma lettre, i'ay creu devoir à voſtre curioſité cét avis, à ſcavoir, que ſa Majeſté mon Roy a parmy d'autres, & rares Manuſcrits l'Autographe des Obſervations du dit Tycho Brahe, *leſquelles ſeront imprimées icy, à quoy ie n'adjouſteray plus rien, que l'aſſeurance de l'eſtime, que ie fais de voſtre merite, & le deſir, que i'ay de vous teſmoigner, que ie ſuis veritablement.*

Monſieur

Voſtre tres humble, & tres-affectionné ſerviteur Reeltz.

De Kupenhaguen ce 29. Juillet, Styl. Vet. 1655.

Celeberrimo Viro Petro Gaßendo Mathematico Regio

M. MEIBOMIUS S. D.

ERuditionis tuæ fama, ac candoris, quam utramque ſcriptis tibi comparaſti, effecit, ut te inter optimos ſimul, & doctiſſimos noſtri ævi Viros cenſendum putarim. Atque indefeſſum quidem de litterarum ſtudiis bene merendi animum tuum, deque Viris, qui nominis æternitatem illis ſibi compararunt, etiam nuper admodum ex vita Tychonis a te ſcripta perſpeximus. Quæ commentatio Sereniſſimo Regi, atque Excellentiſſimis Dominis, Aulæ Magiſtro, & Regis Cancellario, ceteriſque, qui litteris exculti eaſdem æſtimare poſſunt, tanto gratior fuit, quo magis ad gloriam gentis pertinere arbitrantur, ab extraneo, & laudato Viro hoc encomium virtuti, & ſapientiæ fuiſſe factum. Et prudenter a te addita eſt προσφώνησις illa ad Regem inclytum, quem juſtitiæ laus, ſapientiæque omnis, divinæ, atque humanæ ſtudium, vere magnum reddunt. Jamdudum ad te de his perſcripſiſſem, quod nihil ad te litterarum datum ſcirem, quibus edocerere, non tantum an exemplaria a te miſſa recte tradita eſſent, ſed etiam num argumentum placuiſſet; niſi alia ex aliis mihi negotia nata eſſent, quæ hanc tibi gratificandi voluntatem meam diſtuliſſent. Nunc & aliam ſcribendi cauſam nactus ſum, quam narrabo: Ante femeſtre dialogum *de Proportionibus* hic edidi, quem jam quinque annis parturieram. Magnum, ſi vitalis eſſe poſſit; quippe qui non tantum recentiores, qui de rationum natura, ac legibus ſcripſere, reprehendat, ſed & veteres ipſos aggrediatur: Et leviora quidem illa ſunt, quæ ad veterum loca accurate reſtituta, & in latinum ſermonem verſa ſpectant. Illud alicujus momenti puto, quod quid vocabulum πηλικότης Veteribus ſignificarit; ante Nicomachum Geraſenum, Theonem, & Eutocium, primus monſtrarim. Theo enim p. 25. & 26. illud ſignificare vult numerum, ſeu lineam numero effabilem; & Eutocius p. 56. fine, diſertis verbis dicit, πηλικότης δηλονότι λεγομένης τοῦ ἀριθμοῦ, ὃ παρώνυμος, unde denominatur recentiorum originem habet. Ego autem tantum quantitatem, ſeu magnitudinem illo vocabulo deſignari puto; adeoque in illa 6. libri 5. definitione per λόγων πηλικότητας, ipſos rationum addendarum terminos, qui ſaltem quatuor exiſtunt, intelligendos cenſeo. Deinde docui accurate, quæ ratio alterius eſſet dupla, ſeſquialtera, ſupertertia, & quocumque numero multipla, in quo Clavius, & recentiores, quantum ego ſcio, omnes ampliter errarunt; quamvis Comandinus, quem etiam p. 172. adduxi, recte ſenſiſſe videri poſſit, niſi ex illo errore, quem ſequente p. 173. notavi, aliud ſtatuendum acutus lector cenſuruſ eſſet. Hinc tamen Gregorii a S. Vincentio erronea Theoremata propullularunt, quæ obiter refutavi. Palmarium eſt, quod Elementorum 5. propoſitionem 8 falſitatis damnare ſuſtinuerim; adeoque 7. ejuſdem libri definitionem repudiare. In quo examinando utinam candida, & acuta ingenia, qualia Matheſis requirit, occupata fuiſſe aliquando intelligere poſſem! Legenda ſunt quæ p. 137. de hac definitione ſcripſi, & p. 141. iſta; ex his autem omnibus illud primum conſtat, &c. Porrò in rerum natura fundatam cenſeo hanc aſſertionem; rationes vel eſſe nihili, vel exceſſivas, vel etiam defectivas; ſeu, ſi διχοτομίαν mavis, rationes aut nihili eſſe, ſeu nullius magnitudinis, aut alicujus magnitudinis. Rurſus ſi alicujus magnitudinis ſint, aut exceſſivas eſſe, aut defectivas, quod in Canone harmonico monſtravi. Deinde niſi rationem nihili principium rationum ſtatuamus, infinita erit rationum progreſſio, & principio carent, a quo numeratio in alterutram partem progrediatur. Hinc igitur generale illud principium fabricavi, eò majorem eſſe quamque rationem, quo majore ſpatio a nihili ratione diſtet, quod in exceſſivis rationibus tantum admiſit Euclides; ego etiam in defectivis, quas voco, verum eſſe probavi. Ex quo illud ſequitur, rationem defectivam, uti $\frac{2}{3}$ in ſuo genere, nempe defectivo, majorem eſſe, quam ſit ratio exceſſiva $\frac{4}{3}$ in genere ſuo exceſſivo; uti infra uniſonum ἡ διὰ πέντε συμφωνία majore ſpatio diſtat, quam ſupra uniſonum ἡ διὰ τεσσάρων, quæ conſideratio Canonem Euclidis harmonicum interpretanti mihi hoc inventum produxit; nec concinniora exempla natura rerum ſuppeditavit. Quamvis in mixtis idem verum deprehendimus; etenim mixtum $\frac{4}{3}$ minore ſpatio ſupra nihili virium mixtum $\frac{1}{3}$ aſcendit, quam infra nihili mixtum deſcendat mixtum $\frac{2}{3}$. Hinc autem clarum, falſam eſſe 5. libri propoſitionem 8. quæ exceſſivas, & defectivas confundit. Sed hæc, & alia longe melius ex ipſo dialogo perſpicientur; quem, quantillum etiam hoc inventum ingenioſi, & candidi homines cenſuri ſint, immenſo labore mihi conſtitiſſe fateri debeo. Ceterum omnia, quæ huc pertinent uno tractatu orbi examinanda proponere nolui, etiam ut ſcioſos torquerem. Ubi videro hæc non inepte fuiſſe excogitata, ea prolaturus ſum, quæ ad litterariæ Reipublicæ [bene enim ominandum eſt] utilitatem pertinere non ſoli Mathematici judicabunt. Ceterum hæc ad te, Vir celeberrime, ſcribere volui, miſſo quoque ipſo dialogo, ut judicio tuo, & accuratiſſimorum Geometrarum Pariſienſium, nova hæc librata, ſi falſa ſint, rejiciantur, ſin veritatis momenta quædam habeant, calculo veſtro approbentur. Utriſque gratias ſum acturus, qui vel ſolidioribus argumentis ſine acerbitate hæc refutabunt,

tabunt, vel meis acquieſcent. Eruditionis laude omnibus, veritatis amore nulli cedere me voluiſſe poſteritas judicabit. Quod tum alibi, tum in illa antiquorum Muſicorum editione, uti puto, elucet, de qua liberum quoque Pariſienſium Apollinei Senatus judicium audire averem, & num, uti conqueritur, inique Athanaſii Kircheri errores, ex multis paucos orbi monſtrarim. Hoc tempore, inſtigante Excellentiſſimo D. Joachimo Gerſtorfio, Regni Daniæ Aulæ Magiſtro, litteratorum fautore maximo, in eo occupatus ſum, ut Hieroclis in Pythagoræ aurea carmina commentarium, & Pythagoreorum fragmenta, quæ Laërtio ſuo adjunxit Henricus Stephanus, accurata editione in publicum proferam. Laboravi etiam in emendando Diogene Laërtio, ſed fortaſſe, quod ante triduum ex tua ad Barancinum, in Epicuri Philoſophiam præfatione didici, fruſtra; quod Vir Clariſſimus Ægidius Menagius, cujus virtutes Samuel Bochartus, cum in Svediæ Aula degeremus, mihi decantavit, jam a multis annis in illo emendando fuerit occupatus. Omnium eruditorum ſymbola auctori illi emaculando advocanda cenſerem; ſed toga nonniſi gallica indutum, hoc eſt, majoribus illis Græcis, Latiniſque, vere Regiis litteris, quibus Nicænum Concilium, & alia impreſſa ſunt, in publicum prodire optarem. Sed cum hoc optare tantum liceat, noſtrorum Typographorum induſtriam interim accendere debemus. Eodem modo de Stoicis uno volumine edendis, niſi alius, quod optamus præverterit, conſilia agitavimus. Pro Hierocle nunc apud te intercederem, ut ſi quid illi exornando apud doctos latere ſcires, illud boni publici cauſa noſtræ editioni ne invideres. Niſi & hic aliorum induſtriam, quod gratulabundus audirem, nos prævertiſſe cognoviſſes. Dialogo illi examinando, ſi ipſe vacare non poſſis, ſpero te alios excitaturum. Hic aliquos a meis partibus ſtantes habeo, nonniſi ab uno Mathematicaſtro adlatratus, qui Arithmeticam medietatem, ſeu, ut vulgo vocant, rationem, a ratione Geometrica diſtinguere ignorat, & impudenter illam rationem nihili eſſe negat, quæ millies ſibi addita major non evadit. Tu, ſcio, eruditiſſime Gaſſende, profundius hæc inſpicies. Longior eſſe nolo, ne librum ſcripturus videar, cum litteras ad te exarare inſtituiſſem. Vale, atque inter illos, quod ſemper feciſti, nomen tuum profitere, qui amicum Platona habeant, ſed magis amicam veritatem. Hafniæ 18. Septemb. 1655.

Tui ſtudioſiſſimus M. Meibomius.

Clariſsimo, ſpectatiſsimoque Viro Domino Petro Gaſſendo S. P.

Accepi, Vir ſpectatiſſime, ante duos circiter menſes, tuas ſimul cum D. Bullialdi litteris, menſe Majo datas cum gratiſſimis utriuſque obſervatis, quibus me admodum vobis devinctum agnoſco, quod leve noſtrum qualequale munus tanta dignati ſitis remuneratione. Nobilis autem ille, per quem miſiſtis, D. Terraharius, nos ne acceſſit quidem, adverſa valetudine (quod doleo) Londini detentus, unde ad ſuos propterea recta eundum duxit, veſtraſque abiturus litteras per Tabellarium ad me mittendas curavit. Cur veſtris utriuſque citius non reſponderim, in cauſa fuit, quod nil dignum haberem (necdum habeo) quod vobis reponam; quod ipſum etiam jam facit, cur D. Bullialdum non iteratò vacuis chartis onerem. (Cui tamen ſi me ſalutatum habueris, meaſque, quod ſolum poſſum, grates me rependiſſe dixeris, facies quod mihi erit gratiſſimum.) Rogo tamen inſuper, ſi citra nimiam id fieri poſſit moleſtiam, ut alio me tibi favore devincire ne dedigneris. Nempe dum D. Merſenni *Cogitata Mathematica* nudiuſtertius obiter inſpexi, incidi ex improviſo in ipſius præfationē, quam libro *Mechanicorum* præfigi fecit. Cumque puncto 3. cujuſdam *Viri illuſtris*, & deinde puncto 4. *Viri alius ſummi* mentionem faciat; ego maxime quidem aveo quinam illi ſunt intelligere. Id autem tibi ob neceſſitudinem, quam tibi cum D. Merſenno incoluiſſe audio, non ignotum eſſe arbitror; vel ſaltem id a D. Robervalio reſcire poſſe, cui eorum alter ignotus eſſe non poteſt, (ſiquidem ille, uti arbitror, *Geometra noſtri* ibidem nomine indigitatur, quicum eorum alter communicatis conſiliis rem egit.) Oro itaque, ut mihi velis id (ſi poteris) ocyus indicare, cum illud ob tractatus aliquot, quos jam aliquando ſub prælo habeo, ſcire deſiderem. Item, quis ſit ille *Vir doctus*, Coroll. 2. prop 25. Hydraulicorum memoratus; & quænam illa recta, quam ille ſpirali æqualem putaverit. Vale, Vir ornatiſſime, & perge, uti ſoles, hujuſmodi ornare ſtudia, & amare velis. Scribebam Oxoniæ 31. Aug. 1655. St. Vet.

Tui obſervantiſſimum Joan. VVallis.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro D. D. Petro Gaſſendo Dignienſi Præpoſito

JACOBUS GAFAREL
S. P. D.

Cum tanta benevolentiæ tuæ ſigna mihi, Vir Illuſtriſſime, Lutetiæ nuper conceſſeris, ea e memoria mea nunquam elabi poſſe exiſtimes velim. Semper amor, & obſervantia in te mea vigebunt, ſemper tibi fauſta omnia precabor, & pro tua incolumitate vota faciam. Ideo acceptiſsimum mihi fuit audire te febri amplius non laborare. Quod a familiari tuo Viro doctiſsimo Domino Muſnerio didici, cujus humanitas, & benevolentia in nos inſignis fuit, utpote in tuos addictiſsimos clientes. Sic ſemper præſens, vel abſens bene amicis tuis facis, cum ſolum nomen illius nobis amicitiam conciliarit, & apud inclytum Dominum Balianum aditum patefecerit. Feliciter hactenus in itinere degimus, in quo comes ſe nobis Niciæ adjunxit Vir integerrimus, & doctiſsimus familaris tuus Dominus *Francois*, cum quo ſæpe de te ſermonem habuimus. Nunc ad interiora Italiæ pergimus, Florentiam nempe, & inde Venetias, quibus viſis Romam verſus iter flectemus, ubi aliquandiu commorabimur, & cum mihi certo conſtet freto patrocinio tuo doctos viros cognoſcere, & libere ad eos accedere fas futurum, me felicem, Vir Illuſtriſsime, exiſtimarem, ſi brevem aliquam ad amicos tuos velles epiſtolam in mei gratiam exarare. Hoc ego bonitate tua, quam jam ſummam expertus ſum, impetraturus confido. Vale, tibi ſalutem plurimam Parens meus impertitur. Datum Genuæ 10. Calendas Octobris 1655.

 Clarif.

Clariſſimo Gaſſendo

P. F. S. T. Sal.

PRonuntiavit Galilæus motum uniformiter acceleratum eſſe eum, qui a quiete recedens temporibus æqualibus æqualia celeritatis momenta ſibi ſuperaddit.

Eum verò, qui æqualibus ſpatiis æqualia celeritatis momenta ſibi ſuperaddit, adeo non convenire motui gravium deſcendentium affirmat, ut ex eo ſuppoſito motum in inſtanti fieri deducat, & ut ſibi perſuaſit facillime demonſtret.


Sed concedatur, ſi placet, Viro perſpicaci, & lynceo indemonſtrata concluſio, dummodo ſit vera. Demonſtrationem enim dum primo ſtatim obtuitu

Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila —

nihil mirum, ſi lectoribus minus utique lynceis parum videatur ſatisfeciſſe.


Ut igitur conſtet ſuus honor Galilæo, neque amplius de ipſius illatione ambigatur, aut rationibus tantum probabilibus diſputetur, propoſitionem ipſam more Archimedæo heic demonſtratam habebis.

Si quotlibet rectæ ad unum punctum concurrentes exponantur in continua proportione, earum intervalla erunt in eadem ratione, v. g.



Sint rectæ *AF BF CF DF EF*, &c. in continua proportione, erunt intervalla ipſarum *AB BC CD DE* in eadem ratione. Eſt enim ut tota *AF* ad totam *BF* ita ablata *BF* a priore ad *CF* ablatam a poſteriore. Ergo ita reliqua *AB* ad reliquam *BC*, ut tota ad totam, hoc eſt, ut *AF* ad *BF*, & ſic de ceteris. Eadem ratione demonſtrabimus, ut *AF* ad *CF* ita eſſe *AB* ad *CD*, & ut *BF* ad *DF*, ita eſſe *BC* ad *DE*, &c.

Si intelligatur motus a puncto *F* verſus punctum *A* continue acceleratus ſecundum rationem decurſorum ſpatiorum, & exponantur quotlibet continue proportionales, ut *AF BF EF*, &c. tempus, in quo mobile percurret ſpatium *DE* erit æquale tempori, in quo idem mobile percurret ſpatium *DC*. Denique ſpatia omnia *ED DC CB* eodem tempore ſingula percurrentur.



Demonſtrabimus primo ſpatia *CB BA* eodem tempore in ſuppoſito motu percurri.

Si enim tempus per *AB* non eſt æquale tempori per *BC*, erit vel majus, vel minus. Sit primum majus, ſi fieri poteſt. Ergo tempus per *AB* eſt ad tempus per *BC* ut aliqua recta major ipſa *BF* ad ipſam *BF* ſit recta illa *Z*. Ergo eſt ut tempus per *AB* ad tempus per *BC*, ita recta *Z* ad rectam *BF* ſumantur inter rectas *AF BF* tot mediæ in continua proportione, ut *RF MF NF*, donec minor ex ipſis ut *NF* ſit minor, quam recta *Z*, quod quidem neceſſario eventurum vel ex ſola mediæ inventione, ejusque iterata, quoties opus fuerit, operatione quis non videt?

Erunt ergo continue proportionales rectæ *AF RF MF NF BF*, cum autem ſit ut *AF* ad *BF* ita *BF* ad *CF*, & ita *AB* ad *BC*, ergo poterit continuari proportio ſub eodem numero terminorum, ut ſint etiam proportionales *BF OF VF XF CF*, idque in eadem ſuperiorum ratione.

His ita poſitis, & conſtructis conſiderentur, & comparentur ſingula ſpatia *AR RM MN NB* ſingulis ſpatiis *BO OV VX XC* ſingula nempe ſingulis, hoc eſt, ſpatium *AR* ſpatio *BO*; ſi igitur per ſpatium *AR* fuerit motus uniformis juxta gradum velocitatis in puncto *R* acquiſitum, tempus per *AR* ad tempus per *BO* componeretur ex ratione ſpatii *AR* ad ſpatium *BO*, & viciſſim ex ratione velocitatis per *B* ad velocitatem per *R*. Quod notiſſimum eſt, & Galilæus ipſe demonſtravit propoſitione quinta Tractatus de motu æquabili.

At ut ſpatium *AR* ad ſpatium *BO*, ita per primam propoſitionem recta *AF* ad rectam *BF*, & ut velocitas per *B* ad velocitatem per *R*, ita ex ſuppoſita motus accelerati juxta ſpatia decurſa definitione, recta *BF* ad rectam *RF*, ergo tempus per *AR*, hoc caſu ad tempus per *BO* componeretur ex ratione *AF* ad *BF*, & ex ratione *BF* ad *RF*. Eſſet igitur motus per *AR* ad motum per *BO* ut recta *AF* ad rectam *RF*, deinde ſi per ſpatium *RM* fieret motus uniformis juxta gradum velocitatis in puncto *O* acquiſitum, eadem ratione probabitur motum per *RM* ad motum per *OV* eſſe ut recta *RF* ad rectam *MF* ſimiliter conſiderando velocitatis punctorum *N*, & *V* erit tempus per *MN* ad tempus per *VX*, ut *MF* ad *NF*. Denique conſiderando velocitatis punctorum *B*, & *X* in ultimis ſpatiis erit tempus per *RB* ad tempus per *XC* ut *NF* ad *BF*. Sed omnes ejuſmodi rationes, nempe *AR* ad *RF* *RF* ad *MF* *MF* ad *NF* *NF* ad *BF* ex conſtructione ſunt eædem.

Ergo tempus omnium motuum per totam *AB* ad tempus omnium motuum per totam *BC* in utriſque ſpatiis, ita ut diximus, conſideratorum eſt ut recta *AF* ad *RF*, ſive *NF* ad *BF*, ſed tempus motus accelerati per *AR* eſt minus tempore motus per *AR* uniformis juxta velocitatem in *R*, cum enim a puncto *R* uſque ad punctum *A* perpetuo ex hypotheſi velocitas creſcat. Ergo a puncto *R* ad punctum *A* citius per motum acceleratum pervenitur, quam ſi velocitas acquiſita in *R* eadem, & uniformis uſque ad punctum *A* perſeveraret. Eadem ratione probabitur tempus motus accelerati per *RM* eſſe minus tempore motus uniformis per *RM*, ſi velocitas ipſius ultimo ipſius ſpatii *M* puncto reſpondeat.


deat. Denique conſtat motum per totam *AB* acceleratum, ut fiet hypotheſis, minori tempore fieri, quam motum alium fictitium ex motibus uniformibus juxta velocitatis ultimia ſpatiorum *AR RM MN NB* punctis reſpondentis compoſitum. At contra tempus motus accelerati per *BO* eſt majus tempore motus uniformis per *BO* conſiderati juxta velocitatem puncti *B*, quia velocitas a puncto *B* ad *O* ſemper creſcit in motu accelerato juxta hypotheſin, & minor ſemper eſt velocitate, quæ reſpondet puncto *B*. Unde pari ratiocinio concludetur motum per totam *BC* acceleratum, ut fiet hypotheſis, majori tempore fieri, quam motum illum fictitium ex motibus uniformibus juxta velocitatis primis ſpatiorum *BO OV VX XC* punctis reſpondentis compoſitum.

Cum ergo tempus motus accelerati per *AB* ſit minus tempore motus illius fictitii per eandem *AB*, & contra tempus motus accelerati per *BC* ſit majus tempore motus illius fictitii per eandem *BC*, ergo minor eſt ratio temporis motus accelerati per *AB* ad tempus motus accelerati per *BC*, quam temporis motus fictitii per *AB* ad tempus motus fictitii per *BC*. Sed ut tempus motus accelerati per *AB* ad tempus motus accelerati per *BC* ita poſuimus eſſe rectam *Z* ad rectam *BF*, & ut tempus motus fictitii per *AB* ad tempus motus fictitii per *BC* ita demonſtravimus eſſe *NF* ad *BF*, ergo minor eſt ratio rectæ *Z* ad rectam *BF*, quam rectæ *NF* ad eandem *BF*. Quod eſt abſurdum cum recta *Z* ſit major recta *NF*.

Ergo tempus motus accelerati per *AB* non eſt majus tempore motus accelerati per *BC*. Eadem facilitate probabimus tempus motus per *AB* accelerati non eſſe minus tempore motus accelerati per *BC*; ſit enim minus, ſi fieri poteſt, erit igitur ut tempus motus per *AB* accelerati ad tempus motus accelerati per *BC*, ita recta minor ipſa *BF* ad ipſam *BF*. Eſto itaque recta illa minor, quam *B F G*, & ſit tempus motus accelerati per *AB* ad tempus motus accelerati per *BC*, ut *G* ad rectam *BF*, & inter rectas *BF CF* exponatur continue proportionalium ſeries, quarum maxima *OF* ſit major, quam *G*. Eodem quo uſi ſumus in ſuperiori demonſtrationis parte ratiocinio conferendo ſpatia in ipſa *AB* inter ſimiles proportionales intercepta. Cum ſpatiis *BO OV VX XC* mutemus ſolummodo velocitatis uniformis, & fingamus verbi gratiâ motum per *AR* uniformem fieri juxta gradum velocitatis in puncto *A* acquiſitæ, motum verò uniformem per *BO* fieri juxta velocitatem acquiſitam in puncto *O*, & ſic in reliquis ſpatiis, in quibus patet omnes velocitates per *AB* uniformes augeri, velocitates verò per *BC* uniformes minui, contra id, quod in priore demonſtrationis parte fuerat uſurpatum. Concludetur ut ſupra tempus motus hujuſmodi uniformis per *AR* ad tempus motus uniformis per *BO* eſſe ut recta *RF* ad rectam *AF*, dum enim augentur velocitates, tempora motuum minuuntur, ſimiliter tempus motus uniformis per *RM* ad tempus motus uniformis per *OV* erit ut *MF* ad *MR*. Denique tempus motus fictitii illius per *AB* ex uniformibus compoſiti ad tempus motus fictitii per *BC* ex uniformibus pariter compoſiti erit ut *RF* ad *AF*, cum omnes rationes ſint eædem, hoc eſt, ut *OF* ad *BF* per primam propoſitionem.

Tempus autem motus accelerati per *AB* eſt majus tempore motus illius fictitii ex uniformibus compoſiti, cum ſuppoſuerimus in motibus uniformibus auctas fuiſſe velocitates, quæ nimirum in hoc caſu primis ſpatiorum *AR RM*, &c. punctis reſpondent. Sed & tempus motus accelerati per *BC* eſt minus tempore motus fictitii ex uniformibus compoſiti, quia heic velocitates minuuntur, & ultimis ſpatiorum *BO OV*, &c. punctis reſpondent. Ergo major eſt ratio temporis motus accelerati per *BC*, quam temporis motus fictitii per *AB* ad tempus motus fictitii per *BC*. Sed ut tempus motus accelerati per *AB* ad tempus motus accelerati per *BC*, ita eſt recta *G* ad rectam *BF* ex ſuppoſitione, ut autem tempus motus fictitii per *AB* ad tempus motus fictitii per *BC*, ita recta *OF* ad *BF* ex demonſtratione; ergo recta *G* ad rectam *BF* majorem proportionem habet, quam recta *OF* ad rectam *BF*, quod eſt abſurdum, cum recta *G* ſit minor recta *OF* ex conſtructione, non ergo tempus motus accelerati per *AB* eſt minus tempore motus accelerati per *BC*. Sed nec majus, ut ſupra demonſtratum eſt. Ergo eſt æquale. Eadem ratione patet tempus motus accelerati per *CD* æquari tempori motus accelerati per *AB*, & tempori motus accelerati per *BC*. Et continuatis, ſi placet, in infinitum rationibus, omnia omnino ſpatia eodem tempore percurri.


His poſitis tertia propoſitione mentem Galilæi revelamus, aut propoſitionis veritatem aſtruimus. Intelligatur motus gravium deſcendentium



a quiete ex puncto *A* uſque ad punctum *H*, verbi gratiâ, & ſupponatur, ſi fieri poteſt, velocitatem gravis cadentis accelerati juxta rationem ſpatiorum decurſorum. Ponatur motus jam factus ab *A* uſque ad *H* tempore unius minuti, aut altero quovis tempore determinato, & ſupponatur motus continuari uſque ad punctum *K*, ajo motum per *HK* fieri in inſtanti. Si enim motus per *HK* non fiat in inſtanti, fiet in tempore aliquo determinato, quod per aliquem numerum multiplicatum exceder tempus in decurſu ſpatii *AH* inſumptum. Ponatur numerus multiplicans 5. ita ut tempus motus per *HK* quinquies ſumptum excedat tempus motus per *AH* rectis *KA HA*. Sumatur tertia proportionalis *GA*, & toties continuetur proportionalium ſeries, donec ſpatiorum interceptorum numerus excedat numerum quinque. Fiant ergo ex proportionalibus continuatis ſex, verbi gratiâ, ſpatia ultra punctum *H*, quæ ſint *HG GF FE ED DE CB*; ergo tempus motus per *HG* per præcedentem eſt æquale tempori motus per *HK*. Similiter tempus motus per

GF eſt

GF eſt æquale tempori motus per *HK*. Denique motus per totam *HB* fiet in tempore, quod ad tempus per *HK* erit ſextuplum. At tempus temporis per *HK* quintuplum eſt majus tempore



motus per *AH*, ergo a fortiori tempus motus per *HB* tempore motus per totam *HA* eſt majus, quod eſt abſurdum. Ergo vera remanet Galilæi illatio quamvis eam ipſe non demonſtrarit.

Hæc ſuccincte, & familiariter, clariſſime Gaſſende, ſcripſimus, ne tibi in poſterum faceſſeat negotium, aut Cazræus, aut quivis alius Galilæi adverſarius, & in immenſum excreſcant volumina, quæ unica demonſtratione, vel fatentibus ipſis Auctoribus, aut deſtruentur, aut inutilia, & ſuperflua efficientur. Vale.

Nobili, præſtantique Viro M. Neuræo amico ſingulari

PETRUS GASSENDUS S.

PLurima ſane ſunt, mi Neuræe, quæ tibi, tuæque amicitiæ debeo; at illud non poſtremum eſt, quod conceptum mihi dolorem ob mortem præclari *Naudæi*, capitis longe cariſſimi habere te mecum communem declaras; ac pervelle, ſi fieri poſſet, eo me penitus eximere ſignificas. Quippe cum nihil ſit optimi amici poſſeſſione jucundius, nihilque adeo eſſe poſſit ejus privatione moleſtius, facis tu profecto per-humaniter, cum ſubire in te, aut totam, aut certe moleſtiæ partem, quam mihi caſus hic flebilis neceſſariam fecit, exoptas. Quamquam me quidem quod attinet, id, quod Poëta ait, *Eſt quædam flere voluptas*, eatenus experior, ut moleſtiam malim ea ſuavitate temperatam, qua τῦ μακαρίτυ, conſuetudinisque cum illo jucundiſſimæ, antiquiſſimæque afficior, quam illa immunem fieri, ſi mihi ſimul ſuavitas hujuſcemodi eripiatur. Noſti ut parentes, ut filii, ut conjunctiſſimi quique non ſine voluptate actiones, verbaque illorum, quos habuerint cariſſimos, & recordentur, & enuncient, nihilque fieri iis gratius poſſit, quam ſi alii quoque eadem enarrent, aut enarrata grate accipiant. Ego certe quoties in eos incido, qui communi mihi cum illo fuere neceſſitudine, nihil eſſe poteſt dulcius, quam ſermones recolere, quibus aliàs σὺν τῷ μακαρίτῃ confabulati fuimus; adeo nihil potuit illi excidere, quod non foret memoria, conſiderationeque dignum. Superſunt adhuc felici fato, quos & tu ipſe apprime noſti eximii Viri, Elias Diodatus, & Franciſcus a Motha Vayerius, quibuſcum ſæpe & congregari, & ruſticari ſoliti fuimus, maximeque priuſquam ille in Italiam diſcederet duos ante annos ſupra viginti. Retulit ipſe, deſcripſitque nonnullas ex confabulationibus nos inter quatuor habitis, maximeque in *Syntagmate de Militari ſtudio*; dicereque cum convenissemus erat ſolitus parere ſe Pythagoræ, ſi per talem quandam Tetradem juravit. Dico autem priuſquam in Italiam concederet; ex eo ſcilicet tempore inſtitui niſi per litteras nos inter commercium non potuit; & quamvis deinceps evocatus ab Eminentiſſimo Cardinali Bibliothecæ curandæ fuit; partim ipſius occupationes, partim mea invaletudo ne poſſemus toties convenire obſuerunt. Diſceſſi quoque ipſe in Provinciam, diſceſſit & ille ante meum reditum in Sveciam, totoque eo tempore litteris duntaxat converſari licuit, donec cum me jam reduce ipſe proxime accederet, mutuorumque complexuum ſpes foret, quæ lugubria fata intervenerint nimiſquam eſt notum. Tametſi porrò litteræ compenſare non poterant quem fructum longe uberrimum licebat ex ejus converſatione demerere; ea tamen ſemper ſeges erat, quæ magni proventus loco haberetur; quippe ad me nunquam ſcribebat, quin ſignificaret quid toto litteratorum orbe ageretur, quid hi molirentur, illi jam paraſſent, ceteri etiam edidiſſent. Quæ quidem omnia nemo uſquam certius referre potuit. Quis enim alicubi vixit, dum ipſe viveret, qui ſe inſalutato Naudæo Muſis litare poſſe ſperavit? quis auſpicatò librum aut condere, aut evulgare, eodem non conſulto? Ea nempe fuit in multiſcio Viro Encyclopædiæ, cujus tanquam Myſtes erat, prærogativa, ut multum ſcripturientis opus cuto prodire crederetur, niſi uno probante Naudæo, aut etiam promovente; noverat enim ſi alius unquam, cujusque quanti futura eſſet indicatura. Novimus & nos, tu, inquam, & ego quid de immani illa editorum volumina, quæ illi quoque præ manibus erat, ſentiebat, cumque expoſtularet aliquando, cur congerendis etiam futilibus non parceret, feſtive, ut ſcis, repoſuit, in Medicorum Pharmacothecis gemmas inter, & aromata ſæpe fœda aſſervari quoque viliſſimorum animalium excrementa, ne exceptis quidem vel muſcerdis, quæ cum ſalutares nonnunquam haberent uſus, ſuis quoque nec carere putidos codices, ab eruditis quidem faſtiditos, hoc eſt, a perpaucis, at quamplurimis proinde haud ingratos. Subdebat autem ſe ob unum duntaxat ſtomachari ſolitum, cum obſervaret inſatiabile ſcribendi cacoëthes vix alios tenere, quam ſcribendi peritia maxime vacuos; feriari verò interim litteratiſſimorum complures, qui conſummatioribus bonarum artium, ſcientiarumque ſtudiis exculti, necnon purioris elegantiæ ſtylo exercitatiſſimi, cum multis præclaris operibus peritam manum admovere poſſent, nihilominus earum rerum velut gloriam aſpernati, in otio conſeneſcerent, aut alienis occupationibus in

diver-

diverſum acti ea negligerent, quæ rudes, & imperiti eadem ipſa vel illotis manibus tractantes, aliquatenus immortalitate donant. Cumque hæc diceret non obſcuro nutu ſignificabat, te quoque ſubnotare voluiſſe, ſingularemque ingenii tui polymathiam ut otioſam, incurioſamque ſugillare. Dolebat, nimirum, te in eorum cenſu eſſe, qui cum appoſite, ſcite, & ornate ſcribere poſſent, quidvis aliud libentius aggrederentur, ſeſeque aliò facillime paterentur avocari. Optabat idcirco, ut curis ſolutior eſſes, & Magnatum negotiis minus implicatus, hoc eſt, aureis illis compedibus, quibus illaqueatum Diogenes ridebat Ariſtippum; ſic enim fieri poſſe, ajebat, ut tui juris aliquando factus animum Philoſophiæ natum tandem ad philoſophandum transferres, appelleresve. Cumque non ita pridem eum per litteras monuiſſem, te mutato Patrono, ad aliud vitæ genus tranſiiſſe, quod non eſſet a litteris alienum; te videlicet ſapientiſſimi æque, ac celeberrimi Capellani ſuffragio Longavillæis Principibus cuſtodem eſſe datum, ut & morum, ſtudiorumque rectorem, continuo reſcripſit, ſe tibi quidem gratulari novæ conditionis ſortitionem, oneris ſi modo quidpiam e ſervituris jugo detraheret, nec tibi in formandis tantorum puerorum animis uberius ſudandum foret; non verò placere ſibi, quod ita procul a doctiſſimorum cœtu, a ſolidiorum ſcientiarum ſede Lutetia eſſet vivendum tibi, licet non inter illitteratos, ſe utique haud ignorare, quamplurimos Cadomi eſſe, qui ſumma cura ſtudiorum amœnitates conſectentur, quorum ideo conſortium inamœnum eſſe nequiret. Cumque jucundiſſimi ſui copiam brevi facturus eſſet Vir eruditionis cumulatiſſimæ Samuel Bochartus, mox in Galliam ſecum rediturus, inde ſperare, ut exilii tui, aut ſolitudinis tædium minueretur, quod equidem non perexiguum modo, ſed prorſus nullum eſſe auguror, ubi talium Virorum conſuetudine frui liceat, qualium tu ipſe doteis ſuſpicis, atque prædicas; quibus etiam æſtimandis, ac judicandis quam ſis falli, fallereve neſcius, ſatis, ſuperque comprobavit eximius ille Vir Monaſterienſis a Motha Cadomæus, qui mihi nuper litteras abs te detulit; in ſuarum quidem virtutum commendationem ſcriptas, ſed eo conſilio, ut ex ejuſdem congreſſu longe commendatiſſimas deprehenderem. Hoc ſane quidem ſic experiri pronum fuit, ut perſpectis illico felicis adeo ingenii leporibus, tum recordatus te inſuper totas habere in inclyto Gratemenilio Athenas, haud potuerim ultra non beatiſſimum illum reputare ſeceſſum, in quo tot, tantorumque Virorum ſuavi contubernio uti poſſis. Præterea ſi quid felicitatis cumulo deſit, nullo majori fortunæ beneficio ſuppleri poſſe reor, quam eâ benevolentiâ, quæ tibi generoſum devincit pectus Illuſtriſſimæ Virginis Mombazoniæ Sanctimonialium Cadomenſium Cœnobiarchæ. Illa etiam litteras a te ampliſſimo noſtro Monmorio reddidit, quibus ipſum æquiorem ſibi, acrioremque juris ſui vindicem futurum merito ſperavit; quæ cum identidem ſuo me quoque dignari alloquio animum induxiſſet, Deum immortalem, quanto tuas ore tonantem laudes audivimus! O quoties fortunatos exclamavit Principes creditos tibi, quòd talem nacti eſſent Moderatorem, qui cunctis virtutum, ac diſciplinarum luminibus perfuſus, moroſam, ut creditur, abſtruſarum ſcientiarum intelligentiam, ſic rerum civilium uſu, ſic urbanitatis cultu temperaſſet, ut ingenuas politioris humanitatis artes, ut liberalem illam morum, & officiorum, quibus nobilioris vitæ ſocietas decoratur, velut pædiam, necnon elegantiarum, quas Aula ſibi ſola vindicat, ſolertiam in numerato haberet. Haud ſilebat interim comitum ona, quæ ingenio, & facundia longe præpollere videbatur, dum reliqua vitæ tuæ ornamenta, erectæque mentis encomia haud vulgari eloquio proſequeretur; quo cum delectarer conduplicatam protinus ſenſi lætitiam, ubi ſignificatum eſt mihi, hanc eandem Nobilis Blemurii eſſe filiam, cordati, inquam, optimique ſenis illius, qui Principi noſtro Valeſio Engoliſmenſi erat, ut noſti, adeo charus. Nunc porrò ſi hæc omnia quorſum ſpectent rogites, ultro fatebor. Videri me quidem tuæ moderationi, ac verecundiæ vim afferre voluiſſe, nimis multa recenſendo, quæ ad tui commendationem faciant; attamen ſi rei veritatem paulò attentius expendas, facile percipies horum me nullo alio conſilio mentionem feciſſe, quam ut ea commemorarem, quæ opportuna videbantur ad amovendam ſuſpicionem illam, qua ὁ μακαρίτης noſter incolatum tuum velut inhoſpitum non bene conjecerat, nec etiam in ea ſententia diu permanſurus erat, illum ſi huic Civitati fata reddidiſſent incolumen: At Superis aliter viſum, Abbavillæ ſcilicet extremo menſe Julio extinctus eſt; & tot amicorum ejus reditum impatientiſſime præſtolantium ſpem, deſideriumque fruſtratus eſt. Quo nos autem in luctu reliquerit animus meminiſſe horret, tum noſtrûm utrique communis dolor, ſi gemere ſinit, plura loqui vetat; cum & plura expectare poſſis a clariſſimo Collega Renato Moræo Medicinæ Regio Profeſſore, qui τοῦ μακαρίτου vitam brevi nobis ſperandam facit. Vale. Pariſiis 7. Cal. Novembris 1653.

Hujus epiſtolæ autographum cum reliquarum ſyſtema ederetur, inchoatum duntaxat repertum eſt, unde nonniſi mutila prodire potuit, ut videre eſt pag. 325. Aliud verò quia integrum recuperare poſtmodum licuit, heic in integrum etiam reſtituere viſum eſt, ne omiſſo quidem titulo, quem aliis præfixum Neuræus ſemper expungi voluit; cauſatus ſibi longe ſuavius eſſe eum, ſi Gaſſendus ſuum *tantum nuncuparet. Conſtat multo-plurimas eidem eſſe ſcriptas, cur verò cum ceteris non prodierint, ipſe viderit*

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc opere continentur locupletiſſimus.

A

ABRAHAMUS Gorlæus cælator, *Tom. 5. pag. 231. col. 2. pag. 237. col. 1.*
Abſtemius febre laborans vino delectabatur, *tom. 2. pag. 680. col. 2. tom. 3. pag. 183. col. 1.*
Abſtinentia a carnibus recuperasur ſanitas, *tom. 3. pag. 7. col. 2.*
Academicam ſectam inſtituit Plato, quod in ſuburbio Athenarum Academia dicto doceret, *t. 6. p. 120. c. 1.*
Acari animalculum deſcribitur, *tom. 1. pag. 236. col. 1.*
Accleratio motus gravium qua proportione fiat, *tom. 1. pag. 308. col. 1.* ratio cur ea proportione fiat, *pag. 309. col. 1. pag. 242. col. 2.*
Accenditur ex intervallo Naphtha, *tom. 2. pag. 35. col. 2. pag. 36. col. 1.*
Accenſio halitûs ſulphurei cauſa eſt terræmotus, *tom. 2. pag. 42. & ſeqq.*
Acia mollis, inſtrumentum ad ſuturas, & fibulas vulnerum, Celſi teſtimonio pertinens, *t. 5. pag. 279. col. 1.*
Accidens, nec ſubſtantia eſt locus, & tempus, *tom. 1. pag. 160.*
Accidentia panis, & vini non dicuntur a Concilio Tridentino, ſed ſpecies, *tom. 3. pag. 153. col. 1. & 2.*
Acino uvæ Sophocles ſuffocatus interiit, *tom. 2. pag. 527. col. 2.*
Acinus uvæ græcè *ῥίωαρταον*, *tom. 2. pag. 239. col. 1. verſ. 35.*
Accipere beneficium minus eſt, quam conferre, *tom. 3. pag. 86. col. 1.*
A'κρέμονες qui dicantur a Theophraſto, *pag. 138. col. 1. v. 35.*
Acris. *Vide* Volacris.
A'κρῖδες pro Ι'κτῖνες legendum apud Lucianum, *t. 2. pag. 472. col. 2.*
Actio, & paſſio an ſit eadem ac mutatio? *t. 1. p. 318. col. 2.*
Actio in diſtans non datur, *tom. 1. pag. 320. col. 1. tom. 2. pag. 34. col. 1. pag. 43. col. 2. pag. 36. col. 1.*
Actionum cauſa ſecunda eſt corporea, *tom. 1. pag. 292. col. 2.*
Adamas, & Rubinus quare figuræ octahedricæ? *t. 5. pag. 263. col. 1.*
Adrianus Romanus Mathematicus, *tom. 5. pag. 232. col. 1.*
Adverſario in diſputationibus non cedendum, *tom. 3. pag. 129. col. 1.*
Aër craſſior quare pulmonicis proſit? *tom. 2. pag. 281. col. 2.*
Aër e pulmone foras emittendus eſt, ut exeant etiam fuliginea a ſanguine ſeparatæ, *tom. 3. pag. 218. col. 2. & pag. 280. col. 2. & pag. 456. col. 2. & pag. 405. col. 1. tom. 3. pag. 220. col. 1.*
Aër indurat externam animalium ſuperficiem, *tom. 3. pag. 47. col. 1.*
Aër non penetrat vitrum, *tom. 2. pag. 282. col. 1.*
Aër quare neceſſarius ad creandam flammam? *tom. 1. pag. 189. col. 2.*
Aër ſi penetrare non poſſit in cameram, ignis in ea non ardet, *tom. 3. pag. 492. col. 2.*
in Aëre libero quare flamma duret, ſecus in concluſa? *tom. 2. pag. 37. col. 2.*
in Aëre ſemper degit avis Paradiſi dicta, *tom. 3. pag. 178. col. 2.*
in Aërem ignis mutari non poteſt, *tom. 1. pag. 210. col. 1.*
Aërem reſpirare plantæ etiam dici poſſunt, *tom. 2. pag. 283. col. 1.*
Ædes, & feneſtralia vitra concutiuntur ictu januæ in limen, *tom. 3. pag. 454. col. 2.*
Ædificia ſubterranea, *tom. 5. pag. 215. col. 1.*
Ægeum mare inferius eſt Euxino, *tom. 2. pag. 20. col. 2.*
Ægroti, qui cibis vetitis convaluerunt, *tom. 2. pag. 508. col. 1.*
Ægrotis aliquid facere medici prohibebantur, alioquin periculo ſuo faciebant ante diem tertium, *tom. 2. pag. 506. col. 1.*
Ægrotis, qui per plures dies vix reſpirabant, & tunc vermes ante mortem nati erant, *tom. 2. pag. 507. col. 1.*
pro Ægypti reponitur Æthiopiæ apud Plutarchum, *tom. 2. pag. 22. col. 2.*
Ægyptii Medicos nihil movere in ægrotis volebant ante diem tertium, & ſi moverent, periculo ſuo facerent, *tom. 2. pag. 506. col. 1.*
Ægyptii num Naulum ori mortuorum apponerent? *tom. 5. pag. 267. col. 2.*
Ægyptii quam accurate Cœlum dimenſi fuerint? *ibid.*
Ægyptii Stellas Deos conſiliarios habuerunt, *tom. 5. pag. 324.*
in Ægypto ninxit copioſe hyeme anni 1641. *tom. 4. pag. 467. v. antepenultimo.*
in Ægypto ova excluduntur calore fimi, aut ignis. *tom. 2. pag. 253. col. 2.*
ſub Æquatore flat continuo ventus æquabilis in Occaſum, *tom. 2. pag. 57. col. 2. tom. 3. pag. 456. col. 2.*
Æſchyli in caput Aquila teſtudinem demiſit, *tom. 2. pag. 370. col. 1.* quale bonum ſit, *pag. 718.*
Æſtate oleum non congelatur in cryptis, *t. 2. p. 37. col. 1.*
Æſtum Maris motu terræ explicant Seleucus, & Galilæus, *tom. 1. pag. 394. col. 2.*

Æſtum marinum a Luna aquas attrahente fieri opinatur Marinus, *tom.* 3. *pag.* 481. *col.* 2.
Æſtus marini cauſa incognita eatenus, declarata, *tomo* 3. *pag.* 270. *col.* 1.
Æſtus marini quas cauſas aſſignaverint Plinius, Albumaſar, Keplerus, Jul. Scaliger, aliique, *tom.* 3. *pag.* 482. *col.* 1.
Æſtus Maris inſtar pendulum bis die agitatur, *tom.* 4. *pag.* 361. *col.* 1. *& ſeqq.*
Æſtus maris quare contingat? *tom.* 1. *pag.* 24. *& ſeqq.* & de eo opinio Galilæi, *pag.* 26. *& ſeqq. & tom.* 3. *pag.* 469. *col.* 2. *& pag. ſeqq.* opinio Morini, *pag.* 481. *& ſeqq.*
Æſtus maris quomodo explicaret Seleucus, *tom.* 3. *pag.* 488. *col.* 2.
Æſtus marinus a Luna attrahente non efficitur, *tom.* 3. *pag.* 482. *col.* 2.
Æſtus marinus quantus ſit in Inſula S. Thomæ? *tom.* 3. *pag.* 483. *col.* 1.
Æſtus marinus quomodo fiat in Freto Magellanico, *tom.* 3. *pag.* 483. *col.* 2.
Æſtus marinus cur major in Noviluniis juxta Morinum? *tom.* 3. *pag.* 481. *col.* 2.
Ætas prima ad otium amplectendum idonea eſt, *tom.* 2. *pag.* 672. *col.* 1.
Ætate gravi exiſtentes obſequio colendi ſunt, *tom.* 2. *pag.* 716. *col.* 2.
Ætates quot ſint animalium? *tom.* 2. *pag.* 515, *col.* 2. *& pag.* 516. *& ſeqq.*
Æternitas in quo differat a tempore? *tom.* 2. *pag.* 595. *col.* 1.
Æthiopiæ pro Ægypti reſtituitur apud Plutarchum, *tom.* 2. *pag.* 22. *col.* 2.
Æthiopis filia alba Æthiopem genuit, *tom.* 2. *pag.* 346. *col.* 2.
Ætna cur flammas emittat? *tom* 2. *pag.* 38. *& ſeqq.*
Affectus quomodo creentur, *tom.* 2. *pag.* 414. *& ſeqq.* quot ſcilicet illorum, *pag.* 415. *col.* 2. *& pag.* 416. *& ſeqq.*
Affrictus narium ſternutationem provocat, aurium autem tuſſim, *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 2.
Agapæ quid forent? *tom.* 5. *pag.* 569. *col.* 1.
Agentia, ſive animata, ſive inanimata propter finem agunt, *tom.* 1. *pag.* 250. *col.* 1.
Aglaus Bophidius felicior Gyge Rege reputatus ab Oraculo, *tom.* 2. *pag.* 543. *col.* 2.
Agno ſimile Zoophytum, *tom.* 2. *pag.* 147. *col.* 1.
Agnus, carnibus, caſeo, piſcibus vorandis aſſuetus, occiſus deinde, inſipidus, ingratique guſtus extitit, *tom.* 6. *pag.* 20. *col.* 2.
Agnus ſcythicus Borramets vocatus fabuloſus eſt, *tomo* 2. *pag.* 300. *col.* 2.
Agri ſtercus optimum ſunt domini veſtigia, *tom.* 2. *pag.* 663. *col.* 1.
Albedo nivis unde fiat? *tom.* 1. *pag.* 384. *col.* 2. *& tom.* 3. *pag.* 396. *col.* 1.
Albedo ſpumæ nivis quomodo efficiatur, *tom.* 1. *pag.* 384. *col.* 2. glaciei, lactis, liliorum, 385. *col.* 1.
Alchymia an differat a Cabbala? *tom.* 3. *pag.* 233. *col.* 1. 2.
Alchymiſtæ fruſtra laborant conficiendi cauſa lapidis philoſophici, *tom.* 2. *pag.* 240. *col.* 2. *& pag. ſeqq.*
Alchimiſtæ. *Vid.* Chymici.
Alcippe elephantem peperit, *tom.* 2. *pag.* 250. *col.* 1.
Aleandri modolus congii Farneſiani, & examen aquæ Tiberinæ, *tom.* 5. *pag.* 247. *col.* 1.
Alexander dixit, ſe eſſe Diogenem velle, *tom.* 1. *pag.* 17. *col.* 1.
Alexander periit Ariſtotelis fraude, *tom.* 3. *pag.* 109.
Alexander Phidiæ, *tom.* 5. *pag.* 217. *col.* 2.
Alexander Hephæſtionem funeraſſe dicitur decem talentûm mille, *ibid.*
Alexander mare Caſpium exiſtimavit eſſe Pontum Euxinum, *tom.* 4. *pag.* 574. *col.* 1. 2.
Alexandri miniſter Demophon rigebat ad ſolem, ad umbram æſtuabat, *tom.* 3. *pag.* 180. *col.* 2.
Alexandri Magni cervus captus poſt centum annos, *tom.* 2. *pag.* 531. *col.* 2. *pag.* 532. *col.* 1.
Alæ formicis ſeneſcentibus adnaſcuntur, *tom.* 2. *pag.* 473. *col.* 2.
Algaron, animal exoticum, *tom.* 5. *pag.* 277. *col.* 1.
Alis ſtridorem faciunt Apes, & Muſcæ, *tom.* 2. *pag.* 456. *col.* 1.
Almageſti auctor non eſt idem, ac auctor Geographiæ, *tom.* 4. *pag.* 571. *col.* 1.
Aloë inſignis Planta Horti Avenionenſis, *tom.* 5. *pag.* 237. *col.* 1.
Alpheum ſub terram condi, & in Sicilia erumpere fabula eſt, *tom.* 2. *pag.* 48. *col.* 1.
Alteratio an differat a generatione, & corruptione? *tom.* 1. *pag.* 401. *& ſeqq.*
Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis, *tom.* 3. *pag.* 85. *col.* 1.
Altitudine pollicum octo cum ſemiſſe natus, ſexto menſe vixit, *tom.* 2. *pag.* 255. *col.* 1.
Altitudo montium quanta ſit, *tom.* 2. *pag.* 6. *col.* 2. & unde metienda, *pag.* 7. *col.* 1. *& pag.* 20. *col.* 1.
Alumen diſſolvitur, poſtquam ſal amplius non diſſolvitur, *tom.* 2. *pag.* 32. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 401. *col.* 1.
Aluminis in octahedricam figuram formatio Venetiis obſervata, *tom.* 5. *pag.* 190. *col.* 1.
Aluminis corpuſcula octahedrica, *tom.* 3. *pag.* 406. *col.* 2.
Alvus. *Vide* Venter.
Amatæ rei nævi cur lumina appareant? *tom.* 4. *p.* 419. *col.* 1.
Ambigue loqui in diſputationibus præcipit Ariſtoteles, *tom.* 3. *pag* 519. *col.* 2.
Ambra vulgo dicta quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 36. *col.* 1.
Amicitia malorum levamen, *tom.* 5. *pag.* 128. *col.* 1.
Amicitia nulla major poſſeſſio, *tom.* 2. *pag.* 717. *cubs.* quale bonum ſit, *pag.* 718.
Amicitiæ exempla memoranda, *tom.* 5. *pag.* 137.
Amicitiæ, & concordiæ utilitas maxima, *tom.* 5. *pagina* 136. *col.* 1.
ſine Amico veſci leonis vita eſt, *tom.* 3. *pag.* 88. *col.* 1.
Amicos erga quomodo nos gerere debeamus, *tom.* 2. *pag.* 708. *col.* 2. 3.
Amynomachus, *tom.* 5. *pag.* 151. *col.* 2.
Amor quid ſit? *tom.* 4. *pag.* 427. *col.* 1. nullus ſine aliquo reſpectu ad ſe datur, *pag.* 427. *col.* 1. *& pagin.* 428. *col.* 1, an detur diſtinctio amoris amicitiæ, & amoris concupiſcentiæ? *pag.* 427. *col.* 2. *& pag.* 428. *col.* 1.
An acus, an vero ſericum filum ſit Acia mollis? *ibid.*
An poſſit tota Montis ſubſtantia in punctum confluere? *tom.* 6. *pag.* 71. *col.* 1.
An ſuſpicari liceat, vivere fetum anima materna, quemadmodum fructus ex arbore nondum decerpti anima arboris vivunt? *tom.* 6. *pag.* 16. *col.* 2.
Ana fluvius Hiſpaniæ ab Ariſtotele dicitur Liguriæ, *tom.* 2. *pag.* 21. *col.* 1.
Anapavomenos fons dictus, quia alternis diebus creſcit, & decreſcit, *tom.* 2. *pag.* 48. *col.* 2.
Anatomicæ de Ovorum incubatione obſervationes, *tom.* 5. *pag.* 220. *col.* 1.
Anatum ſimiles aves naſcuntur ex lignis, *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 1.
Anaxagoras dixit, ſolem eſſe ignitum lapidem, *tom.* 1. *pag.* 447. *col.* 1. prædixit caſurum lapidem e Sole, *tom.* 1. *pag.* 447. *col.* 1.
Anaxagoras auditor Anaximenis Philoſophiam tranſtulit Athenas, *ibid.*
Anaxagoræ experimentum ad ſenſuum imbecillitatem evincendam, *ibid.*
Anaximander Thaletis Succeſſor, & Præceptor Anaximenis, *tom.* 6. *pag.* 120. *col.* 1.
Andreas Duchernius Hiſtoriographorum diligentiſſimus, *tom.* 5. *pag.* 148. *col.* 2.
Androgyni. *Vid.* Hermaphroditi.
Andronicus Rhodius emendavit Ariſtotelem, *tom.* 3. *pag.* 115. *col.* 1.
Angeli Contareni, & Vincentii *ibidem* Contareni cum Nicolao Peireskio neceſſitudo, *tom.* 5. *pag.* 116. *col.* 1.
Angeli ſunt incorporei, *tom.* 1. *pag.* 293. *col.* 2.
Angelus uno intuitu cognoſcit, *tom.* 2. *pag.* 397. *col.* 2.
Angeli quot homini omni aſſiſtant? *tom.* 3. *pag.* 223. *col.* 2.
Anguli ſpecierum objecti prout in oculo ſunt majores, aut minores, objectum apparet majus, vel minus, *tom.* 3.

Digitized by Google

tom. 3. pag. 411. col. 1. pag. 412. col. 2. & pag. 415. col. 2.

Anima Hermotini relicto corpore errabat, tom. 2. pag. 576. col. 2.

Anima plantarum quid ſit? tom. 2. pag. 149. col. 2. & pag. ſeqq.

Anima præditum eſt ſemen, tom. 3. pag. 220. col. 2.

Anima quo tempote incipiat fetum animare? tom. 6. pag. 15. 16.

Anima quomodo, & quando fetui infundatur? tom. 2. pag. 241. col. 2.

Anima rationalis. Vide Rationalis anima.

Anima. Vid. Senſitiva.

Animal, quod terram inter cornua extantem ſuſtinet, tom. 2. pag. 9. col. 2.

Animal, quod umbilicum quaſi funem producit, tom. 2. pag. 147. col. 1.

Animalcula curare Deum indianum eſt, t. 1. p. 281. col. 2.

Animalcula ſunt granula pulveris caſei, t. 2. p. 403. col. 2. & pag. 491. col. 1.

Animalculum Acari deſcribitur, tom. 1. pag. 235. col. 1.

Animalia an tactu, & guſtu ſuperentur ab homine? tom. 2. pag. 308. col. 2. & pag. 310. col. 1. quo ſenſu quæque excellant? pag. 307. col. 1. tom. 3. pagina 178. col. 2.

Animalia inchoata, & imperfecta, quæ partim vivunt, partim terra adhuc ſunt, tom. 3. pag. 17. col. 2.

Animalia in Java majore reperta, cujus naturæ? tom. 5. pag. 273. col. 1.

Animalia quam ſint diverſa? tom. 3. pag. 278. col. 2.

Animalia quare creſcere deſinaot? tom. 2. pag. 516. col. 2. & 3. & pag. 517.

Animalia, quæ ex ſemine procreantur, t. 2. p. 232. col. 2. quæ multiplicem fetum edunt, tom. 2. pag. 248. col. 1. quæ hyeme latent, & dormiunt, tom. 2. pag. 278. col. 2. & ſeqq.

Animalia, quæ aliqua animalia non ferunt, aut aliam rem, tom. 3. pag. 179. col. 2. an loquantur? tom. 2. pag. 457. col. 2.

Animalia quæ, & qoomodo ſibi medeantur? tom. 2. pag. 507. col. 2.

Animalia, quæ uno die vivunt, tom. 2. pag. 588. col. 2.

Animalia quædam nunquam bibunt, tom. 2. pag. 258. col. 2.

Animalia quomodo naſcaotur? tom. 2. pag. 253. col. 2. tom. 3. pag. 178. col. 2.

Animalia aliqua ſine ſemine, ſeo potius ſine parentibus, &, ut dicitur, ex potri generantur, tom. 2. pag. 527. col. 2.

Animalis partium motus involuntarii qui ſint? tom. 2. pag. 449. col. 1. 2. qui voluntarii, pag. 450. col. 1. 2. & pag. ſeqq.

Animalium externam ſuperficiem indurat aër, tom. 3. pag. 74. col. 2.

Animalium alia alias res expetunt, & etiam averſantur, tom. 2. pag. 363. col. 1.

de Animalium inſitione Exempla, & Hiſtoriæ plane mirabiles, tom. 5. pag. 183. col. 2.

Animalium more pueri incedentes, tom. 2. pag. 465. col. 1.

Animalium motus quomodo fiat? tom. 2. pag. 441. & ſeqq.

Animalium mors quid ſit? tom. 2. pag. 531. col. 2. & pag. ſeqq.

Animalium prima generatio quomodo facta fuerit? tom. 1. pag. 425. & ſeqq.

Animalium plurimorum ſagacitas, tom. 2. pag. 358. & ſeqq.

Animalibus oullus motus eſt, qoi ſimpliciter rectus ſit, tom. 3. pag. 445. col. 1.

Animalium vox quid ſit, & quomodo fiat? tom. 2. pag. 456. & ſeqq. greſſus quomodo fiat? tom. 2. pag. 462. col. 1. & pag. 463. col. 2. & ſeqq.

Animalium vita quam diuturna ſit? tom. 2. pag. 530. col. 2. & pag. 531.

Animarum ſingularum judicium immerito negat Lactantius, tom. 2. pag. 575. col. 2.

Animarum ſtatus poſt mortem qualis ſit? t. 2. pag. 571. & ſeqq.

Animam eſſe corpos aliquid Sancti Patres exiſtimarunt, tom. 3. pag. 359. col. 2.

Animam noſtram oon eſſe ex traduce, ſed a Deo creati, nobiſque infundi, tom. 6. pag. 15. col. 2.

Animam mortalem qui opinantur, non omoino perire putant, ſed diſpergi dumtaxat, tom. 3. pag. 224. col. 2.

Animata agentia, ſive inanimata agunt propter finem, tom. 1. pag. 150. col. 1.

Animata an ſit Terra? tom. 2. pag. 1. & ſeqq.

Animatio fetus quomodo, & quando fiat? tom. 2. pag. 241. col. 2.

Animæ affectus quomodo oriantur? tom. 2. pag. 414. & ſeqq. & quot illorum ſpecies? pag. 415. col. 2. & pag. 416. & ſeqq.

Animæ humanæ utrum ſint omnes omnes æquales, an inæquales? tom. 2. pag. 405. col. 1. 2.

de Animæ rationalis ortu, & productione opioiones variæ. tom. 6. pag. 17. col. 1. 2.

Animorum immortalitatem qui negaverint? tom. 2. pag. 546. & ſeqq.

Animus. Vide. Intellectus.

Animus hominum immortalis probatur phyſicis rationibus, tom. 2. pag. 553. & ſeqq.

Animus hominum immortalis probatur ratiooibus moralibus, tom. 2. pag. 554. col. 2. & pag. ſeqq. refellitur Epicurus, qui mortalem aſſerebat, pag. 558. & ſeqq. uſque ad pag. 571.

Anni, quot vixiſſe homines Sacra Scriptura tradit, erant ſolares, tom. 2. pag. 529. col. 2. & pag. 530. col. 1.

Anoiceris Platonem in Ægina venditum redemit, nec pretium ſibi reſtitui voluit, tom. 1. pag. 18. col. 2.

Annis niſi mille volucrem non transvolare interſtitium oculorum illius animalis, quod Rabbini deſcribunt, tom. 2. pag. 9. col. 2.

Annis 2509. nullum errorem detectum eſſe in Ariſtotele quis dixerit? tom. 3. pag. 104. col. 2. & pag. 111. col. 1.

Anno quinto pariunt, octavo moriuntur feminæ quædam, tom. 2. pag. 518. col. 1.

Anno 1638. frigus ingens, tom. 4. pag. 530.

Annorum climatericorum vaoitas, tom. 2. pag. 544. col. 1. & pag. ſeqq.

Annorum quinque puer aſſequitur dimidium magnitudinis, quam habiturus eſt, tom. 2. pag. 517. col. 2.

Annos 57. dormivit Epimenides, & vixit 157. tom. 2. pag. 519. col. 1. & pag. 576. col. 1.

Annos duos in utero geſtatur elephas, tom. 2. pag. 242. col. 1.

Annos plus centumviginti qui vixerint etiam poſt Diluvium? tom. 2. pag. 517. col. 1.

Annos poſt centum captus cervus, tom. 2. pag. 531. col. 2. pag. 532. col. 1.

Annos quindecim caruit dentibus mulier, tom. 2. pag. 521. col. 2.

Annos quot duraturus ſit Mundus? tom. 1. pag. 157. c. 1.

Annos viginti octo geſtatus fetus lapideus factus, tom. 2. pag. 256. col. 2.

Annus decem menſium erat Romanis, ex Fulvio, Suetonio, aliiſque, tom. 5. pag. 491. col. 2.
Ex Macrobio, Caſſiodoro, & Ovidio, ibid.

Annus diſtinguitur in naturalem, ſeu vertentem, ac civilem, tom. 5. pag. 491. col. 1.

Annus magnus qui ſit? tom. 1. pag. 157. col. 1.

Annus magnus Sexcentis Annis vulgaribus conſtat ex Joſepho, tom. 5. pag. 321.

Anomalia octavæ ſphæræ falſa eſt, tom. 4. p. 570. c. 2.

Anorexia, appetitûs defectus, tom. 5. pag. 316. col. 1.

Anſer ova parit poſt quadraginta dies, tom. 1. pag. 242. col. 1.

Antimonium quid ſit? tom. 2. pag. 37. col. 1.

Antipodes qui negarint, & qui affirmarint? tom. 2. pag. 12. & ſeqq.

Antiqui io Craniis hoſtium interfectorum bibentes, tom. 5. pag. 269. col. 2.

Antiquitatis ſtudium Juriſprodentiæ non inutile, tom. 5. pag. 223. col. 1.

Antiquos nullum vas confeciſſe, quod non & præſcriptam menſuram, & certum pondus cootineret, tom. 5. pag. 270. col. 1.

Antiſthenes in Gymnaſio *Cynoſarge* dicto, Cynicam ſectam inſtituit, *tom. 6. pag. 120. col. 1.*
Antonii Conſtantini Pharmaceutice, *tom. 5. pag. 253. col. 1.*
Antoninus Caracalla ejecit ex urbe Peripateticos, quod Alexander perierit fraude Ariſtotelis, *tom. 3. pag 109. col. 2.*
Antonius Albigius, nobilis Florentinus, & Scriptor, *tom. 5. pag. 242. col. 2.*
Antonius Boderius Orator, *tom. 5. pag. 229. col. 2.*
Antonius Merindolus Medicus eximius, & Peireſkio apprime carus, *tom. 5. pag. 258. col. 1.* Tractatum de febribus Peireſkio inſcriptum voluit, *ibid.*
Antonius quanti mercatus fuerit Ciceronis caput! *tom. 5. pag. 481. col. 2.*
Antonius Thornnius Senator conſultiſſimus, *tom. 5. pag. 255. col. 1.*
Anularum expers viſus eſt Saturnus, *tom. 4. pag. 555. col. 1.*
ex Aorta in venam arterioſam meatus avibus aquaticis manet apertus, iden ſubter aquam immorantur, *tom. 2. pag. 281. col. 2.*
Apelles auri talenti 20. Alexandrum pinxiſſe traditur, *tom. 5. pag. 481. col. 1.*
Apelles Epicureus, *tom. 5. pag. 151. col. 1.*
Apes, & veſpas interficit oleum, *tom. 3. pag. 179. col. 2.*
Apices qui ſint? *ibid. pag. 138 col. 2. verſ. 43.*
Apollo quare Pythius, Delius, Phanæus appellatus? *tom. 2. pag. 752. col. 1.*
Apotheoſis Auguſti in Cameo repræſentata, *tom. 5. pag. 51. col. 1.*
Appellicon emit libros Ariſtotelis, *tom. 3. pag. 114. col. 2.*
Appetitus ne detur in parte rationali animæ? *tom. 2. pag. 400. & ſeqq.* ubi ſedem habeat? *pag. 411. col. 2.* quomodo oriatur? *pag. 414. & ſeqq.*
Aprilis ab Aphrodite, ſeu Venere vocatus fuit a Romulo, *tom. 5. pag. 402. col. 2.*
Alii ab aperiendo ſic volunt indigitatum, *tom. 5. pag. 403. col. 1*
Aprilis in tutela Veneris, *tom. 5. pag. 501.*
Apuliæ terræmotus, *tom. 5. pag. 260 col. 2.*
Apum artificium in condendis favis, *tom. 2. pag. 362. col. 1.*
Apum mel an ſit idem ac illud, quod ex arboribus manat? *tom. 2. pag. 74. col. 1.*
Apum ſtridor ſit alis dum volant, *tom. 2. pag. 456. col. 1.*
Aqua an confici poſſit, quæ calculos exſolvat veſica illæſa? *tom. 2. pag. 35. col. 1.*
Aqua calida mortui abluebantur, *tom. 2. pag. 576. col. 1.*
Aqua cum terra unum globum conſtituit, *t. 2. pag. 4. col. 2.*
Aqua cur aſcendat in ſpongia, & in aliis rebus filamentoſis? *tom. 1. pag. 305. col. 2.*
Aqua cur in locum declivem decurrat? *tom. 2. pag. 15. col. 2. & pag. 16. col. 1.*
Aqua diſſolvit ſal tantum uſque ad certam quantitatem & tunc tamen diſſolvit alumen, *t. 3. p. 401. col. 1. tom. 2. pag. 32. col. 2.*
Aqua e clepſydra cur non effluat occluſo ſuperiore foramine? *tom. 3. pag. 455. col. 2.* & e phiala quum oſculum directe pronum eſt, *pag. 434. col. 1.* & cur in cyatho prono immerſo aqua aſcendat ſupra planitiem reliquæ, ſi attollas cyathum? *tom. 3. pag. 434. col. 1.*
Aqua fontis Morienſis duodecies ſalſior eſt marina, *tom. 3. pag. 402. col. 2.*
Aqua fontis cujuſdam ſuperne dulcis, inferne ſalſa, *tom. 2. pag. 46. col. 2.*
Aqua gravior eſt glacie, *tom. 1. pag. 72. col. 2.*
Aqua Græcus inſignis cur non extinguatur? *tom. 1. pag. 189. col. 1.*
Aqua immerſa molecula carnis ex utero extracta, omnia membra conſpiciuntur, *tom. 2. pag. 242. col. 2.*
Aqua lacus cujuſdam epota depilat, & ungulas dejicit, *tom. 2. pag. 15. col. 2.*
Aqua leviores quidam ſunt, *tom. 2. pag. 476. col. 1.*
Aqua manibus hauſta a Ruſtico gratiſſimum donum fuit Regi Perſarum, *tom. 2. pag. 652. col. 2.*
Aqua maris in aliquibus locis dulcis eſt, *tom. 2. p. 47. col. 1.*
Aqua maris, & quorumdam fontium quare ſalſa ſit? *tom. 2. pag. 45. & ſeqq.*
Aquapendentius narrat duos homines ruminaſſe, *tom. 2. pag. 261. col. 2.*
Aqua Salmacis fontis mollitiem ingenerat, *t. 2. p. 54. col. 2.*
Aqua, ſi in eam infundatur oleum tartari, & ſenæ folia, rubeſcit, *tom. 1. pag. 322. col. 2. & pag. 325. col. 1.* aut ſi infundatur oleum vitrioli roſis, *pag. 323. col. 1.*
Aqua immergi quidam non poſſunt, *tom. 2. pag. 476. col. 1.*
Aqua immerſum ferrum candens cur dureſcat? *tom. 1. pag. 556. col. 2.*
Aquam bullæ faciunt albeſcere, *tom. 3. pag. 396. col. 1.*
ſub Aquam cur diu morentur Aves aquaticæ, & aliqui homines, *tom. 2. pag. 281. col. 2.*
Aquam putei aſpiciens Pherecydes terremotum prædixit, *tom. 2. pag. 752. col. 1.*
Aquam tantumdem refluere ſurſum, quantum deorſum effluit, *tom. 5. pag. 254. col. 1.*
Aquarum, & ignium ſub terra latentium nexus, & communicatio, *tom. 5. pag. 273. col. 1.*
Aquarum variarum variæ proprietates, *tom. 2. p. 45. & ſeqq.*
Aquaticæ. *Vid.* Aves.
Aquæ ligna quæ immergantur? *tom. 2. pag. 475. col. 2.*
Aquæ murmur ſi ſentiant vulpes in flumine glacie conſtipato retrocedunt; *tom 2. pag. 358. col. 2.*
Aquenſis Academiæ in laurea doctoratus tradenda ritus, *tom. 5. pag. 225. col. 1.*
Aqueum humorem, vel nullum eſſe in piſcibus, vel certe perexiguum, *tom. 5. pag. 275. col. 1.*
Aquila damno afficitur a polypode, *tom. 2. pag. 183. col. 2.*
Aquila teſtudinem conjecit in Æſchyli caput, *tom. 2. pag. 370. col. 1. & pag. 752. col. 1. 2.*
Arabes in ſtudio Aſtronomiæ Alexandrinis ſucceſſere, & Almageſtum, hoc eſt Ptholemæi compoſitionem magnam in ſuam linguam tranſtulerunt, *tom. 5. pag. 352.*
Aranea an tactu ſupetet homines? *tom. 2. pag. 308. col. 1.*
Aranearum textura mirabilis, *tom. 2. pag. 362. col. 1.*
Arantia flore rubeo, atque variegata, *t. 5. p. 265. c. 1.*
Arantiæ mali odor ad quinquaginta milliaria ſentitur, *tom. 1. pag. 399. col. 2. tom. 2. pag. 314. col. 1.*
Arbitrium. *Vide* Liberum arbitrium.
Arbores. *Vide* Plantæ.
Arborum e radicibus pullulantes Stolones appellantur, *tom. 2. pag. 137. col. 2. verſ. 68.*
Arborum fructus, qui gignunt animalia, *t. 2. p. 146. col. 1.*
Arborum mel an ſit idem, ac Apum mel? *tom. 2. pag. 74. col. 1.*
Arces omnes expugnari dicebat Philippus, in quas aſinus auro onuſtus aſcendere poſſet, *tom. 2. pag. 671. col. 1.*
Arceſilas uberiore vini hauſtu mortuus, *tom. 5. p. 185. col. 1.*
Archelaus Anaxagoræ ſucceſſor, Magiſter Socratis, *ibid.*
Archelaus dixit, ſolem eſſe laminam, *tom. 1. pag. 447. col. 1.*
Arethuſam ex Alpheo originem habere fabuloſum eſt, *tom. 2. pag. 48. col. 1.*
Argentum vivum. *Vid.* Hydrargyros.
Argumenta Epicuri, quibus animam mortalem probabat, refelluntur, *tom. 2. pag. 558. & ſeqq. uſque ad pag. 571.*
Argumenta, quibus Zeno probabat, non poſſe inchoari motum, *tom. 1. pag. 209. col. 2. & pag. 301. col. 1.*
Argumentum, quo Zeno motum negabat, ſi continuum dividi poſſit in infinitum, *tom. 1. pag. 231. col. 1. & pag. 209. col. 2.*
Aries cum brachio humano, *tom. 2. pag. 250. col. 2.*
Arietem elephas non fert, *tom. 3. pag. 179. col. 2.*
Arietum ex cornibus aſparagos naſci proditum eſt. *tom. 2. pag. 150. col. 2.*

Ariſtar-

Digitized by Google

Ariſtarchi Samii Opus perantiquum de Solis, ac Lunæ magnitudine, *tom.* 5. *pag.* 272. *col.* 2.

Ariſteas vivus erat in Sicilia, & mortuus in Proconneſo, *tom.* 2. *pag.* 577. *col.* 2.

Ariſtippus dictam a Cyrene Patria Cyrenaicam Sectam inſtituit, *tom.* 6. *pag.* 120. *col.* 1.

Socratem imitatus Phyſicam reſpuit, quaſi incomprehenſibilia tractantem, *tom.* 6. *pag.* 129. *col.* 1.

in Ariſtotele nullum errorem per mille, & quingentos annos detectum fuiſſe quis affirmaret? *t.* 3. *p.* 104. *col.* 2. & *pag.* 112. *col.* 1.

Ariſtotelei ex philoſophia ſophiſticen effecerunt, *t.* 3. *pag.* 99. *col.* 2. libertatem philoſophandi ſibi ademerunt, *ibid. pag.* 104. *col.* 2. ejecti ſunt ab Antonino Caracalla, & quare 109 *col.* 2. ignorantes cauſam ad Deum confugiunt, *tom.* 3. *pag.* 133. *col.* 2.

Ariſtotelem qui Sancti Patres reprehenderint? *tom.* 3. *pag.* 113. *col.* 2.

Ariſtoteles ab Attico comparatus ſepiæ atramentum effundenti, *tom.* 3. *pag.* 115. *col.* 2. falſa dicit, *tom.* 3. *pag.* 118. *col.* 2.

Ariſtoteles an Auctor libri de Mundo? *tom.* 1. *p.* 130. *col.* 2.

Ariſtoteles dicit, fabuloſam non eſſe pugnam Gruum cum Pygmæis, *tom.* 2. *pag.* 478. *col.* 2.

Ariſtoteles eſſe ſenſui magis, quam rationi fidendum pronunciavit, *tom.* 6. *pag.* 172. *col.* 2.

Ariſtoteles dixit felicitatem impediri per deformitatem, & ſterilitatem, *tom.* 3. *pag.* 134. *col.* 1. Contradictoria multa tradit, *pag.* 134. *col.* 1.

Ariſtoteles fluvium Hiſpaniæ Liguriæ dixit, *tom.* 2. *pag.* 21. *col:* 1.

Ariſtoteles Mathematicas Philoſophiæ partem fecit, *tom.* 5. *pag.* 194. *col.* 1.

Ariſtoteles negat, Deum habere notitiam futurorum contingentium, *tom.* 3. *pag.* 129. *col.* 2. præcipit, ut inter diſputandum ambigue loquamur, quidquid potius effutiamus, quam cedamus; *tom.* 3. *pag.* 129. *col.* 2.

Ariſtoteli 800. talenta ad conſcriptionem hiſtoriæ Animalium dedit Alexander, *tom.* 5. *pag.* 483. *col.* 1.

Ariſtotelis diaphanum viſionem efficiens quid ſit, *t.* 2. *pag.* 427. *col.* 2.

Ariſtotelis fraude quod periiſſet Alexander, Antoninus Caracalla ejecit Peripateticos omnes, *tom.* 3. *pag.* 109. *col.* 2.

Ariſtotelis philoſophia quomodo invaluerit? *tom.* 3. *pag.* 112. *col.* 2.

Ariſtotelis librorum, & doctrinæ incertitudo, *tom.* 3. *pag.* 112. *col.* 2. calumniæ contra veteres, *tom.* 3. *pag.* 130. *col.* 1.

Ariſtophanes Grammaticus Epicurum reprehendit, *tom.* 5. *pag.* 198. *col.* 2.

Arithmetica proportio non eſt proportio, *t.* 2. *p.* 485. *col.* 1.

Arſenium quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 37.

Arte, ne an natura impoſita ſint nomina, *t.* 2. *p.* 465. *col.* 2.

Arteriarum pulſationes cur frequentiores ſint in febribus? *tom.* 2. *pag.* 526.

Artes non pridem inventæ ſunt, *tom.* 3. *pag.* 26. *col.* 2.

Artificium apum in condendis favis, & aranearum in texenda tela, *tom.* 2. *pag.* 362. *col.* 2.

Artis filii dicuntur ab ipſis Chymici, *tom.* 1. *pag.* 215. *col.* 1.

Arundines continent ſaccharum, *tom.* 2. *pag.* 74. *col.* 2.

Aſcendentium mobilium motus minuitur, non acceleratur, *tom.* 1. *pag.* 189. *col.* 2.

Aſclepiades ſenſum ſolum pro Criterio admiſit, *tom.* 6. *pag.* 130. *col.* 1.

Aſdrubale interempto, nullis tormentis cohiberi potuit ſervus, ne ſignificaret lætitiam ex domini cæde vindicata conceptam, *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2.

Aſinum Græci vocant machinam, quam Latini ſuculam, noſtri vulgo tornum, *tom.* 2. *pag.* 446. *col.* 2.

Aſinum ficus comedentem videns, Philemon riſu mortuus eſt, *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 2.

Aſinus auro onuſtus ſi in Arcem aſcendere poſſet, inexpugnabilem eam non eſſe dicebat Philippus, *tom.* 2. *pag.* 671. *col.* 1.

Aſparagos naſci ex cornibus Arietum proditum eſt, *tom.* 2. *pag.* 150. *col.* 2.

Aſperitas ex quo oriatur? *tom.* 1. *pag.* 137. *col.* 1.

Aſſeres foliium cur diduci non poſſint occluſo oſculo? *tom.* 3. *pag.* 433. *col.* 2.

Aſtra quare in horizonte majora appareant? *tom.* 2. *pag.* 338. *col.* 1.

Aſtrologia judiciaria, ut vocant, ſeu Genethliaca a Scripturis Sanctis, & Eccleſia maxime improbatur, *tom.* 3. *pag.* 481. *col.* 1.

Aſtrologi prædicere nequeunt morborum ſucceſſus, *tom.* 2. *pag.* 502. *col.* 1. 2.

Athanaſius Kircherus e Soc. Jeſu hieroglyphicorum myſteria eximie callebat, *tom.* 5. *pag.* 273. *col.* 2.

Athei qui fuerint? *tom.* 1. *pag.* 252. *col.* 1. & *pag.* 254. *col.* 2.

Athenis publico decreto ſancitum eſt, ne mulus ab incerniculis arceretur, *tom.* 2. *pag.* 531. *col.* 2.

Atheus Epicurus non fuit, *tom.* 1. *pag.* 253. *col.* 2.

Atlas quare creditus fuerit Cœlum ſuis humeris ſuſtentare? *tom.* 5. *pag.* 322.

Atmoſphæra quid ſit? *tom.* 3. *pag.* 399. *col.* 1.

Atomi aluminis ſunt octahedricæ, ſalis cubicæ, *t.* 3. *pag.* 40. *col.* 2.

Atomi. *Vide* Corpuſcula.

Atomi qua ratione indiviſibiles dicantur? *t.* 3. *p.* 426.

Atomi quæ ſint? *tom.* 3. *pag.* 390. *col.* 1. 2.

Atomorum proprietates, *tom.* 1. *pag.* 233. *col.* 2. pondus, & natura, *pag.* 239. *col.* 2.

Atomos eſſe materiam primam qui ſtatuerint? *tom.* 1. *pag.* 225. *col.* 2. & *pag.* 245. *col.* 1. qui earum auctor fuerit? *pag.* 226. *col.* 1.

Atomus eſt minimum Naturæ, in quod omnis Reſolutio deſinit, a quo incipit omnis compoſitio, *tom.* 6. *pag.* 141. *col.* 2.

Atramentum effundenti ſepiæ comparatur Ariſtoteles, *tom.* 3. *pag.* 115.

Atramentum aſcendit in calamo ſcriptorio, quia is fiſſus eſt, *tom.* 2. *pag.* 394. *col.* 2.

Attalicorum Regum metu libri Ariſtotelis, & Theophraſti defoſſi fuerunt, *tom.* 3. *pag.* 114. *col.* 2.

Atticus comparat ſepiæ atramentum fundenti Ariſtotelem, *tom.* 3. *pag.* 115. *col.* 2.

Attilii Reguli factum examinatur, *tom.* 2. *pag.* 626. & *ſeqq.*

Attributa Dei, *tom.* 2. *pag.* 265. *col.* 2.

Aubertus Miræus, *tom.* 5. *pag.* 232. *col.* 1.

Auctor libri de mundo quis fuerit, *t.* 2. *p.* 130. *col.* 2.

Audacia quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 435. *col.* 1. 2. & *p.* 436.

Auditus reſtitutus eſt ſurdo, perforata membrana, *tom.* 2. *pag.* 317. *col.* 1.

Avenio Clementi Sexto vendita pretio florenorum octogies mille, *tom.* 5. *pag.* 234. *col.* 2.

Aves aquaticæ cur diu ſub aquam morentur? *tom.* 2. *pag.* 281. *col.* 2.

Aves aquaticæ quomodo natent? *tom.* 2. *p.* 475. *c.* 1.

Aves Bernachiæ, & Clakies non naſcuntur ex ſemine, *tom.* 2. *pag.* 226. *col.* 1.

Auguria qui contempſerint? *tom.* 2. *pag.* 753. *col.* 1.

Auguſtæ Vindelicorum laudes, *tom.* 5. *pag.* 341. *col.* 2.

D. Auguſtinus negabat Antipodas, *t.* 2. *p.* 11. *col.* 2.

Auguſto Menſi cur Sextilis nomen datum fuerit? *t.* 5. *pag.* 400. *col.* 2.

Non quod Cæſar Auguſtus fuerit eo menſe natus, *ibid.*

Auguſtus Obeliſci umbram ad horarum diviſionem accommodabat, *tom.* 5. *pag.* 331. *col.* .

Avicennas ad ſuam Cholcodein datricem formarum recurrit, *tom.* 2. *pag.* 226. *col.* 2.

Avium aliarum cantum paſſer didicit. *tom.* 2. *p.* 438. *col.* 2.

Avium greſſus quomodo fiat? *tom.* 2. *pag.* 468. *col.* 1. 2. volatus quomodo fiat, *pag.* 470. *col.* 2. & *ſeqq.*

Avis Paradiſi appellata ſemper in aëre manet, *tom.* 3. *pag.* 178. *col.* 2. an pedibus careat, *t.* 2. *p.* 468. *c.* 1.

in Aula exiſtente face, non autem in campo conſpiciuntur homines, & quare, *tom.* 3. *pag.* 405. *col.* 2.

Aureorum millia quadraginta in condendis Tabulis Aſtronomicis ab Alphonſo Caſtellæ Rege impenſa, *ibid.*

Auris internæ affrictus tuſſim provocat, *t.* 2. *p.* 309. *c.* 2.

Aurora cur colorem croceum efficit, *t.* 2. *p.* 399. *col.* 2.
Auro onuſtus aſinus ſi aſcendere poſſet in Arcem, eam expugnari poſſe dicebat Philippus, *t.* 2. *p.* 671. *c.* 1.
Auſpicia qui contempſerint? *tom.* 2. *pag.* 753. *col.* 1.
Aurum fulminans. *Vide* Fulminans aurum.
circa Axem proprium Sol revolvitur uno menſe, *tom.* 3. *pag.* 369. *col.* 2.
Axiomata, ſeu prima principia quid ſint, & quare ſic appellentur, *tom.* 2. *pag.* 308. *col.* 2.
Axis viſionis quomodo dirigatur, *tom.* 3. *pag.* 419. *col.* 1. *& ſeqq.*

B

BAcchi effigies recens effoſſa, *tom.* 5. *pag.* 263. *col.* 2.
Baccis betulæ voratis, galli quidam ſilveſtres ſub nivibus ſe condunt, *tom.* 2. *pag.* 480. *col.* 2.
Baculo ſpicas eminentiores cecidit Periander, & nihil aliud reſpondit Thraſybulo, *tom.* 2. *pag.* 669. *col.* 2.
Balænarum oculos vix eſſe bumanis majores, *ibid.*
Balænæ quam anguſti ſint gutturis? *ibid.*
Balnea, ſeu Thermæ Dinienſes pluribus morbis aptiſſimæ, *tom.* 5. *pag.* 612. *col.* 2.
in Balneum vir cum ſemen effudiſſet, femina dixit ſe concepiſſe, *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 1. & 2.
Balthaſſar Valpius, Poeta magni nominis, *tom.* 5. *pag.* 246. *col.* 1.
Barba cur maribus, non feminis naſcatur, *tom.* 2. *pag.* 523. *col.* 2. & *pag.* 524. *col.* 1.
Baſilicæ Curiæ conflagratio memorabilis, *tom.* 5. *pag.* 248. *col.* 2.
Beata vita. *Vide* Felicitas.
Bellarmini Cardinalis mors, & ſanctitatis ejuſdem fama, *tom.* 5. *pag.* 253. *col.* 1.
Belli Dux unicus eſſe debet, *tom.* 5. *pag.* 670. *col.* 2.
Bello Trojano, & Thebano hiſtoriæ non ſunt antiquiores, *tom.* 3. *pag.* 26. *col.* 1.
Bello utiliores pedites equitibus, *tom.* 2. *pag.* 671. *c.* 1.
Belluæ hominibus perſimiles, in Marmaricæ Regione degentes, *tom.* 5. *pag.* 275. *col.* 2.
Belluæ magis ſobrietatem, & caſtitatem obſervant, quam homines, *tom.* 2. *pag.* 68. *col.* 2.
ex Belluis qui nati ſint, *tom.* 2. *pag.* 426. *col.* 2.
Bellum quomodo parandum, *tom.* 2. *pag.* 670. *col.* 2.
Belzuino Zoophyti ſpecies, *tom.* 2. *pag.* 147. *col.* 2.
Belzuino ſimilis ſuccus plantæ natæ ex quadam pluvia, *tom.* 2. *pag.* 148. *col.* 2.
Beneficentia quid ſit, *tom.* 2. *pag.* 270. *col.* 1. & 2.
Beneficium conferre jucundius eſt, quam accipere, *tom.* 3. *pag.* 85. *col.* 1.
Bernichiæ Aves, quæ naſcuntur ex foliis arborum, *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 2.
Bernachiæ aves non naſcuntur ex ſemine, *t.* 2. *p.* 226.
Bernardi Paludani Cimeliarchium, *tom.* 5. *p.* 231. *c.* 2.
Bernardinus. *Vide* Teleſius.
Bætis, ſeu Tarbeſſum ex Pyrenæis oriri tradit Ariſtoteles, *tom.* 2. *pag.* 21. *col.* 2. *pag.* 52. *col.* 2.
Betulæ baccis voratis ſub nivibus ſe condunt galli quidam ſilveſtres, *tom.* 2. *pag.* 480. *col.* 2.
Biantis dictum: *magiſtratus virum oſtendit*, *tom.* 2. *pag.* 600. *col.* 2.
Bias aſportare ſe ex incendio omnia ſua dixit, *tom.* 2. *pag.* 678. *col.* 1.
Bibentes e fonte Salmace luxurioſi evadunt, *tom.* 2. *pag.* 54. *col.* 2.
Bibere nunquam ſolebat quidam; ſicut etiam quædam animalia, *tom.* 1. *pag.* 258. *col.* 2.
Bibliotheca Ptolemæi Philadelphi collecta fuit a Demetrio Phalaræo Peripatetico, *tom.* 3. *pag.* 514. *c.* 1.
Bibliothecæ Ariſtotelis, & ſuæ Theophraſtus heredem reliquit Helcum Scepſium, *tom.* 3. *pag.* 514. *col.* 2.
Biceps natus eſt vitulus, *tom.* 2. *pag.* 336. *col.* 2.
Bili ſuffuſa colorem variat in oculo, *t.* 6. *p.* 119. *c.* 2.
Bipes ſemper inceſſit cynocephalus, cui obtruncata fuerant crura anteriora, licet ſanatus, *t.* 2. *p.* 469. *col.* 1.
Bis millies ſeſtertiûm divitiæ M. Craſſi habitæ fuerunt, *tom.* 5. *pag.* 482. *col.* 2.
Bithon, & Cleobis matrem in curru traxerunt, *t.* 2. *pag.* 753. *col.* 2. 2.
Boetius Hector tradit ex lignis naſci aves, *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 2.
Bombyx altera die a coitu ova parit, *tom.* 2. *pag.* 242. *col.* 1.
Bona omnia ſua ſe aſportare dixit ex incendio Bias, & Stilpo, amiſſis omnibus, *tom.* 2. *pag.* 678. *col.* 1.
Bonæ famæ cura quatenus habenda ſit? *tom.* 3. *pag.* 73. *col.* 1.
Bonum nullum majus, quam eſſe contentum parvo, *tom.* 3. *pag.* 74. *col.* 1.
Bonum præteritum delectare deſinit, *t.* 3. *p.* 73. *col.* 2.
Bonum quidquid ſecundum naturam eſt, quod contra, malum, *tom.* 6. *pag.* 136. *col.* 2.
Bonum ſummum. *Vide* Felicitas.
Bonum ſummum in voluptate, ſed non in obſcena collocabat Epicurus, *tom.* 3. *pag.* 66. *col.* 1. *Vide* Felicitatem.
Boramets Zoophyti ſpecies, *tom.* 2. *pag.* 147. *col.* 1.
Borramets agnus Scythicus eſt fabuloſus, *tom.* 2. *pag.* 300. *col.* 2.
Boves in Phrygia cornua movent, *tom.* 2. *pag.* 450. *col.* 2.
Bovem immolavit Pythagoras ob repertum problema, *tom.* 2. *pag.* 621. *col.* 2.
Brachium humanum habebat Aries, *tom.* 2. *pag.* 250.
Briza appellatus ventus continuo flans in Occaſum inter Tropicos, *tom.* 2. *pag.* 57. *col.* 2.
Bruti cladem an prædixerit Genius, *tom.* 2. *pag.* 754. & *pag.* 755.
Brutorum inſtinctus quid ſit *tom.* 2. *pag.* 360. *col.* 2.
Bubones, ac Feles plurimum aqueo humore abundare, pauciſſimum vitreo, *tom.* 5. *pag.* 275. *col.* 2.
Bucephalus Praxitelis, *tom.* 5. *pag.* 217. *col.* 2.
Buſo inventus intra ſaxum, *tom.* 2. *pag.* 230. *col.* 2.
Bullæ faciunt, ut aqua albeſcat, *tom.* 3. *pag.* 306. *col.* 1.
Bullit oleum tartari mixtum cum oleo vitrioli, ſeu calcanthino, *tom.* 2. *pag.* 223. *col.* 2.
Butyri odorem averſabatus quædam, *t.* 3. *pag.* 182. *col.* 2. *tom.* 2. *pag.* 362. *col.* 2. & *pag.* 384. *col.* 2.
ex Butyro ſe conſtare quidam arbitrabatur, *tom.* 2. *pag.* 365. *col.* 2.

C

CAbbala an differat ab Alchymia? *t.* 233. *c.* 2. 2. & *pag.* 524. *col.* 1.
Cabbaliſtæ quomodo inceperint, *tom.* 3. *pag.* 232. *c.* 2.
Cahiri in Ægypto copioſe ninxit hyeme anni 1642. *tom.* 4. *pag.* 457. *in fin.*
Cadavera cur petant fundum, & poſt emergant, *tom.* 2. *pag.* 476. *col.* 2.
Cadavera cur aqua calida abluerentur, *tom.* 2. *p.* 576. *col.* 2.
Cadaverum odorem ad quinquaginta milliaria ſentiunt vultures, *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 1.
ex Cadmi ſucceſſoribus Spartis natus eſt poſt multas generationes quidam habens effigiem haſtæ, *tom.* 2. *pag.* 285. *col.* 2.
in Calabria, olim Magna Græcia docuit Pythagoras, qui Sectæ Italicæ nomen dedit, *tom.* 6. *p.* 119. 120.
Calamus quid ſit, *tom.* 2. *pag.* 137. *col.* 2. *verſ.* 60.
Calcei Sicyonii, *tom.* 3. *pag.* 72. *col.* 2.
Calculi tres ex veſica infantia recens educti, *tom.* 5. *pag.* 266. *col.* 1.
Calculorum concretio quomodo fiat? *ibid.*
Calculos exſolvens aqua, illæſa veſica, an apparari poſſit, *tom.* 2. *pag.* 35. *col.* 1.
Calendarii etymologia, & definitio, *t.* 5. *p.* 491. *c.* 1.
Calendarii Feſta varia, & adiuncta, *tom.* 5. *pag.* 492. *col.* 2.
Feneratorum Calendarium, *ibid.*
Calendarium nomen unde efflixerit, & cur eo nomine primus Menſium dies indicetur? *tom.* 5. *p.* 493. *col.* 1.
Callias patrem per medias flammas extulit, *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 1.
Caligula quantum prodegerit in unam Cenam? *tom.* 5. *pag.* 482. *col.* 1.
Calida aqua cur mortui abluerentur? *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 1.

Calix

Digitized by Google

Calix quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 1. *verſ.* 37.
Calor ex quibus conſtet, *tom.* 1. *pag.* 346. *col.* 1.
Calor quare liqueſaciat nivem? *tom.* 1. *pag.* 384. *c.* 2.
Calor quarundam aquarum ex quo oriatur? *tom.* 2. *pag.* 47. *col.* 2. & *pag.* 48. & *ſeqq.*
Calore ignis, aut fimi ova in Ægypto excluduntur? *tom.* 2. *pag.* 253. *col.* 2.
Calorem aquarum thermalium quid nam excitet? *tom.* 5. *pag.* 233. *col.* 2.
Calores ſubterranei ex quo gignantur? *tom.* 2. *pag.* 38. & *ſeqq.*
Calumnias alicujus religionem impetentes omnino eſſe diluendas, *tom.* 3. *pag.* 480. *col.* 1.
Calumniæ Ariſtotelis contra veteres, *tom.* 3. *pag.* 133. *col.* 2. & *pag.* 130. *col.* 1.
Calumniator primus Epitedius, *tom.* 2. *pag.* 155. *col.* 1.
non Calveſcunt Eunuchi, & pueri ante uſum Venereorum, *tom.* 2. *pag.* 323. *col.* 1.
Camei ectypus ſulphureus, *tom.* 5. *pag.* 251. *col.* 2.
in Camera perfecte occluſa cur ignis non ardeat? *t.* 3. *pag.* 451. *col.* 2.
in Camino ignis non ardet, ſi cameta ita concluſa ſit, ut aër in ipſam penetrare non poſſit, *tom.* 2. *pag.* 461. *col.* 2.
Campanella chymicus, *tom.* 1. *pag.* 217. *col.* 1.
Campanæ ſonus quare perſeveret diuturnius? *tom.* 1. *pag.* 364. *col.* 2.
in Campo exiſtente face non videntur homines, ſecus in aula, *tom.* 3. *pag.* 403. *col.* 2.
Cancrum vertit interpres male vocem καρκῖνον apud Empiricum, *tom.* 1. *pag.* 298. *col.* 1.
Candela per vulnus in pectus hominis attracta, poſt aliquot dies expulſa ex ore, *tom.* 2. *pag.* 190. *col.* 2. & *pag.* 278. *col.* 2.
Candens ferrum in aquam immiſſum cur dureſcat? *tom.* 1. *pag.* 356. *col.* 2.
Candor. *Vide* Albedo.
Candor aliquis cur in Luna deficiente appareat? *t.* 1. *pag.* 609. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 408. *col.* 2.
Candor, ſive lux ſecundaria in Luna unde proveniat, *tom.* 2. *pag.* 407. & *ſeqq.*
Caniculares dies balneis, & thermis uſurpandis inopportuni, *tom.* 5. *pag.* 283. *col.* 2.
Canis fidiſſimi pietas, & benevolentia ſingularis, *tom.* 5. *pag.* 235. *col.* 1.
Canis inſequens leporem cum perveniſſet ad trivium, & olfactu deprehendiſſet nullam ex duabus viis leporem ingreſſum, tertiam ſine olfactu capeſſit, *tom.* 2. *pag.* 350. *col.* 1.
Canis latratum attemperabat ad ſonum litui. *tom.* 3. *pag.* 279. *col.* 2.
Canis peperit Suculam, *tom.* 1. *pag.* 336. *col.* 2.
Canitiei quæ cauſa ſit? *tom.* 2. *pag.* 525. *col.* 2. & *p.* 526.
Canities in ſenectute cur efficiatur? *tom* 2. *pag.* 435. *col.* 1.
Canius ludens mortem expectavit, *tom.* 2. *pag.* 596. *col.* 2.
Cantum aliarum avium paſſer didicit, *tom.* 2. *pag.* 458. *col.* 2.
Cantus, ſeu modulatio quid ſit? *tom.* 5. *pag.* 575. *c.* 1.
Canus totus una nocte quis factus eſt, *tom.* 2. *p.* 435. *col.* 2. & *pag.* 524. *col.* 2.
Capilli cur præ ſenio caneſcant, *tom.* 2. *pag.* 435. *col.* 2.
Capilli, & ungues decidunt, epota aqua cujuſdam lacus, *tom.* 2. *pag.* 31. *col.* 2.
Capillorum Peireskij denſitas, & rigiditas, *tom.* 5. *pag.* 245. *col.* 2.
Capite terram ſuſtinet inter cornua animal, *tom.* 2. *pag.* 9. *col.* 2.
Capræ nigræ, & primi partus lac eſſe cognovit Democritus, *tom.* 3. *pag.* 189. *col.* 1. *pag.* 420. *col.* 1.
Capræ pingueſcunt cicuta, *tom.* 2. *pag.* 428. *col.* 2. & *pag.* 489. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.
Caput ingens pauper habebat, & egregie ratiocinabatur, *tom.* 2. *pag.* 250. *col.* 2.
Caracalla ejecit Peripateticos, *tom.* 3. *pag.* 109. *col.* 1.
Carcere quot eximii viri detenti ſint, *tom.* 2. *pag.* 678. *col.* 2.
Καρκῖνον vocem apud Empiricum deceptus Interpres accepit pro cancro, non pro circino, *t.* 1. *p.* 298. *c.* 1.
Cardani extaſis voluntaria, *tom.* 5. *pag.* 219. *col.* 1.
Carnea moles ex utero extracta poſt ſex dies, ſi in aqua mergatur, apparent omnia membra, *tom.* 2. *pag.* 142. *col.* 2.
a Carnibus abſtinentia ſanitatem reſtituit, *t.* 2. *p.* 643. *col.*
Carnibus ad veſcendum homo a natura ineptus eſt, *tom.* 2. *pag.* 261. *col.* 2.
Carnium abſtinentia recuperatur ſanitas, *tom.* 5. *p.* 70. *col.* 2.
Caroli VIII. miles licet eſſet abſtemius, tamen febre laborans vino delectabatur, *tom.* 3. *pag.* 183. *col.* 2.
Carolus Cluſius, & Scaliger podagrâ tentati, *tom.* 5. *pag.* 231. *col.* 1. & 2.
Carolus Neovilla, *tom.* 5. *pag.* 228. *col.* 1.
Carolus Secundus, Rex Siculus, & Provinciæ Comes quâ veneratione habitus? *tom.* 3. *pag.* 261. *col.* 2. Ludovicus filius in Sanctorum Catalogum relatus, ſuperſtite adhuc Carolo Patre, *ibid.*
Carteſii opinio de fragminulis, *tom.* 1. *pag.* 226. *col.* 2.
Caſei pulvis conſtat ex animalculis, *tom.* 2. *pag.* 403. *col.* 2. *pag.* 492. *col.* 1.
Caſeum magnum eſſe Inſulam quandam dixit Lucianus, *tom.* 1. *pag.* 438. *col.* 2.
Caſpium mare exiſtimavit Alexander eſſe Pontum Euxinum, *tom.* 4. *pag.* 574. *col.* 1. 2.
Caſpium mare cur nullum æſtum patiatur? *t.* 3. *p.* 482. *col.* 2.
Caſſides duæ, altera e Samnitum finibus miſſa, altera ad Thraſymenum lacum reperta, *tom.* 5. *pag.* 279. *col.* 2.
Caſtitatem ſervant belluæ magis, quam homines, *tom.* 2. *pag.* 682. *col.* 1.
ad Caſtitatem ſervandam quæ conducant, *t.* 2. *p.* 683. *col.* 1. 2.
Caſtrati. *Vide* Eunuchi.
Caſu quæ evenire dicuntur, ideſt reſpectu noſtri, ſecus eſt quoad Deum, *tom.* 2. *pag.* 185. *col.* 1.
Categoriarum nulla an Deo conveniat, *tom.* 3. *p.* 156. *col.* 2.
Categoriarum occaſione jocus Demonactis in Herminum peripateticum, *tom.* 3. *pag.* 153. *col.* 1.
Categoriæ decem inepte conſtituuntur, *tom.* 3. *p.* 155. *col.* 2.
Catholica medicina. *Vide* Lapis philoſophicus.
Cauda eſt inſtrumentum, quo piſces natant, *tom.* 2. *pag.* 474. *col.* 2.
Caudam habent quidam Indiæ homines, *t.* 2. *p.* 453. *col.* 1.
Caudex quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 2.
Caule comedendo, quidam ægrotus convaluit, *tom.* 2. *pag.* 508. *col.* 1.
Caulis quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 2.
Cauſa cur mares potius, quam feminæ naſcantur, aut econtra? *tom.* 2. *pag.* 144. *col.* 2.
Cauſa prima datur, *tom.* 1. *pag.* 252. *col.* 1.
Cauſa, quæ producit calores, & flammas ſub terra, *tom.* 2. *pag.* 38. & *ſeqq.*
Cauſam ignorantes Peripatetici ad Deum confugiunt, *tom.* 3. *pag.* 133. *col.* 2.
Cauſiani naſcentes lugebant, gratulabantur vero morientibus, *tom.* 3. *pag.* 592. *col.* 2.
Cauſtico membranam perforavit Medicus, & auditum reſtituit, *tom.* 2. *pag.* 317. *col.* 1.
Cæde heri vindicata, ſervus cohiberi non potuit, ne lætitiam ſignificaret, *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2.
Cædem etiam involuntariam cur leges puniant? *tom.* 3. *pag.* 83. *col.* 1.
Cedendum non eſt in diſputando, ſed potius quidlibet effutiendum eſt, juxta Ariſtotelem, *tom.* 3. *pag.* 229. *col.* 2.
Cædes permiſſæ, &c.
Celſus Cittadinus, *tom.* 5. *pag.* 216. *col.* 2.
Cepæ cur lacrymas cieant? *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 2.
Centaurus allatus eſt ad Claudium Imperatorem, *t.* 2. *pag.* 250. *col.* 1.
Centies Seſtertiorum valuit unio detrita a Cleopatra, in cena Antonii hauſta, *tom.* 5. *pag.* 482. *col.* 1.
Centrum terræ partes ipſius petunt, non univerſi, *tom.* 3. *pag.* 132. *col.* 1.
Cerebri temperies quæ exigatur, ut quis excellat animi dotibus? *tom.* 2. *pag.* 406. *col.* 2.

Cere-

Digitized by Google

Cerebrum per ſenſus contrahit plicas, & hoc pacto ſenſio fit, & memoria, quod plicæ durant, *tom.* 2. *pag.* 353. *& ſeqq. & tom.* 3. *pag.* 432. *col.* 2.
Cerebrum eſt ſedes animæ rationalis, *tom.* 2. *pag.* 388. *col.* 2.
Cerebrum eſt ſenſuum ſedes, *tom.* 2. *pag.* 189. *col.* 2.
Cerebrum etiam habet ſyſtolen, & diaſtolen, *tom.* 2 *pag.* 283. *col.* 2.
Cerebrum verſus motum habent partes Terræ, non ipſa Terra, *tom.* 3. *pag.* 461. *col.* 1.
Certamen ſingulare committentium cecitas, *tom.* 2. *pag.* 686. *col.* 2.
Cervi e cornu hederam natam traditur, *t.* 2. *p.* 250. *col.* 2.
Cervi ferrum infixum dictamo expellunt, *t.* 2. *p.* *& pag.* 225. *col.* 2.
Cervi in corde cicatrices repertæ, *tom.* 2. *p.* 291. *c.* 2.
Cervus Alexandri captus eſt poſt centum annos, *tom.* 2. *pag.* 531 *col.* 2. *pag.* 532. *col.* 1.
Cæſar Noſtradamus provincialis hiſtoriæ auctor, *tom.* 3. *pag.* 204. *col.* 2.
Chalcanthinum. *Vide* Oleum vitrioli.
Chamæleon lingua muſcas diſtantes capit, *t.* 2. *p.* 394. *col.* 1. *& tom.* 2. *pag.* 452. *col.* 1.
Chamæleontem non ex aëre, ſed vermiculis, qui ex farinaceis mactris colliguntur, vivere, *t.* 3. *p.* 286, *col.* 1.
Chamæleontes unico inteſtino donantur, & cujus generis fæces egeant? *ibid.*
Chamæleonti quæ ſit Hepatis, Pulmonis, & imi ventris conſtitutio? *ibid.*
Chamæleonti dentes ſont eleganter diſpoſiti, *ibid.*
Characteres majores, & obſcuriores dextro oculo videbat Gaſſendus, quam ſiniſtro, *tom.* 2. *pag.* 342. *col.* 1.
Characteres planetarum unde deducti? *tom.* 3. *p.* 283. *col.* 2.
Chartæ plicis aſſimilatur memoria, *tom.* 2. *pag.* 353. *& ſeqq. tom.* 3. *pag.* 432. *col.* 2.
Chilenſi in provincia Americæ vermes geniti ex foliis arboris in ſerpentes formantur, *tom.* 2. *p.* 146. *col.* 1.
Chiromantia merum ſomnium eſt, *tom.* 2. *pag.* 440. *col.* 2.
Chirurgia quomodo exercere operationes debeat, *t.* 2. *pag.* 509. *col.* 1.
Cholcodem formarum datricem fecit Avicennas, *t.* 2. *pag.* 236. *col.* 2.
Chorda uniſona reſpondet chordæ ſonanti, *t.* 2. *p.* 293. *col.* 2. *& tom.* 2. *pag.* 396. *col.* 1.
Chriſtiano non eſt ferendum ſibi affingi hæreſin, *tom.* 3. *pag.* 190.
Chriſtianus Severinus Longomontanus Tychonis Brahei adiutor, *tom.* 5. *pag.* 242. *col.* 2.
Chriſtophorus Rothmannus Haſſiæ Land-gravii Mathematicus Aulicus, *tom.* 5 *pag.* 362. *col.*
Chriſtophorus Scheinerus Societatis Jeſu mathematicus, *tom.* 5. *pag.* 263. *col.* 2. Septem Soles die vigeſima quarta Januarii Romæ ſimul conſpicuos obſervavit, *ibid.*
Chryſippi Dialectica uſuri Dei dicebantur, *t.* 2. *p.* 17. *col.* 1.
Chryſippus, & Galenus Epicuri caſtimoniam prædicant, *tom.* 5. *pag.* 188. *col.* 2.
Chymia quando ortum habuerit, *tom.* 1. *p.* 214. *c.* 2.
Chymici multi enumerantur, *tom.* 1. *pag.* 216. 217.
Chymicorum principia rerum quæ, & quot ſint, *tom.* 1. *pag.* 215. *col.* 2.
Chymicorum principia quomodo efficiant temperamentum, *tom.* 2. *pag.* 486. *col.* 2. *& pag. ſeqq.*
Cæſar Velius antiquarius eximius, *t.* 5. *p.* 216. *c.* 2.
Cibis vetitis aliqui convaluerunt, *tom.* 2. *p.* 508. *c.* 1.
Cibo, & potu qui abſtinuerint? *tom.* 2. *pag.* 542. *col.* 1. 2.
Cibos inſipidiores ſaliva condit, *tom.* 2. *pag.* 311. *col.* 1.
Cibum ſumere ſine Amico leonis vita eſt, *t.* 2. *p.* 87. *col.* 1.
Cibum ſumunt belluæ temperantius, quam homines; *tom.* 2. *pag.* 682. *col.* 2.
Cibum ut diutius guſtaret quidam, collum Gruis deſiderabat, *tom.* 2. *pag.* 585. *col.* 2.
Cicada qua parte canat, *tom.* 2. *pag.* 185. *col.* 1.
Cicadæ ſtrepitum edunt membrana, *tom.* 2. *pag.* 436. *col.* 1.
Cicatricem abducit pulvis vitrioli etiam, *t.* 2. *p.* 74. *col.* 1.
Cicatrices in corde hominis, & cervi repertæ, *tom.* 1. *pag.* 191. *col.* 2.
Ciceronem nimis affectatorem riſûs dicit Quintilianus, *tom.* 2. *pag.* 689. *col.* 1.
Ciceronis dictum: *Domino domum, non domo dominum* honeſtandum, *tom.* 2. *pag.* 689. *col.* 2.
Cicuta pingueſcunt capræ, & coturnices, *t.* 2. *p.* 488. *col.* 2. *& pag.* 489. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.
Cicutam impune ſumebat anus quædam, *t.* 4. *p.* 180. *col.* 2.
Cimeliarchium Bonifacii Borillii ſpectatiſſimum, *tom.* 5. *pag.* 254. *col.* 1.
Cimeliarchium ſingulare Patriarchæ Aquilejenſis, *tom.* 5. *pag.* 216. *col.* 1.
Cimelii cujuſdam pretioſi interpretationes pereruditæ variæ, *tom.* 5. *pag.* 551. *col.* 1. *&* 2.
e Cineribus erumpens genitale, Servium Tullum genuit, *tom.* 2. *pag.* 137. *col.* 2.
Cipſeli non carent pedibus, *tom.* 2. *pag.* 468. *col.* 2.
Circinum ſignificat vox κυρκίν apud Empiricum, licet interpres vertent Cancrum, *tom.* 1. *p.* 208. *c.* 1.
Circulatio ſanguinis an detur, & quomodo fiat, *tom.* 2. *pag.* 270. *& ſeqq. & tom.* 3. *pag.* 229. *col.* 1.
Circuli inæquales ſi eodem motu ferantur, cur lineas æquales deſcribant, *tom.* 2. *pag.* 300. *col.* 2.
de Circulo lacteo ſententiæ variæ, *t.* 2. *p.* 443. *& ſeqq.*
Circumferentia major ſi eodem motu feratur ac minor, quare lineam æqualem tamen deſcribat? *tom.* 1. *pag.* 300. *col.* 2.
Cirros, quibus a ramis arborum quieſcant, an habeant paradiſi aves, non pedes, *tom.* 2. *pag.* 468. *col.* 1.
Civitates quomodo regendæ ſint? *tom.* 2. *pag.* 664. *c.* 2. *& pag. ſeqq.*
Civium concordia quomodo ſervari poſſit, facto declaravit Heraclitus, *tom.* 5. *pag.* 43. *col.* 1.
Cyaneus color an ſit Cœli, *tom.* 1. *pag.* 442. *& ſeqq.*
in Cyatho prono immerſo cur aqua aſcendat ſupra planitiem reliquæ, ſi attollas cyathum, *tom.* 3. *p.* 434. *col.* 1.
Cyclopis inſtar monoculus natus eſt, *tom.* 2. *p.* 250. *col.* 2.
Cyclus Decemnovennalis, ſeu numerus Aureus in Calendarium introductus, *tom.* 5. *pag.* 500. 520. 521.
Cymas quas vocent, *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 1. *verſ.* 44.
Cyneæ dictum Pyrrho bellum meditanti contra Romanos, *tom.* 2. *pag.* 672. *col.* 1.
Cynocephalus, cui crura anteriora obtruncata fuerant, licèt ſanatus, ſemper bipes inceſſit, *tom.* 2. *pag.* 469. *col.* 1.
Cypri in fornacibus naſcitur pyrauſtes, *tom.* 2. *p.* 185. *col.* 2. *& pag.* 218. *col.* 1.
Cyrones ex quo naſcantur? *tom.* 2. *pag.* 229. *col.* 2.
Cladem Bruto an prædixerit Genius? *tom.* 2. *p.* 754. *col.* 2. *& pag.* 755.
Clakies aves non naſcuntur ex ſemine, *tom.* 2. *p.* 226. *col.* 1.
Cleantes philoſophus dies in hortis, noctes in ſtudiis tranſigebat, *tom.* 6. *pag.* 46. *col.* 1.
Clementia in quo differat a manſuetudine, *tom.* 2. *pag.* 438. *col.* 2.
Clementia qualis ſit virtus, *tom.* 2. *pag.* 684. *& p.* 687. *col.* 1.
Cleobis matrem in curru traxit, *tom.* 2. *pag.* 725. *col.* 1. 2.
Cleon Daulius numquam ſomniavit, *tom.* 3. *pag.* 280. *col.* 2.
Clepſydræ aqua cur non effluat e foraminibus inferioribus, occluſo foramine ſuperiore? *t.* 3. *p.* 433. *col.* 2.
Climatericorum annorum vanitas, *tom.* 2. *pag.* 544. *col.* 1. *& pag. ſeqq.*
Clotarius coronâ gemmâ redimitus, *tom.* 3. *pag.* 229. *col.* 1.
Cluſii obitus quando, & ex quo morbo? *tom.* 5. *pag.* 236. *col.* 2.
Clyſterem ſibi adhibet Ibis, *tom.* 2. *pag.* 307. *col.* 2.

Cancer-

Digitized by Google

Coacervatum. *Vide* Vacuum.
ſine Coitu naſcuntur vultures, tom. 3. pag. 374. col. 2.
Cœleſtia corpora. *Vide* Globi cœleſtes.
Cœleſtia ſpatia fluida eſſe, non ſolida, ibid.
Cœli an ſit cyaneus color? tom. 1. pag. 442. & ſeqq.
Cœlum an ſit ſolidum, & ejuſdem ſubſtantiæ, ac ſydera? tom. 1. pag. 435. & ſeqq.
Cœleſtium obſervationum præſtantia, tom. 6. pag. 26. col. 2.
Collum Gruis deſiderabat quidam, ut diutius guſtaret cibum, tom. 2. pag. 635. col. 2.
Color croceus in Aurora, aut crepuſculo cur fiat, tom. 3. pag. 399. col. 2.
Color quid ſit, tom. 1. pag. 379. & ſeqq. tom. 3. pag. 429. & ſeqq.
Color dubium unde proveniat, & quid ſignificet, tom. 2. pag. 64. col. 1.
Color cyaneus an ſit Cœli, tom. 1. pag. 441. & ſeqq.
Colores in priſmate Vitreo, & Iride quomodo pingantur, tom. 1. pag. 382. col. 1. 2. tom. 3. pag. 430. col. 2.
Colores varios cur induat Luna in Eclipſi, tom. 1.
Colotes Lampſacenus, tom. 5. pag. 230. col. 2. pag. 604. col. 2. & tom. 3. pag. 408. col. 2.
Columnæ Roſtratæ Inſcriptio, tom. 5. pag. 278. col. 2.
Columnæ Trajana, & Antoniana, tom. 5. pag. 227. col. 2.
Comburi vovit Eudoxus, ſi ad ſolem aſtare licuiſſet, tom. 2. pag. 621. col. 2.
Comburuntur, &c. *Vide* Cremantur.
Comœdias centum & octo ex Menandro verterat Terentius, quas cum amiſiſſet interiit, tom. 2. p. 425. col. 1.
Cometa an in ætherea, an in elementari regione fuerit? tom. 5. pag. 353. col. 2.
Cometa ſub finem Anni 1618. editus, ibid.
Cometam æthereum eſſe corpus quot rationibus comprobetur? ibid. & pag. 355. col. 2.
Cometarum productionem eſſe ſupernaturalem, & metaphyſicam Tycho Braheus exiſtimavit, tom. 5. pag. 365. col. 2.
Cometas eſſe corpora perpetua defendendum ſuſcepit Gaſſendus, tom. 6. pag. 4. col. 2.
Cometas infra Lunam poſuerunt Taddæus Hagecius, Bartholomæus Scultetus, Andreas Nolthius, & Nicolaus Winckierus, tom. 5. pag. 365. col. 1.
Cometas ſupra Lunam conſtituerunt Haſſiæ Land-gravius, Michael Mæſtlinus, Cornelius Gemma, & Heliſæus Roeſlinus, tom. 5. pag. 364. col. 1.
Cometæ cujuſdam a Tychone Braheo obſervati accuratiſſima hiſtoria, tom. 5. pag. 352. 353. 354.
Cometæ omnes ſupra Lunam ſunt ex Tychone, tom. 5. pag. 363. col. 2. & pag. 365. col. 2.
Cometæ novi apparitio, & hiſtoria, tom. 5. pag. 249. col. 1. & 2.
Communis ſenſus. *Vide* Senſus communis.
Comparatio Ariſtotelis cum ſepia atramentum effundente, tom. 3. pag. 115. col. 1.
Concava, & convexa ſpecula quomodo creſcere, aut decreſcere faciant res objectas? tom. 1. pag. 387. c. 2. & tom. 2. pag. 333. col. 1. tom. 3. pag. 401. col. 2. & pag. 492. col. 1. pag. 412. col. 1. quomodo reflexionem, & refractionem efficiant? tom. 2. p. 376. tom. 3. pag. 405. col. 2. & pag. 402. col. 1.
Concepiſſe ſe dixit femina ex ſemine, quod vir in balneum effuderat, tom. 2. pag. 237. col. 1. 2.
Concha anatifera mituli inſtar conformata; tom. 5. pag. 227. col. 2.
Conchylia, plantæ, & lapides innumeri a Peireskio obſervati, tom. 5. pag. 235. col. 1. & 2.
Concilium Tridentinum panis, & vini ſpecies vocat, non accidentia, tom. 3. pag. 153. col. 1. & 2.
Concordia Civium quomodo conſtare poſſit, quo facto declaravit Heraclitus, tom. 5. pag. 43. col. 2.
ex Concubitu mulieris cum Tritone natum Merovæum fabulantur hiſtoriæ, tom. 2. pag. 426. col. 2.
Conditio rerum humanarum quæ? tom. 5. pag. 397. col. 2.
Condiuntur cibi inſipientiores ſaliva, tom. 2. pag. 325. col. 1.
Congii duodecima pars eſt hemina, tom. 5. pag. 43. col. 2.
Congii, & amphoræ capacitas, tom. 5. pag. 538. col. 1.
Conjectores deridendi ſunt, tom. 2. pag. 753. & ſeqq.
Conjunctio Lunæ cum Ariſta, Diniæ obſervata, tom. 6. pag. 7. col. 2.
Conſonantes plures ſunt, quam vulgo habeantur, tom. 1. pag. 458. col. 2.
Conſtantia Metrodori adverſus morbos, & mortem, tom. 3. pag. 70. col. 1.
Conſtitutiones Græcorum Imperatorum, t. 1. p. 220. col. 1.
Conſtructiones magnæ. *Vide* Almageſti.
Contentus parvo ditiſſimus eſt, tom. 3. pag. 74. col. 1.
Continentia qualis virtus ſit, tom. 2. pag. 635. & ſeqq.
Contingentium futurorum notitiam habere Deum negat Ariſtoteles, tom. 3. pag. 129. col. 1.
Continui ſolutione generatus dolor, tom. 2. pag. 426. col. 2. & tom. 3. pag. 372. col. 1.
Continuum an dividi poſſit in infinitum, t. 1. p. 229. col. 2.
Contradictoria an Deus facere poſſit? tom. 1. pag. 370. col. 2.
Contradictoria multa tradit Ariſtoteles, t. 3. p. 134. col. 1.
Convexa, aut concava ſpecula, & quomodo creſcant, aut decreſcant objecta, tom. 1. pag. 337. col. 2. & tom. 2. pag. 333. col. 2. tom. 3. pag. 41. col. 2. & pag. 402. col. 2. pag. 415. col. 2. quomodo reflexio, & refractio fiat, tom. 2. pag. 376. col. 2. & pag. 402. col. 1.
Copernicanam Galilæi ſententiam quanta cum animi voluptate fuerit amplexatus Gaſſendus? epiſt. tom. 6. pag. 4. col. 2.
Copernicani Syſtematis ſchema, & expoſitio, tom. 5. pag. 445. col. 1. & 2.
Coralli Planta humano cranio adnata, t. 5. p. 225. col. 2. & pag. 357. col. 2.
Coralli expiſcatio, ibid. & pag. 257. col. 1. & 2.
Corallium adnatum humano cranio Piſis aſſervatur, tom. 2. pag. 150. col. 2.
Cor duplex habent perdices paphlagonii, & lupi, quos cervarios vocant, tom. 3. pag. 174. col. 2.
in Corde militis, & cervi cicatrices repertæ, tom. 2. pag. 191.
Cordis pulſatio quomodo fiat, tom. 2. pag. 269. col. 2.
ex Cornibus Arietis aſparagos naſci proditum eſt, tom. 1. pag. 150. col. 2. Cervi hederam, ibid.
Corniculum in fronte quidam habebat, tom. 1. p. 449. col. 2.
Cornua movent boves Phrygiæ, & Æthiopiæ, & Eale, tom. 2. pag. 450. col. 2.
inter Cornua terram conſtitutam ſuſtinet animal, tom. 2. pag. 9. col. 2.
Corpora cœleſtia. *Vide* Globi cœleſtes.
Corpora diaphana. *Vide* Diaphanum.
Corpora glorioſa poſt reſurrectionem eadem membra omnia habebunt, ſed non in hos uſus, t. 1. p. 361. col. 2.
Corporea eſt cauſa ſecunda actionum, tom. 1. pag. 292. col. 1.
Corporei non ſunt Angeli, tom. 1. pag. 393. col. 2.
Corpore relicto anima Hermotimi errabat, tom. 2. pag. 576. col. 2.
Corpore toto majus guttur apparet gallorum, qui voratis betulæ baccis, ſub nivibus ſe condunt, tom. 2. pag. 480. col. 2.
Corpori conjuncta Phyſici conſiderant puncta lineas, & ſuperficies, Geometræ in abſtracto, tom. 1. pag. 335. col. 1.
Corpori immerſa Anima rationalis indiget ratiociniis, ſecus a corpore ſeparata, tom. 2. pag. 397. col. 2.
Corpori quæ temperies requiratur, ut quis excellat animi dotibus, tom. 2. pag. 406. col. 2.
Corporis nullum fere membrum quidam movebat, tom. 2. pag. 162. col. 2.
Corporis pars illa, quæ eſt poſt ligaturam nervi motum amittit, tom. 1. pag. 523. col. 2.
Corporis truncus quomodo moveatur homine incedente, tom. 3. pag. 438. col. 2.
Corporum penetratio quare non detur, t. 1. p. 335. c. 1.

b Corpo-

Corporum mollities, duritiei, flaxibilitas, tractilitas, ductilitas quid ſit, *tom.* 2. *pag.* 355. *col.* 2. & *p. ſeqq.*
Corpus, *Vide* Ventrem cur ſolvat, &c.
Corpus, cui inſiſtimus, ſi transferatur, motus noſtri, & rerum a nobis motarum perinde fiunt, ac ſi illud quieſceret, *tom.* 3. *pag.* 436. & *ſeqq.*
Corpus eſſe animam aliqui Sancti Patres dixerunt, *tom.* 3. *pag.* 369. *col.* 2.
Corpus eſt anima ſenſitiva, *tom.* 2. *pag.* 286. *col.* 2.
Corpus ſui generis eſſe Deum exiſtimavit Tertullianus, *tom.* 2. *pag.* 262. *col.* 2.
Corpus totum flexibile habebat mulier, *t.* 2. *p.* 462. *col.* 2.
Corpuſcula aluminis octahedrica, ſalis quadrata, *tom.* 3. *pag.* 400. *col.* 2.
Corpuſcula ſenſus afficientia quam ſint exigua, *tom.* 5. *pag.* 391. 392.
Corruptio an fiat interitu alicujus ſubſtantiæ, an vero alicujus qualitatis? *tom.* 1. *pag.* 417. & *ſeqq.*
Coturnices pingueſcunt cicuta, *tom.* 2. *pag.* 488. *col.* 2. & *pag.* 489. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.
Cranio humano adnatum corallium Piſis aſſervatur, *tom.* 2. *pag.* 150. *col.* 2.
Craſſior aër cur pulmonicis proſit? *tom.* 2. *pag.* 281. *col.* 2.
Crates quomodo Metroclem, qui præ pudore emiſſi crepitus vitam finiturus erat, diſſuaſerit, *tom.* 1. *pag.* 17. *col.* 2.
Cremantur alicubi tanquam venefici, qui ligatis manibus, pedibuſque in aquam non demerguntur, *tom.* 2. *pag.* 476. *col.* 1.
Crepitum ventris cum emiſiſſet, Metrocles vitam finiturus erat, *tom.* 1. *pag.* 17. *col.* 2.
Crepuſculo exiſtente quum alii legere non poſſent, quidam oculis prominentibus legebat, *tom.* 2. *p.* 340. *col.* 1. & *tom.* 3. *pag.* 182. *col.* 2.
Crepuſculum cur croceum colorem efficiat? *tom.* 3. *pag.* 399. *col.* 2.
Crepuſculum quando incipiat, ac dèſinat, *tom.* 3. *pag.* 368. *col.* 2.
Creſcere cur deſinant animalia? *tom.* 2. *p.* 516. *c.* 1. 2. & *pag.* 517.
Criſes morborum quæ fiat, *tom.* 2. *pag.* 505. *col.* 2. & *pag. ſeqq.*
Criterium veritatis an ullum detur penes Philoſophos? *pag.* 129. *col.* 2.
Criticorum dierum cauſæ ignorantur, *tom.* 2. *p.* 501. *col.* 2. & *pag. ſeqq.*
Crocodili dentium numerus, ordo, & diſpoſitio, *tom.* 5. *pag.* 283. 284.
Croceus color in crepuſculo cur fiat? *tom.* 3. *pag.* 399. *col.* 2.
Crura anteriora cynocephalo quum obtruncata fuiſſent, is licet ſanatus ſemper bipes inceſſit, *tom.* 3. *pag.* 459. *col.* 1.
Crura flectit elephas, *tom.* 2. *pag.* 469. *col.* 2.
Crucirosei Fratres qui ſint, *tom.* 2. *pag.* 142. *col.* 2.
Crus ſibi reſectum eſſe mulier non cognovit per plures menſes, *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 1.
in Cryſtallino humore an fiat viſus? *tom.* 3. *pag.* 389. & *ſeqq.*
Cryſtallinum figuræ eſſe in variis animalibus variæ. *tom.* 5. *pag.* 275. *col.* 2. In pluribus animalibus lenticularem, in piſcibus globoſum deprehendi, *ibid.*
Cryſtallinum humorem non in omnibus animalibus agglutinatum deprehendi, *tom.* 5. *pag.* 275. *col.* 1. non in omnibus cum ciliari circuitu cohærere, *ibid.* In piſcibus vitreo innatare, *ibid.* In Thynnis ſuſtentari ſolum duabus anſulis, *ibid.*
Cryſtallus, Adamas, Amethyſtus, ſimileſque lapides quomodo gignantur, *tom.* 3. *pag.* 255. *col.* 2.
Cryſtallus quare figuræ oblongæ, hexahedricæ? *ibid.*
Cymas quas vocent, *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 1.
Cubica ſunt corpuſcula ſalis, *tom.* 3. *pag.* 400. *col.* 2.
in Cubiculo exiſtente face videntur homines, ſecus in campo, *tom.* 3. *pag.* 405. *col.* 2.
in Cubiculo perfecte occluſo ignis non ardet, *tom.* 3. *pag.* 462. *col.* 2.
Cuivis bona paranti conſtitutum eſſe debet, ſe illa non ſibi magis parare, quam furibus, *tom.* 5. *pag.* 390. *col.* 1.
Culices curare indignum eſt majeſtate Dei, *tom.* 1. *pag.* 58. *col.* 1.
Culices naſcuntur ax fructibus arborum, *t.* 2. *p.* 146. *col.* 1.
Culmum hordeaceum prodiiſſe cum urina proditur, *tom.* 2. *pag.* 150. *col.* 2.
Culmus quid ſit, *tom.* 2. *pag.* 137. *col.* 2. *verſ.* 62.
Cuniculi ſimiles terræmotibus, *tom.* 2. *pag.* 43. *col.* 2.
Cupiditas quid ſit, *tom.* 2. *pag.* 429. & *ſeqq.*
Cura bonæ famæ quatenus habenda ſit, *tom.* 3. *pag.* 73. *col.* 1.
Curam gerere animalculorum indignum eſt majeſtate Dei, *tom.* 1. *pag.* 293. *col.* 2.
Cur intra cryſtallum, & lapides alios tranſparentes ſæpe obſerventur paleæ, muſcæ, & id genus ſimilia? *tom.* 5. *pag.* 266. *col.* 2.
Cur res bene multæ calidiores non luceant? *tom.* 5. *pag.* 224. *col.* 1.
in Curru matrem traxerunt duo fratres, *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 1. 2.
Currus Schevelingæ velociſſimus, *t.* 5. *pag.* 231. *col.* 2.
Cutis animalium induratur ab aëre, *t.* 3. *p.* 74. *col.* 1.
Cutis teneritudo Peireskio importuna, *tom.* 5. *p.* 257. *col.* 2.

D

DAllens eximius, *tom.* 6. *pag.* 593. *col.* 2.
in Dania nulla obſervatur Comitum, Marchionum, Ducumque diſtinctio, *tom.* 5. *pag.* 337. *col.* 2.
Danicæ res ſemper turbatæ, *tom.* 6. *pag.* 593. *col.* 2.
Daniel Heinſius a Scaligero commendatus, *tom.* 5. *pag.* 251. *col.* 2.
Danubium ex Pyrenæis oriri tradit Ariſtoteles, *tom.* 2. *pag.* 25. *col.* 2. & *pag.* 52. *col.* 2.
Dare beneficium jucundius eſt, quam accipere, *tom.* 3. *pag.* 86. *col.* 1.
Darius pecuniæ avidus deluſus eſt inſcriptione ſepulcrali, *tom.* 2. *pag.* 729. *col.* 2. & *pag.* 730. *col.* 1.
Debiles cur magis iraſcantur, *tom.* 2. *pag.* 438. *col.* 1.
December in Tutela Veſtæ, *tom.* 5. *pag.* 505.
Declamare vituperando vitam, & laudibus extollendo mortem prohibitus eſt Hegeſias, quia multi perſuaſi mortem ſibi conſciſcebant, *tom.* 2. *pag.* 592. *col.* 1.
Declinationis motus atomorum, *tom.* 1. *pag.* 241. *col.* 2.
Declinationis motus Terræ quid ſit, *tom.* 3. *pag.* 465. *col.* 1.
Declivia in loca cur Aqua defluat? *tom.* 2. *p.* 55. *c.* 2. & *pag.* 16. *col.* 1.
Decreſcere cur incipiant animalia, *tom.* 2. *pag.* 516. *col.* 1. 2. & *pag.* 517.
Decreto publico ſancitum eſt, ne molus ab incerniculis arceretur, *tom.* 2. *pag.* 531. *col.* 2.
Decretoriorum dierum, &c. *Vide* Criticorum dierum,
De Centro, verſus quod tendunt gravia, & de magnetiſmo Telluris, *tom.* 3. *pag.* 499. *col.* 2.
De Cochlearis, & Cyathi menſura juxta auctores, *tom.* 5. *pag.* 271. *col.* 1. & 2.
De Conſequutionibus ex Terra Planetis interſita ductis, deque ignorata Copernicanæ opinionis improbatione, *tom.* 3. *pag.* 580. *col.* 2.
Definiri an Deus poſſit, *tom.* 3. *pag.* 138. *col.* 1.
Definitio platonica quæ ſit? *tom.* 6. *pag.* 185. *col.* 1.
Definitum ab Eccleſia quieſcere Terram, *pag.* 490. *col.* 2. *tom.* 3.
Deformitas felicitati impedimento eſt juxta Ariſtotelem, *tom.* 3. *pag.* 134. *col.* 2.
Defunctos ſe putans aliqui ſenſuros moleſtiam ex privatione voluptatis, *t* 3. *p.* 75. *col.* 2. & *p.* 77. *col.* 2. *col.* 2.
Dejectio excrementorum tam per inteſtina, quam per Veſicam quomodo fiat, *tom.* 2. *pag.* 449. *col.* 2. & *pag.* 452. *col.* 2.
Dei majeſtate indignum eſt curare pulices, & alia animalcula, *tom.* 1. *pag.* 285. *col.* 1.
Dei Optimi maximi Verbum efficax eſt, *t.* 6. *p.* 592. *col.* 2.

Dei perfectiones, *tom.* 1. *pag.* 265. *col.* 2.
Dei reſpectu nihil caſu evenit, *tom.* 1. *pag.* 285. *col.* 3.
Delicta ebriorum duplici pæna punienda, *tom.* 2. *pag.* 728. *col.* 1.
Delphini Galliarum ſolemne baptiſma, *t.* 5. *p.* 232. *c.* 2.
Demens depulſa medicamento amentia ſe occiſum querebatur, *tom.* 2. *pag.* 405. *col.* 2.
Demetrius, cum Mægaram cepit, juſſit, Philoſophi domum intactam ſervari, *tom.* 6. *pag.* 102. *col.* 2.
Demetrius Phalereus Peripateticus conſtavit bibliothecam Ptolemæi Philadelphi, *tom.* 3. *pag.* 154. *c.* 1.
Democrito nemo inter Philoſophos ſolertius, ac penitius naturam introſpexit, *tom.* 6. *pag.* 84. *col.* 1.
Democritus cognovit lac eſſe capræ nigræ, & primi partus, & puellam ſalutavit virginem, & poſtridie mulierem, cum conſtuprata fuiſſet, *t.* 3. *p.* 189. *col.* 1. *pag.* 424. *col.* 1.
Democritus luminibus captus, *tom.* 5. *pag.* 43. *col.* 1.
Democritus privatus erat oculis, *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 2.
Demonax jocatus eſt in Herminum peripateticum Categoriarum cauſa, *tom.* 3. *pag.* 153. *col.* 2.
Dæmones an poſſint ſemen humanum excipere, & inde emittere, & ſic generare, *tom.* 2. *pag.* 237. *c.* 2.
Demonſtrationes geometricas an admiſerint Sceptici, *tom.* 3. *pag.* 35. *col.* 2. & *p.* 352. *col.* 1.
Demophon rigebat ad Solem, in umbra æſtuabat, *t.* 3. *pag.* 180. *col.* 2.
Denſitas quid ſit, *tom.* 1. *pag.* 329. *col.* 2.
Dentes habebant quidam quum nati ſunt, *t.* 2. *p.* 256. *col.* 1. 2.
Dentes homini a natura conformati ſunt, ut veſcatur herbis, non carnibus, *tom.* 2. *pag.* 262. *col.* 1.
Dentes quibus ſenibus naſcuntur, *tom.* 2. *p.* 521. *c.* 1.
Dentibus quindecim annos caruit mulier, *t.* 2. *p.* 521. *c.* 2.
Denticutatio quid ſit, *tom.* 2. *p.* 138. *col.* 2.
Dentium Aquatilium conformatio quæ? *t.* 6. *p.* 20. *c.* 1.
Dentium loco Pruſiæ os continuum erupit, *tom.* 2. *p.* 520. *col.* 1.
Dentium plures ordines quidam habebant, *tom.* 2. *p.* 520. *col.* 1.
Deo obſequium præſtiturum ſe dixit aliquis, ſi proprio ſanguine confirmaſſet Ariſtotelem omnia vera dixiſſe, *t.* 3. *p.* 104. *c.* 2.
Deorum antiquiſſimus qua ratione Cœlus dictus fuerit? *t.* 5. *p.* 322.
Deorum manus quædam medicamenta dicebantur, *t.* 2. *p.* 509. *c.* 2.
Deos novos introducentes puniendi ſunt, *t.* 2. *p.* 669. *col.* 2.
Deos uſuros Chryſippi Dialectica dicebant, *t.* 1. *p.* 17. *c.* 2.
Deſcendentium gravium motus qua proportione acceleretur, *t.* 1. *p.* 308. *c.* 1. *t.* 2. *p.* 32. *c.* 2.
Vide Gravium, &c.
Deſperatio futuri vitanda, *t.* 2. *p.* 593. *c.* 1. & *ſeqq.*
Deſuetudine quare habitus minuatur, aut etiam amittatur, *tom.* 1. *p.* 340. *c.* 2.
ad Deum confugiunt Peripatetici ignorantes cauſam, *tom.* 3. *pag.* 133. *col.* 2.
Deum creaſſe omnia ſimul, & opera Dei manere in perpetuum, *pag.* 496. *col.* 2. *tom.* 3.
Deum dari probatur, *t.* 1. *p.* 252. *c.* 1.
Deum eſſe corpus ſui generis putat Tertullianus, *t.* 1. *p.* 262. *c.* 1. 2.
Deum habere notitiam futurorum contingentium negat Ariſtoteles, *t.* 3. *p.* 129. *c.* 1.
Deus an definiri poſſit, *t.* 3. *p.* 158. *c.* 1.
Deus cordium ſcrutator, *tom.* 6. *pag.* 195. *col.* 1.
Deus eſt unus, *t.* 1. *p.* 266. *c.* 1. eſt infinitus, *p.* 267. *c.* 2. omnipotens, *p.* 270. *c.* 1. contradictoria an facere poſſit, *c.* 2. eſt bonus, *p.* 271. *c.* 1. beatus, *c.* 2.
Deus an excludendus ſit ab omni categoria, *tom.* 3. *p.* 156. *c.* 2.
Deus ne iraſcatur, aut illum pæniteat, *t.* 2. *p.* 410.
Dialectica Chryſippi uſuros Deos dicebant, *t.* 1. *p.* 17. *col.* 2.
Dialectica quare a philoſopho repudianda ſit, *tom.* 3. *p.* 4. *col.* 2. inutilis, *tom.* 3. *p.* 139. *col.* 1. & *ſeqq.*
Dialecticam Stoicorum, non quacumque repudiavit Epicurus, *tom.* 5. *p.* 46. *col.* 1.
Dialogi, & Dialecticæ definitio ex Laërtio, *tom.* 6. *p.* 123. *col.* 1.
Diaphana non eſt glacies detrita, *tom.* 1. *p.* 385. *col.* 1.
Diaphanum ex quo efficiatur, *tom.* 1. *p.* 331. *col.* 1. 2.
Diaphanum non omnes radios tranſmittit, ſed quoſdam etiam reflectit, *tom.* 1. *p.* 332. *col.* 2. *p.* 333. *col.* 1. *p.* 375. *col.* 1. *tom.* 3. *p.* 40. & *p.* 402. *col.* 2.
Diaphanum, per quod viſio efficitur per Ariſtotelem quid ſit, *tom.* 3. *p.* 427. *col.* 2.
Diaphragma ſuo motu reſpirationem parit, *tom.* 2. *p.* 278. *col.* 1. 2.
Diaſtolen habet etiam cerebrum, *tom.* 2. *p.* 283. *col.* 2.
Dictamo ferrum expellunt Cervi, *tom.* 2. *pag.* 225. *col.* 2. & *p.* 488. *col.* 2.
Dictum Alexandri ſe Diogenem eſſe velle, *tom.* 1. *p.* 17. *col.* 1.
Dictum Biantis, & Stilponis ſe aſportare omnia ſua, *tom.* 2. *p.* 678. *col.* 1.
Dictum Biantis: *magiſtratus virum oſtendit*, *tom.* 2. *p.* 690. *col.*
Dictum Ciceronis: *non domo dominum, ſed domino honeſtandam domum*, *tom.* 2. *p.* 689. *col.* 2.
Dictum Cyneæ ad Pyrrhum meditantem bellum Romanis, *tom.* 2. *p.* 672. *col.* 1.
Dictum Diogenis ad dominum, *tom.* 2. *p.* 679. *col.* 1.
Dictum Philippi de expugnandis arcibus, in quas Aſellus auro onuſtus aſcendere poſſet, *tom.* 2. *p.* 675. *col.* 1.
Dictum, quod glorioſius ſit, quod requiratur, cur alicui ſtatua poſita non ſit, quam quod cur poſita ſit, *tom.* 2. *p.* 688. *col.* 1.
Die eodem Ariſteas mortuus erat in Proconneſo, & vivus in Sicilia, *tom.* 2. *p.* 577. *col.* 1.
Die exiſtente etiam ſtellæ conſpiciuntur ex puteo, *tom.* 3. *p.* 405. *col.* 2.
Die quadrageſimo Anſer, & altero bombyx poſt coitum ova pariunt, *tom.* 2. *p.* 242. *col.* 1.
Die ſexto ſi molecula carnis ex utero extracta aquæ infundatur, apparent omnia membra, *t.* 2. *p.* 242. *col.* 2.
Die uno vivunt quædam animalia, *t.* 2. *p.* 588. *col.* 2.
Diei nomine quid intelligatur? *ibid.*
ante Diem tertium Medici apud Ægyptios, ſi quid in ægrotis movebant, id periculo ſuo faciebant, *t.* 2. *p.* 506. *col.* 1.
Dies multos poſt mortem qui reſurrexiſſe feruntur, *tom.* 2. *p.* 577. *col.* 2.
Dies critici, ſeu decretorii qui ſint, *tom.* 2. *p.* 501. *col.* 2. & *p.* *ſeqq.*
Dies, *Faſtus*, & *Nefaſtus*, qui forent apud Romanos? *tom.* 5. *p.* 499. *col.* 1.
Dies in naturalem, & civilem diſtinguitur, *tom.* 5. *p.* 491. *col.* 2.
Dies maximus, quo homines e terra prodierunt initio mundi fuit decem menſium, *tom.* 2. *p.* 256. *col.* 1.
Diæta quomodo adhibenda, *tom.* 2. *p.* 508. *col.* 2.
Differentia intellectus a ſenſu, *tom.* 2. *p.* 401. & *ſeqq.*
Differentia inter alterationem, & generationem, & corruptionem, *tom.* 1. *p.* 40. & *ſeqq.*
Differentia manſuetudinis, & clementiæ, *tom.* 2. *p.* 438. *col.* 2.
Differri non debet ſtudium philoſophiæ, *t.* 3. *p.* 59. *c.* 1.
Digbæus Chymicus, *tom.* 1. *p.* 217. *col.* 1.
in Dignitate collocatos venerari debemus, *t.* 2. *p.* 716. *c.* 1.
Dignitati debitus honor negligendus non eſt ab eo, qui eam obtinet, *tom.* 2. *p.* 688. *col.* 1.
poſt Diluvium qui vixerint plus centum viginti annis, *tom.* 2. *pag.* 527. *col.* 2.
Dimenſiones omnes ſunt etiam in vacuo, *t.* 1. *p.* 163. & 169.
Dimidium magnitudinis, quam habituri ſunt, aſſequutus pueri quinquennes, *tom.* 2. *pag.* 517. *col.* 1.
Dinienſium thermatum virtus, & efficacia, *tom.* 5. *pag.* 233. *col.* 2.
Diodori argumentum, quo probabat non dari motum, *tom.* 1. *pag.* 301. *col.* 1.
Diodorus quum humerum luxatum haberet, quomodo deluſus ſit ab Herophilo Medico, *t.* 1. *p.* 301. *c.* 1.
Diodorus triſtitia non ſoluti ſophiſmatis interiit, *t.* 1. *tom.* 2. *pag.* 425. *col.* 1.

Diogenes eſſe voluiſſet, niſi fuiſſet Alexander, t. 5. pag. 17. col. 2.
Diogenes interrogatus, quid ſciret, reſpondit, viris imperare, tom. 2. pag. 679. col. 1.
Diogenes quomodo ſolverit argumenta, quibus probatur non dari motum, tom. 1. pag. 193. col. 2.
Dionyſii Exigui de celebrandi Paſchatis difficultate epiſtolæ reſponſivæ, tom. 5. pag. 509. col. 1.
Dionyſii, licet impiiſſimi mors tranquilla, tom. 5. pag. 185. col. 2.
Dionyſius Petavius celebratus, tom. 5. pag. 251. col. 2.
Diophantus a Claudio Gaſpare Bacheto Meziriaco editus, tom. 5. pag. 272. col. 2.
Diphthongi plures ſunt, quam ſolent haberi, tom. 2. pag. 459. col. 2.
Diſputantibus Ariſtoteles præceptum dat, ut ambigue loquantur, & quidquid potius effutiant, quam cedant, tom. 3. pag. 119. col. 2.
Diſſeminatum. Vide Vacuum.
Diſſimile an patiatur a diſſimili, vel a ſimili, tom. 1. pag. 321. col. 1.
in Diſtans actio non datur, tom. 1. pag. 320. col. 1. tom. 2. pag. 34. col. 2. pag. 35. col. 2.
Diſtantia etiam in vacuo habetur, tom. 1. pag. 163. & 169.
ex Diſtantia pulvis vitreoli ſanguinem ſiſtit, & vulnera ſanat, tom. 2. pag. 34. col. 1. ex diſtantia naphtha accenditur, pag. 35. col. 2. & pag. 36. col. 2.
Diſtantiam quomodo metiatur oculus per viſionem, tom. 3. pag. 426. col. 1.
Diſtichum, quo ſenſu quæque animalia ſuperent homines, tom. 2. pag. 308. col. 1. & t. 3. pag. 170. col. 1.
Ditiſſimus eſt contentus parvo, tom. 3. pag. 74. col. 1.
Divinatio an detur, tom. 2. pag. 746. & ſeqq.
Divinationis quodlibet genus qui contempſerint, t. 2. pag. 753. col. 2.
Diviſio continui in infinitum an detur, t. 5. p. 229. col. 2.
Divus Auguſtinus negabat Antipodas, tom. 2. pag. 12. col. 2.
Doctoralium Inſignium uſus a Græcis ad Latinos, & ad nos uſque deductus, tom. 5. pag. 225. col. 2.
Doctrinæ Ariſtotelicæ incertitudo, tom. 3. pag. 113. col. 2.
Doctus ſcit res omnes naturales, & hiſtorias, tom. 2. pag. 500. col. 1.
Doli hoſtibus permiſſi ſunt, tom. 2. pag. 671. col. 1. 2.
Dolor ex continui ſolutione efficitur, tom. 2. pag. 416. col. 2. & t. 3. p. 371. col. 1. quid ſit pag. 423. col. 1.
Dolore quidam interierunt, tom. 2. pag. 425. col. 1.
Dolorem intrepide tulit Metrodorus, tom. 3. pag. 79. col. 1.
Dolorem quiſque alii potius optat, quam ſibi, etiam cum pro alio dolorem ſubiit, tom. 2. pag. 428. col. 1.
Domini cæde vindicata ſervus nullis tormentis adigi potuit, ne præſeferret lætitiam, tom. 2. pag. 680. col. 2.
Domini oculus pinguem facit equum, tom. 2. pag. 663. col 1.
Domino domum honeſtandam, non domo dominum, tom. 2. pag. 689. col. 1.
Dominum emere quis vellet proclamare præconem juſſit Diogenes, & Dominum ſibi obtemperaturum, tom. 2. pag. 679. col. 1.
Dœmones qui ſint, tom. 2. pag. 748.
Dœmoniacorum facinora, tom. 5. pag. 2·3. col. 1.
Domum domino honeſtandam, non dominum domo, tom. 2. pag. 689. col. 2.
Domus aliquæ ſpectris quomodo liberatæ, tom. 1. pag. 577. col. 2. & pag. 578. col. 1.
Domus tota concutitur ictu januæ ad limen, tom. 3. pag. 454. col. 2.
Donum gratiſſimum fuit Regi aqua manibus hauſta a Ruſtico, tom. 2. pag. 652. col. 2.
Dorotheus Epicureus, tom. 5. pag. 151. col. 1.
Dormientium operationes admirandæ, tom. 2. p. 364. col. 2. & pag. 365. col. 2.
Dormientium pedes in Braſilienſi Regno cur invadat nigua, & ſub unguibus lancinet, t. 2. p. 279. c. 2.
Dormivit 57. annos Epimenides, tom. 2. pag. 576. col. 1.
Dormiunt per hyemem multa animalia, tom. 2. p. 478. col. 2. & pag. 479.
Doſitheus Epicureus, tom. 5. pag. 151. col. 1.
Dotes intellectus quæ ſint, tom. 2. pag. 405. & ſeqq.
Ductilitas quid ſit, t. 1. pag. 355. col. 2. & pag. ſeqq.
Duellum committentium cæcitas, tom. 2. pag. 686. col. 2.
Dulcis ſuperne fons, inferne ſalſus, tom. 2. pag. 46. col. 2.
Duo Soles viſi Caſſellis a Rothmanno, tom. 3. p. 596. col. 1.
Duos ſimul Soles conſpectos fuiſſe ante necem Vitellii refert Dion, tom. 3. pag. 596. col. 1.
Duplicem eſſe gravitatem, ſimplicem, & compoſitam, tom. 3. pag. 498. col. 1. quæ ſit ſimplex, quæ compoſita? ibidem.
Dureſcit ferrum candens in aquam immerſum, tom. 1. pag. 356. col. 2.
Durities quid ſit, tom. 1. pag. 355. col. 2. & ſeqq.
Dux in bello unicus ſit neceſſe eſt, tom. 2. pag. 670. col. 2.

E

EA nos lege, conditioneque eſſe natos, ut undique beatos eſſe non liceat, tom. 6. pag. 97. col. 2.
Eale animal cornua movet, tom. 2. pag. 450. col. 2.
Eboracenſis obſidio, tom. 6. pag. 170. col. 1.
Ebovarum captum, tom. 6. pag. 176. col. 2.
Ebrii delinquentes dupliciter puniendi, t. 2. p. 728. col. 2.
Echeneis an ſiſtat naves, tom. 1. pag. 398. col. 1.
Echo unde fiat, tom. 3. pag. 405. col. 2. uſque ad ſexies vices multiplicata, tom. 1. pag. 364. col. 2.
Eclipſes ſolere ad eoſdem dies poſt novemdecim annos redire, tom. 5. pag 328.
in Eclipſi cur luna candorem aliquem habeat, tom. 2. pag. 604. col. 1. & tom. 3. pag. 408. col. 2.
Eclipſis memorabilis Conimbriæ in Luſitania obſervata, tom. 5. pag. 338. col. 2.
Eclipſis a Scaligero, & aliis quare fuerit appellata percuſſio? tom. 6. pag. 13. col. 1.
Eclipſis Solis Pariſiis obſervata, t. 5. p. 264. col. 2.
Eclipſis totalis Solis anni 1239. & 1415. tom. 4. p. 373.
Edaces quare ſint, qui lienem magnum habent, tom. 2. pag. 112. col. 1.
Edere qui diu non indiguerint, tom. 2. pag. 542. col. 1. & 2.
Effectus timoris, & quare contingat, tom. 2. pag. 434. col. 2. & pag. 435. col. 2.
Effigiem haſtæ habens natus eſt quidam, t. 2. p. 246. col. 2.
Effluxum ex oculis efficere viſionem qui exiſtimarint, tom. 3. pag. 427. col. 2. & pag. 428. col. 1.
Electrum quid ſit, tom. 2. pag. 36. col. 1.
Elementa eſſe plura quatuor, & etiam quinque Chymicorum, ſed percipi non poſſe, tom. 2. pag. 488. & ſeqq.
Elementa ex uno in aliud non tranſmutantur, tom. 1. pag. 210. col. 1. & pag. 211. col. 1.
Elementa non ſunt quatuor, nec unum, t. 1. p. 209. col. 2. & pag. 211. col. 1. non tranſmutantur unum in aliud, p. 210. col. 1. Chymicorum quæ, & quot ſint, pag. 215. col. 1.
Elementa quatuor non ſufficiunt ad variam compoſitionem omnium rerum, tom. 1. pag. 212. col. 1.
Elementorum, ſeu principiorum qualis commixtio requiratur, ut res, ſeu mixta oriantur, t. 1. p. 404. & ſeqq.
Elephantem peperit Alcippe, tom. 2. pag. 250. col. 1.
Elephas duos annos geſtatur in utero, tom. 2. pag. 242. col. 1.
Elephas flectit crura, tom. 2. pag. 469. col. 2.
Elephas non fert arietem, tom. 3. pag. 179. col. 2.
Elixantur dum piſces e glacie educti in Ponto, moveri incipiunt, tom. 2. pag. 231. col. 1. & 2.
Elixirvitæ. Vide Lapis philoſophicus.
Ellipticæ figuræ Sol in horizonte apparet, tom. 3. pag. 405. col. 2.

Em-

Embryo ſex dierum ſi aquæ infundatur, conſpiciuntur omoia membra, *tom. 2. pag. 542. col. 1.*
Emere dominum quis vellet proclamare præconem juſſit Diogenes *tom. 2. pag. 679. col. 1.*
Empedocles, & Epicurus, membra animalium ajebant non eſſe facta propter uſum, ſed membris ita caſu coaleſcentibus, ipſorum fuiſſe uſum poſterius adinventum, *tom. 6. pag. 18. col. 2.*
Empyema com Medicus coraret, candela attracta eſt io pectus, & inde expulſa ex ore, *tom. 2. pag. 190. c. 2.*
Empiricum Interpres male vertit exponendo vocem *καρκίνου* pro cancro, & oon circino, *t. 1. p. 298. col. 1.*
Encyclopædiam qui perfeciſſe dicaotur? *t. 5. p. 194. col. 1.*
Engyſcopium. *Vide* Microſcopium.
Ennius a Cicerone deſcribitur, baud magna in re, ſed fidei plenus, *tom. 6. pag. 104. col. 2.*
Epaminondas nihil magis gaudebat trophæo, quam quia parentes aſpexerint illud, *tom. 2. pag. 715. col. 2.*
Epicurei, & alii, animam diſpergi mortuo homine, non omoino perire arbitrantur, *t. 3. p. 224. col. 2.*
Epicorei multi recenſentur, qui Rempublicam geſſeruot, *tom. 2. pag. 672. col. 2.*
Epicurei ob eorum mollitiem, & impietatem a Romanis, & a Meſſeniis expulſi, *tom. 5. pag. 187. col. 2.*
Epicuri conſtantia, & adverſus mortem fortitudo, *tom. 5. pag. 190. col. 2.*
Epicuri conſtaotia, & adverſus mortem fortitudo, *tom. 5. pag. 190. col. 2.*
Epicuri horti Lyceo Ariſtotelis præferuntur, *tom. 5. pag. 192. col. 2.*
Epicuri horti, *tom. 5. pag. 148. col. 1.*
Epicuri nomen quid ſooet? *tom. 5. pag. 192. col. 1.*
Epicuri patria, parentes, fratres, *tom. 5. pag. 145. col. 1.*
Epicuri ſententia de Anima mortali refellitur, *tom. 2. pag. 558. & ſeqq.* uſque ad *pag. 572.*
Epicuri tanta corporis imbecillitas, ut ſorgere per multos annos e lecto non potnerit, *tom. 5. pag. 187. col. 1.*
Epicuri tempus natale, *tom. 5. pag. 146. col. 1. Ubi* Epicurus primam ætatem exegerit, *tom 5. pag. 147. col. 1.* Quos præceptores audierit, *pag. 147. col. 1.* fuit *αὐτοδίδακτος Ibid.* Quando Philoſophiæ animum addixerit, *pag. 147. col. 2.*
Epicuri victus qui fuerit? *tom. 5. pag. 191. col. 2.*
Epicurum in quo reprobet Dionyſius Halicarnaſſeus? *tom. 5. pag. 195. col. 1. & 2.*
Epicurus an felicitatem in voloptatibus corporeis poſuerit, *tom. 2. pag. 596. & ſeqq.*
Epicurus ab objecta ipſi Venere vindicatus auctoritate Nazianzeni, Senecæ, Ciceronis, Chryſippi, &c. *tom. 5. pag. 188. col. 1. & 2.*
Epicurus Atbeus non foit, *tom. 1. pag. 253. col. 1.*
Epicurus a Cicerone improbatos, quod Dialecticam neſciverit, *tom. 5. pag. 196. col. 1.* a Cleomede, quod nec Aſtrologiæ, oec ullius partis Philoſophiæ fuerit peritus, *pag. 196. col. 1.* a Plutarcho, quod Muſicam declinaverit, *ibid.*
Epicurus exiſtimavit primos bomioes ex uteris quibuſdam prodiiſſe, *tom. 1. pag. 428. col. 2. & pag. 429. col. 1.*
Epicurus Nauſiphanem Præceptorem habuit, *tom. 6. pag. 105. col. 2.*
Epicurus primus hortos in Urbibus inſtituit, ot Plinius obſervat, *ibid.* tempore obſidionis a Demetrio illatæ, Diſcipulos fabis ſuſtentavit, *ibid.*
Epicurus ejus Teſtamentum, *tom. 6. pag. 106. col. 1.*
Epicurus voluptatem finem bonorum dixit, ſed eam dumtaxat, qoæ in indolentia, ſeu ſanitate corporis, & tranquillitate animi conſiſtit, *ibidem col. 2.*
Epicurus non collocabat felicitatem in voluptate obſcena, *tom. 3. pag. 66. col. 1.*
Epicurus oon ſuaſit injuſtè agere, modo latebræ ſpes ſit, *tom. 5. pag. 132. col. 2.*
Epicurus quam multa ſcripſerit, *tom. 5. pag. 151. col. 2.*
Epicurus ſecedebat in Melitem, *tom. 5. pag. 149. col. 1.* eum amicis convixit, *ibid.* Qui præcipui ejus amici fueriot, *ibid. col. 2.* Philoſophiæ operam navat, *tom. 5. pag. 148. col. 1.*
Epicurus ſubtilem nimis Dialecticam repudiavit, *tom. 5. pag. 46. col. 1.*
Epicurus Themiſtocli comparatus, *tom. 5. pag. 195. col. 2.*
Epicurus veſicæ, & viſcerum morbo laboravit, *tom. 3. pag. 79. col. 1.* ſolabatur ſe in doloribus memoria inventorum ſuorum, *ibid.*
Epimenides dormivit quioquaginta ſeptem annos, & centumqoinqoaginta ſeptem vixit, *tom. 2. pag. 529. col. 1.*
Epiſtola ſcripta a Fratribus cruciroſeis immortalitatem conſequutis ad Candidatum Germaniæ, *t. 2. p. 547. col. 2.*
Epiſtolam legebat qoidam oculis prominentibus ſub crepuſculum, quum alii legere non poſſeot, *tom. 3. pag. 182. col. 2.*
Epitedius primus Sycophanta peſſimus, *tom. 2. p. 550. col. 1.*
Equitibus pedites utiliores, *tom. 2. pag. 672. col. 1.*
Equum facit pinguem domini oculus, *tom. 2. pag. 663. col. 1.*
Eremitarum Camaldulenſium cænobium Peireskii ope inſtitutum, *tom. 5. pag. 227. col. 1.*
Erixius quidam collum Gruis optabat ad guſtandum diutius, *tom. 2. pag. 685. col. 2.*
Error Ariſtotelis circa originem fluviorum, *tom. 2. pag. 21. col. 1.*
Error Interpretis vocem *καρκίνου* pro cancro vertentis, & non pro circino, *tom. 1. pag. 298. col. 1.*
Error Lactantii de judicio animarum, *tom. 2. pag. 575. col. 2.*
Errore mentis depulſo, medicamentis quis ſe occiſum querebatur, *tom. 2. pag. 405. col. 2.*
Errorem nullum in Ariſtotele detectum eſſe mille, & quingentis annis quis affirmavit, *tom. 3. pag. 104. col. 2.*
Errores Ariſtoteleorum in conſtituendis ooiverſalibus, ſeu prædicabilibus, *tom. 3. pag. 140. & ſeqq.*
ex Eruca naſcitur papilio, *tom. 2. pag. 227. col. 2.*
Eruca quomodo reptet, *tom. 2. pag. 447. col. 2.*
Erycius Puteaous qui? *tom. 5. pag. 215. col. 2. & pag. 220. col. 2.*
Eſſe aliquid evidens quid rei ſit? *tom. 3. pag. 492. col. 2.*
ab Eſu carnium abſtinentia ſanitas recuperator, *tom. 3. pag. 70. col. 2.*
Ethoici, adjuvati fortes a Diis, & Deos omnia vendere laboribus pulchre ſenſerunt, *tom. 6. pag. 100. col. 1.*
Evangelia quo tempore ſcripta? *tom. 5. pag. 279. c. 2.*
Euchariſtiæ in myſterio panis, & vini ſpecies vocat Conciliom Tridentinum, non accidentia, *tom. 3. pag. 253. col. 1. 2.*
Euclides dictam ab urbe Megara Megaricam Sectam inſtituit, *tom. 6. pag. 120. col. 1.*
Euclides Socratis auditor, *tom. 6. pag. 124. col. 1.*
Euclidis diſcipuli Dialectici ſpecialiter dicti fuere, *ibid.*
——— Eorum Dialectica a Zenonia derivata, *ibid.*
Eudoxus comburi vovit, ſi Soli appropinquare licuiſſet, *tom. 2. pag. 621. col. 2.*
Eunuchi quare vocem acutam habeant, *tom. 2. p. 522. col. 1.* quare non calveſcant, nec podagra laborent, *523. col. 1.*
Eurydicus Epicureus, *tom. 5. pag. 151. col. 1.*
Euxioum mare altius eſt Ægeo, *tom. 2. pag. 20. c. 2.*
Euxinus Pontus. *Vide* Pontus Euxinus.
Examinatur demonſtratio a Morino allata pro quiete Terræ, *tom. 3. pag. 490. col. 2.*
Examinatur phyſica demonſtratio Morini, *tom. 3. pag. 507. col. 2.*
Excrementorum dejectio per inteſtina, & veſicam quomodo fiat, *tom. 2. pag. 449. col. 2. & pag. 452. c. 1.*
Excuſabat ſe filius verberans patrem, quod & ipſe verberaſſet patrem, qui ſuum etiam verberarat, *tom. 2. pag. 728. col. 2.*
Excuſari quis delinquens ob ebrietatem non debet, *tom. 2. pag. 728. col. 1.*

Exem-

Exemplar reſpicit omne agens, *tom. 1. pag. 250. c. 1.*
Exemplo ut ſint aliis puniuntur fontes, *tom. 2. p. 706. col. 2.*
Ex evidentia pendet certitudo, *tom. 3. pag. 491. c. 2.*
Exiguitas. *Vide* Subtilitas.
Exilio quam multi egregii viri mulctati ſint, *tom. 2. pag. 768. col. 1.*
Experimentum circa ictum, impetumve gravium cadentium, *tom. 3. pag. 518. col. 1.*
Experimentum in bilance factum, ac aliud re vera probans, quam velocitates eſſe ſicut ſpatia, *tom. 3. pag. 581. col. 1.*
Experimentum Peizinſii de motu terræ per pendulum, *tom. 3. pag. 485. col.* .
Experimentum penduli, quod bis die agitatur, ut mare, *tom. 4. pag. 361. & ſeqq.*
Expiatio cædis permiſſæ quare fiat, *tom. 3. pag. 83. col. 1.*
Explicatio Parhelii Romæ obſervati, *tom. 3. p. 591.*
Exploratores large donis compenſandi, *tom. 2. p. 669. col. 1.*
Exſtaſis plane mirabilis, *tom. 5. pag. 219. col. 1.*
Externa pars animalium ab aëre indureſcit, *tom. 3. pag. 47. col. 1.*
Extrema aëris craſſioris ſuperficies quantum diſtet a Terra? *tom. 5. pag. 367. col. 1.*
Extremum alterum trabis ſi concutiatur, exauditur in altero extremo, *tom. 3. pag. 454. col. 2.*

F

ex FAba gignitur Midas, *tom. 2. pag. 227. col. 2.*
Fabula eſt, quod viperæ naſcantur rupto utero matris, *tom. 2. pag. 254. col. 1.* quod viſus naſcatur informis, *tom. 2 pag. 254. col. 2.*
Fabula eſt Alpheum condi ſub terram, & in Sicilia erumpere, & Arethuſam vocari, *tom. 2. pag. 48. col. 1.*
Fabulæ multæ de plantis, *tom. 2. pag. 147. col. 1.*
Fabuloſum non eſſe feminam evadere in marem Plinius ait, *tom. 2. pag. 245. col. 1.*
Fabuloſam non eſſe pugnam gruum cum Pygmæis tradit Ariſtoteles, *tom. 2. pag. 478. col. 2.*
Fabuloſæ ſunt pluviæ prodigioſæ, *tom. 2. pag. 67.*
Fabuloſum eſt pedibus carere manucodiatas, ſeu paradiſi aves, *tom. 2. pag. 468. col. 1.* elephantem non flectere crura, *tom. 2. pag. 469. col. 2.*
Fabuloſum eſt aliquos revixiſſe, *tom. 2. pag. 575. col. 2.*
Fabuloſus eſt agnus ſcythicus Borramets vocatus, *tom. 1. pag. 300. col. 2.*
Face exiſtente in cubiculo conſpiciuntur homines, ſecus in campo, *tom. 3. pag. 405. col. 2.*
Faces immerſas extinguit fons quidam, admotas accendit, *tom. 2. pag. 48. col. 1.*
Facetus quis ſit? *tom. 2. pag. 680. col. 1.*
Facta omnia hominum ſcit ſapiens, *tom. 2. pag. 590. col. 1.*
Factum Actilii Reguli expenditur, *tom. 2. pag. 616. & ſeqq.*
Factum Heracliti, quo declaravit, quomodo concordia conſtet, *tom. 5. pag. 43. col. 2.*
Fagi ramo ſi tangatur vipera vertigine opprimitur, *tom. 3. pag. 179. col. 2.*
Fallitur mens, quæ judicat, non ſenſus, *tom. 3. pag. 431. col. 2.*
Falſa multa dicit Ariſtoteles, *tom. 3. pag. 128. col. 2.*
Fame qui diu non laboraverint, *tom. 2. pag. 542. col. 2.*
Famæ bonæ cura quatenus habenda, *tom. 3. pag. 73. col. 1.*
Fames quomodo oriatur, *tom. 2. pag. 259. col. 2.*
Familiam Peripateticorum ejecit Antoninus Caracalla, quod Ariſtotelis fraude perierit Alexander, *tom. 3. pag. 109. col. 2.*
Farris ſpica nata e mulieris naſo, *tom. 2. pag. 150. col. 2.*
Faſcinatores. *Vide* Veneficos.
Fatum quid ſit? *tom. 2. pag. 731. col. 2. & ſeqq.*
Fatum quomodo cum libero arbitrio concilietur; *tom. 2. pag. 739. & ſeqq.*
Favorum conſtructio quam artificioſa, *tom. 2. p. 352. col. 1.*
Febre laborans abſtemius vinum ſuaviſſimum reputabat, *tom. 2. pag. 680. col. 2. & tom. 3. pag. 183. col. 1.*
Febris quomodo proveniat, *tom. 2. pag. 506. col. 2.*
Febris quotidianæ cauſa, *tom. 2. pag. 499. col. 2.* intermittentis, *pag. 499. col. 2.* tertianæ, *pag. 500. col. 1.* quartanæ, *pag. 500. col. 1.*
Februarius in tutela Neptuni, *tom. 5. pag. 500.*
Feles utero geſtant hebdomadas præciſe novem: ultra annum decimumquartum pariunt: etiam cum non conceperint, lactant, *tom. 5. pag. 289. col. 2.*
Felices eſſe creduntur, qui capite involuto naſcuntur, *tom. 2. pag. 255. col. 1.*
Feliciorem Rege Gyge ruſticum dixit oraculum, *tom. 2. pag. 583. col. 2.*
Felicitas in quo conſiſtat, *tom. 2. pag. 610. & ſeqq.*
Felicitatem efficientia meditari debemus, *t. 2. p. 581. & ſeqq.*
Felicitatem Epicurus non collocabat in voluptate obſcena, *tom. 3. pag. 66. col. 1.*
Felicitatem impedit deformitas juxta Ariſtotelem, *tom. 3. pag. 134. col. 2.*
Felicitatem in voluptatibus etiam corporeis an Epicurus poſuerit, *tom. 2. pag. 596. & ſeqq.*
Felis duos menſes geſtatur in utero, *tom. 2. pag. 242. col. 1.*
Femina dixit ſe concepiſſe ex ſemine, quod vir in balneum effuderat, *tom. 2. pag. 237. col. 1. & 2.*
Femina, & mas eſt Hyæna, Trochus, & Ichneumon, *tom. 2. pag. 236. col. 2. & pag. 245. col. 1.*
Femina quanto tempore geſtet in utero, *tom. 2. p. 255. col. 1.*
Feminam fieri marem non eſſe fabuloſum Plinius ait, *tom. 2. pag. 245. col. 1.*
Feminæ cur potius naſcantur, quam mares, aut contra *tom. 2. pag. 244. col. 2.*
Feminæ Epicuri hortum incolentes, *tom. 3. pag. 186. col. 1.*
Feminæ in Philoſophorum Scholis eruditæ, *tom. 5. pag. 188. col. 2.*
Feminæ, quæ quinto anno pariunt, octavo moriuntur, *tom. 2. pag. 518. col. 5.*
Feminino, & maſculino ſexu præditi ſunt Trochus Ichneumon, & Hyæna. *tom. 2. pag. 246. col. 2.*
Feminis cur barba non prodeat, *tom. 2. pag. 523. col. 2. & pag. 524. col. 1.*
Fæneratorium Calendarium, *tom. 5. pag. 492. col. 2.*
Feneſtrarum vitra tremunt ictu januæ in limen, *tom. 3. pag. 454. col. 2.*
Feneſtris, & januis clauſis, ignis in camera non ardet, *tom. 3. pag. 462. col. 2.*
a Feretro ſurrexerunt quidam, *tom. 2. pag. 576. col. 1.*
Ferrum candens ſi in aquam immittatur, cur induteſcat, *tom. 1. pag. 356. col. 2.*
Ferrum infixum expellunt Cervi dictamno, *tom. 2. pag. 225. col. 2. & p. 488. col. 2.*
Ferrum non tendit vi propria magnetem verſus, *tom. 3. pag. 448. c. 1.* quomodo trahatur a magnete, *p. 447. col. 2. & pag. 448. & ſeqq.*
Ferveſcit oleum tartari mixtum cum oleo vitrioli, *tom. 1. pag. 328. col. 1.*
Fetum multiplicem quæ animalia edant, *tom. 2. p. 248. col. 2.*
Fetus annos viginti octo geſtatus lapideus factus eſt, *tom. 2 pag. 255. col. 2.*
Fetus. *Vide* Partus.
Fetus cum muſculis in iis partibus, in quibus confoſſa fuerat mater, *tom. 2. pag. 252. col. 1.*
Fetus formatio quomodo fiat? *tom. 2. pag. 236. col. 2.*
Fetus quanto tempore geſtetur, *tom. 2. pag. 255. col. 1.*
Fetus quomodo, & quando animam recipiat, *tom. 2. pag. 241. col. 2.*
Fibris conſtantes res efficiunt ut aqua aſcendat per eas, *tom. 1. pag. 395. col. 2.*
Ficus Adamea, cujus fructum quomodo Peireskius interpretatus, *tom. 5. pag. 265. col. 1.*
Ficus comedentem Aſinum videns Philemon riſu mortuus eſt, *tom. 2. pag. 424. col. 1.*

Digitized by Google

Fidem non ſervare an quis poſſit pro publica ſalute, *tom. 3. pag. 668. col. 2.*
Fidem orthodoxam ſequi profitetur Gaſſendus, *tom. 3. pag. 159. col. 2.*
Fides Sacra ex ſe ſe conſiſtit, *tom. 5. pag. 491. col. 1.*
Fidium chorda ſonante uniſona reſpondet, *tom. 1. pag. 395. col. 1. & pag. 396. col. 1.*
Fieri quod tibi non vis, alteri ne feceris, *tom. 3. pag. 85. col. 2.*
Figura atomorum quæ ſit? *tom. 1. pag. 236. col. 2.*
Figura corpuſculorum aluminis, & ſalis, *tom. 3. pag. 400. col. 1.*
Figura terræ quæ ſit? *tom. 2. pag. 3. col. 2. & pag. 4. & ſeqq.*
Figuram ſimilem habent omnes lapides, *tom. 1. p. 336. col. 2. & pag. 337. col. 1.*
Figuræ Concharum, Oſtreorum, cochlearum, &c. unde nam? *tom. 5. pag. 265. col. 2.*
Figuræ ellipticæ Sol in horizonte videtur, *tom. 3. pag. 405. col. 2.*
Filamentis res conſtantes aſcenſum aquæ præbent, *tom. 1. pag. 395. col. 1.*
Filia Æthiopis patri ſimilis non fuit, ſed ejus filius, *tom. 2. pag. 245. col. 2.*
Filia patrem lactavit, *tom. 2. pag. 785. col. 2.*
Filiam Hippocratis ſtupratam fuiſſe cognovit Democritus, *tom. 3. pag. 189. col. 1.*
Filii artis dicuntur a Chymicis, qui ſe Chymiæ dediderunt, *tom. 1. pag. 255. col. 2.*
Filii quare parentibus ſimiles ſint? *tom. 2. pag. 246. col. 2.*
Filii ſe ipſos debent parentibus, *tom. 3. pag. 86. col. 1.*
Filios duos fert volitans veſpertilio, *tom. 2. pag. 472. col. 2.*
Filios mares, & feminas ſuſcepit quidam altero teſte exſecto, *tom. 2. pag. 245. col. 2.*
Filius maculas habere deprehenſus eſt in iis partibus, in quibus mater confoſſa fuerat, *tom. 2. pag. 252. col. 1.*
Filius patrem verberans excuſavit ſe, quod ille quoque ſuum patrem, qui etiam ſuum verberaverat, *tom. 2. pag. 728. col. 2.*
Fimi calore ova excluduntur, *tom. 2. pag. 253. col. 2.*
poſt Finem mundi quid ſit futurum? *tom. 1. pag. 158. col. 1.*
Finis cauſa agunt animata, & inanimata, *tom. 1. pag. 250. col. 1.*
Finis. *Vid.* Felicitas.
Firmamentum ſolidum ne ſit, an fluidum, *tom. 1. p. 438. col. 1. & 2.*
Firmitas. *Vide* Solidum.
Fiſſilitas a qua qualitate dependat, *tom. 1. pag. 358. col. 2.*
Fiſſura in calamo ſcriptorio efficit, ut atramentum aſcendat, *tom. 1. pag. 395. col. 2.*
ex Fiſtula cur piſum tanta velocitate emittatur, ſicut e fiſtula machinæ tormentariæ globus, *tom. 2. p. 43. col. 1.*
Flabella. *Vid.* Ventus.
Flammas per medias partem extulerunt aliqui, *tom. 2. pag. 755. col. 1.*
Flamma ut excitetur, quid requiratur, *tom. 2. p. 189. col. 1.* & cur neceſſarius ſit aër, *col. 2.*
Flamma ut duret quare liberum aërem requirat, *tom. 2. pag. 37. col. 2.*
Flammam concipit ex intervallo Naphtha, *tom. 2. pag. 35. col. 2. & pag. 36. col. 1.*
Flammæ ex terra qua de cauſa erumpant, *tom. 2. p. 38. & ſeqq.*
Flammæ accenſio parit terræmotum, *tom. 2. pag 42. & ſeqq.*
Flatu levi cur piſum per tubulum vitreum tanta velocitate explodatur, *tom. 2. pag. 42. col. 2.*
Fletu cur lacrimæ erumpant, *tom. 2. pag. 424. col. 2.*
Flexibile totum corpus habebat mulier, *tom. 2. p. 462. col. 2.*
Flexibilia non eſſe crura Elephantum falſum eſt, *t. 2. pag. 469. col. 2.*
Flexiles res, quare ſi deflectantur, ſitum ſuum repetunt, *tom. 3. pag. 471. col. 2. & pag. 472. col. 1.*
Flexilitas quid ſit? *tom. 1. p. 355. col. 2. & pag. ſeqq.*
Flores calicei tulipæ dicti? *tom. 5. pag. 240. col. 2.*
Fluida cur in loca declivia fluant, *tom. 2. pag. 25. c. 2. & pag. 26. col. 1.*
Fluidum. *Vide* Liquidum.
in Fluminis glacie præmiſſæ vulpes, ſi murmura aquæ ſentiant, regrediuntur, *tom. 2. pag. 358. col. 2. & pag. 359. col. 1.*
Fluminum origo quæ ſit? *tom. 2. pag. 17. & ſeqq.*
Fluxus, & refluxus. *Vide* Æſtus.
Fœnus beneficii collati eſt gratia, *tom. 3. pag. 86. c. 1.*
Fœtorem Gelonis uxor non indicavit, quia crediderat omnes homines ita reſpirare, *tom. 3. pag. 208. col. 1.*
Folia arborum, quæ gignunt animalia, *tom. 2. p. 146. col. 1.*
Folia platani ſi contigerit veſpertilio opprimitur, *t. 3. pag. 579. col. 2.*
Foliis ſennæ cum oleo tartari, aut roſarum cum oleo vitrioli infuſis aqua rubeſcit, *tom. 2. pag. 322. col. 2.*
Foliorum pediculus, vel petiolum, *tom. 2. pag. 537. col. 1.*
Follium aſſeres quare diduci non poſſint occluſo oſculo? *tom. 3. pag. 433. col. 2.*
Fons adverſus urinæ difficultatem ſalubris, *tom. 5. pag. 269. col. 1. & 2.*
Fons aquæ dulcis ſuperne, infernè ſalſæ, *tom. 2. pag. 46. col. 2.*
Fons frigidus immerſas faces extinguit, admotas accendit, *tom. 2. pag. 48. col. 1.*
Fon[illegible]a Neapolitanus Teleſcopium adinvenit, *tom. 5. pag. 582. col. 2.*
Fontes ad radices montium, non e verticibus erumpere, & ſi quando e verticibus, quomodo id accidat? *tom. 5. pag. 254. col. 1.* Cur æſtate minuantur, aut areſcant? *ibid.* Cur poſt diutinos imbres rapareantur? *ibidem.*
Fontes aliqui quare ſalſi ſint? *tom. 2. pag. 45. col. 1.*
Fontes, qui alternatim creſcunt, & decreſcunt, *tom. 2. pag. 48. col. 2.* qui in Meridie frigent, noctu fervens, *pag. 49. col. 2.*
Fontis Morienſis aqua duodecies ſalſior eſt marina, *tom. 3. pag. 405. col. 1.*
Fontis ſalmacis aqua molles facit, *tom. 2. pag. 54. c. 2.*
Fontium origines, & ſcaturigines non ex mari, aut ex aëris in aquam converſione, ſed ex aquis pluviis, & nivalibus eſſe, *tom. 5. pag. 254. col. 1.*
Fontium origo quæ dicenda ſit? *t. 2. pag. 17. & ſeqq.*
Foramine facto cuidam ſurdo reſtitutus eſt auditus, *tom. 2. pag. 317. col. 1.*
Foramine ſuperiore occluſo clepſydræ, quare aqua non effluat e foraminibus inferioribus, *tom. 3. pag. 433. col. 1.*
Forma an ſit ſubſtantia quædam diſtincta? *t. 1. p. 409. c. 2. p. ſeq.* quomodo educatur e materia *p. 410. & ſeq.*
Forma tanquam informans eſt anima rationalis, *tom. 2. pag. 383. col. 2. & pag. ſeqq.*
Formatio fetus quomodo fiat? *tom. 2. pag. 236. col. 2.*
Formarum datricem Avicennas fecit Cholcodem, *t. 2. pag. 226. col. 2.*
Formæ compoſitorum quid ſint juxta defenſores atomorum? *tom. 3. pag. 426. col. 2.*
Formicarum ſagacitas, *tom. 2. pag. 358. col. 2. & pag. 359. col. 1.*
Formicæ conditum frumentum rodunt, ne germinet, *tom. 2. pag. 157. col. 1. & pag. 531. col. 2.*
Formicis ſeneſcentibus alæ adnaſcuntur, *tom. 2. p. 475. col. 1.*
in Fornacibus naſcitur pyrauſtes, & extra ignem moritur, *tom. 2. pag. 185. col. 2. pag. 218. col. 1. t. 5. pag. 278. col. 2. pag. 253. col. 1.*
Fortes cur minus iraſcantur? *tom. 2. pag. 438. col. 1.*
Fortitudo qualis virtus ſit? *tom. 2. pag. 673. & ſeqq.*
Fortuna eſt quoad nos, non reſpectu Dei, *tom. 1. pag. 285. col. 1.*
Fortuna quid ſit? *tom. 2. pag. 729. & ſeqq.*
Fortuna quomodo cum libero arbitrio concilietur? *tom. 2. pag. 739. col. 2. & pag. ſeqq.*
Foſſilium genera quot ſint? *tom. 2. pag. 29. col. 2. & pag. 30. & ſeqq.*

Fuga dumtaxat vincitur venerea libido, *tom.* 2. *p.*684. *col.* 2.
Fuga rei odio habitæ quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 429. *& ſeqq.*
Fuligioes e pulmone emittuntur cum aëre, *t.* 2. *p.*218. *col.* 2. *& pag.* 280. *col.* 2. *& pag.* 456. *col.* 2. *& pag.* 493. *col.* 2. *& pag.* 308. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 220. *col.* 2.
Fulminans aurum, ſeu pulvis quomodo conficiatur? *tom.* 2. *pag.* 80. *col.* 2.
Fulvii Urſini Amethyſtus, *tom.* 5. *pag.* 216. *col.* 2.
Fulvius Urſinus rei antiquariæ ſtudioſus, *t.* 5. *p.*257. *col.* 2.
Fumi, & vapores aquarum thermalium veneno ſerpentum noxii, *tom.* 5. *pag.* 233. *col.* 2.
Fumus muſti cur extinguat lumen, *tom.* 2. *pag.* 189. *col.* 2.
Functiones animæ rationalis, *tom.* 2. *pag.* 389. *col.* 2.
Functiooes phantaſiæ, *tom.* 2. *pag.* 355. *col.* 2.
Funem velut umbilicum protendit animal, *tom.* 2. *pag.* 147. *col.* 1.
Fungi ramoſi ex lapidibus, & lignis potreſcentibus exorientes, *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 2.
Fungoſitas pulmonis efficere poteſt, ut quidam ſubter aquam diu morentor, *tom.* 2. *pag.* 281. *col.* 2.
Fungus Coralloides, *tom.* 5. *pag.* 228. *col.* 1. *& p.*251. *col.* 2.
Furis Eclipſeos Agarrato obſervatus, *tom.* 6. *pag.* 266. *col.* 1.
Furtum ne palam fieret, puer Lacedæmonius ſe corrodi a vulpe ſivit, *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2.
Futura bona ſunt incerta, ideo poſtponenda præteritis, *tom.* 3. *pag.* 75. *col.* 2.
Futurorm contingentium notitiam habere Deum negat Ariſtoteles, *tom.* 3. *pag.* 129. *col.* 1.
Futurorum divioatio an detur? *tom.* 2. *pag.* 746. *& ſeqq.*
Foturum nec nimis ſperandum, nec deſperandum, *tom.* 2. *pag.* 593. *col.* 1.
Fractilitas a qoa qualitate origioem ducat, *t.* 1. *p.*359. *col.* 1.
Fragminula Carteſii, *tom.* 1. *pag.* 226. *col.* 2.
Franciſci Villanovani victus planè ſiogularis, *tom.* 5. *pag.* 227. *col.* 2.
D. Franciſcus Cœnobii Minorum Dioienſis Civitatis Conditor habitus, *tom.* 5. *pag.* *col.* 2.
Franciſcus. *Vide* Patritius.
Franciſcus Comet Noallius, Orator Regius, *tom.* 5. *pag.* 274. *col.* 2.
Franciſcus Malherbins qui? *tom.* 3. *pag.* 327. *col.* 2.
Franciſcus de Mayronis ex Minorum Ordine, Doctor *Illuminatus*, cujus Rei Pariſiis Auctor fuerit? *tom.* 5. *pag.* 639. *col.* 2.
Franciſcus Mendoza io prælio captus, *tom.* 5. *pag.* 231. *col.* 2.
Franciſcus Vieta Geometra laodatiſſimus, *tom.* 5. *pag.* 261. *col.* 2.
Fratres Crucìroſei. *Vide* Crucìroſei Fratres.
Fratres eſſe geminos ſuſpicatus eſt Hippocrates ex eo, quod eodem tempore eodem morbo laborarunt, *tom.* 2. *pag.* 249. *col.* 2.
Fratres, qui matrem in curru traxerunt, *tom.* 2. *p.*783. *col.* 1. & 2.
Frande Ariſtotelis periit Alexander, *tom.* 3. *pag.* 109. *col.* 2.
Fraus an aliquando permittenda ſit? *tom.* 2. *pag.* 668. *col.* 2.
Friabilitas ſpectat ad duritiem, *tom.* 1. *pag.* 359. *col.* 1.
Fridericus Cardinalis Borromæus Ambroſianæ Bibliothecæ fundator, *tom.* 5. *pag.* 223. *col.* 1.
Frigus ex qualibus corpuſculis conſtet, *tom.* 2. *p.* 349. *col.* 1. Non eſt privatio, *pag.* 352. *col.* 1. & 2.
Frigus ingens fuit anno 1638. *tom.* 4. *pag.* 430.
Fronte cohærentes gemellæ natæ ſunt, quod mater frontem cum alia colliſerit, *tom.* 2. *pag.* 251. *col.* 2.
in Fronte cornicolum quidam habebat, *tom.* 2. *p.* 449. *col.* 2.
Fructibus ad veſcendum bomines idonei a natora, *tom.* 2. *pag.* 261. *col.* 2.
Fructus arborum, in quibus gignuntor animalia, *tom.* 2. *pag.* 145. *col.* 2.
Frugalitas quæ virtus ſit? *tom.* 2. *pag.* 638. *& ſeqq.*
Frumenti caulis dicitur culmus, *tom.* 2. *pag.* 137. *c.*2.
Frumentum conditum roduot formicæ, oe germinet, *tom.* 2. *pag.* 157. *col.* 1. *& pag.* 135. *col.* 2.
Fruſtra eſſe, ſi quis naſcatur feliciter, nec liberaliter inſtituatur, *tom.* 5. *pag.* 223. *col.* 1.

G

GAlilæi opinio de fluxo, & refluxu, *tom* 2. *p.* 26. *& ſeqq.*
Galilæus dooavit Gaſſendo teleſcopium, *t.* 3. *p.* 355. *col.* 2.
Galli ſilveſtres voratis pluribus betulæ baccis ſub nivibus ſe condunt, *tom.* 2. *pag.* 480. *col.* 2.
Gallina cum a Miluo exterrita fuiſſet, pulli milnino capite nati ſunt, *tom.* 2. *pag.* 252. *col.* 2.
Gallinæ cujuſque ova cognoſcebant Deliæ mulieres, *tom.* 5. *pag.* 424. *col.* 2.
Gallos, & Britaonos eadem primitus lingua uſos, *tom.* 5. *pag.* 230. *col.* 1.
Gallum gallinaceum non fert leo, *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.
Galterius quando deſuoctus ſit? *tom.* 4. *pag.* 495. *verſ. ult.*
Gangræna mulier laborans non ſenſit ſibi ſecutum eſſe ejus per plures menſes, *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 2.
Gaſpar Aſellius, Anatomicus Ticinenſis, lactearum venarum detector, *tom.* 5. *pag.* 262. *col.* 2.
Gaſſendo Galilæus donavit teleſcopium, *tom.* 4. *p.* 555. *col.* 1.
Gaſſendus circa macularum Solis materiam, geneſim, figuram, locum, motum, &c. Galilæo ſubſcripſit Epiſt. 4. *tom.* 6. *col.* 2.
Gaſſendus profitetur fidem orthodoxam, *t.* 2. *p.* 25. *col.* 2. *& tom.* 5. *pag.* 159. *col.* 2.
Gaſſendus profitetur ſe nihil pro certo affirmare, *t.* 1. *pag.* 25. *col.* 2. *& tom.* 3. *pag.* 198. *verſ.* 32.
Gaudium quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 422. *col.* 1. & 2. quare lacrimas interdum eliciat, *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 2.
Gelſeminum Indicum e ſina primum in hortos regios Galliæ advectum, *tom.* 3. *pag.* 265. *col.* 2. Americanum, *ibid.* Perſicum, *ibid.* Arabicum, *ibid.*
Geloois uxor ejus fœtorem non indicavit, quia credidit omoes bomines ſic fœtere, *tom.* 3. *pag.* 108. *c.* 1.
intra Gelu totam hyemem perſeverant hirundines, *tom.* 2. *pag.* 282. *col.* 1. *& pag.* 480. *col.* 2. *pag.* 538. *col.* 2.
Gemellæ frontibus cohærentes natæ, quod earum mater frontem colliſerit cum alia, *tom.* 2. *pag.* 251. *col.* 2.
Geminos eſſe fratres ſuſpicatus eſt Hippocrates ex eo quod eodem tempore eodem morbo correpti ſuot, *tom.* 2. *pag.* 249. *col.* 2.
Generare ao dæmones poſſint ex ſemine, quod ſuccubi exceperint, *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 2.
Generatio, & corruptio an detur, & an differat ab alterationa, *tom.* 1. *pag.* 401. *& ſeqq.* ut fiat qualis principiorum mixtio neceſſaria ſit? *tom.* 1. *pag.* 404. *& ſeqq.* an in ea oriatur forma, quæ ſit nova ſubſtantia, *pag.* 408. *col.* 2. *& pag. ſeqq.* ſit ex mutatione qualitatis, ſeu modi ſubſtantiæ, *pag.* 410. *& ſeqq.* ſine ſemine, aut ex putri an detur, *pag.* 427. *col.* 2.
Generatio prima rerum quomodo facta fuerit, *tom.* 2. *pag.* 425. *& ſeqq.*
Generis ſui corpus habere Deum putat Tertullianus, *tom.* 1. *pag.* 62. *col.* 5.
Genitale erumpens e cineribus genuit Servium Tullium, *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 2.
Genius an Bruto cladem prædixerit, *tom.* 2. *pag.* 754. *col.* 2. *& pag.* 755. an Socratem debortaretur *p.* 755. *col.* 2. *& pag.* 750
Geographiæ auctor Ptolemæus non eſt idem ac auctor magnæ conſtructionis, *tom.* 4. *pag.* 372. *col.* 2.
Geometræ. *Vide* Mathematici.
Geometræ puncta, lineas, & ſuperficies conſiderant in abſtracto, *tom.* 2. *pag.* 335. *col.* 2.
Geometricas demonſtrationes an admittant ſceptici, *tom.* 3. *pag.* 352. *col.* 2. *& pag.* 352. *col.* 2.

Geſtationis

Digitized by Google

Geſtationis in utero tempus, tom. 2. pag. 255. col. 2.
Gigantum oſſa in Delphinatu reperta irridentur, tom. 5. pag. 243. col. 2. & pag. 244. col. 2.
Γλυκερῖς quid ſit? tom. 2. pag. 139. col. 1. verſ. 41.
Gyge Rege feliciorem Ruſticum dixit oraculum, t. 2. pag. 583. col. 2.
• Glacie educuntur piſces in Ponto, qui dum elixantur, moveri incipiunt, tom. 2. pag. 291. col. 1. & 2.
Glacie occupante flumen, vulpes ſi ſentiant murmur aquæ retrocedunt, tom. 2. pag. 358. col. 2.
Glacies detrita non eſt perſpicua, an ſit ejuſdem candoris, ac nix, tom. 2. pag. 385. col. 2.
Glacies quomodo generetur, tom. 2. pag. 72. & ſeqq. levior eſt aqua, pag. 72. col. 2.
Glires hyeme dormientes nec etiam igne excitantur, tom. 2. pag. 479. col. 2.
Globi cœleſtes quare perpetuo moveantur, tom. 2. pag. 322. col. 2.
Globi ex machina tormentaria cur tanto impetu erumpant? tom. 2. pag. 43. col. 1.
Globuli tres prodigioſi in cyſti-fellea D. Claræ inventi, tom. 5. pag. 219. col. 1.
Globum ferreum è Luna dimiſſum perventurum ad Terram intra horas 3. & min. 22. cum ſecundis 4. tom. 3. pag. 531. col. 1.
Globum unum conſtituit aqua cum terra, tom. 2. p. 4. c. 2.
Glorioſius eſt, quod quæratur, cur ſtatua alicui poſita non ſit, quam quod, cur poſita ſit, tom. 2. pag. 688. col. 2.
Grammatica duplex, & harum quam reprobaverit, quam ſuaſerit Epicurus? tom. 5. pag. 197. col. 2.
Grammaticæ munus, tom. 5. pag. 200. col. 1.
Grammaticus Tyrannio correxit Ariſtotelem, tom. 3. pag. 214. col. 2.
Grana rodunt formicæ, ne germinent, tom. 2. pag. 257. col. 1. & pag. 535. col. 2
Grando quomodo generetur? tom. 2. pag. 72. & ſeqq.
Grati eſſe debemus bonis præteritis, tom. 3. pag. 75. col. 2.
Gratia eſt fœnur beneficii collati, tom. 3. pag. 85. c. 2.
Gratitudo qualis virtus ſit? tom. 2. pag. 721. & ſeqq.
Gratulabantur morientibus Cauſiani, & Thraces, & lugebant naſcentes, tom. 2. pag. 592. col. 2.
Gravelingana obſidio, tom. 6. pag. 170. col. 2.
Gravia deſcendentia ſpatium conficiunt ſingulis momentis æquale eorundem momentorum quadratis, tom. 2. pag. 308. col. 2. & pag. 326. col. 2. tom. 3. pag. 440. col. 2. & pag. 453. col. 2.
Gravia ejuſdem materiæ, licet diverſæ molis, æquali velocitate deſcendunt, tom. 5. pag. 309. col. 2. pag. 316. col. 1. pag. 342. col. 2. tom. 3. pag. 452. col. 1.
Gravia omnia quomodo attrahantur a Terra, tom. 3. pag. 449. col. 2. & pag. 450. col. 2.
Gravidæ mulieris caſus memorabilis, tom. 5. pag. 227. col. 2.
Gravis, nec levis eſt Terra, tom. 3. pag. 463. col. 2.
Gravitas atomorum quæ ſit? tom. 1. pag. 239. col. 2.
Gravitas data eſt Terræ partibus, non ipſi Terræ, tom. 3. pag. 461. col. 2.
Gravitas nihil aliud eſt, quam naturalis quædam appetentia a ſummo Opifice partibus indita, ut in unitatem, integritatemque totius ſe ſe conferant, coëuntes in globi formam, tom. 5. pag. 444. col. 2.
Gravitas quid ſit? tom. 1. pag. 342. col. 1.
Gravium deſcendentium motus acceleratur, tom. 2. pag. 306. col. 1. tom. 3. pag. 440. col. 2. ratio cur ea proportione fiat, tom. 2. pag. 309. col. 1. & 2. tom. 2. pag. 42. col. 2. tom. 3. pag. 453. per tot.
Gravium motus naturalis potius eſt horizontalis, quam perpendicularis, quo deſcendit, tom. 3. pag. 445. col. 2. pag. 446. col. 1.
Græci, & Antiocheni Anni principium a Kalendis Septembris ducebant, tom. 5. pag. 511. col. 1.
Græci machinam, quam Latini ſuculam, vulgo tornum, ὄνον aſinum vocant, tom. 2 pag. 446. col. 2.
Græcæ linguæ in ſcientiis comparandis utilitas ſumma, tom. 5. pag. 200. col. 2.
Græcorum Zodiacus undecim dumtaxat ſigna continebat, tom. 5. pag. 317. col. 1.
Græcus ignis cur aqua non extinguatur? t. 2. pag. 589. col. 2.
Greſſus animalium quomodo fiat? tom. 2. p. 462. c. 1. & pag. 463. col. 2. & ſeqq. hominum quomodo fiat, pag. 464. col. 2. & pag. ſeqq. Avium pag. 468. col. 1. & 2. quadrupedum pag. 469. col. 1. & 2. & tom. 5. pag. 438. col. 1. Multipedum pag. 469. col. 2.
Grotii vena dives, tom. 5. pag. 252. col. 2.
Grues cum Pygmæis an pugnent? tom. 2. pag. 478. c. 1. nidos quæque ſuos revertentes repetunt, p. 478. c. 2.
Gruis collum optabat quidam, ut guſtum prorogaret, tom. 2. pag. 685. col. 2.
Gubernat Mundum Deus, tom. 5. pag. 280. col. 2. ſicut etiam homines, pag. 292. col. 2.
Guillelmus Candenus, tom. 5. pag. 230. col. 1.
Guillelmus Gilbertus auctor Libri de Magnete, t. 5. pag. 230. col. 2.
Guineæ ſimiæ barbati, & maximi judicii præditi, tom. 5. pag. 273. col. 2.
Gulielmus Harvæus, Medicus Anglus, ſanguinis motûs detector, tom. 5 pag. 263. col. 2.
Guſtus cur datus ſit animalibus? tom. 2. p. 310. c. 1. & pag. 417. col. . . an eo homines ſuperent cetera animalia? pag. 310. col. 2.
Guſtu diutius ut frueretur quidam optabat collum Gruis, tom. 2. pag. 685. col. 2.
Guttur toto corpore majus apparet gallorum quorumdam ſilveſtrium, qui betulæ baccis voratis ſe ſub nivibus condunt, tom. 2. pag. 480. col. 2.

H

HAbet quoque aër ſuum lentorem, licet minorem longe, quam aqua. tom. 3. pag. 489. col. 2.
Habitus quid ſit? tom. 2. pag. 340. col. 1. minuitur, aut evaneſcit prorſus propter nutritionem. col. 2.
Habitus intellectus quid ſint? tom. 2. pag. 396. c. 2.
Habitus quomodo contrahantur? tom. 1. pag. 340. col. 1. 2.
Hadrianeum numiſma quomodo inſculptum? tom. 5. pag. 234. col. .
Halitus ex Naphtha effuſus accenditur ab igne proximo, & inde Naphtha etiam accenditur. tom. 2. pag. 35. col. 2. pag. 36. col. 1.
Halitûs ſulphurei accenſio terræmotum facit. tom. 2. pag. 42. & ſeqq.
Halitum fœtidum habere omnes homines crediderat uxor, & ideo Gelonis fœtorem non indicavit. tom. 3. pag. 108. col. 1.
Harmoniæ genera quot ſint? tom. 5. pag. 585. col. 2.
Haruſpices contemnendi. tom. 2. pag. 753. col. 2.
Haſtæ effigiem habens natus eſt quidam ex Poſteris Spartorum ſucceſſorum Cadmi. tom. 2. pag. 246. col. 2.
Hebræi cur Talmud, & Cabbalam compoſuerint? tom. 3. pag. 232. col. 1. 2.
Hebridum Inſularum littore ex fructu arboris naſcitur avis, aut piſcis. tom. 1. pag. 146. col. 1.
Hector Boëtius tradit ex lignis naſci concham, aut vermes, qui evadunt aves. Ibid.
Hedera cornu cervi nata fertur. tom. 2. pag. 150. col. 2.
Hegetianax. tom. 5. pag. 151.
Hegeſias mortem laudans multos perſuadebat mortem ſibi conſcire. tom. 2. pag. 18. col. 2.
Hegeſias prohibitus eſt declamare contra vitam, quia multi mortem ſibi conſciſcebant. tom. 2. pag. 592. col. 2.
Hemina eſt dimidium ſextarii, & duodecima pars congii. tom. 5. pag. 43. col 2.
Henrici Regis mors ab Hieronymo Ollerio prænuntiata. tom. 5. pag. 239. col. 2.
Henricus Sedulius. tom. 5. pag. 232. col. 2.
Henricus Stephanus. tom. 5. pag. 272. col. 2.
Heracliti factum, quo declaravit, quomodo concordia habeatur. tom. 5. pag. 43. col. 1.
Herbis ut veſcantur homines facti ſunt. tom. 2. p. 261. col. 2.
Herculis trunci, & Laocoontis ſimulacra. tom. 5. pag. 227. col. 2.

Heredem librorum Ariſtotelis, & ſuorum Theophraſtus reliquit Heleum Scepſium. tom. 3. pag. 114. col. 2.
Hæreſeos crimen ſibi affingi Chriſtiano non eſt ferendum. tom. 3. pag. 199.
Hæreſes quoad animam. tom. 1. pag. 209. col. 1.
Hermacbus Epicuri ſucceſſor. tom. 6. pag. 106. col. 1. hortos Epicuri cum libris obtinuit. ibid.
Hermaphroditus eſt Trochus, Ichneumon, & Hyæna. tom. 2. pag. 146. col. 1.
Hermaphroditus viſus eſt a Gaſſendo. tom. 2. pag. 250. col. 2. qui utroque genitali irritus erat. ibid.
Herminum peripateticum ludificatus eſt Demonax joco ex Categoriis deſumpto. tom. 3. pag. 153. col. 2.
Hermotimi anima relicto corpore errabat. tom. 2. pag. 576. col. 1.
Herodotus Epicureus. tom. 5. pag. 552. col. 1.
Herophilus Medicus quomodo luſerit Diodorum, qui motum negabat. tom. 1. pag. 305. col. 1.
Herus. vide Dominus.
Hexapodas pariſienſes ducentos triginta perficit ſonus minuto ſecundo. tom. 2. pag. 316. col. 1. hoc eſt una hora nongenta milliaria Italica. tom. 1. pag. 366. col. 2. tom. 2. pag. 327. col. 1.
Hiberniæ litore ex fructu arboris naſcitur avis, aut piſcis. tom. 2. pag. 146. col. 1.
D. Hieronymus putat indignum majeſtate Dei curam habere culicum, & ſimilium. tom. 1. pag. 281. col. 1.
Hipparchus Bithynus ſcripſit in Phænomena Aratea. tom. 4. pag. 572. col. 1.
Hippoclides Epicureus. tom. 5. pag. 155. col. 1.
Hippocrates ſuſpicatus eſt geminos eſſe fratres, qui eodem tempore eodem morbo correpti ſunt. tom. 2. pag. 249. col. 2.
Hippocratis filiam conſtupratam fuiſſe cognovit Democritus. tom. 3. pag. 189. col. 1.
Hircanum mare Alexander exiſtimavit eſſe Pontum Euxinum. tom. 4. pag. 574. col. 1. & 2.
Hircanum mare altius eſt Euxino. tom. 2. pag. 21. col. 1.
Hircocervus an detur? tom. 2. pag. 172. col. 1.
Hirundines totam hyemem intra gelu degunt. tom. 2. pag. 282. col. 1. & pag. 480. col. 2. pag. 538. col. 2.
Hirundinum pulli non aufugiebant, niſi a parentibus admoniti fuiſſent. tom. 2. pag. 361. col. 2.
Hiſpaniæ fluvios Ana, Liguriæ dicitur ab Ariſtotele. tom. 2. pag. 21. col. 1.
Hiſtoria eſt vitæ lux. tom. 5. pag. 199. col. 2.
Hiſtoria Romanorum Pontificum Franciſci Boſqueti Narbonenſis. tom. 5. pag. 270. col. 1.
Hiſtorias omnes diſcit ſapiens. tom. 2. pag. 590. col. 1.
Hiſtoriæ nullæ antiquiores bello Trojano. tom. 3. pag. 26. col. 1.
Hiſtoriæ tradunt Merovæum natum ex Tritone, & muliere, & Ulfonem ex urſo, & puella. tom. 1. pag. 426. col. 2.
Hiſtoriæ utilitas ſumma. tom. 5. pag. 199. col. 1.
Homines a natura facti ſunt idonei ad veſcendum herbis, & fructibus, non carnibus. tom. 2. pag. 261. col. 2.
Homines aliqui cur diu ſub aqua degant? tom. 2. pag. 281. col. 2.
Homines an ſuperent cetera animalia tactu, & guſtatu? tom. 2. pag. 307. col. 2. & pag. 310. col. 1.
Homines cerebroſi, qui ſint? tom. 3. pag. 491. col. 2.
Homines è vulgo comparari poſſunt cum Stellarum turba. tom. 6. pag. 197. col. 2.
Homines generi, ſtirpive ſuæ æternitatem deſtinare ſolent. tom. 6. pag. 175. col. 2.
Homines, & ubivis gentium, & omni ævo homines eſſe. tom. 6. pag. 184. col. 2.
Homines initio Mundi e terra prodierunt die maximo decem menſium. tom. 2. pag. 256. col. 1.
Homines gubernat Deus. tom. 1. pag. 291. col. 1.
Homines in aula, in qua exiſtat fax, conſpiciuntur, ſecus in campo. tom. 3. pag. 445. col. 2.
Homines intemperantius vivunt, quam belluæ. tom. 2. pag. 682. col. 2.
Homines in Luna non reperiri. tom. 5. pag. 180. col. 2.
Homines mortui anno 1638. præ frigore. tom. 4. pag. 430.
Homines omnes fœtere crediderat uxor, ideo Gelonis fœtorem non indicavit. tom. 3. pag. 208. col. 1.
Homines poſt reſurrectionem habebunt omnia eadem membra, ſed diverſos uſus eorum. tom. 2. pag. 265. col. 1.
Homines primos ex uteris quibuſdam prodiiſſe exiſtimavit Epicurus. tom. 2. pag. 428. col. 2. & pag. 429. col. 1.
Homines putant ſibi privationem voluptatis parituram moleſtiam poſt mortem. tom. 3. pag. 75. col. 2. & pag. 77. col. 2.
Homines, qui demergi in aquam non poſſunt, quod ea leviores ſint. tom. 2. pag. 476. col. 2.
Homines, qui diutius vixerunt. tom. 2. pag. 527. & ſeqq.
Homines quidam ruminabant. tom. 2. pag. 261. c. 2.
Homines quidam in India caudam habent. tom. 2. pag. 453. col. 1.
Homines quomodo natent? tom. 2. pag. 475. col. 2. & pag. 476.
Homines quomodo in Americam trajecerint? tom. 2. pag. 13.
Homines revicturos exiſtimabant Magi. tom. 2. p. 546. col. 1.
Homini cuidam ex oſſe zygomate portio detracta fuerat, quantus eſt unguis humanus. tom. 2. p. 283. col. 2.
Homini cuique num angeli adſiſtant? tom. 3. pag. 221. col. 2. & pag. 223.
Hominibus noverca non eſt natura. tom. 2. pag. 640. col. 2.
Hominis cujuſdam anima relicto corpore errabat. tom. 2. pag. 576. col. 2.
Hominis laborioſe ſcribentis redargutio. tom. 5. pag. 200. col. 1. & 2.
Hominis marini in Aremoticæ Inſula viſi deſcriptio. tom. 5. pag. 283. col. 1.
Hominis morte animam non penitus extingui putabant, qui eam mortalem cenſebant. tom. 3. pag. 224. col. 2.
Hominum animos eſſe immortales probatur phyſicis rationibus. tom. 2. pag. 553. & 554. moralibus rationibus. pag. 554. col. 2. & pag. ſeqq. defenditur contra Epicurum. pag. 558. & ſeqq. uſque ad pag. 575.
Hominum genus inſtabile eſſe, novitatiſque cupidum. tom. 3. pag. 599. col. 2.
Hominum greſſus quomodo fiat? tom. 2. pag. 464. c. 2. & pag. ſeqq. tom. 3. pag. 438. col. 1.
Hominum omnium facta didicit ſapiens. tom. 2. pag. 590. col. 1.
Hominum prima generatio quomodo facta fuerit? tom. 1. pag. 425. & ſeqq.
Homo in Perſide annos natus quadringentos. tom. 5. pag. 283. col. 1.
Homo quidam per ſpatium ſexaginta milliarium natabat. tom. 2. pag. 476. col. 1.
Homo quinquennis aſſequitur dimidium magnitudinis, quam habiturus eſt. tom. 2. pag. 517. col. 1.
Honor dignitati debitus ob modeſtiam negligendus non eſt. tom. 2. pag. 688. col. 1.
Honorabilius eſt, quod quæratur, cur ſtatua poſita non ſit, quam quod quæratur, cur poſita ſit. tom. 2. pag. 683. col. 1.
Hora una ſonus conficit nongenta milliaria Italica. tom. 1. pag. 366. col. 2. tom. 2. pag. 316. col. 1. & pag. 327. col. 1.
Hordeaceum culmum in urina prodiiſſe traditur. tom. 2. pag. 150. col. 2.
Horæ dimidio efflueret totus ſanguis, quando ſecatur vena ægrotis. tom. 2. pag. 274. c. 2. & pag. 275. col. 1.
Horizontalis motus gravium naturalior eſt, quam perpendicularis deſcendentium. tom. 3. pag. 445. col. 2. pag. 446. col. 1.

in Ho-

in Horizonte Aſtra cur majora appareant? *tom.* 2. *pag.* 338. *col.* 2.
in Horizonte exiſtentes Sol, & Luna apparent majores. *tom.* 3. *pag.* 385. *& ſeqq.* & figuræ ellipticæ. *pag.* 405. *col.* 2.
Horror cur nobis pilos ſurrigat. *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 1. *&* 2.
Hortos Epicuri cum libris obtinuitHermachus. *tom.* 6. *pag.* 106. *col.* 1.
Hortus Belgenſerianus. *tom.* 5. *pag.* 226. *col.* 2.
Hoſtes dolis vincere licet. *tom.* 2. *pag.* 672. *col.* 1. *&* 2.
Hugo Grotius, adoleſcens lectiſſimus. *tom.* 5. *pag.* 227. *col.* 2. *pag.* 231. *col.* 2.
Humana imbecillitas arundine mobilior leviſſimâ quoque occaſione nutat. *tom.* 3. *pag.* 599. *col.* 1.
Humerum luxatum quum haberet Diodorus, qui motum negabat, quomodo luſerit cum Herophilus. *tom.* 1. *pag.* 302. *col.* 1.
Humidum quid ſit, & in quo differat a liquido? *tom.* 2. *pag.* 353. *col.* 1. *& ſeqq.*
Hyacinthi ſpeciem induit igne vehementi plumbum. *tom.* 1. *pag.* 333. *col.* 2.
ad Hydaſpen eſſe initium Nili credidit Alexander. *tom.* 4. *pag.* 574. *col.* 2.
Hydrargyro vacuum coacervatum fit. *tom.* 1. *p.* 180. *col.* 2.
Hydropiſin quid efficiat? *tom.* 2. *pag.* 550. *col.* 1.
Hyæna utraque ſexu prædita. *tom.* 2 *pag.* 246. *col.* 1. *& pag.* 296. *col.* 2.
Hyeme anni 1641. copioſe ninxit in Ægypto. *tom.* 4. *pag.* 457. *in fin.*
Hyeme congelatur oleum in cryptis, ſecus æſtate. *tom.* 2. *pag.* 73. *col.* 1.
Hyeme latent, & dormiunt multa animalia. *tom.* 2. *pag.* 479.
Hyemem totam non reſpirant quadrupedes oviparæ. *tom.* 2. *pag.* 281. *col.* 2. Hirundines infra gelu degunt. *pag.* 282. *col.* 1. *& pag.* 480. *col.* 2. *pag.* 538. *col.* 2.
Hymenopteri lotium, aut ſudorem emittunt, qui putrefacit id, quod contingit. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.
Hyperborei ubi eſſent. *tom.* 2. *pag.* 14. *col.* 2.

I

JAcobus Allealnus Mathematicus. *tom.* 3. *pag.* 261. *col* 2.
Jacobus Gaffarellus, Vir hæbreis litteris clarus. *tom.* 6. *pag.* 272. *col.* 2.
Jacobus Lorinus è Societate Jeſu, Pſalmorum Scolaſtices. *tom.* 5. *pag.* 259. *col.* 1.
Jacobus Metius Teleſcopiorum inventor. *tom.* 5. *pag.* 244. *col.* 2.
Januarius in tutela Junonis. *tom.* 5. *pag.* 500.
Ianuæ ictu in limen ædes totæ concutiuntur. *tom.* 3. *pag.* 454. *col.* 2.
Januis, & feneſtris clauſis Ignis in camera non ardet. *tom.* 3. *pag.* 462. *col.* 2.
Jaſpis Argæum montem referens. *tom.* 5. *pag.* 235. *col.* 1.
Ichneumon utroque ſexu præditus. *tom.* 2. *pag.* 246. *col.* 2.
pro Ι'κτῖος legendum apud Lucianum Α'κρίσι. *t.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.
Ictus extremi trabis exauditur in altero extremo. *tom.* 3. *pag.* 454. *col.* 1. & januæ ad limen concutitur domus. *ibid.*
Ideam reſpicit omne agens. *tom.* 1. *pag.* 250. *col.* 1.
Id naturale dicitur, quod eſt expers violentiæ. *tom.* 3. *pag.* 496. *col.* 1.
Idomeneus Lampſacenus. *tom.* 5. *pag.* 150. *col.* 2.
Jecur duplex habent lepores biſaltii. *tom.* 3. *pag.* 274. *col.* 1.
Jeduah animal. *tom.* 2. *pag.* 147. *col.* 1.
Igbius Chymicus. *tom.* 1. *pag.* 217. *col.* 1.
Igne exiſtente in cubiculo conſpiciuntur homines, ſecus in campo. *tom.* 3. *pag.* 405. *col.* 2.
Igne non excitantur glires hyeme dormientes. *tom.* 2. *pag.* 479. *col.* 1.
Igne vehementi plumbum redigitur in ſpeciem hyacinthi. *tom.* 1. *pag.* 333. *col.* 2.
Igneæ ſubſtantiæ an ſint Sydera. *tom.* 1. *pag.* 445. *& ſeqq.*
Ignem extra Pyrauſtes moritur? *tom.* 2. *pag.* 285. *col.* 2. naſcitur in igne. *tom.* 3. *pag.* 178. *col.* 1.
Ignem nihil aliud eſſe, quam lucem denſatam. *tom.* 3. *pag.* 507. *col.* 1.
Ignem fulmineum non emitti procul ex alto, ſed proxime ex nubis glomo erumpere. *tom.* 5. *pag.* 277. *col.* 1.
Ignes per medios extulerunt aliqui patrem. *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 1.
Ignis calore excluduntur ova in Ægypto. *tom.* 2. *pag.* 253. *col.* 2.
Ignis græcus cur aqua non extinguatur? *tom.* 1. *pag.* 189. *col.* 2.
Ignis non mutatur in aërem. *tom.* 1. *pag.* 210. *col.* 1.
Ignis, occluſis foribus, & feneſtris, non ardet. *tom.* 3. *pag.* 462. *col.* 2.
Ignitum lapidem eſſe Solem dixit Anaxagoras. *tom.* 1. *pag.* 447. *col.* 1. *&* 2.
Illuſtria facta, non Liberi, Alexandro, Cæſari, aliiſque gloriam pepererunt. *tom.* 6. *pag.* 175. *col.* 2.
Imaginaria ſpatia quid ſint? *tom.* 1. *pag.* 164. *col.* 2.
Imago noſtra quare per ſpeculum appareat tantum ultra illud, quantum citra ſumus. *tom.* 3. *pag.* 416. *col.* 1.
Imbecilles. *Vide* Debiles.
Imber. *Vide* Pluvia.
Immortalitatem animorum qui admiſerint, & qui negaverint. *tom.* 2. *pag.* 546. *& ſeqq.* probat phyſicis rationibus. *pag.* 553. *& ſeqq.* moralibus rationibus. *pag.* 554. *& ſeqq.* contra Epicuri ſententiam. *pag.* 558. *& ſeqq. uſque ad* 571.
Immortalitatem conſequuti Fratres Crucіroſei epiſtolam ſcripſerunt candidato Germaniæ. *tom.* 2. *pag.* 540. *col.* 1.
Imperiti, inaneſque verbis capiuntur. *tom.* 6. *pag.* 194. *col.* 2.
Impetum quomodo mobilia acquirant? *tom.* 1. *p.* 310. *col.* 1.
Impreſſæ maculæ in corpore unde certo anni tempore reſloreſcant. *tom.* 5. *pag.* 227. *col.* 1.
Inane eſſe quomodo per motum probetur. *tom.* 3. *pag.* 7. *col.* 1. *verſ.* 24. *Can.* 3. *verſ.* 4. *Can.* 4.
Inanimata etiam agunt propter finem. *tom.* 1. *pag.* 250. *col.* 1.
Incertitudo librorum Ariſtotelis. *tom.* 3. *pag.* 123. *col.* 2.
Inceſſus animalium. *Vide* Greſſus.
Inclinationis motus terræ quid ſit? *tom.* 3. *pag.* 465. *col.* 1.
Inconſtantia medicinæ. *tom.* 2. *pag.* 504. *col.* 2. *& pag.* 505. *& ſeqq.*
Incorporea eſt anima rationalis. *tom.* 2. *pag.* 383. *col.* 2 *& pag. ſeqq.*
Incrementum cur ceſſet in animalibus? *tom.* 2. *p.* 536. *col.* 1.
Incubi Dæmones ex ſemine, quod ſuccubi exceperunt an generare poſſint? *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 2.
in India ad Hydaſpen eſſe initium Nili credidit Alexander. *tom.* 4. *pag.* 574. *col.* 2.
Indiæ homines aliqui habent caudam. *tom.* 2. *pag.* 453. *col.* 1.
Inæqualitas motus octavæ ſphæræ falſa eſt. *tom.* 4. *pag.* 570. *col.* 2.
Inerrantium Stellarum. *Vide* Stellarum inerrantium, aut Fixarum.
Inerrantium Stellarum numerus. *tom.* 5. *pag.* 431. *col.* 1.
Infantes filios duos fert volans veſpertilio. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 1.
Infantes, qui more quadrupedum curſitant. *tom.* 2. *pag.* 455. *col.* 1.
Infauſtum aliis creditum Cometam Auguſtus ſibi fauſtum eſſe judicavit. *tom.* 3. *pag.* 599. *col.* 2.

Digitized by Google

in Infinitum Continui diviſio an detur? *tom.* 1. *p.* 329. *col.* 2.
Infirmi. *Vide* Debiles.
Informans eſt anima rationalis. *tom.* 2. *pag.* 383. *col.* 1. & *pag.* 386. *col.* 2.
Ingrati ſumus præteritis bonis. *tom.* 3. *pag.* 75. *col.* 2. & *pag.* 79. *col.* 1.
Initium, & accelerationem motus eſſe a principio externo. *tom.* 3. *pag.* 570. *col.* 2.
in Intellectu cur gignatur non ſcientia, quæ ex demonſtratione eſt, ſed opinio, quæ ex probabili, veriſimilive duntaxat ratione? *tom.* 3. *pag.* 492. *col.* 1.
Injuria ne cui fiat cavet Juſtitia. *tom.* 3. *pag.* 80. *col.* 2.
Injurias vindicantium ſingulari certamine cæcitas. *tom.* 2. *pag.* 686. *col.* 2.
Injuſte agentem latere perpetuum impoſſibile. *tom.* 5. *pag.* 132. *col.* 2.
Injuſtitia eſt per ſe malum, contra Epicurum. *tom.* 5. *pag.* 13. *col.* 2.
In quo poſuerit ſummum bonum Epicurus, in quo Ariſtippus? *tom.* 5. *pag.* 192. *col.* 1.
In quo venarentur voluptatem Epicurei? *tom.* 5. *pag.* 192. *col.* 1.
Inſania ſingulare certamen committentium. *tom.* 2. *pag.* 686. *col.* 2.
Inſcriptio in porta templi Divæ Magdalenæ Druentiæ. *tom.* 4. *pag.* 373.
Inſcriptio ſepulcralis feſellit Darium. *tom.* 2. *pag.* 729. *col.* 2. & *pag.* 730. *col.* 1.
Inſtantaneus motus in vacuo non eſſet. *tom.* 1. *pag.* 180. *col.* 1.
Inſtinctus Brutorum. *tom.* 2. *pag.* 360. *col.* 2.
Inſtrumenta nutritionis quæ ſint? *tom.* 2. *pag.* 258. *col.* 1.
Inſulam, quæ caſeus eſſet, inveniſſe ſe Lucianus tradit. *tom.* 1. *pag.* 438. *col.* 2.
Inſularum quarundam in littore ex fructibus arboris gignuntur aves. *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 1.
Intellectus humanus dum degit in corpore ratiocinio opus habet, alioquin uno intuitu cognoſcit. *tom.* 2. *pag.* 397. *col.* 1.
Intellectûs habitus quid ſint. *tom.* 2. *pag.* 396. *col.* 2. quæ dotes. *pag.* 407. & *ſeqq.*
Intellectus qui differat a ſenſu? *tom.* 2. *pag.* 401. & *ſeqq.*
Intellectus quid, & quotuplex ſit? *tom.* 2. *pag.* 370. *col.* 1.
Interioris circuli diameter quanta ſit? *tom.* 3. *pag.* 594. *col.* 1.
Interitu alicujus ſubſtantiæ, an qualitatis ſolius fiat corruptio. *tom.* 1. *pag.* 427. & *ſeqq.*
Inter gravitatem ſimplicem, & compoſitam, ſeu perpetuam, & adventitiam quid ſit diſcriminis? *tom.* 3. *pag.* 496. *col.* 1.
Intermittentis. *Vide* Febris.
Interpres Empirici male vertit vocem καρκίνου pro cancro, & non pro circino. *tom.* 1. *pag.* 298. *col.* 1.
Interpres Luciani male vertit muſtelas. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.
Interpretes ſomniorum deridendi ſunt. *tom.* 2. *p.* 754.
Inteſtina quomodo excrementa deiiciant? *tom.* 2. *pag.* 442. *col.* 2. & *pag.* 449. *col.* 2.
Intuitu uno cognoſcit intellectus a corpore ſeparatus. *tom.* 2. *pag.* 377. *col.* 1. & Angelus. *col.* 2.
Involuntariam etiam cædem cur leges puniant? *tom.* 3. *pag.* 83. *col.* 1.
Inventorum ſuorum memoria Epicurus in doloribus ſolabatur ſeſe. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 1.
Inutilis eſt Logica. *tom.* 3. *pag.* 130. & *ſeqq.*
Joannes Capellianus, Vir ſingularis, & gallicæ linguæ, & Poeſeos arbiter. *tom.* 5. *pag.* 262. *col.* 1.
Joannes Dortomannus Peireſkii Medicus. *tom.* 5. *pag.* 224. *col.* 1.
Joannes Ferrarius e Societate Jeſu libros edidit de florum cultura. *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 1.
Joannes Jacobus Buccardus pariſinus. *tom.* 5. *pag.* 264. *col.* 2.
Joannes Keplerus Cæſaris Mathematicus. *tom.* 5. *pag.* 240. *col.* 1.
Joannes Remus Quietanus, clarus Medicus, & Mathematicus. *tom.* 5. *pag.* 242. *col.* 2.
Joanni Moccnico cimelia rariſſima furto ſublata. *tom.* 5. *pag.* 253. *col.* 2.
Joci qui probandi ſint? *tom.* 2. *pag.* 689. *col.* 1.
Jocus in Herminum categoriarum cauſa. *tom.* 3. *pag.* 153. *col.* 2.
Ioſephus Galterius, Mathematicus excellens. *tom.* 6. *Epiſt.* *pag.* 5. *col.* . Eidem librum primum ſuarum Exercitationum Gaſſendus inſcripſit. *ibid.*
Jovis magnitudo quanta ſit per Tychonem. *tom.* 5. *pag.* 371. *col.* 2.
Jovis Satellites quatuor a Galilæo detecti. *tom.* 5. *pag.* 239. *col.* 2. Eorum circumvolutionis ſupputatio. *pag.* 240. *col.* 1. Nomina. *ibidem.*
Ira an ſit neceſſaria? *tom.* 2. *pag.* 685. *col.* 1. & 2.
Ira humores, ſpiritus, facultates omnes quantum perturbet, ludicro quodam ſpectaculo ſuadetur. *tom.* 5. *pag.* 290. *col.* 1.
Ira quomodo accendatur? *tom.* 2. *pag.* 437. & *ſeqq.* cadit magis in debiles, quam in fortes. *pag.* 438. *col.* 1.
Iraſcatur ne Deus? *tom.* 2. *pag.* 420. *col.* 2.
Iridem fieri poſſe majorem ſemicirculo negavit Ariſtoteles. *tom.* 3. *pag.* 594. *col.* 1.
Iridis colores quomodo fiant? *tom.* 1. *pag.* 381. *col.* 2.
Iridis diameter quanta ſit? *tom.* 3. *pag.* 593. *col.* 2.
Iris quare ſit coloratiſſima? *tom.* 3. *pag.* 595. *col.* 1.
Iſaacus Caſaubonus. *tom.* 5. *pag.* 228. *col.* 2.
Iſocrates 20. talenta vendidiſſe unam Orationem dicitur. *tom.* 5. *pag.* 483. *col.* 1.
Iſtrum ex Pyrenæis oriri tradit Ariſtoteles. *tom.* 2. *pag.* 21. *col.* 1. *pag.* 52. *col.* 1.
Iter in Occaſum breviore tempore nautæ, & facilius conficiunt. *tom.* 3. *pag.* 456. *col.* 2.
Judex de negotio amici quid agere debeat? *tom.* 2. *pag.* 708. *col.* 2.
Judicium eſt mentis, & ideo illa fallitur, non ſenſus. *tom.* 3. *pag.* 438. *col.* 2.
Judicium præceps dicitur *Opinio*, maturum *Ratio*. *tom.* 6. *pag.* 131. *col.* 2.
Judicium ſingularum animarum negat Lactantius. *tom.* 2. *pag.* 575. *col.* 2.
Julia cum ſuſpicaretur mortuum eſſe maritum, dolore interiit. *tom.* 2. *pag.* 425. *col.* 1.
Julius Pacius Monſpelii Juriſprudentiæ profeſſor. *tom.* 5. *pag.* 223. *col.* . Idem Valentiæ mortuus. *pag.* 228. *col.* 2.
Junium Menſem alii ab junioribus Populi Romani, alii verò a Junone, cui honores eo maxime tempore haberentur, indigitatum volunt. *tom.* 5. *p.* 493. *col.* 1.
Junius in tutela Mercurii. *tom.* 5. *pag.* 501.
Juris Bruta animalia capacia non ſunt. *tom.* 5. *p.* 129. *col.* 1.
Juris origo ad græcos fontes refertur. *tom.* 5. *pag.* 120. *col.* 1.
Jus gentium. *tom.* 5. *pag.* 128. *col.* 2.
Jus, ſive juſtum naturale quid? *tom.* 5. *pag.* 128. *col.* 1.
Jus ſuum cuique tribuit juſtitia. *tom.* 3. *pag.* 80. *col.* 2. & *pag.* 85. *col.* 1.
Juſtitia eſt virtus, qua cuique ſuum tribuitur. *tom.* 3. *pag.* 80. *col.* 2.
Juſtitia homini naturalis eſt. *tom.* 5. *pag.* 131. *col.* 1.
Juſtitia qualis virtus ſit? *tom.* 2. *pag.* 689. & *ſeqq.*
Juſtitiam nihil eſſe per ſe, ſed lege tantum. *tom.* 5. *pag.* 130. *col.* 1.
Juſtus Byrgius Tychonis Automatarius. *tom.* 5. *p.* 362. *col.* 2.
Juſtus Lipſius e medio ſublatus. *tom.* 5. *pag.* 232. *col.* 1.
Juvenes decet verecundia, non autem ſenes. *tom.* 2. *pag.* 682. *col.* 1.
Juventutem ſenes quidam recuperarunt. *tom.* 2. *p.* 521. *col.* 1. & 2.

Kalen-

Digitized by Google

K

KAlendarii reformatio quo anno inſtituta? *tom.* 5. *pag.* 213. *col.* 1.
Kalendarium Conſtantinianum. *tom.* 5. *pag.* 247. *col.* 1.
Καρκίνου vocem interpres Empirici male reddit pro cancro, & non pro circino. *tom.* 1. *pag.* 298. *col.* 1.
Kenelmus. *Vide* Digbæus.
Kepleri, & Senecæ de Cometis opinio. *tom.* 5. *pag.* 142. *col.* 2.
Keplerus an potuerit videre Mercurium in Sole? *tom.* 4. *pag.* 54. *col.* 2.
Kircheri Heliotropicum experimentum. *tom.* 5. *p.* 279.
Klakies aves, quæ naſcuntur ex lignis. *tom.* 2. *p.* 146. *col.* 1.

L

LAc ex uvis exprimi in quadam Inſula fingit Lucianus. *tom.* 1. *pag.* 438. *col.* 2.
Lacedæmonius puer ſe corrodi a vulpe ſivit, ne proderet furtum. *tom.* 2. *pag.* 580. *col.* 2.
Lac eſſe nigræ capræ, & primi paſtus cognovit Democritus. *tom.* 3. *pag.* 189. *col.* 1. & *pag.* 414. *col.* 1.
Lacrymas cur cieant ceparum halitus? *tom.* 2. *p.* 424. *col.* 2.
Lacrymæ fletu, ac etiam gaudio cur erumpant? *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 2.
Lactantius judicium ſingularum animarum negat. *tom.* 2. *pag.* 575. *col.* 2.
Lactavit patrem filia. *tom.* 2. *pag.* 751. *col.* 2.
Lacte an aliquando pluiſſe verum ſit? *tom.* 2. *pag.* 67. *col.* 2.
Lacte nutrit pullos volucrum ſola veſpertilio. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.
Lacteus circulus quid ſit? *tom.* 1. *pag.* 443. & *ſeqq.*
Lactis candor unde proveniat? *tom.* 1. *pag.* 385. *col.* 1.
Lacus, cujus aqua ſi bibatur decidant capilli, & ungulæ animantibus. *tom.* 2. *pag.* 5. *col.* 2.
Lacus, in quem ſi lapis conjiciatur pluvia excitatur. *tom.* 2. *pag.* 40. *col.* 1. & 2.
Lacus Zahan, & Zemram ſunt origo Nili. *tom.* 2. *pag.* 20. *col.* 2. *pag.* 21. *col.* 1. & *pag.* 22. *col.* 1.
Lacydes ex uberiore potatione paralyticus. *tom.* 5. *pag.* 185. *col.* 1.
Laminam eſſe Solem dixit Anaxagoras, & Archelaus. *tom.* 1. *pag.* 447. *col.* 1.
Lapidem caſurum e Sole prædixit Anaxagoras. *tom.* 1. *pag.* 447. *col.* 1.
Lapidem ignitum eſſe Solem dixit Anaxagoras, & Archelaus. *tom.* 1. *pag.* 447. *col.* 1.
Lapides naſcuntur figura ſimili. *tom.* 1. *pag.* 336. *col.* 2. & *pag.* 337. *col.* 1.
Lapides num omnes initio Mundi formati, vel temporis progreſſu e propriis ſeminibus coagmentati? *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 2.
Lapideus factus eſt fetus, qui geſtatus eſt annos viginti octo. *tom.* 2. *pag.* 256. *col.* 2.
Lapidi quid contingeret, ſi intra fornicem ad centrum Terræ conſtitueretur. *tom.* 3. *pag.* 572. *col.* 1.
Lapidis caſum non naturalem, ſed violentum eſſe. *tom.* 3. *pag.* 405. *col.* 2.
Lapidum pluviæ fabuloſæ ſunt. *tom.* 2. *pag.* 67. *col.* 2.
Lapillorum copia incredibilis e podagrici articulis extracta. *tom.* 5. *pag.* 258. *col.* 1.
Lapis ſi conjiciatur in lacum, pluit. *tom.* 2. *pag.* 49. *col.* 1. & 2.
Lapis philoſophicus an confici poſſit, & an id efficere poſſit, quod dicunt Alchymiſtæ? *tom.* 2. *pag.* 540. *col.* 2. & *ſeqq.*
Lapis projectus eodem tempore aſcendit, quo deſcendit. *tom.* 3. *pag.* 442. *col.* 2. & ejus velocitas eadem proportione decreſcit aſcendendo, qua creſcit deſcendendo. *ibid.* *Vide* Projectum.
Lapis projectus perpendiculariter a projiciente, qui moveatur, parabolen deſcribit. *tom.* 3. *pag.* 441. *col.* 1. *pag.* 455. *col.* 2.
Lapis quidam, qui diffiſſus florem petrificatum exhibuit. *tom.* 5. *pag.* 256. *col.* 1.
Laſerpitium natum ex pluvia. *tom.* 2. *pag.* 148. *col.* 2.
Latendi fides nulla injuſte agentibus. *tom.* 5. *pag.* 133. *col.* 1.
Latens bene, bene vivit. *tom.* 3. *pag.* 73. *col.* 2.
Latent hyeme multa animalia. *tom.* 2. *pag.* 478. *col.* 2. & *pag.* 479.
Latini ſuculam vocant machinam, quam Græci ὄνον, aſinum, vulgo tornum vocant. *tom.* 2. *pag.* 446. *col.* 2.
Latratum canis ad lituum modulabatur. *tom.* 3. *pag.* 279. *col.* 2.
Latrunculis ludens Canius mortem expectavit. *tom.* 2. *pag.* 596. *col.* 2.
Lavabantur cur calidâ mortui. *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 1.
Laudes mortis exaggerando Hegeſias effecit, ut multi ſibi mortem inferrent. *tom.* 2. *pag.* 592. *col.* 1.
Laurentius Pignorius rerum priſcarum peritus. *tom.* 5. *pag.* 218. *col.* 1.
Lectiſternium. *tom.* 5. *pag.* 259. *col.* 1.
Legebat epiſtolam quidam oculis prominentibus in crepuſculo, quando alii legere non poterant. *tom.* 3. *pag.* 182. *col.* 1. & *pag.* 340. *col.* 2.
Legere, & ſcribere quis poteſt lumine nocticulæ. *tom.* 5. *pag.* 585. *col.* 1.
Leges ægrè mutandæ. *tom.* 5. *pag.* 135. *col.* 1.
Leges a Peireskio, quum ad Senatoris examen accederet, explanatæ. *tom.* 5. *pag.* 233. *col.* 1.
Leges cur involuntariam etiam cædem puniant? *tom.* 2. *pag.* 83. *col.* 1.
Leges quamdiu juſtæ cenſeri debeant? *tom.* 5. *pag.* 135. *col.* 2.
Leges quomodo inventæ? *tom.* 2. *pag.* 640. & *ſeqq.*
Leges utilitatis gratia feruntur. *tom.* 5. *pag.* 134. *col.* 2.
Leguminum caulis ſcapus appellatur. *tom.* 2. *pag.* 537. *col.* 2.
Lælii Paſcalini Cimeliarchio nil ſpectabilius. *tom.* 5. *pag.* 217. *col.* 1.
Lætitia etiam cur lacrymas eliciat? *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 2.
Lætitiam ne præſeferret ſervus ex domini cæde cogi non potuit. *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2.
Lætitia quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 422. *col.* 2.
Lævor ex quo oriatur? *tom.* 1. *pag.* 337. *col.* 1.
Leminar decidit in terram ſimul cum pluvia in Norvegia. *tom.* 2. *pag.* 230. *col.* 2.
Lenitas quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 437. & *ſeqq.*
Leo non fert gallum gallinaceum. *tom.* 3. *pag.* 279. *col.* 2.
Leonia vita eſt veſci ſine Amico. *tom.* 3. *pag.* 87. *col.* 1.
Leonteus Lampſacenus. *tom.* 5. *pag.* 150. *col.* 2.
Leontium Epicurea. *tom.* 5. *pag.* 151. *col.* 1.
Leopoldus Archidux generaliſſimus creatus. *tom.* 6. *pag.* 201. *col.* 2.
Lepores biſaltii duplex jecur habent. *tom.* 3. *pag.* 174. *col.* 1.
Lepores cornuti duo. *tom.* 5. *pag.* 232. *col.* 1.
Leviores aqua quidam ſunt. *tom.* 2. *pag.* 476. *col.* 1.
Levis, nec gravis eſt Terra. *tom.* 3. *pag.* 463. *col.* 2.
Levitas quid ſit? *tom.* 1. *pag.* 341. *col.* 1. & *pag.* 344. *col.* 2.
Lex quid? *tom.* 5. *pag.* 128. *col.* 2.
Liberalia ſtudia rudimenta ſunt noſtra, non opera. *tom.* 5. *pag.* 197. *col.* 1. in quo pretio hæc ſtudia ſint habenda, & quamdiu iis immorandum? *ibid.*
Liberalitas quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 720. *per tot.*
Liberorum mortem, atque orbitatem conſtantiſſime protulerunt Pericles, Anaxagoras, & alii. *tom.* 6. *pag.* 176. *col.* 1.
Liberos. *Vide* Filios.
Libertas. *Vide* Liberum arbitrium.
Libertatem philoſophandi ſibi ademerunt Ariſtotelei. *tom.* 3. *pag.* 104. *col.* 2.
Liberum arbitrium quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 723. & *ſeqq.*

Digitized by Google

ſeqq. quomodo cum fato, & fortuna concilietur. *pag.* 739. *col.* 2. & *ſeqq.*
Libri Epicuri. *tom.* 5. *pag.* 151. *col.* 2. & *ſeqq.*
Libri de Mundo quis auctor fuerit? *tom.* 1. *pag.* 130. *col.* 2.
Libris Attici nihil dulcior. *tom.* 5. *pag.* 201. *col.* 1.
Librorum Ariſtotelis incertitudo. *tom.* 3. *pag.* 113. *col.* 2. hæredem reliquit Theophraſtus Neleum Sceſium. *tom.* 3. *pag.* 114. *col.* 2.
Libros Ariſtotelis quot corruperint? *tom.* 3. *pag.* 114. *col.* 2.
Lienem magnum habentes edaces ſunt. *tom.* 2. *pag.* 259. *col.* 1.
Liſa, ſive Cucurbita Mechana, Planta ſericea. *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 1.
Ligatis etiam manibus pedibusque demergi in aquam quidam non poſſunt. *tom.* 1. *pag.* 476. *col.* 1.
Ligna, quæ aquæ immerguntur. *tom.* 2. *pag.* 473. *col.* 2.
Ligna, ex quibus naſcuntur aves. *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 1.
Lignum foſſile ad Aquam-ſpartam detectum. *tom.* 5. *pag.* 285. *col.* 2.
Liguriæ fluvius Ana dicitur ab Ariſtotele, quum ſit Hiſpaniæ. *tom.* 2. *pag.* 22. *col.* 1.
Liguſticæ oræ odor ad quinquaginta milliaria percipitur. *tom.* 1. *pag.* 399. *col.* 2. *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 1.
Liliorum candor ex quo efficiatur? *tom.* 1. *pag.* 385. *col.* 1.
Limen a janua ictum concutit totas ædes. *tom.* 3. *pag.* 454. *col.* 2.
Linea recta non datur. *tom.* 3. *pag.* 392. *col.* 1.
Lineam parabolicam. *Vide* Parabolicam lineam. *Vide* Parabolen.
Lineas æquales cur deſcribant circuli inæquales, ſi eodem motu ferantur? *tom.* 1. *pag.* 300. *col.* 2.
Lineas in abſtracto conſiderant Geometræ, Phyſici autem in corpore. *tom.* 1. *pag.* 335. *col.* 2.
Lingua Chamæleon muſcas diſtantes capit. *tom.* 1. *pag.* 394. *col.* 1. & *tom.* 2. *pag.* 452. *col.* 1.
Lingua percipit ſapores. *tom.* 1. *pag.* 310. *col.* 1.
Linguæ phænicopterorum ab Apicio, Caligula, Vitellio, Eliogabalo, aliiſque in deliciis habitæ. *tom.* 5. *pag.* 241. *col.* 2. Hædinis linguis ſimiles. *ibid.* Galli ob alarum ruborem phænicopterum flammantem vocant. *pag.* 243. *col.* 1. Juvenalis ob proceritatem crurum, & colli ingentem dicit. *ibid.* Eorum proprietates plane mirabiles. *ibid.*
Linus, Societatis Jeſu Præsbyter, & ejus experimentum. *tom.* 5. *pag.* 279. *col.* 1.
Liquida. *Vide* Fluida.
Liquidum quid ſit, & in quo differat ab humido? *tom.* 2. *pag.* 353. *col.* 1, & *ſeqq.*
Litteræ plures ſunt, quam volgo dicantur. *tom.* 2. *pag.* 459. *col.* 1. & 2.
Littore Scotico aves naſcuntur ex fructu arboris. *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 1.
Littoris liguſtici odor ad quinquaginta milliaria pervenit. *tom.* 1. *pag.* 339. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 1.
Littus Aquitanicum. *tom.* 3. *pag.* 189. *col.* 1.
Littus Friſicum. *ibid.*
Litui ſonum canis latratu imitabatur. *tom.* 3. *pag.* 279. *col.* 2.
Lixivium quare eluat oleum ex pannis. *tom.* 5. *p.* 355. *col.* 1. & 2.
in Loca declivia cur fluida excurrant? *tom.* 2. *pag.* 15. *col.* 2. & *pag.* 16. *col.* 1.
a Loco lucido in obſcurum ingredientes quare primo nihil videant. *tom.* 2. *pag.* 340. *col.* 1.
Locus Albaniæ præ cæteris amœnus. *tom.* 6. *pag.* 173. *col.* 2.
Locus, in quo reſidet anima rationalis. *tom.* 2. *pag.* 388. *col.* 2. appetitus, & voluntas. *pag.* 411. *col.* 2.
Locus, in quo conſpiciatur objectum utroque oculo aperto, aut altero clauſo. *tom.* 3. *pag.* 419. & *ſeqq.*
Locus non eſt accidens, nec ſubſtantia. *tom.* 1. *pag.* 160.
Locus Plutarchi emendatus. *tom.* 2. *pag.* 22. *col.* 2.
Locuſtæ ventorum vi tranſportantur. *tom.* 2. *p.* 238. *col.* 2.
Logica. *Vide* Dialectica.
Loliginum tanta multitudo volat, ut naves demergant. *tom.* 2. *pag.* 471. *col.* 2.
Loqui an dici poſſint animalia? *tom.* 2. *pag.* 457. *col.* 2. & *pag.* 458.
Loquutum fuiſſe ſæpe pœnituit, nunquam ſiluiſſe. *tom.* 1. *pag.* 688. *col.* 2.
Lotium demittunt hymenopteri, quo putrefit quidquid contingitur. *tom.* 1. *pag.* 472. *col.* 2.
in Luce exiſtentes res quare videamus e tenebris, non contra. *tom.* 2. *pag.* 339. *col.* 2.
Lucem nihil eſſe aliud, quam ignem rariſſimum. *tom.* 3. *pag.* 597. *col.* 1.
Lucernæ cur a muſto extinguantur? *tom.* 1. *pag.* 189. *col.* 2.
Luciani locus, in quo A'κρῖτι pro I'κτῖνι legendum videtur. *tom.* 1. *pag.* 472. *col.* 2.
Lucianus Epicuri imitator in Dialogis. *tom.* 5. *p.* 200. *col.* 2.
Lucianus fingit ſe inveniſſe Inſulam, quæ caſeus eſſet. *tom.* 1. *pag.* 438. *col.* 2.
Lucido è loco venientes in obſcurum quare nihil primo videant. *tom.* 2. *pag.* 340. *col.* 1.
Lucii Scipionis Barbati filii ob Corſicanam expeditionem elogium. *tom.* 5. *pag.* 246. *col.* 1.
Lucis aliqua pars reflectitur a corporibus diaphanis. *tom.* 1. *pag.* 332. *col.* 2. *pag.* 333. *col.* 2. *pag.* 375. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 401. *col.* 2. *pag.* 402. *col.* 1.
Luculli cena. *tom.* 5. *pag.* 481. *col.* 2.
Lucretium libro quarto verſu 895. pro velis, remis emendat. *tom.* 2. *pag.* 443. *col.* 1. *verſ.* 62.
Ludens Canius mortem expectavit. *tom.* 1. *pag.* 596. *col.* 2.
Ludovicus Cornarus ſobrietate longævam, vividamque ſenectutem adeptus. *tom.* 5. *pag.* 247. *col.* 1.
Lugebant naſcentes Cauſiani, & Thraces, morientibus autem gratulabantur. *tom.* 2. *pag.* 598. *col.* 1.
Lumbrici cucurbitales. *tom.* 5. *pag.* 241. *col.* 1.
Lumen cur extinguatur a muſto? *tom.* 1. *pag.* 189. *col.* 2.
Lumen eſſe partem Dei corpoream nonnulli Philoſophorum ſunt opinati: hinc lumen, quaſi numen dictum voluerunt. *tom.* 6. *pag.* 426. *col.* 1.
Lumen Solis nuſquam reflecti ſine Solis imagine. *tom.* 3. *pag.* 597. *col.* 1. Solis effigiem ex aqua non reflecti. *tom.* 3. *pag.* 597. *col.* 1.
Lumine noctilucæ legere quis poteſt. *tom.* 1. *p.* 383. *col.* 1.
Luna, & Sol exiſtentes in Horizonte majores videntur, quam in Meridiano. *tom.* 3. *pag.* 385. & *ſeqq.*
Luna habet vim attrahentem partes ſuas. *tom.* 3. *pag.* 453. *col.* 1. & 2.
Luna non expeditè revolutionem Terræ ſequitur, ſed trigeſimo demum die, ſeu intra menſem Orbem perficit. *tom.* 3. *pag.* 490. *col.* 1.
Luna occultavit Martem. *tom.* 4. *pag.* 547. *col.* 2.
Luna quam habeat reſpectu Terræ magnitudinem juxta Tychonis calculum. *tom.* 5. *pag.* 371. *col.* 2.
Luna quare in Horizonte major appareat? *tom.* 2. *pag.* 328. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 385. & *ſeqq.*
Luna quot ſemidiametris abſit a Terra, in mediocri diſtantia ex Tychone. *tom.* 5. *pag.* 371. *col.* 2.
Lunam vim aquas attrahendi non habere. *tom.* 3. *pag.* 483. *col.* 2.
Lunares Eclipſes tutius prædici poſſe, quam Solares. *tom.* 5. *pag.* 316.
Lunæ candor, ſive lux ſecundaria unde proveniat? *tom.* 3. *pag.* 407. & *ſeqq.*
Lunæ candor in Eclipſi unde proveniat? *tom.* 1. *p.* 604. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 408. *col.* 2.
Lunæ diameter quando amplior, quando decurtatior obſervetur? *tom.* 5. *pag.* 281. *col.* 1.
Lunæ maculas nil eſſe aliud, quam æquora quædam convincit ſuperficiei æquabilitas. *tom.* 5. *pag.* 280. *col.* 2.
Lunæ inſtar in Venere viſa eſt lux ſecundaria. *tom.* 4. *pag.* 473.

Digitized by Google

Lunæ partes candidiores, Continentes, Inſulas, Montes, & cetera continent. tom. 5. pag. 280. col. 1.
Lunæ, & Solis, tam in Apogeo, quam in Perigeo diametri ſupputantur. tom. 5. pag. 281. col. 2.
Lunæ tribuere cauſam dierum criticorum vanum eſt. tom. 2. pag. 502. col. 1. & 2.
Lupi, quos Cervarios vocant, duplex cor habent. tom. 3. pag. 574. col. 2.
Lupi vita eſt veſci ſine Amico. tom. 3. pag. 87. col. 2.
Lupus raucedinem parit. tom. 2. pag. 377. col. 1.
Luſtralis Peireſkii ſponſor qui fuerit? tom. 5. pag. 212. col. 2.
Luſtratione cur expietur cædes permiſſa? tom. 3. pag. 83. col. 1.
Luxatum humerum quum haberet Diodorus, qui motum negabat, quomodo eum deluſerit Herophilus Medicus? tom. 1. pag. 301. col. 1.
Lux eſt flammula rariſſima, & tenuiſſima. tom. 5. pag. 224. col. 1.
Lux quomodo efficiat viſionem? tom. 1. pag. 370. & ſeqq. eſt corpus. pag. 373. & ſeqq.
Lux ſecundaria Lunæ unde proveniat? tom. 3. p. 407. & ſeqq.
Lux ſecundaria in Venere viſa eſt, veluti in Luna. tom. 4. pag. 473.
Lux candidiſſima eſt. tom. 3. pag. 595. col. 1.
Luxuriam provocat aqua ſalmacis fontis. tom. 2. pag. 54. col. 2.
Lyctiorum in Epicureos lex acerrima. tom. 5. p. 187. col. 2.

M

MAchinam, quam latini ſuculam, vulgo tornum, Græci ὄνον vocant. tom. 2. pag. 445. col. 2.
Maculas habebat fetus in eiſdem partibus, in quibus confoſſa fuerat mater. tom. 2. pag. 252. col. 1.
Maculæ oſtenduns Solem uno menſe revolvi circa proprium axem. tom. 3. pag. 469. col. 2.
Maculæ quomodo ſuboriantur in fœtibus? tom. 5. pag. 227. col. 2.
Maghapha Enok, liber Ethiopico idiomate conſcriptus. tom. 5. pag. 272. col. 1.
Magia quantum ſuſpecta. tom. 5. pag. 241. col. 1.
Magi exiſtimabant homines revicturos. tom. 2. p. 546. col. 5.
Magicis artibus utentes cur dicant ſe videre mirabilia? tom. 2. pag. 576. col. 2.
Magiſtratibus obſequendum eſt. tom. 2. pag. 715. col. 1.
Magiſtratus virum monſtrabit, dictum Biantis. tom. 2. pag. 600. col. 1.
Magnates comparari poſſunt cum magnis Luminaribus. tom. 6. pag. 597. col. 2.
Magnæ Conſtructionis. Vide Almageſti.
Magnetem ferrum, & terram trahere per inſenſilia organula. tom. 3. pag. 574. col. 1.
Magneticæ acus variatio. tom. 6. pag. 87. & 88.
Magnes quidam eſt Terra. tom. 3. pag. 448. col. 2. quomodo ferrum trahat ad ſe. pag. 447. col. 2. & pag. 448. & ſeqq.
Magnitudinis dimidium, quam habiturus eſt, quinquennis aſſequitur. tom. 2. pag. 517. col. 1.
Magnitudo Atomorum quæ ſit? tom. 5. pag. 234. col. 2.
Magnitudo eximia teſtudinis. tom. 2. pag. 275. col. 1. Serpentis. ibid. col. 2.
Magnitudo Mercurii. tom. 4. pag. 539. col. 1.
Majeſtate Dei indignum eſt curare vilia animalia. tom. 5. pag. 281. col. 2.
Majum, & Junium Menſem a majoribus, & junioribus natu ex Populo appellavit Romulus. tom. 5. pag. 292. col. 2.
Majum a Maja, cui, ac Mercurio res Divina per illum menſem, deducunt multi. tom. 5. pag. 493. col. 1.
Majus in tutela Apollinis. tom. 5. pag. 502.
Malefici puniuntur, ut alii deterreantur a maleficiis. tom. 2. pag. 706. col. 2.
Mali Arantiæ odorem ad quinquaginta milliaria ſentiunt nautæ. tom. 2. pag. 314. col. 1.
Maltha. Vide Naphtha.
Malum quiſque alii mavult, quam ſibi, etiam quum pro alio malum amplectitur. tom. 2. pag. 428. col. 5.
Mane color rubeus nubium cur pluviam denuntiet? tom. 2. pag. 64. col. 1.
Manibus aqua hauſta a Ruſtico gratiſſimum Regi donum fuit. tom. 2. pag. 552. col. 2.
Manibus, pedibuſque ligatis quidam aquæ non demerguntur. tom. 2. pag. 476. col. 1.
Manna quid ſit? tom. 2. pag. 74. col. 5. & 2.
Manſuetudo. Vide Lenitas.
Manſuetudo in quo differat a clementia? tom. 2. p. 438. col. 2.
Manſuetudo qualis virtus ſit? tom. 1. pag. 686. col. 1. & 2.
Mantuæ Ducis Cimeliarchium. tom. 5. pag. 222. col. 2.
Manucodiatas appellatas paradiſi aves pedibus carere falſum eſt. tom. 2. pag. 468. col. 2.
Manus Deorum medicamenta aliqua dicebantur. tom. 2. pag. 500. col. 2.
Manus incedendo quomodo moveant homines? tom. 3. pag. 438. col. 2.
M. Antonius Bojonius Imperator Nicænis mulctam impoſuit. tom. 3. pag. 453. 454. col. 2.
Mare an ſit altius terra? tom. 2. pag. 15. quare non creſcat ex aquis tot fluminum? tom. 2. pag. 59. col. 2. & pag. 20.
Mare Caſpium. Vide Caſpium.
Mare Hircanum. Vide Hircanum.
Mare Hircanum altius eſt Euxino, & hoc altius Ægeo. tom. 2. pag. 20. col. 2. pag. 22. col. 2.
Mare Lactis inveniſſe ſe in peregrinatione fingit Lucianus. tom. 1. pag. 438. col. 2.
Mare quare ſalſum ſit? tom. 2. pag. 45. & ſeqq.
Mares cur barbam nutriant, non feminæ? tom. 2. pag. 523. col. 2. & pag. 524. col. 1.
Mares cur potius naſcantur, quam feminæ, aut contra? tom. 2. pag. 244. col. 2.
Mares fieri ex feminis non fabuloſum eſſe Plinius ait. tom. 2. pag. 245. col. 1.
Margaritæ Peireſkii matris quanta fuerit elegantia, & compoſitio. tom. 5. pag. 212. col. 2.
Marina aqua ſalſior eſt duodecies fons morienſis. tom. 3. pag. 401. col. 1.
Marinus Merſennus ex Minimorum Ordine. tom. 5. pag. 278. col. 1.
Maris acceſſus, & receſſus quæ ſit cauſa? tom. 3. pag. 489. col. 2.
Maris aqua in aliquibus locis dulcis eſt. tom. 2. pag. 47. col. 1.
Maris e fundo piſces ſentiunt odores. tom. 2. pag. 181. col. 2.
Maris fluxus, & refluxus quare fiat? tom. 2. pag. 14. & ſeqq. Galilæi opinio de eo. pag. 16. & ſeqq. tom. 3. pag. 469. col. 2. & pag. ſeqq. opinio Morini. tom. 3. pag. 481. & ſeqq.
Maris æſtus motu terræ explicatur a Seleuco. tom. 5. pag. 394. col. 2.
Maris inſtar pendulum bis die agitatur. tom. 4. pag. 361. & ſeqq. an ſit verum? tom. 3. pag. 485.
Maritum interfectum cum Julia ſuſpicaretur, interiit. tom. 2. pag. 425. col. 1.
Mars in oppoſitione eſt propinquior terræ, quam Sol, ex Tychone. tom. 1. pag. 438. col. 2.
Mars, & Mercurius quam habeant reſpectu terræ magnitudinem, ſecundum Tychonis ſupputationem. tom. 5. pag. 371. col. 2.
Mars occultatus fuit a Luna. tom. 4. pag. 547. col. 1.
Martius a Marte, quem tanquam patrem agnoſcebat, a Romulo dictus eſt. tom 5. pag. 492. col 2.
Martius Menſis in tutela Minervæ. tom. 5. p. 501.
Martyrologium Eccleſiæ Dinienſis refert duas eclipſes. tom. 4. pag. 373.
Martyrologium a D. Hieronymo omnium primo fuit editum. tom. 5. pag. 569. col. 2. Antiquitus Acta SS. Martyrum ſolummodo continebat; ſed dein-

ceps

Digitized by Google

ceps Confeſſorum, & Virginum etiam memoriam amplexum eſt. *tom.* 5. *pag.* 505.
Mas, & femina ſunt Trochus, Hyæna, & Ichneumon. *tom.* 2. *pag.* 236. *col.* 2. *pag.* 246. *col.* 1.
Maſculino, & feminino ſexu præditi Trochus, Ichneumon, & Hyæna. *tom.* 2. *pag.* 245. *col.* 1.
Maſculorum ſine ſemine naſcuntur vultures. *tom.* 3. *pag.* 574. *col.* 2.
Maſſilia quanto tempore ſit Aquis-Sextiis occidentalior. *tom.* 6. *pag.* 183. *col.* 2.
Mater quia frontem colliſit cum alia, natæ ſunt gemellæ frontibus cohærentes. *tom.* 2. *pag.* 251. *col.* 2. confoſſa, filius maculas in iiſdem partibus habuit. *tom.* 2. *pag.* 252. *col.* .
Materia prima neceſſario ponenda eſt. *tom.* 5. *pag.* 205. *col.* 1. affecta eſt qualitatibus primis juxta aliquos *pag.* 206. *col.* 2. juxta alios etiam quibuſdam ſecundis. *pag.* 212. *col.* 2. omnium qualitatum expers eſt juxta Ariſtotelem, & alios. *pag.* 219. & *ſeqq.* in Atomis conſiſtit apud aliquos. *pag.* 225. *col.* 1.
Materia prima ſunt atomi. *tom.* 3. *pag.* 426. *col.* 2.
Materia quomodo educatur forma? *tom.* 1. *pag.* 410. *col.* 1. & *ſeqq.*
Materies Parheliorum eadem eſt, quæ coronarum. *tom.* 3. *pag.* 596. *col.* 1. corona quid ſit? *ibid.*
Materiæ ejuſdem gravia, licet molis diverſæ, æquali velocitate deſcendunt. *tom.* 1. *pag.* 309. *col.* 2. *pag.* 3 6. *col.* 1. & *pag.* 342. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 451. *col.* 1.
Mathematici quæ opponant punctis Epicuri. *tom.* 5. *pag.* 31. *col.* 2.
Matheſeos pars eſt Muſica. *tom.* 5. *pag.* 575. *col.* 1. Numeros, non ut Arithmetica, nudos, ſed canoros, & harmonicos ſpectat *ibid.*
Matrem curru vexerunt duo fratres. *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 1. & 5.
Matri. *Vide* Parentibus.
Matris utero diſrupto quod naſcantur viperæ fabuloſum eſt. *tom.* 2. *pag.* 254 *col.* 2.
Matutinæ coronæ, niſi venti boreales ſpirent, pluviæ plerumque ſigna ſunt. *tom.* 3. *pag.* 508. *col.* 1. ſpectatæ a meridie ſerenitatem præſagiunt. *ibid.*
Maximum bonum ſana in ſano corpore mens *tom.* 6. *pag.* 97. *col.* 1.
Mazhapha Einoh, Liber æthiopico idiomate conſcriptus. *tom.* 5. *pag.* 473. *col.* 1.
Meatus ex aorta in venam arterioſam quibus manet apertus, ij ſubter aquam diu morantur. *tom.* 5. *pag.* 281. *col.* 2.
Medentur ſibi Animalia multa. *tom.* 2. *pag.* 507. *col.* 2.
Medicamenta quomodo adhibenda? *tom.* 2. *pag.* 509. *col.* 1. 2. & *pag. ſeqq.* quæ Deorum manus? *tom.* 2. *pag.* 509. *col.* 5.
Medicamentis depulſa dementia, quis occiſum ſe querebatur. *tom.* 2. *pag.* 405. *col.* 2.
Medicina catholica. *Vide* Lapis philoſophicus.
Medici quam opinionibus varii fuerint? *tom.* 2. *p.* 504. *col.* 1. & *pag.* 505. & 506.
Medicina quomodo, & quibus remediis ſanet? *tom.* 2. *pag.* 507. *col.* 1. & *pag.* 508 & *ſeqq.*
Medicinæ mutationes quot contigerint? *tom.* 5. *p.* 504. *col.* 2. & *pag.* 505. & 506.
Medicis opus non eſſet, ſi naturam ſequeremur. *tom.* 2. *pag.* 503. *col.* 2. & *pag.* 504. & *ſeqq.*
Medicos aliquid movere in ægrotis ante diem tertium nolebant Ægyptii, alioquin periculo ſuo faciebant. *tom.* 2. *pag.* 506. *col.* 1.
Medicus dicebat ſe curaſſe aliquem ante mortem, & poſt reſurrectionem. *tom.* 5. *pag.* 577. *col.* 2.
Medicus Herophilus quomodo deluſerit Diodorum, qui motum negabat? *tom.* 2. *pag.* 301. *col.* 1.
Medicus quum curaret empyema, candela attracta eſt in pectus ægroti, & inde per os expulſa. *tom.* 2. *pag.* 100. *col.* 2.
Medicus reſtituit ſurdo auditum, perforata membrana. *tom.* 2. *pag.* 317. *col.* 1.
Meditatio eorum, quæ efficiunt felicitatem, neceſſaria eſt. *tom.* 2. *pag.* 581. & *ſeqq.*
Mel in ramis, aut foliis arborum quomodo conficiatur? *tom.* 2. *pag.* 73. *col.* 1. & 2.
Mel, quod palato eſt ſuave, moleſtum eſt oculis. *tom.* 6. *pag.* 120. *col.* 2.
Mellitæ, piſciculi, quibus Balænæ veſcuntur. *tom.* 5. *pag.* 275. *col.* 1.
Membra gemina inæqualis ſolent eſſe virtutis. *tom.* 6. *pag.* 84. *col.* 1.
Membra hominum poſt reſurrectionem non habebunt eoſdem uſus. *tom.* 1. *pag.* 265. *col.* 1.
Membra omnia conſpiciuntur in carnea mole extracta ex utero, ſi aqua infundatur. *tom.* 2. *pag.* 242. *col.* 2.
Membrana perforata, redditus eſt ſurdo auditus. *tom.* 2. *pag.* 317. *col.* 1.
Membrana ſtrepitum edunt cicadæ. *tom.* 2. *pag.* 456. *col.* 1.
Membrum fere nullum movebat quidam. *tom.* 2. *pag.* 262. *col.* 2.
Memoria an differat a phantaſia? *tom.* 1. *pag.* 355. *col.* 2. plicis chartæ ſimilis. *p.* 353. & *ſeqq.* *tom.* 3. *pag.* 432. *col.* 2.
Memoria inventorum ſuorum Epicurus in doloribus ſolabatur ſeſe. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 1.
Memoria quare amittatur? *tom.* 1. *pag.* 340. *col.* 1.
Memoria quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 396. *col.* 1. *pag.* 406. *col.* 1.
Menoeceus Epicureus. *tom.* 5. *pag.* 151. *col.* 5.
Mens. *Vide* Intellectus. Rationalis anima.
Mens eſt, quæ judicat, ideo fallitur, non ſenſus. *tom.* 3. *pag.* 431. *col.* 1.
Menſe ſexto natus muris quaſi ſtridorem edebat, & vixit. *tom.* 2. *pag.* 255. *col.* 1.
Menſe uno Sol revolvitur ſupra ſuum axem. *tom.* 3. *pag.* 469. *col.* 2.
Menſes duos geſtatur in utero felis. *tom.* 2. *pag.* 242. *col.* 1.
Menſes plures mulier non cognovit ſibi crus reſectum eſſe. *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 1.
Menſis diſtinguitur in naturalem, & civilem. *tom.* 5. *pag.* 491. *col.* 2.
Menſium decem fuit dies maximus, quo initio Mundi homines e terra prodierunt. *tom.* 2. *pag.* 256. *col.* 5.
Mentem eſſe corpus aliqui Sancti Patres opinati ſunt. *tom.* 3. *pag.* 350. *col.* 2.
Mentis amentia medicamento depulſa, occiſum ſe quis querebatur. *tom.* 2. *pag.* 405. *col.* 1.
Mercurii magnitudo. *tom.* 4. *pag.* 539. *col.* 5.
Mercurius. *Vide* Hydrargyrus.
Mercurium in Sole videre an potuerit Keplerus? *tom.* 4. *pag.* 541. *col.* 1.
Mercurius Planeta in diſco Solis conſpectus. *tom.* 5. *pag.* 260. *col.* 1.
in Meridiano exiſtentes Sol, & Luna minores videntur, quam prope Horizontem. *tom.* 3. *pag.* 385. & *ſeqq.*
Meridie exiſtente quidam fontes frigent, noctu caleſcunt. *tom.* 2. *pag.* 49. *col.* 2.
Merovæum natum eſſe ex Tritone, & muliere tradunt. *tom.* 2. *pag.* 426. *col.* 2.
Μετεμψύχωσις. *tom.* 5. *pag.* 129. *col.* 2.
Metrocles vitam finiturus erat ob crepitum emiſſum. *tom.* 2. *pag.* 17. *col.* 1.
Metrodorus. *tom.* 5. *pag.* 150. *col.* 1.
Metrodorus conſtantiſſimus fuit adverſus dolorem, & mortem. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 5.
Metu quare pili ſurrigantur? *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 1. & 2.
Metus quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 431. & *ſeqq.* cur ſitim creet. *pag.* 434. *col.* 2. cur ſolvat ventrem, & veſicam. *ibid.*
Microſcopio detectum eſt, pulverem ex caſeo conſtare animalculis. *tom.* 2. *pag.* 403. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 435.
Midas ex faba gignitur. *tom.* 2. *pag.* 227. *col.* 1.
Miles abſtemius febricitans vinum ſuaviſſime guſtabat. *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 583. *col.* 1.
Militiæ utiliores pedites equitibus. *tom.* 2. *pag.* 670. *col.* 1.
Milites quales eligendi? *tom.* 2. *pag.* 670. *col.* 2. & *pag.* 675. *col.* 5.

Mili-

Militis in corde repertæ ſunt cicatrices. *tom.* 2. *pag.* 191. *col.* 2.
Militum animos erexit Pericles, conſternato Exercitu ob viſam Solis eclipſin. *tom.* 6. *pag.* 197. *col.* 2.
Mille ducentis nummis emptus Mullus. *tom.* 5. *p.* 481. *col.* 2.
ad Milliaria quingenta odorantur vultures. *tom.* 2. *p.* 314. *col.* 1.
ad Milliaria quinquaginta odorem Oræ Liguſticæ ſentiunt nautæ. *tom.* 1. *pag.* 399. *col.* 2. *& tom.* 2. *pag.* 324. *col.* 1.
Milliaria nongenta una hora conficit ſonus. *tom.* 1. *pag.* 366. *col.* 2. *tom.* 2. *pag.* 316. *col.* 1. *& pag.* 327. *col.* 1.
Milliaria ſexaginta quidam natando conficiebat. *t.* 2. *pag.* 476. *col.* 1.
Millies mille talenta argenti David moriens teſtatus eſt ſe relinquere in ſtructuram Templi. *tom.* 5. *pag.* 483. *col.* 2.
Milvus exterruit gallinam, & nati ſunt pulli capite milvino. *tom.* 2. *pag.* 253. *col.* 2.
Minuto ſecundo ſonus conficit ducentos triginta hexapodas *tom.* 2. *pag.* 316. *col.* 1. *& pag.* 327. *col.* 1.
Miſericordia quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 423. *col.* 1.
Miſericordia an ſit virtus? *tom.* 2. *pag.* 687.
Miſerius nihil ſtultitia. *tom.* 3. *pag.* 26. *col.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 3.
Mixta omnia componi ex quatuor elementis duntaxat non poſſunt. *tom.* 1. *pag.* 211. *col.* 1.
Mixta ut generentur qualis mixtio principiorum requiratur? *tom.* 2 *pag.* 404. *col.* 2. *& pag. ſeqq.*
Mobile ex projectione quomodo motum acquirat? *tom.* 1. *pag.* 310. *col.* 1. in ſpatiis imaginariis perpetuo moveretur, ſi ſemel motum acceperit. *pag.* 311. *col.* 2. *& tom.* 3. *pag.* 451. *col.* 1. exquiſitiſſime rotundum per terram exquiſitiſſime tornatam perpetuo moveretur. *pag.* 311. *col.* 2. quare reflectatur? *pag.* 314 *col.* 1.
Mobile projectum eodem tempore aſcendit, quo deſcendit. *tom.* 3. *pag.* 442. *col.* 2. *Vide* Projectum.
Mobilium aſcendentium motus non acceleratur. *tom.* 1. *pag.* 189. *col.* 1.
Moderatio. *Vide* Lenitas.
Modeſtia non exigit, ut negligatur honor dignitati debitus. *tom.* 2. *pag.* 688. *col.* 1.
Modus, ſeu qualitas ſubſtantiæ ſolum innovatur in generatione. *tom.* . *pag.* 412. *& ſeqq.* & corruptione. *pag.* 417 *& ſeqq.*
Mœror. *Vide* Triſtitia.
coram Mohammede Balbini deſcribunt animal inter cornua Terram ſuſtinens. *tom.* 2. *pag.* 9. *col.* 2.
Molecula carnis ex utero extracta poſt ſex dies ſi aquæ infundatur, omnia membra apparent. *tom.* 2. *pag.* 242. *col.* 2.
Moleſtia quomodo efficiatur? *tom.* 2. *pag.* 410. *col.* 1.
Moleſtia ſe afficiendos poſt mortem ob privationem voluptatis aliqui putant. *tom.* 3. *pag.* 75. *col.* 2.
Molinæi nomen in Romana Curia exoſum. *tom.* 6. *pag.* 571. *col.* 1.
Molis diverſæ gravia ejuſdem materiæ æquali velocitate deſcendunt. *tom.* 1. *pag.* 309. *col.* 1. *& p.* 342. *col.* 2. *& tom.* 3. *pag.* 451. *col.* 1.
Mollities corporum quid ſit? *tom.* 1. *pag.* 355. *col.* 2. *& pag. ſeqq.*
Mollitiem contrahunt bibentes aquam fontis ſalmacis. *tom.* 2. *pag.* 54. *col.* 1.
Momentorum ſingulorum, quibus grave deſcendit, quadrata æqualia ſunt ſpatiis confectis a gravi. *tom.* 1. *pag.* 308. *col.* 1. *& pag.* 316. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 440. *col.* 2. *& pag.* 453. *col.* 2.
Monarcha quomodo ſe gerere debeat? *tom.* 2. *p.* 668. *& ſeqq.*
Monetarum valor, & uſus varius. *tom* 5. *pag.* 237. *col.* 1. *& pag.* 238. *col.* 1. *&* 2.
Monochordon, ſeu harmonicam ſcalam Guido Aretinus Benedictinus Monachus invexit. *tom.* 5. *p.* 596. *col.* 1.
Monoculus quidam natus eſt. *tom.* 2. *pag.* 250. *col.* 2.
Monſtra quare gignantur interdum? *tom.* 2. *p.* 250. *col.* 2.
Montes aliqui cur flammas eructent? *tom.* 2. *p.* 382 *& ſeqq.*
Montium altitudo quanta ſit? *tom.* 2. *pag.* 6. *col.* 2. & quomodo metienda? *pag.* 7. *col.* 1. *& pag.* 0. *col.* 1.
Montium receptacula ad aquam ſontibus miniſtrandam. *tom.* 5. *pag.* 254. *col.* 1.
Moralibus rationibus probatur immortalitas animi. *tom.* 2. *pag.* 554. *col.* 2. *& pag. ſeqq.*
Moralis Philoſophiæ partium princeps. *tom.* 6. *p.* 123. *col.* 2.
Morbi dierum criticorum cauſa ad Lunam referri non poteſt. *tom.* 2. *pag.* 502. *col.* 1. *&* 2.
Morbo veſicæ, & viſcerum laboravit Epicurus. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 1.
Morbo eodem correptos fratres eodem tempore ſuſpicatus eſt Hippocrates eſſe geminos. *tom.* 2. *p.* 49. *col.* 2.
Morborum Criſes quæ ſint? *tom.* 2. *pag.* 501. *col.* 2. *& pag.* 502. *& ſeqq.*
Morborum curationem natura facilem eſſe voluit. *tom.* 2. *pag.* 503. *col.* 2. *& pag.* 504
Morborum ſegetem, mentiſque caliginem ex eo maxime oriri in nobis, quod caro cibus corpulentior, & nimis ſubſtantialis prægravet ſtomachum. *t.* 6. *pag.* 21. *col.* 1.
Morbus quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 496. *col.* 1. *& pag.* 497. *& ſeqq.*
Mores dumtaxat docere voluit Sacra Scriptura. *t.* 3. *pag.* 213. *col.* 1.
Mores multorum penitus diverſi. *tom.* 3. *pag.* 181. *col.* 2.
Morientibus gratulabantur Cauſiani, & Thraces, deflebant verò naſcentes. *tom.* 2. *pag.* 592. *col.* 2.
Morini demonſtrationes quænam ſint? *tom.* 3. *pag.* 492. *col.* 1. *&* 2. *& pag.* 493. *col.* 1.
Morini demonſtrationes examinantur, & confutantur. *tom.* 3. *pag.* 403. *uſque ad* 509.
Morinus conceptor peregregius. *tom.* 3. *pag.* 497. *col.* 2.
Moriuntur octavo anno quædam feminæ. *tom.* 2. *p.* 518. *col.* 1.
Mors æquo pede & Regum turreis, & pauperum tabernas pulſat *tom.* 3. *pag.* 599. *col.* 2.
Mors Animalium quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 532. *col.* 1. *& ſeqq.*
Mors Attilii Reguli examinatur. *tom.* 2. *pag.* 625. *& ſeqq.*
Mors nihili facienda eſt. *tom.* 2. *pag.* 585. *& ſeqq.*
Morſus Phalangii Appuli ſaltitare facit. *tom.* 1. *p.* 397. *col.* 1.
Mortalem animam exiſtimantes non omnino perire cenſebant. *tom.* 3. *pag.* 224. *col.* 2.
Morte hominis animam non omnino perire exiſtimabant etiam ij, qui mortalem dicebant. *tom.* 3. *pag.* 224. *col.* 2.
poſt Mortem animarum ſtatus qualis ſit? *tom.* 2. *p.* 575. *& ſeqq.*
poſt Mortem aliqui putant ſe moleſtia afficiendos ob privationem voluptatis. *tom.* 3. *pag.* 75. *col.* 2. *& pag.* 77. *col.* 2.
Mortem, atque orbitatem Liberorum conſtantiſſime pertulerunt Pericles, Anaxagoras, & alii. *tom.* 6. *pag.* 176. *col.* 1.
Mortem contempſit Metrodorus. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 1.
Mortem expectavit Canius latrunculis ludens. *tom.* 2. *pag.* 596. *col.* 1.
Mortem oppetere multos perſuadebat Hegeſias. *tom.* 1. *pag.* 18. *col.* 1.
Mortem ſibi quis inferre non debet. *tom* 2. *pag.* 590. *col.* 1.
Mortem ſibi inferebant multi moti oratione Hegeſiæ, ideo prohibitus eſt ſic declamare. *tom.* 2. *pag.* 592. *col.* 1.
Mortui. *Vide* Defuncti.
Mortui aliqui habebantur, & e rogo, aut feretro evaſerunt. *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 1. alii ſuſcitati dicuntur. *pag.* 576. *col.* 2. *& pag.* 577. *col.* 2.
Mortui quidam ſunt riſu. *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 1. quidam triſtitia. *pag.* 425. *col.* 1.

Digitized by Google

Mortuorum cadavera cur immergantur, & poſt emergant? *tom. 2. pag. 476. col. 1.*
Mortuorum reſurrectio quomodo fiet? *tom. 1. p. 574. col. 2. & ſeqq.*
Mortuos aliquos revixiſſe fabuloſum. *tom. 2. p 575. col.* .
Mortuos revicturos exiſtimabant Magi. *tom. 2. p. 546. col. 1.*
Mortuus eſt Pan. *tom. 3. pag. 173. col. 1.*
Mortuus in Proconneſo, vivus erat in Sicilia Ariſteas, *tom. 2. pag. 577. col. 1.*
Mos Cauſianorum, & Thracum flendi naſcentes, & gratulandi morientibus. *tom. 2. pag. 592. col. 2.*
Moſes fabulam de animali narrat. *tom. 2. pag. 147. col. 1.*
Motrix vis, &c. *Vide*: Vis motrix animalium, &c.
Motu deſtitutum omne membrum habebat quidam. *tom. 1. pag. 462. col. 2.*
Motu Terræ explicatur fluxus, & refluxus Maris a Seleuco, & Galilæo. *tom. 1. pag. 394. col. 2.*
ex Motu Terræ declaratur ventus æquabilis, qui continuo in Occaſum flat inter Tropicos. *tom. 1. pag. 57. col. 2.*
Motu Terræ explicatur fluxus, & refluxus Maris. *tom. 3. pag. 459. col. 2. & ſeqq.*
Motui Terra non repugnat. *tom. 3. pag. 463. col. 2.*
Motum amittit nervo ligato pars illa, quæ eſt poſt ligaturam. *tom. 1. pag. 413. col. 1.*
Motum Lunæ menſtruum eundem eſſe cum diurno Terræ. *tom. 3. pag. 490. col. 1.*
Motum non dari probabat Zeno, ſi continuum eſſet diviſibile in infinitum. *tom. 1. pag. 231. col. 1. & pag. 290. col. 2.*
Motum non dari quibus argumentis probetur? *tom. 1. pag. 235. col. 1. pag. 299. col. 2. & pag. 301 col. 1.* & quomodo ea ſolverit Diogenes? *p. 299. col. 2.*
Motum quem habeant plantæ, & Zoophyta? *tom. 2. pag. 300. col 1. & 2.*
Motum rerum gravium ex alto decidentium velociorem eſſe in fine, quam in medio, & in medio, quam in ipſo principio. *tom. 3. pag. 510. col. 2.*
Motum ſyſtoles, & diaſtoles habet etiam cerebrum. *tom. 2. pag. 283. col. 2.*
Motum Terræ, pendulum, quod bis die agitatur inſtar Maris probat *tom. 4. pag. 361. & ſeqq.* id revocatur in dubium. *tom. 3. pag. 485.*
Motus animalium quomodo fiat? *tom. 2. pag. 442 & ſeqq.*
Motus Animalium nullus eſt ſimpliciter rectus. *tom. 3. pag. 445. col 1.*
Motus aſcendentium non acceleratur, ſed minuitur. *tom. 1. pag. 589. col. 1.*
Motus atomorum ad perpendiculum. *tom. 1. p. 240. col. 1.* declinationis. *pag. 241. col. 1.*
Motus centrum verſus convenit Terræ partibus, non ipſi Terræ *tom. 3. pag. 461. col. 1.*
Motus cæleſtis omnium maxime naturalis, quatenus eſt præ ceteris æquabilis, atque perpetuus. *tom. 3. pag. 406. col. 1.*
Motus demonſtrat dari vacuum diſſeminatum. *tom. 1. pag. 171. col. 1. & tom. 3. pag. 400. col. 2.*
Motus eſt progreſſio de loco in locum. *tom. 6. p. 136. col. 1.*
de Motus æquabiliter accelerati definitione. *tom. 3. p. 512. col. 1.*
Motus gravium acceleratur. *tom. 1. pag. 306. col. 1.* & qua proportione? *tom. 1. p. 308. col. 1. & tom. 3. pag. 45 . & ſeqq.* ratio hujus proportionis. *p. 309. col. 1. & 2. tom. 1. pag. 41. col. 2. tom 3. pag. 440. col. 1. & tota pag. 453.*
Motus gravium horizontalis magis naturalis, quam perpendicularis? *tom. 3. p. 445. col. 1. & p. 446. col.* . perpetuus foret ex ſe. *ibid.*
Motus Lunæ menſtruus quid cauſetur? *tom. 3. p. 489. col. 2.*
Motus in quo differat a mutatione? *tom. 1. p. 3 8. col. 1.*
Motus inæqualitas octavæ Sphæræ falſa eſt. *tom. 4. pag. 570. col. 2.*
Motus involuntarii partium animalis qui ſint? *tom. 2. pag. 449. col. 1. & 2.*
Motus in vacuo non eſſet inſtantaneus. *tom. 1. p. 80. col. 1. & pag. 244. col.* .
Motus in vacuo eſſet perpetuus. *tom. 3. pag. 452. col. 1.*
Motus naturalis qui ſit, & qui violentus? *tom. 1. pag. 301. col. 2.*
Motus noſtri, & rerum a nobis motarum, ſi corpus, cui inſiſtimus, moveatur, perinde fiunt, ac ſi illud quieſceret. *tom. 3. pag. 455. & ſeqq.*
Motus nullus quodammodo non eſt naturalis. *tom. 3. pag. 444. col. 1.*
Motus omnis cauſa eſt motus atomorum. *tom. 3. pag. 426. col. 2.*
Motus projectorum quomodo creetur? *tom. 1. p. 310. col. 1.*
Motus Terræ potius confirmatur, quam refutetur ex ſtatione, & retrogradatione Planetarum. *tom. 3. pag. 468. col. 1. & 2.*
Motus Terræ, qui dicitur inclinationis, ſeu declinationis, ſeu paralleliſmi, quid ſit? *tom. 3. p. 465. col. 1.*
Motus quomodo probet eſſe inane, ſive vacuum? *tom. 3. pag. 7. col. 1. verſ. 14. Can. 3. verſ. 4. Can. 4.*
Moveri incipiunt piſces educti ex glacie in Ponto, dum elixantur. *tom. 2. pag. 231. col. 1. & 2.*
Mulæ interdum concipiunt. *tom. 2. pag. 253. col. 1.*
Mulier butyri odorem averſabatur, unguenti alia. *tom. 1. pag. 362. col. 2. & tom. 3. pag. .8 . col. 1. & p. 384. col. 2.*
Mulier cum frontem cum alia colliſiſſet, peperit gemellas frontibus cohærentes. *tom. 2. pag. 251. col. 2.* alia confoſſa pluribus pugionis ictibus peperit filium cum maculis in iiſdem partibus. *tom. 2. pag. 252. col. 1.*
Mulier habebat totum corpus flexibile. *tom. 2. p. 462. col. 2.*
Mulier non cognovit ſibi crus ſectum fuiſſe per plures menſes. *tom. 2. pag. 309. col. 1.*
Mulierculæ miſericordes ſunt. *tom. 2. pag. 687. col. 2.*
Mulierem ſalutavit Democritus, cum conſtuprata fuiſſet, quam pridie virginem ſalutaverat. *tom. 3. pag. 189. col. 1.*
Mulieres deperire Tritones dicuntur. *tom. 1. p. 426. col. 2.*
Mulieres quanto tempore fetum in utero geſtent? *tom. 2. pag. 255. col. 1.*
Mulieres quare facile iraſcantur? *tom. 2. pag. 438. col. 2.*
Mulieres, quæ in ſenectute pepererunt. *tom. 2. p. 523. col. 1. & 2.*
Molieris e naſo ſpica farris nata. *tom. 2. pag. 150. col. 2.*
Mullus emptus nummis mille ducentis. *tom. 5. p. 85. col. 1.*
Multipedum greſſus quomodo fiat? *tom. 2. pag. 469. col. 2.*
Multiplicem fetum quæ animalia edant? *tom. 2. pag. 248. col. 1.*
Multitudo loliginum tanta eſt, ut naves demergant. *tom. 2. pag. 472. col. 1.*
Mulus ne ab incerniculis arceretur, publico decreto ſancitum eſt. *tom. 2. pag. 531. col. 2.*
Mundi an plures ſint? *tom. 1. pag. 125. col. 2. & pag. ſeqq.*
Mundi initio, dies maximus, quo homines e terra prodierunt ſuis decem menſium. *tom. 2. p. 135. col. 1.*
de Mundo librum quis conſcripſerit? *tom. 1. p. 330. col. 2.*
Mundum creavit Deus. *tom. 1. pag. 273. col. 1.* gubernat. *pag. 280. col. 2.*
Mundus an interiturus ſit? *tom. 1. pag. 152. col. 2.* quot annos duraturus ſit? *pag. 158. col. 1.* quid ſit futurum poſt illius finem? *pag. 158. col. 2.*
Mundus verno tempore incœpit. *tom. 3. pag. 26. Cap. 2.*
Munſterus narrat pregnantem colliſiſſe frontem ad

aliam

aliam, inde natas eſſe gemellas frontibus cohærentes. *tom.* 2. *pag.* 251. *col.* 2.
Muris ſtridorem odebat natus ſexto menſe. *tom.* 2. *pag.* 255. *col.* 1.
Murmur aquæ ſentientes vulpes non tranſeunt flumen in glaciem verſum. *tom.* 2. *pag.* 358. *col.* 2.
Mus Epicureus. *tom.* 5. *pag.* 251. *col.* 1.
Muſcarum lingoa multicuſpis microſcopio conſpicua. *tom.* 5. *pag.* 262. *col.* 2.
Muſcas diſtantes Chamæleon capit. *tom.* 1. *p.* 393. *col.* 1. & *tom.* 2. *pag.* 452. *col.* 1.
Muſcæ ſtridorem alis efficiunt. *tom.* 2. *pag.* 456. *col.* 2.
Muſæum Friderici Contareni inſtructiſſimum. *tom.* 5. *pag.* 216. *col.* 1.
Muſica inutilis, ſegnes, bibax, pecuniarum prodiga. *tom.* 5. *pag.* 203. *col.* 1.
Muſica nomen habet ab ipſis Muſis, quæ Deæ habentur cantus præſides. *tom.* 5. *pag.* 575. *col.* 2.
Muſica voluptatum, & gratiarum ſeges ex Plutarcho. *tom.* 5. *pag.* 196. *col.* 2.
Muſtum cur extinguat lumen? *tom.* 2. *pag.* 189. *col.* 2.
Muſtellæ non ſunt ſcorpiones Luciani. *tom.* 2. *p.* 472. *col.* 2.
Mutatio in quo differat a motu, & actione, & paſſione? *tom.* 1. *pag.* 318. *col.* 2.
Mutatio ſolum qualitatis, ſeu modi ſubſtantiæ ſit in generatione. *tom.* 1. *pag.* 414. & *ſeqq.* & ſic in corruptione. *pag.* 417. & *ſeqq.*
Mutatio Elementorum ex uno in aliud non datur. *tom.* 1. *pag.* 210. & *pag.* 211. *col.* 1.
Mutationes medicinæ quot fuerint? *tom.* 2. *pag.* 504. *col.* 2. & *pag.* 505. & 506.
in Myſterio Euchariſtiæ panis, & vini ſpecies vocat Concilium Tridentinum, non accidentia. *tom.* 3. *pag.* 153. *col.* 1 & 2.
Myopibus quare proſint vitra concava? *tom.* 5. *p.* 274. *col.* 2.

N

NAſi magna pars Tychoni Braheo a Manderupio exciſa. *tom.* 5. *pag.* 340. *col.* 1. & 2.
Naphtba ex intervallo ignem concipit. *tom.* 2. *p.* 35. *col.* 2. & *pag.* 36. *col.* 2.
Narium affrictus cur ſternutationem provocet? *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 2.
Naſcentes flebant Cauſiani, ac Thraces, gratulabantur autem morientibus. *tom.* 2. *pag.* 598. *col.* 2.
e Naſo mulieris farris ſpica nata. *tom.* 2. *pag.* 150. *col.* 2.
Natabat quidam per ſexaginta milliaria. *tom.* 2. *p.* 476. *col.* 1.
Natatus piſcium quomodo fiat? *tom.* 2. *p.* 473. *col.* 2. & *p. ſeqq.* Avium aquaticarum. *pag.* 475. *col.* 1. hominum. *pag.* 475. *col.* 2. *pag.* 476.
Nates vitreas habere ſe quidam putabat. *tom.* 2. *pag.* 365. *col.* 1.
Nati ex belluis qui dicantur? *tom.* 2. *pag.* 426. *col.* 2.
Nativitas animalium quomodo eveniat? *tom.* 2. *p.* 253. *col.* 2.
Natura aquæ quæ ſit? *tom.* 3. *pag.* 489. *col.* 2.
Natura conformavit homines, ut veſcerentur herbis, & fructibus, non carnibus. *tom.* 2. *pag.* 261. *col.* 2.
Natura ne, an arte nomina impoſita ſint? *tom.* 2. *pag.* 459. *col.* 2.
Natura non eſt noverca hominibus. *tom.* 2. *p.* 640. *col.* 2.
Natura, non arte orationem inſtitui. *tom.* 5. *p.* 195. *col.* 2.
Naturale præceptum: quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. *tom.* 3. *pag.* 85. *col.* 2.
Naturalem Philoſophiam &c. *Vide* Phyſicam.
Naturalis motus qui ſit, & qui violentus? *tom.* 1. *pag.* 301. *col.* 2.
Naturalis potius eſt motus horizontalis, quam perpendicularis gravium deſcendentium. *tom.* 3. *p.* 445. *col.* 2. & *pag.* 446. *col.* 2.
Navale certamen inter Svecos, & Danos. *tom.* 6. *pag.* 187. *col.* 1.
Naves an ſiſtat Echeneis? *tom.* 2. *pag.* 308. *col.* 2.
Navigia demergunt loligines, tanta multitudine congregati volant. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.
Navigantes. *Vide*: Nautæ.
Navigantes qua parte navis agitationem minimam experiantur? *tom.* 5. *pag.* 230. *col.* 2.
Nauſiphanes Epicuri Præceptor, & Pyrrbonis auditor. *tom.* 6. *pag.* 105. *col.* 2.
Nautæ facilius, & breviore tempore iter conficiunt in Occaſum, quam in Ortum. *tom.* 3. *pag.* 456. *col.* 2.
Nautæ ſentiunt odorem Oræ Liguſticæ ad quinquaginta milliaria. *tom.* 1. *pag.* 399. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 1.
Neceſſitas nulla eſt Logicæ. *tom.* 3. *pag.* 139. & *ſeqq.*
Neceſſitas ponendi principium aliquod materiale, ſeu materiam primam. *tom.* 1. *pag.* 202. *col.* 1.
Neceſſitudo Peireſkium inter, & Auguſtum Thuanum. *tom.* 5. *pag.* 224. *col.* 1.
Neleus Scepſius fuit heres librorum Ariſtotelis, & Theophraſti. *tom.* 3. *pag.* 114. *col.* 2.
Nepos, ex filia ſimilis avo, non filia patri fuit. *tom.* 2. *pag.* 246. *col.* 2.
Nere didicit Siren. *tom.* 2. *pag.* 170. *col.* 2.
Nervo religato, pars corporis poſt ligaturam motum amittit. *tom.* 2. *pag.* 413. *col.* 1.
Nicanor Epicureus. *tom.* 5. *pag.* 251. *col.* 1.
Nicolaus Faber Petriſcius in re nummorum antiquaria longe doctiſſimus. *tom.* 5. *pag.* 230. *col.* 2.
Nicolaus Roccoxius rei antiquariæ ſtudioſus. *tom.* 5. *pag.* 232. *col.* 1.
Nigræ capræ, & primi partus eſſe lac cognovit Democritus. *tom.* 3. *pag.* 189. *col.* 1.
Nigua ſub unguibus pedum lancinat dormientes. *t.* 2. *pag.* 229. *col.* 2.
Nihil eſſe parta ab omni beatum. *tom.* 6. *pag.* 180. *col.* 1.
Nihil violentum eſſe perpetuum. *tom.* 3. *pag.* 496. *col.* 2.
Nihil ſcire licet ex rebus naturæ, præter ipſarum hiſtoriam. *tom.* 3. *pag.* 503. *col.* 2.
Nihil eſſe repueraſcente ſene importunius. *tom.* 5. *pag.* 186. *col.* 2.
Nihil æque amicos, ac beneficentia, & obſequium parit. *tom.* 5. *pag.* 291. *col.* 2.
Nihil in vita mortalium omni ex parte beatum. *tom.* 6. *pag.* 191. *col.* 2.
Nili exundatio e ſolutis nivibus. *tom.* 3. *pag.* 254. *col.* 1.
Nili initium eſſe in India ad Hydaſpen credidit Alexander. *tom.* 4. *pag.* 574. *col.* 2.
Nili origo ubi ſit? *tom.* 2. *pag.* 21. incrementum ſit ex pluviis Zonæ auſtralis temperatæ. *p.* 23. *col.* 2.
Nilus ubi deſeruit agros, reperiuntur animalia inchoata, quæ partim adhuc terra ſunt, partim vivunt. *tom.* 3. *pag.* 27. *col.* 2.
Ninxit copioſe anno 1641. in Ægypto. *tom.* 4. *p.* 467. *in fin.*
Nitocridee inſcriptione ſepulcrali deluſit Darius. *tom.* 2. *pag.* 729. *col.* 2. & *pag.* 730. *col.* 1.
Nivem creari, formarique ex ſeminibus propriis, ut lapides. *tom.* 5. *pag.* 254. *col.* 1. num fertilitatis ſit cauſa, & quomodo id contingat? *ibid.* Terræ pingues halitus reprimit, & in alimentum ſatorum convertit. *ibid.*
ſub Nivibus condunt ſe galli, voratis betulæ baccis. *tom.* 2. *pag.* 480. *col.* 2.
Nivis figura ſexangula, ſeu ſtellata. *tom.* 5. *p.* 253. & 254. *col.* 1. & 2.
Nix gignit Oripas. *tom.* 2. *pag.* 232. *col.* 1.
Nix quare candida ſit? *tom.* 1. *pag.* 384. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 396. *col.* 1. quare calore liquefiat? *pag.* 384. *col.* 2.
Nix quomodo generetur? *tom.* 2. *pag.* 69. & *ſeqq.*
Nobilis mulier non ſenſit plures menſes ſibi crus ſectum eſſe. *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 1.

Nocentes puniuntur, ut alii deterreantur. *tom.* 2. *pag.* 706. *col.* 2.
Nocte una quidam incanuit. *tom.* 2. *pag.* 435. *col.* 1. *& pag.* 524. *col.* 1.
Noctilucæ, quarum lumine legere quis poteſt. *tom.* 1. *pag.* 383. *col.* 1.
Noctu quidam fontes calent, die frigent. *tom.* 2. *p.* 49. *col.* 2.
Nodos in ſcirpo quærere. *tom.* 3. *pag.* 496. *col.* 1.
Nomina rerum natura, an arte impoſita ſint? *tom.* 2. *pag.* 459. *col.* 2.
Nominis Chriſtiani oſor Turca. *tom.* 6. *pag.* 597. *col.* 1.
Non eſſe atomorum minus, quam Ariſtoteleæ materiæ tolerabilem in Religione poſitionem. *tom.* 3. *pag.* 577. *col.* 1.
Non quærendum eſt ſolum, ut fames, ut ſitis, ut frigus divitiis arceatur; ſed maxime, ut cum ſplendore ævum tranſigatur. *tom.* 5. *pag.* 291. *col.* 1.
Non qui plus habet, ſed qui minus cupit, dives eſt. *tom.* 6. *pag.* 323. *col.* 1.
Nongenties Seſtertiorum Apicius helluo decoxit. *t.* 5. *pag.* 482. *col.* 1.
Nonis, & Idibus quid occaſionem dederit? *tom.* 5. *pag.* 493. *col.* 2.
in Norvegia decidit Lemmar cum pluvia. *tom.* 2. *pag.* 230. *col.* 2.
Notarii a S. Clemente Papa inſtituti fuere, qui paſſiones Martyrum colligerent, & conſcriberent. *tom.* 5. *pag.* 569. *col.* 2.
Notarum inventor, & auctor Joannes Muria, aliter *Jean des Murs* Pariſinus. *tom.* 5. *pag.* 594. *col.* 2.
Notitiam futurorum contingentium habere Deum negat Ariſtoteles. *tom.* 3. *pag.* 129. *col.* 1.
Novatores religionis puniendi ſunt. *tom.* 4. *pag.* 669. *col.* 2.
Novæ Stellæ apparitio. *tom.* 5. *pag.* 536. *col.* 2.
November in tutela Dianæ. *tom.* 5. *pag.* 505.
Noverca hominibus natura non eſt. *tom.* 2. *p.* 640. *col.* 2.
Nubes ex Strongyle, aliiſque Vulcaniis excitata. *tom.* 5. *pag.* 245. *col.* 2.
Nullum eſſe præter Divinum, præſidium totum. *t.* 6. *pag.* 275. *col.* 1.
Nubes quomodo creentur? *tom.* 2. *pag.* 60. *col.* 1. *& pag.* 61. *& ſeqq.*
Numeris cur uterentur Pythagorei? *tom.* 2. *p.* 225. *col.* 2.
juxta Numeros impares velocitas gravium deſcendentium augetur. *tom.* 3. *pag.* 440. *col.* 2.
Numerus, & ſpecies dentium humanorum ex Helmontio. *tom.* 6. *pag.* 29. *col.* 1.
Nummus æreus Rogerii. *tom.* 5. *pag.* 228. *col.* 2.
Nutritio efficit, ut habitus minuatur. *tom.* 2. *p.* 340. *col.* 2.
Nutritio quomodo fiat? *tom.* 2. *pag.* 257. *col.* 1.
Nux Indica Cocos appellata. *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 1.

O

Obeliſcus Conſtantinianus. *tom.* 5. *pag.* 257. *col.* 2.
Objecta gemina quare conſpiciantur detortis oculis? *tom.* 3. *pag.* 424. *col.* 2. *& p.* 425.
Objectum quo loco cernatur utroque oculo aperto, aut altero tantum aperto. *tom.* 3. *pag.* 419. *& ſeqq.*
Oblivio unde oriatur? *tom.* 2. *pag.* 340. *col.* 2.
Obſcena in voluptate felicitatem non collocabat Epicurus. *tom.* 3. *pag.* 66. *col.* 1.
Obſcenitas ulla an detur? *tom.* 2. *pag.* 685. *col.* 2.
Obſcurum in locum ingredientes quare primo nihil videant? *tom.* 2. *pag.* 340. *col.* 1.
in Occaſum flat continuus ventus æquabilis inter Tropicos. *tom.* 2. *pag.* 57. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 456. *col.* 2.
Occaſum verſus nautæ facilius, & breviore tempore navigant. *tom.* 3. *pag.* 456. *col.* 2.
Occiſum ſe querebatur quis depulſa dementia. *tom.* 2. *pag.* 405. *col.* 2.
Occultatio Martis facta a Luna. *tom.* 4. *pag.* 547.
Occultæ qualitates, &c. *Vide* Qualitates &c.
Oceani figura ovalis juxta Morinum. *tom.* 5. *p.* 481. *col.* 2.
in Oceano inter Tropicos ſpirat continuo ventus æquabilis in Occaſum. *tom.* 2. *p.* 57. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 456. *col.* 2.
Oceanum non eſſe unum, ſed duo corpora, ſal nempe, & aquam, commixta quidem inter ſe, ſed naturam tamen propriam retinentia. *tom.* 3. *pag.* 505. *col.* 1.
Oceanus apud Antiquos erat continua illa exhalatio e terra, & per pluvias in terram revertens. *tom.* 2. *pag.* 62. *col.* 1.
Ocimum gignit ſcorpiones. *tom.* 2. *pag.* 231. *col.* 1.
Octahedrica ſunt corpuſcula aluminis. *tom.* 3. *p.* 400. *col.* 2.
Octavæ Sphæræ. *Vide*: Sphæræ octavæ. *Vide*: Stellarum inerrantium. *Vide*: Stellarum fixarum.
Octavia Auguſti ſoror *ducenta decem ſeſtertia* numerari juſſit Virgilio pro recitatis aliquibus Æneidos verſibus. *tom.* 5. *pag.* 481. *col.* 2.
Octavo anno moriuntur quædam feminæ. *tom.* 2. *pag.* 518. *col.* 1.
October in tutela Martis. *tom.* 5. *pag.* 504.
Octogenaria vetula dentes enixa. *tom.* 6. *pag.* 91. *col.* 1.
Oculi anatome a Peireskio celebrata. *tom.* 5. *p.* 274. *&* 275.
Oculi magnitudinem non eſſe pro ratione magnitudinis animalis, autopſia plurium oculorum, tum quadrupedum, tum piſcium, tum volatilium demonſtrat. *tom.* 5. *pag.* 275. *col.* 1.
ex Oculis efluxum qui dixerint efficere viſionem. *t.* 3. *pag.* 427. *col.* 2. *& pag.* 428. *col.* 1.
Oculis detortis cur gemina appareant? *tom.* 3. *p.* 424. *col.* 2. *& pag.* 425.
Oculis infirmis erat Democritus. *tom.* 5. *pag.* 43. *col.* 1.
Oculis privatus erat Democritus. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 2.
Oculis prominentibus quidam legebat, quando alii ob crepuſculum legere non poſſent. *tom.* 2. *p.* 340. *col.* 2. *& tom.* 3. *pag.* 181. *col.* 2.
Oculo altero tantum præditus natus erat. *tom.* 2. *pag.* 250. *col.* 2.
Oculo altero clauſo, ac utroque aperto objectum ubi conſpiciatur? *tom.* 3. *pag.* 419. *& ſeqq.*
in Oculo quomodo pingantur infinitarum rerum imagines? *tom.* 1. *pag.* 387. *col.* 2.
Oculo ſiniſtro characteres minores, & clariores; dextro majores, & obſcuriores videbat Gaſſendus. *tom.* 2. *pag.* 342. *col.* 1.
Oculorum alter ſi intendatur in objectum, quare alter ferietur? *tom.* 3. *pag.* 423. *col.* 2. *& p.* 424.
Oculorum altero an diſtinctius cernatur? *tom.* 3. *pag.* 425. *col.* 2.
Oculorum amborum axes nunquam coïre, ſicque angulum in re viſa non efficere, ſed perpetuo paralleliſmo incedere. *tom.* 5. *pag.* 275. *col.* 2.
Oculorum interſtitium cujuſdam animalis tantum eſt, ut volucris niſi mille annis tranſvolare non poſſit. *tom.* 2. *pag.* 9. *col.* 2.
Oculus domini pinguem facit equum. *tom.* 2. *p.* 663. *col.* 1.
Oculus vides objectum majus, aut minus pro menſura anguli ſpecierum. *tom.* 3. *pag.* 411. *col.* 1. *pag.* 412. *col.* 2. *& pag.* 415. *col.* 2. quomodo per viſionem metiatur diſtantiam? *tom.* 3. *pag.* 416. *col.* 1.
Odio habitæ rei dotes cur offendant? *tom.* 4. *p.* 429. *col.* 1.
Odium quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 423. *col.* 1. *& pag.* 428. *col.* 1.
Odor quid ſit, & quomodo afficiat nares? *tom.* 1. *pag.* 361. *col.* 2. *& tom.* 2. *pag.* 321. *col.* 2.
Odorem butyri quædam, quædam unguenti ferre non poterat. *tom.* 3. *pag.* 181. *col.* 1. *tom.* 1. *p.* 364. *col.* 1. *& tom.* 3. *pag.* 384. *col.* 2.

Odo-

Digitized by Google

Odorem cadaverum vultores ad qoingenta milliaria ſentiunt. *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 2.

Odorem conficientium corpuſculorum tenuitas. *tom.* 1. *pag.* 391. & 392.

Odores ſeotiunt e fundo maris piſces. *tom.* 2. *p.* 282. *col.* 2.

Odor oræ liguſticæ ad quinquaginta milliaria ſeſe diffundit. *tom.* 1. *pag.* 399. *col.* 2. *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 1.

Oeconomia io quo conſiſtat? *tom.* 2. *pag.* 661. & *ſeqq.*

Olearum ubertatem prædixit Thales. *tom.* 2. *p.* 752. *col.* 2.

Oleo tartari cum foliis ſenæ, aut oleo vitrioli cum foliis roſarum infuſis aqua rubeſcit. *tom.* 3. *p.* 322. *col.* 2. & *pag.* 323. *col.* 1.

Oleum ex pannis quare eluat lixivium, & ſapo. *tom.* 2. *pag.* 355. *col.* 1. & 2. & *pag.* 398. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 343. *col.* 1. & *pag.* 511. *col.* 1.

Oleum in cryptis congelatur hyeme, non autem æſtate. *tom.* 2. *pag.* 73. *col.* 2.

Oleum interficit apes, & veſpas. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.

Oleum tartari mixtum cum oleo vitrioli ebollit. *tom.* 2. *pag.* 322. *col.* 1.

Olfaciunt piſces e looginquo, & e fundo maris. *tom.* 2. *pag.* 282. *col.* 2.

Olfactus quibus organis perficiatur? *tom.* 1. *p.* 361. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 351. *col.* 2.

Omne triangulum habere tres angulos pares duobus rectis, demonſtratio eſt. *tom.* 3. *pag.* 498. *col.* 2.

Omnia verſat viciſſitudo. *tom.* 6. *pag.* 179. *col.* 2.

Omni ex parte beata oulla res eſt. *tom.* 6. *pag.* 181. *col.* 1.

Ὄνον Græci vocant machioam, quam Latini ſuculam, vulgo tornum. *tom.* 2. *pag.* 446. *col.* 1.

Opacitas corporum quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 332. *col.* 1. & *ſeqq.*

Operationes admirandæ ſomniantium. *tom.* 2. *p.* 364. *col.* 2. & *pag.* 365. *col.* 1.

Oppidum cuique ſuum Romam eſſe. *tom.* 6. *p.* 484. *col.* 2.

Optimarum rerum ſors adverſa. *tom.* 5. *pag.* 198. *col.* 2.

Oracula an prædicerent futura? *tom.* 2. *pag.* 757. *col.* 2. & *pag.* 758.

Oraculum dixit Gyge Rege feliciorem Ruſticom. *tom.* 2. *pag.* 583. *col.* 2.

Oraculum redditum Polycrati Sami tyranno. *tom.* 5. *pag.* 29. *col.* 2.

Oratione de laudibus mortis Hegeſias multos impulit ad mortem; ideo prohibitum ei fuit. *tom.* 2. *pag.* 592. *col.* 2.

in Orbem novum quomodo homines penetrarint? *tom.* 2. *pag.* 13.

Orbis magous an ſit quaſi punctum comparatum ad Firmamentum, & Sol quaſi una Fixa an Fixas quaſi Soles totidem habeat? *tom.* 3. *pag.* 582. *col.* 2.

Orbitatem, ac mortem Liberorum conſtantiſſime pertuleruot Anaxagoras, & alii. *tom.* 6. *pag.* 176. *col.* 2.

Orcadum inſularum litore ex fructu arboris naſcuntur aves. *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 1.

Ore expulſa eſt candela, quæ in pectus deciderat per vulnus. *tom.* 2. *pag.* 190. *col.* 2.

Oræ liguſticæ odorem nautæ ſentiunt ex quinquaginta milliaribus. *tom.* 1. *pag.* 399. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 1.

Organa outritionis quæ ſint? *tom.* 2. *pag.* 258. *col.* 1.

Organa ſuot cauſa inæqualitatis animarum. *tom.* 2. *pag.* 405. *col.* 1. & 2.

Origenis opinio de Aoima. *tom.* 2. *pag.* 209. *col.* 1.

Origo fontium, & fluviorum vera quæ ſit? *tom.* 2. *pag.* 17. & *ſeqq.* Nili. *pag.* 20.

Oripes ex oive gigountur. *tom.* 2. *pag.* 231. *col.* 1.

Orthodoxam fidem profitetur Gaſſeodus. *tom.* 3 *pag.* 159. *col.* 2.

Ortus animaliom quomodo contingat? *tom.* 2. *p.* 253. *col.* 2.

Oſcitatio quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 449. *col.* 1.

Oscontiouum loco dentium habebat Pruſias. *tom.* 2. *pag.* 510. *col.* 1.

Oſculata erat nullum uxor Gelonis, ideo crediderat omnes homines halitum fœtidum habere. *tom.* 3. *pag.* 108. *col.* 1.

Oſculo follium occluſo cur aſſeres diduci noo poſſint? *tom.* 3. *pag.* 433. *col.* 2.

Oſculo phialæ inverſo cur aqua non effluat? *tom.* 3. *pag.* 434. *col.* 1.

Oſſa flexibilia habebat quædam Mulier. *tom.* 2. *pag.* 462. *col.* 2.

Oſſa, quibus vaticinantur venatores. *tom.* 2. *p.* 147. *col.* 1.

Oſſa, & teſtacea animalia in plenilunio fecundiore humore pollent, forſitan ob copioſiorem reflexorum radiorum in humentem Lunam impactorum affluxum. *tom.* 5 *pag.* 282. *col.* 1.

ex Oſſe zygomate cuidam detracta fuerat portio quantus eſt unguis humanus. *tom.* 2. *pag.* 283. *col.* 2.

Oſtendæ obſidio memorabilis. *tom.* 5. *pag.* 237. *col.* 2.

Oſtenta qui nihili fecerint? *tom.* 2. *pag.* 753. *col.* 1.

Oſtrea quem ſenſum, aut motum habeant? *tom.* 2. *pag.* 300. *col.* 1. & 2.

Otium in prima ætate amplectendum. *tom.* 2. *p.* 672. *col.* 1.

Ova in Ægypto excluduntur calore ſimi, aut ignis. *tom.* 2. *pag.* 253. *col.* 2.

Ova pariunt anſeres die poſt coitum quadrageſimo, Bombyces altero. *tom.* 2. *pag.* 242. *col.* 1.

Ova cujus gallinæ eſſent cognoſcebant mulieres deliæ. *tom.* 3. *pag.* 424. *col.* 1.

Oviparæ quadrupedes totam hyemem oon reſpirant. *tom.* 2. *pag.* 281. *col.* 2.

P

PAcii iogenuitas, cum rogaretur ſententiam ferre de ſolaribus maculis. *tom.* 5. *pag.* 243. *col.* 1. & 2.

Pacius Imperialium Inſtitutionum Analyſin Peireskio dicavit. *tom.* 5. *pag.* 226. *col.* 1.

Palatum etiam ſapores percipit. *tom.* 2. *pag.* 310. *col.* 1.

Palma femina ſita juxta palmam marem fructus facit. *tom.* 1. *pag.* 596. *col.* 1. & 2.

Pan mortuus eſt. *tom.* 3. *pag.* 173. *col.* 2.

Pandectæ Florentinæ. *tom.* 5. *pag.* 216. *col.* 2.

Pandiculatio quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 449. *col.* 1.

Panis, & vini ſpecies vocat Concilium Tridentinum, non accidentia. *tom.* 3. *pag.* 153. *col.* 1. & 2.

Panni ſapone qoare eluantur? *tom.* 1. *pag.* 355. *col.* 1. & 2. & *pag.* 398. *col.* 2. *tom.* 2. *pag.* 143. *col.* 1. & *pag.* 533. *col.* 1.

Pantheon, rarum Architecturæ exemplar. *tom.* 5. *pag.* 217. *col.* 2.

Pappus obliquitatem Eclipticæ minorem obſervavit, quam Eratoſthenes, Hipparchus, & Ptolemæus deprehenderint. *tom.* 5. *pag.* 331.

Papput qui dicatur? *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 1.

Papyrus. *Vide* Charta.

Papyrus Ægyptia. *tom.* 5. *pag.* 365. *col.* 2.

Parabolicam lineam deſcribit projectum non perpendiculariter. *tom.* 3. *pag.* 440. *col.* 2. & ſi proiiciens perpendiculariter ſit in navi, quæ moveatur. *tom.* 3. *pag.* 441. *col.* 1. *pag.* 451. *col.* 2.

Paradiſi avis appellata in aëre perpetuo manet. *tom.* 3. *pag.* 178. *col.* 2. an pedibus careat? *tom.* 2. *p.* 468. *col.* 1.

Parallelismi motus Terræ quid ſit? *tom.* 3. *p.* 465. *col.* 2.

de Paralogyſmo, qui obiicitur Galileo definitionem ſpuriam impugnanti. *tom.* 3. *pag.* 514. *col.* 1.

Parcarum cujuſque muoera. *tom.* 2. *pag.* 732. *col.* 1.

Pares eſſe virtutes falſum eſt. *tom.* 3. *pag.* 65. *col.* 2.

Pareotes per medias flammas extulerunt aliqui. *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 1. & 2.

Paren-

Digitized by Google

Parentes pietate proſequi debemus. *tom.* 2. *p.* 225. *& ſeqq.*
Parentes quod aſpicerent trophæum ſuum Epaminondas nulla re magis lætabatur. *tom.* 2. *p.* 715. *col.* 2.
ex Parentibus an omnia animalia gignantur? *tom.* 1. *pag.* 4. 7. *col.* 2.
Parentibus nos ipſos debemus. *tom.* 3. *pag.* 86. *col.* 2.
Parentibus ſimiles filii cur naſcantur? *tom.* 2. *p.* 246. *col.* 2.
Parentum ſaluti ſalus Patriæ anteponenda eſt. *tom.* 2. *pag.* 708. *col.* 2. *& pag.* 716. *col.* 2.
Parhelia nón memorantur exquiſitiſſime rotunda. *tom.* 3. *pag.* 596. *col.* 2.
Parhelia Imperiorum clades, Principum diſſidia, Populorum factiones portendunt. *tom.* 3. *pag.* 598. *col.* 2.
Paria eſſe peccata, & pares eſſe virtutes falſum eſt. *tom.* 3. *pag.* 65. *col.* 2. *& pag.* 66. *col.* 1.
Pariunt quædam mulieres ſenes. *tom.* 2. *pag.* 525. *col.* 1. *&* 2.
Pariunt quinto anno quædam mulieres. *tom.* 2. *p.* 518. *col.* 1.
Pars extima animalium ab aëre dura fit. *tom.* 3. *pag.* 47. *col.* 1.
Partium animalis motus involuntarii qui ſint? *tom.* 2. *pag.* 449. *col* 1. *&* 2. qui voluntarii? *pag.* 450. *col.* 1. *&* 2. *& pag. ſeqq.*
Partus memorabilis. *tom.* 5. *pag.* 524. *col.* 2.
Partes Terræ moventur ad centrum ipſius, non verò ipſa Terra. *tom.* 3. *pag.* 451. *col.* 1.
Partus primi, & nigræ capræ lac eſſe cognovit Democritus. *tom* 3. *pag.* 189. *col.* 1.
Partus quomodo edatur? *tom.* 2. *pag.* 253. *col.* 2. & quanto tempore? *pag.* 255. *col.* 2.
Partus. *vide* Fetus.
Parvitas inſignis quarundam rerum. *tom.* 2. *p.* 236. *col.* 2.
Parvo contentus ditiſſimus eſt. *tom.* 3. *pag.* 74. *col.* 1.
Parvo vivere quæ virtus ſit? *tom.* 2. *pag.* 638. *& ſeqq.*
Paſcha nunquam celebrari ipſa Luna decimaquarta, ſed Dominica proxime inſequente. *tom.* 5. *pag.* 52.
Paſchatis celebrandi tempus a Nicæno Concilio præſcriptum. *tom.* 5. *pag.* 506. 507. *&* 508.
Paſſer, qui aliarum avium cantus didicit. *tom.* 2. *pag.* 458. *col.* 2.
Paſſio in diſtans non datur. *tom.* 1. *pag.* 320. *col.* 1. a ſimili in ſimile, vel a diſſimili in diſſimile. *tom.* 1. *pag* 321. *col.* 2. an eadem ſit ac mutatio? *pag.* 3 8. *col.* 2.
Paſſiones animæ quomodo efficiantur? *tom.* 2. *p.* 414. *& ſeqq.* & quot ſpecies illarum? *pag.* 415. *col.* 2. *& pag.* 416. *& ſeqq.*
Paſtoris e pectore natus prunulus. *tom.* 2. *pag.* 250. *col.* 2.
Patavinus quidam ruminabat. *tom.* 2. *pag.* 449. *col.* 2.
Pater tractus a filio, cum ad fores veniſſet, juſſit ceſſare, nam & ſe patrem ſuum non ulterius traxiſſe. *tom.* 2. *pag.* 728. *col.* 2.
Patrem lactavit filia. *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 2.
Patrem verberans ſe excuſavit, quod ille etiam patrem ſuum verberaverit, qui pariter ſuum. *tom.* 2. *pag.* 728. *col.* 2.
Patres Sancti, qui de Ariſtotele non bene loquuntur. *tom.* 3. *pag.* 113. *col.* 1.
Patri. *Vide*: Parentibus.
Patri Æthiopi ſimilis filia non fuit, ſed ejus filius. *tom.* 2. *pag.* 246. *col.* 2.
Patriæ ſalus ſaluti parentum anteponenda eſt. *tom.* 2. *pag.* 708. *col.* 2. *& pag.* 716. *col.* 2.
Patritius Chymicus. *tom.* 2. *pag.* 216. *col.* 2.
Paulus Gualdus Pinelli vitam conſcripſit. *tom.* 5. *pag.* 222. *col.* 2.
Paulus Sarpius, & Dominicus Molinus Viri docti, & litterarum amantes. *tom.* 5. *pag.* 216. *col.* 1.
Pauper eorum, quæ ad vitam tolerandam neceſſaria ſunt, nemo. *tom.* 5. *pag.* 136. *col.* 2.
Paupertas compoſita ad naturam præferenda magnis divitiis. *tom.* 3. *pag.* 74. *col.* 2. *&* 2.
Pauſilippus mons perforatus. *tom.* 5. *pag.* 218. *col.* 2.
Peccata Ariſtoteleorum in conſtituendis univerſalibus, ſeu prædicabilibus. *tom.* 3. *pag.* 346. *& ſeqq.*
Peccata omnia eſſe paria falſum eſt. *tom.* 3. *pag.* 66. *col.* 2.
e Pectore paſtoris natus prunulus. *tom.* 2. *pag.* 250. *col.* 2.
in Pectus cadens candela per vulnus expulſa eſt per os. *tom.* 2. *pag.* 190. *col.* 2. *& pag.* 192. *& pag.* 278. *col.* 2.
Pecunia ex quo primum ſic dicta fuerit? *tom.* 5. *pag.* 223. *col.* 2.
Pecuniam e ſepulcro ſumere volens Darius deceptus eſt inſcriptione. *tom.* 2. *pag.* 729. *col.* 2. *& p.* 730. *col.* 1.
Pedes nudatos dormientium ſubit Nigua, & ſub unguibus lacerat. *tom.* 2. *pag.* 229. *col.* 2.
Pedes quomodo moveant, quum incedunt quadrupedes? *tom.* 2. *pag.* 469. *col.* 2. *&* 2. *& tom.* 3. *pag.* 438. *col.* 1. & homines incedentes? *tom.* 3. *pag.* 438. *col.* 2.
Pedibus an careat paradiſi avis? *tom.* 2. *pag.* 468. *col.* 2. Cipſeli. *pag.* 468. *col.* 1.
Pedibus, manibuſque etiam revinctis, quidam in aquam demergi non poſſunt. *tom.* 2. *pag.* 476. *col.* 2.
Pedibus utriſque cur non inſiſtamus ſtantes, ſed uni tantum? *tom.* 3. *pag.* 422.
Pedicellus eſt Nigua, quæ ſub unguibus lacerat. *tom.* 2. *pag.* 229. *col.* 2.
Pediculus foliorum. *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 2. *verſ.* 55.
Pedis in planta cur titillatio ſit adeo ſenſibilis? *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 2.
Pedites utiliores equitibus. *tom.* 2. *pag.* 671. *col.* 1.
Peireskii, & Doctoris cujuſdam egregia compotatio. *tom.* 5. *pag.* 230. *col.* 2.
Peireskii habitus, & ſtatura. *tom.* 5. *pag.* 288. *col.* 2.
Ejus vitæ, cultûs, & menſæ genus. *ibid.*
Ejus cura in animalium educatione. *tom.* 5. *p.* 289. *col.* 2.
Dicere conſueverat, ſe perditum diem illum habere, in quo ſe quavis occaſione munificum non exhibuiſſet. *tom.* 5. *pag.* 291. *col.* 1.
Amavit potius fieri parcus donator, quam moleſtus creditor. *tom.* 5. *pag.* 291. *col.* 2.
Quæ amicis moriens legaverit? *tom.* 5. *pag.* 301. *col.* 2.
Peireskius Hollandiam perluſtrat. *tom.* 5. *pag.* 230. *col.* 2.
Peireskii inſomnium admirabile. *tom.* 5. *pag.* 238. *col.* 2. *pag.* 239. *col.* 1. Ejus multiplex eruditio. *tom.* 5. *pag.* 225. *col.* 2. Studium ipſius quam aſſiduum in Juriſprudentia? *tom.* 5. *pag.* 223. *col.* 2.
Pireskii ſtudium varium, & aſſiduum, & ab eo ægritudines illatæ. *tom.* 5. *pag.* 214. *col.* 1. *&* 2.
Peireskius celibem vitam conjugio prætulit. *tom.* 5. *pag.* 226. *col.* 2.
Peireskio bimeſtri maleficium illatum. *tom.* 5. *p.* 223. *col.* 1.
Peireskio quid acciderit in diverſorio? *tom.* 5. *p.* 230. *col.* 2.
Peireskius dolore dentium affectus. *tom.* 5. *pag.* 236. *col.* 2. Oculorum dolore preſſus. *pag.* 233. *col.* 1.
Peireskius Eccleſiaſticam perſonam induit. *tom.* 5. *pag.* 256. *col.* 1. Ejuſdem erga Patrem infirmum pietas, & obſequium. *pag.* 258. *col.* 1. Cardinalem Barberinum Legatum domo ſplendide excepit. *ibid.* *col.* 2. Ejuſdem modeſtia ſingularis. *pag.* 261. *col.* 2.
Peireskius Galilæo Galilei carus. *tom.* 5. *pag.* 220. *col.* 1. Hieronymo Fabricio ab Aquapendente ſummopere acceptus. *ibid.*
Peireskius Hollandiam perluſtrat. *tom.* 5. *pag.* 221. *col.* 2.
Peireskius Jacobo Angliæ Regi ſummopere carus. *tom.* 5. *pag.* 230. *col.* 2.
Peireskius inſatiata aviditate tenebatur noſcendi viſus organum, & quot proinde obſervationes peregerit? *tom.* 5. *pag.* 274. *col.* 2. In ejus oculis objectorum ſpecies geminatæ. *pag.* 275. *col.* 2.
Peireskius Myrto, Gelſeminum, & Apianam inſeruit.

ruit. *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 2. Calculis laboravit. *pag.* 271. *col.* 5. *pag.* 269. *col.* 1. & 2. Tryblium minus a Felice Zacchia Rondenina dono accepit. *pag.* 271. *col.* 1. Copticæ linguæ inducendæ, & per Europam propagandæ curam agitavit. *p.* 272. *col.* 2.
Peireskius natandi artem addidicit. *tom.* 5. *pag.* 215. *col.* 1.
Peireskius obſervatorium apparavit. *tom.* 5. *p.* 240. *col.* 1. In tradenda methodo longitudinis inveniendæ deſudavit. *ibid. col.* 2. Illius de grandibus oſſibus a ſepulcris effoſſis judicium. *pag.* 244. *col.* 1. Joannis Franciſci Vidii, & Franciſci Savarii, Regii ad Portam Ottomanicam Oratoris familiaris fuit. *ibid. col.* 2. Cum Gabriele Maronita Libani Montis amicitiam contraxit. *ibid.* Cum Guillelmo Catello Senatore Toloſano neceſſitudinem iniit. *ibid.* Hæmorrhoidibus vexatus. *p.* 245. *col.* 2. *pag.* 258. *col.* 1. & *pag.* 259. *col.* 1. & 2. Cæleſtibus obſervationibus impenſe vacavit. *p.* 242. *col.* 1. & 2. Jacobus Fontanus Commentarios in Hippocratis Aphoriſmos illi nuncupavit. *pag.* 243. *col.* 1. & 2.
Peireskius Scaligerum Lugduni Batavorum inviſit, & qua humanitate receptus? *tom.* 5. *p.* 238. *col.* 1. Icnographiam Scaligero exhibuit. *pag.* 238. *col.* 2. Florum amœnitate, & cultura mire fuit delectatus. *pag.* 265. *col.* 2. circuli quadraturam in lucem emiſit, & quæ fuerint ipſi objecta? *pag.* 251. *col.* 1. Ejus cum Jacobo Sirmondo e Soc. Jeſu amicitia? *pag.* 217. *col.* 1.
Peirinſii experimentum de motu Terræ per pendulum. *tom.* 3. *pag.* 485.
Pellem animalium indurat aër. *tom.* 5. *pag.* 47. *col.* 1.
Pendulorum vibrationes quare fiant æquali tempore? *tom.* 2. *pag.* 315. *col.* 2. & *pag.* 358. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 451. *col.* 2. & *pag.* 454. *col.* 2.
Pendulum inſtar Maris bis die agitatur. *tom.* 4. *pag.* 351. & *ſeqq.* id revocatur in dubium. *tom.* 3. *pag.* 485.
Penetratio corporum quare non detur? *tom.* 2. *p.* 335. *col.* 2.
Peponem cum præaſſumpto, & poſtaſſumpto mero deguſtandum eſſe. *tom.* 5. *pag.* 236. *col.* 2.
Peponum uſus a Jacobo Fontano Medico probatus. *tom.* 5. *pag.* 256. *col.* 1.
ex Percuſſione lucis circa Solem, & Lunam creari circulos, ſeu coronas vult Seneca. *tom.* 3. *p.* 393. *col.* 2.
Perdices paphlagonii cor duplex habent. *tom.* 3. *pag.* 274. *col.* 1.
in Peregrinatione ſua Lucianus invenit inſulam, quæ caſeus erat. *tom.* 2. *pag.* 438. *col.* 2.
Periander Thraſybulo nihil reſpondit, ſed ſpicas eminentiores decuſſit. *tom.* 2. *pag.* 669. *col.* 2.
Perfectiones Dei. *tom.* 1. *pag.* 265. *col.* 2.
Pericles, ob viſam Solis Eclipſin conſternato exercitu, militum animos erexit. *tom.* 6. *pag.* 197. *col.* 2.
Peripatetici. *Vide*: Ariſtotelei.
Peripatetici nulla ratione præferendi aliis. *tom.* 3. *pag.* 109. *col.* 1.
Peripateticos ejecit Caracalla. *tom.* 3. *pag.* 209. *col.* 2.
Peripateticum Herminum luſit Demonax joco a Categoriis petito. *tom.* 3. *pag.* 253. *col.* 2.
Permiſſæ cædis cur expiatio per luſtrationem fiat? *tom.* 2. *pag.* 83. *col.* 1.
Perpaucis veritas eſt cordi. *tom.* 5. *pag.* 183. *col.* 2.
Perpendicularis motus gravium deſcendentium minus naturalis, quam horizontalis. *tom.* 3. *p.* 445. *col.* 2. & *pag.* 446. *col.* 1.
Perpendiculariter projectum a projiciente, qui movetur, parabolem deſcribit. *tom.* 3. *pag.* 441. *c.* 2. & *pag.* 455. *col.* 2.
Perpendiculum. *Vide*: Pendulum.
Perpetuum quid dicatur? *tom.* 3. *pag.* 496. *col.* 2.
Perpetuus eſſet motus in ſpatiis imaginariis, & in vacuo, & motus horizontalis natura ſua? *tom.* 2. *pag.* 312. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 446. *col.* 2. & *p.* 452. *col.* 1.
Perſpicuitas corporum. *Vide*: Diaphanum.
Perſpicuum. *Vide*: Diaphanum.
Perturbationes animæ quomodo excitentur? *tom.* 2. *pag.* 414. & *ſeqq.* & quot illorum ſpecies? *p.* 415. *col.* 2. & *pag.* 416. & *ſeqq.*
Pes anglicus adfabrefactus, & diviſus. *tom.* 5. *p.* 130. *col.* 2.
Peſtis memorabilis in Provincia. *tom.* 5. *pag.* 212. *col.* 1. & *pag.* 264. *col.* 2.
Petiolus foliorum. *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 2.
Petrus Antonius Ghiberſus Neapolitanus Cardinalis Aquaviva Auditor. *tom.* 5. *pag.* 214. *col.* 2.
Petrus Antonius Raſcaſius Bagarrius rei antiquariæ peritiſſimus. *tom.* 5. *pag.* 214. *col.* 2.
Petrus Burdelotius, Juvenis Medicæ facultatis peritiſſimus. *tom.* 5. *pag.* 274. *col.*
Phalangium Appulum ſi quem mordeat, ille ſaltitat. *tom.* 2. *pag.* 597. *col.* 1.
Phalereus. *Vide*: Demetrius.
Phantaſia quid, & quotuplex ſit? *tom.* 2. *pag.* 346. *col.* 1. an differat a ſenſu communi? *pag.* 349. *col.* 1. an differat a memoria? *pag.* 352. *col.* 1.
Phantaſiæ functiones. *tom.* 2. *pag.* 355. *col.* 2.
Phædon ab Elide Elidenſem Sectam inſtituit. *t.* 6. *pag.* 110. *col.* 1.
Phænomenorum Arateorum commentator Hipparchus fuit. *tom.* 4. *pag.* 572. *col.* 1.
Phaëtontis inſtar ſe comburi voluit Eudoxus, ſi ad Solem aſtare ſibi licuiſſet. *tom.* 2. *pag.* 621. *col.* 2.
Pherecydes videns aquam putei prædixit terræmotum. *tom.* 2. *pag.* 752. *col.* 1.
e Phiala oſculo inverſo cur aqua non effluat? *tom.* 3. *pag.* 454. *col.* 1.
Philadelphi. *Vide*: Ptolemæus.
Philænis Epicurea. *tom.* 5. *pag.* 191. *col.* 2.
Philemon riſu mortuus eſt. *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 1.
Philetas cum non ſolviſſet ſophiſma interiit. *tom.* 2. *pag.* 423. *col.* 2.
Philippus Canajus Fraxineus, Chriſtianiſſimi Regis Orator. *tom.* 5. *pag.* 216. *col.* 1.
Philippus dicebat nullam arcem inexpugnabilem eſſe, in quam ingredi aſellus auro onuſtus poſſet. *tom.* 2. *pag.* 671. *col.* 1.
Philolaus, & Heraclitus ſenſuum teſtimonio ablegato, mentem unicam adhibendam cenſuerunt in Criterio veritatis. *tom.* 6. *pag.* 130. *col.* 2.
Philoxenus optabat collum Gruis, ut guſtum produceret. *tom.* 2. *pag.* 685. *col.* 2.
Philonomus per medios ignes extulit patrem. *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 1.
Philoſophandi libertatem ſibi ademerunt Ariſtotelei. *tom.* 3. *pag.* 104. *col.* 2.
Philoſophi, qui admiſerunt immortalitatem animorum, & qui negarunt. *tom.* 2. *pag.* 546. & *ſeqq.*
Philoſophi urbibus expulſi. *tom.* 5. *pag.* 193. *col.* 1. & 2.
Philoſophia Ariſtotelis quomodo celebrari cœperit? *tom.* 2. *pag.* 112. *col.* 1.
Philoſophia paucis eſt contenta judicibus, multitudinemque conſulto devitat. *tom.* 6. *pag.* 2. *col.* 1.
Philoſophiæ corruptio, & depravatio. *tom.* 5. *p.* 196. *col.* 2.
Philoſophiæ ſtudium differre non oportet. *tom.* 3. *pag.* 39. *col.* 2.
Philoſophiam Ariſtotelei reddiderunt ſophiſticen. *tom.* 3. *pag.* 99. *col.* 2.
Philoſophiam naturalem. *Vide*: Phyſicam.
Philoſophicus lapis. *Vide*: Lapis philoſophicus.
Philoſophorum amores, & delitia. *tom.* 5. *pag.* 190. *col.* 1.
Philoſophos ex Ariſtotelis familia ejecit Caracalla. *tom.* 3. *pag.* 109. *col.* 2.
Phocarum deſcriptio. *tom.* 6. *pag.* 452. *col.* 2.
Phyſicam doceri noluit Scriptura Sacra. *tom.* 3. *p.* 213. *col.* 1.
Phyſicis rationibus probatur animi immortalitas. *tom.* 2. *pag.* 553. & 554.
Phyſici confidunt puncta, lineas, & ſuperficies in corporibus. *tom.* 2. *pag.* 335. *col.* 2.
Pietas erga parentes excolenda. *tom.* 2. *pag.* 715. & *ſeqq.*

Piſa-

Piſarum Cimeliarchiom. *tom.* 5. *pag.* 215. *col.* 1.
Pili ex ſemine naſcuntur, ideo non in omnibus partibus prodeunt. *tom.* 2. *pag.* 524. *col.* 1.
Pili metu quare ſurrigantur? *tom.* 2. *pag.* 309. *c.* 1. & 2.
Pili præ ſenio cur caneſcant? *tom.* 2. *pag.* 435. *col.* 1.
Pilos nil aliud eſſe, quam canales, ſive tubos. *tom.* 5. *pag.* 277. *col.* 1.
Pilulæ ex tubo cur tanta velocitate eijciantur? *t.* 2. *pag.* 42. *col.* 2.
Pinelli mors quam gravis omnibus eruditis? *tom.* 5. *pag.* 220. *col.* 2.
Pinguem facit equum domini oculus. *tom.* 2. *p.* 663. *col.* 1.
Piſarum cimeliarchium. *tom.* 5. *pag.* 215. *col.* 2.
Piſces an reſpirent, quum careant pulmone? *tom.* 2. *pag.* 282. *col.* 1. olfaciunt e fundo maris. *col.* 2.
Piſces educti ex glacie in Ponto moveri incipiunt dum elixantur. *tom.* 2. *pag.* 531. *col.* 1. & 2.
Piſces qua ratione natent? *tom.* 2. *pag.* 474. & *ſeqq.*
Piſces, qui naſcuntur ex fructu arboris. *tom.* 2. *p.* 146. *col.* 1.
Piſces quidam ad ſtatis temporibus regionem mutent? *tom.* 2. *pag.* 79. *col.* 2.
a Piſcibus natos eſſe primos homines aliqui dixerunt. *tom.* 1. *pag.* 426. *col.* 2.
Piſcis multiceps, & multicorporeus adnatum. *tom.* 5. *p.* 262. *col.* 1.
Piſis aſſervatur corallium cranio humano? *tom.* 2. *pag.* 150. *col.* 2.
Piſoniani poëma. *tom.* 5. *pag.* 202. *col.* 1.
Piſum cur tam velociter ex tubo prorumpat? *tom.* 2. *pag.* 42. *col.* 2.
Planetarum motus non circularis, ſed ellipticus. *tom.* 3. *pag.* 407. *col.* 1.
Planetarum ſtationes, & retrogradationes confirmant motum Terræ. *tom.* 3. *pag.* 468. *col.* 1. & 2.
Planetæ Solem ſequi expedite non poſſunt, ſed ſuos Orbes ſegnius conficiunt. *tom.* 3. *pag.* 499. *col.* 1.
in Planitiebus flat continuo ventus æquabilis in Occaſum. *tom.* 2. *pag.* 57. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 456. *col.* 2.
in Planta pedis cur titillatio ſit ſenſibilis? *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 2.
Plantarum nomina varia. *tom.* 5. *pag.* 227. *col.* 1.
Plantæ etiam habitum contrahunt; ideo tranſplantatæ ad eandem Cœli regionem reſtituendæ ſunt. *tom.* . *pag.* 340. *col.* 1.
Plantæ magicæ. *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 1. fabuloſæ. *pag.* 147. *col.* 1.
Plantæ quem motum, aut ſenſum habeant? *tom.* 2. *pag.* 300. *col.* 1.
Plantæ quoque reſpirare quodammodo dici poſſunt. *tom.* 2. *pag.* 283. *col.* 1.
Planum perfectum non datur. *tom.* 5. *pag.* 391. *c.* 2.
Platani folia ſi tetigerit veſpertilio opprimitur. *tom* 3. *pag.* 379. *col.* 2.
Plato, & Pythagoras exiſtimarunt mortem ſibi non eſſe accerſendam. *tom.* 1. *pag.* 501. *col.* 1.
Plato Homerum, & ceteros Poëtas eliminavit e Republica. *tom.* 5. *pag.* 109. *col.* 2.
Plato in nuptiis cenans mortuus. *tom.* 5. *pag.* 285. *col.* 2.
Platonem venditum redemit Anniceris, nec voluit ſibi pretium reſtitui. *tom.* 1. *pag.* 18. *col.* 2.
Platonici in quas hæreſes inciderint? *tom.* 2. *p.* 209. *col.* 2.
Plicis chartæ ſimilis eſt memoria. *tom.* 2. *pag.* 353. & *ſeqq.* *tom.* 5. *pag.* 432.
Plinianum caput de Apibus a Rigalsio emendatum, & illuſtratum. *tom.* 5. *pag.* 262. *col.* 1.
Plumbum igne redigitur in ſpeciem hyacinthi. *tom.* 1. *pag.* 335. *col.* 2.
Plures ſimul Soles, quam tres viſos ad Plinii ævum proditum non eſt. *tom.* 3. *pag.* 505. *col.* 1.
Plurium obſervationibus comprobatum Iridem pæne fore circularem. *tom* 3. *pag.* 504. *col.* 1.
Plutarchus de Placitis Philoſophorum lib. 4. cap. 1. emendatur. *tom.* 2. *pag.* 25. *col.* 2.
Pluvia ceſſante cur Stellæ lucidiores videantur? *t.* 3. *pag.* 300. *col.* 1.
Pluvia cum ſalſa non ſit, ſalſum reddere mare non poteſt. *tom.* 2. *pag.* 46. *col.* 1.
Pluvia decidente decidit Lemmar in Norvegia. *tom.* 2. *pag.* 130. *col.* 2.
Pluvia, ex qua nata ſilva. *tom.* 2. *pag.* 346. *col* 2.
Pluvia excitatur, ſi lapis in lacum quendam conijciatur. *tom.* 2. *pag.* 49. *col.* 1. & 2.
Pluvia incidente in feretrum, puella revixiſſe dicitur. *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 2.
Pluvia quomodo generetur? *tom.* 2. *pag.* 65. & *ſeqq.*
Pluviam cur ſignificet rubeus color nubium mane? *tom.* 2. *pag.* 64. *col.* 1.
Pluviæ decidentes ſub zona temperata auſtrali augent Nilum. *tom.* 2. *pag.* 3. *col.* 2.
Pluviæ multæ prodigioſæ recenſentur. *tom.* 2. *p.* 67.
Pluviæ ſanguineæ unde productæ. *tom.* 5. *pag.* 235. *col.* 2. *pag.* 236. *col.* 1.
Pocula argentea e Vallaurienſi agro defoſſa. *tom.* 5. *pag.* 269. *col.* 2.
Podagra non laborant Eunuchi, & pueri ante uſum venereorum. *tom.* 2. *pag.* 523. *col.* 1.
Pœna ob cur involuntariam cædem impoſita ſit? *tom.* 5. *pag.* 83. *col.* 2.
Pœna duplici mulctandus ebrius delinquens. *tom.* 2. *pag.* 728. *col.* 1.
Pœnæ Atilii Reguli exponuntur. *tom.* 2. *pag.* 625. & *ſeqq.*
Pœnæ reis infliguntur, ut exemplo ſint aliis. *tom.* 2. *pag.* 700. *col.* 2.
Poëſeos utilitas ſumma. *tom.* 5. *pag.* 109. *col.* 1.
Politicæ quid munus ſit? *tom.* 2. *pag.* 664. *col.* 2. & *pag. ſeqq.*
Pollicum octo cum ſemiſſe natus quidam ſexto menſe vixit. *tom.* 2. *pag.* 255. *col.* 2.
Polyænus Epicureus. *tom.* 5. *pag.* 250. *col.* 2.
Polycrati redditum oraculum. *tom.* 5. *pag.* 29. *col.* 1.
Polyſtratus. *tom.* 5. *pag.* 252. *col.* 1.
Polycarpus Rivierius Carthuſiani Ordinis decus. *tom.* 5. *pag.* 293. *col.* 2.
Polypus Aquilam damno affecit. *tom.* 2. *pag.* 683. *col.* 2.
Pompeii uxor cum ſuſpicaretur maritum interfectum, interiit. *tom.* 2. *pag.* 425. *col.* 1.
Pondus atomorum quid ſit? *tom.* 1. *pag.* 730. *col.* 1.
Ponthias ventus, qui quotidie flat certis horis, ſed diverſis pro quatuor anni tempeſtatibus. *tom.* 2. *pag.* 58. *col.* 1.
Ponti piſces educti ex glacie moveri incipiunt dum elixantur. *tom.* 2. *pag.* 231. *col.* 2. & 2.
Ponti quædam animalia die uno vivunt. *tom.* 2. *pag.* 588. *col.* 2.
Pontus Euxinus exiſtimatum eſt ab Alexandro Magno Mare Caſpium. *tom.* 4. *pag.* 574. *col.* 1. & 2.
Poſſe varias Sectas veritatis ſtudio tentari. *tom.* 5. *pag.* 169. *col.* 2.
Poſſe Solem e Fixis non minorem, quam Orbem magnum apparere. *tom.* 3. *pag.* 589. *col.* 2.
Poſtremus Epicuri morbus qui fuerit? *tom.* 5. *p.* 191. *col.* 1.
de Poſtulato Galilæi circa motum ſuper æque altis, non æque inclinatis planis. *tom.* 3. *pag.* 516. *col.* 1.
Potentia materiæ, e qua educitur forma, quæ ſit? *tom.* 1. *pag.* 412. *col.* 2.
Potu, & cibo qui diu abſtinuerint? *tom.* 2. *p.* 542. *col.* 1. & 2.
Præceptum Ariſtotelis, ut in diſputationibus ambigue loquamur, & quidquid potius effutiamus, quam cedamus. *tom.* 3. *pag.* 29. *col.* 2.
Præceptum: quod tibi non vis, alteri ne feceris. *tom.* 3. *pag.* 85. *col.* 1.
Præclara de Epicuro teſtimonia. *tom.* 5. *pag.* 191. *col.* 2. & *pag.* 192. *col.* 1.
Prædeſtinatio quomodo concilietur cum libero arbitrio? *tom.* 2. *pag.* 730. *col.* 2. & *pag. ſeqq.*
in Prædicabilibus conſtituendis multa peccant Ariſtotelei. *tom.* 3. *pag.* 146. & *ſeqq.*
Prædicamenta decem inepte conſtituuntur. *tom.* 3. *pag.* 153. *col.* 2.

Præ-

Digitized by Google

Prædictiones aliquorum. *tom.* 2. *pag.* 752. *col.* 1.
Prægnans cum frontem colliſiſſet aliam, natæ ſuot gemellæ frontibus cohærentes. *tom.* 1. *pag.* 251. *col.* 2. conſoſſa edidit fœtum cum maculis in iiſdem partibus. *pag.* 252. *col.* 2.
Præſagia a Cometis deſumpta quam falſa nimis. *tom.* 5. *pag.* 249. *col.* 2. quam falſa & a parheliis. *pag.* 263. *col.* 2.
Præſentia bona minus tuta, quam præterita. *tom.* 3. *pag.* 75. *col.* 1.
Præſtare Philoſophum virum tuendæ veritatis gratia. *tom.* 6. *pag.* 186. *col.* 1.
Præterita bona magis delectare debent, quam præſentia, aut futura. *tom.* 3. *pag.* 75. *col.* 2.
Pretioſa, divina res veritas. *tom.* 6. *pag.* 98. *col.* 1.
Pretium recuſavit Anniceris, quo Platonem redemerat. *tom.* 1. *pag.* 18. *col.* 1.
Princeps quomodo ſe gerere debeat. *tom.* 2. *p.* 658. & *ſeqq.*
Principes quomodo ſe gerere debeant. *tom.* 2. *p.* 664. *col.* 2. & *ſeqq.*
Principia prima, ſeu axiomata quid ſint, & cur ita appellentur? *tom.* 1. *pag.* 398. *col.* 2.
Principia quinque Chymicorum quomodo efficiant temperamentum. *tom.* 1. *pag.* 286. *col.* 2. & *pag.* *ſeqq.*
Principia rerum. *Vide*: Elementa.
Principia rerum plura eſſe, quam quinque Chymicorum, aut quatuor aliorum Philoſophorum, ſed imperceptibilia. *tom.* 2. *pag.* 488. & *ſeqq.*
Principiorum commixtio quæ neceſſaria ſit, ut fiant mixta. *tom.* 1. *pag.* 404. *col.* 2. & *pag.* *ſeqq.*
Principium agendi in cauſis ſecundis eſt corporeum. *tom.* 1. *pag.* 393. *col.* 1.
Principium materiale. *Vide*: Materia prima.
Principium morborum quam incertum ſit. *tom.* 2. *pag.* 502. *col.* 1.
Priſma vitreum cur illos colores oſtendat. *tom.* 2. *pag.* 381. *col.* 1.
Priſmatis vitrei colores quid ſint? *tom.* 1. *pag.* 381. *col.* 1. & 2. *tom.* 3. *pag.* 430. *col.* 1.
Privatio non poteſt eſſe principium rerum. *tom.* 1. *pag.* 119. *col.* 2.
Privatio non eſt frigus. *tom.* 1. *pag.* 352. *col.* 1. & 2.
Progreſſus animalium &c. *Vide*: Greſſus.
Projecta quomodo impetum acquirant? *tom.* 1. *p.* 310. *col.* 1. & *ſeqq.*
Projectum non perpendiculariter deſcribit lineam parabolicam. *tom.* 3. *pag.* 440. *col.* 2. tempus, quo deſcendit eſt æquale ei, quo aſcendit. *pag.* 442. *col.* 2. & *pag.* 453. *col.* 1. & eadem proportione aſcendit, qua deſcendit. *ibid.*
Projectum perpendiculariter a projiciente, qui moveatur, lineam parabolicam deſcribit. *tom.* 3. *p.* 441. *col.* 1. & *pag.* 455. *col.* 1.
Prolis ſimilitudo cum parentibus. *tom.* 2. *pag.* 246. *col.* 2. *Vide*: Filii.
Prophana turba nihil humanum ſapit. *tom.* 6. *p.* 84. *col.* 2.
Proportio arithmetica non eſt proportio. *tom.* 2. *pag.* 485. *col.* 1.
Proportio, qua motus gravium deſcendentium acceleratur. *tom.* 1. *pag.* 308. *col.* 1. ratio hujus proportionis. *pag.* 309. *col.* 1. & 2.
Proprietates atomorum. *tom.* 2. *pag.* 233. *col.* 2.
Proprietates quarundam aquarum. *tom.* 2. *pag.* 45. & *ſeqq.*
Providentia Dei regit Mundum. *tom.* 1. *pag.* 282. *col.* 1. etiam homines. *pag.* 286. *col.* 1.
Prudentia quæ virtus ſit? *tom.* 1. *pag.* 654. & *ſeqq.*
Pruina quomodo generetur? *tom.* 2. *pag.* 68. *col.* 2. & *pag.* 69. *col.* 1.
Prunulus natus e pectore paſtoris. *tom.* 2. *pag.* 150. *col.* 2.
Pſophidios Ruſticus felicior Gyge Rege reputatus eſt ab Oraculo. *tom.* 1. *pag.* 583. *col.* 2.
Ptolemæi Philadelphi bibliothecam collegit Demetrius Phalereus Peripateticus. *tom.* 3. *pag.* 114. *col.* 1.
Ptolemæus auctor Geographiæ non eſt idem ac auctor magnæ Conſtructionis. *tom.* 4. *pag.* 571. *col.* 1.
ante Pubertatem multi optime ratiocinantur. *tom.* 2. *pag.* 244. *col.* 2.
Pubertatem quare vox gravior fiat? *tom.* 1. *p.* 522. *col.* 1. & 2.
Publico decreto ſancitum, ne mulus ab incerniculis arceretur. *tom.* 1. *pag.* 531. *col.* 2.
Publicæ ſalutis cauſa an fraus permittatur? *tom.* 2. *pag.* 668. *col.* 2.
Pudore ob crepitum emiſſum Metrocles vitam finiturus erat. *tom.* 1. *pag.* 57. *col.* 1.
Puellam virginem ſalutavit Democritus, & poſtridie mulierem cum ſtuprata fuiſſet. *tom.* 3. *p.* 189. *col.* 1.
Puellæ Aurelianenſis acta, vindiciæ, & effigies. *tom.* 5. *p.* 17. 129. *col.* 1.
Puer florenti, & gemmanti arbori comparatus. *t.* 5. *pag.* 213. *col.* 1.
Puer Lacedæmonius a vulpe ſe corrodi paſſus eſt, ne furtum pateret. *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2.
Puer unguento inunctus eo ſopore oppreſſus fuit, ut ſibi per rupes volare videretur. *tom.* 2. *p.* 576. *col.* 2. *pag.* 577. *col.* 1.
Pueri quadrupedum more incedentes. *tom.* 2. *p.* 455. *col.* 1.
Pueri quare proni ſint in iram? *tom.* 2. *pag.* 438. *col.* 1.
Pueri quinquennes aſſequuntur dimidium magnitudinis, quam habituri ſunt. *tom.* 2. *pag.* 517. *col.* 1.
Puerile, ac ſtupidum omnino eſt ex ſignis Cœlo apparentibus quidquam pavitare. *tom.* 3. *p.* 199. *col.* 1.
Pugna Gruum cum Pygmæis an fabuloſa? *tom.* 2. *pag.* 478. *col.* 2.
Pulicum, & aliorum animalculorum curam habere indignum eſt majeſtate Dei. *tom.* 1. *pag.* 281. *col.* 1.
Pulli hirundinis non fugiebant, niſi admoniti fuiſſent a parentibus. *tom.* 2. *pag.* 361. *col.* 2.
Pulli milvino capite nati, quod gallina dum incubaret exterrita fuerit a milvo. *tom.* 2. *p.* 253. *col.* 1.
Pullos duos fert volitans veſpertilio. *tom.* 1. *p.* 471. *col.* 2.
Pulmo emittendo aëre emittit etiam fuligines a ſanguine ſeparatas. *tom.* 1. *pag.* 218. *col.* 2. *p.* 282. *col.* 1. *pag.* 456. *col.* 2. & *pag.* 495. *col.* 1.
Pulmone carent piſces. *tom.* 1. *pag.* 282. *col.* 1.
Pulmoniceis cur aër craſſior proſit. *tom.* 2. *pag.* 285. *col.* 2.
Pulmonis fungoſitas poteſt eſſe cauſa cur quidam ſubter aquam diu morentur. *tom.* 2. *pag.* 281. *col.* 2.
Pulmonis motus, qui reſpirationem efficit a diaphragmate excitatur. *tom.* 2. *pag.* 278. *col.* 1. & 2.
Pulſationes arteriarum cur frequentiores ſint in febribus? *tom.* 2. *pag.* 506. *col.* 1.
Pulſus, & pulſatio cordis quomodo fiat? *tom.* 2. *pag.* 269. *col.* 2.
Pulvinari incluſum quendam in ſexto menſe natum retinuerunt, & vixit. *tom.* 2. *pag.* 155. *col.* 1.
Pulvis caſei continet plurima animalcula. *tom.* 2. *pag.* 403. *col.* 1. & *pag.* 493. *col.* 1.
Pulvis fulminaos quomodo conficiatur? *tom.* 1. *p.* 80. *col.* 2.
Pulvis pyrius cur tantum impetum imprimat? *tom.* 2. *pag.* 43. & *pag.* 80. *col.* 2.
Punctis Epicuri quæ opponant Mathematici. *tom.* 2. *pag.* 231. *col.* 2.
Punctum Geometræ in abſtracto conſiderant. *tom.* 1. *pag.* 335. *col.* 2.
Punctum Mathematicum quid ſit, & quam ob rem a Mathematicis excogitatum. *tom.* 6. *pag.* 72. *col.* 2.
Purgari luſtratione cur debeat etiam cædes permiſſa? *tom.* 3. *pag.* 83. *col.* 1.
Puſillanimitas quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 435. *col.* 2. & *ſeqq.* & *pag.* 436.

 Putei

Putei aqua conſpecta Pherecydes terræmotum prædixit. *tom.* 2. *pag.* 758. *col.* 1.
in Puteo exiſtentes cur interdiu etiam Stellas videant? *tom.* 3. *pag.* 405. *col.* 2.
Puteolanus Mons eruptione ignium ereatus. *tom.* 5. *pag.* 173. *col.* 2.
Putreſit quidquid contingitur lotio hymenopteri. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.
ex Putri an aliqua animalia procreentur? *tom.* 2. *pag.* 427. *col.* 2.
Pygmæi an pugnent cum Gruibus? *tom.* 2. *pag.* 478. *col.* 2.
Pyrauſtes naſcitur in fornacibus, & extra ignem moritur. *tom.* 2 *pag.* 185. *col.* 2. *pag.* 228. *col.* 1. & *pag.* 235. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 178. *col.* 2. & *pag.* 263. *col.* 1.
ex Pyrenæis oriri Bætin, & Danubium tradit Ariſtoteles. *tom.* 2. *pag.* 22. *col.* 2.
Pyrius pulvis. *Vide*: Pulvis pyrius.
Pyrrhonei defenduntur. *tom.* 3. *pag.* 190. *col.* 2.
Pyrrhon Epicureus. *tom.* 5. *pag.* 151. *col.* 2.
Pythagoras bovem immolavit ob repertum problema. *tom.* 2. *pag.* 622. *col.* 2.
Pythagoras exiſtimavit mortem ſibi non eſſe conſciſcendam. *tom.* 2. *pag.* 575. *col.* 2.
Pythagoras Italicæ Sectæ Princeps. *tom.* 6. *pag.* 120. *col.* 1.
Pythagoras non omnium animalium cædem prohibuit. *tom.* 5. *pag.* 129. *col.* 2.
Pythagorei cur numeris uterentur ad res ſignificandas. *tom.* 5. *pag.* 223. *col.* 2.
Pythagoreorum, Heraclidis, & Philolai de Mundo ſyſtemata varia. *tom.* 5. *pag.* 443. *col.* 2.
Pytheas Maſſilienſis defenditur. *tom.* 4. *pag.* 572. *c.* 2. & *pag.* 573. & 574.
Pythocles Epicureus. *tom.* 5. *pag.* 152. *col.* 2.

Q

QUa mente, & quatenus ex motu Terræ æſtus Maris deductus? *tom.* 3. *pag.* 586. *col.* 2.
Quadrans, Organum, quod ſingula graduum minuta diſtincte exhibet. *tom.* 5. *pag.* 341. *col.* 2.
Quadrantis a Tychone conſtructi moles, & conſtitutio. *ibid.*
Quadrata ſunt corpuſcula ſalis. *tom.* 3. *pag.* 400. *col.* 2.
Quadrata temporum ſingulorum, quibus gravia deſcendunt, ſunt æqualia ſpatiis confectis ab ipſis gravibus. *tom.* 2. *pag.* 308. *col.* 1. & *pag.* 316. *col.* 1. & *tom.* 3. *pag.* 440. *col.* 2. & *pag.* 453. *col.* 2.
Quadrupedes latent, & dormiunt hyeme. *tom.* 2. *pag.* 479. *col.* 2.
Quadrupedes oviparæ. *Vide*: Oviparæ.
Quadrupedum inceſſus quomodo fiat? *tom.* 2. *pag.* 469. *col.* 1. & 2. & *tom.* 3. *p.* 438. *col.* 1. natatus. *pag.* 475. *col.* 1. & 2.
Quadrupedum more infantes incedentes. *tom.* 2. *pag.* 465. *col.* 2.
Quæ ſit cauſſa cur lux a nativo ſuo fulgore recedat. *tom.* 3. *pag.* 191. *col.* 1.
Quæ memoria eſt dives, ea hominem facit eruditum. *tom.* 6. *pag.* 27. *col.* 1.
Quæ primo guſtu avide quis ſorbet, non reſumit ſine nauſea. *tom.* 3. *pag.* 600. *col.* 1.
Qualitates, quæ ſenſus afficiunt, prout variantur, variatur & ſenſus. *tom.* 3. *pag.* 429.
Qualitates occultæ quæ ſint? *tom.* 1. *pag.* 393. & *ſeqq.*
Qualitas, ſeu modus ſubſtantiæ in generatione ſolum immutatur. *tom.* 2. *pag.* 412. & *ſeqq.* & in corruptione. *pag.* 417. & *ſeqq.*
Qualitatibus primis affectam materiam primam qui faciant? *tom.* 1. *pag.* 206. *col.* 2. & qui etiam qualitatibus ſecundis. *tom.* 1. *pag.* 212. *col.* 2. qui omnibus expertem. *pag.* 218. *col.* 1.
Quanta fuerit altitudine Sol exoriente Romæ Phænomeno. *tom.* 3. *pag.* 594. *col.* 2.
Quare flammæ noctu majores appareant? *tom.* 3. *pag.* 585. *col.* 2.
Quare corona circulus fiat, cujus Aſtrum ſit, ſeu polus, ſeu centrum? *tom.* 3. *pag.* 593. *col.* 2.
Quartanæ &c. *Vide*: Febris.
Qui fiat, ut pulſata ſingulari chorda, chordas conſonantes faciat tremere, diſſonantes, tametſi fuerint interceptæ, immotas relinquat? *tom.* 5. *p.* 586. *col.* 1.
Quid in Epicurum calumniis anſam dederit? *tom.* 5. *pag.* 197. *col.* 1.
Quindecennium caruit dentibus mulier. *tom.* 2. *p.* 521. *col.* 2.
ad Quingenta milliaria cadavera odorantur Vultures. *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 1.
ad Quinquaginta milliaria nautæ ſentiunt odorem littoris liguſtici. *tom.* 2. *pag.* 399. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 314. *col.* 2.
Quinquennis homo aſſequitur dimidium magnitudinis, quam habiturus eſt. *tom.* 2. *pag.* 527. *col.* 1.
Quintiliani, Ciceronis, & D. Hieronymi de Epicuri doctrina parum amica ſententia. *tom.* 5. *p.* 194. *col.* 1. & 2.
Quintilianus tradit Ciceronem nimis riſus affectatorem fuiſſe. *tom.* 2. *pag.* 689. *col.* 1.
Quintilis menſis in tutela Jovis. *tom.* 5. *pag.* 503.
Quintipes vitulus natus eſt. *tom.* 2. *pag.* 336. *col.* 2.
Quinto anno pariunt aliquæ mulieres. *tom.* 2. *p.* 528. *col.* 2.
Quod eſt naturale perpetuum eſt. *tom.* 3. *pag.* 496. *col.* 2.
Quot, & quales colores reperiantur in utraque corona? *tom.* 3. *pag.* 595. *col.* 1.
Quotidianæ &c. *Vide*: Febris.
Quot librorum millia Didymus Grammaticus ſcripſerit? *tom.* 5. *pag.* 597. *col.* 2. quæ in his libris contineantur. *ibid.*

R

RAbbini deſcribunt animal, cujus oculorum interſtitium tantum ſit, ut volucris niſi mille annis tranſvolare non poſſit, & terram inter cornua ſuſtineat. *tom.* 2. *pag.* 9. *col.* 2.
Rabbini quomodo Talmud confecerint, & Cabbalam excogitarint? *tom.* 9. *pag.* 232. *col.* 1. & 2.
Radii non omnes tranſeunt diaphana corpora, ſed aliqui reflectuntur. *tom.* 1. *pag.* 331. *col.* 2. *pag.* 333. *col.* 1. *pag.* 375. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 401. & *pag.* 403. *col.* 2.
Radiorum effluxu ex oculis fieri viſionem qui crediderint. *tom.* 3. *pag.* 407. *col.* 2. *pag.* 428. *col.* 2.
Ramo fagi ſi tangatur vipera opprimitur. *tom.* 3. *pag.* 279. *col.* 2.
Ramorum ἀκρέμονες a Theophraſto qui dicantur. *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 2.
Ranis pluere falſum eſt. *tom.* 2. *pag.* 67. *col.* 2.
Rarefactio ſine vacuo fieri non poteſt. *tom.* 3. *p.* 400. *col.* 1.
Raritas, & denſitas in quo conſiſtat. *tom.* 1. *p.* 329. *col.* 2. & *ſeqq.* *tom.* 3. *pag.* 470. *col.* 2.
Ratio cur Cometis caudæ adnaſcantur. *tom.* 3. *p.* 597. *col.* 2.
Ratiocinantur quidam eximie ante pubertatem, quidam nec etiam in ſenectute. *tom.* 2. *pag.* 544. *col.* 1.
Ratiocinio utitur intellectus dum eſt in corpore, ſecus quando ſeparatus eſt. *tom.* 2. *pag.* 397. *col.* 1.
Rationalis anima incorporea eſt. *tom.* 2. *pag.* 383. *col.* 2. & *ſeqq.* a Deo creatur quotieſcumque quis gignitur. *pag.* 385. *col.* 2. in cerebro ſedem habet. *pag.* 388. *col.* 1. quæ ſint ejus functiones. *pag.* 389. *col.* 2. ſeparata a corpore uno intuitu cognoſcit. *pag.* 397. *col.* 1. immortalis eſt. *pag.* 553. & *ſeqq.*

Ratio·

Rationalis pars animæ an habeat appetitum? tom. 2. pag. 409. & ſeqq.

Rationibus phyſicis probatur animus immortalia. tom. 2. pag. 553. & 554. moralibus rationibus. pag. 554. & ſeqq.

de Ratione continuo dupla, qua ſpatia decurri temporibus æqualibus Rev. Pat. Cazræus concludit. tom. 3. pag. 519. col. 2.

Raymondus Sextus Toloſatum comes, hæreſeos Albigenſium fautor. tom. 5. pag. 134. col. 1. Legati interfecti auctor creditus, fuit ab Innocentio Tertio excommunicatus. ibid.

Raymondus Lullius. tom. 3. pag. 491. col. 2.

Reales an ſint relationes. tom. 3. pag. 160. col. 1.

Recta linea non datur. tom. 3. pag. 391. col. 1.

Redimens Platonem Anniceris pretium recuſavit. tom. 1. pag. 17. col. 2.

Reflectuntur aliqui radii a corporibus diaphanis. tom. 1. pag. 332. col. 2. pag. 333. col. 1. pag. 375. col. 1. tom. 3. pag. 402. col. 2. pag. 401. col. 1.

Reflexio mobilium quare fiat? tom. 1. pag. 314. col. 1. Lucis. pag. 375. col. 1.

Reflexio quomodo fiat in ſpeculis convexis, aut concavis. tom. 1. pag. 376. & tom. 3. pag. 401. col. 2. & pag. 402. col. 1.

Refractio lucis quare fiat? tom. 1. pag. 375. col. 2.

Refractio quomodo fiat in vitris convexis, & concavis. tom. 1. pag. 336. & tom. 3. pag. 401. col. 2. & pag. 402. col. 1.

Refractionem cauſam eſſe craſſitudinis circulorum, & colorationis. tom. 3. pag. 594. col. 2.

Refluxus maris. Vide: Æſtus.

Rege Gyge feliciorem Ruſticum dixit Oraculum. tom. 2. pag. 583. col. 2.

Regi Perſarum gratiſſimum fuit donum aqua hauſta manibus a Ruſtico. tom. 2. pag. 652. col. 2.

Regionem ſtatis temporibus an mutent piſcea? tom. 2. pag. 479. col. 2. Aves. pag. 480.

Regna quomodo regenda. tom. 2. pag. 664. col. 2. & ſeqq.

Reguli factum examinatur. tom. 2. pag. 626. & ſeqq.

Regum Attalicorum metu deſoſſi fuerunt libri Ariſtotelis, & Theophraſti. tom. 3. pag. 114. col. 2.

Rei puniuntur, ut alii admoneantur. tom. 2. p. 706. col. 2.

Relationes an ſint quid reale? tom. 3. pag. 160. col. 2.

Relaxandum animum eſſe per vices, nec ſtatim a partu mentem contendendam. tom. 5. pag. 213. col. 2.

Religio excolenda eſt. tom. 2. pag. 718. & ſeqq.

Religionis novatores puniendi ſunt. tom. 2. p. 669. col. 2.

Remis pro velis reponit Gaſſendus in Lucretii verſu 895. libro quarto. tom. 2. pag. 443. col. 1.

Remora. Vide: Echeneis.

Renatus Moreus magnum Medicæ facultatis Pariſienſis lumen. tom. 5. pag. 263. col. 1.

Reptatus ſerpentium quomodo fiat? tom. 2. pag. 476. col. 2. Erucarum. pag. 477. col. 2.

Rerum ad generationem quæ principiorum mixtio neceſſaria ſit? tom. 1. pag. 404. & ſeqq.

Rerum generatio prima quomodo facta. tom. 2. pag. 425. & ſeqq.

Rerum gravium ſurſum projectarum deſcenſum æquitemporaneum eſſe aſcenſui. tom. 3. pag. 531. col. 1.

Rerum principia. Vide: Elementa.

Rerum principia, ſeu Elementa ſunt plura quatuor, & quinque Chymicorum, ſed inviſibilia. tom. 2. pag. 488. & ſeqq.

Reſpectu noſtri quæ dicuntur caſu evenire, reſpectu Dei non fiunt caſu. tom. 1. pag. 285. col. 1.

Reſpirare quodammodo etiam plantæ dici poſſunt. tom. 2. pag. 183. col. 1. tom. 3. pag. 220. col. 1.

Reſpiratio efficitur a pulmonis motu, quia diaphragmate movetur. tom. 2. pag. 278. col. 1. & 2. quos effectus pariat. tom 2. pag. 279. col. 1. & 2.

Reſpiratio fit, ut ex pulmone expellantur fuligines a ſanguine ſeparatæ. tom. 1. pag. 218. col. 2. pag. 280. col. 2. pag. 456. col. 1. & pag. 495. col. 1. tom. 3. pag. 220. col. 1.

Reſpiratio quid ſit? tom. 1. pag. 449. col. 1.

ſine Reſpiratione cur aliqui diu vivant? tom. 2. p. 281. col. 1. quadrupedes oviparæ totam hyemem durant. ibid.

Reſponſum ad epiſtolas Rev. Patr. Petri Cazræi Soc. Jeſu. tom. 3. pag. 520. & pag. ſeqq.

Reſponſum Rev. Patr. Cazræi ad Articulos clar. Petri Gaſſendi. tom. 3. pag. 534. col. 2. uſque ad pag. 567.

Reſponſum nullum dedit interrogatus Periander, ſed ſpicas eminentiores cecidit. tom. 1. pag. 669. col. 2.

Reſurrectio mortuorum quomodo fiet? tom. 2. p. 574. col. 2. & pag. ſeqq.

poſt Reſurrectionem corpora habebunt omnia eadem membra, ſed non iiſdem uſibus. tom. 1. pag. 265. col. 1.

Reſurrectionem mortuorum credebant Magi. tom. 2. pag. 545. col. 1.

in Retina imagines rerum pinguntur. tom. 3. p. 373. col. 1. & fit viſio. tom. 1. pag. 370. col. 1. tom. 3. pag. 389. & ſeqq.

Retina revera eſt nervi optici dilatata productio. tom. 5. pag. 274. col. 2.

Retrogradationes Planetarum probant motum Terræ. tom. 3. pag. 468. col. 1. & 2.

Revicturos homines Magi opinabantur. tom. 2. p. 546. col. 1.

Revixiſſe aliquos fabuloſum eſt. tom. 2. pag. 575. col. 2. & pag. 577. col. 2.

Rex quomodo ſe gerere debeat? tom. 1. pag. 668. & ſeqq.

Rhetoricæ munus expenditur. tom. 5. pag. 200. col. 1.

Richardus Richardi Florentinus plantarum, atque marmorum ſtudioſus. tom. 5. pag. 216. col. 1.

Ricini ubi naſcantur. tom. 2. pag. 229. col. 2.

Riſu qui mortui ſunt? tom. 2. pag. 424. col. 1.

Riſus cur nobis excitetur, cum titillamur? tom. 2. pag. 379. col. 1.

Riſus etiam cur lacrymas eiciat? tom. 1. pag. 414. col. 2.

Riſus nimium affectatorem Ciceronem Quintilianus dicit. tom. 2. pag. 689. col. 1.

e Rogo qui evaſerint, cum mortui haberentur. tom. 2. pag. 576. col. 1.

Romam libros Ariſtotelis comportandos curavit Sylla. tom. 3. pag. 114. col. 2.

Romani Calendarii ad Chriſtianos uſus applicatio. tom. 5. pag. 506.

Romani Calendarii reformatio a Julio Cæſare per Soſigenem Mathematicum inſtituta. tom. 5. p. 498. col. 1. & 2.

Romulus conſtituit, Annum Hyeme deſinente, ac Vere ineunte incipere. tom. 5. pag. 495. col. 1.

Ros quomodo gignatur? tom. 2. pag. 68. col. 1. & 2.

Roſarum ungues qui dicantur? tom. 2. pag. 138. col. 2.

Roſis cum oleo vitrioli infuſis aqua rubeſcit. tom. 1. pag. 323. col. 1.

Roſtro acutiſſimo Nigua ſub unguibus lacerat pedes. tom. 2. pag. 229. col. 2.

Rotæ inæquales, licet eodem motu ferantur, cur deſcribant lineas æquales. tom. 1. pag. 300. col. 2.

Rotunda an ſit terra? tom. 2. pag. 3. col. 2. & p. 4. & ſeqq.

Rubeſcit aqua infuſis oleo tartari, & ſenæ foliis, aut oleo vitrioli cum roſis. tom. 1. pag. 322. col. 2. pag. 323. col. 1.

Rubeus color nubium matutinus cur pluviam portendat, ſerenitatem veſpertinus. tom. 2. pag. 64. col. 1.

Rudolphi Imperatoris Coronatio Ratisbonæ habita. tom. 5. pag. 347. col. 1.

Ruminabat homo quidam Patavinus. tom. 2. pag 449. col. 2.

Ruminare quidam homines perhibentur. tom. 2. p. 261. col. 2.

Ruminatio quid ſit? tom. 2. pag. 449. col. 2.

Rumorem aquæ ſentientes vulpes non tranſeunt flumen glacie concretum. tom. 2. pag. 358. col. 2.

Rupes quomodo formentur? tom. 5. pag. 266. col. 2.

Ruptilitas ex qua qualitate pendeat? *tom.* 1. *p.*359. *col.* 1.

a Ruſtico hauſta manibus aqua gratiſſima fuit Regi. *tom.* 2. *pag.* 652. *col.* 2.

Ruſticum feliciorem Rege Gyge dixit Oraculum. *tom.* 2. *pag.* 583. *col.* 2.

S

SAccharum ex arundinibus conficitur. *tom.* 2. *pag.* 74. *col.* 2.

Sacerdotes Cybeles exſecti, & effeminati. *tom.* 5. *pag.* 187. *col.* 2.

Sacra Scriptura &c. *Vide*: Scriptura Sacra.

Sacrarum litterarum ſenſus, an Tellus magis in centro, quam extra centrum circumvolvatur. *tom.* 3. *pag.* 570. *col.* 2.

Sacrificavit bovem Pythagoras ob repertum problema. *tom.* 2. *pag.* 621. *col.* 2.

Sacræ Scripturæ teſtimoniis abuti qui Syſtema Copernicanum impugnant. *tom.* 3 *pag.* 480. *col.* 2.

Sagittas infixas extrahunt Cervi dictamo. *tom.* 2. *pag.* 225. *col.* 2. & *pag.* 488. *col.* 2.

Sal in aqua diſſolvitur uſque ad certam quantitatem, nec amplius; tunc tamen diſſolvitur alumen. *tom.* 2. *pag.* 32. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 401. *col.* 1.

Sale condit cibos inſipidiores ſaliva. *tom.* 2. *p.* 321. *col.* 2.

Salis corpuſcula cubica ſunt. *tom.* 3. *pag.* 400. *col.* 2.

Saliva cibos inſipidiores ſale condit. *tom.* 2. *p.* 321. *col.* 1.

Salmacis aqua luxurioſos efficit. *tom.* 2. *pag.* 54. *col.* 2.

Salomon Azubius Carpentoractenſis Rabbinus. *t.* 5. *pag.* 272. *col.* 1.

Salſa eſt aqua fontis cujuſdam inferne, ſuperne dulcis. *tom.* 2. *pag.* 46. *col.* 2.

Salſedinis maris, & aliquorum fontium quæ cauſa ſit. *tom.* 2. *pag.* 45. & *ſeqq.*

Salſior duodecies eſt aqua fontis morienſis marina. *tom.* 3. *pag.* 402. *col.* 1.

Saltitat demorſus à Phalangio Appulo. *tom.* 2. *p.* 397. *col.* 2.

Salus Patriæ parentum ſaluti anteponenda. *tom.* 2. *pag.* 708. *col.* 2. & *pag.* 716. *col.* 2.

Salutavit virginem Democritus, & poſtridie mulierem cum conſtuprata fuiſſet. *tom.* 3. *pag.* 189. *col.* 1

Salutis publicæ cauſa fraus an permittatur? *tom.* 2. *pag.* 668 *col.* 2.

Samuel Petitus. *tom.* 5. *pag.* 264. *col.* 1.

Sana in ſano corpore mens, maximum bonum. *tom.* 6. *pag.* 97. *col.* 2.

Sanare vulnera e longinquo an poſſit unguentum ſympatheticum. *tom.* 2. *pag.* 399. *col.* 2.

Sanat vulnera etiam ex diſtantia pulvis vitreoli. *tom.* 2. *pag.* 34. *col.* 1.

Sancta Balma, rupes, ac eremus pœnitentiâ Beatæ Magdalenæ inſignis. *tom.* 5. *pag.* 340. *col.* 1.

Sancti Patres, qui Ariſtotelem reprehendunt. *tom.* 3. *pag.* 213. *col.* 1.

Sancti Patres aliqui animum eſſe corpus dixerunt. *tom.* 3. *pag.* 359. *col.* 2.

a Sanguine in pulmone ſeparantur fuliginea, quæ emittuntur foras una cum aëre. *tom.* 2. *pag.* 218. *col.* 2. & *pag.* 280. *col.* 2. *pag.* 456. *col.* 2. *pag.* 495. *col.* 1.

Sanguine ſuo ſi confirmaſſet, Ariſtotelem omnia vera dixiſſe, quis aſſeruit Deo ſe præſtiturum obſequium. *tom.* 3. *pag.* 104. *col.* 2.

Sanguinis circulatio an detur, & quomodo fiat? *t.* 2. *pag.* 271. & *ſeqq.* *tom.* 3. *pag.* 217. *col.* 1.

Sanguinis fluxum ſiſtit pulvis vitreoli. *tom.* 2. *p.* 34. *col.* 1.

Sanguis totus efflueret ſemihoræ ſpatio, quando inciditur vena ægrotis. *tom.* 2. *pag.* 274. *col.* 2.

Sanitas quid ſit, & quomodo conſervetur? *tom.* 2. *pag.* 492. & *ſeqq.*

Sanitas recuperatur victu tenuiſſimo, & abſtinentia a carnibus. *tom.* 3. *pag.* 70. *col.* 2.

Sanitatem quæ reſtituunt, conſervant etiam. *tom.* 2. *pag.* 643. *col.* 2. reſtituit abſtinentia a carnibus. *ibid.*

Santamantius clarus Poëta. *tom.* 5. *pag.* 273. *col.* 1.

Sapiens Epicureos utrum aliquid injuſte acturus ſit, ratus fore ut lateat. *tom.* 5. *pag.* 632. *col.* 1.

Sapiens res naturales, & hiſtorias didicit. *tom.* 2. *pag.* 500. *col.* 1.

Sapientem nullam pati poſſe injuriam. *tom.* 6. *pag.* 1. *col.* 1.

Sapientes, qui in Hortorum amœnitate ſunt philoſophati. *tom.* 5. *pag.* 190. *col.* 2.

Sapientes venerationem merentur. *tom.* 2. *pag.* 716. *col.* 2.

Sapone quare eluantur panni. *tom.* 2. *p.* 355. *col.* 1. & 2. *pag.* 398. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 243. *col.* 1. & *pag.* 511. *col.* 1. & 2.

Sapores quomodo afficiant palatum? *tom.* 1. *p.* 359. *col.* 2.

Sapores lingua, & palatum etiam ſentit. *tom.* 2. *pag.* 310. *col.* 1.

Sarpius Servita valvularum primus inventor habitus. *tom.* 5. *pag.* 202. *col.* 1.

Satius eſt ingratos experiri, quam nulli beneſacere. *tom.* 6 *pag.* 319. *col.* 2.

Saturni magnitudo quanta juxta Tychonis calculum? *tom.* 5 *pag.* 371. *col.* 2.

Saturnus ſine anſulis viſus. *tom.* 4. *pag.* 155. *col.* 1.

Saturnus tricorpor. *tom.* 5. *pag.* 334.

Satyrus apparuit D. Antonio. *tom.* 3. *pag.* 173. *col.* 2.

Saxo concluſus inventus eſt buſo. *tom.* 2. *pag.* 230. *col.* 2.

Saxum. *vide*: Lapidem.

Scaliger laude affectus. *tom.* 5. *pag.* 221. *col.* 1. quo morbo laboraverit, & qua die fatis conceſſerit. *pag.* 236. *col.* 2. opus inſigne incompletum reliquit. *ibid.* ad Samaritanos Ægypti ſcripſit. *ibid.*

Scaligeri, & quorumdam aliorum obſervatio circa Solis Iridem. *tom.* 3. *pag.* 594. *col.* 1.

Scaligerorum ſepulcra. *tom.* 5. *pag.* 2 2. *col.* 2.

Scapus quid ſit. *tom.* 2. *pag.* 137. *col.* 2.

Scarabæi non tolerant unguentum. *tom.* 3. *pag.* 176. *col.* 2.

Sceptici &c. *Vide*: Pyrrhonei.

Sceptici quid in Geometria reprebenderint. *tom.* 3. *pag.* 351. *col.* 2. & *pag.* 352. *col.* 1.

Scaphidium vas quid eſſet. *tom.* 5. *pag.* 325.

Schematiſmi Syderum, Aſtologorum nugæ. *tom.* 6. *pag.* 97. *col.* 1.

Scientiam foturorum contingentium in Deo negat Ariſtoteles. *tom.* 3. *pag.* 129. *col.* 1.

Scintillatio Syderum, juxta pleroſque, ex eorum in ſe revolutione provenit. *tom.* 3. *pag.* 461. *col.* 1.

Scorpiones naſcuntur ex Ocimo. *tom.* 2. *pag.* 231. *col.* 1.

Scorpiones volucres apud Lucianum non ſunt muſcæ. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.

Scotiæ litore aves naſcuntur ex fructu arboris. *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 1.

Scribentibus quam ſit neceſſaria felicitas, & promptitudo. *tom.* 5. *pag.* 209. *col.* 1.

Scribere quis poteſt lumine noctilucarum. *tom.* 2. *pag.* 383. *col.* 1.

Scriptura Sacra res naturales docere noluit. *tom.* 3. *pag.* 223. *col.* 1.

Scurrilitas quæ ſit? *tom.* 2. *pag.* 689. *col.* 1.

Scythicus agnus borametz vocatus eſt fabuloſus. *tom.* . *pag.* 300. *col.* 2.

Sebaſtianus Richardus Peireskii Medicus. *tom.* 5. *pag.* 260. *col.* 2.

Sectilitas ad quam qualitatem ſpectet. *tom.* 2. *p.* 358. *col.* 2.

Secundaria lux in Venere inſtar Lunæ viſa eſt. *tom.* 4. *pag.* 473.

Sedes animæ rationalis eſt in cerebro. *tom.* 2. *p.* 388. *col.* 2.

Sedes appetitus, & voluntatis ubi ſit? *tom.* 2. *p.* 412. *col.* 2.

Sedes ſenſuum eſt in cerebro. *tom.* 2. *pag.* 389. *col.* 2.

Selde-

Seldenus Anglus libri de arundellianis marmoribus auctor. *tom.* 5. *pag.* 263. *col.* 1.
Seleucus quomodo explicaret æſtum maris. *tom.* 3. *pag.* 488. *col.* 2.
Seleucus Maris æſtum terræmotu explicat. *tom.* 1. *pag.* 394. *col.* 2.
Semen anima præditum eſt. *tom.* 3. *pag.* 220. *col.* 2.
Semen excipientes dæmones an generare poſſint? *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 2.
Semen plantarum continet ipſarum animam. *tom.* 2. *pag.* 149. *col.* 2.
Semi Æthiopum montis incendium Veſuviano in Italia contemporaneum. *tom.* 5. *pag.* 273. *col.* 1.
e Semine an omnia animalia procreentur? *tom.* 1. *pag.* 427. *col.* 2.
ſine Semine maſculorum naſcontur vultures. *tom.* 3. *pag.* 174. *col.* 2.
e Semine prodeunt pili. *tom.* 2. *pag.* 524. *col.* 1.
ex Semine quæ animalia procreentur? *tom.* 2. *p.* 232. *col.* 2.
e Semine, quod vir in balneum effuderat, femina ſe concepiſſe dixit. *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 1 & 2.
Senæ foliis cum oleo tartari infuſis aqua rubeſcit. *tom.* 1. *pag.* 323. *col.* 1.
in Senectute cur caneſcant pili? *tom.* 2. *pag.* 435. *col.* 1.
ob Senectutem dimiſſus mulus, ne arceretur ab incerniculis decreto publico ſancitum eſt. *tom.* 2. *pag.* 531. *col.* 2.
Senex Anglus poſt exactos annos centum, & quinquaginta duos mortuus. *tom.* 5. *pag.* 283. *col.* 2.
Senes colendi ſunt. *tom.* 2. *pag.* 7 6. *col.* 2.
Senes mulieres pepererunt. *tom.* 2. *pag.* 525. *col.* 1. & 2.
Senes non decet verecundia ex Ariſtotele. *tom.* 2. *pag.* 682. *col.* 1.
Senes quidam non optime ratiocinantur. *tom.* 2. *pag.* 444. *col.* 2.
Senes, qui juventutem recuperarunt. *tom.* 2. *pag.* 521. *col.* 1. & 2.
Seneſcentibus formicis alæ adnaſcuntur. *tom.* 2. *p.* 473. *col.* 1.
Senibus qua ratione convexa vitra conferant? *tom.* 5. *pag.* 274. *col.* 2.
Senibus quibuſdam dentes nati ſunt. *tom.* 2. *p.* 521. *col.* 2.
Senſitiva anima eſt corpus. *tom.* 2. *pag.* 286. *col.* 2.
Senſum afficientium corpuſculorum ſubtilitas. *tom.* 1. *pag.* 391. & 392.
Senſum quem habeant plantæ, & oſtrea. *tom.* 2. *pag.* 300. *col.* 1. & 2.
Senſu quo quæque animalia ſuperent homines. *t.* 2. *pag.* 308. *col.* 1. & *tom.* 3. *pag.* 178. *col.* 2.
Senſus an quinque ſint? *tom.* 2. *pag.* 285. *col.* 2. quomodo percipiant. *pag.* 295. *col.* 2.
Senſus communis an differat a phantaſia? *tom.* 2. *pag.* 349. *col.* 2.
Senſus imprimunt in cerebro plicas, hinc ſenſio fit, & memoria quoad plicæ permanent. *tom.* 2. *p.* 353. & *ſeqq.* *tom.* 3. *pag.* 452. *col.* 2.
Senſus non fallitur. *tom.* 3. *pag.* 431. *col.* 2. *tom.* 5. *pag.* 48. *col.* 2.
Senſus variantur, prout qualitates, quibus ſenſus afficiuntur, variantur. *tom.* 3. *pag.* 429
Senſus qui differat ab intellectu. *tom.* 2. *pag.* 405. & *ſeqq.*
Senſuum ſedes eſt in cerebro. *tom.* 2. *pag.* 289. *col.* 2.
Sententia Epicuri de anima mortali refellitur. *tom.* 2. *pag.* 558. *uſque ad pag.* 572.
Sententia Pyrrhoneorum defenditur. *tom.* 3. *p.* 190. *col.* 2.
Separatum. *Vide*: Vacuum.
Sepiæ atramentum effundenti comparatur Ariſtoteles ab Attico. *tom.* 3. *pag.* 115. *col.* 2.
Sæpiſſime aër intra paucas horas alterationes diverſiſſimas, & ſuas perituſſimas ſubit. *tom.* 3. *p.* 598. *col.* 1.
September in tutela Vulcani. *tom.* 5. *pag.* 504.
Septembri menſe, ix. Cal. Octobr. natus Cæſar Auguſtus. *tom.* 5. *pag.* 499. *col.* 2.
Septingenties Seſtertiorum habitum eſt æs alienum a Milone contractum. *tom.* 5. *pag.* 481. *col.* 1.
Septumiæ monumentum. *tom.* 5. *pag.* 216. *col.* 1.
Sepulcri inſcriptione deceptus eſt Darius avidus pecuniæ. *tom.* 2. *pag.* 729. *col.* 2. & *pag.* 730. *col.* 1.
Serenitatem cur indicet color rubeus nubium veſpertinus. *tom.* 2. *pag.* 64. *col.* 1.
Sermonem proferre animalia an dici poſſint? *tom.* 2. *pag.* 457. *col.* 2.
Serpens eximiæ magnitudinis. *tom.* 2. *pag.* 175. *col.* 2.
Serpentes congreſſuri fel evomunt. *tom.* 5. *p.* 235. *col.* 2.
Serpentes naſcuntur ex quibusdam lignis. *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 1.
Serpentes quomodo reptent. *tom.* 2. *pag.* 476. *col.* 2. & *pag.* 477.
Serpentum venenum qua parte hoſpitetur ex Plinio. *tom.* 5. *pag.* 233. *col.* 2.
Serratura quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 2.
Servus nullis tormentis adigi potuit ne teſtaretur lætitiam, quam conceperat ex vindicata domini cæde. *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2.
Sex Soles Regi Poloniæ viſos memorat Vicomercatus. *tom.* 3. *pag.* 505. *col.* 2.
Sextarii dimidium eſt hemina. *tom.* 5. *pag.* 43. *col.* 2.
Sextilis menſis in tutela Cereris. *tom.* 5. *pag.* 503.
Sexto menſe natus quidam vixit. *tom.* 2. *pag.* 255. *col.* 1.
Sexu utroque prediti ſunt Trochus, Ichneumon, & Hyæna. *tom.* 2. *pag.* 236. *col.* 2. & *pag.* 245. *col.* 1.
Si ex æqualibus æqualia demus, reſidua erunt æqualia. *tom.* 3. *pag.* 491. *col.* 2.
Siccum quid ſit, & in quo differat a ſolido. *tom.* 2. *pag.* 353. *col.* . & 2.
Sicyonii calcei. *tom.* 3. *pag.* 72. *col.* 1.
Signum in Cœlo admirabile viſum in Anglia. *tom.* 3. *pag.* 600. *col.* 1.
Silentii nunquam, loquacitatis ſæpe pœnituit. *t.* 2. *pag.* 688. *col.* 2.
Simia an guſtu ſuperet homines? *tom.* 2. *pag.* 308. *col.* 2. & *pag.* 310. *col.* 1.
Simile an patiatur a ſimili, vel a diſſimili. *tom.* 1. *pag.* 321. *col.* 1.
Similes filii parentibus. *tom.* 2. *pag.* 246. *col.* 2
Simonis Portii Philoſophi celebris ſepulcrum. *tom.* 5. *pag.* 219. *col.* 2.
Sinenſis Roſa. *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 2.
Singultus quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 449. *col.* 1.
Siren didicit nere. *tom.* 2. *pag.* 170. *col.* 2.
Siti qui diu non laborarint ſine potu. *tom.* 2. *p.* 542. *col.* 1. & 2.
Sitim cur creet metus? *tom.* 2. *pag.* 434. *col.* 2.
Sitis quomodo accendatur. *tom.* 2. *pag.* 250. *col.* 2.
Situs Eccleſiarum Angliæ, & Pariſiorum. *tom.* 5. *pag.* 255. *col.* 1. & 2.
Smaragdus quare ſit figuræ dodecahedricæ? *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 2.
Sobrietas quomodo ſervanda ſit. *tom.* 2. *pag.* 683. *col.* 1. & 2.
Sobrietatem belluæ magis, quam homines obſervant. *tom.* 2. *pag.* 682. *col.* 2.
Socratem an Genius admoneret? *tom.* 2. *pag.* 755. *c.* 2. & *pag.* 756.
Socrates Poëtarum inſidiis in vincula conjectus Areopagi venenum hauſit. *tom.* 6. *pag.* 402. *col.* 1.
Socrates, Theramenes, & alii Cicuta extincti; ubi de Cicuta Antiquorum, ejuſque vi diſſeritur. *tom.* 6. *pag.* 497. *col.* 2.
Sol circa proprium axem revolvitur uno menſe. *tom.* 3. *pag.* 458. *col.* 2.
Sol in Horizonte ellipticæ figuræ eſt. *tom.* 3. *p.* 405. *col.* 2.
Sol, & Luna majores apparent in Horizonte, quam in Meridiano. *tom.* 3. *pag.* 385. & *ſeqq.*
Sol quantum abſit a Terra, cum in mediocri diſtantia eſt, juxta Tychonis ſupputationem. *tom.* 5. *pag.* 371. *col.* 2.

Digitized by Google

Sol quaſe in Horizonte major appareat. *tom.* 2. *p.*338. *col.* 1.

Sol qoot vicibus Terra ſit major per Tychonem? *tom.* 5. *pag.* 371. *col.* 2.

Solabatur ſeſe in doloribus Epicurus memoria inventorum ſuorum. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 1.

Solares erant anni vitæ hominum, quos refert Scriptura. *tom.* 2. *pag.* 329. *col.* 2. & *pag.* 330. *col.* 1.

Solaris Eclypſeos anni 1621. obſervatio Petri Gaſſendi accuratiſſima. *tom.* 6. *pag.* 3. *col.* 1.

e Sole caſurum lapidem prædixit Anaxagoras. *t.* 1. *pag.* 447. *col.* 1.

in Sole Mercurium an viderit Keplerus? *tom.* 4. *p.* 541. *col.* 2.

Sole propinquior Terræ eſt Mars io oppoſitione ex Tychone. *tom.* 1. *pag.* 438. *col.* 1.

Solem eſſe laminam candentem dixerunt Anaxagoras, & Archelaus. *tom.* 1. *pag.* 447. *col.* 1.

Solem eſſe lapidem ignitum dixit Anaxagoras. *tom.* 1. *pag.* 447. *col.* 1.

ad Solem rigebat Demopbon, æſtuabat in umbra. *tom.* 3. *pag.* 180. *col.* 2.

Soles duo in Boſphoro conſpecti, qui a matutino tempore in Occaſum perduraruot. *tom.* 3. *p.* 593. *col.* 1.

Soles ſpurios tot eſſe poſſe, quot nubes aptæ fuerint ad exhibendum effigiem veri contendit Seneca. *tom.* 3. *pag.* 595. *col.* 2.

Solidum quid ſis, & in quo differat a ſicco. *tom.* 1. *pag.* 353. *col.* 1. & 2.

Soli aſtare ſi licuiſſet, comburi ſe non recuſaſſet Eudoxus. *tom.* 2. *pag.* 621. *col.* 2.

Solis diameter eſt ſui orbis ducenteſima decima ſexta pars, juxta Ægyptiorum ſupputationem. *tom.* 5. *pag.* 325.

Solis Eclipſes. *tom.* 5. *pag.* 261. *col.* 2. & *pag.* 264. *col.* 2.

Solis motum inceſſu Scarabæi ſuam pilulam retrorſum volventis repræſentabant Ægyptii. *tom.* 5. *pag.* 325.

Solonis vultus in Amethyſto exlatus. *tom.* 5. *p.* 229. *col.* 1.

Solvatur cur venter, & veſica metu? *tom.* 2. *p.* 434. *col.* 2.

Solutione continui dolor efficitur. *tom.* 2. *pag.* 416. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 371. *col.* 1.

Somnia quomodo fiant? *tom.* 2. *pag.* 362. *col.* 2.

Somniantium admirandæ operationes. *tom.* 2. *p.* 364. *col.* 2. & *pag.* 365. *col.* 1.

Somniarunt nunquam aliqui. *tom.* 3. *pag.* 180. *col.* 2.

Somniaſſe nunquam aliqui dicuotur. *tom.* 2. *p.* 363. *col.* 2.

Somniorum interpretes contemnendi. *tom.* 2. *p.* 754.

Somniom merum eſt chiromantia. *tom.* 2. *pag.* 440. *col.* 2.

e Somoo expergefacti quare diſtincte videant? *tom.* 2. *pag.* 340. *col.* 1.

Somnus Epimenidis quinquaginta ſeptem anoorum. *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 2.

Somnus, ac vigilia quid ſit. *tom.* 2. *pag.* 304. *col.* 1.

Sontes plectuntur, ut exemplo ſint aliis. *tom.* 2. *pag.* 706. *col.* 2.

Sonum litui latratu canis imitabatur. *tom.* 3. *p.* 279.

Sonum tympani non fert Tigris. *tom.* 3. *pag.* 279. *col.* 1.

Sonus maximi bellici tormenti ex eadem diſtantia, cur non citius ad aurem, quam ſonus minimi perveniat. *tom.* 3. *pag.* 489. *col.* 1.

Sonus non auditur vitro intercedeote. *tom.* 1. *p.* 183. *col.* 1. & *tom.* 3. *pag.* 406. *col.* 2.

Sonus conficit una hora milliaria italica nongenta. *tom.* 1. *pag.* 366. *col.* 2. & *tom.* 2. *pag.* 316. *col.* 1. & *pag.* 317. *col.* 1.

Sonus creatur non tam velocitate, quam crebritate ictuum aëris. *tom.* 5. *pag.* 384. *col.* 2.

Sonus quid ſit? *tom.* 1. *pag.* 363. *col.* 2. vento ſecundo ſtante non auditur citius, quam adverſo. *p.* 366. *col.* 2.

Sophiſticen effecerunt Ariſtotelei ex Philoſophia. *tom.* 3. *pag.* 99. *col.* 1.

Sophocles acino uvæ ſtrangulatus fuit. *tom.* 1. *p.* 527. *col.* 2.

Sopore ita correptus eſt puer unguento inunctus, ut ſibi videretur per rupes volare. *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 2. & *pag.* 577. *col.* 1.

Spartorum deſcendens qoidam natus eſt com effigie haſtæ. *tom.* 2. *pag.* 246. *col.* 2.

Spatia confecta ſingulis momentis a gravibus deſcendentibus ſunt æqualia quadratis eorundem momentotum. *tom.* 1. *pag.* 308. *col.* 1. & *pag.* 316. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 440. *col.* 2. & *pag.* 433. *col.* 2.

Spatia imaginaria quid ſint? *tom.* 1. *pag.* 164. *col.* 1.

Species viſibiles quomodo afficiaot oculum. *tom.* 1. *pag.* 386. & *ſeqq.*

Species vocat Concilium, non accidentia. *tom.* 3. *pag.* 153. *col.* 1. & 2.

Specierum viſibilium anguli quantitatem objecti determinant. *tom.* 3. *pag.* 411. *col.* 1. *pag.* 412. *col.* 2. & *pag.* 415. *col.* 2.

Spectra falſa ſunt. *tom.* 2. *pag.* 754. & 755.

Spectris domus aliquæ quomodo liberatæ. *tom.* 2. *pag.* 577. *col.* 2. & *pag.* 778. *col.* 1.

Speculis convexis, aut concavis quomodo creſcant, aut decreſcant objecta. *tom.* 1. *pag.* 387. *col.* 2. *tom.* 2. *pag.* 333. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 401. *col.* 2. *p.* 402. *col.* 1. & *pag.* 411. *col.* 1.

per Speculum quare imago ultra illud appareat, quantum citra nos ſumus. *tom.* 3. *pag.* 416. *col.* 2.

Sperare nimium, aut deſperare nequaquam debemus. *tom.* 2. *pag.* 393. *col.* 1.

Spes quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 432. & *ſeqq.*

Sphæræ octavæ anomalia falſa eſt. *tom.* 4. *pag.* 370. *col.* 2.

Spica ſatris nata e oaſo mulieris. *tom.* 2. *pag.* 150. *col.* 2.

Spicas eminentiores obtruncavit Periander loco reſpondendi Thraſybulo. *tom.* 2. *pag.* 669. *col.* 2.

Spiritus animales, ſeu ſuccum nerveum exiſtere, & motum efficere probatur religatione nervi. *tom.* 2. *pag.* 413. *col.* 1.

Spongia cur attrahat aquam, ita ut ea aſcendat. *tom.* 2. *pag.* 395. *col.* 2.

Spuma quare candida ſit? *tom.* 1. *pag.* 384. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 396. *col.* 1.

Stamina quæ dicantur? *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 2.

Stantes cur alteri tantum pedi innitamur? *tom.* 3. *pag.* 423.

Stationes Planetarum probant motum Terræ. *tom.* 3. *pag.* 468. *col.* 1. & 2.

Statua cur poſita non ſit ſi quæratur, glorioſius eſt, quam ſi quæratur, cur poſita ſit. *tom.* 2. *pag.* 688. *col.* 1.

Status animarum poſt mortem qualis ſit. *tom.* 1. *pag.* 571. & *ſeqq.*

Status vitæ quomodo eligendus. *tom.* 2. *pag.* 658.

Stellarum diſcos in unum compoſitos vix apparenti diſco unius mediocris Stellæ exæquatum iri. *tom.* 3. *pag.* 383. *col.* 2.

Stellarum Inerrantium inæqualitas falſa eſt. *tom.* 4. *pag.* 570. *col.* 2.

Stellas cur etiam ioterdiu videant exiſtentes in puteo. *tom.* 3. *pag.* 403. *col.* 1.

Stellæ. *Vide*: Aſtra.

Stellæ poſt imbrem cur illuſtriores videantur. *tom.* 3. *pag.* 399. *col.* 1.

Stellæ viſæ propter eclipſes. *tom.* 4. *pag.* 373.

Stercus optimum ad agrum fecundandum ſunt domini veſtigia. *tom.* 1. *pag.* 563. *col.* 1.

Sterilitas unde proveniat. *tom.* 2. *pag.* 151. *col.* 1.

Sternutatio quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 449. *col.* 1.

Sternutationem cur provocet affrictus narium. *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 2.

Stibbi quid ſit. *tom.* 2. *pag.* 37. *col.* 1.

Stillas lotii, aut ſudoris demittunt hymenopteri noctu volantes, quæ putreſaciunt quidquid contingunt. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.

Stilpo capta urbe omnia ſecum eſſe dixit. *tom.* 2. *pag.* 578. *col.* 1.

Stimmi. *Vide*: Stibbi.

Stoicorum dialecticam, non quamcumque improbavit Epicurus. *tom.* 5. *pag.* 46. *col.* 1.

Stolo-

Stolones quid ſiot. *tom.* 1. *pag.* 137. *col.* 2. *& pag.* 138. *col.* 2.
Stomachus ex navigatione ſubmotus. *tom.* 5. *pag* 230. *col.* 2.
Striges quare ſe transferri per aërem dicant? *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 2.
Studium Philoſophiæ non differendum. *tom.* 3. *pag.* 59. *col.* 1.
Stulti miſerrimi ſunt. *tom.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 3. *pag.* 26. *col.* 2.
Stultitia hoc habet mali, quod ſemper deſtinat vivere, & nunquam vivit. *tom.* 3. *pag.* 59. *col.* 1.
Stultum eſt metuere mortem. *tom.* 2. *pag.* 585. *& ſeqq.*
Stylus qui dicatur? *tom.* 3. *pag.* 138. *col.* 2.
Subſtantia Cœli an ſit ſolida, & an eadem, ac Syderum? *tom.* 1. *pag.* 435. *& ſeqq.*
Subſtantia nova, & diſtincta a materia an ſit forma? *tom.* 1. *pag.* 408. *col.* 2. *& pag. ſeqq.*
Subſtantia non eſt locus, & tempus, nec accidens. *tom.* 2. *pag.* 160. *col.* 1.
Subſtantiæ igneæ an ſint Sydera, & an ejuſdem inter ſe omnia. *tom.* 1. *pag.* 445. *& ſeqq*
Subſtantiæ qualitas, ſeu modus ſolum mutatur in generatione. *tom.* 2. *pag.* 412. *& pag. ſeqq.* ſicut in corruptione. *pag.* 417. *& ſeqq.*
Subtilitas atomorum afficientium odoratum, & ceteros ſenſus. *tom.* 1. *pag.* 391. *&* 392.
Succinum quid ſit? *tom.* 2 *pag.* 37. *col.* 1.
Succinum rem foſſilem eſſe, nec ex arboribus Norvegiæ colligi. *tom.* 3. *pag.* 235. *col.* 2.
Succorum terræ quot genera ſint? *tom.* 2. *pag.* 29. *col.* 2. *pag.* 30. *& ſeqq.*
Succubi facti dæmones an excipiant ſemen virile, & deinde incubi facti generent. *tom.* 2. *pag.* 237. *col.* 2.
Succum nerveum efficere motum ligatura nervi probatur. *tom.* 2. *pag.* 413. *col.* 2.
Succus belzuino ſimilis ex planta nata ex pluvia. *tom.* 2. *pag.* 548. *col.* 2.
Sucula nata ex cane. *tom.* 1. *pag.* 336. *col.* 2.
Suculam Latini vocant, quam Græci aſinum, vulgo tornum. *tom.* 2 *pag.* 446. *col.* 2.
Sudorem demittunt hymenopteri, quo putreſit quidquid contingitur. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.
Sulphurei halitus accenſio terræmotum creat. *tom.* 2. *pag.* 42. *& ſeqq.*
Summum bonum. *Vide*: Felicitatem.
Summus Pontifex Delphini Regis ſponſor. *tom.* 3. *pag.* 232. *col.* 2.
Superfetationis cauſa quæ ſit. *tom.* 2. *pag.* 249. *col.* 2.
Superficies animalium dureſcit ab aëre. *tom.* 3. *p.* 47. *col.* 2.
Superficiem Geometræ conſiderant in abſtracto; in corpore autem Phyſici. *tom.* 1. *pag.* 335. *col.* 2.
Surdo reſtitutus eſt auditus perforata membrana. *tom.* 2. *pag.* 317. *col.* 1.
Suſcitati aliqui dicuntur. *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 2.
Suſpirium qua de cauſa efficiatur. *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 2.
Sycophanta primus Epitedius. *tom.* 2. *pag.* 550. *col.* 1.
Sydera an ſint ejuſdem ſubſtantiæ, ac Cœlum. *tom* 1. *pag.* 435. *& ſeqq.* an ejuſdem ſubſtantiæ inter ſe; an igneæ. *pag.* 445. *& ſeqq.*
Syderum Schematiſmi, Aſtrologorum nugæ. *tom.* 6. *pag.* 97. *col.* 1.
Syderum ſcintillationem ex eorum in ſe revolutione contingere plerique putant. *tom.* 5. *p.* 462. *col.* 1.
Sylla libros Ariſtotelis Romam tranſtulit. *tom.* 3. *pag.* 514. *col.* 2.
Σύμβολον quid. *tom.* 5. *pag.* 128. *col.* 1.
Sympatheticum unguentum an vulnera ſanet? *tom.* 1. *pag.* 399. *col.* 1.
Syſtolen, & diaſtolen habet etiam cerebrum. *tom.* 2. *pag.* 483. *col.* 2.

T

TAbulæ Rudolphinæ a Keplero evulgatæ. *tom.* 5. *pag.* 261. *col.* 1.
Tactus quibus modis efficiatur. *tom.* 2. *pag.* 307. *& ſeqq. & pag.* 417. *col.* 2. an eo præcellat homo ceteris animalibus? *pag.* 308. *col.* 1.
Tactus ſpecies an ſit venereorum ſenſus. *tom.* 2. *pag.* 417. *col.* 2.
Talchi, ſeu ſpecularis lapidis ſpecies. *tom.* 3. *pag.* 234. *col.* 2.
Talentus Ægyptius, ſeu Arſinoës Philadelphi. *tom.* 3. *pag.* 256. *col.* 1.
Talmud quare Rabbini confecerunt. *tom.* 3. *pag.* 232. *col.* 2. *&* 2.
Tarantula Appula ſi quem mordeat, is ſaltitat. *tom.* 1. *pag.* 397. *col.* 1.
Tartari oleo cum ſenæ foliis infuſo aqua rubeſcit. *tom.* 1. *pag.* 322. *col.* 2.
Tartari oleum mixtum cum vitrioli oleo ebullit. *tom.* 1. *pag.* 253. *col.* 1.
Tarteſſum fluvium oriri ex Pyrenæis tradit Ariſtoteles. *tom.* 2. *pag.* 22. *col.* 1. *& pag.* 52. *col.* 2.
Tauri Æthiopiæ cornua movent. *tom.* 2. *pag.* 450. *col.* 2
Teleſcopium adinvenit Fontana Neapolitanus. *tom.* 6. *pag.* 182. *col.* 2.
Teleſcopium Gaſſendo donavit Galilæus. *tom.* 4. *pag.* 555. *col.* 1.
Teleſius Chymicus. *tom.* 2. *pag.* 216. *col.* 2.
Temeſæa appellata fuit Luna, & quare? *tom.* 6. *pag.* 23. *col.* 1.
Temperamentum quomodo ex quinque principiis Chymicorum conſtet. *tom.* 2. *pag.* 486. *col.* 2. *& pag. ſeqq.*
Temperamentum quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 482. *& ſeqq.* ad pondus an detur. *pag.* 485. *col.* 1. *&* 2. ad juſtitiam datur? *pag.* 485. *col.* 2. *& pag.* 486. *col.* 1.
Temperantia qualis virtus ſit. *tom.* 3. *pag.* 681. *& ſeqq.*
Temperies &c. *Vide*: Temperamentum.
Temperies cerebri quæ requiratur, ut quis excellat animi dotibus. *tom.* 2. *pag.* 406. *col.* 2.
Templum Athenis cum ædificaretur, decreto publico ſancitum eſt, ne mulus ab incerniculis arceretur. *tom.* 2. *pag.* 531. *col.* 2.
Tempore eodem, & eodem morbo correptos fratres Hippocrates ſuſpicatus eſt eſſe geminos. *tom.* 2. *pag.* 249. *col.* 2.
Tempore breviore nautæ iter conficiunt Occaſum verſus. *tom.* 3. *pag.* 456. *col.* 2.
Tempore æquali gravia ejuſdem materiæ, licet diverſæ molis deſcendunt. *tom.* 1. *pag.* 309. *col.* 2. *pag.* 326. *col.* 2. *pag.* 342. *col.* 2. *& tom.* 3. *pag.* 451. *col.* 1. & vibrationes penduli ſive longiores, ſive breviores. *tom.* 3. *pag.* 452. *col.* 2. *& pag.* 454. *col.* 2.
Tempore æquali projectum aſcendit, & deſcendit. *tom.* 3. *pag.* 442. *col.* 2. *& pag.* 453. *col.* 2.
de Tempore per primas partes obſervatione determinando; pauca de cauſa phyſica, deque lapſu circa eam admiſſo. *tom.* 3. *pag.* 532. *col.* 2.
de Tempore, quo Rev. Pat. Cazræus colligit, ſingulas partes decurſum iri. *tom.* 3. *pag.* 527. *col.* 1.
de Tempore, quo Rev. Pat. Cazræus colligit, partes ſpatii ſingulas decurſum non iri. *tom.* 3. *pag.* 524. *col.* 2.
cum Temporis totius longinquitate plura ſæcula comparata, guttulam aquæ collatam ad Oceanum eſſe. *tom.* 6. *pag.* 275. *col.* 2.
Temporum quadrata æqualia ſunt ſpatiis a gravibus confectis ſingulis temporibus. *tom.* 1. *pag.* 308. *col.* 1. *& pag.* 326. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 440. *col.* 2. *& pag.* 453. *col.* 2.
Tempus non eſt menſura motus, ſed motus potius temporis. *tom.* 6. *pag.* 259. *col.* 2.
Tempus non eſt ſubſtantia, nec accidens. *tom.* 2. *pag.* 260. an quid ſit? *pag.* 297. *col.* 2. *& tom.* 3. *pag.* 318. *col.* 2.

Tem-

Tempus quid ſit? *tom.6. pag. 159. col. 1.*

Tempus, quo partus edatur. *tom. 2. pag. 255. col. 1.*

Tempus rerum edax. *tom.6. pag. 181. col. 1.*

Tempus res quæpiam eſt impedibiliter fluens. *tom.6. pag. 159. col. 1.*

a Tenebris quare videamus res exiſtentes in luce, non autem contra. *tom. 2. pag. 339. col. 2.*

Tenuitas. *Vide*: Subtilitas.

Terentius quia amiſit centum, & octo comœdias interiit. *tom.2. pag. 425. col. 1.*

Terra an ſit anima prædita? *tom. 2. pag. 1. & ſeqq.* an ſit rotunda. *pag. 3. col. 2. & pag. 4. & ſeqq.* cum aqua unum globum componit. *pag. 4. col.2.* utrum ſit in medio Mundi, an moveatur. *tom.2. pag. 8. col.1. & pag. 9.* cur non cadat. *pag.9. col.2. & pag.* 10.

Terra an ſit altius Mare? *tom. 2. pag. 16.*

Terra eſt, veluti quadam magnes. *tom. 3. pag. 448. col. 1.*

ſub Terra ignes quæ cauſa generet. *tom. 2. pag. 38. & ſeqq.*

e Terra initio Mundi homines prodierunt die maximo, qui fuit decem menſium. *tom. 2. pag. 256. col. 1.*

Terra nec gravis, nec levis eſt, nec motui repugnat. *tom. 3. pag. 463. col. 2.*

Terra quomodo ad ſe attrahat omnia gravia. *tom.3. pag. 449. col. 2. & pag. 450. col. 1.*

Terra quot genera foſſilium procreet. *tom. 2. p.29. col. 2. pag. 30. & ſeqq.*

Terra, ſi exquiſitiſſime tornata eſſet, mobile perfecte rotundum perpetuo moveretur. *tom.1. pag.321. col.* 2.

Terram gravia attrahere, & quid illi contingeret, ſi verſus Lunam dimoveretur. *tom. 3. pag. 572. col. 1.*

Terram inter cornua geſtans animal Rabbini deſcribunt. *tom. 2. pag. 9. col. 2.*

Terram quieſcere pronunciarunt Cardinales, loca Divinæ Scripturæ controverſa interpretati. *tom. 3. pag. 490. col. 2.*

Terram ſphæricam eſſe, & in unum globum cum aqua coire docuit Copernicus. *tom. 5. pag. 444. col. 1.*

Terræ motu Seleucus explicat maris æſtum. *tom. 1. pag. 394. col. 2.*

Terræmotum prædixit Pherecydes ex aqua putei. *tom. 2. pag. 752. col. 1.*

Terræmotus parit ventum æquabilem in Occaſum. *tom. 2. pag. 57. col.2.*

Terræ motus probatur ex pendulo. *tom. 4. pag. 361. & ſeqq.*

Terræ motus quæ cauſa efficiat. *tom. 2. pag. 40. & ſeqq.*

Terræ motus, qui dicitur declinationis, quid ſit? *tom.3. pag. 465. col. 2. Vide*: Motus Terræ.

Terræ motus, qui immenſas ruinas pepererunt. *tom.2. pag. 44. col. 2.*

Terræ partes feruntur in centrum ipſius, non ipſa Terra. *tom. 3. pag. 461. col. 2.*

Terræ partes centrum ipſius, non Univerſi petunt. *tom. 3. pag. 132. col. 1.*

Terræ propinquior Mars eſt Sole in oppoſitione ex Tychone. *tom. 1. pag. 438. col. 1.*

Terræ titubatio. *tom. 3. pag. 485. col. 1.*

Terræ titubationem quæ cauſa efficiat juxta Morinum. *tom. 3. pag. 485. per tot.*

Tertianæ &c. *Vide*: Febris.

Tertullianus putat Deum eſſe corpus ſui generis. *tom. 1. pag. 262. col. 1.*

Teſtamentum Epicuri. *tom.6. pag. 106. col. 1.*

Teſte altero exſecto quidam utriuſque ſexus liberos ſuſcepit. *tom. 2. pag. 245. col. 2.*

Teſtudinem in caput Æſchyli conjecit Aquila. *tom. 2. pag. 730. col. 1. & pag. 752. col. 1. & 2.*

Teſtudinis cubitalis Anatome, & quæ in ejus diſſectione obſervata? *tom. 5. pag. 234. col. 2.*

Teſtudo eximiæ magnitudinis. *tom. 2. pag. 175. col. 1.*

Tetraphthongi etiam dantur. *tom. 2. pag. 459. col. 2.*

Thaddæus Hagecius Bohemus, Aulæ Imperialis Rudolphi Medicus ordinarius. *tom. 5. pag. 347. col. 2.*

Thales Mileſius, Princeps Sectæ Jonicæ. *tom. 6. p.120. col. 1.* Habetur etiam Phyſicæ inventor. *ibid.*

Thales olearum ubertatem prædixit. *tom. 2. pag. 752. col. 1.*

Thebano bello antiquiores hiſtoriæ nullæ ſunt. *tom.3. pag. 26. col. 1.*

Themiſta Epicurea. *tom. 5. pag. 151. col. 1.*

Theombrotus Medicus ob Antiochum Regem curatum 100. talenta accepit. *tom. 5. pag. 483. col. 1.*

Theophraſtus Neleum Scepſium hæredem reliquit librorum ſuorum, & Ariſtotelis. *tom. 3. pag. 114. col. 2.*

Theutobochus Theutonum Rex, quam procerus! *tom. 5. pag. 243. col. 2.*

Thomas. *Vide*: Campanella.

Thomas Erpenius, Arabicæ linguæ Profeſſor. *tom. 5. pag. 247. col. 1.*

Thomas Lydiatus Mathematicus. *tom. 5. pag. 230. col. 2.*

Thomas Segetus a Lipſio commendatus. *tom. 5. p.215. col. 2.*

Thomæ Billoni Anagrammata operoſiſſima. *tom. 5. pag. 543. col. 1.*

Thraces fletu proſequebantur naſcentes, morientes autem gratulatione. *tom. 2. pag. 592. col. 1.*

Thraces in flumen glacie concretum præmittunt vulpes, quæ ſi ſentiant murmur retrocedunt. *tom. 2. pag. 358. col. 2.*

Thraſybulo Periander nihil reſpondit, ſed ſpicas eminentiores truncavit. *tom. 2. pag. 669. col. 2.*

Thule Inſula quas qualitates habeat. *tom. 4. pag. 573. col. 1. & 2.*

Tigris non fert tympani ſonum. *tom. 3. pag. 179. col. 2.*

Timenda non eſt mors. *tom. 2. pag. 585. & ſeqq.*

Timocrates Epicureus. *tom. 5. pag. 151. col. 1.*

Timor. *Vide*: Metus.

Tintinnabula pulſantes antiqui credebant, ſe Lunæ laboranti poſſe ſuccurrere. *tom. 6. pag. 13. col. 1.*

Titillatio cur nobis riſum excitet. *tom. 2. pag. 309. col. 1.*

Titubationem Terræ quæ cauſa faciat juxta Morinum. *tom. 3. pag. 485. per tot.*

Tonans pulvis. *Vide*: Pulvis fulminans.

Tonna auri, monetæ genus, & cujus valoris ſit? *tom. 5. pag. 352. col. 1.*

ex Tormentariæ machinæ fiſtula cur globi tanta velocitate erumpant? *tom. 2. pag. 45. col. 1.*

Tormentis nullis detineri potuit ſervus, ne præſeferret lætitiam ex domini cæde vindicata conceptam. *tom. 2. pag. 68. col. 2.*

Torpedo cur torporem efficiat? *tom. 1. pag. 397. col. 2.*

Torques in cervo adoperti cute inventi ſunt. *tom. 2. pag. 531. col. 2. & pag. 532. col. 1.*

Torrens igneus ex Æthna monte ultra tria milliaria evagatus. *tom. 5. pag. 273. col. 1.*

Torſtenſonus. *tom. 6. pag. 192. col. 2.*

Trabis unum extremum ſi concutiatur exauditur ictus in altero extremo. *tom. 5. pag. 454. col. 2.*

Tractilitas corporum quid ſit. *tom. 1. pag. 355. col. 2. & pag. ſeqq.*

Tragici, quum reperire argumenti exitum nequeunt, confugere ad machinam ſolent. *tom. 3. pag. 490. col. 2.*

Tranſmutatio unius elementi in aliud dari non poteſt. *tom. 1. pag. 210. & pag. 211. col. 1.*

Trianguli, rerumque aliarum ideas eſſe nobis per ſenſus illapſas. *tom. 6. pag. 194. col. 2.*

Tridentinum. *Vide*: Concilium Tridentinum.

Trigonum vitreum cur illos colores repræſentet. *tom. 1. pag. 381. col. 1. & tom. 3. pag. 434. col. 2.*

Triphthongi etiam dantur. *tom. 2. pag. 459. col. 2.*

Triplicis Solis, atque Iridis aſpectus. *tom. 5. p.220. col. 1.*

Triſtitia quidam interierunt. *tom. 2. pag. 425. col. 1.*

Tritones deperire mulieres, & Merovæum ex hujuſmodi concubitu natum produnt hiſtoriæ. *tom. 5. pag. 426. col. 2.*

Tro-

Digitized by Google

Trobadores appellati ſunt Provinciales Poetæ, quaſi inventores. *tom.* 5. *pag.* 283. *col.* 1.

Trochus utroque ſexu præditus eſt. *tom.* 2. *pag.* 246. *col.* 1. & *pag.* 236. *col.* 2.

Troiano bello antiquiores hiſtoriæ nullæ ſunt. *tom.* 3. *pag.* 26. *col.* 5.

Trophæa cujus altitudinis eſſent? *tom.* 5. *pag.* 244. *col.* 1.

Trophæum ſuum quod aſpicerent parentes, nulla alia re Epaminondas tantopere gaudebat. *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 2.

Tropicos inter flat continuo ventus æquabilis in Occaſum. *tom.* 2. *pag.* 57. *col.* 1. & *tom.* 3. *pag.* 456. *col.* 2.

Truncus corporis homine incedente quomodo promoveatur: *tom.* 3. *pag.* 438. *col.* 1.

ex Tubo cur tanta pernicitate piſum erumpat? *tom.* 2. *pag.* 42. *col.* 2.

Tubus Opticus Pictoris nomine Heymi, quo in diſco Lunæ campos, ſilvas, ædificia, & munimenta locorum noſtris ſimilia cernere ferebatur. *tom.* 5. *pag.* 280. & 281.

Tuendæ veritatis gratia præſtare Vitum Philoſophum. *tom.* 6. *pag.* 186. *col.* 1.

Tumorem ſub unguibus pedum creat Nigua. *tom.* 2. *pag.* 229. *col.* 2.

Turbatio aquarum e terræmotu quomodo explicetur? *tom.* 5. *pag.* 266 *col.* 1.

Turca Chriſtiani oſor nominis. *tom.* 6. *pag.* 197. *col.* 1.

Turiones qui ſint. *tom.* 2. *pag.* 138. *col.* 5.

Tuſſim provocat affrictus aurium. *tom.* 2. *pag.* 309. *col.* 2.

Tuſſis quid ſit. *tom.* 2 *pag.* 449. *col.* 1.

Tycho putat Martem Sole propinquiorem Terræ in oppoſitione. *tom* 1. *pag.* 438. *col.* 1.

Tychonici Syſtematis explanatio. *tom.* 5. *pag.* 366. *col.* 1. & 2.

Tympani ſonum non fert Tigris. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.

Tyrannio Grammaticus correxit Ariſtotelem. *tom.* 3. *pag.* 214. *col.* 2.

V

in VAcuo motus eſſet perpetuus. *tom.* 3. *pag.* 452. *col.* 1.

in Vacuo motus non fieret in inſtanti. *tom.* 1. *pag.* 180. *col.* 1. & *pag.* 244. *col.* 1.

in Vacuo ſunt omnes tres dimenſiones. *tom.* 1. *pag.* 163. & 169.

Vacuum. *Vide*: Inane.

Vacuum interſperſum. *tom.* 3. *pag.* 495. *col.* 2.

Vacuum ſeparatum, coacervatum, diſſeminatum quid ſit? *tom.* 5. *pag.* 156. *col.* 1. an detur vacuum ſeparatum. *ibid.* *col.* 2. diſſeminatum datur. *pag.* 271. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 402. *col.* 1. coacervatum dari poteſt. *pag.* 275. *col.* 1 ope hydrargyri. *pag.* 180. *col.* 2.

Valetudo. *Vide*: Sanitas.

Vallis-clauſæ ſcaturigo Petrarchæ, & Lauræ amoribus concelebrata. *tom.* 5. *pag.* 223. *col.* 2.

Vapor eſt aqua rarefacta, & tenuata. *tom.* 5. *p.* 224. *col.* 1.

Vapores Cœlum occupantes, & nocte rubeſcentes nil aliud eſſe, quam naturæ luſus. *tom.* 5. *p.* 252. *col.* 2. Nil ærumnarum portendere. *ibid.*

Varietates, quæ ad motum Lunæ menſtruum referri poſſunt. *tom.* 3 *pag.* 588. *col.* 2.

Vaticinantur qui oſſa animalia ori admoverint. *tom.* 2. *pag.* 147. *col.* 2.

Uberum lacte nutrit pullos veſpertilio. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.

pro Velis reponit remis Gaſſendus in Lucretii verſu 895. lib. 4. *tom.* 2. *pag.* 443. *col.* 1.

Velleius Epicureus. *tom.* 5. *pag.* 199. *col.* 1.

Velocitas gravium deſcendentium juxta numeros impares augetur. *tom.* 3. *pag.* 440. *col.* 2. & eadem proportione decreſcit gravium aſcendentium. *pag.* 441. *col.* 2.

Velocitate æquali deſcendunt gravia eiuſdem materiæ, licet diverſæ molis. *tom.* 1. *pag.* 309. *col.* 1. *pag.* 316. *col.* 1. *pag.* 342. *col.* 2. *tom.* 3. *pag.* 451. *col.* 1.

Venâ ſectâ ægrotis totus ſanguis efflueret horæ dimidio. *tom.* 2. *pag.* 274. *col.* 2. & *pag.* 275. *col.* 1.

in Venam arterioſam meatus ex aorta tenuimens apertus quibuſdam efficit, ut ſubter aquam diu maneant. *tom.* 2. *pag.* 281. *col.* 2.

Venceſlaus Cobergeus Pictor celeber. *tom.* 5. *p.* 232. *col.* 1.

Venefici alicubi habentur, qui religatis manibus, pedibuſque in aquam non demerguntur. *tom.* 2. *pag.* 476. *col.* 1.

Venenum non eſt cicuta coturnicibus, & capris. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.

Venerationem qui mereantur. *tom.* 2. *pag.* 715. *col.* 1. & 2.

Venerei motus non vincuntur, niſi fuga. *tom.* 2. *pag.* 684. *col.* 2.

a Venereis continentur belluæ magis, quam homines. *tom.* 2. *pag.* 682. *col.* 2.

Venereorum ante uſum nemo calveſcit, & puer podagricus non fit. *tom.* 2. *pag.* 523. *col.* 1. & *pag.* 524. *col.* 1.

Venereorum ſenſus an ſpecies tactus ſit. *tom.* 2. *pag.* 417. *col.* 2.

Venti contrarii nihil omninò minuunt ſonorum per aërem celeritatem, quæ ſemper æqualis eſſe videtur, ſive faveat ventus, ſive adverſetur. *tom.* 6. *pag.* 397. *col.* 2.

Venti important interdum locuſtas. *tom.* 2. *pag.* 230. *col.* 2.

Vento ſecundo flante ſonus non auditur citius, quam adverſo. *tom.* 1. *pag.* 366. *col.* 2.

Ventrem cur ſolvat metus? *tom.* 2. *pag.* 434. *col.* 2.

Ventris crepitu emiſſo Metrocles vitam finiturus erat. *tom.* 1. *pag.* 17. *col.* 1.

Ventus terreſtria halitus ex Ariſtotele. *tom.* 5. *pag.* 276. *col.* 1.

Ventus æquabilis inter Tropicos flans continuo in Occaſum. *tom.* 2. *pag.* 57. *col.* 2.

Ventus Ponticus dictus *tom.* 5. *pag.* 276. *col.* 1.

Ventus, qui quotidie flat certis horis, ſed diverſis pro diverſis anni tempeſtatibus. *tom.* 2. *pag.* 58. *col.* 1.

Ventus quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 55. & *ſeqq.*

Venus illuſtrata luce ſecundaria inſtar Lunæ viſa eſt. *tom.* 4. *pag.* 473.

Venus quam habeat reſpectu Terræ magnitudinem juxta Tychonis ſupputationem. *tom.* 5. *pag.* 372. *col.* 2.

Venuſiæ, ſeu Scarlatinæ Inſulæ deſcriptio. *tom.* 5. *pag.* 349. *col.* 1. & 2.

Vera virtus res vulgaris non eſt. *tom.* 6. *pag.* 161. *col.* 2.

Verberans patrem excuſabat ſe, quia etiam ipſe verberaſſet ſuum patrem, qui pariter ſuum verberaverat. *tom.* 2. *pag.* 728. *col.* 2.

Verbum Dei Optimi Maximi efficax eſt. *tom.* 6. *pag.* 192. *col.* 1.

Vere incœpit Mundus. *tom.* 3. *pag.* 26. *cap.* 2.

Verecundia an ſit virtus? *tom.* 2. *pag.* 681. *col.* 2. & *pag.* 682. *col.* 1. laudatur in juvenibus, improbatur in ſenibus ab Ariſtotele. *pag.* 682. *col.* 1.

Veritas etiam ab infeſtis extorquet elogia. *tom.* 6. *pag.* 158. *col.* 2.

Veritas ſtare ob oppoſitis partibus non poteſt. *tom.* 3. *pag.* 402. *col.* 1.

Veritas ſtudioſam diſquiſitionem non averſatur. *tom.* 3. *pag.* 492. *col.* 2.

Veritatis Criteria qui ſuſtulerint? *tom.* 6. *pag.* 129. *col.* 1. Qui poſuerint. *ibid.* *pag.* 130. *col.* 1. & 2.

Vermes antequam moreretur, eidam nati ſunt. *tom.* 2. *pag.* 507. *col.* 1.

Vermes in fructibus gignuntur, & ex lignis, qui evadunt aves. *tom.* 2. *pag.* 146. *col.* 2.

Verſat omnia viciſſitudo. *tom.* 6. *pag.* 179. *col.* 2.

Verſum Lucretii libro quarto 895. pro velis emendat remis Gaſſendus. *tom.* 2. *pag.* 443. *col.* 1.

Vertigine opprimitur vipera ſi tangatur fagi ramo; veſpertilio vero platani foliis. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.

Digitized by Google

Veſci ſine amico leonis vita eſt. *tom.* 3. *pag.* 87. *col.* 1.

Veſci berbis, & fructibus deberent homines, non carnibus. *tom.* 2. *pag.* 261. *col.* 2.

Veſica illæſa calculi an exolvi poſſint quadam aqua? *tom.* 2. *pag.* 35. *col.* 1.

Veſicam cur ſolvat metus? *tom.* 2. *pag.* 434. *col.* 2.

Veſicæ morbo laboravit Epicurus. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 1.

Veſicæ excrementa quomodo deiiciantur. *tom.* 2. *pag.* 449. *col.* 1. & *pag.* 452. *col.* 1.

Veſpas, & apes interficit oleum. *tom.* 3. *pag.* 079. *col.* 2.

Veſpaſianus Robinus Botanicus. *tom.* 5. *pag.* 235. *col.* 2.

Veſpere color nubium rubeus cur ſerenitatem ſignificet. *tom.* 2. *pag.* 64. *col.* 1.

Veſpertilio lacte nutrit filios, & volitans duos fert. *tom.* 1. *pag.* 472. *col.* 2.

Veſpertilio opprimitur, ſi tangatur foliis platani. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.

Veſtigia domini ſunt optimum pro agri fecunditate. *tom.* 2. *pag.* 653. *col.* 1.

Veſuvius cur incendia ſuſcitet. *tom.* 2. *pag.* 38. & *ſeqq.*

Veteres calumniatur Ariſtoteles. *tom.* 3. *pag.* 130. *col.* 1. & *pag.* 032. *col.* 2.

Vetula octogenaria dentes enixa. *tom.* 6. *pag.* 90. *col.* 1.

Via lactea quid ſit. *tom.* 2. *pag.* 443. & *ſeqq.*

Vibrationes pendulorum quare fiant? *tom.* 1. *pag.* 505. *col.* 2. & *pag.* 358. *col.* 2. an & æquali tempore. *tom.* 3. *pag.* 452. *col.* 2 & *pag.* 454. *col.* 2.

Vicies bis millies Seſtertiûm Nero donationibus effudit. *tom.* 5. *pag.* 482. *col.* 1.

Viciſſitudo omnia verſat. *tom.* 6. *pag.* 179. *col.* 2.

Victoria rerum venerearum nonniſi fuga obtinetur. *tom.* 1. *pag.* 684. *col.* 2.

Victu tenuiſſimo recoperatur ſanitas. *tom.* 3. *pag.* 70. *col.* 2.

Vidus Broſſeus Medicos, & Regiorum hortorum inſtructor, & demonſtrator. *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 1.

Vigilia, ac ſomnus quid ſint. *tom.* 1. *pag.* 304. *col.* 2.

Villæ Ciceronis, & Luculli. *tom.* 5. *pag.* 218. *col.* 2.

Vina coronare quid eſſet antiquis? *tom.* 5. *pag.* 269. *col.* 1.

Vindiciæ demonſtrationis phyſicæ. *tom.* 3. *pag.* 534. *col.* 1.

Vini novi fumus cur extinguat lumen? *tom.* 1. *pag.* 189. *col.* 2.

Vini ſpecies vocat Concilium, non accidentia. *tom.* 3. *pag.* 053. *col.* 1. & 2.

Vino large epoto convaluit quidam. *tom.* 2. *pag.* 508. *col.* 1.

Vino largius epoto, prodidit quidam propria crimina. *tom.* 5. *pag.* 033. *col.* 1.

Vinum cur difficilius aqua congeletur? *tom.* 2. *p.* 73. *col.* 1.

Vinum Myrtites. *tom.* 5. *pag.* 265. *col.* 1.

Vinum ſuaviſſimum videbatur abſtemio, quum febre laboraret. *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 183. *col.* 0.

Violentus motus qui ſit, & qui naturalis. *tom.* 2. *pag.* 301. *col.* 2.

Vipera opprimitur, ſi tangatur fagi ramo. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.

Viperæ non naſcuntur rupto matris utero. *tom.* 2. *pag.* 254. *col.* 1.

Vir clariſſimus Joannes Hevelius Dantiſcanus. *tom.* 6. *pag.* 159. *col.* 1.

Vir induſtrius Antonius Faber. *tom.* 6. *pag.* 183. *col.* 2.

Vir magnus Keplerus. *tom.* 3. *pag.* 597. *col.* 1.

Vir ſapiens bona in ſeſe continere debet, quæ ad bene, beateque vivendum ſint ſatis. *tom.* 6. *pag.* 26. *col.* 1.

Vir ſapiens ſummum nec metuit diem, nec optat. *tom.* 6. *pag.* 085. *col.* 1.

Virginem Democritus ſalutavit, & poſtridie mulierem quia cognovit conſtupratam. *tom.* 3. *pag.* 189. *col.* 2.

Viri eximii Caramuel, atque Vanlangrenus. *tom.* 6. *pag.* 169. *col.* 1.

Viri fœtorem uxor Gelonis non indicavit, quia crediderat omnes homines eundem halitum habere. *tom.* 3. *pag.* 108. *col.* 1.

Virtus ad bene, beateque vivendum ſeipſa contenta eſt. *tom.* 6. *pag.* 191. *col.* 1.

Virtus an ſit verecundia? *tom.* 2. *pag.* 681. *col.* 1. & *pag.* 682. *col.* 1.

Virtus quanta ſit vivere parvo. *tom.* 2. *pag.* 638. & *ſeqq.*

Virtus, quæ ſuum cuique tribuit, eſt juſtitia. *tom.* 3. *pag.* 89. *col.* 2.

Virtus vera res vulgaris non eſt. *tom.* 6. *pag.* 16. *col.* 2.

Virtutes etiam rei odio habitæ cur averſemur? *tom.* 2. *pag.* 420. *col.* 2.

Virtutes inter ſe connexæ ſunt. *tom.* 2. *pag.* 652. & *ſeqq.*

Virtutes pares eſſe falſum eſt. *tom.* 3. *pag.* 65. *col.* 2.

Virtutes, quæ requiruntur in Principe. *tom.* 2. *pag.* 268. & *ſeqq.*

Virtutis ſolius eſt opus famam extendere. *tom.* 6. *pag.* 175. *col.* 1.

Virum fortem cum mala fortuna compoſitum dignum Deo ſpectaculum dicit Seneca. *tom.* 6. *pag.* 260. *col.* 2.

Virum Magiſtratus oſtendet. *tom.* 2. *pag.* 690. *col.* 0.

Virum Philoſophum præſtare tuendæ veritatis gratia. *tom.* 6. *pag.* 185. *col.* 1.

Vis motrix animalium quid ſit. *tom.* 2. *pag.* 442. & *ſeqq.*

Viſcerum morbo laboravit Epicurus. *tom.* 3. *pag.* 79. *col.* 1.

Viſibiles ſpecies. *Vide*: Species viſibiles &c.

Viſio juxta aliquos fit per effluxum ex oculis. *tom.* 3. *pag.* 427. *col.* 2. & *pag.* 428. *col.* 0.

Viſio obiecti quo loco fiat utroque oculo aperto, & quo altero clauſo. *tom.* 3. *pag.* 419. & *ſeqq.*

Viſio prodigioſa, quæ Maſſiliæ pluribus noctibus contigit. *tom.* 6. *pag.* 425. & 426.

Viſio qua oculi parte excitetur? *tom.* 5. *pag.* 274. *col* 1. & 2.

Viſio quomodo fiat? *tom.* 2. *pag.* 321. *col.* 1. & *ſeqq.* & *tom.* 3. *pag.* 373. *col.* 1. & *pag.* 389. & *ſeqq.*

Viſio in retina probabilior, quam in cryſtallino, ſeu in tota humorum capacitate. *tom.* 5. *pag.* 274. *col.* 1.

Viſionem efficiens diaphanum per Ariſtotelem quid ſit? *tom* 3. *pag.* 427. *col.* 2.

Viſionem in moderata a retina decuſſationis diſtantia eſſe eliciendam, ut in Teleſcopiis apparet. *tom.* 5. *pag.* 274. *col.* 1. & *pag.* 275. Plura circa viſionem, & circa myopes, & ſenes obſervata. *ibid.*

Viſionem quomodo efficiat lux. *tom.* 2. *pag.* 370. & *ſeqq.*

per Viſionem quomodo judicetur diſtantia. *tom.* 3. *pag.* 416. *col.* 1.

Viſionis axis quomodo dirigatur. *tom.* 3. *pag.* 419. & *ſeqq.*

Viſus acies hebetatur anno quadrageſimo nono. *tom.* 2. *pag.* 526. *col.* 2.

Viſus organum a Peireskio exploratum. *tom.* 5. *pag.* 274. *col.* 2. & *pag.* 275.

Vita animalium quam diuturna ſit. *tom.* 2. *pag.* 530. *col.* 2. & *pag.* 531.

Vita animalium quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 511. & *ſeqq.*

Vita beata, *Vide*: Felicitas.

Vita leonis eſt veſci ſine amico. *tom.* 3. *pag.* 87. *col.* 1.

in Vita mortalium nihil omni ex parte beatum. *tom.* 6. *pag.* 190. *col.* 1.

Vita quorundam animalium unius diei. *tom.* 2. *pag.* 588. *col.* 2.

Vitam finire decreverat Metrocles ob emiſſum ventris crepitum. *tom.* 1. *pag.* 07. *col.* 1.

Vitam ſponte abiicere non debemus. *tom.* 2. *pag.* 590. *col.* 1.

Vitam vituperando Hegeſias effecit, ut multi ſibi mortem conſciſcerent, ideo prohibitus eſt. *tom.* 2. *pag.* 592. *col.* 0.

Vitam

Digitized by Google

Vitam oltra centumvigioti annos qui poſt Diluvium produxerint. *tom.* 2. *pag.* 527. *col.* 1.
Vitæ elixir. *Vide*: Lapis philoſophicus.
Vitæ genus quomodo eligendum. *tom.* 2. *pag.* 658.
Vites in quadam Inſula uvas producere, ex quibus lac exprimeretur ſingit Lucianus. *tom.* 1. *pag.* 438. *col.* 2.
Vitia etiam rei amatæ cur delectent? *tom.* 2. *pag.* 429. *col.* 2.
Vitra feneſtrarum tremunt ob ictum jauuæ ad limen. *tom.* 3. *pag.* 454. *col.* 2.
Vitreas nates habere quidam credebat. *tom.* 2. *pag.* 365. *col.* 1.
Vitreum priſma cur illos colores referat? *tom.* 2. *pag.* 381. *col.* 1. *tom.* 3. *pag.* 432. *col.* 2.
Vitreoli pulvis etiam ex diſtantia ſanguinem ſiſtit, & vulnera ſanat. *tom.* 2. *pag.* 34. *col.* 1.
Vitrioli oleo cum roſæ foliis infuſo aqua rubeſcit. *tom.* 1. *pag.* 223. *col.* 1. mixto cum oleo tartari ebullit. *tom.* 1. *pag.* 223. *col.* 2.
Vitrum impedit exaudiri ſonum. *tom.* 1. *pag.* 183. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 406. *col.* 2.
Vitrum non penetrat aër. *tom.* 2. *pag.* 282. *col.* 2.
Vitrum concavum, aut convexum quomodo reflexionem, aut rarefactionem faciat, aut creſcant, & decreſcant objecta. *tom.* 1. *pag.* 375. & *pag.* 387. *col.* 2. *tom.* 2. *pag.* 333. *col.* 1. & *tom.* 3. *pag.* 401. *col.* 2. *pag.* 402. *col.* 2. & *pag.* 411. *col.* 2.
Vitulum pluvia decidiſſe ferunt. *tom.* 2. *pag.* 67. *col.* 2.
Vitulus biceps, quintipeſve natus eſt. *tom.* 1. *pag.* 336. *col.* 2.
Vivere nunquam incipiunt ſtulti, & ſemper deſinant vivere. *tom.* 3. *pag.* 59. *col.* 1.
Vivere parvo virtus quanta ſit. *tom.* 2. *pag.* 638. & *ſeqq.*
Viverræ non ſunt ſcorpiones volucres Luciani. *tom.* 2. *pag.* 472. *col.* 2.
Vivit bene bene latens. *tom.* 3. *pag.* 73. *col.* 2.
Vivus in Sicilia erat Ariſteas, & mortuus in Proconneſo. *tom.* 2. *pag.* 577. *col.* 2.
Vixerint qui plus centumviginti annis etiam poſt Diluvium. *tom.* 2. *pag.* 527. *col.* 2.
Ulſonem natum ex Urſo, & puella dicunt. *tom.* 1. *pag.* 426. *col.* 2.
Ultra mundum ſuperſunt immenſa ſpatia. *tom.* 6. *pag.* 159. *col.* 2.
Ulyſſi qua de cauſa Minerva adſtitiſſe ſingatur. *tom.* 6. *pag.* 123. *col.* 2.
Umbilicum protendit velut funem animal. *tom.* 3. *pag.* 147. *col.* 1.
in Umbra æſtuabat Demophon, rigebat ad Solem. *tom.* 3. *pag.* 182. *col.* 2.
Umbram majorem Sol ereat in Horizonte, licet major appareat, & quare. *tom.* 3. *pag.* 385. & *ſeqq.*
Uoguenti odorem quædam ferre non poterat. *tom.* 3. *pag.* 281. *col.* 1. & *pag.* 384. *col.* 2.
Ungueoto inunctus puer eo ſopore correptus fuit, ut ſibi videretur volare ex una in aliam rupem. *tom.* 2. *pag.* 576. *col.* 2. & *pag.* 577. *col.* 2.
Unguentum non tolerant Scarabæi. *tom.* 3. *pag.* 179. *col.* 2.
Unguentum ſympatheticum an vulnera ſanet e longinquo. *tom.* 1. *pag.* 399. *col.* 2.
ſub Unguibus pedes lacerat Nigua. *tom.* 2. *pag.* 229. *col.* 1.
Unguis humani magnitudine portio ex oſſe zygomate detracta fuerat. *tom.* 2. *pag.* 283. *col.* 2.
Ungulæ decidunt epota aqua cujuſdam lacus. *tom.* 2. *pag.* 51. *col.* 2.
Uniſona chorda reſpondet chordæ ſonanti. *tom.* 1. *pag.* 395. *col.* 2. & *pag.* 396. *col.* 1.
Univerſalia in intellectu conſiſtunt. *tom.* 2. *pag.* 399. *col.* 2. & *pag.* 400.
in Univerſalibus conſtituendis multa peccant Ariſtotelei. *tom.* 3. *pag.* 146. & *ſeqq.*
Univerſi centrum oon petunt partes terræ, ſed ipſius centrum. *tom.* 3. *pag.* 132. *col.* 1.
Vocales plures ſunt, quam vulgo dicuntur. *tom.* 2. *pag.* 459. *col.* 1.
Vocem καρκίνου apud Empiricum deceptus Interpres accepit pro cancro, non pro circino. *tom.* 1. *pag.* 298. *col.* 1.
Volatus avium quomodo fiat. *tom.* 2. *pag.* 470. *col.* 2. & *pag.* *ſeqq.*
Volucris tranſvolare niſi mille annis non poſſet interſtitium oculorum illius animalis, quod deſcribunt Rabbini. *tom.* 2. *pag.* 9. *col.* 1.
Voluntatis ſedes ubi ſit. *tom.* 2. *pag.* 411. *col.* 2.
Voluptas quomodo gignatur. *tom.* 2. *pag.* 420. *col.* 1.
Voluptatem, ſed non obſcœnam ſummum bonum putabat Epicurus. *tom.* 3. *pag.* 66. *col.* 1.
Voluptates etiam corporeas felicitatem efficere an exiſtimaverit Epicurus. *tom.* 2. *pag.* 506. & *ſeqq.*
Voluptatis privationem exiſtimant aliqui ſibi parituram moleſtiam poſt mortem. *tom.* 3. *pag.* 75. *col.* 2.
Voraces. *Vide*. Edaces.
Votum Deo Æſculapio perſolutum quid eſſet? *tom.* 5. *pag.* 285. *col.* 1.
Vovit ſe comburi Eudoxus, ſi prope Solem ſtare licuiſſet. *tom.* 2. *pag.* 621. *col.* 2.
Vox animalium quid ſit, & quomodo fiat. *tom.* 2. *pag.* 356. & *ſeqq.*
Vox non auditur, ſi medium intercedat vitrum. *tom.* 1. *pag.* 183. *col.* 2. & *tom.* 3. *pag.* 406. *col.* 2.
Vox quare per pubertatem gravior fiat. *tom.* 2. *p.* 522. *col.* 1. & 2. quare Eunuchorum acuta ſit. *Ibidem col.* 2. & *pag.* 523. *col.* 2.
Vox quid ſit? *tom.* . *pag.* 363. *col.* 2. uſque ad vicies ſexies repetita. *pag.* 364. *col.* 2.
Urbanitas quæ laudanda. *tom.* 1. *pag.* 689. *col.* 1.
Urina cum culmo hordeaceo ejecta proditur. *tom.* 2. *pag.* 150. *col.* 2.
Urinam cur cieat metus? *tom.* 2. *pag.* 434. *col.* 2.
Urſi dormientes hyeme nec etiam vulneribus excitantur. *tom.* 2. *pag.* 479. *col.* 2.
ex Urſo, & puella natum Ulſonem proditum eſt. *tom.* 1. *pag.* 426. *col.* 2.
Urſum informem naſci fabuloſum. *tom.* 2. *pag.* 254. *col.* 2.
Uſu carnium abſtinendum, ut recuperetur ſanitas. *tom.* 3. *pag.* 70. *col.* 2.
Uſus membrorum eoſdem non habebunt homines poſt reſurrectionem. *tom.* 1. *pag.* 265. *col.* 1.
Uſus plurimi reſpirationis. *tom.* 2. *pag.* 279. *col.* 1. & 2.
Ut augeamur opibus, reſecanda ſolum deſideria ſunt rerum non neceſſariarum. *tom.* 6. *pag.* 27. *col.* 1.
in Utero elephas geſtatur duos annos, felis duos menſes. *tom.* 2. *pag.* 242. *col.* 2.
Utero matris abrupto viperas naſci fabuloſum. *tom.* 2. *pag.* 254. *col.* 2.
Utero quanto tempore geſtent Feminæ. *tom.* 2. *pag.* 255. *col.* 1.
ex Uteris quibuſdam primos homines prodiiſſe putavit Epicurus. *tom.* 2. *pag.* 428. *col.* 2.
Utilitas nulla eſt Logicæ. *tom.* 3 *pag.* 139. & *ſeqq.*
Uvas, ex quibus lac exprimitur ſingit Lucianus. *tom.* 1. *pag.* 438. *col.* 2.
Uvæ acino ſtrangulatus interiit Sophocles. *tom.* 2. *pag.* 527. *col.* 2.
Uvæ γίγαρτον quid ſit? *tom.* 2. *pag.* 139. *col.* 2.
è Vulgo homines comparari poſſunt cum Stellarum turba. *tom.* 6. *pag.* 107. *col.* 2.
Vulgus iners de attingendo faſtigio ne cogitat quidem. *tom.* 6. *pag.* 161. *col.* 2.
Vulnera e longinquo an ſanet unguentum ſympatheticum. *tom.* 1. *pag.* 399. *col.* 2.
Vulnera ſanat etiam ex diſtantia pulvis vitreoli. *tom.* 2. *pag.* 34. *col.* 2.
Vulneribus non excitantur urſi dormientes hyeme. *tom.* 2. *pag.* 479. *col.* 2.
Vulnus dum curaret Medicus candela attracta eſt in pectus, & per os expulſa. *tom.* 2. *pag.* 190. *col.* 2. *pag.* 191. & *pag.* 278. *col.* 2.
a Vulpe ſe corrodi paſſus eſt puer Lacedæmonius, ne furtum detegeretur. *tom.* 2. *pag.* 680. *col.* 2.
Vulpes præmiſſæ in flumen glacie concretum ſi murmur ſentiant regrediuntur. *tom.* 2. *pag.* 358. *col.* 2.
Vultures naſcuntur ſine ſemine maſculorum. *tom.* 3. *pag.* 174. *col.* 2.

Vul-

Digitized by Google

I N D E X.

Vultures odorem cadaverum ſentiunt ad quingenta milliaria. *tom.* 2. *pag.* 324. *col.* 1.
Vulturnus, ventus ſaluberrimus, Aquis-Sextiis inſalubris, & fruges adurens: & Corus ex oppoſito. *tom.* 5. *pag.* 276. *col.* 2.
Uxbridgium, Vicus in Anglia. *tom.* 6. *pag.* 195. *col.* 2.
Uxor Gelonis fœtorem non indicavit, quia crediderat omnes homines eundem balitum habere. *tom.* 3. *pag.* 108. *col.* 1.
Uxor Pompeii ſuſpicata eum eſſe interfectum interiit. *tom.* 2. *pag.* 425. *col.* 1.

X

XEnocrates quam intemperanter bibax. *tom.* 5. *pag.* 185. *col.* 1.
Xiphiæ vox a Peireskio illuſtrata. *tom.* 5. *pag.* 218. *col.* 1.
Xerxes Athon montem perforavit. *tom.* 5. *pag.* 218. *col.* 2.

Z

ZAhan, & Zemram lacus, unde orirur Nilus. *tom.* 2. *pag.* 20. *col.* 2. *pag.* 21. *col.* 1. *& pag.* 22. *col.* 1.
Zemram lacus, ex quo oritur Nilus. *tom.* 2. *pag.* 20. *col.* 2. *pag.* 21. *col.* 1. *& pag.* 22. *col.* 1.
Zeno pronunciavit, nihil eſſe magis a perceptione ſcientiarum alienum, quam Poëticen. *tom.* 5. *pag.* 199. *col.* 2.
Zeno Stoicornm Pater ſeſe ſtrangulavit. *tom.* 5. *pag.* 185. *col.* 1.
Zeno Stoicorum Princeps ſummum bonum virtutem ſtatuit. *tom.* 6. *pag.* 106. *col.* 2.
Zenonis argumentum Achilles dictum. *tom.* 6. *pag.* 224. *col.* 2. Ejus apud Ciceronem egregia ſimilitudo circa rerum Criteria. *tom.* 6. *pag.* 130. *col.* 2.
Zenonis argumentum, quo probabat non dari motum, ſi continuum eſſet diviſibile in infinitum. *tom.* 1. *pag.* 231. *col.* 1. *& pag.* 299. *col.* 2.
Zeuxis riſu ob vetulam depictam mortuus eſt. *tom.* 2. *pag.* 424. *col.* 1.
Zinziber ex India allatum. *tom.* 5. *pag.* 255. *col.* 1.
ſub Zona temperata auſtrali decidentes pluviæ Nilum augent. *tom.* 2. *pag.* 23. *col.* 2.
Zoophyta quem motum, aut ſenſum habeant. *tom.* 2. *pag.* 300. *col.* 1. *&* 2.
Zoophytum agno ſimile. *tom.* 2. *pag.* 247. *col.* 1.
ex Zygomate oſſe portio cuidam detracta fuerat, quantus eſt unguis humanus. *tom.* 2. *pag.* 283. *col.* 2.

F I N I S.

A01 1454229

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google